image
not
available

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

vol I

Digitized by Google

Digitized by Google


ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI
OCCIDENTALIUM MONACHORUM
PATRIARCHÆ.

In quibus non modò res monaſticæ, ſed etiam eccleſiaſticæ hiſtoriæ non minima pars continetur.

Auctore Domno JOHANNE MABILLON, *preſbytero & monacho ejuſdem Ordinis è Congregatione S. Mauri.*

TOMUS PRIMUS,


Complectens Libros XVIII. ab ortu S. Benedicti ad annum DCC. cum duplici Appendice, & Indicibus neceſſariis.



LUTECIÆ-PARISIORUM,
Sumtibus CAROLI ROBUSTEL, via Jacobea, ad inſigne Arboris Palmæ.

M. DCCIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM FACULTATE.



ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO MAURICIO
TELLERIO,
ARCHIEPISCOPO
DUCI REMENSI,
PRIMO FRANCIÆ PARI.

Galliç Belgicç Primati, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato-nato, Regiorum Ordinum Commendatori, Archimonaſterii S. Remigii Abbati, necnon Sorbonç Proviſori.

ANNALES *noſtros in lucem edituros*, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME, *non leviter peccare mihi viderer, ſi ultimum hoc vigiliarum mearum Opus tibi non offerrem, tuoque Nomini non inſcriberem. Id enim poſtulant non modo benevolentia illa, qua me jam dudum proſequeris, ſed etiam eximia tua in Eccleſiam Remenſem*

& in Congregationem noſtram merita: nec committendum putavi, ut ego, utriuſque filius & alumnus, extremam hanc referendæ tibi gratiæ occaſionem prætermitterem.

Quanta Remenſi Eccleſiæ ac toti Diœceſi contuleris, VIGILANTISSIME PONTIFEX, *efficacius quavis oratione prædicant octingentæ minimum Eccleſiæ, per te ad rectum ordinem & ad bonos mores reformatæ, ac rite adminiſtratæ: quarum præſentem ſtatum cum veteri illo dum confero, ab inculto & ſterili ſolo tranſlatus mihi videor ad fertiliſſimam & amœniſſimam regionem, in qua irrigui fontes, ac colonorum labor & induſtria miram agris conferunt fructuum ubertatem. Quidni fontes dixerim celebrem illam Academiam, inſigne illud Seminarium, ex quibus tot viri doctrina & pietate eximii prodeunt in dies, præclaris tuis inſtitutionibus informati & inſtructi? Illic numeroſa juventus, tanta in uno nunc auditorio, quanta vix olim in toto Collegio erat, non minus pietate, quam litteris, ſub oculis & auſpiciis tuis, præclare eruditur: unde viri docti, quaſi totidem ſcientiarum ac virtutum rivuli, in totam non modo Diœceſim, ſed in vicinas quoque provincias derivantur.*

Hic, cum in Seminario majori a te exſtructo & dotato, tum in duobus aliis, Remis & Sedani, ingenui adoleſcentes & Clerici ab ipſis veluti diſcendi incunabulis per artes omnes, quæ informandis Eccleſiæ miniſtris conferant, ſenſim ad ſummas diſciplinas perducuntur, & Theologicis moralibuſque doctrinis, pro ſuo quiſque captu, a peritiſſimis magiſtris imbuuntur. Horum e numero apprime eruditi Paſtores ad

vacantes transferuntur eccleſias; alii aliis eccleſiaſticis miniſteriis aptantur. Sic vero intentus es in omnes, ut ſingulorum non modo nomina, verum etiam mores atque ingenium, non ſecus ac domeſticam familiam noris. Hi porro ad nutum tuum obſequi faciles, ab alia in aliam eccleſiam haud gravate migrant, prout eorum meritis vel eccleſiarum utilitati convenire perſpexeris.

Hæc dum commemoro, ILLUSTRISSIME ANTISTES, *non tam tibi gratulor, quam ampliſſimæ Diœceſi tuæ, quæ per te in eum refloruit ſtatum, ut toti Provinciæ exemplo eſſe poſſit, immo etiam per omnes Gallicanas eccleſias reſperſus ſit bonus illius odor*, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Gratias ago Deo & Domino noſtro, qui emiſit Spiritum ſuum, & terræ noſtræ faciem renovavit ad tot tantoſque fructus tempore tuo ferendos; precorque ex animo, ut bonum illud augeat, integrumque ſervet, ut*, cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipias immarceſſibilem gloriæ coronam.

Sed quid dicam de inſigni tua Remenſi Eccleſia; quæ ceterarum caput eſt & exemplum; iſta, inquam, Eccleſia, quæ tot ſanctos & eximios Epiſcopos, Cardinales, Summos etiam Pontifices e ſinu ſuo quondam protulit? Hæc excellentius quoddam ſub te Seminarium eſt virorum doctrina & pietate præſtantium, quos vel e Remenſi Academia & e majori Seminario tuo educis, vel aliunde conquiris & adoptas. Talibus viris conſtat Senatus iſte ampliſſimus, ex quo Vicarios Generales, Officiales, alioſque ſubſidiarios aſſumis Miniſtros: in quibus unum habes nobiliſſimum Abbatem, illuſtriſſimi Fratris tui filium, tuis

curis ad omnem doctrinam, prudentiam, modeſtiam, ceteraſque eccleſiaſticas virtutes compoſitum, quem una cum ipſis annumeratum eſſe inſignis illius Eccleſiæ venerabiles Canonici non immerito ſibi gratulantur.

Quam lætis hæc oculis e cælo reſpiciunt ſanctiſſimi illi Pontifices, qui Remenſem Eccleſiam fundarunt, decorarunt, illuſtrarunt! Quo animo vineam ſuam tam bene cultam intuetur Magnus ille Remigius, Francorum Apoſtolus, cujus tu vices geris non modo in ſede Remenſi, ſed etiam in Archimonaſterio, quod ejus nomine ac corpore inſignitum eſt! Quid in ſacrum illum locum contuleris, clamant vel ipſi lapides ædificiorum, quæ perenne tuæ in beatum Remigium pietatis monumentum erunt, & grati animi in te noſtri, quotquot Remigium colimus, incitamentum.

Jam vero ſi a Remenſi Eccleſia & Diœceſi ad alias muneris & officii tui partes veniamus, quanta rerum dicendarum ſeges! Quid in ultimis Cleri Gallicani generalibus Comitiis, quibus pro tuæ dignitatis ordine Præſidis munere functus es, præſtiteris, teſtes ſunt illorum Comitiorum editi Commentarii; teſtes laxiorum de moralibus opinionum cenſuræ; teſtes denique fortes iſtæ, graveſque pro Gallicana Eccleſia Orationes, quæ ipſum LUDOVICUM MAGNUM *approbatorem habuere. In his porro Comitiis ſic reipublicæ neceſſitatibus pro tuo in Regem ac Regnum ſtudio conſuluiſti, ut Clero Gallicano ſublevando, quoad rerum ſtatus patiebatur, ſedulam operam impenderis; ſic aſſerendæ ſtuduiſti veritati, ut eam vel ipſius præſidentiæ communicato honore ſtabilire curaveris: ratus tantum dignitatis tibi accedere, quantum auctoritatis ac præſidii ex conſortio & eruditione Emi-*

Digitized by Google

nentiſſimi Cardinalis & Archiepiſcopi Pariſienſis veritas accepiſſet.

Nimius ſim, ILLUSTRISSIME PRIMAS, *ſi cetera ejus generis tua facta perſequar. At reticere non poſſum, quod recentiſſime in Domo Sorbonica, cujus Proviſor es, a te præclare factum eſt. Ex omnibus Theologiæ Magiſtris unus erat, cui ſtipendium ſuppetebat tenue admodum, nec honeſto viro ſufficiens. Rem tuo Proviſoris nomine dignam excogitaſti, ut de tuo fundo Cathedræ honorarium tantum augeres, quantum ſatis eſſet ad aliorum Magiſtrorum æqualitatem: ut, cujus par eſſet labor, ejus quoque præmium æquaretur. Id factum cum plauſu eorum omnium, qui veritatem & Sorbonæ dignitatem, uti & tuam, ſincere amant. Hujuſce beneficentiæ memoriam, ut par eſt, conſervatura eſt Sorbonica Domus, quamdiu ſtabit: ſtabit autem Deo favente æternum ad Galliæ, tuæque in primis Diœceſeos, ex qua oriundus fuit primus ejus fundator, decus & ornamentum.*

Nos vero, ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL, *quantum tibi obſtricti ſumus pro ſingulari patrocinio & præſidio, quo Congregationem noſtram ultro dignaris! Felices nos, ſi ad publicam grati animi in te noſtri teſtificationem aliquid conferre poſſint hi Benedictini Annales, quos illuſtriſſimi Nominis tui auſpiciis in lucem prodire ſinis. Erit fortaſſe in eis quod tibi non diſpliceat, commemoratio videlicet multorum Eccleſiæ tuæ Pontificum, Abbatum, virorumque illuſtrium, necnon monaſteriorum origines, quæ ampliſſima tua Diœceſi continentur. Verum, quidquid illud eſt, novæ mihi gratiæ loco erit, ſi, qua humanitate ſtudiis hactenus faviſti meis, eadem hos ultimos labores meos*

tibi accipiendos putes. Supereſt, ut preces & vota noſtra Deo pro te offeramus, ut recta conſilia, piaſque tuæ mentis cogitationes fortunare pergat, earumque merces illic te maneat, ubi nullum meritum perit. Hæc ſincera vota ſunt omnium noſtrum, ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *meique in primis tibi obſtrictiſſimi, addictiſſimi, & obſequentiſſimi.*

Lutetiæ-Pariſ. xiv. Kal. Martii 1703.

F. JOH. MABILLON, M. B.

Digitized by Google

AD REVERENDISSIMOS

ABBATES ET SUPERIORES,

AC UNIVERSOS MONACHOS

ORDINIS S. BENEDICTI,

PRÆFATIO.

1. VOBIS potiſſimum debetur hæc Præfatio, REVERENDISSIMI PATRES, FRATRES AMANTISSIMI, quos maxime ſpectant Benedictini Annales. Vobis, inquam, inſtituti mei reddenda ratio eſt, & approbandum, ſi fieri poſſit, conſilium meum, ne forte vobis temerarium videatur. Poſt editam in lucem Actorum noſtri Ordinis Sanctorum maximam partem, cum à me Superiores & amici quidam mei poſtularent, ut Benedictinos Annales componerem; diu ſum equidem reluctatus, tum ob argumenti difficultatem & magnitudinem, tum ob provectiorem hanc ætatem, tantoque operi imparem facultatem. Sed tandem ſæpe repetitis eorum poſtulationibus cedendum fuit, tametſi laboris ceſſationem & quietem jam affectæ vires, atque ætas ſuadere viderentur.

2. Res itaque monaſticas ab ortu beatiſſimi Patris noſtri BENEDICTI ad noſtram uſque ætatem, per ſæcula amplius undecim in Occidente geſtas, jam ab annis fere decem ſcribere aggreſſus ſum. Difficilis ſane provincia, quippe quæ res tanto temporum decurſu geſtas, nec minimam illorum temporum eccleſiaſticæ hiſtoriæ partem contineat. Quod ſi nobiliſſimo Romanæ hiſtoriæ Scriptori res immenſi operis viſa eſt, ut quæ ſupra ſeptingenteſimum annum repeteretur: quanto magis mihi timendum erat, ne tam vaſto labori ſuccumberem?

3. Verum, cum ab annis ferme triginta ſtudiorum meorum rationes pæne omnes in id argumenti jam tum retuliſſem; exiſtimabant iidem illi ſuſcipiendi operis exactores, me non imparato prorſus animo ampliſſimam hanc provinciam ingreſſurum; &, ſi me vita in ipſo ſuſcepti operis curſu deficeret, uti ſine dubio deficiet, non defuturos ſodales meos, in iiſdem exercitatos ſtudiis, qui interceptum opus perſequantur. His demum rationibus acquievi, ſtatimque operi manum ad-

movi, favente Deo, cujus beneficio, quod initio nonniſi ægre ſuſceperam, poſtea non ſine quadam animi voluptate proſecutus ſum. Sed, ne opus inchoatum præmature in lucem emitterem, non ante novem ab incœpto labore annos de illius editione cogitare viſum eſt, cum ſcilicet ultra dimidiam ejus partem confeciſſem, ne præpropera & non ſatis meditata eſſet editio. Jam vero quænam ſcribendorum horum Annalium ratio, quæ ſubſidia, quis ordo adhibitus; quibuſve gradibus Regulæ Benedictinæ propagatio facta ſit, quam breviſſime diſſerendum.

I.

4. Majores noſtri, veteres illi, facere optima quam ſcribere magis ſolliciti, de hiſtoria ſua adornanda, digerendiſque Annalibus parum admodum cogitabant. Prima illis cura erat de moribus formandis, & ad ſanctæ Regulæ normam componendis. Tum quorumdam virorum ſanctitate illuſtrium præclara facta in exemplum aliis proponere viſum eſt operæ pretium, & in litteras referre. Sub hæc monaſteriorum ſuorum hiſtorias ſeu chronica ſcribendi cupido eis inceſſit. quo in genere Fontanellenſi chronico, quod ſæculo nono condi cœptum eſt, nullum antiquius invenio. nam principis e noſtris Caſinenſis cœnobii res memorabiles non ante ſæculi decimi exitum litteris conſignavit Leo Marſicanus, & poſt eum Petrus diaconus, ambo ſacri illius loci alumni. His monumentis dein acceſſere veterum cujuſque monaſterii inſtrumentorum collectiones, quæ vulgo chartularia dicuntur, viam in primis aperiente Folquino, ſæculi noni monacho Sithienſi ſeu Bertiniano, quem alii ſubinde magno agmine ſecuti ſunt. In his alii ſolas monaſterii chartas retulerunt, & ex eis unum corpus confecerunt: alii abbatum ſuorum ſeriem & facta præcipua inſeruerunt, ut Folquinus mox laudatus, & Johannes Caſaurienſis monachus, qui egregium chartaceum volumen, in bibliotheca regia nunc aſſervatum, ex monaſterii ſui inſtrumentis, & geſtis abbatum compoſuit.

5. Non defuere tamen primis etiam illis ſæculis e noſtris hiſtoriarum ſcriptores: ſed, ſive quod difficile eſſet per ea tempora litterarum commercium, ſive quod disjuncta eſſent ab ſe ſe invicem monaſteria, nulla fere ſocietate confœderata; illuſtrandæ potius patriæ ſuæ aut domeſticæ hiſtoriæ, quam monaſticæ in ſcripta redigendæ operam contulerunt. In ea claſſe exſtitere apud Italos Paulus Warnefridi, diaconus & monachus Caſinenſis, & Erkempertus; apud Gallos Aimoinus, Glaber-Rodulfus, Hugo Flaviniacenſis, Ordericus Viralis, multique alii; ex Anglis Venerabilis Beda, Ingulfus, Willelmus Malmeſburienſis, Matthæus uterque, Weſtmonaſterienſis & Pariſius, aliique magno numero hiſtorici; nec pauciores apud Germanos, in quibus Lambertus Scafnaburgenſis præcipuus eſt. qui omnes patriis ſuis hiſtoriis, ſi qua in monaſteriis noſtris commemoratu digna ipſis occurrerent, inſerere non omiſerunt. His adjungendi Regino Prumienſis abbas, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Sigebertus, qui generalis hiſtoriæ indices potius ſcribentes, quam annales, de rebus quoque monaſticis quaſdam retulerunt

Digitized by Google

particulas, eorumque exemplo ceteri, qui annales ad paſchales cyclos concinnarunt.

6. Primus e noſtris, quod quidem ſciam, librum de viris illuſtribus Ordinis noſtri ſcribere aggreſſus eſt ſub finem ſæculi quarti-decimi Raymundus de Rialaco monachus Conchenſis apud Ruthenos, eumque Petro, cognomento *d'Abezac*, ex monacho archiepiſcopo Narbonenſi incripſit: quem librum in quatuor diſtribuit partes, in quarum prima agit de ſanctis ſummis pontificibus Ordinis monaſtici; in ſecunda de ſanctis martyribus; in tertia de ſanctis epiſcopis; in quarta denique de abbatibus & monachis, ut legitur in codice Lirinenſi, in quo hic liber habetur. Ante eum Petrus diaconus Caſinenſis libros duos, unum de viris illuſtribus, alterum de ſanctis ac juſtis Caſinenſibus compoſuerat. Neutrum viderat Johannes Trithemius abbas Spanheimenſis, qui primus hoc de argumento ſcripſiſſe hactenus creditus eſt. Is cum videret alios pæne omnes in uno codice habere Ordinis ſui hiſtorias, « quibus juniorum animos ad præcedentium patrum exempla imitanda « provocentur; habere etiam illuſtrium virorum catalogos, ſanctorum- « que actus conſcriptos ſuorum; indigne tulit, in ſolo Ordine noſtro, qui « antiquitate, dignitate & auctoritate ceteris præſtat, nihil aut parum « his de rebus conſcriptum eſſe. Quapropter commentarium de viris il- « luſtribus noſtri Ordinis ſcribere in animum induxit, majori quidem ſtudio, quam cenſura, tametſi diligentia non vulgari. quippe conquiſitis undequaque veterum codicum ſubſidiis, quos ad ſex millia in ſuam bibliothecam Spanheimenſem comportavit; & Paulo Langio monacho ad alias Germaniæ bibliothecas perſcrutandas miſſo, rem pro tempore & vitæ ſuæ brevitate gnaviter exſecutus eſt. Huic commentario idem ſuperaddidit Chronicon Hirſaugienſe, ſecundis curis ab ipſo recognitum & auctum, quale nuper ſancti-Gallenſibus typis vulgatum eſt: quo in Chronico generalis quædam Germanicorum monaſteriorum hiſtoria continetur.

7. His acceſſere Martyrologiorum monaſticorum ſcriptores: quos inter primas tenet Guillelmus abbas ſancti Pauli in Urbe, patria Cadurcenſis, qui anno M CCC LXXII. KALENDARIUM omnium ſanctorum monachorum, necdum editum, compoſuit. Illud autem ex diverſis codicibus ſe collegiſſe dicit, maxime ex quodam volumine ſatis grandi, quod inſcriptum erat, *Collectarium ſanctorum monachorum*, in quo ſanctorum monachorum vitæ continebantur. Præ eo longe notior eſt Arnoldus-Wion Belga; qui ſequaces poſtmodum habuit Hugonem Menardum e noſtris, e Germanis Gabrielem Bucelinum, & Ægidium *Cranbeck*, qui *Kalendarium* itidem *Benedictinum* quatuor tomis cum æneis figuris non ita pridem vulgavit. Paullo minus prolixum eſt Martyrologium Thomæ Maihew Angli, qui TROPHÆA Benedictino-Anglicana tribus voluminibus compoſuit: quibus quartum de Scriptoribus adjecit. Multum quoque ad hiſtoriam noſtram contulit ejuſdem nationis Clemens Reinerus, edito inſigni libro, qui APOSTOLATUS *Benedictinorum in Anglia* nuncupatur.

8. Tandem vero ſub initia præcedentis ſæculi, Antonius Yepeſius Hiſpanus, Valliſoletanus abbas, quod nemo ante eum tentaverat, generale totius Benedictinæ hiſtoriæ Chronicon ſcribendum ſuſcepit, vir ſane doctrina & eruditione ad id perficiendum non mediocriter inſtructus; illudque ad ſex, quas ipſe vocat, centurias perduxit. quod domnus Martinus Retellius, e percelebri Congregatione ſancti Vitoni, gallice reddidit, multiſque acceſſionibus ſubinde auxit: Bucelinus vero in epitomen redegit, adjecto compendio ſubſequentium annorum. Nec mirum quod Yepeſius in duodecimo ſæculo ſubſtiterit. Cum enim monaſteriorum hiſtorias, vitaſque Sanctorum atque illuſtrium Ordinis noſtri virorum uno contextu integras ſemel deſcripſiſſet; nihil fere ipſi reliqui erat quod ſcriberet, cum & novæ monaſteriorum fundationes poſt ſæculum duodecimum, in quo deſiit, rariſſimæ fuerint; & geſta ſanctorum illuſtriumque virorum, qui poſt illud ſæculum vixerant, in enarrandis uniuſcujuſque monaſterii eventibus ab ipſo jam relata eſſent. Verum, quia non ſatis amplas ad prolixum iſtud opus ſuppetias in promtu habuit vir doctus (nam præter Baronii Annales, vitaſque ſanctorum quorumdam, & Hiſpaniæ monaſteriorum tabularia, cetera fere ipſi deerant) hiſtoriam ſuam omni ex parte abſolutam reddere non potuit. Vereor ut quid elimatius ac ſolidius elucubrare potuerit Conſtantinus Cajetanus, qui in commentario ad vitam Gelaſii II. ait, ſe habere præ manibus Annales Benedictinos, quos propediem editurum ſe dicebat. Verum, qualeſcumque illi fuerint, ad manus noſtras minime pervenerunt. Sic itaque imperfecta hactenus reſtitit Benedictinæ familiæ hiſtoria.

9. Cum id animadvertiſſent primarii Congregationis noſtræ præpoſiti, quibus res noſtri Ordinis in primis cordi erant; delectos e ſuis ſtudioſos fratres ad colligenda Benedictinæ hiſtoriæ monumenta deſignarunt: qui, perluſtratis tum Galliæ, tum aliarum regionum bibliothecis & archivis, copioſam inde litterariam ſupellectilem retulerunt. Hoc conſilium primus iniit reverendiſſimus Pater domnus Gregorius *Tariſſe*, Congregationis noſtræ Præpoſitus generalis, idemque ſtudiorum apud nos præcipuus inſtitutor: cujus laudabile propoſitum perſecuti ſunt ejus ſucceſſores, reverendiſſimi Patres Johannes *Harel*, Bernardus *Audebert*, Vincentius *Marſolle*, Benedictus *Brachet*, & Claudius *Boiſtard*, hodie quoque vivens, gratias Deo, vigenſque animo in provecta licet ætate: qui omnes bonarum, ſacrarumque litterarum ſtudia promovere ſtuduerunt, tum in recenſendis ſanctorum Patrum Operibus, quorum lectionem ad inſtillandam, fovendamque pietatem in primis conducere perſuaſum habebant; tum in colligendis vetuſtis illis monumentis, quæ ad conſcribendam Benedictinam hiſtoriam neceſſaria & opportuna videbantur.

10. Ante omnia, Sanctorum noſtrorum Acta primigenia, tamquam præcipuum hiſtoriæ noſtræ fundamentum, in unum corpus redacta, & in lucem emiſſa ſunt, cum Acherii noſtri Spicilegii tomis tredecim, in quibus varia monaſteriorum Chronica & documenta continentur. His magna ex parte vulgatis, Ludovicus Bultellus, e clara Rotomagen-

ſium ſtirpe in Benedictinam cooptatus familiam, poſtquam monaſticæ hiſtoriæ orientalis Specimen, ut ipſe vocat, & quidem præclarum edidiſſet; occidentalem itidem, id eſt Benedictinam, Gallico idiomate ab origine pertractare aggreſſus eſt: at, primis duobus voluminibus, quæ quatuor ſæculorum facta continent, in lucem editis, dum ſequentium temporum hiſtoriam proſequeretur, ſubita morte correptus, imperfectum opus reliquit.

11. Ex his intelligitur, Benedictinæ hiſtoriæ, quamquam ad notitiam hominum præclariſſimæ, multum deeſſe ad abſolutam ejus perfectionem: cui attingendæ ſi quis idoneus modo adeſſet auctor, & tanto operi non impar, vix quidquam deeſſet eorum ſubſidiorum, quæ ad id ſunt neceſſaria. Nam præter ea, quæ mox commemorata ſunt; infinita propemodum, cum in Gallia, tum in aliis regnis & provinciis, publici juris facta ſunt hanc in rem monumenta: qualia ſunt Acta ſanctorum a Bollando, ejuſque continuatoribus eruditis edita & illuſtrata; Annales quoque Francorum eccleſiaſtici, auctore doctiſſimo Carolo Cointio, Oratorii Gallicani preſbytero; denique quam plurima diplomata & inſtrumenta, quorum magnam partem typis vulgavit, præſertim in Capitularibus regum Francorum & in Marca Hiſpanica, clariſſimus vir Stephanus Baluzius, qui mihi præcipuus auctor fuit, ut his ſcribendis Annalibus operam impenderem.

II.

12. Omnibus igitur iſtis ſubſidiis inſtructus, cum nemo ad hanc provinciam ſubeundam ſe offerret; ego demum, poſt multas excuſandi rationes, arduum hoc opus, divino confiſus auxilio, tentare cœpi, & res Benedictinas in Annales pro viribus redigere in animum induxi: ut, quamquam perficiendo & abſolvendo huic operi longe impar, ſaltem alios ad id perficiendum animarem. Hos vero Annales in libros, ſecundum annorum, quoad licebit, ſeriem diſtinguere viſum eſt: ne ſi, omiſſa librorum partitione, in ſingulorum annorum totidem capita rerum noſtrarum eventa referre vellem; & certa ſubinde annorum indicia me deficerent, & nimis jejuna, exſanguis, & veluti corpore deſtituta eſſet narratio. Tantæ quippe ambages ſubinde implicant, ut quo tempore, quove anno res pleræque actæ ſint, vix certo diſcerni queat: nec tanta quandoque ſingulis annis ſuppetit materia, ut ſingularem tractationem exigere vel pati poſſit. Annorum porro ſeu temporum ordinem ideo præferre viſum eſt, quod hæc factorum in ſuas claſſes diſtributio magis hiſtoricæ methodo conveniat, quam continua cujuſlibet vel monaſterii, vel ſancti hiſtoria, quæ Yepeſii noſtri methodus fuit: in qua tria occurrunt incommoda, nimirum & quod res, temporibus longe diſparatæ, ad certum quemdam annum referuntur; & quod tædium lectori afferat prolixa ejuſdem argumenti tractatio; & quod denique in poſterioribus ſæculis nihil ferme reliqui ſit, ut jam dixi, quod ſcribatur. Aliam iniit methodum noſter Bultellus, quæ ſuo etiam laborat incommodo, nempe rerum eventus pro locorum ſerie deſcribendo: quo in genere confuſa eſt etiam temporum

ſeries. Hæc autem incommoda in Annalium methodo vitantur: in qua rerum dilucidus ordo, & jucunda varietas lectorem recreat, nec deeſt in poſterioribus ſæculis quod ſcribatur. Id tamen incommodi nonnullis hic videtur, quod uniuſcujuſque Sancti geſta in varios annos diſperſa ſunt: ſed huic incommodo remedium afferunt indices accurati.

13. In his autem conſeribendis Annalibus mediam quamdam tenui viam, ſic illuſtria referendo facta, ut tamen minus ſplendida, quæ ſcilicet aliquanti momenti eſſent, non omitterem. Neque tamen ad omnes deſcendi minutias, quod in generali hiſtoria non licet; nec proinde integras cujuſque monaſterii, exceptis quibuſdam illuſtrioribus, hiſtorias perſcribere; nec ſingulorum abbatum, virorumque illuſtrium, vel prioratuum; nec omnium denique ſacrarum cujuſque loci reliquiarum indices contexere mihi propoſitum fuit. Nam, præterquam quod horum pleraque vix ac ne vix quidem accurate pertractari poſſunt; ſane hæc omnia peculiarem commentationem exigunt, id eſt peculiares monaſteriorum omnium hiſtorias, ſaltem compendioſas, quales de Congregationis noſtræ monaſteriis elaborabat noſter Michael Germanus, ſocius quondam meus addictiſſimus, qui, dum operi extremam imponere manum pararet, in ipſo ætatis flore morte interceptus eſt. Peculiarem quoque commentarium poſtulant Ordinis noſtri Scriptores, ex quibus præcipuos quidem in his Annalibus debito non defraudavi honore: at ſingula eorum recenſere opera, & a genuinis dubia & ſpuria ſecernere, res nimium faſtidioſa fuerit: quod quidem in peculiari de Scriptoribus Benedictinis opere rectius & opportunius a quodam e noſtris præſtari poterit.

14. Ceterum in his ſcribendis Annalibus diligentiam, bonam fidem, perſpicuitatem cum brevitate pro ſolis ornamentis conſectatus ſum, hoc mihi ſcopo propoſito, non ut lectorum animos ſplendida narratione oblectarem (neque enim ea dicendi facultate præditus ſum, ut id poſſim, nec, ſi poſſem, velim) ſed ut Benedictinos omnes, fratres utique meos, ad ſectanda majorum noſtrorum præclara exempla, & ad mala devitanda, quoad in me fuit, inducerem.

15. Neque vero neceſſe fuerit, hiſtoriam, alioqui inſignem, adſcititiis ornare coloribus, cum luceat ipſa per ſe ſe; eamque ſatis ſuperque conſpicuam & illuſtrem reddant præclara noſtrorum facta, variique rerum eventus. quo in genere non modo florens Ordinis noſtri ſtatus, verum etiam prolapſiones ipſæ, uti & mirificæ ſubinde renovationes, quas reformationes vocant, ampliſſimam ſuppeditant dicendi materiam. Videas quippe Ordinem longe florentiſſimum a Benedicto puero concipi, formari & naſci in horrido ſpecu per ſummum & diuturnum ſilentium, tum in tenebris Sublacenſis ſolitudinis adoleſcere, intermicantibus ſubinde radiis, qui Romam uſque pertingebant: dein ſenſim attollere caput, & in ſublimi Caſini monte poſitum creſcere per ſuas quoque injurias: dum, primario illo monaſteriorum omnium capite cum ſuo auctore e medio ſublato, ipſum nihilo minus quaſi truncum corpus accipit ingens incrementum, tum conſtructione novorum, tum acceſ-

ſione antiquiorum per Europam monaſteriorum. mox, capite ipſo redivivo, influere in Ordinem ad cumulum opes ac dignitates: ſub hæc, qua proprio pondere, qua externa barbararum nationum, ſæculariumque hominum violentia fatiſcentem, propendere in lapſum, ruinamque; ſed ex ipſis interitus faucibus cum priſtina virtute & dignitate ſtatim reſurgere, & attollere caput; ac demum, non ſecus atque immenſam arborem, diffundi & propagari varios in ramos: ex quibus ſurculi decerpti, fecundoque infixi vel inſiti ſolo, & ipſi coaluerint in frugiferas arbores, quarum *fructus*, ut Prophetæ [a] verbis utar, *in cibum, & folia in medicinam:* poſtremo, poſt varias per ſæcula fere duodecim alternantis fortunæ vices, noſtro etiam ſæculo perſtare, eo ſane modo, ut perſtaturum itidem per ſubſequentia longe tempora, Dei opt. max. ope ac potentia obſecundante, ſperare liceat: ita ut de Ordine noſtro cum eodem Propheta poſſimus ominari, quod penitus *non deficiet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus.* Quales fructus ad univerſalis Eccleſiæ utilitatem tulerit hæc arbor, probant eccleſiaſtici Annales, in quibus tot Pontifices, Apoſtoli, & Evangelii præcones ex ea aſſumti, tot Doctores & Scriptores ex ea producti laudantur: adeo ut dicere liceat, per aliquot ſæcula totum Eccleſiæ Latinæ regimen penes ſolos fere monachos ſtetiſſe, & ſacræ doctrinæ traditionem ex ea profluxiſſe. quod quidem non ad oſtentationem, ſed ad argumenti, de quo agimus, qualitatem demonſtrandam, paucis in anteceſſum commemorare viſum eſt, in progreſſu horum Annalium, ubi locus & occaſio poſtulabit, opportunius exponendum. Hæc cum ita ſint, nemo non videt, hiſtoriam noſtram, ſi pro dignitate ſcripta eſſet, eam eſſe, quæ cum ſtudio & fructu non mediocri ab omnibus legeretur. quod etſi me non aſſecutum eſſe perſuaſum habeam, feci tamen quod in me fuit, ut quæ ſcripſi, non ſine fructu, & cum minimo ſaltem faſtidio legi poſſent.

[a] Ezech. 47. v. 12.

III.

16. Nunc locus poſtulare videtur, ut de Regulæ noſtræ propagatione per Occidentem diſſeramus. Sed, quia hoc argumentum in Præfationibus ad Acta Sanctorum noſtrorum data opera pertractavi; ejus rei ſumma tantum capita hic referre viſum eſt, maxime cum in decurſu noſtrorum Annalium id pro nata occaſione exſecuturus ſim. Quatuor potiſſimum ad Regulæ Benedictinæ propagationem contulere: videlicet Regulæ ipſius præſtantia; ejuſdem approbatio & elogium per Gregorium Magnum, præſertim in libro ſecundo Dialogorum; conjunctio complurium in unis iiſdemque monaſteriis regularum; denique monaſtici Ordinis per illa tempora unio ſeu unitas. Ad hæc non parum ad illam propagationem contulit vel clades ipſa Caſinenſis, ex qua factum eſt, ut ſacri illius aſceterii monachi Romæ humaniſſime accepti ſint a Pelagio II. & collocati in ipſo Lateranenſi patriarchio: quo ex loco, ceu totius orbis capite, eorum fama, adeoque Regula circumquaque facile diffundi potuit.

17. Quanta ſit ſancti Benedicti Regulæ præſtantia, uno veluti ore

concinunt Patres & Concilia, in quibus REGULA SANCTA per excellentiam paſſim appellatur, eaque in cunctis monaſteriis ſervanda præſcribitur. Ita ſtatutum in ſynodo Auguſtodunenſi per ſanctum Leodegarium ſæculo ſeptimo; in Gallicanis & Germanicis conciliis per ſanctum Bonifacium octavo; ita in omnibus ferme ſæculi noni ac decimi conciliis. Præiverat Gregorii Magni commendatio, qui quanti eamdem Regulam faceret, aperte demonſtravit, eam appellans *Regulam monachorum, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam.* Cum enim libri Dialogorum, quorum in libro ſecundo hoc elogium protulit, ob famam & dignitatem auctoris ubique legerentur; factum eſt, ut omnes hanc requirerent, præferrentque Regulam, quam tantus pontifex ita commendaverat. Ea mens fuit ſancti Odonis abbatis Cluniacenſis in ſermone de ſancto Benedicto, ubi ait, divinitus diſpoſitum fuiſſe, *ut, cum iſdem excellentiſſimus Legiſlator in ceteris modis ſit à Deo decoratus, etiam hinc majori auctoritate tam ipſe, quam ejus Legiſlatio roboraretur, quod eamdem vitam ſummus apoſtolicæ ſedis Pontifex ordinavit. quæ ſcilicet vita, etiam ex occaſione Dialogi ejus, pluribus innoteſceret, & non ſolum apud Latinos, ſed etiam apud Græcos notiſſima fieret.*

18. Non mirum itaque, ſi hæc Regula in novis, quæ tum condebantur, monaſteriis admiſſa ſit: nec difficile fuit, ut in antiquioribus, quæ jam ſuam habebant Regulam, inſuper Benedictina adoptaretur. Familiare quippe fuit illis temporibus, ut plures ſimul Regulæ in unoquoque monaſterio receptæ eſſent. quod Gregorius epiſcopus Turonenſis [a] teſtatur de Atanenſi apud Lemovices cœnobio, in quo *non modo Caſſiani, verum etiam Baſilii & reliquorum abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrabantur Regulæ.* Si quæras qui fieri poſſit, ut plures inſimul Regulæ uno in loco obſervarentur: facilis reſponſio eſt. Cum enim monaſticæ Regulæ omnes in unum ſcopum tendant, ut ſcilicet, abdicata rerum omnium proprietate, monachi vitam communem, laborioſam, abſtinentem, & a ſæculi tumultu alienam, in ſummo ſilentio ſub præpoſiti obedientia tranſigant, ſtatiſque horis ad divina officia, ad lectionem, laborem, & ad curandum corpus conveniant; in promtu erat, quæ moralia ſunt in omnibus Regulis, ſingulis proponere monaſteriis: quæ vero ad officia divina, jejuniorum ac laboris penſum, aliaque id genus pertinent, pro nutu & arbitrio abbatis ſeu præpoſiti ex illis Regulis deſumerentur. Unde ſanctus Filibertus, Gemeticenſis cœnobii conditor & abbas, *Baſilii ſancti chariſmata, Macarii Regulam, Benedicti Decreta, Columbani Inſtituta ſanctiſſima, lectione aſſidua frequentaſſe* traditur. Hine in multis codicibus perantiquis ſimul compactæ habentur complures Regulæ. quod maxime probat Codex Regularum veterum, quas Benedictus, Anianæ venerabilis abbas, in unum corpus redegit, ſuiſque diſcipulis legendas propoſuit, tametſi Regulæ Benedictinæ ſignanter addictis. ut illi intelligerent, non inſuper habendam earum lectionem, quæ eum ſua, id eſt Benedictina, in pleriſque convenirent, & conducere poſſent ad eam accuratius obſervandam. Atque ut ejuſmodi conſenſio Regularum clarius eis demonſtraretur;

[a] *Greg. Tur. lib. 10. c. 29.*

traretur; Concordiam veterum Regularum idem abbas compoſuit: quo in libro ſingulis ſancti Benedicti Regulæ capitulis, ſingula aliarum Regularum capita ejuſdem argumenti ſubjecit, ut perfectus ille omnium Regularum concentus uno conſpectu perſpiceretur. Hoc tamen diſcriminis eſt inter ſancti Benedicti, aliaſque aliorum veterum Patrum Regulas, quod ejus ſequaces eam abjicere non poſſint, propterea quod ſtabilitatem & converſionem morum ſuorum *ſecundum* [a] *Regulam* ſe com- a S. Bened. c. 58.
poſituros promittant; adeoque obſervandæ Regulæ propoſitum in votum quodam modo cadat. quod nulla alia antiquorum Patrum Regula, ſi bene memini, præſcribit; ac proinde omnes præſtantiori commutari potuere. Verum id non obſtat, quo minus noſtra Regula cum aliis conjuncta fuerit, ut mox dicebam.

19. Hæc quoniam a noſtris moribus abſunt, a veri ſimilitudine aliena pleriſque videntur, qui Ordinum religioſorum differentiam ex Regularum diverſitate pro noſtrorum temporum ſtatu æſtimant. Verum illo ævo, cum unus eſſet monaſticus Ordo, necdum in varias claſſes diviſus; illa Regularum diverſitas, quæ uniformes cenſebantur, nullam inducebat Ordinum diverſitatem: uti nec modo diverſæ in eamdem Regulam conſtitutiones, quas variæ unius ejuſdemque Ordinis Congregationes ſibi præſcribunt, unitati Ordinis haud officiunt. Hanc monaſtici Ordinis, non modo in toto Occidente, ſed etiam in Oriente ſimul & Occidente unitatem in variis ad Acta ſanctorum noſtrorum Præfationibus inculcavi. Hanc vero ante me diſerte docuerat Leo Allatius in Præfatione ad Codicem Regularum: cujus ſententiam hoc loco ipſis ejus verbis referre juvat. ſic ille capite 111. Ex hactenus dictis, inquit, « de multitudine ubique colentium vitam monaſticam in utroque ſexu, « facile cuipiam, vetera ex præſentibus æſtimanti, perſuadebitur fuiſſe pri- « mis illis temporibus diverſos, & certo charactere diſcriminatos mona- « chorum Ordines, prout poſtea inſtitutum, præſertim in Mendicantibus, « quorum univerſæ, quamvis late ſparſæ familiæ, ſub uno peculiari ca- « pite, certis & cuique propriis officiis ac legibus Deo militant. Valde « fallor, ſi jam tum primis ſex, ſeptemve eccleſiæ ſæculis iſte uſus inva- « luerat. Certe veſtigia mihi quidem non apparent, qui, quocumque in- « tueor, uniformem ubique monachatus rationem, & facilem ac promiſ- « cuum invicem tranſitum, mutuumque commeatum profeſſionum & cœ- « nobiorum cerno. Orientales monachi, quando in Occidentem venerant, « cum ibi profitentibus religioſam vitam ſine diſcrimine cenſebantur: vi- « ciſſim Occidentales in Oriente. quod cum innumeris exemplis probari « poſſit, unum tantum hic afferam Caſſiani & Germani Gallorum mona- « chorum, qui Ægypti monaſteria peragrarunt inſtituti monaſtici cognoſ- « cendi cauſa, & animo in patriam referendi hauſtam inde notitiam diſ- « ciplinæ in ſuum & popularium ſuorum uſum. Unde ſatis apparet exiſti- « maſſe ipſos, unum eſſe in commune omnium ubique monachorum mo- « dum, & uſum religionis profitendæ. Inferius idem Allatius probat, ad- « verſus hanc monaſtici Ordinis unitatem nihil præſcribere veterum Regularum in prædicto Codice relatarum diverſitatem. Etenim illæ, in- «

Digitized by Google

» quit, a ſingulis, ut præſens uſus poſcebat, Patribus ſcriptæ, aliorum ſi-
» milia cupientium ſtudiis deſcriptæ in commune proponebantur: ut ex
» his quique, pro locorum & nationum differentia, vitam uniformi, quoad
» præcipua, diſciplina temperarent. Primaria ſane, & quaſi fundamen-
» talis monachorum regula Evangelium erat; illa, inquam, Chriſti con-
» ſilia, quæ caſtrare ſeipſum propter regnum cælorum; quæ abnegare ſe,
» & crucem tollere; quæ patrem & matrem, uxorem & agros propter
» Chriſtum relinquere; quæ vendere patrimonia, & dare pauperibus; ſic-
» que nudos Chriſtum ſequi ſuadebant. Regulæ particulares nihil niſi
» ejus primæ ac univerſalis regulæ applicationes, aut declarationes, locis
» & perſonis plerumque aptatæ, habebantur.

20. Eamdem ſententiam late propugnat Ludovicus Thomaſſinus, [a] Oratorii Gallicani eruditus presbyter; cenſetque nullas fuiſſe ante Cluniacenſem monachorum congregationes, quæ unum ab aliis diſ-
» tinctum corpus conflarent, & ſingulari alicui Regulæ ſe profiterentur
» addictas: ſed ſub uno generali monachorum Ordine ſingula ſibi ſeor-
» ſim conſtitiſſe monaſteria, ab aliis haud pendentia, qui ita ſuam ſin-
» guli Regulam amplexabantur, ut alias non excluderent, ſed multas
» ſimul, aut omnes complecterentur. Et certe quiſquis vetera monachorum inſtituta & acta ſincere, accurate, & abſque ullo præjudicio revolverit, in eamdem conveniat ſententiam neceſſe eſt. Hujus porro unitatis evidens nobis argumentum ſuppeditat ſanctus Pater Benedictus in
» Regulæ ſuæ capite LXI. ubi præcipit, ut, ſi quis monachus peregrinus e
» longinquis provinciis in monaſterium ſupervenerit, ſi pro hoſpite vo-
» luerit habitare in monaſterio, & contentus fuerit conſuetudine loci;
» ſuſcipiatur quanto tempore cupit: *ſi vero poſtea voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas*, &, ſi quidem vir frugi erit, *non ſolum ſi petierit, ſuſcipiatur in Congregatione, verum etiam ſuadeatur ut ſtet: ut ejus exemplo alii erudiantur; & quia in omni loco uni Domino ſervitur, & uni Regi militatur.* Ad hanc proinde ſuſceptionem non exigebatur annua probatio, ſed tantum ſtabilitatis, ſi mutuus fuiſſet conſenſus, promiſſio: cujus promiſſionis formulam in hoc volumine referemus.

[a] *Thomaſſ. t. par. 1. lib. 1. c. 24.*

21. Ex his quivis intelligere poteſt, nulla machina, ut quibuſdam viſum eſt, nulla vi, nulla arte opus fuiſſe, ut ſancti Benedicti Regula non modo in novis, ſed & in antiquioribus illis monaſteriis, quæ ante eum condita fuerant, admitteretur, maxime poſt lectos Gregorii Magni Dialogos, in quibus eadem Regula tantopere commendata erat. Hoc itaque modo facile propagari potuit, cum nec Ordinis monaſtici, qui unus tum ubique erat, diverſitas, nec Regularum varietas obſtaret.

22. Si quid tamen obſiſtere potuit, non aliud fuit quam ſancti Columbani inſtitutum, in quo nonnulla erant a ceterorum monaſteriorum ritibus abhorrentia, nimirum feſti paſchalis celebrandi diverſa norma, ipſa nempe quarta-decima luna, ſi in dominicam incidiſſet; & Scotica tonſura longe diſſimilis a Romana, raſo ſcilicet anteriori capitis

Digitized by Google

parte ab aure ad aurem; poſteriori intonſa. Verumtamen non ita ſegregati erant a ceteris illius inſtituti monachi, ut diverſum omnino Ordinem conſtituerent. Illud argumento eſt, quod Attala Lirini monachus, cum diu illic vitam monaſticam egiſſet, regularis diſciplinæ ſtudio ad beatum Columbanum ſe recepit: quem mox vir ſanctus *ſuo miniſterio junxit, ac divinis monitis erudire tentavit*. Idem factum Amato Agauni monacho, quem Euſtaſius Luxovienſis abbas inde ſecum abduxit, & in aliorum fratrum ſocietatem admiſit. Porro etſi ſancti Columbani inſtitutum principio in quibuſdam ab aliis differret; ſublata eſt poſt ejus mortem illa diverſitas, videlicet poſt ſynodum Matiſconenſem anno DC.XXV. celebratam, in qua Agreſtius monachus Euſtaſio abbati rixas movit ob illa diſcrimina, quæ Waldebertus ejus ſucceſſor emendavit. Ex eo tempore ſancti Benedicti Regula in Columbani monaſteria nullo negotio admiſſa fuit. Unde Donatus, ex monacho Luxovienſi Veſontionenſis præſul, Juſſanenſibus ſanctimonialibus, quæ ſe beati Columbani diſcipulis conformare cupiebant, ex duabus ſanctorum Benedicti & Columbani Regulis, additis ex Regula ſancti Cæſarii particulis, unam conflavit, ſequiori ſexui accommodatam, quæ magna ex parte ex Benedictina contexta eſt; in Camelarienſi apud Arvernos parthenone itidem obſervata.

23. Non immotor referendis hoc loco argumentis, quæ hanc Regulæ ſancti Columbani cum Benedictina conjunctionem probant, utpote alias a me adductis in Præfationibus ad Acta ſanctorum noſtrorum, iterumque in horum Annalium decurſu [a] proferendis. Quæ res adeo explorata viſa eſt erudito & piiſſimo viro Proſpero Flemingo e familia ſancti Franciſci, qui primus ſancti Columbani epiſtolas vulgavit, ut eam ſuo calculo approbaverit. Is quippe in Diſſertatione de ſancti Columbani monachatu, rejectis Auguſtinianorum eremitarum, qui eum ſibi vindicare conantur, ratiunculis; necnon ſententia quorumdam e noſtris, ſancti Columbani regulam nihil aliud eſſe quam Benedictinæ appendicem affirmantium; is, inquam, hanc utriuſque Regulæ conjunctionem in monaſterio Luxovienſi ſub Euſtaſio, in Bobienſi ſub Boboleno, eodemque tempore in aliis monaſteriis factam admittit; ac demum in fine concludit, Benedictinos non immerito ſuis & ſanctorum ſuorum catalogis & « annalibus inſcribere Columbanum, ejuſque diſcipulos: utpote cum « omnia, eaque celeberrima, a Columbano, ejuſque poſteris & alumnis « condita monaſteria, ipſis ceſſerint; inſtructique ab ipſo cæleſti ſapientia « diſcipuli, temporis ſucceſſu Benedictinæ regulæ documenta ſuſceperint: « ut cognoſcat generatio ventura, quam præclaris Benedictinæ religionis « primordia ornamentis illuſtrarit Deus, qui ad ejus ſplendorem amplificandum, ſidus illud clariſſimum, ſcilicet beatum Columbanum, tantis divinæ ſapientiæ radiis, tanta cæleſtium virtutum claritate conſpicuum, Galliæ finibus ex Hibernia tranſmiſit, ut ibi cum alio fulgentiſſimo ſidere ſancto Mauro, velut duo luminaria magna in firmamento relucentia, omnia Galliæ latibula mutuo ſplendore colluſtrarent. quorum « poſtea diſcipulorum ſub Benedictino coaleſcens inſtituto ardor, tanto ſe «

[a] V. lib. 11. n. 49.

» per omnes Germaniæ, Britanniæ, aliarumque regionum fines fervore & » claritate diffudit, ut nullus eſſet terræ angulus, qui ſe abſconderet a ca- » lore ejus; nullus pæne chriſtianæ religionis alumnus, qui non poſſet in » lumine illo videre lumen monaſticæ perfectionis. Hucuſque Flemingus, vir doctus & pius, qui pro fide Chriſti martyrio affectus eſt. Eamdem ſententiam prius tenuerat Uſſerius [a] Armachanus.

[a] *Uſſer. antiq. Hiber p. 1060. & ſeqq.*

24. Magnum itaque ex illa Regularum conjunctione incrementum cepit Benedictinum inſtitutum; perſeveravitque toto ſeptimo ſæculo illa conjunctio, non modo in monaſteriis a beato Columbano inſtitutis, ſed etiam in multis aliis, quæ ſub utraque Regula de novo condita ſunt: qualia fuere Floriacenſe, Corbeienſe, Sithienſe, Altivillarenſe, Foſſatenſe, & alia non pauca. At ſæculo inſequente ſola ſuperfuit ſancti Benedicti Regula: quæ ita viſa eſt alia præſtantior, ut ſola ſufficere viſa ſit ad regimen monaſteriorum, ſolaque commemorata in illius ſæculi monumentis. adeo ut principatu Caroli Magni quæſitum ſit, uti res obſcura, & tunc a paucis cognita, qua Regula vixiſſent monachi in Gallia, ante quam Regula S. Benedicti ad has partes perveniſſet. De illa porro utriuſque Regulæ unione teſtimonium perhibent non modo vetera diplomata & inſtrumenta prædictorum monaſteriorum, verum etiam illorum temporum auctores: quos inter anonymus vitæ Salabergæ ſcriptor teſtatur, tempore Walberti Luxovienſis abbatis, qui Euſtaſio ſucceſſit, agmina monachorum, ac ſacrarum puellarum examina, non ſolum per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verum etiam per eremi vaſtitatem, *ex Regula dumtaxat beatorum patrum, Benedicti & Columbani*, pullulare cœpiſſe. Idem etiam haud obſcure probat auctor, qui acta ſancti Deſiderii Cadurcenſis ſcripſit, cujus tempore *hæc ſecta*, ut ipſe vocat, [b] *& religio* Cadurcis primum innotuit. Inſigne aliud iſtius Regularum conjunctionis & indubitatum exemplum nobis exhibet privilegium Johannis Papæ IV. pro monaſterio quodam ſanctæ Mariæ & ſanctæ Columbæ, in quo ſanctimoniales vivebant *ſecundum edicta* ſanctorum Antonii, Pachomii, & Benedicti abbatis. quod privilegium in formulam redactum eſt ante annos octingentos in codice bibliothecæ olim Thuaneæ, nunc Colbertinæ. Aliud item inſigne exemplum ſuppeditat Aredius, alio nomine Petruinus, Vaſenſis epiſcopus, in ſuo diplomate, dato anno decimo Theoderici regis, filii Chlodovei junioris, pro monaſterio Graſellenſi, quod ipſe in ſua parochia conſtruxit *ſecundum normam venerabilis viri ſancti patris Benedicti abbatis, vel ſancti Macarii, ſeu ſancti Columbani*. quod diploma integrum in Appendice hujuſce voluminis referemus.

[b] *Lib. 13. n. 20.*

25. Ante hanc conjunctionem pauca erant monaſteria ſancti Columbani inſtituti, præter Luxovienſe & cellas Fontanenſem & Anagratenſem: aſt, ea unione ſemel facta, plurima ſub utraque Regula condita ſunt. Huc ſpectat quod ait ſanctus Audoënus in libro primo [c] de vita beati Eligii, non tam crebra fuiſſe tunc in Galliis monaſteria; &, ſicubi eſſent, in eis non viguiſſe diſciplinam regularem, præterquam in Luxovienſi & Sollemniacenſi: *ex quo demum multi ſumſerunt & ini-*

[c] *Cap. 12.*

Digitized by Google

tium, & exemplum : adeo ut nunc quoque, inquit, *propitia divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub regulari diſciplina alma utriuſque ſexus cœnobia.* Mutuam itaque lucem ſibi invicem præbuere ambæ Regulæ, ex quarum conjunctione factum eſt, ut multa cœnobia in Galliis conſtruerentur, cum antea pauciſſima eſſent ſancti Columbani inſtituto addicta, propter diverſos ritus ac mores, a quibus Galli, uti & Romani, abhorrebant. Itaque ab eo tempore, ut Ordericus [a] Vitalis ſcribit, ſancti Columbani diſcipuli a ſancto Benedicto *modum divinæ ſervitutis & ordinem didicerunt; & formam orationum pro cunctis ordinibus, qui in eccleſia Dei ſunt, nigredinem veſtium, aliaſque obſervationes ſumſerunt, quas pro religione & honeſtate ipſius tenuerunt, & ſequaces eorum uſque in hodiernum diem reverenter obſervare appetunt.* Ita Ordericus procedente ſæculo duodecimo ſcribebat. Nonnulla etiam ex ſancti Columbani inſtituto retinuere ejus diſcipuli, puta pœnarum, ſeu pænitentiarum modos, quos ille in ſuo Pænitentiali præſcripſerat, utpote quos ſanctus Benedictus prudentiæ abbatis permiſerat. Unde in quibuſdam exemplaribus Regulæ noſtræ ſubjicitur *Regula cœnobialis patrum de Hibernia* [b], id eſt Pænitentiale ſancti Columbani, ut in quibuſdam Germanicis codicibus obſervavimus.

a Orderic lib. 8 p. 716.

b Analect. to 4. p. 634 & ſeqq.

26. Quæ hactenus dixi, monaſtici Ordinis per illa tempora unitatem probant, cui Regularum diverſitas nullo modo præſcribebat. Quamob rem in ſecernendis ſanctis aut illuſtribus viris, qui ſancti Benedicti Regulam ſecuti ſunt; aut in diſtinguendis monaſteriis, quæ eidem Regulæ ab origine ſubjecta fuere, ſcrupuloſior aut moroſior minime fuero, certus utrorumque notitiam ad noſtram pertinere hiſtoriam: tum quia unus, ut dixi, omnium Ordo erat: tum quia, etſi diverſi tum fuiſſent Ordinis, omnibus illis monaſteriis ad Ordinem noſtrum tranſlatis, ad eoſdem pertinet honos, quibus provenit hereditas; atque adeo mutila eſſet atque imperfecta Ordinis noſtri hiſtoria, ſi illorum monaſteriorum ac monachorum commemorationem prætermitteremus. quod quidem non ſolum magno hiſtoriæ noſtræ detrimento fieret, ſed etiam ingrati animi vitio nobis merito verteretur. Nos porro hac in re morem ſequimur chriſtianæ eccleſiæ, quæ viros ſanctos & illuſtres veteris Teſtamenti ſibi adſcribit, propterea quod una ſit utriuſque Teſtamenti eccleſia. Ob eamdem cauſam antiquiores monachos ut patres noſtros ſuſpicimus: ſed tamen de illis ſolis, quorum monaſteria poſtmodum Regulæ noſtræ acceſſerunt, agere inſtituimus, ſervato nihilo minus inter illos ac noſtros diſcrimine, quatenus alios ab aliis ſecernere licuerit in tanta rerum antiquarum obſcuritate.

27. Nunc conſequens eſſet agere de Regulæ noſtræ propagatione in varias regiones, puta per Italiam, Hiſpaniam & Germaniam, aliaſque provincias ac nationes. Verum de his omnibus, ut jam dixi, in noſtrorum decurſu Annalium differere ſatis eſſe duximus, ſummis tantum capitibus hoc loco expoſitis, quæ huic propagationi viam fecerunt. Certe hoc in volumine invenias, quæ hanc in rem ſufficere viſa ſunt ad id adſtruendum pro Italia, Hiſpania, & Anglia. Hoc autem argumentum pro

Digitized by Google

Anglia in peculiari Diſſertatione de ſancti Gregorii monaſtico inſtituto, quæ in priori Appendice hujus tomi exſtat, retractabitur. Quod Italiam ſpectat, Simplicius, Caſinenſis abbas tertius, magiſtri ſui, id eſt ſancti Benedicti, *latens opus propagaſſe in omnes* dicitur in quadam inſcriptione, Regulæ noſtræ ante annos fere nongentos præfixa, ut veteres codices & auctores fidem faciunt. ubi in veteri annorum ſeptingentorum codice eamdem Regulam continente, quem ante aliquot annos in bibliotheca domini Filiberti *de la Marre* Divionenſis conſiliarii vidimus, ita ſcriptum obſervavi; *Simplicius Chriſti famulus, miniſterque, Magiſtri late opus propagavit in omnes.* quæ quidem vox, *late*, ſenſum dilucidiorem facit. At ſive legas *late*, ſive *latens*; ex hac ſaltem inſcriptione colligitur, Regulam noſtram, quæ needum omnino cognita erat, propagatam fuiſſe *in omnes.* quod ſaltem de Italiæ monachis & monaſteriis intelligendum eſt. Certe ſæculo octavo eam per totum Occidentem reſperſam & receptam fuiſſe teſtis eſt luculentus Paulus Warnefridi, diaconus & monachus Caſinenſis, Caroli Magni æqualis, in homilia de ſancto patre Benedicto, in Appendice noſtra ex Caſinenſi codice edita, in cujus initio hæc verba ad propoſitum leguntur. *Quis potius, fratres cariſſimi, poſt ſanctos Apoſtolos, quam hic beatiſſimus Pater noſter ſalis valet nomine appellari? qui ab urbe ſegregatus Romulea, tamquam ab inſtabilibus, amariſque pelagi fluctibus, dum intra ſpecus ſui ſe ſe ambitum tenuit, quidquid vel modicum ex mundanæ mobilitatis liquore habere poterat, in ſalis ſoliditatem, rationemque mutavit; verique Solis radiis per caritatis fervorem torrefactus, ad juſtitiæ candorem pervenit. Qui non ſolum tunc corporali præſentia, multorum piis verbis vel actibus vitam conducit; ſed uſque ad præſentem diem præſens ſpiritu, non tantum noſtrum collegium, ſed* PER TOTUM MAXIME OCCIDENTEM, SUOS SEQUACES ERUDIT: *qui per ſalubrem, rationiſque plenam ſanctæ inſtitutionis ſuæ Regulam, vitam carnalium, diſſolutionis labe tabidam, reſtringendo revocat ad ſalutem. cujus diſtrictionis cenſura etſi, ut ſalis ſpecies, plagis videatur crudeſcentibus auſtera; certum tamen eſt, quod tolerata patientius cæleſtem conferat medicinam.* Hactenus Paulus diaconus, qui his verbis Regulæ Benedictinæ propagationem *per totum maxime Occidentem* tunc temporis factam luculenter probat teſtis rerum oculatus.

28. Antequam hinc diſcedamus, expendere juvat Leonis Allatii opinationem in Præfatione ad Codicem Regularum, cenſentis, ſanc-
» tum Benedictum, qui antiquum, quem reperit in eccleſia, monaſticum
» Ordinem ſuſcepit, excoluit, dilatavit; Regulam, *non univerſalem* ſuis
» ubique omnibus promulgaſſe, ſed peculiarem dumtaxat Caſinenſi cœ-
» nobio, cui præerat. Verum huic eruditi viri ſententiæ propria ipſius Regulæ teſtimonia adverſantur, maxime ex capite LV. ubi ſanctus Pater *veſtimenta fratribus ſecundum locorum qualitatem, ubi habitant*, dari præcipit: *quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus.* & infra, *mediocribus locis* certa veſtimenta concedit. Denique de veſtium qualitate & materia non vult cauſari monachos, *ſed quales inveniri poſſunt in provincia, qua degunt.* Prævidebat itaque vir

Digitized by Google

Dei Regulam ſuam variis illis locorum poſitionibus convenire poſſe, eamque aptare conſtituit. nam ſi ſolum Caſinenſe monaſterium tunc in animo habuiſſet, has locorum differentias minime curaſſet. Multa ſunt alia, quæ hanc ſancti Legiſlatoris noſtri mentem fuiſſe probant: ut, cum duplicis generis congregationes diſtinguit, majores [a] & minores; & agendo de electione abbatis, præcipit, ut, ſi omnis congregatio [b] abbatem ſuis vitiis conſentientem elegerit, *& vitia ipſa aliquatenus in notitiam epiſcopi, ad cujus diœceſim pertinet ille locus, vel abbatibus, aut vicinis chriſtianis claruerit, prohibeant pravorum prævalere conſenſum.* quæ omnia id abunde confirmant. Certe, vivente ipſo Benedicto, non unum Caſinenſe monaſterium, ſed longe plura eidem ſanctiſſimo Patri ſubjecta erant: ut duodecim illa monaſteria, quæ in ſolitudine Sublacenſi ante ſcriptam Regulam exſtruxerat, & Terracinenſe, de quibus agit Gregorius Magnus in libris Dialogorum. Denique beatus Maurus ſanctæ Regulæ exemplar autographum in Galliam attulit, quod ad ſæculum undecimum in Majori-monaſterio aſſervatum fuiſſe traditur. Ex quibus intelligitur, prædictam inſcriptionem, in qua Simplicius Caſinenſis abbas tertius *Magiſtri latens opus in omnes propagaſſe* dicitur, vel in ſenſu accommodo intelligendam eſſe, ita ut Regula, antea minus nota, omnibus ſaltem Italiæ monaſteriis tradita ſit; vel certe mendoſam eſſe, & pro *latens opus*, legendum *late*, ut quidam codices præferunt.

[a] *S. Bened. c. 17. & 21.*

[b] *Id. c. 64.*

IV.

29. Supereſt agendum de his quæ in hoc primo volumine continentur. In eo ducentorum amplius annorum eventus octodecim libris, quorum ultimus in anno ſeptingenteſimo deſinit, cum duplici Appendice referuntur. Atque ut narrationi ſua ſtet auctoritas, probationes ad fidem faciendam, alias ex Actis ſanctorum noſtrorum repetimus; alias, quæ alibi editæ ſunt, ad marginem indicamus; alias denique in contextu, vel ſummatim, vel integras, aut in Appendice referimus. Nonnullas etiam ſubinde picturas, quæ quid momenti contineant, exhibemus: quibus in æs incidendis Congregationis noſtræ ſinguli præfecti ſymbolam ſuam liberaliter contulerunt. Caſinenſis monaſterii ichnographiam & iconem, quas reverendus admodum pater domnus Eraſmus a Caïeta, ejuſdem ſacri loci bibliothecarius, ſtudioſe fieri curavit, necdum a nobis acceptas, ſequenti volumini reſervamus. quod etiam de Sublacenſi ſpecu & monaſterio præſtare non omittemus, ſi accuratam utriuſque deſcriptionem obtinere nobis contigerit.

His octodecim libris duplex ſubjicitur Appendix. Prior Apologiam miſſionis ſancti Mauri in Galliam continet, auctore noſtro Theoderico Ruinarto, ſtudiorum meorum ſocio, qui me hujus editionis faſtidioſo labore magna ex parte relevavit, indiceſque contexuit. cui Apologiæ Diſſertatio de Gregorii Magni monaſtico inſtituto ſubjicitur. Utramque in Appendicem referre viſum eſt, ne, ſi illæ in contextu referrentur, narrationis filum nimis interrumperent. Poſterior Appendix varias

Digitized by Google

probationes complectitur, id eſt varia monumenta, nondum antehac edita, quæ in corpore voluminis tantum ſummatim laudantur. Ex his quam plurima, quæ tum in hoc volumine, tum in ſubſequentibus proferentur, accepta referre debemus indefeſſo labori noſtri Claudii Stephanotii, Romæ nuper mortui, dum Procuratoris officio pro noſtra Congregatione illic fungeretur. Hic enim multa collectaneorum volumina, tum ex Gallicanis bibliothecis & archivis, cum nondum Romæ degeret, tum ex Italicis nobis ſuppeditavit, quæ magno nobis in ſtudiis noſtris fuere adjumento, uti & noſtri Hugonis Lantenas piæ memoriæ variæ ſcriptiones. Multi quoque alii e ſodalibus noſtris operam mihi ſuam contulere, quorum nomina ſingula hic recenſere, nimis prolixum fuerit, & forte illis ingratum. At reticere non poſſum, quantum debeam Caſinatibus noſtris atque Farfenſibus, in primis domno Eraſmo a Caieta, mox laudato, aliiſque ex eadem Congregatione; quantum etiam obſtrictus ſim reverendis Patribus inſignis Congregationis ſancti Vitoni, qui mihi hoc in opere, tamquam uni ex ipſis, favorem, operam, & opem quamlibet peramanter impenderunt: ex quibus reverendos Patres Hyacinthum *Allyot*, Medianenſis-monaſterii abbatem; Bartholomæum *Senoc*, Congregationis præſidem, nuper defunctum; & Matthæum *Petitdidier*, innominatos præterire non poſſum. Multam quoque nobis materiam ſuppeditavit inſigne archivum ſacri monaſterii Cluniacenſis, quod non mediocre hiſtoriæ noſtræ ornamentum futurum eſt. Inſuper ex Germania & Belgio etiam non defuere quidam e noſtris Benedictinis, quorum ſtudio in his Annalibus adjutus ſum: quos inter primas tenent reverendiſſimi abbates Adalbertus Deſertinenſis, & Georgius Geyſſer Wilinganus, nuper mortuus: quibus domnus Hermannus *Schenk*, ſancti Galli cœnobita & bibliothecarius, acceſſit. Ex Gallia Belgica nobis etiam impenſe faverunt præ ceteris noſtri Trevirenſes & Stabulenſes e Belgica prima; Elnonenſes ac Sithienſes e ſecunda: quorum locorum reverendiſſimi abbates chartularia ſua, alioſque codices nobis perhumaniter communicarunt. Denique ex reformata in Belgio ſancti Placidi Congregatione domnus Simon *Guillemot*, ſancti Gisleni olim ſubprior, pleraque Belgicorum cœnobiorum chronica manu ſua deſcripſit, & ad nos miſit. Ad Hiſpaniam quod attinet, omnia nobis ſuppeditavit Yepeſius in ſuo Chronico Benedictino: quædam etiam domnus Joſephus Perezius, ſacrarum linguarum in Salamantina academia profeſſor. Si qui alii nobis ſuppetias contulere, eorum nomina ſuis locis adſcribere haud omittemus. At præterire non poſſum hoc loco recolendæ omnibus litteratis memoriæ illuſtrem virum Antonium Wionem Herovallium, qui nobis ampliſſimam veterum monumentorum copiam liberali manu ſuppeditavit.

30. Verum, quod honoris cauſa primum commemorare debueram, nobis ſemper patuit ac præſto fuit Regia Bibliotheca, uti & Colbertina: hæc quidem juſſu & benignitate illuſtriſſimi Rotomagenſis Archiepiſcopi: illa vero favore illuſtriſſimi Abbatis *De Louvois*, ejuſdem re-

giæ

giæ Bibliothecæ præfecti, cujus in litteras & litteratos propenſionem & beneficentiam omnes experiuntur in dies.

31. Hæc ſunt, REVERENDISSIMI PATRES, FRATRESQUE AMANTISSIMI, quæ hic præfari quoddam operæ pretium duxi, ut mei vobis conſilii rationem redderem. quod ſi approbaveritis, non minima mihi conſolationis portio fuerit, in hoc laborioſo quidem opere vobis non diſplicuiſſe. Sane haud diffiteor, ex præteritis noſtris lucubrationibus, quas benigne accepiſtis, aliquam mihi injectam ſpem, hanc vobis non omnino ingratam fore. Neque enim fateri me pudet, quod fateri haud dedignatus eſt Magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, qui litterarias[a] ſuas lucubrationes a Simpliciano legi & approbari ſibi gratulabatur his verbis, tanto Doctore dignis. *Unde autem tanta exorta eſt felicitas litterario labori noſtro, quo in librorum quorumdam conſcriptione ſudavimus, ut a tua dignatione legerentur: niſi quia Dominus, cui ſubdita eſt anima mea, conſolari voluit curas meas, & a timore recreare, quo me in talibus operibus neceſſe eſt eſſe ſollicitum, necubi forte indoctior vel incautior, quamvis in planiſſimo campo veritatis, offendam?*

[a] *Auguſt. ep. 37. n. 21.*

32. At parum fuerit, vobis non omnino diſplicere quæ ſcribo, niſi Patrum noſtrorum eximia exempla ita vobis placeant, ut animis veſtris alte infigantur. Atque utinam is ſit horum Annalium fructus, ut boni ad ampliorem profectum accendantur, tepidi ad fervorem, ſolutiores ad reſipiſcentiam. Date, quæſo, adhuc ſemel veniam imprudenti, ut ſummi e noſtris Pontificis[b] verbis vos alloquar. *Reſpicite, quæſo, ad veteres Patres, qui noſtrum ſacrum Ordinem ſtatuerunt; & conſiderate, qualiter relicto mundo, & contemtis omnibus, mortuis mortuos ſuos ſepelire dimiſſis, ad ſolitudinem volaverunt, unde, aliis circa frequens miniſterium ſatagentibus, ipſi ad pedes* JESU *cum Maria ſederunt: ut tanto uberius cæleſte manna perciperent, quanto longius ab Ægypto diſceſſiſſent. Ipſi quidem egreſſi ſunt de terra & de cognatione ſua; obliti ſunt populum ſuum, & domum patris ſui; & quoniam Rex eorum ſpeciem concupivit, creſcere fecit eos in gentem magnam, & uſque ad extremum terræ propagines eorum extendit: ita quod ſplendor claritatis eorum univerſum corpus Eccleſiæ illuſtravit, & Sareptana mulier ad eorum vocem innumera vaſa de modico oleo, quod habuerat in lecytho, replevit. Sane illi primitias Spiritus acceperunt, & oleum ſuavitatis eorum ad nos uſque defluxit. Unde cogitandum vobis eſt attentius, & agendum, ut non degeneretis de eorum virtutibus, ſed quales fuiſtis in germine, ſitis etiam in virgulto; & qui ex eis vitæ ſemina ſuſcepiſtis, idem cum eis germen afferatis & fructum.* Faxit Deus, ut is ſit horum Annalium fructus, in quibus ſi quid incompoſitum, ſi quid omiſſum, qualia non pauca eſſe nequaquam dubitem, vos rogo, lectoreſque meos omnes, qui hos forte Annales legere haud gravabuntur, ut benigne condonetis: ſi quid falſum aut minus appoſite dictum, emendare paratum ut benigne admoneatis: ſi quid rectum, & acceptum, totum auctori Deo tribuatis.

[b] *Eugenii III. ad Capit. Ciſterc.*

BREVIARIUM

TOMI PRIMI

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

LIBER PRIMUS.

Ab anno Chriſti 480. ad annum 519.

I. LATINÆ *eccleſiæ ſtatus.*
II. *S. Benedicti, ejuſque Regulæ prærogativa.*
III. *Benedictus Nurſinus.*
IV. *Ejus genus & nativitas.*
V. *Romæ ſtudiis applicatur. Secedit cum nutrice.*
VI. *Effide primum miraculum patrat.*
VII. *Sublacum adit. In ſpeluncam ſe abdit.*
VIII. *Sublaci ſitus & deſcriptio.*
IX. X. XI. XII. *Monaſtici ſtatus propagatio in Occidente.*
XIII. XIV. *Regulæ quænam.*
XV. *S. Baſilii regula latine reddita.*
XVI. *S. Benedictus in paſchate refectus,*
XVII. *Paſtores erudit*
XVIII. *Carnalem tentationem ut ſuperat.*
XIX. *Monachos ſibi infeſtos deſerit.*
XX. *Galliæ res monaſtica.*
XXI. *Locociagenſe monaſterium.*
XXII. XXIII. XXIV. *Majus-monaſterium, ejuſque diſciplina.*
XXV. *Clarus & Maximus S. Martini diſcipuli.*
XXVI. *Inſulæ-barbaræ monaſterium.*
XXVII. *Athanacenſe.*
XXVIII. *Sancti Juſti.*
XXIX. *Lirinenſe,*
XXX. *Diviſa ibi cellula.*
XXXI. *Sub qua regula.*
XXXII. *Abbates primi Lirinenſes.*
XXXIII. *Viri illuſtres.*
XXXIV. *S. Hilarius.*
XXXV. *S. Lupus.*
XXXVI. *Vincentius.*
XXXVII. *Veranus & Salonius.*
XXXVIII. *Fauſtus.*
XXXIX. *Lis de privilegio Lirinenſi.*
XL. *Concilii Arelatenſis hac de re decretum.*
XLI. XLII. XLIII. *Notabilia de clericis & laicis apud monachos.*
XLIV. *Abbatis electio.*
XLV. *Neophyti in monaſteriis, qui.*
XLVI. *Theodorus epiſcopus Foro-julienſis.*
XLVII. *S. Cæſarius monachus Lirinenſis. Infirmus Arelate miſſus. A profanis ſtudiis revocatur.*
XLVIII. *Presbyter ordinatur. Epiſcopus deſignatus fugit.*
XLIX. *Pomerii duo Afri.*
L. *Cæſarius exſulat.*
LI. *Parthenona condit.*
LII. *Regulas ſcribit. Exhortationes ejuſdem.*
LIII. *S. Johanna prima abbatiſſa.*
LIV. *Cæſarius Ravennam abductus.*
LV. *S. Victoris monaſterium Maſſiliæ conditur.*
LVI. *Jurenſia monaſteria, Condateſcenſe.*
LVII. *Laucomnenſe.*
LVIII. *Balmenſe virginum.*
LIX. *Romanum-monaſterium.*
LX. LXI. *S. Romani tentatio duplex.*
LXII. *Condateſcenſium victus & habitus.*
LXIII. *Augendus abbas.*
LXIV. *Mores ejus & ſtudia.*
LXV. *Sancti ac pii monachi Condateſcenſes.*
LXVI. *S. Antidiolus Augendi ſucceſſor, aliique.*
LXVII. *Viventiolus an ibidem monachus & præceptor.*
LXVIII. *Augendi obitus quo anno.*
LXIX. *Agaunenſis monaſterii conſtructio.*
LXX. *Sigiſmundo an antiquior.*
LXXI. *Ibidem laus perennis.*
LXXII. *Novem turmæ, quæ.*
LXXIII. *Agaunenſe monaſterium an idem cum Tarnatenſi.*
LXXIV. *Regula Agaunenſis.*
LXXV. *Abbates.*
LXXVI. *Leonianus abbas Viennenſis.*
LXXVII. *S. Petri & S. Andreæ monaſteria ibidem.*
LXXVIII. *S. Symphoriani monaſterium apud Æduos.*
LXXIX. *S. Laurenti ibidem.*
LXXX. *Viancium apud Albigenſes.*
LXXXI. *SS. Severi & Maxentii monaſteria.*
LXXXII. *S. Maximini cœnobium Miciacenſe.*
LXXXIII. *Chlodovei M. pro eo diploma.*
LXXXIV. *Alia monaſteria.*
LXXXV. *Lucullanum apud Neapolim.*
LXXXVI. *S. Antonius monachus Lirinenſis.*

Digitized by Google

LXXXVII. *Concilii Agathenſis decreta de monachis.*
LXXXVIII. *Aurelianenſis primi.*
LXXXIX. *Terraconenſis.*
XC. *Epaonenſis.*

LIBER II.

Ab anno Chriſti 520. ad annum 527.

I. MONASTERIA *duodecim a S. Benedicto condita.*
II. *Abbates ſub S. Benedicto Regula; Monachi duodeni.*
III. *Maurus & Placidus Benedicto oblati.*
IV. *Monachus vagus correctus.*
V. *Fontes divinitus educti.*
VI. *S. Æquitius abbas.*
VII. *Honoratus abbas Fundenſis. Nonnoſus prapoſitus.*
VIII. *Monaſtica profeſſio in Africa.*
IX. *Africa monaſteria.*
X. *S. Fulgentii vita compendium.*
XI. *Epiſcopus ut ſe gerit.*
XII. *Paſtoris monaſtici egregium in eo ſpecimen.*
XIII. *Concilium Carthaginenſe pro monaſteriorum libertate.*
XIV. & XV. *Inſtrumenta ejuſdem argumenti.*
XVI. *Concilii hac de re ſententia.*
XVII. *Aliud concilium Carthaginenſe ejuſdem argumenti.*
XVIII. *Locus emendatur.*
XIX. *Obſervanda in his conciliis.*
XX. *Privilegium parthenonis Arelatenſis.*
XXI. *Simile S. Benigni Divionenſis.*
XXII. *Reomaenſis monaſterii initia.*
XXIII. *Laicis negatus in ejus eccleſiam ingreſſus.*
XXIV. *S. Sequani vita monaſtica.*
XXV. *S. Benigni abbates.*
XXVI. *Burgundia alia monaſteria.*
XXVII. *S. Germani Antiſiodorenſe.*
XXVIII. *Abbates ejus loci.*
XXIX. *S. Petri-Vivi origo.*
XXX. *Abbates primi ejus loci.*
XXXI. *Ferrarienſe S. Petri.*
XXXII. *Melundenſe item S. Petri.*
XXXIII. *S. Michaelis Tornodorenſe.*
XXXIV. *S. Fidolus abbas Tricenſis.*
XXXV. *Monaſterium B. Mariæ de Nigella.*
XXXVI. *Dionyſii Exigui cyclus & elogium.*
XXXVII. *Concilii Ilerdenſis decretum de monachorum poſſeſſionibus.*

LIBER III.

Ab anno Chriſti 528. ad annum 537.

I. SANCTUS *Benedictus qualis & quantus apud Sublacum.*
II. *Maurus ejus imperio ſuper aquas incedit.*
III. *Florentius Benedicto inſidiatur.*
IV. *Benedictus Sublaco diſcedit, Florentii caſum luget.*
V. *Caſinum adit, purgatque.*
VI. *Monaſterium ibidem condit.*
VII. *Martino eremita cedente.*
VIII. *Regula œconomia qualis ab eo praſcripta.*
IX. *Fratres ob ſumtum foris cibum correpti.*
X. *Item laicus.*
XI. *Tertulli adventus Caſinum, & donatio.*
XII. *Monachus ob mappulas increpitus.*
XIII. *Sanctimoniales excommunicata.*
XIV. *Scholaſtica an & ubi monacha.*
XV. *Clericus dæmone ſolutus.*
XVI. *Benedictus an ad S. Remigium puellam ſanandam remiſerit.*
XVII. *S. Remigii obitus & ſepulcrum.*
XVIII. *Ampulla ſacra.*
XIX. *Calix S. Remigii.*
XX. *Romanus S. Remigii ſucceſſor.*
XXI. *S. Theodericus abbas Remenſis.*
XXII. *Terracinenſis monaſterii origo.*
XXIII. *Sancti monachi Terracinenſes.*
XXIV. *Paulinus & Auguſtinus monachi Caſinenſes.*
XXV. *S. Placidi miſſio in Siciliam.*
XXVI. & XXVII. *Donatus an primus monaſtici ordinis auctor in Hiſpania.*
XXVIII. *Victorianus an ipſo prior.*
XXIX. *Turibius monachus, an epiſcopus.*
XXX. *S. Æmiliani res geſta.*
XXXI. *Hiſpania monaſteria.*
XXXII. *Emeritenſia.*
XXXIII. *Caulinianum.*
XXXIV. *Toletana monaſteria.*
XXXV. *Saguntenſe & Biclarenſe.*
XXXVI. *Regula horum monaſteriorum.*
XXXVII. *Regula S. Benedicti quando in Hiſpania.*
XXXVIII. *Hujus propagationis auctores.*
XXXIX. *Objecta diluuntur.*
XL. *Chlodoaldus monachus.*
XLI. *Silverius papa monaſtica veſte indutus.*
XLII. *Meroveus item, aliique.*
XLIII. *Carileſus monachus Miciatenſis. Avitus ejus ſocius, alius ab Avito abbate Miciacenſi.*
XLIV. & XLV. *Aninſulenſis monaſterii origo.*
XLVI. *Alii ſancti monachi Cenomannenſes.*
XLVII. *S. Leobini vita compendium.*
XLVIII. *S. Albini res geſta.*
XLIX. *Tincillacenſe monaſterium.*
L. *S. Albini epiſcopatus.*
LI. *S. Paternus epiſcopus Abrincatenſis. Scubilio ejus ſocius.*
LII. *Alii diſcipuli.*
LIII. *Paternus abbas.*
LIV. *Concilium Vaſenſe, in quo de ſcholis.*
LV. *Toletanum ſecundum de pueris clericis.*
LVI. *Aurelianenſe item ſecundum de epiſtoliis.*

LIBER IV.

Ab anno Chriſti 538. ad annum 542.

I. BELLI *Gothici cauſa & effectus.*
II. *Famis tempore quid ſanctus Benedictus egerit.*

Digitized by Google

B R E V I A R I U M

III. *Caſſiodori ſeceſſus Schyllacium ; Romani in Galliam.*
IV *Johannis abbatis Reomaenſis obitus & miracula.*
V. *Silveſter ejus ſucceſſor.*
VI. *Feminis negatus in baſilicas monaſticas ingreſſus.*
VII. *Homicidarum penitentia.*
VIII. *S. Benedictus ruſticum ſolvit.*
IX. *Mortuum excitat.*
X. *Dæmonem alapa fugat.*
XI. *Monacho inſepulto Eucharistiam mittit.*
XII. *Monachus vagus metu draconis reducitur.*
XIII. *Alius ſuperbus correptus.*
XIV. *S. Placidi martyrium.*
XV. *Ejus acta examinantur.*
XVI. *Inventionis ejuſdem hiſtoria.*
XVII. *S. Placidi martyrium inde aſſertum.*
XVIII. *S. Germani Capuani epiſcopi obitus.*
XIX. *Turris Caſinenſis, ubi mira a S. Benedicto patrata.*
XX. *Prophetia de excidio Caſinenſi.*
XXI. *Totila fraus detecta.*
XXII. *Ipſe ad eum accedit.*
XXIII. *Aliud vaticinium de Roma.*
XXIV. *Tempus Totila congreſſus cum S. Benedicto expenditur.*
XXV. *S. Cæſarii epiſcopi Arelatenſis obitus & virtutes.*
XXVI. *Præclara ejus facta, & epitaphium.*
XXVII. *Ægidius ejus diſcipulus.*
XXVIII. *Item Florianus.*
XXIX. *Nicetius epiſcopus Trevirenſis.*
XXX. *Lemovicenſe ſancti Auguſtini monaſterium.*
XXXI. *Alia ejuſdem diœceſis monaſteria.*
XXXII. *Monaſteria diœceſis Arvernenſis, S. Illidii.*
XXXIII. *Menatenſe.*
XXXIV. *S. Porciani.*
XXXV. *Porciani abbates an duo.*
XXXVI. *S. Cyrici monaſterium.*
XXXVII. *Rubiacenſe, & S. Martii.*
XXXVIII. *Autumenſe duplex.*
XXXIX. *Cromanenſe.*
XL. *Teclatenſe.*
XLI. *Regula horum monaſteriorum.*
XLII. *Griniacenſes monachi.*
XLIII. *Viennenſia monaſteria.*
XLIV. *Theuderii abbatis res geſta.*
XLV. *Cenomannenſis epiſcopi legatio ad S. Benedictum. S. Mauri vita ut reperta.*
XLVI. *S. Maurus ad miſſionem deſignatus.*
XLVII. *Legationis tempus.*
XLVIII. *Auctores conciliantur.*
XLIX. *Gregorii Turonenſis locus de Domnolo excuſſus.*
L. *Legationis ſumma.*
LI. *In conciliis actum de profeſſione penitentia.*
LII. *Abbas epiſcopi vicarius in concilio.*
LIII. *Monaſteria diœceſis Pariſienſis.*

L I B E R V.

Ab anno Chriſti 543. ad annum 559.

I. MAURO *diſceſſuro quantus Caſini mœror.*
II. *Caſino diſcedit in Gallias.*
III. *Scholaſtica extremum cum fratre colloquium.*
IV. *Ejuſdem obitus.*
V. *S. Benedicti morbus extremus, & mors.*
VI. *Viaticum an ſub utraque ſpecie.*
VII. *Viſum de ejus obitu.*
VIII. *Quo anno.*
IX. *Maurus Aurelianis diſcit obitum epiſcopi Cenomannenſis.*
X. *Glannafolienſis monaſterii conſtructio.*
XI. *S. Benedicti virtutes.*
XII. *Maurus diſcipulus ejus præcipuus. An laborem aboleverit.*
XIII. *Menſa abbatis an ſeorſim.*
XIV. *Carnium eſus hoſpitibus interdictus.*
XV. *Regula autographum.*
XVI. *Benedictus an tantum diaconus.*
XVII. *Benedictinus habitus.*
XVIII. *Chrothildis regina obit : monaſteriorum conditrix.*
XIX. *S. Petri Rotomagenſe.*
XX. *Andelagenſe.*
XXI. *Radegundis ſecedit Pictavos.*
XXII. *An cum regis conſenſu.*
XXIII. *Duo illic monaſteria condit.*
XXIV. *Caſſiodori ſeceſſus & monaſteria.*
XXV. *Regula & ritus eorum.*
XXVI. *Monita ejus ad abbates & monachos.*
XXVII. *Monachi quales ibi poſiti.*
XXVIII. *S. Medardi obitus & monaſterium.*
XXIX. *Flori profeſſio monaſtica.*
XXX. *Childeberti ſtudium in monachos.*
XXXI. *S. Aureliani monaſteria apud Arelate ; S. Petri.*
XXXII. *S. Aureliani regula.*
XXXIII. *S. Albini obitus & monaſterium.*
XXXIV. *Glannafolienſis dedicatio,*
XXXV. *Marii abbatis Bodanenſis geſta.*
XXXVI. *Ebredunenſe monaſterium, & Noviacenſe.*
XXXVII. *Totila obitus.*
XXXVIII. *Caſini finis belli Gothici.*
XXXIX. *Victorini monachi mira penitentia.*
XL. *S. Germanus abbas Æduenſis.*
XLI. *Fit epiſcopus Pariſienſis.*
XLII. *S. Vincentii monaſterium apud Pariſios.*
XLIII. *Baſilica ſtructura.*
XLIV. *Varia ejus nomina.*
XLV. *S. Germani merita in hoc monaſterium. S. Germani Autiſiodorenſe monaſterium Pariſiis.*
XLVI. *Childeberti pragmaticum pro cœnobio ſancti Vincentii.*
XLVII. *S. Germani privilegium.*
XLVIII. *Droctoveus abbas primus.*
XLIX. *S. Fusciani inventio, & monaſterium. Ebrulfus abbas.*
L. *Marculfus abbas Nantenſis.*
LI. *Bajocaſſenſia monaſteria.*
LII. *S. Symphoriani monaſterium apud Bituriges.*
LIII. *S. Ferreoli monaſterium & regula.*
LIV. *Radegundis Chlotharium iterato effugit.*
LV. *Auſtera ejus vita.*
LVI. *Wlfinus-Boetius & Drepanius, quinam.*
LVII. *S. Juniani abbatis res geſta.*

LVIII. *Sancti*

LVIII. *Sancti Benedicti oraculum de Roma impletum.*
LIX. *Conciliorum decreta pro ſanctimonialibus & monachis.*

LIBER VI.

Ab anno Chriſti 560. ad annum 579.

I. CONSTANTINO *ſuccedit Caſini Simplicius, Regulæ propagator.*
II. *Fundani abbatis ad eum epiſtola.*
III. & IV. *Martinus Suevos ad rectam fidem convertit.*
V. *Dumienſe monaſterium & alia condit.*
VI. *Panni ſacri e tumulis ſanctorum quales.*
VII. *Martinus ubi monachus, an Benedictinus?*
VIII. *Chlotharii obitus, & ſepultura ad ſanctum Medardum.*
IX. *Ruſticula traditur monaſterio Arelatenſi.*
X. *Launomarus monachus.*
XI. *Carnutenſia monaſteria.*
XII. *Quænam a Launomaro exſtructa.*
XIII. *Ebrulfus Bajocaſſenſis ſæculum deſerit, auctor monaſterii Uticenſis & aliorum quindecim.*
XIV. *Martinus abbas Vertavenſis, an auctor monaſterii duorum Gemellorum?*
XV. *Res ab eo geſtæ.*
XVI. *Rei monaſticæ ſtatus in Armorica.*
XVII. *Landeveneenſe monaſterium.*
XVIII. *Sancti Jacuti.*
XIX. *Ruyenſe auctore Gilda Sapiente.*
XX. *Dolenſe & Pentalienſe per Samſonem,*
XXI. *Maglorii Sargienſe monaſterium,*
XXII. *Sancti Maclovii Alethenſe.*
XXIII. *Pauli epiſcopi Leonenſis facta. S. Matthæi monaſterium.*
XXIV. *Kemperlegienſe cœnobium.*
XXV. *Sancti Brioci & ſancti Rabuvali.*
XXVI. *Sancti Nicetii epiſcopi Trevirenſis facta & obitus.*
XXVII. *S. Maximini monaſterium Trevirenſe.*
XXVIII. *Sancti Eucharii ſeu ſancti Matthiæ monaſterium.*
XXIX. *Sancti Martini item Trevirenſe.*
XXX. *Victoriani abbatis Aſanæ obitus.*
XXXI. *Turonenſis concilii ſtatuta.*
XXXII. *Radegundis concilii Patribus ſcribit.*
XXXIII. *Fortunatus Radegundi adhæret.*
XXXIV. *Radegundis pia monita.*
XXXV. *Charibertus rex obit. Theodechildis retruſa in monaſterium Arelatenſe.*
XXXVI. *Radegundis ex Oriente lignum ſanctæ Crucis obtinet.*
XXXVII. *Sancti Mammetis item reliquias, S. Georgii brachium.*
XXXVIII. *Sancti Cæſarii Regulam Arelati refert.*
XXXIX. *Nunctus abbas Afer floret in Luſitania.*
XL. *Donatus item Afer, abbas in Hiſpania.*
XLI. *Langobardi Italiam invadunt.*
XLII. *Simplicius abbas Caſinenſis obit. Vitalis & Bonitus ſucceſſores.*
XLIII. *Sancti Vincentii apud Cenomannos cœnobii primordia.*
XLIV. *Gregorii contextus de Domnolo epiſcopo aſſertus.*
XLV. *Domnolus cœnobii dedicationem curat.*
XLVI. *Sancti Paduini monaſterium.*
XLVII. *Alia apud Cenomannos.*
XLVIII. *Aredii abbatis facta & teſtamentum.*
XLIX. *Wlfilaïcus ſtylites.*
L. *Leobardus recluſus in Majori-monaſterio.*
LI. *Urſus & Leubatius abbates.*
LII. *S. Euſitius Cellæ patronus.*
LIII. *Martini Dumienſis libri duo.*
LIV. *Sancti Baſoli acceſſus Remos. Sindulfus eremita.*
LV. *Agaunum direptum. Hoſpitius recluſus Niciæ.*
LVI. *Liliola Ruſticulæ ſuccedit.*
LVII. *Sancti Æmiliani obitus.*
LVIII. *Gregorii M. prima facta.*
LIX. *Monaſtica ejus profeſſio.*
LX. *Quo anno facta.*
LXI. *Sub quibus abbatibus?*
LXII. *Sub qua Regula. Non Æquicii.*
LXIII. *Sed S. Benedicti.*
LXIV. *Leander Gregorii amicus.*
LXV. *Florentinæ ſorori inſcribit Regulam, cujus compendium refertur.*
LXVI. *Sigiberti regis mors & ſepultura ad S. Medardum.*
LXVII. *Sancti Germani Pariſ. epiſcopi obitus.*
LXVIII. *Donationes ab eo facta. Cainonenſe monaſterium.*
LXIX. *Bertichramnus epiſcopus quid egerit pro S. Germano.*
LXX. *Eleutherii abbatis geſta.*
LXXI. *Anaſtaſius abbas & Nonnoſus prepoſitus.*
LXXII. *Meroveus Aninſulæ tonſus.*
LXXIII. *Abbates octo in ſynodo Autiſiodorenſi. Monaſteria illius diœceſis.*
LXXIV. *Walaricus Autiſiodori admiſſus.*
LXXV. *Autiſiodorenſis ſynodi ſtatuta.*
LXXVI. *Sancti Marcelli Cabilonenſis monaſterii origo per Guntchramnum.*
LXXVII. *Idem in ſanctum Benignum magnificus. Elariacenſis cella.*
LXXVIII. *Sancti Apri monaſterium Tulli.*

LIBER VII.

Ab anno Chriſti 580. ad annum 589.

I. CASINENSIS *monaſterii deſtructio.*
II. *Menas ſolitarius.*
III. *Lateranenſe monaſterium, quo tempore conditum?*
IV. *Martini Dumienſis obitus.*
V. *Leuvigildi perſecutio in Hiſpania.*
VI. *Chlodoveus regius puer ſepultus ad ſanctum Vincentium Pariſiis.*
VII. *Sancti Criſpini monaſterium Sueſſionenſe.*
VIII. *Canciacenſe monaſterium. S. Sequani obitus.*

IX. Sancti Eparchii abbatis acta.
X. Miracula & mors.
XI. Sancti Eparchii monaſterium apud Santones.
XII. Burdegalæ alia eccleſia.
XIII. Petrocoricenſia monaſteria.
XIV. Beati Mauri ſeceſſus abdicata præfectura.
XV. Lues apud monachos Uticenſes.
XVI. Gregorius ad Tiberium miſſus.
XVII. Maximianus ejus ſocius.
XVIII. Eutychius patriarcha CP. errorem deponit.
XIX. Libri in Job incœpti.
XX. Gregorius ad ſuos redit.
XXI. Eutropii abbatis apologia pro diſciplina monaſtica.
XXII. Pro correptionibus, pro frugalitate, & pro admiſſione novitiorum.
XXIII. Eutropii alia ſcripta & epiſcopatus.
XXIV. Sancti Mauri abbatis & aliorum obitus.
XXV. Fauſti reditus in Italiam.
XXVI. Gregorii utriuſque ſilentium de beati Mauri in Gallias miſſione expenditur.
XXVII. Vincentii abbatis Legionenſis martyrium, Ramiri item & aliorum.
XXVIII. Lupemiæ abbatis interitus.
XXIX. Chilperici ſepultura Pariſiis ad ſanctum Vincentium.
XXX. Ejus pia opera. Ebrulfus abbas Bellovacenſis.
XXXI. Guntchrammus donationes ſuas pias a Synodo confirmari petit.
XXXII. Furtum in baſilica Mettenſi.
XXXIII. Quatuor ejus urbis monaſteria.
XXXIV. Bertichrammus epiſc. Cenomanenſis munificus.
XXXV. Sancti Petri de Caltura-Dei monaſterii auctor.
XXXVI. Item Pontileuvenſis.
XXXVII. Item ſancti-Germani.
XXXVIII. Et Stivalenſis.
XXXIX. Mors ſanctæ Radegundis.
XL. Epiſcopo ejus monaſterium ſubjicitur.
XLI. Radegundis Teſtamentum.
XLII. Quando ſcriptum?
XLIII. Sancti Juniani abbatis obitus.
XLIV. Sanctæ Radegundis Vitæ ſcriptores.
XLV Sancti Aniani monaſterium Aurelianis.
XLVI. Lues in Gallia. Virgilius epiſcopus Arelatenſis. Abbates Lirinenſes.
XLVII. Turba in Pictavenſi parthenone.
XLVIII. Chrodieldis facinora.
XLIX. Æduenſis ſynodus in ſeditioſas.
L. Judex ſæcularis Pictavos miſſus.
LI. Similis rixa inter Ingeltrudam & Bertegundem apud Turonos.
LII. Pictavenſis rixa finis.
LIII. Crimina abbatiſſæ objecta.
LIV. Leubovera ſuccedit Juſtinæ, Juſtina Didymiæ.
LV. Sancti Hilarii monaſterium. Paſcentius abbas. Sanctus Porcarius item abbas.
LVI. Sanctæ Radegundis monaſterium virorum. Monacha quo ritu iſtic ſepulta?
LVII. Recluſa ad ſanctam Crucem.
LVIII. Monachi proprietarii pœna. Gregorii diſcipuli pii.
LIX. Reccaredi regis converſio. Concilium III. Toletanum. Leandri oratio in concilio.
LX. Concilii decreta.
LXI. Scandalum in Caulimantenſi monaſterio.
LXII. Joannes Biclarenſis.
LXIII. Sancti Vincentii monaſterium Lauduni.
LXIV. Sancti Martini apud Æduam.
LXV. Sanctæ Mariæ & ſancti Johannis parthenon.
LXVI. Sancti Andochii monaſterium & Xenodochium. Gregorii M. privilegium.
LXVII. Aſſeritur.
LXVIII. Sanctonum monaſteria.

LIBER VIII.

Ab anno Chriſti 590. ad annum 595.

I. SANCTI Columbani acceſſus in Galliam.
II. Fidei & monachiſmi ſtatus in Britannia & Hibernia.
III. Monaſticæ vitæ propagator S. Patricius.
IV. Bacchiarius, monachus Britannus, ſcribit ad Januarium abbatem pro monacho lapſo.
V. Finnianus, & alii.
VI. Eltutus an Bancorenſis in Wallia monaſterii auctor.
VII. Comgellus abbas Bancorenſis in Hibernia. Luanus centum monaſteriorum fundator.
VIII. S. Columba abbas Huenſis.
IX. S. Columbani prima geſta. Anagratenſe monaſterium ab eo conditum.
X. Luxovienſis monaſterii primordia.
XI. Item Fontanenſe conditur. Prioratuum origo.
XII. Luxovienſium diſciplina, & regula.
XIII. Pſalmodiæ ordo ac ritus.
XIV. Pœnitentiale Columbani. Communio ſub unice ſpecie.
XV. Alii ritus præter regulam.
XVI. Laus perennis an apud Luxovienſes.
XVII. Columbani regula an diverſa a Benedictina.
XVIII. Unus S. Benedicti & S. Columbani Ordo.
XIX. Luxovienſe privilegium.
XX. Pelagio papa peſte ſublato eligitur Gregorius.
XXI. Litania a Gregorio inſtituta.
XXII. Ejus ordinatio.
XXIII. Pontificis recte facta & virtutes.
XXIV. Gregorii epiſtola pro monachis.
XXV. Launomari abbatis obitus.
XXVI. Item S. Theodulfi abbatis Horenſis, qui alius a Trevirenſi.
XXVII. Hilariacum monaſterium, & Glanderienſe. Fridolinus abbas hæc & alia monaſteria condit.
XXVIII. S. Domitianus abbas Bebronenſis.
XXIX. Lugdunenſe monaſterium S. Petri.
XXX. S. Nicetii abbas Auſtregiſilus.
XXXI. S. Aredii abbatis obitus.
XXXII. Gregorii M. epiſtola monaſtica. Excommunicatio ſit rara & moderata.
XXXIII. Injuſta ut ferenda.

Digitized by Google

XXXIV. *Pretorianum in Sicilia monaſterium.*
XXXV. *S. Hermetis abbas Marinianus.*
XXXVI. *Abbatis vitia notata. Baptiſterium in monaſterio. Oratorii monaſtici dedicatio. Milites monachi.*
XXXVII. *Claudius abbas Claſſenſis.*
XXXVIII. *Gunthramni regis obitus, & ſepultura. an fuerit monachus.*
XXXIX. *Monomachiæ origo apud Francos.*
XL. *S. Petri monaſterium Cabilonenſe. Lupus abbas, dein epiſcopus.*
XLI. *Abbatia B. Mariæ de Latona.*
XLII. *Dialogi a Gregorio M. ſcripti. qua fide & diligentia.*
XLIII. *Fratrum hortatu. Theodelinda miſſi.*
XLIV. *Auctori ſuo aſſerti. Sublacenſis monaſterii abbates & ſtatus.*
XLV. *S. Pancratii baſilica tradita monachis.*
XLVI. *Cyriacus abbas in Sardiniam miſſus ad convertendos infideles.*
XLVII. *Monita pro regimine ſanctimonialium.*
LXVIII. *Clerici ſæculares ne abbates fiant.*
LXIX. *Monachi ne mulieres ad ſe inducant.*
L. *Walaricus monachus Luxovium adit.*
LI. *Gallus obedientiæ meritum experitur, aliique.*
LII. *Columbanus junior.*
LIII. *Columbanus ſenior Donatum cælitus impetrat.*
LIV. *Agilus ejus exemplo oblatus Deo.*
LV. *Maximiani epiſcopi Syrac. obitus.*
LVI. *Marinianus epiſcopus Ravennas. Privilegium monaſterii Claſſenſis.*
LVII. *Luminoſi abbatis privilegium.*
LVIII. *Abbatum dejectio & reſtitutio.*
LIX. *Urbicus abbas ſancti Hermetis.*
LX. *Abbatum presbyterorum & diaconorum lapſorum pœna.*
LXI. *Romanæ ſynodi ſtatuta de monachis.*
LXII. *Gregorii epiſcopi Turon. obitus. S. Juliani monaſterium Turonis. Reliquiæ illic quænam.*
LXIII. *S. Blevilegueti epiſcopi Venetenſis.*
LXIV. *S. Lauri abbatis. S. Meventii monaſterium.*
LXV. *S. Antonius monachus Turonenſis.*

LIBER IX.

Ab anno Chriſti 596. ad annum 600.

I. AUGUSTINI *miſſio in Angliam.*
II. *Epiſtolæ hac de re a Gregorio ſcriptæ.*
III. *Itineris ſeries.*
IV. *Angliam ingrediuntur. Profectus eorumdem.*
V. *Gregorii caritas ad redimendos captivos Anglos. S. Petri patrimonium.*
VI. *Stephano abbati Lirinenſi ſcribit Gregorius.*
VII. *Presbyteri ex monaſteriis aſſumti. Epiſcopi cathedra ex monaſterio ſublata.*
VIII. *S. Cyriaci monaſterium Romæ. Bona abbatiſſa.*
IX. *S. Agnelli abbatis obitus.*
X. *S. Ebrulfi item abbatis Uticenſis.*
XI. *Albertus abbas Gambrenſis.*
XII. *Ethelberti regis converſio, aliorumque.*
XIII. *Auguſtini ordinatio.*
XIV. *Reſpecti abbatis Maſſilienſis privilegium.*
XV. *Deſponſata fit monacha.*
XVI. *Andream ad ſæculi contemtum hortatur Gregorius.*
XVII. *Monaſteriorum preces rei publicæ præſidium.*
XVIII. *Fredegundis reginæ mors & tumulus.*
XIX. *Columba abbatis Hiienſis mors.*
XX. *Item S. Ebrulfi abbatis Bellovacenſis.*
XXI. *Andecavis monaſterium S. Johannis.*
XXII. *Claſſenſis monaſterii privilegium.*
XXIII. *Lis de hereditate monachi.*
XXIV. *Monacha ad habitum & monaſterium revocata.*
XXV. *Auguſtinus ad Gregorium nuntios mittit.*
XXVI. *Pax cum Langobardis facta per Probum abbatem.*
XXVII. *Secundinus ejuſdem cooperator. Gregorii ad eum epiſtola interpolata. Gregorii doctrina de cultu imaginum, Secundus abbas Tridenti.*
XXVIII. *Arelatenſis monaſterii privilegium confirmatum.*
XXIX. *Monaſterium S. Petri in Campania dedicatum. Presbyteri monaſteriorum.*
XXX. *Abbas eſto humilis. Abbatum & abbatiſſarum ſollemnis ordinatio.*
XXXI. *Abbatiſſæ teſtamentum, an validum?*
XXXII. *Excommunicatio monachi per abbatem an ſolvenda ab epiſcopis? Servi manu-miſſi ad monachatum.*
XXXIII. *Gallicanum concilium poſt Barcinonenſe.*
XXXIV. *Judicium de paſchæ celebratione contra S. Columbanum. Cyriacus abbas.*
XXXV. *Columbani epiſtola ad Gregorium.*
XXXVI. *Fortunati epiſcopi Pictavenſis obitus.*
XXXVII. *Item S. Martini abbatis Vertavenſis.*
XXXVIII. *Novitii rite probandi. Tonſura in profeſſione.*
XXXIX. *Abbatem tuetur Gregorius.*
XL. *Eidem codices & vela reſtitui jubet.*
XLI. *Monaſteriorum unio.*
XLII. *Immunitas a portoriis conceſſa.*
XLIII. *Miraculum de ſacra euchariſtia.*
XLIV. *Angliæ priſcus ſtatus cum præſenti comparatus.*

LIBER X.

Ab anno Chriſti 601. ad annum 612.

I. SÆCULI *ſecundi initium. Laurentii & Petri reditus in Angliam.*
II. *Gregorii munera & epiſtolæ. Profanorum ſtudia epiſcopis indigna.*
III. *Alia epiſtola ad Anglorum regem & reginam.*
IV. *Item ad Auguſtinum. Reſponſa ad conſulta Auguſtini.*
V. *Venantii ex monacho cancellarii lapſus.*
VI. *Probi abbatis teſtamentum probatum.*
VII. *Miracula in S. Andreæ monaſterio.*

BREVIARIUM

VIII. *Turba de electione Lucuſiani abbatis.*

IX. *Gregorii cura de valetudine Mariniani epiſcopi.*

X. *Item de monaſterio Lirinenſi.*

XI. *Cantuarienſis eccleſia conſtructio: ubi monachi inſtituti.*

XII. *Ibidem perſtiterunt ad Henricum VIII.*

XIII. *Archiepiſcopi ex monachis.*

XIV. *Quando primum ſæculares clerici cum archiepiſcopo. Monaſteriis qualis tunc diſciplina. Cathedrales eccleſiæ monachorum in Anglia.*

XV. *Auguſtinus S. Petri monaſterium condit.*

XVI. *Chorepiſcopus in eccleſia ſancti Martini.*

XVII. *Raculfenſe monaſterium & S. Mildritha.*

XVIII. *S. Benedicti regula in illis monaſteriis.*

XIX. *Claudii abbatis Claſſenſis mors. Gregorii modeſtia de ſuis ſcriptis. Abbatis rejecta electio. Peculiaritas in monacho quantum malum.*

XX. *Monachatus pro ſubdiaconatu.*

XXI. *Clerici non prohibendi ne monachi fiant.*

XXII. *S. Leander epiſcopus obit.*

XXIII. *Urbici abbatis electio in ſedem Panormitanam irrita.*

XXIV. *Luponis abbatis Æduenſis obitus.*

XXV. *Anglicana ſynodus contra Brittones.*

XXVI. *Saxonum orientalium converſio. Epiſcopi duo ordinati.*

XXVII. *Gregorii in extremis doloribus ſollicitudo pro eccleſia, pro baſilica S. Petri.*

XXVIII. *Pro Fortunato abbate Caſenate. Canonicus ordo.*

XXIX. *Pro duobus monachis fugitivis.*

XXX. *Gregorii obitus.*

XXXI. *Corporis ejus forma.*

XXXII. *Animi dotes. Caritas ejus & liberalitas.*

XXXIII. *Vitæ ejus ſcriptores.*

XXXIV. *Sabinianus ejus ſucceſſor avarus.*

XXXV. *Weſtmonaſterii primordia.*

XXXVI. *Columbani epiſtola ad papam.*

XXXVII. *Fauſtus librum de vita S. Mauri offert Bonifacio papæ.*

XXXVIII. *Auguſtini obitus.*

XXXIX. *Laurentius ei ſuccedit. Scottis epiſtolam ſcribit.*

XL. *Brittonum cædes.*

XLI. *Columbanus a Brunichilde exagitatus.*

XLII. *S. Benigni abbates, & donationes ei factæ.*

XLIII. *Romana ſynodus de pace monachorum.*

XLIV. *Bonifacii litteræ ad Ethelbertum pro monaſterio S. Petri.*

XLV. *Johannis abbatis deceſſor Petrus, vir ſanctus.*

XLVI. *Columbanus e Gallia migrare juſſus.*

XLVII. *Veſontionem ducitur. Luxovium reverſus iterum inde abſtrahitur.*

XLVIII. *Iter ejus uſque Nannetas.*

XLIX. *Ad Chlotharium accedit, dein ad Theodebertum.*

L. *Luxovienſibus ſcribit.*

LI. *Monachi ejus exſilii ſocii.*

LII. *Gallus apud Alemannos cum eo ſe ſiſtit.*

LIII. *Walaricus condit monaſterium. alia ejus facta.*

LIV. *Theodebertus a fratre victus caſuſque.*

LV. *Columbanus Bobienſe monaſterium condit.*

LVI. *Auſtregiſilus fit epiſcopus Bituricenſis. Bituricenſia monaſteria.*

LVII. *Amandus fit monachus & recluſus.*

LIBER XI.

Ab anno Chriſti 613. ad annum 627.

I. THEODERICI *& Brunichildis interitus. Brunichildis apud S. Martinum ſepulta.*

II. *Ruſticula abbatiſſa falſo accuſata.*

III. *Chlotharius ad ſe invitat Columbanum.*

IV. *Columbanus Bonifacio papæ ſcribit de tribus capitulis.*

V. *Theodelindæ olea Roma miſſa. Modoëtiæ an monachi.*

VI. *S. Petri Cantuarienſis dedicatio.*

VII. *Ethelberti & Seberti regum obitus. Anglorum infauſta mutatio. Mellitus & Juſtus ex Anglia pulſi! Laurentius diſceſſurus prohibetur. Eadbaldus rex Mellitum & Juſtum revocat.*

VIII. *S. Gallus ſanatus cellam condit. Fridiburgam ſanat.*

IX. *Euſtaſius Amatum adducit Luxovium. Burgundofaram ſanat.*

X. *Hæc nuptias fugit. Monaſterium ædificat.*

XI. *Euſtaſius Waraſcis & Boiis fidem prædicat.*

XII. *Salaberga lumen reddit.*

XIII. *Agilum ſanat.*

XIV. *Leudemundo epiſcopo mortem deprecatur.*

XV. *Winebaudus abbas Lupi epiſcopi reditum ab exſilio impetrat.*

XVI. *Concilii Pariſienſis decreta pro monachis. Item alterius ſynodi.*

XVII. *Columbani obitus. Monaſteria ejus & diſcipuli. Jonas primus ejus vitæ ſcriptor. Gallus Columbani obitum cælitus diſcit.*

XVIII. *S. Deicoli quædam geſta.*

XIX. *Leobardus cellam conſtruit.*

XX. *Sigiſbertus auctor monaſterii Deſertinenſis. Placidus ei adjungitur.*

XXI. *Attala S. Columbani ſucceſſor apud Bobium.*

XXII. *Bertichramni epiſcopi Cenomanenſis teſtamentum.*

XXIII. *Virgilius epiſcopus Arelatenſis obit.*

XXIV. *Romarici converſio per S. Amatum. S. Martini Mettenſe monaſterium.*

XXV. *Laurentii epiſcopi Cantuarienſis mors. Mellitus ejus ſucceſſor.*

XXVI. *Hiſpalenſis concilii decreta de monaſteriis non convellendis.*

LXVII. *Virginum monaſteria a monachis regenda. Diſciplina monaſteriorum duplicium.*

XXVIII. *Habendenſis monaſterii primordia. Laus perennis. Macteſledis prima abbatiſſa, & ſequentes.*

XXIX. *Amatus in ſpecu degit. Regula monaſterii.*

XXX. *S. Baſoli obitus & monaſterium.*

XXXI. *Bertrudis regina ſepulta ad S. Vincentium.*

XXXII. *Agreſtius*

XXXII. *Agreſtius monachos turbas ciet.*
XXXIII. *S. Walaricus moritur.*
XXXIV. *Deſiderii epiſcopi Autiſiodorenſis munificentia. Ingundis etiam regina. Chlotharii ſecundi an uxor.*
XXXV. *Palladius abbas Deſiderii ſucceſſor. S. Germani monaſterii prærogativa & diſciplina.*
XXXVI. *Matiſconenſis ſynodus in cauſa Agreſtii monachi.*
XXXVII. *Agreſtius Romaricenſes ad ſe trahit.*
XXXVIII. *Dagobertus in Auſtria regnat. Arnulfus & Pippinus ejus conſiliarii.*
XXXIX. *Theolegienſe monaſterium conditur. W. adelinus abbas. Paulus monachus, poſt epiſcopus. Grimo abbas.*
XL. *Lupus epiſcopus ſepultus in S. Columbæ monaſterio.*
XLI. *Auſtregiſilus epiſcopus Bituric. obit. Sulpicius Pius ſuccedit. Abbates Palatini & caſtrenſes. Monaſteria conſtruit.*
XLII. *Navenſe præcipuum.*
XLIII. *Donatus epiſcopus Veſontionenſis. Palatium monaſterium ab ea conſtructum. Juſſanum a matre. Donati regula.*
LXIV. *Melliti epiſcopi Cantuarienſis obitus. Juſtus ſucceſſor.*
XLV. *Deicolus abbas Columbinum deſignat ſucceſſorem.*
XLVI. *Euſtaſius abbas e vita migrat.*
XLVII. *Waldebertus ei ſuccedit.*
XLVIII. & XLIX. *Sub eo S. Columbani regula cum Benedictina coaleſcit.*
L. *Longiſilus monaſterium Buxiaci condit.*
LI. *Ebroinſis abbatia conditur. Sigirannus abbas Aninſulenſis, Siviardi abbatis parens.*
LII. *Synodus Remenſis.*
LIII. *Northumbrenſium converſio per Paulinum epiſcopum.*
LIV. *Qua occaſione.*
LV. *Blidulfus monachus ob fidem male habitus. item Merovens.*
LVI. *Agibodus monialium rector pie obit.*
LVII. *Attala abbas ad Chriſtum migrat.*
LVIII. *Bliſmundus Leucomaum redit.*
LIX. *Edwinus rex cum ſuis baptizatur. Orientalium Anglorum converſio. Honorii papa epiſtola ad Edwinum.*
LX. *Richarius Centulenſe monaſterium conſtruit.*
LXI. *Amati abbatis pœnitentia & mors.*
LXII. *Arnulfus in eremum ſecedit.*
LXIII. *Amandus Roma reverſus ordinatur epiſcopus.*

LIBER XII.

Ab anno Chriſti 628. ad annum 639.

I. DAGOBERTUS *ſolus regnat. S. Dionyſii monaſterium conſtruit.*
II. *Baſilica ejus ſtatus ante Dagobertum.*
III. *Dagoberti magnificentia in ea conſtruenda.*
IV. *Landegiſilus apud S. Dionyſium ſepultus.*
V. *S. Faronis monaſterii origo.*
VI. *S. Fiacrii quædam geſta.*
VII. *Bertulfus privilegium Bobienſibus impetrat.*
VIII. *Amandus relegatus Waſconiam adit.*
IX. *Deſiderius fit epiſcopus Cadurci.*
X. *S. Petri monaſterium Remis duplex. Baldericus & Bova abbatiſſa Superioris conditores.*
XI. *Doda ſecunda abbatiſſa.*
XII. *Baldericus cœnobii Montis-Falconis auctor & abbas.*
XIII. *Wandregiſili monachatus & peregrinationes.*
XIV. *Beſuenſis monaſterii origo.*
XV. *Amandus Sigibertum baptizat.*
XVI. *Paulus fit epiſcopus Virdunenſis. Divina officia inſtituit.*
XVII. *Salaberga mariti & liberi.*
XVIII. *Monaſterium ab ea conditum.*
XIX. *Gandavenſe duplex excitat S. Amandus.*
XX. *S. Benedicti Regula utrique præſcripta.*
XXI. *S. Eligii merita in rem monaſticam.*
XXII. *Sollemniacenſe monaſterium condit. Remaclus abbas primus.*
XXIII. *Tillo ejus loci monachus.*
XXIV. *Alia monaſteria ab Eligio conſtructa.*
XXV. *S. Martini Tornacenſe.*
XXVI. *S. Lupi Noviomagenſe.*
XXVII. *Helladii epiſcopi Toletani obitus. Juſtus ſucceſſor.*
XXVIII. *S. Ruſticula moritur.*
XXIX. *Chagnoaldus item epiſcopus.*
XXX. *Fara teſtamentum condit.*
XXXI. *Mira in ejus monaſterio facta.*
XXXII. *Obſervanda de confeſſione ſanctimonialium, &c.*
XXXIII. *Deſiderius Cadurci epiſcopus, Ordinis monaſtici propagator. Monaſteria Cadurcenſia. Moiſiacenſe præcipuum.*
XXXIV. *S. Amantii monaſterium: Dedicatio.*
XXXV. *Aliud S. Mariæ.*
XXXVI. *S. Benigno donatio facta. Abbates ejus loci.*
XXXVII. *Paulinus fit epiſcopus Roffenſis.*
XXXVIII. *Toletani concilii IV. decreta, de puerorum oblatione.*
XXXIX. *De clericis, qui monachi fieri volunt.*
XL. *Epiſcoporum poteſtas in monaſteria temperatur.*
XLI. *Contra monachos vagos.*
XLII. *S. Iſidori Regula, ejuſque œconomia.*
XLIII. *Dado conſtruit monaſterium Reſbacenſe.*
XLIV. *Ado Jotrenſe,*
XLV. *Radolienſe, an Rado?*
XLVI. *Aidanus Northumbrenſes convertit.*
XLVII. *Occidentalium Saxonum converſio.*
XLVIII. *S. Juliani monaſterium Autiſiodorenſe. Miſſa quotidiana in monaſteriis.*
XLIX. *Sigirannus Millebecenſis monaſterii auctor: item Longoretenſis.*
L. *Juſti epiſcopi Toleti obitus. Eugenius ſucceſſor.*
LI. *Paulus diaconus Emeritenſis.*
LII. *Judocus cellam conſtruit.*
LIII. *Treviris monaſteria excitata. Germanus fit monachus Luxovii.*
LIV. *Ermenfredus abbas Cuſantiæ.*
LV. *Audomarus fit epiſcopus Teruannæ.*
LVI. *Dagoberti obitus, ſepultura, & pia facta.*

LVII. *S. Dionyſio facta donatio; item ſancti Germani monaſterio.*

LVIII. *Foſſatenſis monaſterii primordia. Babolenus abbas, an etiam S. Germani.*

LIX. *Elnonenſe monaſterium conditur à S. Amando.*

LX. *Namuacenſe monaſterium cum Elnonenſi perperam confuſum.*

LXI. *Furſeus in Britannia ſuſcipitur a Sigeberchto.*

LXII. *Sigeberchtus ex monacho dux factus.*

LIBER XIII.

Ab anno Chriſti 640. ad annum 649.

I. ARNULFI *epiſcopi Mettenſis obitus.*

II. *Bertulfi item abbatis Bobienſis.*

III. *Bobulenus ſucceſſor. S. Benedicti Regula illic ſervata.*

IV. *Eligii & Audoëni ordinatio.*

V. *Donnolo abbati prædicta monaſterii ſui deſolatio.*

VI. *Eadbaldo regi Cantii ſuccedit Earconbertus. Earcongota ejus filia ſancta.*

VII. *Itta & Gertrudis Deo conſecratæ. Nivialenſe monaſterium conditur.*

VIII. *Salaberga cum ſuis Laudunum ſe recipit.*

IX. *Nanthildis regina ſepulta in ſancti Dionyſii eccleſia; non fuit monacha.*

X. *Floriacenſis monaſterii auctor Leodebodus abbas. Abbatum & abbatiſſarum teſtamenta.*

XI. *S. Columbæ parthenonis privilegium, & Luxovienſe.*

XII. *Item Foſſatenſe.*

XIII. *Viventius abbas ſancti Juſti admittit Baldomerem.*

XIV. *Hadoindi epiſcopi Cenomanenſis teſtamentum.*

XV. *Bellilocenſis monaſterii initia per ſanctum Rodingum.*

XVI. *Weiſſenburgenſis monaſterii abbas Principius fit epiſcopus. Clingenſe monaſterium, & ſancti Germani.*

XVII. *Marcianenſis monaſterii origo a ſancta Rictrude.*

XVIII. *Mauronitus Broilenſis monaſterii auctor & abbas.*

XIX. *Hamatici parthenonis abbatiſſa Gertrudis & Euſebia.*

XX. *Felix abbas ſancti Juliani.*

XXI. *Viennenſia monaſteria.*

XXII. *Maximi abbatis Limonici facta.*

XXIII. *Clari abbatis geſta.*

XXIV. *Sulpicii Bituricenſis epiſcopi obitus. Ebregeſilus recluſus.*

XXV. *Paulini Roffenſis epiſcopi mors.*

XXVI. *Furſeus Latiniacenſe monaſterium condit.*

XXVII. *Sancti Sergii monaſterium Andecavis.*

XXVIII. *Niulfus abbas ſancti Albini. Magnobodi epiſcopi vitæ compendium.*

XXIX. *Cabilonenſis concilii decreta pro monaſteriis. Advocati monaſteriorum.*

XXX. *Abbates epiſcoporum vicarii in concilio. S. Melanii abbas Bertulfus. Placium monaſterium.*

XXXI. *S. Richarii abbatis mors in Foreſti-cella.*

XXXII. *S. Galli obitus. Monaſterii ejus ſtatus ad S. Othmarum.*

XXXIII. *Magnus & Theodorus S. Galli diſcipuli.*

XXXIV. *Concilii VII. Toletani decreta.*

XXXV. *Fructuoſi abbatis geſta & monaſteria. Complutenſe.*

XXXVI. *Eugenii Toletani duo.*

XXXVII. *Hildefonſi prima facta.*

XXXVIII. *Fructuoſi continuatio geſtorum.*

XXXIX. *Benedicta virginum anteſignana.*

XL. *Familia tota ad Fructuoſum confluunt. Monaſteria mixta improbata.*

XLI. *Fructuoſi regula communis.*

XLII. *Altera regula monachorum.*

XLIII. *Sancti Bavonis converſio.*

XLIV. *Gertrudis fit abbatiſſa Nivialenſis.*

XLV. *Nivialenſium primum inſtitutum.*

XLVI. *Caſtrenſis monaſterii origo.*

XLVII. *Germanus primus abbas Grandivallenſis.*

XLVIII. *Pauli epiſcopi Virdunenſis ſucceſſor Giſloaldus.*

XLIX. *Sithienſis monaſterii origo.*

L. *Fontanellenſe condit Wandregiſilus.*

LI. *Wandregiſili virtutes.*

LII. *Monaſteria a Sigiberto rege exſtructa. Caſa-congidunenſe.*

LIII. *Malmundarium. Et Stabulenſe.*

LIV. *Sancti Martini Mettenſe.*

LV. *Remacli epiſcopi ordinatio.*

LVI. *Amandus fit epiſcopus Trajectenſis.*

LVII. *Injurioſus abbas Condateſcenſis.*

LVIII. *Giſlenus Cellenſe monaſterium ſtruit.*

LIX. *Vincentius Altimontenſe.*

LX. *Romanorum pontificum chronologia. Monachis licet inſtituere preſbyteros in ſuis eccleſiis.*

LXI. *Monothelitæ damnati etiam a monachis.*

LXII. *Sancti Goaris obitus.*

LIBER XIV.

Ab anno Chriſti 650. ad annum 659.

I. FURSEI *obitus & ſepultura.*

II. *Ejus monaſterium Peronnæ. Ultanus abbas.*

III. *Montis ſancti Quintini monaſterium.*

IV. *Sancti Furſei diſcipuli, Mumbolus & Eloquius, Madelgiſilus.*

V. *Sancti Agili abbatis obitus. Filibertus ejus ſucceſſor.*

VI. *Sanctus Bavo moritur. Florberti abbatis elogium.*

VII. *Sancti Livini quædam geſta.*

VIII. *Frodobertus abbas Cellenſe monaſterium condit. S. Quintini parthenon apud Tricaſſes.*

IX. *Oſwini regis & Aidani epiſcopi obitus. Lindisfarnenſe monaſterium.*

X. *Cuthbertus fit monachus.*

XI. *Judocus Roma defert reliquias.*

XII. *Sancto Amando ſcribit Martinus papa.*

Digitized by Google

XIII. Chlodoveus abſidem ſancti Dionyſii expendit in pauperes.
XIV. Marculfus formulas offert Landerico epiſcopo. Formulæ Andecavenſes antiquiores.
XV. Itta obitus. Gertrudis poſt ejus mortem facta.
XVI. Foſſatenſe monaſterium ab ea conditum. Foillani martyrium. Ultanus Foſſis abbas.
XVII. Berto a Wandregiſilo ſanatus. Oratorium beatæ Mariæ ibi exſtructum.
XVIII. Amandi iter ſecundum Romam.
XIX. Maricolenſe monaſterium a ſancto Humberto dotatum.
XX. Sancti Dionyſii privilegium.
XXI. Privilegium a Landerico eidem loco conceſſum.
XXII. Chlodoveus ob raptum ſancti Dionyſii brachium an amens?
XXIII. Privilegia monaſteriorum apud Græcos.
XXIV. Wilfridus cum Benedicto Lugduni excipitur ab Epiſcopo.
XXV. Annemundus an idem cum Dalfino? Sancti Petri parthenon ab eo inſtauratus?
XXVI. Romarici abbatis mors.
XXVII. Adelphus ejus ſucceſſor. Abbatiſſæ Romaricenſes: Regula S. Benedicti illic obſervata.
XXVIII. Landelini abbatis prima facta. Lambienſe monaſterium, & alia ab eo ſtructa.
XXIX. S. Benedicti tranſlatio in Galliam.
XXX. Capus-cervium ſancto Benedicto datur.
XXXI. Toletanum concilium octavum.
XXXII. Botulfus monaſterium Ikanhoinſe condit.
XXXIII. Deſiderii epiſcopi Cadurci obitus. Arvanus Scotus.
XXXIV. Sigiberti Regis item obitus.
XXXV. Filibertus monaſterium Gemeticenſe præclare inſtituit.
XXXVI. Geremarus Flaviacenſe.
XXXVII. S. Faræ obitus. Gerochus abbas. Eboriacenſes poſt Faram abbatiſſæ.
XXXVIII. Earcongota ibidem monacha ſancta.
XXXIX. Streaneshalenſis monaſterii initia. Item Heortenſis.
XL. Medeshamſtedenſis item & aliorum.
XLI. Concilii IX. Toletani decreta.
XLII. Toletani Concilii X. decreta de rebus monaſticis. De viduis religioſis, & de pueris Deo oblatis.
XLIII. Fructuoſus ſuffectus in locum Potamii epiſcopi Bracarenſis.
XLIV. Chlodovei obitus & liberi. S. Enimia an ejus filia?
XLV. Balthildis reginæ prima geſta.
XLVI. Leodegarius ex abbate epiſcopus Æduenſis.
XLVII. Sancta Salaberga obit. Bodonis-monaſterium.
XLVIII. Anſtrudis filia ei ſuccedit.
XLIX. Waldetrudis auctor monaſterii Caſtrilocenſis.
L. Aldegundis Melbodienſis.
LI. Dornatiacum Beſuæ datum. Chlotharius Franciæ rex dictus.
LII. Sancti Livini martyrium. Florberti abbatis ſucceſſores.
LIII. Annemundo necato Wilfridus in patriam redit. Rippenſis abbas.
LIV. Calenſe monaſterium condit Balthildis.
LV. Hereſvita ibi monacha, non Hilda.
LVI. Corbeienſe monaſterium ab eadem regina conditur.
LVII. Bettolenus ex epiſcopo abbas Canciaci. Drauſius epiſcopus monaſterii Resſondenſis auctor.
LVIII. Magniloccenſis Genſius antiſtes & Cantoiennenſis.
LIX. S. Gertrudis Nivialle obitus.
LX. Item ſancti Geremari.
LXI. Waningus condit Fiſcamnenſe monaſterium.
LXII. Erembertus epiſcopus Toloſanus.
LXIII. Emmonis privilegium pro monaſterio ſanctæ Columbæ.
LXIV. Aliud ejuſdem pro monaſterio ſancti Petri.
LXV. Tuſſiaci monaſterii origo.
LXVI. Jonas acta ſancti Johannis Reomaënſis ſcribit. Reomaënſes abbates.
LXVII. S. Eligii obitus & ſepultura.
LXVIII. Mummolinus ejus ſucceſſor. Jurandi mos ad tumulum ſancti Eligii.
LXIX. Jurandi ritus ſuper reliquias ſanctorum.

LIBER XV.

Ab anno Chriſti 660. ad annum 669.

I. BERTINUS novum Sithienſe monaſterium regit.
II. Audomarus cœmeterium condit cum privilegio.
III. Sanctæ Mariæ cœnobium apud Sueſſionas.
IV. Theudlechildis abbatiſſæ Jotri mors.
V. Sancti Eligii tranſlatio.
VI. Sancti Gregorii monaſterium in Alſatia conditur.
VII. Sancti Clari obitus.
VIII. Hildefonſus beatæ Mariæ virginitatem tuetur.
IX. Tayonis epiſtola de calamitatibus Hiſpaniæ.
X. Hildefonſi liber quæſitus.
XI. Barſiaci monaſterium ſtruit S. Amandus.
XII. Item Nantenſe.
XIII. Uaurenſe ſanctus Alanus.
XIV. Nantenſe confuſum cum Nantuatenſi.
XV. Senonienſe monaſterium condit Gundelbertus.
XVI. Stivagium monaſterium.
XVII. Commutatio facta a Mummolino epiſcopo & Bertino abbate.
XVIII. Aigulfus Lirini abbas dira patitur.
XIX. Biſcopus fit Lirini monachus.
XX. Baboleni abbatis obitus. Baboleni plures.
XXI. Trudo monaſterium Sarchinienſe condit.
XXII. Remaclo ſuccedit Theodardus præceptor Landeberti.
XXIII. Nivardus Berchario parat monaſterium Altivillarenſe.
XXIV. Sancti Baſoli monaſterio quædam confert.
XXV. Avennacenſe monaſterium conditur a Gumberto & Berta.
XXVI. Sancti Petri monaſterium Remis.
XXVII. Pauliacenſi monaſterio præficitur Auſtreberta.

Digitized by Google

BREVIARIUM

XXVIII. *Bertefredi privilegium pro monaſterio Corbeienſi.*

XXIX. *Beſuenſi monaſterio regiæ littera conceſſa.*

XXX. *Wandregiſilo dona collata.*

XXXI. *Elariacus ſancti Benigni cœnobio vindicatur.*

XXXII. & XXXIII. *Wilfridi conflictus cum Colmanno.*

XXXIV. *Colmannus ad ſuos reverſus duo monaſteria ſtruit.*

XXXV. *Hilda abbatiſſa.*

XXXVI. *Ronanus epiſcopus Scotus cultus apud Pictones. Chrocelmus abbas Nobiliacenſis.*

XXXVII. *Egbertus peſte liberatus. Quadrageſimam ut obſervat.*

XXXVIII. *Boiſilus peſte ſublatus. Cuthbertus poſt eum præpoſitus, verbi Dei præco.*

XXXIX. *Sanctimonialibus prædicat. Feminarum aditus in virorum cœnobia vetitus.*

XL. *Lindisfarnæ inſtituis regulam S. Benedicti. Patientia ejus in contumaces.*

XLI. *Deus-dedit Cantuariæ epiſcopo ſuffectus Wighardus. Theodorus pro eo electus.*

XLII. *Wilfridus ordinatur epiſcopus.*

XLIII. *Remaclus epiſcopus moritur. Hadalinus ejus diſcipulus.*

XLIV. *Balthildis regina ſecedit in Calenſe monaſterium.*

XLV. *Walberti abbatis Luxovii obitus. Non fuit epiſcopus Meldenſis. Ingofredus ejus ſucceſſor.*

XLVI. *Walbertus comes monachus Luxovii.*

XLVII. *Præjectus epiſcopus cœnobium Camelarienſe, aliaque inſtituit. Doroangenſe ſancti Amarini monaſterium.*

XLVIII. *Sanctæ Mariæ Sueſſionenſis privilegium.*

XLIX. *Sancti Vedaſti tranſlatio & monaſterium.*

L. *Sancti Germani abbatis martyrium.*

LI. *Emeritenſis concilii decreta. Miſſæ duæ ab uno presbytero in dominicis.*

LII. *Hildefonſi epiſcopi mors.*

LIII. *Wandregiſili item abbatis.*

LIV. *Lambertus ejus ſucceſſor.*

LV. *Anſbertus ejuſdem affinis fit monachus. Angadriſma velatur.*

LVI. *Sanctus Godo Wandregiſili nepos.*

LVII. *Sancti Audomari epiſcopi mors.*

LVIII. *Sancti Maximini epiſcopi Trevirenſis tranſlatio per ſanctum Hildulfum.*

LIX. *Deodatus epiſcopus monaſteria condit.*

LX. *Ebrsheimenſe ſeu Novientenſe monaſterium a quo conditum. Abbates ejus loci.*

LXI. *Athics genus & poſteri. Alſatiæ alia monaſteria.*

LXII. *Odiliæ virginis vitæ compendium. Palma monaſterium virginum. Atala ſancti Stephani abbatiſſa.*

LXIII. *Theodorus in Britanniam accedit cum Hadriano & Biſcopo.*

LXIV. *Wilfridus Regulam ſancti Benedicti propagat.*

LXV. *Theodori geſta in Anglia.*

LXVI. *Wilfridus ſedi Eboracenſi impoſitus quid egerit?*

LXVII. *Benedictus abbas Cantuariæ.*

LXVIII. *Agilbertus Pariſiorum antiſtes. Leutherium in Angliam mittit.*

LXIX. *Deodatus monaſterium Vallis-Galilææ extruit.*

LXX. *Sancti Judoci obitus.*

LXXI. *Serenicus & Serenedus fratres.*

LXXII. *Sancto Theodardo epiſcopo ſuccedit Landebertus.*

LXXIII. *Sancti Placidi monaſterium Meſſanæ vaſtatum.*

LIBER XVI.

Ab anno Chriſti 670. ad annum 679.

I. CHLOTHARII *regis mors. Childericus ſolus regnat.*

II. *Wandibertus abbas ſancti Dionyſii.*

III. *Brogarienſis parthenonis fundatio.*

IV. *Chrodegarius abbas Corbeienſis poſt Theodefredum.*

V. *Vigilius epiſcopus Autiſiodori monaſterium beatæ Mariæ condit.*

VI. *S. Fructuoſi epiſcopi obitus.*

VII. *Adulphi item abbatis Habendenſis.*

VIII. *Monachorum Deſertinenſium cædes.*

IX. *S. Wlfetrudis abbatiſſa Nivialenſis obit. Agnes ei ſuccedit; tum Dominica.*

X. *Oſwii regis Northumbriæ mors.*

XI. *Wilfridi epiſcopi virtutes & quædam facta.*

XII. *Biſcopus iterum it Romam.*

XIII. *Lamberto Fontanellæ abbati Childericus munificus.*

XIV. *Hildulfus epiſcopus condit Medianum-monaſterium.*

XV. *Erhardus ejus frater.*

XVI. *S. Deodato privilegium a Numeriano conceſſum.*

XVII. *Dervenſe monaſterium a Berchario extructum.*

XVIII. *Item alia.*

XIX. *S. Faro epiſcopus ſepultus in monaſterio S. Crucis.*

XX. *Hatta abbas Nobiliacenſis. Hadulfus ejus ſucceſſor.*

XXI. *Hunegundis abbatiſſa Humolarienſis.*

XXII. *Etheldrita condit monaſterium Elienſe.*

XXIII. *Monaſterium ibi duplex.*

XXIV. *Ebba abbatiſſa Coludenſis. Adamnanus monachus monaſterii incendium prædicit.*

XXV. *Pertharitus in regnum reſtitutus, S. Agathæ cœnobium extruit.*

XXVI. *Dagobertus itidem reſtitutus.*

XXVII. *Theoderada Beneventi monaſterium condit. S. Benedicti monaſterium ditat. S. Modeſti ibidem monaſterium.*

XXVIII. *Vitaliano papæ ſuccedit Adeodatus ex monacho.*

XXIX. *Frodobertus abbas Cellenſis obit.*

XXX. *Leodegarius Childerico inviſus exagitatur.*

XXXI. *Præjectus epiſcopus ab Hectore vexatus.*

XXXII. *Childerici regis cædes ac ſepultura.*

XXXIII. *Heorutfordenſis ſynodi decreta. Winfrido*

ANNALIUM BENEDICT. Tom. I.

frido epiſcopo ſuffectus Sexwlfus abbas.
XXXIV. *S. Prajecti & S. Amarini martyrium. Volvicenſe monaſterium.*
XXXV. *Leodegarii iterata vexatio per Ebroinum.*
XXXVI. *Leodegarii teſtamentum.*
XXXVII. *Auguſtodunenſis ſynodi canones.*
XXXVIII. *S. Ragneberti martyrium & monaſterium.*
XXXIX. *Filibertus multa etiam paſſus. Herenſe monaſterium condit.*
XL. *Landebertus epiſcopatu dejectus Stabulacum ſecedit.*
XLI. *Amatus epiſcopus exſulat.*
XLII. *Aicadrus Quinciaci monaſterii auctor; an S. Filiberti ſucceſſor.*
XLIII. *Sidonius Filiberti diſcipulus, & abbas.*
XLIV. *S. Diſibodus ejuſque monaſterium.*
XLV. *S. Medardi abbates.*
XLVI. *S. Martini baſilica privilegium.*
XLVII. *Biſcopus condit monaſterium Wiremuthenſe. Beda nativitas.*
XLVIII. *Ex lapide eccleſiam ſtruit Biſcopus.*
XLIX. *Aldhelmus fit abbas Maildunenſis.*
L. *Condedus Fontanellæ monachus.*
LI. *Duſera monaſterium.*
LII. *Hermenlandus Fontanellæ monachus, Namnetas miſſus.*
LIII. *Antrenſe monaſterium condit.*
LIV. *Maurontii abbatis anima ei viſa.*
LV. *Vinum miraculo auctum.*
LVI. *S. Amandi teſtamentum. Notanda in picturis epiſcoporum & abbatum.*
LVII. *Dagobertus munificus in Weiſſenburgenſes.*
LVIII. *S. Memmii miraculum & monaſterium Catalauni.*
LIX. *S. Aigulfi martyrium.*
LX. *Toletanum concilium XI. Abbatum ſubſcriptiones notandæ.*
LXI. *Bracarenſis concilii canon contra epiſcopos ſævientes.*
LXII. *Leodegarii rurſus repetita perſecutio.*
LXIII. *Epiſtola ejuſdem conſolatoria ad matrem.*
LXIV. *Monaſteria a Dagoberto fundata, Suraburgenſe, Haſelacenſe, S. Sigiſmundi, Regiopontanum, Sensteranum ſeu Offonis-cella.*
LXV. *Offonis-villa diverſa.*
LXVI. *Horrenſe cœnobium regis Irminæ.*
LXVII. *Bellendis monacha.*
LXVIII. *Hedda epiſcopus Dorciceſtrenſis.*
LXIX. *Glaſtonienſe monaſterium.*
LXX. *Abendonienſe.*
LXXI. *Cuthbertus in Farne ſolitarius.*
LXXII. *Qualia ad ſe venientibus dat monita.*
LXXIII. *Adeodato papa ſuccedit Donus.*
LXXIV. *Adalrici bona Beſuæ tradita.*
LXXV. *Dagoberti regis munificentia in Stabulenſes.*
LXXVI. *Hamenſis monaſterii origo. S. Fremundus.*
LXXVII. *Wilfridi epiſcopi expulſio.*
LXXVIII. *S. Leodegarii exauctoratio & martyrium.*
LXXIX. *Chramlini item epiſcopi deſtitutio, ſeceſſus in monaſterium S. Dionyſii.*
LXXX. *Genſio Lugdunenſi ſuccedit Lambertus. Auſbertus abbas Fontanellæ poſt Lambertum.*
LXXXI. *Chardericus abbas S. Dionyſii, dein epiſcopus. Tunſonis-vallis monaſterii auctor.*
LXXXII. *Autharius abbas S. Germani, aliique poſt eum.*
LXXXIII. *S. Amandi epiſcopi obitus. Vitæ ejus ſcriptores.*
LXXXIV. *Wilfridi iter Romam; ejus in ſynodo Romana reſtitutio.*
LXXXV. *Biſcopus rurſus Romam petit.*
LXXXVI. *Ethildritæ abbatiſſæ obitus. Sexburga ei ſuccedit, tum alia. Huna ſacerdos & monachus.*
LXXXVII. *S. Deodati epiſcopi obitus. Hildulfus ejus monaſterium regit.*
LXXXVIII. *Mummoli abbatis mors.*
LXXXIX. *Baronti monachi viſio. Viſionum ejuſmodi qualis auctoritas. Baronti ſeceſſus in Italiam.*
XC. *Deſiderius ejus ſocius alius a Deſiderio monacho Longoretenſi. Baronti obitus & cultus.*
XCI. *S. Petri tres claves.*

LIBER XVII.

Ab anno Chriſti 680. ad annum 689.

I. WILFRIDI *reditus in Britanniam.*
II. *Dagoberti regis cædes.*
III. *Wilfridus in carcerem conjectus. Liberatus auſtrales Saxones convertit.*
IV. *Johannis abbatis Romani obitus.*
V. *Balthildis item regina Francorum.*
VI. *Hilda item abbatiſſa.*
VII. *Cædmonis etiam poetæ.*
VIII. *Beda in monaſterium admiſſus. Bedæ alii duo.*
IX. *Leſtingaeu monaſterium. Ceadda ex abbate epiſcopus. Owinus monachus.*
X. *Gloceſtrenſis monaſterii origo.*
XI. *S. Rodingi abbatis obitus.*
XII. *Wamba ex rege monachus.*
XIII. *Claudius ex epiſcopo monachus & abbas Condateſcenſis.*
XIV. *Agliberti epiſcopi benefacta in noſtros.*
XV. *Adrechildis abbatiſſa.*
XVI. *Monaſterium S. Theofredi.*
XVII. *Menatenſe cœnobium.*
XVIII. *Mauzacum.*
XIX. *S. Giſleni obitus.*
XX. *Farfenſe monaſterium inſtauratur a Thoma abbate.*
XXI. *Ibi ab eo excepti Paldo, Taſo & Tato.*
XXII. *S. Vincentii monaſterium ad Vulturnum. Paldo abbas primus.*
XXIII. *Auſtraſii a Neuſtraſiis victi. Reguli epiſcopi innocentia purgata.*
XXIV. *Auſtrudis abbatiſſa cælitus ſervata.*
XXV. *Orbacenſe monaſterium a Reolo conditum.*
XXVI. *Chrodegario abbati Corbeienſi ſuccedit Erembertus.*
XXVII. *Toletanum Concilium duodecimum.*
XXVIII. *Ebroino interfecto Filibertus redit Gemeticum.*

XXIX. *Monaſterium-Villare conditur. Lucionenſe, & S. Michaelis in Eremo.*
XXX. *S. Leodegarii tranſlatio ad S. Maxentium.*
XXXI. *Aicadri recte facta in regimine Gemeticenſium.*
XXXII. *Landebertus ab exſilio revocatur.*
XXXIII. *S. Audoenus moritur.*
XXXIV. *Anſbertus ei ſuccedit.*
XXXV. *S. Eligii vita a S. Audoëno ſcripta.*
XXXVI. *Audoëni mortis tempus expenditur.*
XXXVII. *S. Aldegundis abbatiſſa obitus. Canonicarum quale inſtitutum.*
XXXVIII. *Grafellenſis monaſterii origo.*
XXXIX. *S. Filiberti abbatis obitus. Coſchinus abbas ejus diſcipulus.*
XL. *Mummolinus epiſcopus Noviomenſis moritur.*
XLI. *Hunulficurtenſe monaſterium S. Bertino conceſſum.*
XLII. *Toletana concilia XIII. & XIV. Citruinus abbas Caſtrenſis.*
XLIII. *Bercharius abbas Dervenſis caditur. Gaugiaci parthenium an condiderit.*
XLIV. *Condedus moritur.*
XLV. *Girwenſe monaſterium conditur. Ceolfridus abbas.*
XLVI. *Eſterwinus Biſcopi coadjutor, vir eximius.*
XLVII. *Biſcopi novum iter Romam. Sigfridus coabbas poſt Eſterwinum.*
XLVIII. *Egfrido regi ſuccedit Aldfridus.*
XLIX. *Cuthbertus ordinatur epiſcopus. Ermenburga regina fit monacha. Herebertus anachoreta.*
L. *Theodorus cum Wilfrido pacem reformat.*
LI. *Richmiri abbatis Cenomannici geſta.*
LII. *Wlframni donatio facta Fontanellæ.*
LIII. *Berta Blanziacenſe monaſterium condit.*
LIV. *Waldetrudis abbatiſſa obitus.*
LV. *Landelini item abbatis.*
LVI. *Egbertus Germanorum converſionem meditatur.*
LVII. *Cuthbertus relicto epiſcopatu ad mortem ſe parat.*
LVIII. *Ejuſdem obitus. Turba Lindisfarnenſes.*
LIX. *Rictrudis abbatiſſa moritur.*
LX. *Aicadrus item abbas Gemeticenſis.*
LXI. *S. Galli cella violata.*
LXII. *Wlmarus auctor & abbas monaſterii Silviacenſis.*
LXIII. *Anſtrudis abbatiſſa obit.*
LXIV. *Concilium Toletanum XV.*
LXV. *Fontanellæ privilegium concedit Anſbertus epiſcopus.*
LXVI. *Ebremundus abbas Fontanellenſis.*
LXVII. *Bonitus fit epiſcopus Arvernenſis,*
LXVIII. *S. Chiliani martyrium.*
LXIX. *Euſebia abbatiſſa obit.*
LXX. *Plectrudis Coloniæ cœnobium condit.*
LXXI. *Ina rex Glaſtonienſe.*
LXXII. *Biſcopus & Sigfridus in extremo morbo ut ſe gerunt.*

LIBER XVIII.

Ab anno Chriſti 690. ad annum 700.

I. BENEDICTUS *Biſcopus moritur.*
II. *Ceolfridus ejus ſucceſſor. Beda an Romam vocatus a Sergio papa. Withmerus monachus piiſſimus.*
III. *Theodori epiſcopi Cantuarienſis obitus.*
IV. *Willibrordi & Suidberti miſſio in Friſiam.*
V. *Ewaldi duo caſi.*
VI. *Vulframnus itidem in Friſiam pergit.*
VII. *Hunegundis abbatiſſa obitus.*
VIII. *Theodericus rex Latiniacum ſancto Dionyſio concedit.*
IX. *Vandemiris donationes facta monaſteriis.*
X. *Theodericus rex ſepultus in ſancti Vedaſti.*
XI. *Vuilfridus denuo exagitatus refugit ad Mercios.*
XII. *Ætla epiſcopus alius ab Hedda.*
XIII. *Haſnonienſis monaſterii conditores, Johannes & Eulalia.*
XIV. *Landrada conditrix monaſterii Beliſienſis.*
XV. *Cæſaraugustani concilii tertii decreta.*
XVI. *Berctwaldus Theodoro epiſcopo ſuccedit. Beda fit diaconus.*
XVII. *Vuillibrordi primum iter Romam. Suidberti epiſcopi ordinatio.*
XVIII. *Pippini donatio facta ſancto Arnulfo.*
XIX. *Leutfredus monaſterium condit.*
XX. *Agricolus epiſcopus Avenionenſis. Amandus abbas Lirinenſis.*
XXI. *Citruinus epiſcopus Albigenſis.*
XXII. *Chlodovei regis varia diplomata pro ſancto Dionyſio.*
XXIII. *Item pro Aninſulenſi & Stabulenſi. Aetici ducis pietas.*
XXIV. *Anſbertus epiſcopus Rotomagenſis exſul.*
XXV. *Chlodovei regis placitum.*
XXVI. *Cunipertus rex condit ſancti Georgii monaſterium. Theodota cœnobium Ticini. Aliud ſancti Salvatoris. Sancti Petri monaſterium Beneventi.*
XXVII. *Toletani concilii ſexti-decimi abbates.*
XXVIII. *Concilium Toletanum decimum-ſeptimum.*
XXIX. *Becancelda concilio interſunt abbatiſſæ. Mildreda abbatiſſa Tanetenſis.*
XXX. *Tetricus epiſcopus Autiſiodorenſis.*
XXXI. *Leotheria donatio facta monaſterio ſancti Petri Vivi.*
XXXII. *Anſberti epiſcopi Rotomagenſis obitus.*
XXXIII. *Berculfus abbas Remicenſis.*
XXXIV. *Vuinnocus condit monaſterium Vvormholtenſe.*
XXXV. *Sancti Amandi tranſlatio.*
XXXVI. *Item ſanctæ Faræ, & S. Hildeverti.*
XXXVII. *Sanctæ Columbæ Senonenſis privilegium.*
XXXVIII. *Baſino epiſcopo Trevirenſi ſuccedit Ludwinus auctor monaſterii Mediolacenſis.*
XXXIX. *Sancti Valerii abbatis Hiſpani geſta.*
XL. *Sanctæ Mariæ monaſterii ad Ligerim privilegium. Sancti Deodati monaſterium ad Ligerim.*
XLI. *Anſeberti epiſcopi Æduenſis teſtamentum. Sigolina monacha.*
XLII. *Sigolena abbatiſſa Albigenſis. Evantius abbas.*
XLIII. *Ephibii abbatis teſtamentum.*
XLIV. *S. Claudius abbas Condateſcenſis obit. Succeſſores ejus.*

Digitized by Google

ANNALIUM BENEDICT. Tom. I.

XLV. *Begga monaſterium Andantenſe condit.*
XLVI. *S. Gertrudis miracula, & cultus in quadrageſima.*
XLVII. *S. Hadalini geſta & monaſterium Cellenſe.*
XLVIII. *Vuillibrordi epiſcopi ordinatio.*
XLIX. *Friſiorum origo & ſedes.*
L. *Rudberti epiſcopi prædicatio in Bajoaria,*
LI. *S. Petri monaſterium Salzburgi.*
LII. *Virginum item cœnobium ſub Erendrude. S. Maximini cella. Vueltenburgenſe monaſterium.*
LIII. *Laubienſis monaſterii incrementa & dedicatio per Vrſmarum.*
LIV. *Dodo abbas Vvaſterenſis.*
LV. *Childeberti placitum de Nocito pro Tuſonisvallis monaſterio.*
LVI. *Lemauſi parthenon S. Germano ſubjectus.*
LVII. *Vuillibrordus Epternacenſe monaſterium condit. Sueſtrenſe item cœnobium puellarum.*
LVIII. *Baſini epiſcopi ſepultura ad S. Maximinum. Monaſterium S. Mariæ ad Martyres.*
LIX. *Vuillibrordi ſtudium in propagando Evangelio.*
LX. *S. Trudo moritur. Abbates Sarchinienſes.*
LXI. *Dux aut comes apud Cenomannos nullus, niſi per electionem.*
LXII. *S. Cuthberti corpus incorruptum levatur.*
LXIII. *Eadberti epiſcopi obitus. Ediluualdus & Felgidus anachoretæ.*
LXIV. *Drithelmi raptus & viſa.*
LXV. *Adamnanus recipit & prædicat ritus Romanos. Alter Adamnanus.*
LXVI. *Aldhelmi abbatis epiſtola de Paſcha celebratione.*
LXVII. *Bonitus abdicat epiſcopatum. Nodobertus ejus ſucceſſor. Bonitus Magnilocum ſecedit.*
LXVIII. *Tillonis monachi obitus.*
LXIX. *Bertinus abbatiam cedit Rigoberto.*
LXX. *Veſontionenſes canonici reformantur per noſtros Luxovienſes.*
LXXI. *Medericus abbas Æduenſis.*
LXXII. *Vodoalus recluſus Sueſſione.*
LXXIII. *Sacerdos ex abbate Colobrenſi Lemovicenſis epiſcopus. Sarlatenſe monaſterium.*
LXXIV. *S. Savini monaſterium Levitanum.*
LXXV. *S. Severi monaſterium Ruſſitanenſe.*
LXXVI. *Anonymi teſtamentum pro monaſterio pagi Vilcaſſini.*
LXXVII. *Ermentrudis matronæ teſtamentum.*
LXXVIII. *Dionyſiani archivi apologia.*
LXXIX. *S. Fridiani Lucenſe monaſterium inſtauratum.*
LXXX. *Regula Magiſtri examinatur.*

APPROBATIO.

ILluſtriſſimi Galliarum Cancellarii juſſu legi librum cui titulus eſt : *Annales Ordinis ſancti Benedicti occidentalium Monachorum patriarchæ, &c. Authore Domno* JOHANNE MABILLON, *Presbytero & Monacho ejuſdem Ordinis e Congregatione ſancti Mauri, &c.* quem ſingulari diligentia & fide ſcriptum, nec abſimilem iis operibus quæ ab eodem Authore edita ſunt, inveni. Lutetiæ Pariſiorum pridie nonas Februarii M. DCCII.

LAMARQUE TILLADET.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Grand Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Seneſchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Le Pere Dom JEAN MABILLON, Religieux Benedictin de la Congregation de ſaint Maur, nous ayant fait ſupplier de lui accorder nos Lettres de Privilege pour l'impreſſion d'une Hiſtoire de ſon Ordre qu'il a compoſée, & qu'il deſireroit donner au public ſous ce titre : *Annales Ordinis ſancti Benedicti occidentalium Monachorum Patriarchæ : in quibus non modo res Monaſticæ, ſed etiam Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non minima pars continetur.* Nous lui

avons permis & accordé, permettons & accordons par ces preſentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, ledit livre, en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon lui ſemblera, pendant le temps de vingt années conſecutives, à compter du jour de la datte des preſentes, de le faire vendre & diſtribuer par tout noſtre Royaume. Faiſons déſenſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit livre ſous quelque pretexte que ce ſoit, même d'impreſſion étrangere & autrement, ſans le conſentement de l'expoſant ou de ſes ayans cauſe; ſur peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à nous, un tiers à l'Hoſtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts: à la charge d'en mettre avant de l'expoſer en vente, deux exemplaires en noſtre Bibliotheque publique, un autre dans le cabinet des Livres de noſtre Château du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France, le Sieur Phelypeaux, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres; de faire imprimer ledit livre dans noſtre Royaume & non ailleurs, en beau caractere & papier, ſuivant ce qui eſt porté par les Reglemens des années 1618. & 1686. & de faire enregiſtrer les preſentes és Regiſtres de la Communauté des Libraires de noſtre bonne Ville de Paris, le tout à peine de nullité d'icelles: du contenu deſquelles nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'expoſant ou ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens contraires. VOULONS que la copie deſdites preſentes qui ſera imprimée au commencement ou à la fin dudit livre, ſoit tenuë pour deuëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires foy ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution des preſentes toutes ſignifications, défenſes, ſaiſies, & autres actes requis & neceſſaires ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: CAR tel eſt noſtre plaiſir. DONNÉ à Verſailles le ſeptiéme jour de May, l'an de grace, mil ſept cens deux: Et de nôtre Regne le cinquante-neuviéme. Par le Roy en ſon Conſeil, LECOMTE.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs, conformément aux Reglemens. A Paris ce 11. jour de May 1702. P. TRABOÜILLET Syndic.

Ledit R. P. Dom Jean Mabillon a cedé & tranſporté le preſent Privilege à Charles Robuſtel Libraire à Paris, pour en joüir ſuivant les conventions faites entre eux.

Permiſſio R. P. Superioris Generalis Congregationis S. Mauri.

NOs frater CLAUDIUS BOISTARD, humilis Superior Generalis Congregationis ſancti Mauri, Ordinis ſancti Benedicti, facultatem impertimur Domno JOHANNI MABILLON presbytero & monacho ejuſdem Congregationis, typis mandandi ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI ab ipſo compoſitos. In cujus rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas conceſſimus. Datum Pariſiis in Monaſterio S. Germani a Pratis, die 11. Julii anni 1702.

F. CLAUDIUS BOISTARD Generalis.

ANNALES

2-7 1
Vol I
xx1

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI OCCIDENTALIUM MONACHORUM PATRIARCHÆ.

SÆCULUM CHRISTI VI. ORDINIS I.

LIBER PRIMUS.

Ab anno Chriſti 480. ad annum 519.

ANN. CHR. 480. 1 Latinæ eccleſiæ ſtatus.

PLERIQUE è noſtris, qui res Benedictinas ab origine repetere ac ſcribere aggreſſi ſunt, orbis Chriſtiani denſiſſimas errorum ac ſchiſmatum tenebras, atque monaſtici Ordinis miſerabilem ſtatum poſt Baronium repræſentare ſolent, infinitaſque calamitates illius temporis, quo natus eſt beatiſſimus pater BENEDICTUS: quem, veluti ſplendidiſſimum ſolem, à Deo creatum & in terras immiſſum dicunt, ut Cimmerias illas tenebras, cum ſuo, tum diſcipulorum ſplendore diſcuteret, & monaſtici Ordinis propemodum emortui cineres excitaret. Sane ea tempeſtate occidentalem Eccleſiam, ne quid de orientali dicam, miſere labefactaverat irruptio barbararum nationum, nec ulla ferme regna erant, quæ catholicos principes haberent, integramque fidem catholicam & illibatam retinerent. Italia quippe ſub Odoacro Herulorum rege Ariano, Auguſtulo deturbato, cædibus ac rapinis miſere affligtabatur. Galliam noſtram, jam dudum Chriſti Evangelio imbutam, maxima ex parte tum invaſerant Franci infideles, quorum Childericus, & ipſe paganus, rex erat. Hiſpaniam & Aquitaniam, necnon Galliam Narbonenſem obtinebat Evaricus Veſigotthorum rex Arianus: Galliciam Suevi, eodem errore infecti, uti & Burgundiones, qui Galliæ partem alpibus conjunctam occupabant. Britan-

Digitized by Google

ANN. CHR. 480.

nia inſula Anglo-Saxonum infidelium ſubierat jugum : Germaniæ maxima pars necdum Chriſtum noverat. Et quis inter tot barbarorum irruptiones ac ſtrages religioni monaſticæ poterat eſſe locus ?

Aſt omnium fere temporum eſſe poſſunt ejuſmodi querelæ, fatendumque eſt illo etiam ævo non ita deplorata fuiſſe omnia, quin magni in Eccleſia & in Ordine monaſtico viri floruerint : quales fuere inter Romanos pontifices ſancti Felix, Gelaſius, & Hormiſda ; inter epiſcopos Apollinaris-Sidonius, Arvernenſis ; Honoratus Maſſilienſis, cujus æqualis Salvianus ejuſdem urbis preſbyter ; Eugenius Carthaginenſis, Epiphanius Ticinenſis, Avitus Viennenſis, Remigius Remenſis, Patricius Hibernorum apoſtolus ; & qui eorum fere æquales fuere Cæſarius Arelatenſis, Fulgentius Ruſpenſis, ambo ex monaſtico ordine aſſumti, aliique complures. Atque ut in monachis conſiſtamus, floruere per id tempus præ cæteris in Gallia Lirinenſes, Majoris-monaſterii & Inſulæ-Barbaræ monachi ; Tarnatenſes, Condateſcenſes ſub ſanctis Lupicino, Romano & Augendo abbatibus ; Agaunenſes, necnon Reomaenſes ſub ſancto Johanne abbate : ex quorum omnium cœtu multi præſules & abbates eximiæ ſanctitatis prodiere. Nec defuere etiam in aliis regionibus monachi religione inſignes, puta in Italia, in inſula Britannia, & Hibernia, quos percenſere longum eſſet. In his exſtitere quoque nonnulli monaſticæ vitæ inſtitutores, auctoreſque regularum, Caſſianus, Vigilius, Cæſarius, Aurelianus, & ſi qui alii. At peculiares unius aut paucorum monaſteriorum hæ Regulæ erant. Verum ubi ſancti Benedicti Regula prodiit in publicam lucem, ita omnibus præcellere viſa eſt, ut à cunctis demum monachis & monaſteriis adoptata ſit ac recepta.

II. S. Benedicti, ejuſque Regulæ prærogativa.

a Conc. Duziac. 2. an. 876.

b Spicil. tom. 13. p. 112.

Hæc itaque ſancti Benedicti peculiaris gloria eſt, ejuſque Regulæ prærogativa, quod ipſe, tamquam ſol, inter ceteros vitæ regularis magiſtros refulſerit apud Latinos ; ejuſque Regula ceteras omnes vel obſcuraverit, vel omnino antiquaverit : tantæ auctoritatis habita, ut eodem [a] Spiritu, quo ſacri canones, condita crederetur, ub id REGULA-SANCTA paſſim appellata. Unde non mirum, quod tantis elogiis exornata ſit, non tantum a Gregorio Magno, qui *Regulam monachorum* eam vocat, *diſcretione præcipuam, ſermone luculentam* ; ſed etiam ab iis auctoribus, quorum minime intererat illam commendare. Hos inter Anſelmus, Havelbergenſis in Saxonia epiſcopus, ſanctum Benedictum, ejuſque Regulam prædicat in libro primo [b] Dialogorum, iis ſane verbis, quæ hoc loco referri merentur. *Surrexit quoque*, inquit, *in monaſtico ordine ſanctus Benedictus poſt multos patres monachorum in Ægypto commorantium, vir Deo dignus, Spiritu-ſancto plenus : qui de eremo Nurſiæ, ubi latuerat, abſtractus, & in Campania, in monte Caſino, monachorum abbas factus eſt. Iſte, in religione ferventiſſimus, Regulam ſuis, dictante Spiritu-ſancto, præſcripſit, & Ordinem monaſticum, jam tunc vacillantem, renovavit & firmavit ; qui etiam tum per ſe, tum per Regulam ſuam poſt ſe, multa monachorum monaſteria in diverſis regionibus inſtauravit.* Hactenus Anſelmus, cujus quidem ſententia in progreſſu horum Annalium confirmabitur, ubi non modo nova, ſed etiam antiquiora monaſteria, quæ peculiari inſtituto addicta erant, ſancti Benedicti Regulæ ſponte ſe ſubjeciſſe videbimus. Ex his monaſteriis, veluti totidem ſeminariis, prodiit infinita multitudo virorum ſanctitate & doctrina præſtantium, abbatum, epiſcoporum, atque ſummorum Pontificum, qui Eccleſiam per multa tempora ſanctiſſime rexerunt. Verum hæc omnia res ipſæ in noſtrorum Annalium decurſu melius explicabunt, quam verba. Quare his, quæ elogium magis quam hiſtoriam redolere videntur, omiſſis, ad rem ipſam abſque longiori præludio accedamus.

III. Benedictus Nurſinus.

c Paul. Diac. lib. 1. c. 20.

d Gregor. lib. 2. dial. c. 1.

e Id. lib. 4. c. 33.

f Id. lib. 11. ep. 43.

QUamvis Ordinis ſancti Benedicti exordium ab ipſius admodum ſeceſſu in ſolitudinem Sublacenſem, ſeu ab ineunte ſæculo ſexto ; aut vero à tempore, quo prima duodecim in eadem ſolitudine monaſteria ab eo condi cœpta ſunt, repetendum videatur ; altius tamen tantiſper reflectenda oratio eſt, & ab ipſo ſanctiſſimi Patris noſtri ortu & incunabulis ineunda narratio.

Nurſia, urbs quondam epiſcopalis, Valeriæ provinciæ [c] annexa, nunc Umbriæ ſeu ducatui Spoletino, nulla alia re quam ſancti Benedicti ortu illuſtrior exſtitit. Provinciam Nurſiæ appellat [d] Gregorius Magnus, tametſi jam tum [e] Spoletinæ diœceſi ſubjectam eo loquendi genere, quo Soranam itidem provinciam uſurpat [f], pro ſolo ſeu agro Soræ, id eſt Suræ civitatis Romæ proximæ, quam nonnulli fruſtra in Umbria

ANN. CHR. 480.

quærunt apud Suaranos. Sic Vitalis, abbas Saviniacenſis apud Abrincenſes, in Bajocaſſina provincia natus dicitur in propriis actis. Sunt qui Benedictum avita quidem origine Nurſinum, ſed ortu Romanum exiſtiment, ea ducti ratione, quod Gregorius non in provincia, ſed ex provincia Nurſiæ ortum dicat. Sed perinde eſt, utrovis modo id efferatur. Certe Paulus Warneſridi ipſum Nurſiæ alumnum[a] in carmine appellat. Nurſino itaque in agro vir ſanctus natus eſt, in quo Deus optimus maximus vim nominis ampliſſimis gratiæ ſuæ muneribus & admirandis geſtis ac virtutibus implevit. Zacharias pontifex in verſione græca Dialogorum nonnihil addit ad Gregorii contextum, ubi ait, Benedictum inſtar ſtellæ matutinæ ex regione Nurſiæ, quæ Romanorum regio eſt, exortum fuiſſe.

a Paul. lib. 1. c. 26.

IV. Ejus genus & nativitas.

Omiſſis parentum nominibus, Gregorius ipſum *liberiori genere* ortum prædicat: *nobiliori* vertit Martyrologium Floro adſcriptum. Unde à Bertario, ante annos octingentos abbate Caſinenſi, in carmine, Nurſiæ claros habuiſſe parentes perhibetur, & a Frodoardo, ſæculi decimi canonico Remenſi, in verſibus[b] de eodem, ſpreviſſe

Splendorem generis tumidi cum luce leporis.

b Sec. 2. Benedict. p. 1091.

Aniciis tamen illum aſſerere non audet Angelus de Nuce[c], quippe auctorum fide dignorum teſtimonio deſtitutus. Primus, ſi bene memini, Petrus diaconus[d] ac monachus Caſinenſis, ejus patrem vocat Eupropium, matrem Abundantiam, avum Juſtinianum: quod de Juſtiniano imperatore quidam interpretantur, turpi ac ſupino errore: cum Juſtinianus auguſtus, præterquam quod Thrax, & quidem infimæ conditionis fuit, nonniſi poſt natum Benedictum editus in lucem eſt. Nihil itaque Trithemium[e] moror, ſancti Benedicti, patrem providum, Juſtiniani imperatoris nepotem appellantis. Denique quantæ dignitatis parentibus progenitus fuerit, inquit[f] Adrevaldus, ſæculo nono monachus Floriacenſis, teſtantur ruinæ palatii eorum, cum ædicula prope mœnia Nurſiæ urbis ſita. Tantæ quippe magnitudinis perplexi operis ex fundamentis conjicitur, ut quælibet palatia potentiſſimorum ſuperaverit regum, nec modicis queat reparari impenſis. In ipſa modo Nurſiæ urbe princeps eccleſia, ſancti Benedicti titulo inſignis, a monachis Cæleſtinis incolitur: cujus cryptam inferiorem, ſolo ultra modum ex ædificiorum aggeſtis ruinis elato, eum eſſe locum, ubi is in lucem editus ſit, traditione acceptum ferunt. Cetera mitto, ſive quæ a Trithemio[g], patrem ſancti Benedicti comitem Nurſenſem, matrem vero marchioniſſam Monte-ferratenſem vocante; ſive quæ ab aliis de Riguardatorum familia, nullo idoneo teſte, circumferuntur. Mihi vero non diſplicet Leonis Marſicani ſilentium de genere ſancti Benedicti: quod in magnis viris decus originis nihil addere niſi contemtu ſuo poſſit.

c Angel. in Notis ad vitam S. Bened.

d Petr. lib. de vir. illuſt. c. 1.

e Trithem. de vir. ill. lib. 1. c. 1.

f Adreval. cap. 1. de mirac. S. B.

g Trithem. ubi ſup.

Natalem beati Patris annum octogeſimum ſupra quadringenteſimum omnes poſt Baronium unanimi conſenſu aſſignant: cujus calculi ante annos trecentos auctores lego Caſinates & Sublacenſes noſtros, ejuſdemque approbatorem Ambroſium Camaldulenſem monachum, qui cum Caſinenſe Leonis Marſicani Chronicon rogatu noſtrorum Caſinatium expoliret, vulgatam, quam certioris defectu cum aliis ſequemur, ſancti Benedicti chronologiam prætexuit. Sedebat tum ad clavum ſancti Petri Simplicius pontifex, dum Odoacer, Herulorum rex Arianus, Auguſtulo deturbato, Italiæ dominaretur.

ANN. CHR. 494.

V. Romæ ſtudiis applicatur.

Cum ad diſcendas artes aptus eſſet pueri animus, Romæ liberalibus litterarum ſtudiis informandus traditus eſt. Locum, ubi tum verſabatur, oſtendunt in regione trans-Tiberim, ad eccleſiam ſancti Benedicti in Piſcinula: ubi illuſtria veteris ædificii rudera ſuperſunt ex paterna, ut putant, ejus hereditate. Sed cum pleroſque ſuorum commilitonum per abrupta vitiorum præcipitare animadvertiſſet, non ſcientiam peroſus, ſed pravorum contubernium, ex imminenti diſcrimine ſuſpenſum retulit pedem, ne totus in immane præcipitium rueret. Itaque ſæculo cum ſuo flore, qui jam in ejus pectore aruerat, deſpecto, relicta domo rebuſque patris, dum clam omnibus ſe ſubducere parat, nutricem ſuam Cyrillam (id ei nomen apud Petrum[h] Diaconum) effugere non potuit, quæ fugientem cum revocare a propoſito non poſſet, & ipſa ſecuta eſt. Id contigiſſe ipſo anno, quo Theodoricus Gotthorum rex, Odoacro apud Ravennam oppreſſo, in Italia regnare cœpit, & ad reſtituenda Romanæ urbis ornamenta, regni ſede Ravennæ firmata, intendit animum, Sigonio, noſtriſque perſuaſum eſt. Non placet Baronio[i] immaturus hic ſeceſſus. At Gregorius puerum vocat, qui licet vixdum puer attigiſſet[k] puberes annos, teſte

Secedit cum nutrice.

h Petr. de vir. illuſt. Caſ. c. 1.

i Baron. an. 494.

k Bertar. abb. in hymno de S. Bened.

ANN. CHR. 494.

[a] Odo ſerm. de S. B.

Bertario, adhuc tenerrimus grandævo animo, inqnit ſanctus Odo Abbas [a] Cluniacenſis, jam tum eremi vaſtitatem ſubire auſus eſt. Tantum in tenero pectore valuit divinus amor. Certe ex Valentiniani ſenioris edicto, adoleſcentibus ſtudiorum cauſa Romæ commorari ultra viceſimum ætatis annum non licebat.

VI. Efidæ miraculum patrat.

Interim dum nutricem fallere cogitat, in vico, qui Efide, ſeu Enfide Gregorio, vulgo *Afile* dicitur, a Sublaci opido duobus circiter paſſuum millibus diſſito, tantiſper ſubſtitit, opportunam quærens ſolitudinis petendæ occaſionem. Acceſſit etiam incolarum humanitas, qui teneri adoleſcentis moribus ac modeſtia capti, ipſum detinuerunt, eique ad habitandum continentem eccleſiæ ſancti Petri domunculam conceſſerunt. Mos erat per id tempus apud montanos illos ruſticos, quibus communis aquaria mola tum forte deerat, ut domeſtica mola truſatili, aut mortario, quoties panis conficiendi eſſet neceſſitas, ad conterendum pinſendumve frumentum ſinguli uterentur, ad idque purgandum cribrum non ex corio, ſed ex fragili materia factum adhiberent. Immo Quirites ſibi ipſi panem [b] faciebant, mulierumque id miniſterium erat, quæ ob eam cauſam panificæ [c] dicebantur. Forte ejuſmodi cribrum, Gregorio *capiſterium*, Cyrilla ex inopinato diſceſſu vitæ commodis ac facultatibus deſtituta, á vicinis mulieribus ad purgandum triticum mutuo acceperat: quod e menſa incaute lapſum, in duas partes diffractum eſt. Cum vero id ægre, nec ſine lacrymis ferret bona mulier; Benedictus ejus dolori compaſſus, vaſis fracti reliquias tulit, receſſit, oravit, oratione vas reformavit, atque integrum nutrici reſtituit.

[b] Angel. de Nuce in vitam S. B.
[c] Regum lib. 3. c. 8.

[d] Victor. lib. 3. de mirac. S. B. c. 1.

Idem præſtitit de ſcypho fracto Leo papa nonus, teſtante Victore [d] tertio, qui hoc ſancti Benedicti factum in exemplum adducit. Res in ſpeciem parva, ſed, ut in puero, prodigii loco habita, tantum incolis admirationis excivit, ut cribrum ad eccleſiæ ingreſſum ſuſpenderent, futurum ad poſteros miraculi ejus monumentum: ubi ad Langobardorum uſque tempora ſuper fores eccleſiæ pependit, inſigni poſterorum documento, Benedictus *puer* (ſic eum vocat Gregorius) converſionis gratiam a quanta perfectione cœpiſſet. Proceſſu temporis Leo Sublacenſis abbas pontificatu Agapiti ſecundi Efidem caſtrum acquiſivit.

VII. Sublacum adit.

Laudis non minus, quam voluptatis venenum horruit pius adoleſcens, diſpendium virtutis credens, fuiſſe laudatum; & captata rurſus fugiendi occaſione, nutricis diligentiam furtim eluſit. Quæritur ergo ſolitudinis latebra, fugitur fama virtutis. Ibat per invia errabundus, ducente quo neſciebat divino Spiritu, cum Romanum monachum prope Sublacum reperit, eique conſilium ſuum de petendo receſſu aperit. Romanus viciſſim ſecretum pollicetur, & adjutorium, eique *ſanctæ converſationis habitum* (quo nomine veſtem monaſticam apud Gregorium, alioſque veteres paſſim deſignari conſtat) impertit. Ibi oratoriolum in facti memoriam erectum; & ad ejus fores hodie quoque viſitur truncus columnæ lapideæ ſtriatæ, plurimum exeſæ, vetus ejuſdem rei alterum monumentum. Mox in artiſſimam ſpecum ſe abdit Benedictus, nec dubitavit puer, tam delicate, tam molliter educatus, contra tantas loci, auræ, vitæque commodorum iniquitates decertare. Ibi per tres annos hominibus plane incognitus manſit, uno id reſciente Romano monacho, qui quem ex quotidiana ſibi annona ſurripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Et quoniam ad eamdem ſpecum, abrupta rupe deſuper pendente, à Romani monaſterio iter non erat, ex longiſſimo fune cum tintinnabulo religatam demittebat ſportulam cum pane, quam ad ſigni ſonitum Benedictus accipiebat. Invidit dæmon; in ſuum caput, tantæ utriuſque virtuti: ſed fracta campanula Romani caritatem violare non potuit.

In ſpeluncam ſe abdit.

VIII. Sublaci ſitus & deſcriptio

Sublacus ſeu Sublacum, Cornelio Tacito ac Plinio haud ignotum, a lacu, quem Anionis * aquæ efficiunt, nomen habet. Diſtat ab urbe Roma quadraginta fere millibus, hoc eſt unius minimum diei itinere, in cujus medio Tibur *, in ea Latii regione, quæ Campania Romana vocatur. Anio amnis, torrentis inſtar, inter Simbruinos montes in Æquicolis excurrens, obſtructis a Claudio anguſtis illorum montium faucibus, aquas ſtagnare coëgit, & in lacum colligi atque extendi. Anno trecenteſimo-quinto ſupra milleſimum, viceſima die menſis Februarii, ut in Chronico Sublacenſi legimus, fractis ex ſubita aquarum eruptione repagulis cum ponte, per quem itur ad S. Laurentium, defluxit lacus, cujus foſſa tantum & cavitas nunc apparent. Infra lacum viſitur opidum Sublacus * dictum: a quo diſtat ſacra ſpecus trium ferme millium intervallo, quod oblique aſcendendo conficitur. In medio

* Teverone.
* Tivoli.
* Subiaco.

aſcenſu exſtat monaſterium, S. Scholaſticæ appellatum, unum e duodecim, quæ a S. Benedicto condita fuiſſe poſtea dicturi ſumus. Specus ipſa in medio abrupti montis ſita eſt, mille paſſus ſupra anguſtiſſimam vallem, per quam Anio, inſtar torrentis, præceps decurrit. Directum habet ad meridiem proſpectum in oppoſitum montem, anguſta valle a ſpecu diſcretum. Ibi ſpelunca erat horrida, cum Benedictus eo ſe recepit, modo longe amœnior, tantum ex induſtria hominum adepta ſpatii, quantum ad capiendam ædiculam ſacram & monachorum quorumdam ſtationem ſatis eſt. Oratorium in tres partes diviſum; ſuperiorem, in qua chori ſubſellia cum altari majori, mediam, & infimam. In hac parte ſacra ſpecus cum altari obverſo, alta paullo minus infra ſtaturam humanam, jacenti in longum æqualis. Infra ſpecum hortulus, ubi quondam ſpineta, ſuper quæ caſtiſſimus adoleſcens ſeſe volutavit, jam dudum in roſaria converſa. Ad dextram ſuperioris Oratorii partem conſiſtunt officinæ pro monachis, & anguſta area, ſuper quam eminet excelſa rupes abruptiſſima, unde Romanus panem Benedicto demittebat. Inde quippe ad Romani cellam iter non erat, ſed necdum eſt niſi per longos & ſinuoſos montium diſcurſus. In hac ſacra ſpecu Benedictus Ordinem ſuum, obſtetricante gratia, parturiit. Hic cunabula gentis noſtræ: hæc petra, unde exciſi ſumus. Ibi dum pius adoleſcens per triennium latet ac tacet, ad conſiderandum rei monaſticæ, qualis tunc fuerit, ſtatum tantiſper divertamus.

IX. Monaſtici ſtatus propagatio in Occidente.

Religionis chriſtianæ ortum & progreſſum pæne e veſtigio ſubſecuta eſt monaſtica inſtitutio, & naturali quadam lege ex Oriente in Occidentem pervaſit. Baſilium ducem præcipue celebrant Orientales: quamquam ætate ſuperiores fuere Pachomius & Antonius, hic fere eremitarum, ille cœnobitarum anteſignanus. Benedictum duobus non integris ſæculis præceſſerunt monaſticæ profeſſionis primi in Occidente inſtitutores. Ex Oriente Roma orbis caput, atque adeo univerſa Italia, monachorum vitam hauſit per S. Athanaſium Alexandrinum epiſcopum, qui Romam profugus, fugæ & laborum ſocios habuit monachos, attulitque ſecum S. Antonii vitam a ſe ſcriptam; itidemque Pachomii Petrus ejus ſucceſſor. Hinc Pammachius ex Senatore monachorum primus in prima urbe, teſte [a] Hieronymo. Marcella, illuſtris vidua itidem Romana, audita Antonii adhuc viventis & Pachomii vitæ narratione, non erubuit [b] profiteri quod Chriſto placere agnoverat. Unde [c] Auguſtinus Romæ plura monaſteria cognovit, in quibus ſinguli, gravitate atque prudentia & divina ſcientia pollentes, ceteris ſecum habitantibus præerant chriſtiana caritate, ſanctitate & libertate viventibus. De his [d] Hieronymus: *Nunc multi monachi ſapientes, potentes, nobiles.* Præ omnibus eminuit S. Paulinus, qui, Taraſia conjuge in ſororem mutata, vixit [e] in monaſterio vicini martyris S. Felicis. S. Euſebio Vercellarum epiſcopo id elogii tribuit S. Ambroſius, quod primus in Occidentis partibus diverſa [f] inter ſe conjunxit clericorum & monachorum inſtituta. *Et erat*, teſte [g] Auguſtino, *monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis mœnia ſub Ambroſio nutritore.* quo nullum eſſet in Italia antiquius, ſi a Mirocle epiſcopo, ut putat Ughellus, conditum fuiſſet. Legimus apud Severum Sulpicium, S. Martinum, qui poſtea Turonum epiſcopus fuit, Mediolani ſibi monaſterium ſtatuiſſe, ubi eum Auxentius, auctor & princeps Arianorum, graviſſime inſectatus eſt, multiſque affectum injuriis de civitate exturbavit. Inde vir ſanctus in Gallinariam inſulam ſe recepit. De monachis qui in Etruſci maris inſulis, Capraria & Gorgona, degebant, loquitur Rutilius poëta paganus: Auguſtini vero exſtat epiſtola ad Eudoxium Caprariæ abbatem. Inde Honorio auguſto imperante Mazeſceles [h] militum magiſter, in Africam contra Gildonem tyrannum profecturus, ſecum aſſumſit quoſdam monachos, quorum precibus recte bellum confecit. His adde Dalmatiæ inſulas, in quibus monachorum choros a Nepotiano frequentatos [i] Hieronymus ſcribit. Porro Noricorum regionem cum fidei chriſtianæ, tum religioſæ vitæ præceptis informavit S. Severinus abbas, iſtius gentis inde Apoſtolus dictus: cujus corpus cum ejus diſcipuli, Lucillus, Marcianus, aliique in agrum Neapolitanum attuliſſent, condendi Lucullani monaſterii occaſionem præbuerunt.

a Hieron. ep. 26. & 50.
b Id. ep. 16.
c Aug. de morib. eccl. c. 33.
d Hieron. ep. 26.
e Paulin. ep. 1. & 7. & Hieron. ep. 13.
f Ambroſ. epiſt. 63.
g Aug. lib. 8. Conf. c. 6.
h Paul. Oroſ. lib. 7. c. 36.
i Hieron. ep. 3.

X.

S. Auguſtinus Ambroſii exemplo, monaſticum inſtitutum in Africa non ſolum excoluit, ſed etiam magnopere propagavit. quod ipſi vitio vertit [k] Petilianus. Immo hujus inſtituti defenſionem adverſus Circumcelliones [l] ſuſcepit. quod Chryſoſtomus in Oriente jam præſtiterat. Idem Auguſtinus alibi meminit monaſteriorum,

k Aug. lib. 3. in Petil. c. 40.
l Idem in pſ. 132. & tract. 97 in Joan.

AN. CHR. 49.

a Id lib. 2. Retr. c. 21.

quæ [a] apud Carthaginem eſſe cœperunt. Ejuſdem ſancti Doctoris in pſalmum triceſimum ſextum expoſitione lecta, ad deferendum ſæculum inductus eſt B. Fulgentius, illuſtris ille Ruſpenſis epiſcopus, ut in ejus vita legitur, de quo poſtea erit dicendi locus.

XI.

* Legugé.

b Sulpit. in in ejus vita. & Gregor. Tur lib. 4. de virtut. ſancti Mart. c. 30.

c Id. de gl. Conf. c. 22.

Italiam & Africam in monaſtico ſtatu excolendo æmulata eſt Gallia, nedum ſuperavit. S. Martinus ex inſula Gallinaria ad ſanctum Hilarium Pictavorum antiſtitem ab exſilio reverſum profectus, haud longe ſibi ab ea urbe monaſterium Locociagenſe * conſtruxit. Proceſſu temporis idem factus epiſcopus Turonenſis, aliquamdiu adhærente eccleſiæ cellula [b] uſus eſt. Deinde cum turbam ſe frequentantium ferre non poſſet, duobus fere extra civitatem millibus monaſterium ſtatuit, quod Majus alterius comparatione dictum eſt. Brevi adeo hæc beati Pontificis proles accrevit, ut ad ejus exſequias monachorum fere duo millia conveniſſe referantur, *ſpecialis*, inquit Sulpicius, *Martini gloria, cujus exemplo in Domini ſervitute ſtirps tanta fructificaverat.* Apud Gregorium epiſcopum Turonenſem [c] ſanctus Maximus, beati Martini diſcipulus, latendi deſiderio, *apud Inſulam-Barbaram monaſterii* Lugdunenſis ſe recepiſſe memoratur. An autem cœnobium iſtud ante Martini in Galliam adventum exſtiterit, non ſatis exploratum. Varia ſæculo quinto decreta pro monachis leguntur in Turonenſis provinciæ Conciliis, Andegavenſi, Turonenſi & Venetenſi. Quod etiam argumento eſt, monaſticam profeſſionem per illas regiones valde diffuſam fuiſſe. Penetraſſe etiam in ſecundam Lugdunenſem, itemque ad Morinos, teſtes ſunt epiſtolæ, tum Innocentii papæ primi ad Victricium hujus propagationis auctorem, tum ſancti Paulini ad eumdem. Immo etiam in Hiberniam inſulam per ſanctum Patricium B. Martini diſcipulum. Quo minus mirandum eſt in mediterraneis Galliæ inſulis, Stœchadibus & Lirino, atque in vicinis regionibus, ejuſdem inſtituti viros extitiſſe: quales fuere apud Toloſam Minervius & Alexander, quibus Hieronymus commentarium in Zachariam dicat: Jovinianus, Leontius & Theodorus abbates in Stœchadibus * inſulis, quorum nominibus inſcriptæ ſunt poſtremæ ſeptem Johannis Caſſiani collationes: immo etiam Caſſianus ipſe, multorum monachorum pater & magiſter: cui ſanctus Honoratus in Lirino præiverat, Capraſii abbatis diſcipulus. Sabino abbate Lugdunenſi ſuadente, Caſſiani veſtigiis inhæſit S. Romanus abbas, ſubſequente germano ejus Lupicino, qui in locis Jurenſibus utriuſque ſexus monaſteria condiderunt. Quin etiam apud Treviros jam tum monachos ſedem fixiſſe teſtantur antiquiſſima, quæ huc uſque non ſine multo ſplendore ſuperſtant, ſancti Maximini & ſancti Mathiæ cœnobia.

* Iſles d'Hieres.

XII.

d Hildef. de vir. ill. c. 4.

e Theod. de Vit. Patr. c. 30.

Quo tempore in Hiſpaniam propagata ſit monaſtica religio, haud facile eſt definire. Ex actis Concilii Cæſarauguſtani, quod anno trecenteſimo octogeſimo celebratum eſt, hanc in illis partibus non ignotam fuiſſe colligimus ex eo, quod clerici ob affectatum monaſticum habitum reprehenduntur. Proxime poſt id tempus Siricium Papam conſuluit Himmerius epiſcopus Tarraconenſis de ordinatione Monachorum. Hinc intelligimus, monachos in illis regionibus extitiſſe ante Donatum, qui eo ex Africæ partibus cum ſeptuaginta diſcipulis appulit, ubi & Sirbiranum monaſterium conſtruxit, teſtante Hildefonſo [d]. Donato æqualis fuit beatus Victorianus abbas Aſanenſis, qui *plurima per patriam*, id eſt, Hiſpaniam, *monachorum examina fudiſſe* a Venantio Fortunato memoratur. In ſumma, quod Theodoretus [e] ſcriptum reliquit, exſtabant jam ſæculo quinto infinita numerumque excedentia iſtiuſmodi philoſophiæ gymnaſia per totum Orientem, & in Europa univerſa. Hæc raptim percurrimus, quæ poſtea ſuis locis dedita opera perſequemur.

XIII. Regulæ quænam.

f. Caſſianus lib. 2. Inſt. c. 2.

Inveſtigata monachorum occidentalium origine, res poſtulat, ut de primariis eorum Regulis nonnulla etiam delibemus. Ut in Oriente, ſic in Occidente, *tot propemodum typi ac regulæ* erant, *quot cellæ ac monaſteria*, inquit [f] Caſſianus. Aliis pro regula erat abbatis voluntas: aliis modus vivendi majorum uſu ac traditione confirmatus: pleriſque leges ſcriptæ impoſitæ. Et quoniam in unum eundemque ſcopum regulæ omnes, ſeu verbo, ſeu ſcripto traditæ, collimabant, nempe ut abdicata penitus omnium rerum tractatione ac cogitatione, uni ſe Deo rebuſque ſpiritualibus dederent; non ita paſſim addicta erant uni regulæ monaſteria, quin vel aliam inducerent, vel ſuperinducerent pro ſui abbatis arbitrio, abſque ulla ſuæ profeſſionis mutatione, ullove detrimento: ita ut in uno eodemque cœnobio plures inſimul regulæ ſcriptæ obſervarentur, detractis vel aſſumtis, quæ pro locorum ac temporum

Digitized by Google

ratione opportuna videbantur. Et tamen in tanta regularum diverſitate maxima erat monachos inter omnes animorum conſenſio, una ſocietas, unumque corpus, nulla veſtis quantavis diverſitate diſcretum. Facilis etiam ac promiſcuus ex uno in aliud monaſterium tranſitus, mutuuſque commeatus, non modo Latinorum inter ſeſe, ſed etiam Latinos inter ac Græcos: quibus ſat erat ſtabilitatem in novo monaſterio firmaſſe. Sancti Baſilii Regulam, poſteaquam Rufinus Aquileïenſis preſbyter ac monachus, petente Urſcïo Pineti abbate, Latini juris fecit, monachi Itali præferebant. nam Eugippii abbatis Lucullanenſis & Virgilii diaconi regulæ non admodum uſitatæ fuerunt. Certe ſanctus Benedictus Baſilii regulam familiarem habuit, eamque ſuis diſcipulis commendavit. Eamdem in Gallia ſervabat Aredius abbas Lemovicenſis cum Caſſiani inſtitutis, quæ etiam in pleriſque Galliæ cœnobiis obtinebant. Erant & Lirinenſium, Grinniacenſium & Agaunenſium atque Tarnatenſium inſtituta. Regula ſancti Macarii in Reomaënſi monaſterio ſub Johanne abbate vigebat, forte Lirinenſium exemplo, apud quos Johannes aliquamdiu verſatus fuerat. Apud Miciacenſes agri Aurelianenſis cœnobitas ſanctorum Antonii & Pauli norma colebatur: apud Turonenſes ſancti Martini forma vivendi, à Severo Sulpicio deſcripta, quam etiam ſanctus Patricius in Hiberniam invexit, Orientalium monachorum inſtitutis accommodata. Qualem regulam obſervaverint ante Iſidorum & Fructuoſum Hiſpanici Monachi, nobis incompertum. Næ illi nugantur, qui ſancti Hieronymi apud Hiſpanos regulam & inſtitutum ad illa tempora referunt.

ANN. CHR. 494.

XIV. Cum ſanctus Benedictus Regulam ſuam inſtituit, in Italia ſupererant, poſt varias Hunnorum Gotthorumque tempeſtates, cœnobia non pauca, in quorum nonnullis monaſtica diſciplina etiam tum vigebat. Accuratum eorum numerum inire in tanta rerum obſcuritate haud proclive eſt. Sanctus Leo Magnus monaſterium apud ſanctum Petrum conſtruxerat, quod forte cum aliis nobis ignotis tum ſubſiſtebat. Erant in agro Neapolitano Lucullanum ſancti Severini, & Craterenſe, quod Gregorius Magnus alii Capuano unitum volebat, ut patet ex ejus epiſtola [a], Adeodato abbati Neapolitano inſcripta. Perſtabat etiam, ni fallor, Nolenſe ſancti Felicis, ubi ſanctus Paulinus verſatus fuerat, monaſterium. Jam vero tempore ſancti Benedicti florebant in Valeria provincia ſanctus Equitius, multorum monachorum pater; Laurentius Farfæ auctor, poſtea epiſcopus apud Spoletum; Spes abbas prope Nurſiam, Suranus item abbas & Eutychius prope Romam; Hilarus in Etruria, Honoratus Fundis in Campania, Eugipius abbas in Lucullano monaſterio, in Vivarienſi à ſe conſtructo Caſſiodorus, cui Dionyſius abbas, cognomento Exiguus, in primis carus erat. Non prætericro Theodatum abbatem, ſub cujus regula vivebat Romanus, is, qui ſancto Benedicto habitum monaſticum tradidit. Fruſtra torquent ſe qui de hac regula inquirunt, cum perinde ſit hoc in loco, ſub Theodati patris regula, atque ſub ejus directione & obedientia vivere.

a Greg. lib. 9. ep. 21.

XV. Sancti Baſilii regulam paſſim in Italicis tum monaſteriis viguiſſe crediderim. Sane hanc monachis ſuis commendant ſanctus Benedictus & Caſſiodorus. Eamdem, ut jam præmonui, Rufinus preſbyter ac monachus Aquileïenſis latinitate donaverat, rogatu Urſei Pinetenſis abbatis, cum eo, ut aliis occiduæ [b] partis monaſteriis ejus exemplaria latina præberet. Hoc monaſterium, *anguſto arenoſi tramitis dorſo ſuperpoſitum, hinc atque hinc paſſivi & incerti maris unda circumluebat.* Ibi *rara tantummodo latentes locos eminus* occupabat *pinus, ex qua & Pineti clarum nomen ſæculo dedit.* Et tamen modo quid ſit Pinetum, & ubinam gentium ſitum fuerit diſputatur, aliis in Sicilia, aliis prope Rhegium ſtatuentibus, Mihi non aliud videtur quam Claſſenſe ſanctorum Johannis & Stephani [c] monaſterium, cui ſub finem ſæculi ſexti præerat Claudius abbas, Gregorii Magni diſcipulus; aliud a Claſſenſi item ſancti Apollinaris, quod à Johanne epiſcopo [d] Ravennate quinto ad corpus ejuſdem ſancti Martyris conſtructum eſt; itemque a monaſterio ſancti Severi, cujus origo Petro [e] archiepiſcopo, ejus nominis ſecundo, tribuitur. Quippe huic loco recte convenit ſuperior Pineti deſcriptio: cum Claſſis opidum, à Ravenna tribus fere paſſuum millibus ſejunctum ad oram maris Adriatici, adjunctam habeat Piniciam ſilvam, ob frequentes in ea pinus, quod Pineto nomen dedit. *Pineta* vocat Jornandes [f] & tertio a Ravenna milliario locat. Hoc monaſterio ſe magnopere delectatum fuiſſe ait Rufinus, quod Urſeus abbas, non, *ut aliquibus mos eſt*, vel de locis, vel de opibus Orientis ſollicite percontatus fuiſſet; ſed quæ-

S. Baſilii regula latine reddita.

b Rufinus Præf. in Reg. S. Baſilii.

c Greg. lib. 7. ep. 18. ind. 2.

d Id. lib. 5. ep. 1.

e Ital. ſac. to. 2. col. 329. & 337.

f Jornand. de reb. Get. c. 17.

Digitized by Google

ANN. CHR. 494.

nam ibi ſervorum Dei haberetur obſervatio, quæ inſtituta ſervarentur in monaſteriis, requiſiſſet. Sic habet proborum monachorum indoles, quos ſola delectat rerum piarum tractatio, rejecta futilium inani commemoratione aut adſpectu. Inſigne eſt hanc in rem exemplum Ammonii monachi [a], qui adeo parum curioſus fuit, ut cum Romæ una cum Athanaſio forte verſaretur, nihil ex magnificis urbis operibus, præter baſilicam Petro & Paulo dicatam, videre cupierit.

[a] Soc. lib. 4. c. 18.

ANN. CHR. 497.

XVI. S. Benedictus in paſchate refectus.

HOc exemplum recte convenit in ſanctum Benedictum, (nam ad id unde digreſſi ſumus redeundum eſt) qui ſpretis Romanæ urbis ornamentis ac ſpectaculis, in horridam ſpecum ſe incluſit, rerum omnium, quæ in mundo fierent, adeo ignarus, ut etiam diem Paſchæ ignoraret. Forte poſt tres ſeveriſſimæ recluſionis annos conventus eſt a quodam preſbytero procul inde manente, qui cum refectionem, feſto, ut ſibi videbatur, convenientem, in ipſa paſchali ſollemnitate in ſuos uſus paraſſet, cælitus increpitus eſt, quod ſibi lautitias præparaſſet, cum interim ſervus Dei illo in loco fame cruciaretur. Ille vero, etſi & nomen viri, & locum ignoraret; confeſtim ducente Spiritu cum paratis cibis eo contendit, & virum Dei per abrupta montium, per vallium concava, & per incultas horridaſque quæſitum terras, tandem in ſpecu latentem invenit. Novi hoſpitis adventu, adſpectuque commotus adoleſcens, eum nonniſi præmiſſa oratione ad colloquium admiſit, & cum ambo oratione facta conſediſſent, de rebus divinis & ad ſalutem pertinentibus ſimul colloqui cœperunt.
» Ubi ſermo proceſſit, is qui advenerat preſbyter: Surge, inquit, atque una ſumamus
» cibum. nam hodie Paſcha eſt. Atqui, infit vir Dei, ſcio quidem hodie mihi paſcha eſſe, cum videre te meruerim. Tantum quippe ab hominum ſocietate remotus erat, ut re vera ipſa die Paſcha eſſe ignoraret. Immo vero, reponit preſbyter,
« vere & ſine ambiguo hodie reſurrectionis dominicæ paſchalis dies eſt. Abſtinere
» proinde tibi minime congruit in tanta ſollemnitate. Et ne quid ſcrupuli in animo tuo
» reſideat, noveris me cælitus admonitum huc veniſſe, ut omnipotentis dona Dei ſi-
» mul ſumamus. Acquievit pius adoleſcens, nullo habito rerum oblatarum delectu:
» tum ut ſupernis monitis obtemperaret, tum ut ne officioſum hoſpitem contriſtaret.
Benedictione itaque præmiſſa ſumſerunt cibum; ac mox, refectione ac colloquio finitis, ad eccleſiam ſuam preſbyter reverſus eſt. Ita cœpit illuſtrari ſacrum hoc latibulum, in quo tantum lumen occultum erat; ceſſitque ignoti prius antri obſcuritas tam illuſtris hoſpitis claritati, Deo res ſic moderante, ne lumen ſub modio diutius lateret.

XVII. Paſtores erudit.

Eodem quoque tempore Benedictum in ſpecu latitantem etiam offenderunt paſtores, qui frequentes in ſubjectis vallibus ovium & armentorum greges paſcebant. Atque ut erat pallio ex pellibus confecto (melotem vocabant) amictus, & inter fruteta deliteſcens, genus feræ eſſe opinati, propius acceſſerunt. Verum ignotum ſpeluncæ incolam reveriti, adeo ejus ſermonibus capti ſunt, ut plerique eorum ab agreſti & tantum-non belluina vivendi conſuetudine ad pios & chriſtianos mores converſi ſint. Inde Benedicti nomen per vicina loca cunctis innotuit: factumque eſt ut à multis frequentaretur, qui pro cibis corporeis, quos ei deferebant, ab ejus ore alimenta vitæ animo ſuſciperent.

XVIII. Carnalem tentationem ut ſuperat.

Rem vidit & invidit ſerpens ille antiquus, &, qua præditus eſt arte ad fallendum, merulæ ſpeciem indutus, importuno volatu in faciem adoleſcentis involitare cœpit, tanta improbitate, ut abigi non poſſet. Mox in intimos ejus ſenſus immiſſis præſtigiis, memoriam refricavit cujuſdam feminæ, quam olim Romæ viderat; atque illius imago alte animo infixa tantos in ejus pectore excitavit ignes, ut pæne deficeret, pæne ſolitudinem dereret. At viciſſim Deus pugilem ſuum miſeratus, nutantem ad ſe revocavit. Oborta de cælo luce rediit pudor, & ſemetipſum ſic erubuit, ut abjectis veſtibus nudum ſe in urticas ac vepres tamdiu volutaverit, dum voluptatis ſenſus dolore penitus opprimeretur. Ita victrix divinæ gratiæ flamma ferales dæmonis ignes exſtinxit; adeoque ex hac præclara victoria caſtitatis amor in ejus pectore prævaluit, ut in poſterum, quod ipſe poſtmodum familiaribus ſuis confeſſus eſt, omni prorſus voluptatis tentatione caruerit. ¡Quantum ex una tentatione periculi! quantum fructus ex una victoria! Actum erat de ſalute Benedicti, immo & multorum aliorum, ſi victus diſceſſiſſet: at ex hac victoria, cum ipſius, tum infinitorum
» aliorum æterna ſalus conſecuta eſt. Nam poſtmodum vir Dei, quaſi ſpinis erutis

exculta

exculta terra, ex virtutum ſegete uberiores fructus dedit; & liber à tentationis vitio jure factus eſt virtutum magiſter.

ANN CHR. 510. XIX.

Monachos ſibi infeſtos deſerit.

Hanc tentationem alia ſævior, ſi non periculoſior, excepit. Non longe a ſacro ſpecu monaſterium quoddam aberat: cujus abbate defuncto, totus monachorum cœtus ſuffragia ſua in Benedictum retulit, ita exigente virtutum fama, quæ pravos etiam homines in ſui admirationem rapere ſolet. Illi magnis precibus ſollicitant Benedictum, ut ſui ipſorum regimen accipiat. Negat & pernegat vir Dei: illi inſtant. Multum temporis urgendo & repugnando conſumtum, obtendente ſancto viro, fore ut fortaſſe illorum mores cum ſuis non bene convenirent. Illi contra, ſe dictis ejus in omnibus maxime obſequentes futuros conſtanter affirmant. Victus tandem Benedictus aſſenſit. Cum vero monachos diſtrictiſſime in officio contineret, nihilque illis de priſtinæ vitæ licentia permitteret; contigit, ut factæ electionis eos pæniteret, ſibique vitio verterent, quod hominem inexpertum, tractandis ingeniis ineptum, denique inclementem & miſericordiæ expertem in ſuum caput elegiſſent. Adeo verum eſt, malos diu bonos non eſſe! Initio tamen iram taciti coquere, tantiſper diſſimulare, exſpectare, dum forte adoleſcentis ignea illa vis nonnihil deferbuiſſet. Sed cum proceſſu temporis nihil remitteret, eiſque durum atque intolerabile videretur aſſueta relinquere, & mente veteri nova meditari; communi conjuratione in ſancti Abbatis necem monſtra illa conſpirant. Monaſterii uſus ex communi ritu ferebat, ut primum abbati poculum in menſa benedicendum offerrent, ſingulis ſuos calices, dum iſte ſuum a miniſtro oblatum precatione ſacraret, benedicendos efferentibus. Illi ergo ſancto viro poculum (horreſco referens) veneno infectum dare conſtituunt. Dumque vitreum vaſculum, in quo letalis potus continebatur, recumbenti Patri ad benedicendum ex more fuiſſet oblatum; is extenſa manu ſignum crucis vaſculo impreſſit, moxque quaſi lapide impacto vas confractum in partes diſſiliit. Intellexit protinus vir Dei in iſto vaſe mortiferum poculum latuiſſe, quod vitale ſignum ferre non potuiſſet. Nec mora ſurrexit a menſa, & ſine ulla commoti animi ſignificatione, vultu placido convocatos fratres tanti ſceleris reos benigne affatus eſt in hunc modum: Parcat vobis, fratres, omnipotens Deus! cur in me id committere voluiſtis? Nonne prædixi vobis, nihil meis veſtriſque moribus fore commune? Ite ergo, & patrem veſtris moribus conſentientem quærite. neque enim me in poſterum habituri eſtis. In hæc verba diſceſſit, certus fore ut, ſi in loco manſiſſet, dum protervos in ſui obſequium flectere, & ad meliorem frugem compellere fruſtra conaretur, fortaſſe a mentis ſuæ ſtatu dejiceretur, atque animo turbato a contemplationis ſcopo mentis ſuæ oculum deflecteret; ſicque dum in dies illis emendandis luderet operam, fatigatus, minus de ſuo profectu ſollicitus, & alieni expers inveniretur. Sic omnes fere ſancti magis inſignes fuere periculorum ſuorum virtutibus. Itaque ad amicam ſolitudinem rediit, & ſolus in ſuperni illius ſpectatoris oculis habitavit ſecum: quippe qui in ſui ſemper cuſtodia pervigil & circumſpectus, ante oculos conditoris ſe aſſidue ſtatuens, ſe ſemper adſpiciens & examinans, extra ſe mentis ſuæ oculum divagari nullo modo paſſus eſt, niſi ſi quando ex contemplatione ſupra ſe raptus, ſe ipſe ſub ſe reliquit. Hanc vero cogitationem a Deo in piiſſimi viri animum immiſſam fuiſſe exitus comprobavit. Ut enim æquanimiter ferendi ſunt mali, dum in eis inveniuntur aliqui qui adjuventur boni: ſic e contrario deſerendi ſunt, ubi, bonis deficientibus, erga malos omnino ſupervacuus eſt labor: maxime cum alibi ſpes alicujus proventus affulget. Agit quippe in piorum animis divinus ille Spiritus, ut cum laborem ſuum ſine fructu eſſe conſiderant, in locum alium ad laborem cum fructu migrent. quod in ſancto Benedicto, atque ejus exemplo in aliis accidiſſe in ſubſequentibus videbimus. Locum, ubi prædictum monaſterium ſitum erat, Vicovarum * eſſe tradunt, in ſiniſtra Anionis ripa monti impoſitum, Sublacum inter atque Tibur: ubi hactenus fratrum Minorum conventus viſitur, & intra montem excavatæ ſpeluncæ, quas priſcorum illorum monachorum latibula fuiſſe aſſerunt, In his una eſt, quam ſanctus Benedictus inhabitaſſe fertur, modo in oratorium converſa. Illius loci ſpecimen mecum communicavit noſter Bernardus de *Montfaucon*, qui illud in ſuo Diario Italico exhibuit.

* *Vicovaro.*

ANN. CHR. 510.



XX. Galliæ res monaſticæ.

Dum hæc in Italia geruntur, in Galliis res monaſticæ magnopere creſcunt, monaſteriis cum novis conditis, tum antiquioribus auctis & amplificatis: quæ omnia, aut fere omnia in Ordinem noſtrum ſubinde commigrarunt. Ex antiquioribus præcipua fuere in primis apud Lugdunum Inſulæ-Barbaræ & Athanacenſe, quibus nonnulli ſancti Juſti baſilicam addunt. In Jurenſibus jugis Condateſcenſe & Lauconnenſe virorum, ae Balmenſe puellarum. In Provincia Galliæ Lirinenſe & Maſſilienſe ſancti Victoris; Viennæ Grinniacenſe, apud Pictones ſancti Hilarii in urbe, & in eadem diœceſi Locociagenſe & Henſionenſe. Apud Turones Majus-monaſterium ſuburbanum, aliudque urbanum, ſancti Martini poſtea dictum, præter Cainonenſe & Loccenſe: quibus Trevirenſia duo, ſancti Maximini & ſancti Mathiæ, annumerari poſſunt.

Regnante ſuper Francos Chlodoveo alia nova ſurrexere cœnobia: ſancti Germani Autiſiodorenſe, item ſancti Petri apud Senonas, Miciacenſe apud Aurelianos; Divionenſe ſancti Benigni, Reomaënſe & Melundenſe in Burgundia, atque Nigellenſe, præter Arelatenſe virginum, quod Cæſarius illius urbis epiſcopus in gratiam Cæſariæ ſororis ſuæ condidit. De utriſque, antiquis ſcilicet ac novis, quædam, ut in loco, hic præmittenda ſunt, antequam ad prima Ordinis noſtri cunabula deſcendamus.

XXI. Locociagenſe monaſteriū. * Ligugé. * Le Clain. a Greg. Tur. de mirac ſancti Mart lib. 4. c. 30.

Locociagenſis * monaſterii, quod ſanctus Martinus non longe ab urbe Pictavorum ad Clenum * amnem conſtruxit, ut exigua initia, ſie etiam exiles progreſſus fuere, tametſi conſtans ad noſtra uſque tempora ejus ſtatus perſeveravit. *Locus diſtat ab urbe Pictava*, inquit Gregorius [a], *quaſi ſtadiis quadraginta, ubi monachorum catervam congregaverat vir beatus.* Iſtic ipſe vixit ante epiſcopatum, ibidemque mortuum excitavit. Iſtic etiam *quidam ei ſe catechumenus junxit, cupiens viri ſanctiſſimi inſtitui diſciplinis*, referente Severo Sulpicio: quæ catechumenorum inſtitutio in ſancti Pachomii monaſterio, item in Bethleemitico, Hieronymo teſte, aliiſque non paucis obtinuit. Gregorius Turonum epiſcopus eumdem expetens locum, poſt celebratas ſollemniter miſſas, abbatem percontatus eſt, an aliqua ibi miracula fierent. Quædam ei retulit abbas, in primis duorum paralyticorum, qui velum, quo cancellus tegebatur, oſculati, ſoſpitatem receperant. Hujus monaſterii qui poſt Gregorium meminerit, invenio fere neminem, præter Defenſorem ejuſdem loci monachum, qui librum ſcintillarum, ſeu collectaneum ex Patrum ſententiis, ad informandos mores defloravit *ſub Urſino nutritore ſuo in cœnobio Locuciacenſi ſancti Martini*, ubi ſe in monachum attonſum fuiſſe teſtatur. Is forte eſt Urſicinus, qui ſancti Leodegarii facta in litteras [b] retulit ſeptimo ſæculo exeunte. Proceſſu temporis idem locus redactus fuit in Prioratum Malleacenſi olim abbatiæ ſubjectum, qui nuper Pictavenſi Patrum Societatis Jeſu collegio addictus eſt. Superſunt adhuc, præter baſilicam, regulares officinæ pæne omnes.

b V. hic lib. 17. n. 30.

XXII. Majus-monaſterium. c Sever. Sulp. in ejus vita.

Sed longe illuſtrius fuit aliud ſancti Martini monaſterium, quod is epiſcopus factus in ſuburbano Turonum loco exſtruxit, Majus-monaſterium ſubinde appellatum. Quippe cum ita [c] impleret epiſcopi dignitatem, ut non tamen propoſitum

AN. CHR. 510.

monachi, virtutemque deſereret ; aliquamdiu adhærenti ad eccleſiam cellula uſus eſt. At cum inquietudinem ſe frequentantium ferre non poſſet, duobus fere extra civitatem millibus monaſterium ſibi ſtatuit. qui locus tam ſecretus ac remotus erat, ut eremi ſolitudinem non deſideraret. Ex uno enim latere præciſa montis excelſi rupe ambiebatur : reliquam planitiem Liger fluvius, reducto paululum ſinu, clauſerat. Una tantum, eademque arta admodum via adiri poterat. Ibi ipſe ex lignis contextam cellulam habebat, multique ex fratribus in eumdem modum. Plerique ſaxo ſuperjecti montis cavato receptacula ſibi fecerant. quales iſtic hactenus viſuntur veterum illorum monachorum quædam cellulæ. qualis etiam beati Martini cellula baſilicæ ejuſdem monaſterii incluſa cernitur, una ex tribus quas illic habebat, lectulus ejus dicta, quod in ea noctu ſomnum caperet, atque interdiu ſederet, ut docent verſus *ſuper locum lecti ejus*, qui in hos deſinunt :

Cellula namque fuit requies in nocte ſilenti,
Pro ſtamno & cathedra hæc quoque cella die.

Ejus diſciplina.

Diſcipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magiſtri illic inſtituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat: omnia in medium conferebantur. Non emere, aut vendere (ut pleriſque monachis moris eſt) cuiquam licebat. Sanctus Baſilius id licere ait, modo vendentes tantum de bona rei traditæ qualitate, ementes de ſolo pretio ſolliciti ſint. Sanctus Benedictus minori pretio quam a ſæcularibus vendi præcipit. Ars ibi, pergit Severus, exceptis ſcriptoribus, nulla habebatur : cui tamen operi minor ætas deputabatur : majores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam ſuam egreſſus, niſi cum ad locum orationis conveniebant. Cibum una omnes poſt horam jejunii accipiebant. Vinum nemo noverat, niſi quem infirmitas coëgiſſet. quod ſane mirum in illa vinetorum, quæ ibi creſcunt, abundantia. Plerique camelorum ſetis veſtiebantur : mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis ſit mirum neceſſe eſt, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longe aliter educati, ad hanc ſe humilitatem & patientiam coëgerant. Pluresque ex his poſtea epiſcopos vidimus, ait Severus. Quæ enim eſſet civitas aut eccleſia, quæ non ſibi de Martini monaſterio peteret Sacerdotem ?

XXIII.

Hæc de monaſticis ſancti Pontificis ritibus perſequi noſtri videtur inſtituti, maxime cum ſanctus Benedictus eum, tamquam vitæ monaſticæ exemplar, ſibi patronum propoſuerit, ædificatis in monte Caſino in ſancti Johannis Baptiſtæ & beati Martini honorem duobus oratoriis. Nec dubitem ſanctum Legiſlatorem noſtrum quaſdam inſtitutiones in ſuam Regulam tranſtuliſſe ex Severi Sulpicii relatione : qui cum ritum, quo ipſe a Martino vivente acceptus eſt, commemorat, quaſi quoddam Regulæ noſtræ ſpecimen ob oculos ponit. Miſerum me ! exclamat [a] Severus, pæne non audeo confiteri, cum me ſancto convivio ſuo dignatus eſt adhibere. Aquam manibus noſtris ipſe obtulit : ad veſperum autem ipſe nobis pedes abluit. Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quam mundi hujus illecebras & ſæculi onera relinquenda : ut Dominum Jeſum liberi, expeditique ſequeremur. Præſtantiſſimum quoque nobis præſentium temporum illuſtris ſancti Paulini exemplum ingerebat : qui ſummis opibus abjectis Chriſtum ſecutus, ſolus pæne his temporibus evangelica præcepta impleſſet. Illum nobis ſequendum, illum clamabat imitandum. Jam vero, pergit Severus, etſi facta illius explicari verbis utcumque potuerunt, interiorem vitam illius, quotidianam converſationem, & animum cælo ſemper intentum nulla umquam explicabit oratio : illam ſcilicet perſeverantiam in abſtinentia & jejuniis, potentiam in vigiliis & orationibus, noctéſque ab eo perinde ac dies actas ; nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulſerit, vel negotio, ſed ne cibo aut ſomno quidem, niſi quatenus naturæ cogebat neceſſitas. nulla umquam hora momentumque præteriit, quin aut orationi incumberet, aut inſiſteret lectioni. Quamquam etiam inter legendum, aut ſi quid aliud forte agebat, numquam animum ab oratione laxabat. Talem ſibi ſuiſque patronum propoſuit ſanctus Benedictus, qui diſcipulis ſuis pro ſpeculo eſſet & exemplo. Ceterum ſanctum Pontificem in monaſterio, ejuſque diſcipulos a carnibus abſtinuiſſe illud argumento, quod ipſis Paſchæ [b] diebus, non carnes, ſed piſcem, quaſi pro quadam ſolitæ ſeveritatis remiſſione, edere ſolitus erat.

[a] Sever. c. 16.

[b] Sever. dial. 3. c. 13.

ANN. CHR. 510. XXIV.

a Greg. lib. 10. c. 31.

Majoris-monaſterii baſilicam *in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli* Martinus ædificavit, ex Gregorio [a] epiſcopo Turonenſi : cui Voluſianus pontifex aliam *ſancti Johannis* baſilicam adjunxit, id eſt ſancti Johannis Baptiſtæ, quæ nunc diruta eſt. Ejus exemplo ſanctus Benedictus itidem oratorium exſtruxit in honorem illius ſanctiſſimi Præcurſoris, qui monachorum veluti anteſignanus & exemplar ab antiquis vitæ monaſticæ cultoribus habitus fuit.

b id. ibid.

Porro nonniſi poſt mortem ſancti antiſtitis dictum eſt Majus-monaſterium, cum ſcilicet ædificato ſuper ejus tumulum alio monaſterio, primum illud hujus aliorumque ejuſdem provinciæ monaſteriorum comparatione Majus appellari cœpit. Primus ſanctus Briccius, Martini in epiſcopatu ſucceſſor, *baſilicam parvulam* [b] ſuper corpus ejus ædificavit. Briccio ſucceſſit Euſtochius, Euſtochio Perpetuus. is *ſubmota baſilica*, quam prius Briccius ædificaverat, *miro opere altam ædificavit ampliorem, in cujus abſidam*, id eſt ſuperiorem partem, ſacrum ejus corpus tranſtulit anno quadringenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo. Ab eo tempore poſteriorem hanc baſilicam inſederunt monachi uſque ad ſæculi noni initia, rexeruntque monaſterium iſtud abbates pietate ac merito illuſtres : quorum e numero fuit Leo, procedente ſæculo ſexto factus epiſcopus Turonenſis. De Majoris-monaſterii abbatibus nihil fere comperti habemus ante pontificatum Gregorii, cujus tempore Euſtochius Majori-monaſterio præerat.

XXV. Clarus & Maximus S. Martini diſcipuli.

c Sever. vita c. 25.

d Greg. Tur. de gl. Conf. c. 22.

Ex ſancti Martini diſcipulis præcipui, ne quid dicam de Septem-dormientibus, quos vocant, monachis, quorum tumuli in oratorio Majoris-monaſterii baſilicæ adhærente viſuntur, duo fuére, Clarus & Maximus, ambo ſacerdotio, ambo etiam ſanctitate inſignes. Clarus, *adoleſcens nobiliſſimus, mox presbyter*, teſte [c] Severo, in quamdam cellulam cum aliquot fratribus ſeceſſit, monaſterio proximam, ubi modo exſtat oratorium ejus nomine ac titulo inſignitum. Alter *virtutibus* [d] itidem *ac nomine Maximus*, occulere quod erat cupiens, *Inſulam-Barbaram monaſterii Lugdunenſis* latendi ſtudio ſe recepit : ſed & eo in loco *manifeſtatus*, in patriam redire diſpoſuit, abjecta, quæ ſibi impoſita fuerat, abbatis dignitate. At cum flumen trajiceret, cymba aquis oppleta demerſus eſt in flumen, habens ad collum cum evangeliorum libro ſupellectilem ſacerdotalem, id eſt *patenulam parvam cum calice* : ſed divina opitulante virtute appulit incolumis ad litus ; reverſuſque in pagum Turonenſem, ad caſtrum Cainonenſe *, monaſterium collocavit, ubi & ipſe obiit *plenus dierum*, ac ſepultus miraculis claruit. Ejus loci abbas erat Flameris, qui ex tactu [e] epiſtolæ, a ſancto Germano Pariſiorum epiſcopo ad ſe ſcriptæ, monachum ſuum a febre liberavit.

* Chinon.

e Fortun. n. 58.

XXVI. Inſulæ-Barbaræ monaſterium.

* la Saone.

Jam inde itaque a ſæculo quarto exſiſtebat in medio Araris * ſupra Lugdunum civitatem Inſulæ-Barbaræ monaſterium, ſancto Andreæ primitus, deinde ſancto Martino nuncupatum : cujus loci abbates clariſſimi, Ambroſius, Maximinus, Licinius, & Benedictus, ſub epiſcopis Eucherio, Lupo, Geneſio, aliiſque ; & ſub
» Leidrado, hujus rei teſte in epiſtola ad Carolum Magnum, ea pollebant auctori-
» tate, ut vices epiſcopi tum in luſtranda diœceſi, cognituri, *utrum catholica fides*
» *recte crederetur, ne fraus hæretica pullularet* ; tum in remittendis retinendiſque pec-
» catis, tum denique in regenda vacante eccleſia implerent. Non deſunt qui Maximinum abbatem hic laudatum a Maximo, cujus modo mentio facta eſt, haud alium eſſe exiſtiment, adſtipulante in primis auctore, qui Rudera * Inſulæ-Barbaræ, id eſt diſſipatas ex veteri diſciplina regulari, eo in loco per ſæculares canonicos ſuperiori ſæculo everſa reliquias recollegit. Verum cum ſub ſancto Lupo epiſcopo Leidradus Maximinum reponat : omnino diverſum a Maximo fuiſſe non modo nominum, ſed etiam temporum ratio perſuadet. Fuerat porro Lupus ante epiſcopatum Inſulæ-Barbaræ monachus, quem Leobinus, is quem poſtea Carnutenſis eccleſiæ præſulem factum dicturi ſumus, in illo cœnobio habitaturus adiit.

* Les Maſures de l'Iſle-Barbe, par M. le Laboureur.

ibid. p. 20.

Vulgata eſt in prædictis Ruderibus Eucherii antiſtitis epiſtola, *ſancto ac venerabili & compresbytero Philoni* inſcripta : qua Eucherius ab eo poſtulat, ut ſe confe-
» rat ad monaſterium Inſulæ-Barbaræ, Maximum ejus loci abbatem, qui de ſuo
» diſceſſu ob inopiam cogitabat, hortaturus, ut ne locum deſerat, certus, Euche-
» rium neceſſaria monachis proviſurum. Se id unum ſpeciatim ab eo petere, *ut do-*
» *mum penſilem*, quam Eucherius ipſe conſtrui juſſerat, paratam eſſe curet cum
» membranis. quippe ſe cupere, ſi Deus annuerit, quadrageſimam in inſula cum

AN. CHR. 510.

ipſo terere. Interim trecentos modios annonæ, ducentos vini, totidemque caſei libras, atque olei centum in monachorum uſus aſſignare. quæ epiſtola, ſi vera & genuina eſt, Maximo abbati, ſancti Martini diſcipulo, aptari poteſt. Siquidem Maximus iſte pervenit ad tempus Egidii magiſtri militum in Gallia pro Romanis, qui caſtrum [a] Cainonenſe obſedit, id eſt ad medium ſæculum quintum, quo Eucherius eccleſiam Lugdunenſem regebat. Sub ejuſdem etiam pontificatu Inſulæ-Barbaræ præfuit Ambroſius abbas, in ſuperiori Leidradi epiſtola memoratus, quem Aſterio poſt Maximum ſubſtituunt vulgati indices Inſulæ-Barbaræ abbatum. Hunc locum adiit ſanctus Bonitus, rexitque Benedictus abbas Anianenſis, ut ſuo loco dicemus: cujus gratia Carolus Magnus *codices ſuos*, ut in Leidradi epiſtola legitur, id eſt, bibliothecam, illuc direxit.

[a] *Gregor. de gl. Conf. c. 22.*

XXVII. Athanacenſe.

Præter hoc monaſterium exſtabat etiam tunc aliud apud Lugdunum Athanacenſe * ad confluentes Araris & Rhodani, ob id *Interamne* appellatum in vita ſancti Romani abbatis Jurenſis, *qui priuſquam religionis profeſſionem arriperet, quemdam venerabilem virum, Sabinum nomine, Lugdunenſis Interamnis abbatem, viderat, ejuſque ſtrenua inſtituta, & monachorum illius vitam*, a quibus religioſæ vitæ exempla, librum vitæ ſanctorum Patrum, eximiaſque abbatum inſtitutiones acceperat. Eo in loco martyrium paſſi ſunt Martyres illi Lugdunenſes, ob id Athanacenſes dicti apud Gregorium Epiſcopum [b] Turonenſem, qui eorum nomina commemorat. Exuſtis martyrum corporibus ſacros cineres in profluentem Rhodanum tyrannus ſpargi præcepit. At nihilominus fideles eos colligentes, miræ magnitudinis baſilicam in eorum honorem ædificarunt, & ſacra pignora ſub altari repoſuerunt. Baſilicæ brevi adjunctum eſt monaſterium, quod Salonius epiſcopus, Eucherii Lugdunenſis filius, & poſt eum Brunechildis regina inſtauraſſe perhibetur. Idem ſæculo nono reſtituit Aurelianus, factus poſtea epiſcopus Lugdunenſis, de quo ſuo loco.

* *Ainay.*

[b] *Gregor. lib. 1. de gl. mart. c. 49.*

XXVIII. Sancti Juſti.

Lugdunenſibus monaſteriis Bultellus [c] adjungit ſancti Juſti baſilicam, propterea quod, auctore Sidonio, vigilias in ejus feſto *alternante mulcedine monachi, clericique pſalmicines concelebrabant.* quod argumentum nonnullis forte non ſatis firmum inde videbitur, quod in celebrioribus feſtis Patronorum tutelarium mos eſſet, qui etiam nunc Turonis in ſancti Martini baſilica ſervatur, ut clerici & monachi diverſarum eccleſiarum, ſibi ſuccedentes, ordine quique ſuo divina officia peragerent. Verum cum ex actis ſancti Baldomeri [d] habeamus, Viventium monaſterii ſancti Juſti ſæculo ſeptimo abbatem fuiſſe, pro comperta haberi poteſt Bultelli ſententia. In feſto ſancti Juſti habita eſt [e] præclara illa ſancti Aviti epiſcopi Viennenſis collatio adverſus Arianos coram Gundebaldo Burgundionum rege, epiſcopis à Stephano Lugdunenſi de more invitatis *ad feſtivitatem ſancti Juſti, quæ inſtabat, in qua ob frequentiam miraculorum*, ait auctor, *fiebat concurſus plurimus populorum.*

[c] *Bultell. lib. 1. c. 4. n. 22.*

[d] *Bolland. 27. Feb.*

[e] *Spicil. to. 5. p. 110.*

XXIX. Lirinenſe.

Ineunte ſæculo quinto conditum eſt Lirinenſe monaſterium, inſigne illud ſanctorum monachorum & pontificum ſeminarium, quod ceteris Gallicanis cœnobiis formam dedit. Ejus auctor Honoratus, generis conſularis, relicta patria una cum Venantio germano fratre, primo quidem vitæ monaſticæ inſtitutorem habuit Capraſium abbatem, *angelica in inſulis converſatione degentem.* Tum in Orientem ambo profecti, Achaiæ aliarumque gentium litora luſtrarunt. At * Methonæ fratre mortuo, in patriam reverſus Honoratus allicіente Leontio Foro-Julienſi epiſcopo, vacantem & venenatorum animalium metu inacceſſam inſulam Lirinenſem ſubit, moxque ad ejus ingreſſum, *fugit horror ſolitudinis, cedit turba ſerpentum.* Hic primum illigatur invitus clericatus officio, tametſi ante ſuum e patria diſceſſum jam redactæ eſſent *ob breves capillos luxuriantes comæ*; & tandem ſacerdotio initiatur; & qui venire ad dignitatem detrectaverat, ad ipſum dignitas venit. Verum ille tam integram in ſacerdotio monachi humilitatem conſervabat, quam plene monachus ſacerdotis merita poſſederat. Conſtructo iſtic monaſterio, certatim jam illuc omnis regio quærens Deum properabat. Nulla terra, nulla natio in monaſterio illius cives non habebat. Impiger, feſtinus, infatigabilis perſeverabat; prout cujuſque natura ferebat; hunc ſecreto, illum palam aggrediens; hunc ſevere, illum blandecompellans; incredibili cura, ne quem triſtitia affligeret, ne quem nimiis laboribus gravaret, ne quis nimia quiete torpeſceret; valentes corpore a deſidia ſemper excutiens, ferventes ſpiritu cogens ad requiem. Omnium vires, omnium animos, omnium ſtomachos inſtinctu quodam Dei noverat, vere ſervus omnium factus per

* *Modon.*

AN. CHR. 510. » Chriſtum Jeſum. Hæc illius jugis opera, jugis intentio erat, levigare omnibus jugum Chriſti. Utinam ad tale exemplar ſeſe conformarent monaſteriorum rectores!

XXX. Diviſæ ibi cellulæ.

Miſtum erat principio ex cœnobiali & anachoretica vita Lirinenſium inſtitutum. *Ingens fratrum cœnobium & congregationem* appellat Caſſianus in Præfatione undecimæ Collationis ad Honoratum Lirini abbatem & Eucherium. qui Eucherius in epiſtola de laude eremi de Lirino agens: *Hic nunc*, inquit, *habet ſanctos ſenes illos, qui diviſis cellulis Ægyptios Patres Galliis noſtris intulerunt.* Itaque inſtar lauræ erat monaſterium Lirinenſe, unde apud Sidonium [a] in epiſtola ad Fauſtum, Lirinenſes *cellulani* appellantur. Idem in Majori-monaſterio, idem in Inſula-Barbara ritus; paullo diverſus in Tarnatenſi, ubi diviſis quidem cellulis, ſed conjunctis, monachi commorabantur. Contrarium morem induxit in Condateſcenſe monaſterium Augendus, qui, *refutato archimandritarum orientalium more, omnes univit in medium, & deſtructis manſionum ædiculis*, quæ tunc etiam apud Jurenſes monachos in uſu erant, *uno cunctos ſecum xenodochio quieſcere fecit: ut quos cauſa unita refectionis una claudebat ædicula, diſcretiſque lectulis una ambiret & manſio.* Pertinebant hæ Lirinenſium cellulæ etiam ad Lerum inſulam, vulgo ſanctæ Margaritæ dictam, ubi verſabatur ante Lugdunenſem epiſcopatum Eucherius, qui in epiſtola de laude eremi Lirinum ſuam vocat. An vero in unum omnes ad officia divina ſtatis horis (quod ſolis ſabbatis ac dominicis apud Ægyptios monachos fiebat) & ad refectionem convenirent, difficile dictu eſt, uti & factu. Si de officio divino interpretandus eſt Sidonius [b] in epiſtola ad Fauſtum, ex Lirinenſi « abbate epiſcopum Reienſem, ubi idem Fauſtus preces inſulanas de ſenatu Lirinenſium in ſuam urbem tranſtuliſſe laudatur; ſollemnes quotidiani officii horas apud Lirinenſes viguiſſe inde comprobatur. Sane in vita ſancti Cæſarii *canonicam modulationem monachi* legimus: ad refectionem quod attinet, is de exigua *oleris ſeu pulticulæ coctione, quam ſibi dominico die præparabat, uſque in alteram dominicam trahebat.* quæ res, niſi privata erat quorumdam diſtrictio, anachoreticum vivendi genus deſignat. Quamquam non ſic à ſe ſe invicem diſcreti erant Lirinenſes, ut omnem communis vitæ rationem excluderent. Sane Fauſtus, abbas tertius, in homiliis ſuis ad Lirinenſes, quæ exſtant in codice regularum, de cœtu illo agit, non ſecus ac de vera congregatione monachorum: ubi rogat eos [c], *ut obedientiam, humilitatem, caritatem, non ſolum ſenioribus & coæqualibus, ſed etiam junioribus exhibere jugiter ſtudeant.* quod non facile in ſe ſe invicem præſtare poſſunt anachoretæ. Sed & in epiſtola [d] ad Ruricium, *inſulanam angelicæ congregationis militiam* vocat.

[a] Sidon. lib. 9. epiſt. 3.

[b] Sidon. lib. 9. epiſt. 3.

[c] Fauſt. hom. 3.

[d] id. epiſt. 5.

XXXI. Sub qua regula.

Reliqua inclyti hujus cœnobii inſtituta primaria operoſum eſt explicare per partes. Nec licet recurrere ad Caſſiani inſtituta, quæ necdum eo tempore, quo Honoratus Lirinum excolere cœpit, ſcriptis mandata erant. Probabilior eſt conjectura de ſancti Macarii regula, quam Johannes abbas iſtic inſtitutus Reomaënſibus ſuis impoſuit. In ſumma, orientalium monachorum diſciplinam æmulari videbantur. Idem Fauſtus in homilia tertia abbatem & præpoſitum loci deſignat: tum meminit regulæ, voti, habitus peculiaris a ſæculari diverſi. Quippe agens de iis, qui retento habitu *a corpore congregationis* recedebant: *Iſti tales*, inquit, *neſciunt quid voverunt.* Nam licet *nomen atque habitum promiſſionis ſuæ cuſtodire videantur,* animæ illorum negligentiis tabeſcunt ac diffluunt. tum ſubdit: *Et quid gravius, quam ut ſubito eradiceris de loco, ad quem te Dominus tuus vocaverat? oblivisci ſubito fraternæ ſocietatis & conſolationis, oblivisci loci illius, in quo primum dulciſſimum habitum mutaſti, & nomen ſæculare exuiſti?* Ceterum magnam in illa inſula fuiſſe monachorum parſimoniam & vitæ ſeveritatem, diſcimus ex his Sidonii ad Fauſtum verſibus:

——————Vixque otia ſomni,
Vix coctos capere cibos. Abſtemius ævum
Ducis, & inſertis pingis jejunia pſalmis.

XXXII. Abbates primi Lirinenſes.

Honorato, ad inſulas Arelatenſes poſt Patrocli necem, quam anno viceſimo ſexto ſupra quingenteſimum Proſperi chronicon reponit, rapto, ſucceſſit Maximus, dignus habitus, *cui fundator ille Lirinenſis* [e] *navis poſt ſe gubernacula committeret. Is plenis ſeptem annis ibidem Chriſti gregem pavit*, ut legitur in oratione

[e] Eucher. ep. de laude eremi.

Digitized by Google

ANN. CHR. 510.

ejus funebri, quam Fauſto ejus ſucceſſori recte vindicat poſt Vincentium Barralem Joſephus ᵃ Anthelmius, a quo multum lucis accepit hiſtoria Lirinenſis. *Annorum hebdomada*, ſic idem Fauſtus loquitur, *tranſacta*, ambierunt illum in epiſcopum Antipolis & Forojulium: *qua ille ſuſpicione percuſſus, triſtem parat egreſſum, & longinquum meditatur exſilium:* ſed Reium * tandem prævaluit, eumque antiſtitem habere meruit. Maximum in regimine Lirinenſi anno quingenteſimo triceſimo-tertio excepit Fauſtus, idem itidem Maximi in ſede Reienſi ſucceſſor. quod egregie his verſibus exprimit Apollinaris Sidonius:

ᵃ *Anthelm. de init. eccl. Forojul. p. 89.*
* *Riez.*

———Fuerit quis Maximus abbas,
Urbem tu cujus, monachoſque antiſtes & abbas
Bis ſucceſſor agis.

Fauſto ad eccleſiam Reienſem abeunti ſuffectus Nazarius ſancti Stephani cœnobium virginum in Arluco * exſtruxit, in colle peramœno ad oram maris & ad ripam fluvii Siagnæ *: cujus parthenonis eccleſiam ſub titulo ſancti Stephani dedicari curavit. Hoc cœnobium ſanctus Aigulfus abbas ſæculo ſexto inſtauravit, eidemque Angadriſmam abbatiſſam præpoſuit. Porcarius abbas, Nazarii ſucceſſor, Abboni adminiſtrationem morte reſignavit ineunte ſæculo ſexto.

* *Arluc.*
* *La Siane.*

XXXIII. Viri illuſtres

Sub his abbatibus fluruere quam plurimi viri pietate, doctrina, pariterque dignitate illuſtres. Enituit in primis Hilarius, Honorati popularis, ac forte conſanguineus, diſcipulus, & in ſede Arelatenſi ſucceſſor: cujus cauſa is, plus jam *infirmitatibus* ᵇ, quam ætate gravis, patriam olim faſtiditam, *non refugiens tanti itineris laborem*, non dedignatus eſt repetere, ut adoleſcentem, *jam amicum ſeculo, ſed contumacem Deo*, ad Chriſti militiam adduceret. Hanc patriam, quam Hilarius in vita Honorati, & Honoratus Maſſilienſis epiſcopus in vita ipſius Hilarii, de induſtria reticent, multum a Lirino diſtitiſſe verba mox relata probant, quæ nonnulli ad Campaniam, alii ad Belgicam primam trahunt. Nobilem tironem multa ſollicitudine informavit Honoratus: qui tantæ caritati vicem aliquam rependere conatus eſt, ſcripta de ejus geſtis præclara oratione, qua nullum fere per id tempus illuſtrius monumentum. Diſcedentem Lirino antiſtitem juſſus ſequi Hilarius, quam propere rediit ad amicam Lirinum. « Quantus amor eremi ᶜ fuit, ait vitæ ſcriptor, « apud quem beati Honorati dilectio non potuit ſtudio caritatis imminui; ſed ardentiſſi« ma compunctionis flamma! Unde ad eum Eucherius: Magno animo egreſſus du« dum de domo tua & de cognatione tua, uſque in mare magnum recedentia eremi « ſecreta penetraveras: majore tamen virtute repetita eſt à te eremus, quam petita. nempe quod eremum ingreſſus, Honoratum habuit ducem & magiſtrum: at redeuntem ad familiare eremi ſecretum unus ſolitudinis amor retulit. Mortuo poſt duos annos Honorato ſuffectus eſt in ſede Arelatenſi Hilarius, quam ad annum ſæculi quinti undequinquageſimum rexit: ſiquidem hoc anno data eſt Leonis Magni epiſtola ad Ravennium ejus ſucceſſorem. Obiit ipſe, cum ætatis *vix* ᵈ *quadrageſimi-octavi anni circulum impleret.* ac proinde Honorato ſucceſſit anno ætatis viceſimo-octavo. « Sancto Capraſio, Honorati primo inſtitutori, jam epiſcopus « adfuit morienti: ubi tunc temporis ſanctum Fauſtum, preſbyterum pariter & ab« batem, ita futurorum præſcius honoravit, ut inter ſe & ſanctos ſacerdotes Theo« dorum & Maximum compelleret reſidere. Ex quibus intelligas, beatum Capraſium, quem jam *ſenem perfecta conſummataque virtutis* primum adiit Honoratus, non ante annum ſæculi quinti triceſimum-tertium ad ſuperos abiiſſe: cum eo ipſo tempore jam ſedem Reienſem iniiſſet Maximus, qui regimen cœnobii Lirinenſis non ante annos ab Honorati ex inſula diſceſſu ſeptem Fauſto abbati reſignavit. Quod idcirco lubet obſervare, ut Lirinenſis monaſterii primordia non ante ſæculi quinti initium ſtatuenda eſſe demonſtremus.

ᵇ *Hil. in Vita Honorati.*
ᶜ *Honorat. in ejus vita.*
ᵈ *Ibid.*

XXXIV. S. Hilarius.

Præter Honoratum ac Maximum Eucherius celebrat reverendi nominis Lupum, qui poſtea Trecenſis epiſcopus fuit, ac *germanum ejus Vincentium, interno gemmam ſplendore perſpituam*; ad hæc *venerabilem ætate Capraſium, veteribus ſanctis parem*, qui Honorati primus, ut jam dixi non ſemel, inſtitutor, ejuſdem poſtea tantum-non diſcipulus Lirini exſtitit. Longe plures omittit Eucherius, quibus duos præ ceteris præfert, Lupum & Vincentium, Hilario ſcribens, quod Hilarii ſororem

Digitized by Google

ANN. CHR. 510. Pimeniolam Lupus quondam in matrimonio habuiſſet: ſed ea dimiſſa, Lirinum ſe recepiſſet.

XXXV. Lupus. Lupum Tulli-Leucorum in prima Belgica, ut in ejus actis apud Surium, nobili in primis genere oriundum, *poſt deſudatas militiæ Lirinenſis excubias*, epiſcopum factum fuiſſe auctor eſt Sidonius [a], & quidem anno quadringenteſimo viceſimo-ſeptimo, proximo poſt Honorati, cujus diſcipulus fuit, electionem in epiſcopum Arelatenſem. *Summa homini*, inquit Sidonius [b], *cura de litteris, ſed maxime de religioſis, in quibus eum magis occupat medulla ſenſuum, quam ſpuma verborum.* Denique *pontificum Gallicanorum facile principem* fuiſſe, quod ait idem Sidonius, probat tum legatio in Britanniam cum ſancto Germano epiſcopo Autiſiodorenſi contra Pelagianos, tum repreſſa Attilæ tyranni ferocia.

a Sidon. lib. 6. ep. 1.
b id. lib. 7. ep. 13.

XXXVI. Vincentius. Vincentius Lupi germanus frater, relicta, quam primo ſectatus eſt, ſæculari militia, Lirinenſem Honorato duce amplexus eſt. Preſbyter factus elegantiſſimum Commonitorium, quo omnium hæreſeon monſtra confodit, ſcripſit anno ſæculi quinti triceſimo-quarto, ſub regimine Fauſti abbatis. Ad hoc negotium illum *non ſolum fructus operis, ſed etiam conſideratio temporis & opportunitas loci* invitavit. Tempus, ut aliquid de tempore raperet, *quod in vitam proficiat æternam:* locus, quod *ſecretum monaſterii incoleret habitaculum, ubi abſque m·gna diſtr·ctione* Deo, rebuſque divinis vacare poſſit. Sed & monaſtici propoſiti rationem in id convenire dicit, quod *variis ac triſtibus ſæcularis militiæ turbinibus* expeditus, *tandem in portum religionis* appulerit. Obiiſſe ante annum ejuſdem ſæculi quinquageſimum, viris eruditis perſuaſum eſt.

XXXVII. Veranus & Salonius. Diſcipulos habuit præ ceteris Veranum & Salonium Eucherii filios, uti Eucherius ipſe teſtatur in epiſtola ad Salonium, libro de quæſtionibus veteris ac novi
» Teſtamenti præfixa: ubi Salonius, *vixdum* decem natus annos, eremum Lirinen-
» ſium ingreſſus, inter illas ſacras manus, non ſolum imbutus memoratur, verum
» etiam nutritus ſub Honorato patre illo primo inſularum, poſtea eccleſiarum ma-
» giſtro: tum ſub beatiſſimi Hilarii, tunc inſulani tironis, ſed jam nunc, inquit,
» ſummi pontificis, doctrina formatus per omnes ſpiritalium rerum diſciplinas; poſtea
» conſummatus a ſanctis viris Salviano atque Vincentio, eloquentia pariter, ſcien-
» tiaque præeminentibus. Tandem ambo, Veranus & Salonius, epiſcopi fuere, uti & Valerianus, itidem Lirinenſis, cujus præclaras aliquot homilias habemus, idemque epiſcopus ſedis Cimelenenſis, quæ poſtmodum Nicium tranſlata eſt. An idem fuerit ille Valerianus Eucherii conſanguineus, ad quem inſignis exſtat ipſius Eucherii epiſtola de contemtione rerum humanarum, mihi non ſatis compertum, nequidem ex his quæ in utramque partem verſavit eruditus Anthelmius [c], tametſi in affirmantem ſententiam propendet animus. Ad Salvianum quod attinet, fuit ille quidem Honorato carorum ſuorum unus [d], & apud Lirinum aliquando hoſpes, ubi Salonium eloquentiæ præceptis imbuit: ſed non monachus.

c Anthelm. de Forojul. p. 212.
d Hilar. in vita Honorati.

XXXVIII. Fauſtus. Præclara ſunt quæ de Fauſto, monacho primum, & poſt Maximum Honorati ſucceſſorem abbate Lirinenſi, prædicat Apollinaris Sidonius tum in duabus ad eum epiſtolis, tum in carmine euchariſtico ad eumdem. Maximo abbati anno triceſimo-tertio ſupra quingenteſimum, ut jam dixi, ſucceſſit: ſub cujus regimine gravis orta eſt ipſum inter & Theodorum Forojulienſem epiſcopum controverſia de jure ipſius diœceſani epiſcopi in Lirinenſes, de qua inferius agendum. Maximum mortuum inſigni oratione proſecutus eſt, quæ inter vulgatas Euſebii Emiſſeni homilias reperitur, eumdemque in cathedra Reienſi excepit. Is epiſcopus precum peritus inſulanarum, ut Sidonii [e] verbis utar, quas de palæſtra congregationis eremitidis & de ſenatu Lirinenſium cellulanorum in urbem quoque Reium tranſtulerat, nihil ab abbate mutatus eſt per ſacerdotem: quippe cum novæ dignitatis obtentu rigorem veteris diſciplinæ non relaxaverit. Et tamen in tanta vitæ ſeveritate ejus *annos * dextera [f] numeravit*, teſte Sidonio, ac proinde annum ætatis centeſimum exceſſerat tum, cum hanc epiſtolam ſcriberet Sidonius, qui anno ſæculi quinti ſeptuageſimo-ſecundo epiſcopatum iniit. Idem auctor in eadem epiſtola Fauſti libros laudat, ejuſque ſtudium erga philoſophiam, quæ raſo capillo ſuperfluæ religionis, ac ſupercilio ſcientiæ ſæcularis, ab ipſo ſemper adamata eſt.

e Sidon. lib. 9. ep. 3.
f ibid. ep. 9.

* Qui olim per digitos numerabant, quæ ars indigitatio vocabatur, a ſiniſtra manu incipiebant uſque ad numerum centeſimum, in quo ad dexteram tranſibant.

Hæc

AN CHR. 510.

Hæc ab annis, inquit, veſtra jam dudum pediſequa primoribus, hæc tuo lateri comes inſeparabilis, ſive in palæſtris exercereris urbanis, ſive in abſtractis macerarere ſolitudinibus. Hæc athenæi conſors, hæc monaſterii, tecum mundanas abdicat, tecum ſupernas prædicat diſciplinas. Fauſti pietatem, qui ejus homilias legerit, religionemque fatebitur cum eccleſia Reïenſi, quæ ejus diem feſtum colit ſeptimo-decimo calendas Februarii, quamvis in Semipelagianorum errorem, ante Concilium Arauſicanum ſane veniabilem, impegerit. Brittonem fuiſſe, ſive ex minori, ſeu potius ex majori Britannia oriundum, colligimus ex patria Riocati antiſtitis ac monachi, qui *bis peregrinus*, utpote monachus & extra patrium ſolum exſiſtens, quædam volumina *Britannis* pro ipſo reportans, ea Sidonio [a] legenda permiſit. Hic eſt Riocatus, qui in vetuſtiſſimis Litaniis Anglicanis [b] Sanctus appellatus eſt ante annos fere nongentos, neſcio an idem qui ſanctus Riochus dicitur in actis ſancti Wingaloei abbatis Landvenecenſis in minori Britannia.

[a] ibid.
[b] Vet. Anal. to. 2. p. 672.

Porro in Fauſti operibus elucet non modo eloquentia haud vulgaris, ſed & pietas, ſi errata Semipelagianorum excipias. Præclara ſunt in primis quæ in homiliis ſuis ad monachos, & in nonnullis quæ ſuperſunt epiſtolis ſcripſit: qualia ſunt quæ de lectione habet in epiſtola ad quemdam monachum Græcum, qui in errorem Neſtorianum lapſus erat, ubi eum monet, ut rectum animi ſui ſenſum, qui multæ elationis pondus non ſuſtinet, magis laboris occupatione caſtiget; ita caveat nimiam lectionem, ut cordi parum capaci, tamquam ſumti immoderatius vini periculoſam ebrietatem: numquam cogitationibus ſuis credat, ſed magis imitanda legat, quam legenda conſcribat.

XXXIX. Lis de privilegio Lirinenſi.

Sub Fauſto, ut mox dicebam, Lirinenſi abbate gravis exarſit inter ipſum & Theodorum epiſcopum contentio de jure diœceſani epiſcopi in monaſterium Lirinenſe. Hoc primum ſitum fuit in diœceſi Forojulienſi: nunc vero in Antipolitana ſeu Graſſenſi. Honoratus loci conditor principio ita pepigerat cum Leontio epiſcopo, ut Lirinenſes clerici atque altaris miniſtri à nullo, niſi ab ipſo epiſcopo, vel ab eo, cui permiſiſſet, ordinarentur; chriſma ab eodem acciperetur: laïca vero omnis monaſterii congregatio à ſolo abbate penderet. Anno quadringenteſimo triceſimo-ſecundo kalendis Decembris ſanctus Leontius obiit, altero anno poſt ſanctum Honoratum. Leontio ſubrogatus Theodorus ex abbate Stœchadum inſularum, ſive novo decreto Concilii Chalcedonenſis, quod monachos epiſcopis ſubjiciebat, elatus, ſeu quavis alia ductus ratione, intra limites pacti cum Leontio initi conſiſtere noluit: ſed omnem in monachos Lirinenſes auctoritatem ſibi vindicare molitus eſt, & Fauſtum abbatem ſibi repugnantem tantum-non ſacris interdixit. Ubi nata eſt hæc controverſia, comprovinciales vicinoſque epiſcopos in varias partes diſtraxit, aliis pro Theodoro epiſcopo, aliis pro Fauſto, ejuſque monaſterio ſtantibus. Lirinenſibus favebant præ ceteris Maximus Reïenſis, & Valerianus Cimelinenſis, ex grege Lirinenſi electi ad epiſcopatum. Cum hæc lis latius ſerperet, Arelate convocati ſunt a Ravennio metropolita epiſcopi ad eam componendam. Annum ſignat Sirmundus quinquageſimum-quintum ſupra quadringenteſimum, a Chalcedonenſi Concilio quartum; Anthelmius quinquageſimum, ratus, Theodorum, ſi hic conventus Chalcedonenſi poſterior fuiſſet, ejus decreto adverſus Lirinenſes uſurum fuiſſe. Res magna civilitate & æquitate ſic geſta eſt.

XLI. Concilii Arelatenſis hac de re decretum.

Ravennius metropolita, cum hæc contentio longius procederet, ſcandalo inde naſcenti modum impoſiturus, audientiam ad tertium Kalendas Januarias Arelate indixit. Epiſtola generalis hac de re ad epiſcopos, prætermiſſo Theodoro epiſcopo, ſcripta, in qua, Lirinenſes tantum & Ruſticum epiſcopum blande compellat, his verbis uſus eſt ad Lirinenſes. *Beatitudinem vero veſtram præcipue adeſſe convenit, quos inſula ipſa, velut ſinu quodam genitricis fovens, ad eam gratiam, quæ nunc in vobis eſt, Domino inſtigante perduxit.* tum ad ſanctum Ruſticum: *At præcipue beatitudo veſtra ut adſit, primum deprecamur, quia gravior infirmitas neceſſario medicos peritiſſimos requirit.* Erat is Ruſticus antiſtes Narbonenſis, ex monacho, ut probat ejus inſcriptio Narbonenſis ab eruditiſſimo Baluzio primum relata in prioribus ad Salvianum [c] Maſſilienſem notis, tum in ſecundo tomo Capitularium; idem, ut ipſi videtur, cui ſanctus Hieronymus epiſtolam quartam de recta monachorum vivendi ratione ſcripſit: quem Lirini, vel in Stœchadibus inſulis mona- XLII.

[c] Baluz. in notis ad Salvian. pag. 408.

ANN. CHR. 510.

chum fuiſſe veri ſimillimum eſt. Huic ergo Synodo interfuerunt metropolitæ, Ravennius Arelatenſis, & Ruſticus Narbonenſis, cui ex Zoſimi decreto præeminebat Arelatenſis: epiſcopi, Nectarius Dinienſis, Florus Tricaſtinenſis, Conſtantius forte Ucetienſis, Aſclepius Aptenſis, Maximus, alius forte a Reienſi, quod is, uti & Valerianus, in conſeſſu non comparuiſſe videantur, utpote Lirinenſibus addicti; Juſtus an Valentinenſis, Salonius incertæ ſedis, tametſi Genuenſis in ſchedis Athanacenſibus dicitur, Ingenuus Ebredunenſis, Inantius, Zoticus, & Chryſantus incertarum ſedium epiſcopi. Omnes in ſecretarium ſeu ſanctiorem eccleſiæ Arelatenſis partem convenere. Ibi prece ad Dominum præmiſſa, nullo extrinſecus arbitro interveniente, ut ſcilicet majori cautela, ut in pios viros, res « gereretur, cum de remedio ſcandali pertractaſſent, placuit, ut omnibus, quæ in » controverſiam venerant, ſollicite ventilatis, Theodorus Forojulienſis, *utpote antiquus abbas & epiſcopus*, exoraretur, ut ſe facilem ac benignum adverſus Fauſtum abbatem, ejuſque monachos ſe præberet *ad recipiendа ſatisfactionum remedia*; & ſanctum presbyterum & abbatem Fauſtum, *indulta, ſi qua illi eſſet, culpæ venia*, in priſtinam caritatem & concordiam denuo admitteret, ſolita ei ejuſque monachis vitæ ſubſidia in poſterum conferendo: denique id ſibi tantummodo in eos vindicaret, quod deceſſor ſuus ſanctæ memoriæ Leontius epiſcopus vindicaverat: *nempe ut clerici, atque altaris miniſtri, nonniſi ab ipſo, vel cui ipſe injunxerit, ordinentur: chriſma nonniſi ab ipſo ſperetur: neophyti ſi fuerint, ab eodem confirmentur: peregrini clerici, abſque ipſius præcepto, in communionem vel ad miniſterium non admittantur. Monaſteris vero omnis laïca multitudo ad curam abbatis pertineat, neque ex ea epiſcopus ſibi quidquam vindicet, aut aliquem ex illa clericum, niſi abbate petente, præſumat.* Hoc enim & rationis, & religionis plenum eſſe, ut clerici ad ordinationem epiſcopi debita ſubjectione reſpiciant: laïca vero omnis monaſterii multitudo ad ſolam ac liberam abbatis proprii, quem ſibi ipſa elegerit, ordinationem diſpoſitionemque pertineat, Regula, quæ a fundatore ipſius monaſterii dudum conſtituta eſt, in omnibus cuſtodita. » Hoc eſt ſollemne ac celebre illud Arelatenſe decretum, quod ſubſequentibus monaſteriorum privilegiis primam formam dedit, in Carthaginenſi concilio ſub Bonifacio primate laudatum: ad cujus notitiam quædam hic paucis obſervare juvat.

XLI. Notabilia de clericis & laïcis apud monachos.

In hoc decreto diſtinguuntur apud Lirinenſes clerici, miniſtri altaris, laïca multitudo. Clerici tunc dicebantur, non a tonſura, ſed a quovis officio eccleſiaſtico cantoris, æditui, œconomi, notarii, vel defenſoris: miniſtri altaris a quolibet ordine ex minoribus, majoribuſve: laïci, ſimplices monachi, ejuſmodi officiorum & Ordinum expertes, qui ut a laïcis ſæcularibus ſecernerentur, aliquando *laïci majoris propoſiti* appellati. Dicitur vero *laïca multitudo*, quod plures tum eſſent ejuſmodi laïci, quam clerici & miniſtri altaris apud monachos. Non paucos tamen, ſaltem ævo Gregorii Magni, clericos majores Lirini exſtitiſſe, probat ejus epiſtola ad Stephanum abbatem: ubi *presbyteros, diaconos*, cunctamque congregationem unanimes ibidem vivere gratulatur. Fructuoſus Bracarenſis epiſcopus in capite ultimo Regulæ primæ, monachos diſtinguit a laïcis monaſterii, his verbis: *Monachi in monaſterio ſancte, & pudice, atque honeſte viventes perſiſtant: laïci foris abbatis vel præpoſiti mandata perficiant.* Tales ſunt quos modo Converſos appellamus. At de ejuſmodi laïcis in ſuperiori decreto ſermonem non eſſe, ſed de monachis, ex eo eruitur, quod ad laïcam illam multitudinem pertinebat electio abbatis Lirinenſis. Sæculo ſexto & ſequentibus clerici & monachi nomina promiſcue uſurpabantur, ut alias videbimus.

XLII. Quod de ordinibus a diœceſano epiſcopo, vel ſaltem ejus permiſſu ab alio ſuſcipiendis ſtatuitur, in pleriſque monaſteriorum antiquioribus privilegiis itidem inculcatum eſt: at proceſſu temporis, cum diœceſani epiſcopi omnimodam ab ordinandis ſubjectionem exigerent, alia privilegia ſubinde obtinnere monachi, ut Ordines a quovis epiſcopo poſſent ſuſcipere. quod etiam de chriſmate ſtatutum eſt.

XLIII. Addit decretum, monaſterii omnem laïcam multitudinem ita ad curam abbatis pertinere, ut epiſcopus ſibi ex ea *quidquam* non vindicet. cui rei quoddam temperamentum pro aliis, quæ ſimili privilegio non gaudebant, monaſteriis adhibitum eſt, non tam pro diſciplina interiori, quæ abbatibus reſervata eſt, quam pro exteriori, ne videlicet extra monaſteria vagarentur: quod fieri vetat canon quar-

ANN. CHR. 510.

tus concilli Chalcedonenſis' : neu ad ſæculum aut ad ſæcularia vota relaberentur : quod multis aliis conciliis cautum eſt. Denique nullum ex monachis clericum, *niſi abbate petente*, ordinare permittitur epiſcopo : ne hac ſpecie monacbos a poteſtate abbatis eximere videretur. Duo tunc erant apud monachos clericorum ordines : uni, qui petente abbate & cœtu monachorum ad uſum monaſterii : alii, qui permittente abbate ad petitionem epiſcopi ordinabantur. Primi generis clerici nequaquam a monaſticis functionibus & vinculis eximebantur, ſed intra monaſterium, cui quodam modo alligati & incardinati erant, conſiſtere debebant : poſteriores ab ejuſmodi vinculis expediti erant, quatenus exterioribus Ordinis ſul muniis adverſabantur. quod ex Gregorii M. epiſtolis, & ex his quæ alibi dicemus, perſpicuum erit.

XLIV. Abbatis electio.

Ad hæc libera abbatis electio monachis aſſeritur. quod non primum a Leontio epiſcopo conceſſum, ſed ab ipſis cœnobialis vitæ primordiis in more poſitum fuit, naturali æquitate dictante, ut ſuum quævis familia ſuperiorem eligeret. Sic in monaſteriis Pachomianis ab initio, ſic in aliis omnibus ſubinde uſus obtinuit. At cum nonnulli præpotentes, ſive epiſcopi, ſive ſæculares, jus inſtituendi abbatis ſibi tribuerent ; obtenta ſunt ad revincendam eorum potentiam privilegia a regibus & pontificibus Romanis, quæ antiquam monachorum libertatem tuerentur, non jus adventicium tribuerent.

XLV. Neophyti in monaſteriis, qui.

Qui ſint illi neophyti, quos confirmari ab epiſcopo concilium decernit, facile intelliges, ſi recogites, quod jam ſuperius [a] obſervatum, moris tum fuiſſe, ut apud monachos catechumeni erudirentur ad baptiſmum. In quadam Theodori abbatis, Pachomii diſcipuli, epiſtola, quæ Regulæ Pachomianæ in codice regularum ſubjecta eſt, memorantur *catechumeni qui ſunt in monaſteriis, exſpectantes gratiam ſpiritualis myſterii.* & ſanctus Hieronymus in epiſtola ad Pammachium conqueritur, quod Johannes epiſcopus Jeroſolymitanus *competentibus* ſuis, qui erant in monaſterio Bethlehemitano, baptiſmum conferre nollet. Denique, ut multa id generis exempla prætercam, ſanctus Euthymius abbas multos ejuſmodi catechumenos Saracenos erudiiſſe, & ſacro lavacro regeneraſſe perhibetur. Plura iterum hac de re inferius. [b]

[a] *ſupra n.* 21.

[b] *hic lib.* 5. *n.* 51.

XLVI. Theodorus epiſcopus Forojulienſis.

Nec illud omittendum quod Patres concilii Arelatenſis Theodorum Forojulienſem compellant, ut Lirinenſibus mitiorem ſe præbeat, *utpote antiquus abbas & epiſcopus.* quippe non decere, ut qui abbas fuerat, ſeveriorem in monachos exhiberet ſe ſe ; & qui antiquus epiſcopus, juvenum præfervidum zelum præferret. Theodorus iſte, ut jam monui, abbas in Stœchadibus * prope Maſſiliam inſulis fuerat : cui, ſimulque Joviniano & Leontio itidem abbatibus, Caſſianus poſtremas ſeptem Collationes inſcribit, de Theodoro primum, dein de aliis duobus ſic loquens. *Poſterior ſiquidem veſtrum*, nempe Theodorus, *illam cœnobiorum ſanctam atque egregiam diſciplinam in provinciis Gallicanis antiquarum virtutum diſtrictione fundavit : cæteri vero non ſolum cœnobialem profeſſionem monachos apprime expetere, verum etiam anachoreticam, &c.* quod non ità intelligendum, quaſi Theodorus in Galliis vitæ monaſticæ auctor primus fuerit, cum ſancto Martino potius id acceptum referri debeat : ſed quod eam primus in illas inſulas vel oras intulerit. Tantum de concilio illo Arelatenſi, cujus decreto ſe ſe tuitus eſt Petrus abbas monaſterii Byzacenæ provinciæ adverſus Liberatum ejuſdem provinciæ primatem, ut inferius * dicturi ſumus.

* *Les Iſles d'Hieres.*

* *ad an.* 525.

XLVII. S. Cæſarius monachus Lirinenſis.

Poſt Fauſtum abbatem Lirinenſibus præfuit Nazarius, Arlucenſis parthenonis auctor, ad annum ſæculi quinti ſeptuageſimum-ſecundum. Nazario ſucceſſit ſanctus Porcarius abbas, qui Cæſarium, eximium illum poſtea epiſcopum Arelatenſem, Lirinum admiſit. Is ſtatim ab ipſo tirocinio in omnibus vitæ religioſæ exercitiis adeo ſtrenuum & indefeſſum ſe exhibuit, ut, quem inſtituendum ſuſceperat Porcarius, non tironem, ſed perfectum diſcipulum ſe inveniſſe gauderet. Remotus a cellerarii officio, quod moroſior nonnullis ac ſeverior videretur, ita ſe legendi, pſallendi, orandique & vigilandi aſſiduitate mactavit, ut corporis ſui vires prorſus debilitaverit, tanta inedia conficiendo, *ut de exigua oleris ſeu pulticulæ coctione, quam ſibi dominico die parabat, uſque in alteram dominicam victum traheret.* Hine valetudinem contraxit, cui curandæ Arelate miſſus, à Firmino viro illuſtri, & proxima ipſius illuſtriſſima matrefamilias Gregoria, quorum in clericos & monachos

Infirmus Arelate miſſus.

ANN. CHR. 510.

atque in pauperes eximia caritas erat, benigne excipitur. Dum in ea urbe moratur Cæſarius, in animum inducunt boni illi hoſpites, ut, quatenus valetudo ejus ſineret, cuidam ſibi familiariſſimo Pomerio clariſſimo rhetori, Afro genere, qui tum illic verſabatur, eloquentiæ præceptis imbuendus traderetur, quo *monaſtica in eo ſimplicitas ſecularis ſcientiæ diſciplinis* expoliretur. At quoniam Deus piiſſimi adoleſcentis animum ad una ſapientiæ cæleſtis ſtudia impellebat, *eruditionis humanæ figmenta non recepit, quem per ſe ſibi divina gratia præparaverat.* Acceſſit viſum de dracone, qui dormientis ſcapulam & brachium, cui librum a præceptore traditum ſomno inter legendum oppreſſus ſuppoſuerat, corrodens, ipſum ſubito excitavit, atque ita exterruit, ut protinus profanis litteris nuntium remiſerit.

A profanis ſtudus revocatur.

XLVIII. Presbyter ordinatur.

Hinc in notitiam venit Eonii Arelatenſis epiſcopi propinqui ſui, qui ægre ipſum a ſancto Porcario abbate impetravit: nec mora diaconum, deinde presbyterum ordinavit. Sic eccleſiæ Arelatenſi addictus, numquam tamen *canonicam modulationem monachi, numquam inſtituta Lirinenſium* vel modicum dimiſit. quippe *ordine & officio clericus; humilitate, caritate, obſequio, cruce monachus permanebat.* Denique non viſa, non audita ejus animum a cæleſtium rerum contemplatione & guſtu revocabant.

Epiſcopus deſignatus fugit.

Poſt hæc ſuburbanæ inſulæ monaſterium, abbate defuncto, regendum Eonii juſſu ſuſcepit, eo lubentius, quo monaſticæ vitæ exercitiis excolendis opportuniorem locum & occaſionem habiturus eſſet. Comperta ejus ſanctimonia & doctrina, Eonius eum ſibi ſucceſſorem optavit, ſuumque hac de re votum apud cives, *& ipſos rerum dominos*, id eſt reges Burgundionum, (ſic quippe Theodoricum rerum dominum Ennodius [a] vocat) *per internuncios* expoſuit. Res pro voto ceſſit. at cum id in Cæſarii notitiam veniſſet, in quædam ſepulcra ſe abdidit. Verum abſconſus eſſe non potuit, quem divina gratia publicabat. Igitur epiſcopatus ſarcinam coactus ſuſcepit, tantumque onus *modeſtiæ temperamento* levius portavit. Hæc electio contigit anno quingenteſimo-primo, poſtquam ſuburbanum cœnobium *ultra triennium* rexiſſet. Exciſum eſt jam pridem hoc monaſterium, in quo ſanctus Ailbeus ſeu Alveus Cæſario abbate præ aliis floruiſſe dicitur.

a *Ennod. lib. 4 ep. 6 & lib. 9. ep. 23.*

XLIX. Pomerii duo Afri.

Pomerius, rhetor ille Afer, cui apud Arelate erudiendus traditus eſt Cæſarius, alius videtur a Juliano Pomerio, qui libros ſcripſit de vita contemplativa: tametſi ambo Afri fuere, atque ambo monachi. Pomerius quippe ille Arelatenſis abbatis nomine compellatur in duabus [b] Ruricii Lemovicenſis antiſtitis epiſtolis: & Julianus Pomerius, cum epiſcopus eſſet, voluit, uti ipſe [c] teſtatur, *ſarcina epiſcopatus ſui depoſita*, elongari fugiens, & manere in ſolitudine. quæ duo, epiſcopalis nempe dignitas & ſolitudo, Pomerio Arelatenſi non conveniunt.

b *Ruric. lib. 1. ep. 17 & lib. 2. ep. 9.*
c *Julian. Pomer. lib. 1. c. 21.*

L. Cæſarius exſulat.

Dum prædicationi aſſidue vacat Cæſarius, dum vitiis, cum laïcorum, tum clericorum, corrigendis operam ſedulus impendit, adeo ut etiam eos, quibus faſtidioſus atque importunus videbatur, eccleſiæ egreſſu arceri curaret: quodam ex ejus notariis ſuggerente, in ſuſpicionem venit Alarico Gotthorum regi, quibus tum Arelate parebat, prodendæ vicinis Burgundionibus urbis; ob idque Burdegalam exſilio deportatus eſt. Verum brevi cognita ipſius innocentia, Liciniano accuſatori ſuo, quem rex Arianus lapidibus obruendum decreverat, veniam ſupplex impetravit.

LI. Parthenona condit.

Sub hæc beatus Pontifex puellare cœnobium in urbe conſtruere inſtituit, ut virginum choris Arelatenſium ornaretur eccleſia, & civitas muniretur. Necdum ſuprema operi manus impoſita erat, cum Franci & Burgundiones, Alarico mortuo, Arelate obſidione cingunt. Mox Theodoricus rex Italiæ, Amalarici ejus filii, ſuique ex filia nepotis, orbitatem ex animo miſeratus, auxilio accurrit. In ea obſidione monaſterium, quod ſorori Cæſariæ, ſacriſque virginibus conſtruere cœperat vir ſanctus, magna ex parte deſtruitur; atque ad cumulum doloris, cum ejus propinquus, urbi & ſibi timens, noctis ſilentio ad hoſtium caſtra transfugiſſet, à populo & Judæis inſimulatus eſt Cæſarius, quaſi urbem hoſtibus prodere ſtatuiſſet. Ob id retruſus in cuſtodiam, atque in ejus contumeliam epiſcopium immiſſa Arianorum turba fœdatum. Sequenti nocte Judæus quidam epiſtolam ſaxo alligatam in caſtra hoſtium jecit, monens, ut urbem ea parte, quæ ſuæ gentis cuſtodiæ commiſſa erat, invaderent. nam ea nullo negotio potituros, modo ut Judæis obtenta urbe parcerent. Digreſſis forte a muro hoſtibus, civis quidam epiſtolam deprehendit, atque ad concives recitavit. Ita, Judæo ejus ſcriptore correpto,

ANN. CHR. 510.

Cæſarius, probata iterum innocentia ſua, e cuſtodia educitur. qui Francorum multitudini in obſidione captæ, atque inopia laboranti victum ea caritate ſnbminiſtravit, ut ornamenta etiam eccleſiæ in id pietatis genus exhauſerit, ne illi Judæis aut Arianis ob vitæ neceſſaria ſe addicere cogerentur : profeſſus, contrarium Deo non eſſe de ſupellectile ſua redemtionem dari, qui ſe ipſum pro hominis redemtione tradidit.

LII. Regulam ſcribit.

Soluta obſidione, inchoatum cœnobium redintegrare inſtitit, perfectoque ſororem Cæſariam, e Maſſilienſi parthenone, quo eam monaſticis ritibus informandam direxerat, revocatam præfecit, regula ſanctimonialibus *ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum* præſcripta. Prima hæc, ni fallor, monaſtica regula in gratiam ſanctimonialium ſcripta eſt : cujus hæc prima lex erat, ut nulli uſque ad mortem e monaſterio egredi liceret. Infantes ibi nullæ ante annos ſex aut ſeptem admiſſæ. Litteras diſcebant omnes, atque omni tempore duabus horis, hoc eſt a mane uſque ad horam ſecundam, lectioni vacabant, divinis cetera officiis, ac labore communi, in primis lanificio occupatæ. Abbatiſſæ nec refectio, nec manſio privatim permiſſa. Veſtes non nigræ, contra quam viris, ſed laïæ aut lactinæ, id eſt nativi aut candidi coloris. Eleemoſynas ad januam monaſterii *propter nimiam inquietudinem* fieri vetuir, maluitque per proviſorem ad abbatiſſæ nutum diſpenſari. Janua monaſterii exterior nulla, præterquam baſilicæ : quæ & ipſa veſpertinis, nocturnis, ac meridianis horis numquam patebat, ita ut ipſis horis, quibus reficitur, claves apud ſe abbatiſſa haberet. quod etiam de januis monaſterii apud monachos alicubi hodie quoque obſervatur. Lectio non modo ad menſam, ſed etiam tempore laboris communis fiebat. Librorum etiam ſcriptio nonnullis pro labore erat. Pullorum eſus nonniſi infirmls [a] conceſſus : aliæ carnes citra deſperatam infirmitatem interdictæ. Ceterum cibaria ſeu fercula diebus jejunii tria, in prandiis bina, tertio haud dubie in cœnam reſervato. In feſtivitatibus majoribus ad prandium & ad cœnam alia ſuperaddita, & in fine dulciamina. Vini uſus permiſſus pro infirmitate aut qualitate conditionis delicatioris. ſingulis diebus, ſive hiemis, ſive æſtatis, bini *caldelli* ſeu calices ; in diebus jejunii *ad refectionem*, terni, junioribus tantum bini concedebantur. Jejunia ſecunda, quarta, & ſexta feria a kalendis Septembris : a kalendis vero Novembris uſque ad natale Domini quotidie, exceptis feſtivitatibus & ſabbatis. Ante epiphaniam ſeptena jejunia : abhinc ad quadrageſimam nonniſi feriis ſecundis, quartis, & ſextis. Nullum a paſchate ad pentecoſten jejunium : deinceps ad kalendas Septembris id abbatiſſæ diſcretioni relinquitur. Hæc eſt regula, quam beata Radegundis in Pictavenſi ſanctæ Crucis parthenone ſecuta eſt, tantopere a Venantio Fortunaro, aliiſque laudata : eademque uſus eſt ſanctus Donatus epiſcopus Veſontionenſis in concinnanda regula Juſſanenſium monacharum. Regula virorum, auctore eodem Cæſario, quam Tetradius preſbyter & abbas, ejus nepos, ex ore dictantis excepit, ejuſque juſſu *per diverſa monaſteria* tranſmiſit, eadem fere habet : niſi quod lectio una hora prolixior, & jejunia à Septembri ad natale Domini quotidiana præſcribuntur.

a V. infra lib. 5. n. 31.

Exhortationes ejuſdem.

Præter has regulas Cæſarius frequentes etiam ſanctimonialibus exhortationes ſcripto direxit ; in quibus ſuperbiam, invidiam, virorum colloquia & familiaritatem, veſtium elegantiam ſplendidumve colorem, opera manuum vana aut ſuperflua, præ ceteris cavenda monet. Humilitatem conſervandæ puritati neceſſariam eſſe. Non enim diu carnis integritatem ſervari, ubi animus tumore ſuperbiæ corrumpitur. Ceterum non ſufficere veſtem mutaſſe, & *religionis habitum* ſuſcepiſſe, niſi & mores mutentur, & *contra male-dulces voluptates* jugiter dimicetur. Porro duriora eſſe prœlia caſtitatis, ubi quotidiana pugna eſt, & rara victoria ; gravem eſſe caſtitatis inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur. Nemo quippe ſecurus vincit, qui ſecum pugnat. Præclara ſunt etiam ejus monita ad Oratoriam abbatiſſam. In his, ut ſic temporalia quaſi pro tempore agat, ut ſemper tenacius ſpiritualibus officiis inhæreat ; illis expeditis ad orationem ilico vel lectionem, *quaſi ad matris ſinum*, recurſura. Quod aliis prædicat, factis prius impleat. Prior in eccleſia inveniatur, poſtrema exeat : prima itidem ſuſcipiat laborem, poſterior ſolvat. Communibus cibis uratur in communi menſa. Non ſit veſtibus ornatior ceteris, ſed moribus. Sorores omnes æqualiter diligat, ac parem eis caritatem impertiat. Nomen ejus complures noverint, beneficia plurimi ſentiant, vultum

AN. CHR. 510.

rari cognoſcant. Omnis denique ejus actio ſemper ſit propter Deum ; ſermo de Deo, cogitatio in Deum. Hos mores in abbatiſſis beatus Pontifex exigebat. „

LIII. S. Johannis primæ abbatiſſæ.

Oratoria parthenonis Arlucenſis, quem a Nazario abbate Lirinenſi ad oram maris conditum diximus, fortean abbatiſſa erat. Certe non Arelatenſis a Cæſario conſtructi: cui primo loco præfuit Cæſaria ejus ſoror; eaque mortua, alia cognominis, cui Cæſarii teſtamentum ejuſque vita inſcripta eſt. In hoc cœnobio ſancti Johannis (ſic enim appellabatur, tametſi eccleſia *triplicem in una conclusione*, id eſt ſub uno tecto, *baſilicam* continebat, cujus media beatæ Mariæ, duæ altrinſecus ſancto Johanni & ſancto Martino ſacratæ erant) vivebant ſub Cæſaria juniori ducentæ ut minimum ſanctimoniales: ad quas imitandas Venantius Fortunatus [a] beatam Radegundem adhortatur. Liliolam alteri Cæſariæ ſucceſſiſſe idem auctor tradit, ubi Cæſariam juniorem ſanctis virginibus adnumerat, eamque ſuo tempore *Arelatenſe decus* appellat.

a Fortun. lib. 8. c. 1.

Has inter comites conjuncta Ceſaria fulget,
Temporibus noſtris Arelatenſe decus,
Ceſarii monitis luci ſociata perenni,
Si non martyrii, virginitatis ope.
Quos Liliola refert agnatis moribus ambos,
Et claram heredem proxima palma manet.

De ſancta Ruſticula, poſt Liliolam abbatiſſa, in Sæculo proximo agemus. Non levius hoc loco præmittenda erat florentiſſimi parthenonis commemoratio, qui etiam nunc viget ſub regula ſancti Benedicti, ab auctore ſuo ſancti Cæſarii appellatus.

LIV. Cæſarius Ravennam abductus.

Non tulit bonum hoc opus invidia, quæ novam inde vexationem ſancto auctori ſuo accerſivit. Is enim apud Theodoricum Italiæ regem, utpote Amalarici tutorem, accuſatus, quaſi res eccleſiæ in id oneris prodegiſſet; Ravennam ſub cuſtodia pertractus eſt. Verum angelici vultus adſpectu, & innocentiæ ſecuritate regem ita permovit, ut ei venerabundus aperto capite aſſurrexerit Theodoricus, & in hoſpitium cum honore dimiſſum diſci argentei munere donaverit. Cæſarius autem eo vendito, ex redacta pecunia captivos Gallicos ſuperiore bello factos redemit. Tantæ virtutis fama cum Romam ad Symmachum papam perveniſſet, ejus viſendi deſiderio pontifex flagrare cœpit; itaque in urbem accitum honorifice in primis excepit, atque pallii dignitate ornavit. Inde regreſſus Arelate Cæſarius, qui exſul in Italiam venerat, captivos redemtos reduxit, & dignitate auctus octo ſolidorum millia reportavit, quibus Carcaſſonem profectus, reliquum captivorum recepit. Cæſario tam felicem Ravennenſis exſilii ſucceſſum gratulatus eſt Ennodius [b], ſcripta elegaoti epiſtola, in hæc verba. *Quis hominum nobiliſſimo in Chriſti ſervitute Pontifici terrenas dominationes neſciat eſſe ſubjectas, & minacem reis potentiam innocentiæ objectione ſuperari? Tu ceteros, velut ſolis magnitudo aſtris minoribus comparata, tranſgrederis. In te lux convenit ſermonis & operis.*

b Ennod. lib. 9. ep. 33.

LV. S. Victoris monaſterium Maſſiliæ conditur.

Eodem fere tempore, quo Lirinenſe monaſterium, cujus occaſione hucuſque devenimus, Maſſiliæ perilluſtre ſancti Victoris cœnobium conditum eſt a Johanne Caſſiano, qui Roma in Galliam ſub initia ſæculi quinti appulerat. Is natione Scytha, ſi Gennadio credimus præ Holſtenio [c], qui eum Gallum fuiſſe colligit ex ipſius Caſſiani verbis, qui ſe ex Provincia [d] ortum innuere videtur; is, inquam, primum quidem in Bethlehemitico cœnobio monachus, dein cum Germano ſocio varias Ægypti ſolitudines monaſticæ eruditionis cauſa peragravit. Subinde Conſtantinopolim ad Chryſoſtomum profectus; ab eoque diaconus ordinatus, ejuſdem juſſu Romam ad tuendam ſancti patriarchæ innocentiam directus eſt ad Innocentium papam. Poſt magiſtri ſui mortem Romam reverſus, inde in Galliam acceſſit, & Maſſiliæ fixit pedem: ubi, conſtructo in honorem ſancti Petri ac ſancti Victoris monaſterio, cum piiſſimis quibuſque epiſcopis ac monachis, quibus & libros Inſtitutionum, & Collationes nuncupavit, magnam neceſſitudinem contraxit.

c Holſten. Praf. in Cod. Reg.
d Caſſian. Coll. 4. c. 1.

Inſtitutionum libri duodecim Caſtori Aptenſi epiſcopo; Collationes decem priores, quas eidem promiſerat, germano ejus Leontio Forojulienſi antiſtiti, & Helladio abbati; ſeptem ſequentes Honorato adhuc Lirinum moderanti, atque adeo ante

ANN. CHR. 510.

annum ſæculi quinti viceſimum-ſextum, & Eucherio inſcriptæ; ſeptem ſequentes Theodoro, Joviniano, & Leontio abbatibus, qui in Stœchadibus inſulis conſiſtebant, nuncupatæ ante annum ejuſdem ſæculi triceſimum, quo vertente Leoni, tum Romanæ eccleſiæ archidiacono, direxit libros ſeptem de Incarnatione contra Neſtorium, in quibus Collationum libros *dudum abſolutos* ait. Præter Victorinum, aliud etiam virginum cœnobium erexiſſe, atque ad quinque millia monachorum habuiſſe fertur. Et forte in puellari informata fuit monaſticis diſciplinis Cæſaria, Cæſarii epiſcopi germana, de qua modo agebamus. Etſi vero jam ab ipſa origine celeberrimum fuerit ſancti Victoris cœnobium; nulla tamen de eo nobis monumenta ſuperſunt ad ſæculum undecimum, quo caput denuo attollere viſum eſt. Nam quæ de Anaſtaſio abbate Maſſilienſi leguntur apud Gregorium [a] Turonenſem epiſcopum, & quæ de aliis octo ſubſequentibus abbatibus, quos inter ſanctus Maurontus privilegium a Carolo Magno impetraſſe perhibetur, in vulgatis libris legimus, minutiora ſunt, quam ut in annales referri mereantur.

a *Gregor. Tur. lib. 6. c. 11.*

LVI. Jurenſia monaſteria, Condateſcenſe.

Longe potiora de Jurenſibus apud Sequanos ſancti Romani & ſancti Lupicini monaſteriis nobis veneranda ſuppeditat antiquitas. Tria fuere iſtis in locis eorum monaſteria Condateſcenſe & Lauconnenſe virorum, Balmenſe puellarum. Sanctorum fratrum germanorum, atque adeo Augendi eorum diſcipuli ac ſucceſſoris, res geſtas litteris conſignavit monachus Condateſcenſis anonymus tribus libris, quos duobus Agaunenſibus monachis piiſſimis, Johanni & Armentario, dedicavit, pollicitus ſe *eorum actus, vitamque ac regulam* deſcripturum. Romanus *intra Galliam Sequanorum*, quam hodie Comitatum Burgundiæ appellant, oriundus, primus vitæ monaſticæ inſtituta, quæ a venerabili Sabino *Lugdunenſis Interamnis*, id eſt Athanacenſis monaſterii, abbate hauſerat, in Jurenſem ſolitudinem invexit, ſecum etiam referens *librum vitæ ſanctorum Patrum, eximiaſque inſtitutiones abbatum.* quod de Caſſiani libris Inſtitutionum & Collationibus intelligendum eſt. Locum, ubi hæſit Romanus, trijugi montium cacumine ſæptum, ad confluentes Biennæ * & Elaveriæ, ab *uniti fluminis decurſu* Condadiſconem ſeu Condatiſconem dixere veteres Galli, quibus *Condatus* idem erat ac Latinis *Confluentes*. Sed cum ſoli aſperitas novis incolis alimenta negaret; vicinarum ſilvarum planiora & pinguiora loca, excisis abietibus, aut falce in prata, aut vomere in æquora complanarunt, ut ſuam inopiam ſublevarent. Baſilica ſanctis apoſtolis Petro & Paulo atque Andreæ primitus nuncupata: cujus dedicatio in kalendario loci x. kalendas Septembris conſignatur. Monaſterii conditionem ad annum octogeſimum ſupra trecenteſimum perperam retulit chronicon rythmicum ſæculo undecimo ſcriptum, cum vix ante annum ſæculi quinti triceſimum ejus primordia collocari poſſint. Romano brevi adjunctus eſt Lupicinus ejus frater, *germanitate* quidem *minor, ſed non impar poſtmodum ſanctitate.* Hic abſtinentiæ ac ſeveritati magis addictus erat: ille ad modum plurimorum ſe conformabat. Audita eorum fama Hilarius pontifex Arelatenſis, qui, abjecto Celidonio diœceſano antiſtite, Veſontionenſi eccleſiæ pro ſua dignitate intendebat, Romanum haud longe à Veſontione ſibi ſiſti mandavit, eumque, quantumvis renitentem, ſacerdotio initiavit anno quadringenteſimo quinquageſimo-quarto. Is vero profeſſionis priſtinæ memor, contra quam nonnullis uſu venit, qui ex tanto gradu ſe ſe immodice efferre, atque aliis præferre ſolent, ſacerdotalem dignitatem, ſic monaſtica temperabat humilitate, ut cum aliqua ſollemnitas adveniſſet, vix à «
fratribus ſacrificii cauſa cogeretur ſtare ſuperior: reliquis vero diebus monachum »
monachis exhibens, nihil in ſe eminentiæ ſacerdotalis præſtabat. »

* *La Bienne & l'Aliere.*

LVII. Lauconnenſe.

Creſcente ſupra modum diſcipulorum numero, cum Condateſcenſis locus non ſolum confluentibus turbis, ſed etiam fratribus alimenta ſufficere non poſſet; aliud monaſterium Lauconni in finibus Veſontionenſis diœceſis, duobus a Condatiſcone paſſuum millibus ad boream ædificatum eſt, eo ſcilicet in loco, ubi nunc ſancti Lupicini eccleſia & cella cernitur. In utroque monaſterio Romanus & Lupicinus indiſcriminatim *ambo præſules* ſeu abbates erant: tametſi Gregorius Turonum Epiſcopus *monarchiam* tribuit Lupicino, qui quidem peculiarius Lauconnenſi invigilabat, ubi centum quinquaginta fratres verſabantur. Chilpericum Burgundionum regem cum Genevæ adiiſſet, ab ipſo, licet Ariano, annuæ annonæ munere auctus, repudiatis prædiis abſceſſit, teſtante [b] Gregorio. Sub hæc Agrippinum comitem, ab Egidio militiæ magiſtro apud Imperatorem proditionis inſimulatum, e Romano carcere,

b *Gregor. Turon. de vita Patr. c. 1.*

AN. CHR. 510.

» ubi vinctus tenebatur, poſt capitis ſententiam precibus eripuit. Id accidit ſub an-
» num Chriſti quadringenteſimum ac ſexageſimum. Demum inſtante morte, cum
» per annos amplius viginti, teſte anonymo, Lauconnenſibus præfuiſſet, ſucceſſorem
deſignavit. Non diu poſt dignitatem retinuit Lauconnenſis abbatia, quam *cellam*
ſancti Lupicini jam appellat Carolus Magnus in diplomate pro Ricberto abbate Ju-
renſi, eamque principi monaſterio Condateſcenſi ſubjicit.

LVIII. Balmenſe virginum.

Propter locum ipſum in edita balma ſeu rupe (id enim balmæ vocabulum vete-
ri gallica lingua ſonat) parthenium centum-quinque virginum, quibus ſoror ipſo-
rum germana præfuit, piiſſimi fratres inſtituerunt tanta diſtrictione, ut quæcumque
iſtuc ſe recepiſſet, foris deinceps non videretur, niſi quando in ipſo extremo funere
ad cœmeterium deportaretur: & cum in vicino Lauconnenſi monaſterio mater for-
taſſis filium, vel germana fratrem haberet; ſic neuter alteri aut adſpectu, aut nun-
tio ſe prodebat, ut perinde eſſet utroſque jam ſepultos eſſe: ne quovis modo renova-
ta utrorumque recordatio, mollitie quadam diſtrictionem monaſticæ profeſſionis
diſſolveret. Locus paullo poſt incultus ac ſanctimonialibus vacuus, redactus eſt in
cellam ſen prioratum, ſancti Romani de Rupe vulgo appellatum: propterea quod
Romanus ibidem *in baſilica ſuper collis verticem*, id eſt in communi virginum condi-
torio extra parthenonis muros, ſepulturam elegit: ſuper cujus ſepulcrum, teſte
Gregorio, *m gnum templum ædificatum eſt*, ingenti populorum concurſu poſtea fre-
quentatum. Cur hunc locum ad ſepulturam ſuam prætulerit, cauſam hanc affert
Gregorius, quod qui vivens gratiam curationum divinitus acceperat, optaret poſt
mortem eſſe propitius mulieribus, quibus Condateſcenſis monaſterii, adeoque eccle-
ſiæ penitus interdictus erat acceſſus. Aliud ſupereſt apud Sequanos Balmenſe ſeu
Palmenſe virginum prænobile cœnobium, de quo alias, ubi de ſancta Othilia age-
mus: præter Balmenſe virorum, a ſancto Bernone abbate conditum, atque ſancti
Odonis ejus diſcipuli, qui eidem in regimen Cluniacenſe ſucceſſit, ſeceſſu illuſtre.

LIX. Romanum monaſterium.

His quartum addit monaſterium Gregorius Turonum antiſtes, vocabulo Ro-
» manum, quod ſanctus Romanus, *intra Alamania terminum*, hoc eſt in Valdenſi
» pago, diœceſi Aventicenſi ſeu Lauſannenſi, conſtruxit. Hoc eſt illud Romanum
» monaſterium, hodie quoque vulgo *Roman-mouſtier* appellatum, cui Theodatus &
» Florianus abbates ſancti præfuêre; quod ſanctus Wandregiſilus in reditu e Romano
» itinere luſtravit; quodque Rodulfus primus, Burgundiæ Transjuranæ rex, Adelaï-
» di ſorori ſuæ conceſſit; Adelaïs vero ipſa, ſancto Odoni abbati Cluniacenſi reſigna-
vit, ut ſuis locis dicturi ſumus.

LX. Sancti Romani tentatio duplex.

Dum hæc in Jurenſibus locis geruntur, Romanum ſeverius objurgat quidam
ſenior monachus, ſibi ut videbatur, ceteris prudentior, qui Monachos Condatiſ-
cone in dies ſuccreſcere videns, eorum indiſcretam multitudinem cauſatur, ſatius
eſſe dicens paucos cum delectu, quam tantam gregariorum hominum copiam te-
mere admittere. Ad hæc Romanus: Accuratam hominum diſcretionem, poſt cu-
juſque exitum, divino examini reſervari. Hic interim malos bonis, quantumvis
eos ab invicem ſecernere curemus, permiſtos degere. Saülem & Salomonem, a
Deo ipſo ad regnum; Judam ad apoſtolatum a Chriſto electos, poſtmodum tamen
horrenda defectione prolapſos. Multos in cœnobiis monaſticæ vitæ ardenter arripe-
re tirocinia, qui poſtmodum turpiter deficiant, qualis nuper e ſuis Maxentius: non
pauciores e contrario a tepidis initiis & a fœdis lapſibus ad meliora converti: cujus
rei apud ſe exempla ſuppeterent, qui poſt reſipiſcentiam ſacerdotio digni judicati,
demum monaſteriis, eccleſiiſque regendis adhibiti ſint. Ceterum dubium non eſſe,
quin hæc ſenis intempeſtivâ querela a ſalſo zelo & dæmonis livore proficiſceretur.
Nec contra muſſitare auſus eſt bonus ſenex, immo abbatis ſui factum calculo ſuo
approbavit, cautior atque compunctior de cetero factus.

LXI.

Sed hanc leviorem tentationem alia longe gravior tempeſtas excepit, quam fruc-
tuum rerumque ubertas, ſimulque ex vana ſcientiæ opinione conceptus tumor ac-
civit. Quippe cum ſubacta recens tellus inſolitam proventuum abundantiam attu-
liſſet, Condateſcenſes, rejecta abbatis ac regulæ parſimonia, ſolitæ frenos temperan-
tiæ laxare, atque ex nimia diſſolutione laſciviores exſiſtere cœperunt. Re ad ſe per
Romanum delata, Lupicinus ſeſe poſt ſextam admodum diem, quaſi ex improviſo
Condatiſconem adventurum pollicetur. Nec mora, adeſt ad condictum diem. Silet
interim biduo, dapibus ex recenti more lautioribus refectus. Tum ille ad Roma-
num

Digitized by Google

AN. CHR. 510.

num: Jam, inquit, me ſatias tenet harum lautitiarum. Hordeaceas, incretaſque ſeu furfureas abſque ſale & oleo in craſtinum pultes parari curato. his enim libenter veſcor. Hoc facto, rogat, ut in reliquos dies, dum inde Lauconnum revertatur, non aliæ ſibi reliquiſque deliciæ miniſtrentur. Vix fluxerat tertius dies, cum ſolutiores monachi, talem mutationem non ferentes, e monaſterio clam evolant. Ubi craſtinus illuxit, cum vidiſſet Lupicinus evanuiſſe e monaſterio turgidos fumos: Veni, ait, modo Romane frater, & redeant jube regulares, ut moris eſt, ciborum apparatus. Hujuſmodi enim homines, ut video, decreverant ſervire, non Chriſto Domino, ſed ſuo ventri. Igitur fugatis ventilatiſque paleis, ſerva nunc triticum; & graculis, corviſque evolantibus, jam paſce pacatus mitiſſimas Chriſti columbas. Idem, an aliud, ſed tandem conſimile factum diverſimode narrat Gregorius epiſcopus Turonenſis in capite primo de vitis Patrum, ubi Romani & Lupicini res geſtas compendio refert. Quippe Lupicinum, cum Romanum apud Alemannos monaſterium aliquando viſitaret, haud exſpectatum, fratribus in agro laborantibus, ingreſſum eſſe domum, in qua cibi coquebantur ad refectionem; ac viſo diverſorum ferculorum, piſciumque apparatu, intuliſſe: Non eſſe congruum, ut monachi, vitæ ſolitariæ atque auſteræ addicti, tanto apparatu tantiſque ſumtibus alerentur. Statimque juſſiſſe, ut omnia fercula promiſcue in unam ollam conjicerentur. Quod quidem monachi illi moleſte tulerint, atque ex iis duodecim ira inflammati inde diſceſſerint. Id vero non fuiſſe probatum Romano abbati, cujus precibus fugitivi illi reſipuerint, & ad monaſterium redierint. Neque tamen humanitatis expers erat Lupicinus, qui monachum aliquando exanimem repertum tanta caritate ac ſedulitate fovit, ut vitæ eum ac priſtinæ incolumitati ipſe per ſe reſtituerit.

LXII. Condateſcenſium victus & habitus.

Quinam fuerint per ea tempora Condateſcenſium regulares cibi, docet nos idem anonymus auctor ſubæqualis in actis ſancti Lupicini, ubi ejus auſteriorem vivendi modum ita deſcribit. Cum nullus, inquit, in Condateſcenſi præſertim cœnobio hodie uſque, in Chriſti nomine, de animali quidquam, exceptis lactibus; aut de alitibus præter ova, infirmans dumtaxat audeat deguſtare: iſte tamen ſæpiſſime ne ſtillam quidem olei aut lactis pulticulæ ſaltem ſuæ permiſit infundi. Vinum autem jam inde a monachali profeſſione numquam coactus eſt vel leviter prælibare, aqua ipſa ſic parciſſime uſus, ut etiam per octo ante obitum annos prorſus abſtinuerit. Ita Lupicinus ſupra morem aliorum: qui & tunicam ex diverſis quadrupedum pelliculis contextam, & cucullam viliſſimam, cum ruſticanis, hoc eſt ligneis, ſoccis; calceos vero tantum extra monaſterium geſtare ſolitus erat. Addit auctor eumdem abbatem ſanctum æſtivis diebus, ubi fames ac ſitis vehementia ſtomachum atque arida membra pulſaret auſterius, panem tantummodo comminutum, atque in paropſide aqua frigida madefactum, pro cibo ac potu comediſſe ad cochlear. Et hic ſine dubio fuit ille cibi apparatus, quem ſolutioribus illis monachis apponi curavit. Ceterum lectulus illi nullus ad ſomnum, quem ſedili ſuo in eccleſia inſidens capiebat, hieme ſuper tabulam tantiſper ad ignem calefactam. Verum pleraque hæc Lupicini facta miranda potius, quam imitanda idem auctor proponit.

LXIII. Augendus abbas.

Mortuo circiter annum octogeſimum ſupra quadringenteſimum Lupicino ſuffectus eſt Condateſcone ſanctus abbas Minauſius. ſic quippe in rythmico chronico appellatur. qui quod imbecilli & infirmo erat corpore, Augendum ſibi coadiutorem adeſſe juſſit: at ſacerdotio, nequidem futuræ ſucceſſionis ſpecie, haud quaquam illigare potuit. Apud Lauconnum alius abbas deſignatus: ſed quem nec anonymus vitæ ſcriptor, nec chronicon prædictum nominant. Augendus (ita ſcribebant veteres, quo nomine quidam abſtentus apud Cyprianum legitur) ſeptennis oblatus Romano, jam inde ad ſexageſimum, quo devixit, annum pedem extra monaſterium non extulit. Ita vero lectioni atque eruditioni, quatenus regularia exercitia ſinebant, ſe dedit, ut non ſolum latine, ſed etiam græce ſciret. Unica tunica & cuculla contentus, æſtate ſcapulari cilicino utebatur, quod ei pro munere tranſmiſerat vir ſanctitate conſpicuus Leonianus abbas Viennenſis, de quo inferius acturi ſumus. Prior in Oratorium ingreſſus, inde numquam recedebat niſi poſterior. Refectio ei omni tempore ſemel in die; in æſtate ad ſextam cum ceteris, alias nonniſi ad veſperam. Lupicini exemplo ad ſubeundum ſacerdotii gradum, ne prætextu quidem abbatialis officii, à Minauſio abbate, ejuſdem Lupicini ſucceſſore, umquam adduci potuit, ſæpius conteſtatus, ſatius eſſe abbati, ad ſa-

AN. CHR. 510

» nandam juniorum ambitionem, ſacerdotii expertem fratribus præeſſe, ne inde ſe » efferret immodice ſupra illos, quos humilitatis & modeſtiæ exemplo anteire conveniret. Deſpectus deſertuſque a nonnullis e ſuis, ſed curationum dono & prodigiis multis cælitus commendatus, ab optimatibus ipſiſque epiſcopis honoratus fuit, qui ejus colloquium epiſtolaſque certatim exquirebant. In his illuſtris quædam materfamilias, Syagria nomine, quæ tum erat *eccleſiarum, monaſteriorumque mater*, e deſperato quo tenebatur morbo, oſculanda ſancti viri epiſtola, repente convaluit. quo facto Lugduni civitas magnis gaudiis recreata eſt. Hæc eſt illa Syagria, quæ ſancto Epiphanio Ticinenſi epiſcopo, cum opes ſuas redimendis apud Lugdunum captivis profudiſſet, *continuo ad expenſas redemtionis neceſſaria ſuggeſſit*, *Theſaurus eccleſiæ Lugdunenſis* ab Ennodio [a] appellata; *cujus prolixam*, ait, *qu⸗rit vita narrationem.* tametſi *ſufficit ut ex operibus agnoſcatur, quæ verba tranſſcendunt.* Erat porro Syagria Latini uxor, viri præpotentis & nobiliſſimi, ſed Ariani, qui a Domitiano abbate ad fidem catholicam adductus, fundum eidem ad conſtruendum Bebronnenſe monaſterium conceſſit.

a Ennod. in vita ſancti Stephani.

LXIV. Mores ejus & ſtudia.

Cum vero in Augendi monaſterio etiam preſbyteri, multique fratres ſanandi virtute divinitus conceſſa pollerent, illis præ ſe medendi officium committere malebat. Id vero in primis curabat, ut pro ſuo quiſque dono a Spiritu-ſancto accepto, congruis ſtudiis vel officiis applicarentur. Ideo manſuetos ac ſenes quietioribus ac pacatioribus rebus adhibebat; ad ſuperbiam & vanitatem proclives communibus, non privatis; contra quam preſbyteris, quibus *ob miniſterium ſacrificii ſalutaris* opera in ſeceſſu exigenda committere ſolebat, tum ut majorem conſcientiæ puritatem hoc pacto facilius conſervarent, tum ut *abſque notitia vel participatione alieni rea-*
» *tus*, dum aliorum culpas ignorarent, corpus dominicum eis citra ſcrupulum tra-
» derent, quod alias forte ſubtrahere cogerentur. De cetero ita ſemper hilaris erat, ut ſicut illum triſtem nemo, ita ridentem nemo umquam viderit. Numquam ex laudibus inflatus, nec adverſis fractus, nec contumeliis. Præ ſanctis deceſſoribus ſuis lectionis aſſiduitatem diſcipulis ſuis inculcavit; & rejecto Orientalium more, deſtructis privatis cellis, omnes in commune domicilium diſcretis ad quietem lectulis incluſit, quos uno in loco ad refectionem una ædicula claudebat. Neque ille cellam ſeorſim habebat ab aliis, neque menſam. quod anonymus ſuo tempore alibi fieri cœptum improbat. Solis infirmis privatas cellas & menſam habere licebat. Nihil cuiquam proprium permittebat, præter lectionem & orationem. Cum ætatis annos ſexaginta paullum excederet, per ſex menſes morbo tentatus, nihil tamen de canonico curſu ſeu officio, nihil de priſtina unicæ refectionis ſeveritate remiſit. Morti proximus, accerſito uno e fratribus illo preſbytero, *cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos* munus injunxerat, *ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum, ut moris eſt, perungi petiit.* Tum tranſacta nocte, fratres ad inſtituta Patrum inviolabiliter obſervanda cohortatus, quinto abhinc die animam Deo reddidit, corpus ſanctum Condateſcenſi cœmeterio: ut, quemadmodum Balmenſe Romani, & Lauconnenſe Lupicini; ſic etiam Condateſcenſe monaſterium Augendi ſacris exuviis honoraretur. Hæc fere erat Jurenſium monachorum ſub his piiſſimis abbatibus inſtitutio, qui etſi orientalium mores penitus non affectarent, eorum tamen inſtituta lectitabant, & ex iis in ſuos uſus nonnulla aſſumebant, ex Pachomio, Baſilio, & Caſſiano, quin etiam ex Lirinenſium ritibus.

LXV. Sancti ac pii monachi Condateſcenſes.

Celebres eorum diſcipuli fuere Palladius *ſanctiſſimus*, & Sabinianus Diaconus *caſtiſſimus*, ſub Romano: Antidiolus preſbyter *ſanctus*, & Valentinus *venerabilis* diaconus ſub Augendo, a quo ſubinde ſancti Eugendi, vulgo *ſaint Oyan*, monaſterium dictum eſt, etiam tempore ſancti Bernardi abbatis Claræ-vallenſis, ac proinde longe poſt obitum ſancti Claudii epiſcopi Veſontionenſis ibidem ſepulti: cui tandem vetus appellatio ceſſit ob ſacrum ejus corpus, quod huc uſque integrum magna eo loci populorum pietate ac religione frequentatur. Sed hæc fuſius in ſubſequentibus. In kalendario Condateſcenſi notatur XVIII. *kalendas Februarii tranſlatio ſancti Palladii monachi, diſcipuli ſancti Romani abbatis.* &, X. *kalendas Januarii, Condadiſcono monaſterio, natale ſancti Sabiniani diaconi, diſcipuli ſancti Romani abbatis.* His adde commemorationem ſancti Juſti confeſſoris ad nonas Julii, & pridie kalendas Auguſti, ſancti Ymitherii monachi.

LXVI. Sanctus Antidiolus Augendi ſucceſſor, aliique.

Poſt ſanctum Augendum anno fere quingenteſimo decimo Antidiolus Condateſ-

ANN. CHR. 510.

cenſe monaſterium regendum ſuſcepit, *presbyter ſanctus* in actis Augendi appellatus, is qui poſt incendium monaſterii *ampullam cum oleo beati Martini, qua ſalutis gratia ad lectuli ſui capitium dependebat, plenam, clauſamque, ut fuerat, poſt vaſta incendia* reperit. Idem, ut ex chronico rythmico diſcimus, eccleſiam ſuper deceſſoris ſui tumulum conſtrui, & in ea divinum officium celebrari curavit. Olympius, & ipſe ſanctus, Antidiolo ſucceſſit. Hic ſæculares admiſit in locum Condateſcenſem, eiſque fundos ſub annuo cenſu, data facultate domos ædificandi, conceſſit. Hunc excepit beatus Sapientius, qui ſancti Stephani oratorium, ubi ſacramenta prædictis accolis miniſtrarentur, conſtruxit. Poſt Sapientium *beatus vir* Thalaſius: inde ſanctus Dagamundus: & poſt hujus obitum Andericus, qui *humilis ſupra modum, & ſanctus* fuiſſe perhibetur. Quot quiſque annos regimen tenuerit, etſi vulgati exprimunt indices, aſſerere nolim, deficientibus idoneis argumentis. De Injurioſo, undecimo loci abbate, in ſæculo ſequenti. Sancti Benedicti fama & opinio permanavit in hæc Jurenſia loca, cum beatus Maurus iſtic hoſpitatus, viduæ filium moribundum ſanitati reſtituit, Eligium nomine, qui poſtea Lirini monachus factus eſt.

LXVII. Viventiolus an ibidem monachus & præceptor.

Poſt Angendi obitum forte id contigit, quod ex Aviti epiſcopi Viennenſis decima-ſeptima epiſtola diſcimus, Viventiolum Jurenſis eremi preſbyterum acceſſiſſe Lugdunum, atque eo in itinere Apollinarem, Aviti germanum, Valentinum recens epiſcopum, qui tum morbo detinebatur, inviſiſſe, ac ſellam Avito tranſmiſiſſe: pro qua is Viventiolo cathedram epiſcopalem imprecatur & auguratur. Nec votum effectu caruit, Viventiolo paullo poſt in ſedem Lugdunenſem cooptato. Interim eum rogat Avitus, *ut nutantem Scholam cari communis Eugendi, præſule tunc viduatam, ſpiritali ſolatio & ſacerdotali magiſterio foveat*: ut in ſecundo ſacerdotii gradu probatus, aptior ſit ad primum gradum epiſcoporum. Inde conſecuturum, ut paterna dilectione monaſterium contineat, nec *fraterna diſſenſio* ibidem faciat eremum. quod argumento eſt, turbas, Augendo e vivis ſublato, de futuro ſucceſſore deligendo inter monachos excitatas fuiſſe: quibus componendis non alium magis idoneum Avitus, quam Viventiolum reputabat. Non tamen obtinuit ejus electio: at ſaltem ex hac epiſtola non levis conjectura deducitur, Viventiolum ex illo Jurenſium monachorum ſeminario prodiiſſe: qui locus ejus *ſollicitudine, inſtitutione, doctrina, etiamſi inventa ſit eremus, fieret paradiſus*, ut ad ejuſdem loci commendationem Avitus loquitur. Ex cujus verbis non obſcure inferas, Viventiolum ibi litteras docuiſſe.

LXVIII. Augendi obitus quo anno.

Inde etiam argumentum eruitur ad ſtabiliendum tempus obitus ſancti Augendi. Cum enim Viventiolus, jam epiſcopus Lugdunenſis, Agaunenſis baſilicæ dedicationi, quæ anno quingenteſimo quinto-decimo accidit, interfuiſſe memoretur: ſcholam Augendi, ut in ſuperiori epiſtola loquitur Avitus, aliquanto ante tempore præſule ſeu abbate mortuo, ſcilicet Augendo, viduatam affirmare poſſumus.

ANN. CHR. 515.

LXIX. Agaunenſis monaſterii conſtructio.

AT qui de anno conſtructi a Sigiſmundo rege monaſterii Agaunenſis nos dubitare haud ſinit Marii Aventicenſis luculentum hac de re teſtimonium, qui id factum aſſerit Florentio & Anthemio conſulibus, id eſt anno Chriſti quinto-decimo ſupra quingenteſimum. ſic enim habet: *His conſulibus monaſterium Acaunum a rege Sigiſmundo conſtructum eſt.* Quippe cum mortuo Gundobado patre Sigiſmundus Burgundiæ regnum obtinuiſſet, & Arianam perfidiam, quam Burgundiones ſectabantur, ejuraſſet; epiſcoporum conſilio, quod ejus rei narratio vulgata memorat, non alia catholicæ pietatis actio viſa eſt illuſtrior, quam ut ab ipſo magnificentior ad recondendas martyrum Agaunenſium reliquias baſilica erigeretur, eidemque loco deputarentur *ſanctiſſimi cuſtodes*, nempe monachi, qui & ſacras exuvias a raptoribus tuerentur, & jugi pſalmorum modulatione celebrarent. Hinc Sigiſmundus monaſterium Agaunenſe, teſte Gregorio [a] Turonum epiſcopo, ſolerti cura *cum domibus, baſilicisque* ædificavit, prout regia magnificentia dignum erat. Præfectus loco Hymnemundus abbas ab epiſcopis accerſitus *una cum ſanctiſſimis viris, Achivo, Ambroſio, Proto*, aliiſque, *qui ad hoc opus ſuſcipiendum de monaſterio Granenſi venerant*, ut in vulgata [b] narratione legitur. Longe ante id tempus baſilicam ſuper horum ſanctorum martyrum tumulum exſtitiſſe probat libellus de vita ſancti Romani abbatis Jurenſis, qui hanc baſilicam medio ſæculo quinto expetiiſſe perhibetur: ta-

a Greg. Tur. lib. 3. c. 5.

b Conc. to. 4. col. 1557.

ANN. CHR. 515.

menſi hæc baſilica tot martyrum tumulos fabrica ſua ambire non poterat, ut libelli ſcriptor ſubæqualis tradit. Hinc eſt quod baſilicæ non prima conſtructio per Sigiſmundum, ſed *innovatio* dicatur in titulo ſancti Aviti Viennenſis epiſcopi homiliæ, quæ *dicta eſt in baſilica ſanctorum Agaunenſium, in innovatione monaſterii ipſius.* quod etiam de ipſo monaſterio interpretandum eſſe verba ipſa præ ſe ferunt. Hanc homiliam cum aliis ejuſdem auctoris typis vulgavit clariſſimæ memoriæ Jacobus Sirmundus ex codice regio in phyllira ſcripto Aviti ætate. Verum cum monaſterii nomine non raro baſilica intelligatur, aliis argumentis inveſtiganda eſt ipſius monaſterii antiquitas.

LXX. Sigiſmundo an antiquior.

LXX. Si certa foret ſancti Severini abbatis Agaunenſis Fauſto auctore vitæ fides, jam ante Sigiſmundi principatum monachos Agauni conſediſſe prorſus exploratum eſſet. Sed ejus hiſtoriæ fidem non pauca dubiam reddunt. Chlodoveus regni ſui anno viceſimo-quinto gravi infirmitate decubuiſſe *per duos annos* dicitur, & a Severino ex Agauno Luteciam accito ſanatus fuiſſe. Regnavit omnino annis triginta, ex Gregorio [a], atque e vita migravit poſt Vogladenſe * bellum anno quinto. quod proinde anno regni ejus viceſimo-quinto contigit. Atqui tamen poſt hanc cladem Vogladenſem, in qua Gotthorum rex Alaricus cæſus eſt, non levia facinora per Chlodoveum geſta ſunt, quæ integram ejus ab eo tempore valetudinem probant. Quippe ſequentem hiemem Burdegalæ tranſegit. Tum, direptis qui apud Toloſam ſervabantur, Alarici theſauris, Ecoliſmam expugnavit. Dein Turonos profectus, conſulatus inſignia ſuſcepit ab Anaſtaſio imperatore, regiiſque ornamentis in baſilica beati Martini indutus eſt. Pariſios inde reverſus, mox cæſo Sigiberto Coloniæ rege eo accedit, regnum ejus occupaturus. Idem mox de Syagrii & Ragnacarii regnis patrat. quæ certe homini in lecto ex gravi febre apud Pariſios decumbenti nequaquam conveniunt. His adde Euladium (ita in vetuſtis codicibus ſcriptum reperio) ſeu, ut alii ſcribunt, Eulalium Nivernenſem epiſcopum, cui Severinus, Chlodoveum adeundo, precibus ſanitatem impetraſſe fertur, per id tempus eidem eccleſiæ non præfuiſſe; ſed veri ſimilius eſſe id referendum ad Æoladium, qui regnante Chlodoveo juniori Nivernenſem epiſcopatum regebat. Et fortaſſe non Chlodoveum Magnum, ſed minorem adierit, ſanaveritque Severinus, qui tamen annum regni viceſimum-quintum non attigit; nec Childebertum filium, quemadmodum in vulgatis ſancti Severini actis legitur, ac ſucceſſorem habuit. Sed ejuſmodi errata facile oriri potuerunt ex inſcitia imperiti auctoris. Ut ut ſit, certe ex vulgatis ejus actis non ſatis firmum præſidium elici poteſt ad producendam Agaunenſis monaſterii antiquitatem, de qua paullo poſt ſermo recurret.

a *Greg. Tur. lib. 2. c. 43*
* *de Vouillé.*

LXXI. Ibidem laus perennis.

LXXI. In Conciliorum & Galliæ Chriſtianæ tomo quarto legitur Sigiſmundi regis inſtrumentum de hujus cœnobii inſtitutione, Agauni facta in conſeſſu ſexaginta epiſcoporum, cui nihilo minus epiſcopi dumtaxat tres ſubſcripti reperiuntur, Maximus Genevenſis, Victor Gratianopolitanus, & Viventiolus Lugdunenſis. Hunc epiſcoporum cœtum ad novæ baſilicæ dedicationem convocatum fuiſſe veri ſimillimum eſt, cui interfuit cum aliis pluribus Avitus Viennenſis, cum homiliam in hac dedicatione pronuntiavit. Unde Philippo Labbeo permirum videtur, quod Aviti nomen in hoc inſtrumento non compareat. Sed mirandum non eſt, quod ejus nomen in exemplo deſideretur, uti & aliorum, præter tres mox laudatos; nec alia cauſa eſt quam ſocordia ſcriptoris amanuenſis, qui alios omnes, uti & Avitum, (quod in ſimilibus ſubſcriptionibus accidit non raro) prætermiſit. Torquet etiam in hoc inſtrumentum Carolus Cointius [b], Oratorii eruditus preſbyter, enormem numerum epiſcoporum: cum in Burgundiæ regno tunc eſſent ſedes epiſcopales tantummodo ſeptem & viginti. quaſi ex finitimis regnis & provinciis alii plures iſtuc invitari, atque ex civilitate, ut regi ad catholicam fidem recens converſo gratificarentur, adeſſe non potuerint. At pugnare non vacat pro hujus monumenti auctoritate: quod ut genuinum non ſit, certe antiquiſſimum eſt, nec levis momenti ad illuſtrandam Agauni hiſtoriam. In eo epiſcopis viſum fuiſſe dicitur, ut ibidem *pſallendi officium die noctuque indeſinenter conſtitueretur:* & Victor Gratianopolitanus, cui ceteri omnes aſſentiuntur, cenſet, ut ad exſequendam optimi regis, epiſcoporumque hac in re devotionem, *fiant novem turmæ, id eſt Granenſis, Iſiana, Jurenſis, Meluenſis, &c.* Unde omnibus in commune placuit, ut, ad ſervandum perennem illum pſallendi morem, *opera manuum*, ut in ceteris monaſteriis, ibidem non exerceren-

b *Annal. Franc. an. 536. n. 118.*

Digitized by Google

ANN. CHR. 515.

tur. Cointius perennem ac minime interruptum apud Agaunenſes hunc pſallendi ritum, qualis erat in Oriente monachorum acœmetarum ſeu inſomnium, fuiſſe negat, ſed diſcretum & per diſtinctas horas interpolatum. Nullam quippe talis ritus idoneam probationem afferri; immo in regula Tarnatenſi, quam Agaunenſes ſervabant, nullam perennis laudis, ſed tantum interpolatæ, fieri mentionem. Porro *aſſiduum pſallentium* Gregorio [a] quidem dici, oon quod juge fuerit, ſed quod ſtatutis horis, ita ut intermediis ſpatiis operari liceret, fuerit celebratum: eum ad modum, quo Caſſiaous *orationum aſſiduitatem* vocat quotidianam celebrationem tertiæ, ſextæ, & nonæ. Huic rei argumento eſſe alterum ejuſdem Gregorii [b] locum, ubi Sigiſmundus apud Agaunenſes *pſallentium quotidianum* inſtituiſſe memoratur. Verum ut hanc diſputatiooem, quæ fuſius à me in ſecunda Sæculi quarti præfatione agitata eſt, in pauca contraham; hoc unum affero, quod Salaberga, conſtructo apud Lugdunum-Clavatum * cœnobio, eo in loco brevi coaduoavit *plus minuſve trecentas famulas Chriſti, illiſque diſpoſitis per turmas, ad inſtar Agaunenſium monachorum Habendique, normam diſpoſuit*, ut *die ac nocte canonem omnipotenti Deo perſonarent*. Perſpicuus eſt hic locus de perenni laude per Salabergam inſtituta; nec minus inde liquet id factum exemplo Agaunenſium monachorum. quos proinde, quaſi aliorum duces, ceteris hac in re Occidentis mooachis præiviſſe pro explorato haberi debet. Subdit Salabergæ vitæ ſcriptor æqualis etiam exemplum Habendenſium ſanctimonialium, ſancti Romarici alumnarum: cui ſanctus Amatus abbas, ex Agauno eductus, auctor fuit condendi in Voſago parthenonis, ubi *multis virginibus pſallentium per ſeptem turmas, in unaquaque turma duodenis pſallentibus, die noctuque jugiter inſtituit.* qua in re Amatus ſine dubio rationem habuit moris Agaunenſis, quem ipſe ibidem obſervatum viderat. Quid? quod Dagobertus eodem tempore in baſilica ſancti Diooyſii *pſallentium ad inſtar monaſterii ſanctorum Agaunenſium inſtituerat*, teſte Fredegario [c]: *ſed facilitas abbatis Aigulfi eamdem inſtitutionem* poſtmodum abrogavit. quod de interrupta modulatione nullo pacto explicari poteſt. alias dicendum eſſet, quod a vero penitus abhorret, Aigulfi abbatis inſtinctu divinum in celebri ac frequeoti baſilica officium omnino ceſſaſſe. Sed longius progredior ad rem minime obſcuram demooſtrandam, quam in Centulenſi mooaſterio ſub ſancto Angilberto abbate itidem viguiſſe ſuo loco videbimus.

a Greg. Tur. lib 3. c. 5.

b id de gl. Mart. c. 75.

* Laon.

c Fredeg. c. 79.

LXXII. Novem turmæ quæ.

Io prædicto Sigiſmundi inſtrumento ſtatuitur, ut, ad exſequendam jugis iſtius modulationis inſtitutionem, *fiant novem turmæ, id eſt Granenſis, Iſiana, Jurenſis, & Meluenſis, & cetera: ut ſuccedentes ſibi in officiis canonicis, id eſt nocturnis, matutinis, prima, tertia, ſexta, nona, veſpertina, die noctuque indeſinenter Domino famulentur.* nulla completorii mentione facta, cujus inſtitutio ſaocto Benedicto tribuitur. Ex quo inferas hujus inſtrumenti antiquitatem. Ex novem autem turmis quatuor tantum exſcripſit amanuenſis. quo minus mirandum eſt, ex ſexaginta epiſcopis tres dumtaxat ab eo notatos fuiſſe, ceteris per oſcitantiam omiſſis. Has turmas, non aliunde, ut quibuſdam placet, adſcitas, ſed ex ipſo Agaunenſi monaſterio conflatas fuiſſe mihi perſuaſum eſt. Nam ut de diſcretis officii divini horis, non de continua pſalmodia hic agi permittamus: quis putet ex Granenſi ſeu Griniacenſi, ut ipſi interpretantur, apud Viennam monaſterio, & ex Jurenſi ſancti Augendi, quod utrumque ab Agauno longiſſime, id eſt leucis amplius triginta, diſtat, Agaunum accitas monachorum turmas ad perſolvendas Deo quotidanas laudes? Fruſtra ergo quæras alia monaſteria, *Iſianum* & *Meluenſe*, quæ nomina ſunt turmis illis indita pro arbitrio Agaunenſium ad ſingulas turmas deſignandas: eum ad modum quo legio Thebæorum *Felix*, aliæque aliis nominibus pro lubito appellatæ ſunt.

LXXIII. Agaunenſe monaſterium an idem cum Tarnatenſi.

De regula principio Agaunenſibus præſcripta non minor eſt difficultas. Tarnatenſem plerique aſſignant, rati, Tarnatenſe monaſterium non aliud eſſe ab Agaunenſi, propterea quod Tarnadæ locus, cujus meminit Antoninus Auguſtus in Itinerario, idem cum Agauno exiſtiment. Hujus ſententiæ auctor eſt Joſephus Simlerus in libro primo de Valleſiæ deſcriptione *, quem Holſtenius, Cointius [d], aliique ſecuti ſunt. Et quidem ſicut ex Antonini Itinerario, Octodurum * a Tarnadis paſſuum millibus duodecim, ita Agaunum ab Octoduro totidem diſtabat, ex actis Martyrum Thebæorum. Verum ut ut ſit de Tarnadis Antonini; Tarnatenſe monaſterium idem eſſe cum Agaunenſi inducere animum haud quaquam

* le pays de Valley.

d Annal. Fr. an. 536. n. 199. & ſeq.

* Martinac.

ANN. CHR. 515. poſſum. Nuſquam enim Agaunenſe monaſterium Tarnatenſe appellatum invenias, ſed ubique vel Agaunenſe, vel ſancti Mauricii. adeoque ſi regula Tarnatenſis Agaunenſium monachorum gratia condita fuiſſet, non Tarnatenſis, ſed a vulgari monaſterii nomine Agaunenſis fuiſſet nuncupata: cum e contrario numquam alio nomine, quam Tarnatenſis dicta ſit in Concordia regularum, apud Smaragdum, Trithemium, alioſque omnes, qui eam laudarunt. Mihi ſane longe veri ſimilius eſt, Tarnatenſe monaſterium ſitum fuiſſe in pago Lugdunenſi, non longe à Vienna civitate, in loco Tarnato ſeu Ternato, vulgo *Ternay*. Hic locus poſitus eſt ad Rhodanum, decurrentem Tarnatum inter & Grinniacum * pagi Viennenſis, qui poſterior locus vocabulum dedit Grinniacenſi monaſterio, de quo in vita ſancti Clari abbatis. Porro hæc loci poſitio ad Rhodanum recte convenit iis, quæ in Regulæ Tarnatenſis capite quarto leguntur, ut *navigium etiam ad ulteriorem ripam ſine imperio ſenioris tranſvehere non præſumat.* Ex agris novem & viginti, qui pagum Lugdunenſem in veteri codice Saviniacenſi conſtituunt, octavus eſt ager Tarnatenſis, in quo ſunt villæ Caſſiacus, Mons-Eſclareïas, Cliviacus, Caſſellæ, Magniacum, &c. idemque itidem memoratur in chartario Cluniacenſi, anno tertio Ludovici regis, cognomento Tranſmarini: quo anno datur Odoni abbati manſus in villa Madaliaco, *in pago Lugdunenſi, in agro Ternatenſi.* & anno ejuſdem regis decimo, eidem Odoni conceditur campus cum ſilva, *in pago Lugdunenſi, in agro Tarnatenſi.* Eſt & Ternancus, vulgo *Ternan*, locus alius haud ignobilis in pago itidem Lugdunenſi, ubi prioratus abbatiæ Saviniacenſi ſubjectus, præter Ternacum opidum, *Terny*, in pago Genevenſi.

* *Grigny.*

LXXIV. Regula Agaunenſis. Hæc forſan aliquid lucis afferent loco aliquando quidem celebri, ſed nunc obſcuriori: at primam Agaunenſis monaſterii regulam nou ſatis explicant. Condateſcenſis ſcriptor anonymus, qui trium primorum abbatum Jurenſium acta litteris mandavit, in fine vitæ ſancti Augendi memorat *Inſtituta, qua de informatione cœnobii* Agannenſis, *ſancto Marino presbytero, inſulæ Lirinenſis abbate, digeſſit.* Verum hoc opus intercidit, nec quidquam de primariis ejuſdem loci inſtitutis habemus præter ea, quæ in jam laudato Sigiſmundi inſtrumento leguntur. Certe Tarnatenſis regula, quæ tota fere ex ſanctorum Pachomii, Auguſtini, & Cæſarii regulis conflata eſt, hujus auctoris nec ſtilum, nec genium ſapit. Erant eo in loco recluſi, erant & anachoretæ. Ex duobus quippe monachis illis Agaunenſibus, Johanne & Armentario, quibus Condateſcenſis iſte anonymus opus ſuum inſcribit, Armentarius *clauſtro peculiaris cella contentus, mundi turbines* ſecurus *irridebat.* & ſanctus Amatus abbas Habendenſis, de quo in ſæculo ſequenti agemus, poſtquam Agauni in communi ac cœnobitica vita per annos triginta ſe exercuiſſet, *majoris eremi ſecretum expetens, clam a ſeptis monaſterii egreſſus in devexa celſiſſimi montis rupe* per triennium ſolus habitavit, pane hordeaceo & aqua contentus. Pſalmodia jugis loco laboris erat, contra quam in regula Tarnatenſi. Jejunia pro more aliorum monaſteriorum, uti & refectio in eodem cœnaculo, & ſub eodem tecto dormitio. Gravium culparum pœna ex præſcripto canonum, leviorum ex abbatis arbitrio pendebat. Feminis in baſilicam, ſecus quam in aliis pleriſque virorum monaſteriis, patebat ingreſſus, ut conſtat ex Gregorio [a] epiſcopo Turonenſi.. Ceterum ad hoc monaſterium beatus Maurus, ſancti Benedicti diſcipulus, adeundo Galliam, divertit, ubi & cæco lumen reſtituit, quod magnam ipſi apud ejuſdem loci monachos gratiam conciliavit, eorumque animos ad ſuſcipiendam ſancti Benedicti regulam facile inclinare potuit.

[a] *Greg. de gl. mart. c. 76.*

LXXV. Abbates. Quod ſpectat primos loci abbates, ſi genuina eſt, cujus Bollandus fragmenta [b] refert, quam & Condateſcenſi anonymo tribuendam exiſtimat, trium primorum Agaunenſium abbatum brevis hiſtoria, primus abbas fuit Hymnemodus, ſeu Hymnemundus, ex Gravenſi ſeu Grevencenſi monaſterio (quod etiam in vulgato Sigiſmundi inſtrumento legitur) accitus cum Achivo, qui locum rexit poſt Ambroſium Hymnemundi ſucceſſorem. Ambroſius vero Inſulæ-Barbaræ prius abbas exſtitiſſe ibidem dicitur, adſtipulante Adonis Viennenſis epiſcopi Martyrologio. Quod mirum eſt negatum fuiſſe a Cointio, quaſi Uſuardi de hac Ambroſii apud Inſulam-Barbaram abbatiali dignitate ſilentium elevare perſpicuum Adonis teſtimonium poſſit. quod ſane vir doctus non eſſet facturus, ſi ad præmiſſam, quam idem ipſe laudat, Agaunenſis monaſterii brevem hiſtoriam attendiſſet. De Ambroſio ita Martyrologium Adonis:

[b] *Bolland. to. 1. Feb. p. 545. & 546.*

ANN. CHR. 515.

IV. nonas Novembris natale ſancti Ambroſii abbatis monaſterii Agaunenſis, qui prius apud Lugdunum monaſterii Inſulæ-Barbaræ pater, magnis virtutibus clarus, cum illuc ob egregiam religionis normam tranſlatus fuiſſet, beato fine quievit. Poſt annos ſeptem a condito monaſterio Sigiſmundus, cæſo filio, victus a Francis, Vereſallis in montem clam ſeceſſit, &, ne a ſuis in manus Francorum traderetur, caput ſuum totondit, & depoſita veſte, monaſticum habitum induit. Verum nihilo minus a ſuis proditus, captuſque a Francis, una cum uxore ac filiis juſſu Chlodomiri regis in puteum demerſus occubuit in loco, *cui Belſa vocabulum eſt*, ut in ejus paſſione legitur. quod de Belſiæ * pago intelligendum eſſe puto ex Gregorio Turonenſi epiſcopo, qui locum ejus martyrii *Columnam Aurelianenſis urbis vicum* appellat: ubi etiam nunc prioratum abbatiæ Miciacenſis, ſancti Sigiſmundi nomine inſignitum haberi Carolus Sauſſeyus [a] teſtatur. Poſt annos tres Agaunenſis abbas Venerandus (id viro nomen, quod Henſchenius adjectivum putat) a Theodeberto rege corpus Sigiſmundi obtinuit, atque ad limina ſanctorum Thebæorum deportatum in baſilica ſancti Johannis apoſtoli honorifice ſepelivit; ubi multæ virtutes patratæ dicuntur. Venerandus ſexto loco ponitur inter abbates Agaunenſes in fuſiori Gallia chriſtiana, nempe poſt Tranquillum Achivi ſucceſſorem. Sed quia duo Ambroſii admittendi non ſunt, ſed unicus; Hymnemundi primi abbatis ſucceſſor, ſaltem quintus, dicendus eſt Venerandus. unde quis forte inferat, antiquiorem Sigiſmundo videri Agaunenenſis monaſterii originem; nec veri ſimile eſſe quinque abbates huic loco intra tam breve decem aut admodum duodecim annorum ſpatium præfuiſſe; atque adeo Sigiſmundum tantum innovatorem monaſterii & amplificatorem cenſendum. quod confirmari poteſt ex titulo homiliæ ſancti Aviti epiſcopi Viennenſis, habitæ in baſilica ſanctorum Agaunenſium *in innovatione monaſterii ipſius*.

* la Beauſſe.

a Sauſſ. lib. 3. Annal. eccl. Aurelian.

LXXVI. Leonianus abbas Viennenſis.

Sed jam Leonianus abbas ſanctus Viennam nos vocat. Erat is notus & familiaris Augendo Jurenſi abbati, qui æſtivis temporibus, ut ſuperius diximus, *ſcapulari cilicino utebatur, quod ei vir ſanctitate conſpicuus Leonianus, Viennenſis urbis abbas, pignore tranſmiſerat caritatis.* Addit anonymus Condateſcenſis, ſanctum iſtum ex Pannoniis ortum, late graſſante barbarie, in Gallias captivum abductum fuiſſe, ubi non ſolum Viennæ, ſed etiam Auguſtoduni, multo tempore peculiaris cellæ anguſtiis concluſus vixerit: ita ut amplius quadraginta annis in utraque civitate, nulli hominum a prima retruſione vultu aut corpore, ſed tantum ſermone notus, monachos nihilo minus juxta cellam ſuam haud plurimos; monachas vero procul intra urbem, *monaſterioque conſepta:*, ultra ſexagenarium numerum admirabili prudentia rexerit, alueritque: e quibus *maximas*, id eſt magno merito præditas, in cælum præmiſerit, *magnas vero* poſt ſe reliquit. Cum anonymo conſentit Leoniani epitaphium, quod ad ejus ſepulcrum in ſuburbana ſancti Petri æde poſitum Sirmundus [b] refert in hunc modum. *Hic vir ſanctitate conſpicuus, in hac urbe Viennenſi abbas extitit, Sabaria Pannoniæ ortus. A barbaris captivatus, Gallorum finibus devenit, Auguſtoduni primum, deinde Viennæ clauſtro peculiaris cellæ concluſus. Quadraginta plus annis tali ordine Chriſto militavit, tantæ diſtrictionis, ut pæne vultu omnibus undequaque venientibus ignotus intro vixerit, cum eſſet verbo doctrinæ multis ad ſalutem notiſſimus: ita ut juxta cellam ſuam quam plurimos monachos* (anonymo *haud plurimos*) rexerit: *monachas* vero (ſic legendum) ambitu monaſterii infra urbem *incluſas, ad ſexagenarium numerum mirabili ordinatione paverit, & diſciplinabiliter cuſtodierit.* Hinc arguas libellum vulgatum de vita ſancti Aniani epiſcopi Aurelianenſis, in quo Anianus *Viennenſis civitatis opido*, ubi *germanus* ejus Leonianus in baſilica ſancti Petri humatus eſt cum ſancto Deſiderio martyre, oriundus dicitur: prætterquam quod Anianus Leonianum noſtrum quinquaginta fere annis ætate ſuperabat. Errat itidem idem auctor, cum baſilicam ſancti Petri *ad orientalem plagam jam dictæ civitatis* locat, quam *ad auſtralem partem* rectius ſtatuit vita ſancti Clari abbatis Viennenſis: ubi ſancti Petri monaſterium, *ad auſtralem urbis ſitum, quingentos pæne monachos* habuiſſe perhibetur. Hanc porro Leoniani per barbaros captivitatem contigiſſe non dubito anno quadringenteſimo octageſimo-ſeptimo, quo clades & vaſtitas Pannoniæ illata eſt, a ſancto Severino Noricorum apoſtolo prædicta: cujus indubie diſcipulis fuit Leonianus.

b Sirm. Not. ad Aviti ep. 72.

LXXVII. S. Petri & S. Andreæ monaſteria ibidem.

Redeo ad monaſterium ſancti Petri, cujus auctores fuiſſe Anſemundum & Anſleubanam, ſenatorii ordinis nobiles Viennenſes, diſcimus ex eorum [a] litteris, *domnæ*

a Diplomat. lib. 6. p. 463.

ANN. CHR. 515.

filiæ ſuæ *Remilæ*, cognomento *Eugeniæ*, inſcriptis, quarum hæc ſumma eſt : ſe nempe res ſuas Remilæ eo pacto pridem tradidiſſe, ut, quemadmodum monaſterium ſancti Petri *in Bello-campo extra portam civitatis* conſtruxerant : ſic illa ex rebus conceſſis cœnobium in honorem ſancti Andreæ ſub jure Viennenſis eccleſiæ conſtitueret *ſanctis feminis*, ex ordine victuris, *quem ſanctus Leonianus ſancto monaſterio urbis*, inquiunt, *noſtra inſtituit, ubi ſoror noſtra Eubona abbatiſſa præeſt*, ſub cujus inſtitutione & ipſa Remila nutrita fuerat. ac proinde cœnobium jam conditum ſupponunt litteræ, quæ datæ ſunt Chlotharii regis anno nono, id eſt anno Chriſti quingenteſimo viceſimo. quo tempore, cum jam Leonianus e vivis exceſſiſſet, ejus obitus paullo ante hunc annum conſignandus eſt. Duplicis ſancti Andreæ monaſterii meminit Ado in chronico ad annum DLXXV. ubi de Philippo epiſcopo, cujus tempore *monaſterium ſancti Andreæ ſubterioris* Viennæ conditum fuiſſe dicit a Remila-Eugenia, Anſemundi ducis filia, atque ſub teſtamento matri eccleſiæ traditum : aliud vero *ſuperius* ſancti Andreæ in colle civitatis a beato Leoniano temporibus ſancti Aviti ejuſdem urbis epiſcopi fundatum fuiſſe, ubi eadem ipſa Remila ſub regulari diſciplina nutrita fuerat. Ante hos omnes Viennæ floruit Mamertus Claudianus, ſancti Mamerti ejuſdem urbis epiſcopi germanus frater, ejuſque veluti coadjutor, dictus *antiſtes ordine in ſecundo*; adeo doctus, ut eo magiſtro *triplex bibliotheca* fulſerit, *Romana, Attica & Chriſtiana :*

Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit inſtitutione,
Orator, dialecticus, poeta,
Tractator, geometra, muſicuſque,

ut Sidonius-Apollinaris in ejus epitaphio canit : qui libros ejus tres de ſtatu animæ alibi laudat.

LXXVIII. S. Symphoriani monaſterium apud Æduos.

Cum Leonianus Auguſtoduni verſatus eſt, non alium forte incoluit locum, quam ſuburbanam ſancti Symphoriani baſilicam ab Euphronio ſacerdote, poſt ejuſdem urbis epiſcopo, conditam, in qua ab eo tempore monachi extiterunt, quibus poſtmodum beatus Germanus abbas præfuit. Is apud propinquum ſuum ſanctum Scopilionem prope Lauſiam * pagi Æduenſis opidulum alitus & inſtitutus, cum a loco fere mille paſſibus diſtarent, *jugiter ad matutinos*, teſtante Fortunato, *currebant, ducti fidei calore, per tempeſtatem, per hiemem.* Germanus vero *intra terni luſtri ſpatium* a beato Agrippino epiſcopo diaconus, & *ſequente triennio* preſbyter ordinatur. quæ tria luſtra non ab ejus ortu, ſed a tempore, quo Scopilionis curæ inſtituendus traditus eſt, computanda eſſe inde colligitur, quod ejus ordinator Agrippinus nondum ſedem obtinuerat tempore concilii Epaonenſis, anno decimo-ſeptimo ſupra quingenteſimum celebrati : quo anno Germanus jam annos minimum viginti attigerat, ut qui octogenarius mortuus eſt anno ejuſdem ſæculi ſeptuageſimo-ſexto. Quamquam non deſunt piorum exempla, qui ante annos viginti ex canonum relaxatione diaconi ordinati ſunt, in quibus ſanctus Theodorus Siceota [a] lector primo, dein poſtridie ſubdiaconus ſimul diaconuſque ac preſbyter divino nutu conſecratus eſt anno ætatis decimo-octavo. qua ætate etiam venerabilis Beda ſe levitam fuiſſe ordinatum ipſe teſtatur. De Germano plura inſerius.

* Luzi.

a Bolland. to. 5. April. p. 37. n. 21.

LXXIX. S. Lauteni ibidem.

Apud Æduos exſtabat eodem fere tempore aliud monaſterium, ubi ſanctus Lautenus monaſticæ profeſſioni nomen dedit. Hic *Laurentii abbatis magiſterio* uſus, inde in locum ſolitarium receſſit, ubi ſeptuaginta monachorum cœnobium, Sieſtenſe dictum, exſtruxiſſe dicitur. Poſtea, creſcente numero diſcipulorum, aliud cœnobium quadraginta monachorum erexiſſe in loco, qui Maximiacus vocatur. Annos natus amplius quinquaginta ab Amandio epiſcopo preſbyter ordinatus traditur. Ex diſcipulis ejus unus, Pharadæus nomine, in ardentem rogum ex obedientia ſe injeciſſe fertur. Denique Lauteno in partes Genevenſium paullo ante mortem proficiſcenti occurrit Gregorius epiſcopus Lingonenſis. quod ſi ita eſt, eum quinto ſæculo floruiſſe dicendum eſt : at quis fuerit Amandus epiſcopus, a quo ille preſbyter ordinatus dicitur, incertum. Mortuus eſt kalendis Novembris: at feſtum ejus VII. kalendas Octobris ponitur in veteri breviario Cluniacenſi. Cella ſancti Lauteni * diœceſis Veſontionenſis memoratur in teſtamento ſancti Be[illegible]onis abbatis, qui eam Widoni conſanguineo

* S. Lautein.

consanguineo ſuo regendam commiſit. Hactenus ſupereſt, ſubeſtque abbatiæ Bal- ANN. CHR. 515.
menſi ſub congregatione Cluniacenſi, cui cella Maximiacus * itidem ſubjecta eſt. * Moiſſag.

Egregiam vero laudem tulit præ multis in re monaſtica propaganda Galliæ Nar- LXXX.
bonenſis pagus Albigenſis, quem inſignis ille Carthaginenſis eccleſiæ ſplendor Eu- Viancium a-
genius, Vandalica perſecutione iſtuc deportatus, morte ſua illuſtravit, & monaſte- pud Albigenſes.
rio, quod in opido Viancio, haud procul Albiga urbe, in exſilii ſui ſolatium ac
levamen exſtruxit. quod alii etiam Africani epiſcopi exſules alibi præſtiterunt, ut
noſter Theodericus Ruinartus obſervavit in commentario hiſtorico de perſecutione
Vandalica, capite VIII.

Non prætercam hoc loco Maxentium apud Pictones abbatem, ſancti Severi abbatis LXXXI.
Agathenſis * diſcipulum. Maxentius ex Syria oriundus, patriæ & ſæculo vale dicto in SS. Severi
Septimaniam * appulit, atque a Betico Agathenſi epiſcopo benigne exceptus, poſt- & Maxentii monaſteria.
quam aliquamdiu extra urbem recluſus vixit, in ipſa urbe juxta principem ſancti * Agde.
Andreæ eccleſiam monaſterium, ubi treceni monachi ſub eo fuerunt, inſtituit, * le Languedoc.
ſepultus tandem in baſilica ſancti Martini. Maxentius Agathenſis ab eo diſciplinis
monaſticis imbutus, indeque digreſſus ad pagum Pictavenſem, in monaſterio ſancti
Agapiti preſbyteri abbas eligitur, & qui Adjutor antea vocabatur, mutato nomine
Maxentius appellatus eſt. Poſt Vogladenſem pugnam, cum milites quidam ejus mo-
naſterium diripere, unuſque ex eis gladium in ejuſdem caput ſtringere pararet; militis
brachio repente cælitus rigeſcente, ſed mox olei ſacri contactu ſanato, Chlodoveus
ad ſpectandum Maxentium acceſſit, & ad ejus pedes procumbens, ſuis veniam de
intentato excidio impetravit. Poſt annos aliquot vir ſanctus in cælum migravit an-
no ætatis ſeptuageſimo-ſeptimo, ad ſextum kalendas Julii, ſepultus in monaſterio
ſuo, quod tempore Gregorii [a] epiſcopi Turonenſis, *Cellula ſancti Maxentii* voca- a Greg. Tur. lib. 2. Hiſt. c. 37.
batur, veteri monaſterii appellatione obliterata. Hodie quoque ſancti Maxentii *
antiquum vocabulum retinet inſigne monaſterium ad Separim * amnem, atque in * S. Maixent.
opidum cognomine accrevit, a Calviniſtis ſuperiori ſæculo dire violatum, quod * Sevre.
Patres Congregationis ſancti Mauri in auguſtiorem formam integrum reſtituerunt.
Hunc locum ſanctus Leodegarius abbas, dein Æduenſis epiſcopus, ſæculo ſeptimo
illuſtravit.

A ſancto Maxentio divellendus non eſt beatus Maximinus, auctor & primus ab- LXXXII.
bas monaſterii Miciacenſis prope Aurelianos, utpote eidem nominis & temporis S. Maximini
affinitate conjunctus. Virduno per Chlodoveum expugnato, Auſpicius ſeu Euſpi- cœnobium Miciacenſe.
cius iſtius urbis preſbyter regem victorem Aurelianos uſque comitatus eſt cum ne-
pote ſuo Maximino, atque idoneum conſtruendo cœnobio locum ab eodem rege
petierunt, impetraruntque, vocabulo Miciacum, ut veteres paſſim ſcribunt, ſeu
Mitiacum, ad Ligerim loco amœno ſitum infra Aurelianos, probante Euſebio epiſ-
copo, qui loci eccleſiam ſub titulo ſancti Stephani conſecravit, eodemque die Maxi-
minum diaconum, ac paullo poſt preſbyterum ordinavit. Perfecto monaſterio abbas
præfectus eſt idem Maximinus, ad quem plurimi, virtutis ejus imitandæ ſtudio,
cum ſæculares, tum monachi, acceſſerunt. In his ex Menatenſi apud Arvernos mo-
naſterio iſtuc ſe ſe receperunt Avitus & Carilefus, piiſſimi poſtmodum abbates. Poſt
mortem, quæ decimo-octavo kalendas Januarii ſub annum Chriſti quingenteſimum
vigeſimum accidit, Maximinus in proximo antro, in quo immanem peſtiferumque
draconem exſtinxerat, ſepeliri voluit: ſuper cujus tumulum Agilus prædives civis
Aurelianenſis, facti pænitens, quod ſervum ſuum inde violenter abſtraxiſſet, baſi-
licam erexit, eumdemque ſervum Miciacenſibus perpetuo mancipandum tradidit.
Hac neglecta baſilica, Sigobertus aliam in agro ſui juris, baſilicæ ſancti Aniani
continentem, ad urbis muros ædificavit, eoque ſacras reliquias aſportari curavit, in-
ſtitutis ibidem clericis, qui divina officia celebrarent. Demum Jonas epiſcopus eaſ-
dem inde Miciacum revexit, atque inde vetus loci appellatio in ſancti Maximini * * S. Meſmin.
vocabulum mutata eſt. Maximino in regimen Miciacenſis monaſterii ſucceſſit bea-
tus Avitus, qui abbas Chlodomiro [b] Aurelianorum regi, adverſus Sigiſmundum Bur- b Gregor.
gundionum regem profecturo, anno ſexti ſæculi viceſimo-tertio interitum prædixit. Tur. lib. 3. c. 6.
Eidem ſuffectus Theodorus, Theodoro nepos Maximinus junior, ambo itidem
ſancti: ſub quibus complures monachi, pietate ac ſanctitate illuſtres, eo in loco flo-
ruerunt. Præcipui fuere Leobinus & Carilefus, de quibus in conſequentibus agen-
dum. Monaſterii ſtatum prope ad excidium vergentem confirmavit, erexitque

ANN CHR. 515.

Theodulfus epiſcopus, collaborante Jona ejus ſucceſſore. Nunc locum obtinent Patres Fulienſes.

LXXXIII. Chlodovei M pro eo diploma.

Lubet hic attexere diploma Chlodovei M. de conditione cœnobii Miciacenſis, quod diploma pro ſua brevitate & ſinceritate, ac pro conſubſtantialis Trinitatis contra Arianos commemoratione, hoc loco non ingratum fuerit.

CHLODOVEUS *Francorum rex, vir inluſter. Tibi, venerabilis ſenex Euſpici, tuoque Maximino, ut poſſitis, & hi qui vobis in ſancto propoſito ſuccedent, pro noſtra, dilectaque conjugis & filiorum ſoſpitate divinam miſericordiam precibus veſtris impetrare, Miciacum concedimus, & quidquid eſt fiſci noſtri intra fluminum alveos, per ſanctam confarreationem & anulum inexceptionaliter tradimus, & corporaliter poſſidendum præbemus abſque tributis, naulo & exactione, ſive intra, ſive extra Ligerim & Ligerinum *, cum querceto & ſalicto, & utroque molendino. Tu vero, Euſebi, ſanctæ religionis catholicæ epiſcope, Euſpicii ſenectam fove, Maximino fave; & tam eos, quam poſſeſſiones eorum in tua parochia, ab omni calumnia & injuria præſta liberos. Neque enim nocendi ſunt, quos regalis affectus proſequitur. Idem agite, o vos omnes ſanctæ religionis catholicæ epiſcopi. Vos ergo, Euſpici & Maximine, deſinite inter Francos eſſe peregrini, & ſint vobis loco patriæ in perpetuum poſſeſſiones, quas donamus in nomine ſanctæ, individuæ, æqualis, & conſubſtantialis Trinitatis. Ita fiat ut ego Chlodoveus volui. Euſebius epiſcopus confirmavi.* Annus dati diplomatis ſignatus non erat in exemplo, ex quo id primum erutum eſt in ſpicilegio Acheriano: nec facile ſuppleri poteſt, cum ab expugnata Virduni civitate, quod biennio ante annum quingenteſimum accidit, ad Chlodovei obitum anni fere tredecim interceſſerint.

* al. Ligeritum, le Louet.

LXXXIV. Alia monaſteria.

Multa ſunt Galliæ, aliarumque regionum monaſteria, cum nova, tum vetera, quorum commemoratio & tractatio ad hoc tempus revocari poſſet: qualia ſunt Glonnenſe ſancti Florentii apud Andecavenſes, Enſionenſe ſancti Jovini apud Pictones, Landvenecenſe ſancti Wingaloëi, & ſancti Jacuti in Armorica, Divionenſe ſancti Benigni, ſancti Germani Autiſiodorenſe, Reomaënſe ſancti Johannis, Ferrarienſe ſancti Petri, ſancti Michaëlis Tornodorenſe, Melundenſe ſancti Petri in Burgundia, & ſancti Juliani Turonenſe, præter monaſterium ſancti Theoderici prope Remos. Verum hæc tractatio longius nos abduceret a continuandis geſtis ſancti Benedicti, atque opportunius in ſequentes libros, ubi dabitur occaſio, differetur.

LXXXV. Lucullanum apud Neapolim.

Hic tamen ſtrictim præmittenda eſt commemoratio Lucullani apud Neapolim monaſterii, quod ſæculo nono labente ſancti Severini percelebri monaſterio dedit originem. Is ex Oriente in Pannoniam profectus, monaſteria illis in partibus conſtruxit primus, præcipuum prope Favianas, non longe a Vindobona ſeu Vienna
» Auſtriæ civitate; monachos admonere ſolitus, ut beatorum Patrum veſtigiis in-
» hærerent, & ne, qui parentes reliquerant & ſæculum, pompæ ſæcularis ille-
» cebris denuo caperentur. Norici Ripenſis vaſtitate prædicta, corpus ſuum in
Italiam transferri diſcipulo ſuo Lucillo presbytero mandavit. Tum, morti pro-
» ximus, diſcipulos monitis inſtruxit, terrenam ut deſpicerent patriam, cæleſtem
» ſemper inquirerent: non pigeret agere pœnitentiam, quos non puduit facinus per-
» petrare; eſſent corde humiles, mente tranquilli; ſcirentque non prodeſſe cum
» veſtis humilitate nomen monachi, vocabulum religionis, ſpeciem pietatis, ſi circa
» mandatorum obſervantiam degeneres ac reprobi invenirentur. Grande nefas eſſe
» peccata ſectari homines ſæculares: multo magis monachos, qui blandimenta ſæ-
» culi, quaſi quamdam beſtiam fugientes, Chriſtum cunctis affectibus prætulerunt,
» quorum inceſſus & habitus virtutis debeat eſſe documentum. Deinde oſculo ſingulis & omnibus dato, & ſacramento communionis accepto, lugeri ſe penitus prohibuit, totumque corpus ſigno crucis conſignans, ut pſallerent imperavit. Ubi vero ille pſalmum ultimum protulit, ſexto idus Januarii animam efflavit in hæc extrema pſalmigraphi verba, quibus omnes ſpiritus ad laudandum Deum invitantur. Annus ejus ſupremus colligitur ex eo, quod ſexto poſt anno corpus ejus tumulo elatum, atque in Italiam a diſcipulis deportatum eſt ipſo anno vaſtitatis ex ipſius vaticinio ab Odoacro perpetratæ, quam anno ſæculi quinti octogeſimoſeptimo accidiſſe conſtat. Sacrum ejus corpus Neapolim delatum, in arce Lucullana, quæ ab ovi ſimilitudine Caſtellum-ovi modo appellatur, a Victore epiſcopo collocatum eſt in mauſoleo, quod illuſtris matrona, Barbara nomine, ipſi erexerat

In baſilica ab ſe conſtructa cum adjuncto monaſterio, cui præfuit Eugipius abbas, ipſius Severini diſcipulus, ſcriptis ſuis illuſtris. Idem ipſe eſt, qui librum de vita patroni ac magiſtri ſui ſcripſit inſtar *commemoratorii*, quod Paſchaſio ſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono expoliendum, & eloquentiæ lumine illuſtrandum nuncupavit biennio poſt conſulatum Importuni, id eſt anno Chriſti undecimo ſupra quingenteſimum. Falluntur qui hunc Eugipium [a] alium exiſtimant ab auctore collectanei ex operibus ſancti Auguſtini, quod opus, hortante Marino abbate, ſuſceptum, Probæ virgini piiſſimæ nuncupavit. Forte Marinus abbas fuit Lirinenſis, is cujus itidem inſtinctu vitæ ſancti Augendi ſcriptor de inſtitutis monaſterii Agaunenſis agere compulſus eſt.

ANN. CHR. 515.
Eugipius abbas.

a V. tom. 1. vet. Anal. p. 13. & ſeqq.

LXXXVI.
Sanctus Antonius monachus Lirinenſis.

Favet huic conjecturæ, quod Antonius monachus ille ſanctitate inſignis, cujus vitam Ennodius Ticinenſis epiſcopus edidit, cum Eugipio vixit ſub cura ſancti Severini, idemque poſt vaſtationem Pannoniarum, tandem Lirinum ſe recepit. Natus fuerat patre Secundino, in civitate Valeria circa Danubii ripas, Severino ab infantia notus & carus; idemque nepos Conſtantii epiſcopi Laureacenſis, cujus diſciplinæ, mortuo Severino, traditus eſt. Poſt patrui obitum Antonius à famulis ſuis perductus, primo in Tellina-valle * Mario ſancto preſbytero adjunctus, mox eumdem clericatus vitandi ſtudio deſeruit. Poſtea ſeceſſum elegit haud procul a ſancti Fidelis Comenſis martyris ſepulcro, ubi Larius lacus Ionii marmoris ripis coercetur. Illic monte ſublimi conſcenſo ſedem fixit, nihil ſecum amplius aſſumens, niſi parum leguminis, & ligonem ad terram ingratiſſimam excolendam. Juga illa indomitam naturæ legem, Antonio congrediente, perdiderunt. Verum adventantium perturbatus frequentia, ad ſecretiora eremi ſibi credidit evolandum, ubi in edita rupe annis pluribus ſolus ſine conſorte tranſegit. Sed ecce iterum fama vulgante detectus, timuit ne grandævus perderet vanitate, quod inter tirocinia virtute ſervaſſet. Et quid agimus, inquit, o anima, quando periculis plena ſunt etiam quæ videntur eſſe tutiſſima? Lenocinia hoſtis tui intelligis, dum univerſorum voce laudaris. Vide quantis labores inſidiis! Abſconditum eſſe non licet quocumque vertimus. Sanctorum petamus conſortium, & illam Lirinenſis inſulæ ſanctam cohortem adeamus. Quem ſolum hactenus pulſavit adverſarius, timebit inter inimicam ſibi multitudinem conſtitutum. Dixit, nec mora ſuſcepto itinere, ſimul Lirinum appulit, admiſſus eſt cum debita reverentia. Providit tamen, ne cui *in illa nutrice Sanctorum inſula*, cum præſtaret meritis, præferri honoribus videretur. Ibi biennio cum vixiſſet, mortalem vitam cum immortali commutavit. Libellum de ejus vita Ennodius dicavit Leontio abbati. Lirinenſem facile crederem, niſi ſcripti atque editi indices reclamarent.

* Valtelino.

LXXXVII.
Concilii Agathenſis decreta de monachis.

Reliquum eſt, ut ad concludendum primum librum, quod etiam in ſubſequentibus obſervabimus, præcipua de monachis decreta conciliorum paucis referamus. In Agathenſi anni quingenteſimi-ſexti ſtatutum eſt, ut monaſterium [b] novum, niſi probante aut permittente epiſcopo nullus condat: neu monachum ſine conſenſu abbatis epiſcopus ipſe *ordinare præſumat*; nec monachos, etiam vagantes, niſi eis teſtimonium abbas ſuus dederit. Ad hæc, ne monachum alienum abbas citra conſenſum proprii abbatis ſuſcipere, aut retinere auſit. Præterea, ut [c] monaſteria puellarum longius a monaſteriis monachorum, aut propter inſidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum, collocentur. Denique [d] ne monachis ad ſolitarias cellulas liceat a congregatione diſcedere, niſi forte probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem aſperior ab abbatibus regula remittatur. quod ita demum fiet, ut intra eadem monaſterii ſæpta manentes, ſub abbatis tamen poteſtate ſeparatas habere cellulas permittantur. Abbatibus quoque ſingulis diverſas cellulas, aut plura monaſteria habere non liceat, niſi tantum propter incurſum hoſtilitatis intra muros urbis receptacula, quæ hoſpitia vocant, collocare. quod intelligendum, non de inſpectione & providentia generali, ſed de regimine ac directione peculiari. Quamquam non defuere etiam ſubſequentibus ſæculis præcipuæ ſanctitatis abbates, quos non cupiditas, ſed eximia virtus & regendarum animarum peritia pluribus monaſteriis gubernandis admovit. qualis fuit ſæculo nono Benedictus abbas Anianenſis, & ſequenti ſancti Berno, Odo, aliique nonnulli Cluniacenſes abbates.

b Can. 27.
c Can. 28.
d Can. 38.

LXXXVIII.
Aurelianenſis primi.

Anno undecimo poſt quingenteſimum, qui Chlodovei Magni Francorum regis mortalis fuit, celebratum eſt concilium Aurelianenſe primum, in quo abbates [e] epiſcopis ſubeſſe, & ad ſynodum annuam venire præcipitur: monachos vagos revocandos, & ſub cuſtodia conſtringendos; omnem quibuſvis proprietatem interdicen-

e Can. 19.

ANN CHR. 511. dam : nec licere uti orario in monaſterio , vel tzangas habere. quod genus eſt calcei ſecularis, etiam clericis interdictum. Orarium hoc loco videtur eſſe vulgaris ſtola ſacerdotalis , cujus uſus monachis , qui ſacerdotii aut diaconatus expertes eſſent , prohibetur ; ſicut & lectoribus , & ſubdiaconis in concilio Laodiceno. Huc facit , quod beatus Fulgentius , ex monacho epiſcopus Ruſpenſis , *orario , ſicut omnes epiſcopi , num-*
» *quam utebatur* ; ſic ſtudio humilitatis ambitionem veſtium fugiens ; ut nec ipſa cal-
» ceamenta ſuſcipiens clericorum , aut viliſſimis caligis in tempore hiemis , aut caligulis
» in tempore æſtatis uteretur , intra monaſterium interdum ſoleas accipiens , frequen-
» ter nudis pedibus incedens.

LXXXIX. Tarraconenſe. In concilio Tarraconenſi , quod anno ejuſdem ſæculi ſexto-decimo convocatum
» fuit , ne monachis , foras itineris cauſa egreſſis , quodvis miniſterium eccleſiaſticum exer-
» cere liceat abbatis ſui injuſſu ; neve forenſia negotia , præterquam monaſterii ſui
» abbate imperante , tractare audeant.

XC. Epaonenſe. » Epaonenſe , poſt biennium in provincia Viennenſi celebratum , vetat [a] mancipia
a Can. 8. & 9. » monachis donata ab abbate manumitti , injuſtum reputans , *ut monachis quotidia-*
» *num rurale opus facientibus , ſervi eorum libertatis otio potiantur* , prohibetque unum
» duobus monaſteriis abbatem præſidere , quod jam ſtatuerat concilium Agathenſe ,
» uti & cellas novas , id eſt monaſteria , conſtruere abſque epiſcopi notitia. Abbatem
b Can. 19. » [b] criminis reum , ſi ab epiſcopo ſuo ſucceſſorem accipere noluerit , ad metropolitani
c Can. 38. » judicium deducendum. Præter ea nec monacho [c] juveni , uti nec clerico , monaſte-
» ria ſanctimonialium , niſi ob conſanguineas , adire liceat. Ad hæc primum in hoc con-
d Can. 22. cilio ſtatutum [d] puto , neque enim ante id tempus antiquius decretum ullum legere
» memini , ut ſi preſbyter aut diaconus crimen capitale commiſerit , ab officii honore
» depoſitus , *in monaſterium retrudatur* , ibi tantummodo , quamdiu vixerit , communio-
» ne ſumenda. quod quidem , jubente Romano pontifice paullo poſt exſecutioni demandatum adverſus Contumelioſum epiſcopum Antipolitanum. De loco Epaonis , ubi celebratum concilium , diverſæ ſunt auctorum ſententiæ. Certum eſt ex actis concilii , locum fuiſſe provinciæ Viennenſis : & quidem Ludovicus auguſtus , cogno-
e Capitul. to. 14, 3. mento Pius , regio diplomate *vicum , qui dicitur* [e] *Eppaonis* , rogante illuſtri viro Abbone comite , reſtituit eccleſiæ ſancti Mauricii Viennenſi , ex cujus *ratione & epiſcopatu* erat. Non ergo quærendus locus extra epiſcopatum Viennenſem. Ad hæc ejus loci eccleſiæ *ſancti Andreæ apoſtoli & ſancti Romani martyris* titulis inſignitæ in eodem diplomate dicuntur. Longius fortaſſe proceſſit hic liber : at hanc prolixitatem , quam rerum dicendarum neceſſaria cauſavit connexio , ſubſequentium librorum brevitas purgabit.

Digitized by Google

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI

ANN. CHR. 520.

LIBER SECUNDUS.

Ab anno Chriſti 520. ad annum 527.

I. Monaſteria duodecim à ſancto Benedicto condita.

POST varios hinc inde diſcurſus, jam tandem ad ſolitudinem Sublacenſem revertendum eſt, in qua per hos annos Benedictus monaſteria duodecim ædificavit. Quippe cum vir Dei per diuturna ſilentia, carnis tentationibus ſubactis, ignis divini fervorem ex meditatione & lectione, atque ex orationum aſſiduitate concepiſſet, non potuit hæc flamma unius Sublacenſis ſpecus anguſtiis contineri: ſed dimiſſis, qui ipſius magiſterio ſe ſubjecerant, Vicovarrenſibus protervis ac contumacibus monachis, ſe ſe ad novos homines formandos, & ad omnem monaſticæ diſciplinæ normam componendos, Spiritu-ſancto impellente, comparavit. Rem ſic narrat Gregorius. Cum ſanctus vir diu in eadem ſolitudine virtutibus ſigniſque quotidie magis magiſque inclareſceret, multis ad eum in dies confluentibus, duodecim monaſteria inſtituit, quaſi totidem pietatis gymnaſia, in quibus ſub præfectis ſingulis duodenos monachos deputavit, paucis ſecum retentis, quos interim à ſe ipſo aptius erudiri judicavit. Horum monaſteriorum nomina varia ſunt apud auctores noſtros. Præferenda videtur Angeli de Nuce ſententia. Sunt autem, inquit, «
ſacra Specus, ſancti Coſmas & Damianus, nunc ſanctæ Scholaſticæ; ſanctus Angelus «
poſt lacum; ſancta Maria, nunc ſanctus Laurentius; ſanctus Hieronymus; ſanctus Jo- «
hannes-Baptiſta, nunc ſanctus Johannes ab Aquis; ſanctus Clemens citra lacum, ſanc- «
tus Blaſius, hodie ſanctus Romanus; ſanctus Michael archangelus ſub ſacra Specu; «
ſanctus Victorinus ad radices montis Porcarii; ſanctus Andreas, & Vita-æterna, «
nunc Vallis-ſancta. Omnia, ſi duo priora, quæ hactenus ſuperſtant, exceperis, aut «
in parietinas, aut certe in ſimplicia oratoria ſeu ſacella redacta ſunt.

II. Abbates ſub ſancto Benedicto.

Singulis monaſteriis abbates ſingulos ſub ſancto Benedicto, quaſi generali magiſtro, præfuiſſe ex Gregorio colligimus, qui vagum illum, communis orationis impatientem monachum, *ab abbate ſuo* ſæpius admonitum & increpitum fuiſſe commemorat: quem Pater ſanctus, pro ſua dignitate eo invitatus, virga percuſſum revocavit ad ſanam mentem. Regula ſancta per id tempus concepta & adumbrata, quam poſtmodum in Caſino monte abſolvit, exemplum præbentibus cum primis Baſilio & Caſſiano. Duodenos monachos in ſingulis cœnobiis inſtituit, nec plures, ut parva & exigua ſunt rerum omnium principia; nec pauciores, quod infra hunc numerum monaſtica diſciplina ſervari incolumis, & coaleſcere vix poſſet, creſcente & adulta religione ſubinde augendum. Hunc numerum, tamquam a ſancto Legiſlatore noſtro con-

Regula.

Monachi duodeni.

ANN. CHR. 522.

rem & ferventiorem fecerunt, ac demum hac ſedulitate exercitato eximiæ caſtitatis munus cælitus attulerunt. Hoc præſidio armatus, etiam de ſequiori ſexu regendo cogitare cœpit : at diſcipulos admonere inſtitit, ne id ejus exemplo attentarent, & periculum facerent doni, quod non accepiſſent. Interim, maleficis Roma pulſis, Baſilius quidam, ejuſmodi factionis dux & anteſignanus, mentitus monachum, flagitante Amiterno epiſcopo, in cœtum venerabilis abbatis admiſſus eſt, nequiquam repugnante Equitio, qui ſuperno lumine pravam hominis mentem noverat. Paucis inde elapſis diebus, cum idem Dei famulus pro exhortandis ad æternorum bonorum deſideria fidelibus de more paullo longius a cella, id eſt a monaſterio, digreſſus fuiſſet ; una earum, quas regebat, ſanctimonialium, ceteris forma præcellens, inter ardentis febris æſtus Baſilium inclamitare cœpit, mox ſe morituram aſſetens, niſi ad ſe adduceretur. Re nuntiata, vir ſanctus dæmonis artes intelligens, facinoris architectum e monaſterio extrudi præcepit. quo facto, puella corporis & animæ ſanitati reſtituta eſt. Cum vero venerabilis abbas, ſacri Ordinis & auctoritatis expers, ultro citroque prædicationi inſiſteret, a Felice quodam nobili Nurſino interpellatur : cur qui nec ſacrum ordinem, nec a Romano pontifice poteſtatem haberet, id muneris ſibi licere arbitraretur ? Verum id ſibi divinitus mandatum fuiſſe repoſuit, ut, nec ſi vellet, integrum ſibi eſſet tacere. Non tamen Romanis clericis viſa eſt ferenda hæc licentia, inſtigantibus Pontificem, ut talem auſum compeſceret. Et quis eſt, inquiunt, ruſticanus ille & ſordidus homunculus, qui auctoritatem ſibi prædicationis arripuit, & indebitum officium indoctus temere uſurpat ? Miſſus ilico Julianus defenſor, poſt Sabinenſis epiſcopus, qui Pontifici hujus rei cauſa Equitium ſiſteret, ad monaſterium confeſtim advolat, antiquarios ſcribentes reperit ; Equitium vero ſecando fœno foris occupatum ex agro accivit. Revertentem cum falce, incultum & ſordentem, Julianus primo quidem deſpexit : ſed mox ejus reverentia tactus, mandatum expoſuit ſupplex. Id incunctanter exſequi paratus vir religioſiſſimus ; Julianum in craſtinum differentem revocandi a Pontifice mandati admonuit. Miratus mutatam ſubito ſententiam Julianus ; viſo deterritum Pontificem ex nuntio accepit. Hæc Fortunati venerabilis abbatis monaſterii, quod Balneum-Ciceronis vocabatur, aliorumque relatu ſe didiciſſe ait Gregorius : qui & addit, corpus ſancti Equitii in beati Laurentii martyris oratorio humatum fuiſſe, & ſævientibus Langobardis, cum fratres ad ejus ſepulcrum refugiſſent, Deo pœnas exigente, barbarorum manus evaſiſſe. De Equitiano inſtituto inferius erit dicendi locus.

VII. Honoratus abbas Fundenſis.

Eodem tempore Fundis in Campania Honoratus [a] monaſterium conſtruxit, in quo ducentorum ferme monachorum exſtitit pater. Illud in eo mirum, quod cum ſervilis eſſet conditionis, ſolo Spiritus-ſancti magiſterio artis ſpiritualis peritiam edoctus fuit. Hanc libertatem in exemplum non eſſe trahendam ſubdit Gregorius : ne, dum ſe quivis divino Spiritu inſtructum jactat, diſcipulus hominis eſſe deſpiciat, fiatque erroris magiſter. Quippe divini ſpiritus indicium certum eſt præ ceteris humilitas, quæ ſubeſſe amat, nec aliud quidquam magis refugit, quam præeſſe. Unus e præcipuis Honorati diſcipulis fuit Libertinus, ejuſdem monaſterii præpoſitus, de quo mira quædam narrantur apud Gregorium. Multa item de Nonnoſo [b] Soractenſis monaſterii præpoſito, de quo illud in primis memorandum, quod ſub aſperrimo abbate degens, ejus mores mira ſemper æquanimitate & patientia, etiam durius aliquando percuſſus, tolerabat. Nec id prætermittendum, quod cum in olivetis monaſterii fructus fere nullus appareret, viſumque fuiſſet abbati, ut ad colligendas extraneorum olivas, redimendi olei cauſa, opera fratrum locaretur ; modeſte reſtitit Nonnoſus, ne exeuntes ex monaſterio fratres, dum olei quærerent lucra, animarum ſuarum damna paterentur. quæ res inſigni miraculo probata eſt. nam ejus conſilio pauciſſimæ monachorum olivæ, in vaſculo ante altare poſitæ, ipſo orante, cunctis monaſterii vaſis oleo implendis ſuffecerunt. Hæc in Italia geſta ſub Symmacho & Hormiſda Romanis pontificibus, Theodorico Oſtrogotthorum rege.

[a] id. ibid. c. 1.

Nonnoſus præpoſitus.

[b] ibid. c. 7.

ANN. CHR. 525.

VIII. Monaſtica profeſſio in Africa.

Sed ecce in Africam nos vocat concilium Carthaginenſe, ſub Bonifacio primate ſexti ſæculi anno viceſimo-quinto celebratum pro libertate quorumdam monaſteriorum : quod concilium, cum privilegiis Gallicanis, Dionyſiano, Corbeien-

ANN CHR. 511.

ſi, Foſſatenſi, aliiſque formam & auctoritatem dederit, non alienum a rebus noſtris cenſeri debet. Verum antequam de hac ſynodo agamus, paullo altius repetenda res eſt. Hoc maxime gloriari poteſt monaſtica profeſſio, quod præſtantiſſimum eccleſiæ Doctorem ſanctum Auguſtinum inſtituti ſui in Africa auctorem, fautoremque, immo etiam profeſſorem habuerit, optantem [a] hoc propoſitum, *ſicut per alias terras, ſic per totam Africam pullulare.* Petiliani hæretici hac de re convicium elogii loco habuit vir magnus [b], longe diſpari animo ab illo epiſcopo Cenomannenſi, qui moleſte ferebat ſe monaſticæ vitæ dici amatorem, improbante Fulberto [c] Carnutenſi, exemploque ſuo revincente Auguſtino, qui monachorum demum adverſus Donatiſtas defenſionem [d] acriter ſuſcepit.

a Auguſt. de Op. mon. cap. 28.
b id contra Petil. lib. 3. c. 40.
c Fulb. ep. 8.
d Aug. in Pſal. 132.

IX. Africæ monaſteria.

Præcipua tum in Africa virorum monaſteria fuere, Hipponenſe auctore ipſo Auguſtino presbytero, in quo is, teſte Poſidio, *cum Dei ſervis*, (ſic monachos tunc paſſim vocabant) *vivere cœpit*; Carthaginenſia illa, quorum idem meminit in libro ſecundo Retractationum, capite viceſimo-primo; Adrumetinum, cujus loci monachis direxit librum de gratia & libero arbitrio, qui *de tranſmarinis partibus ſibi ſemper presbyteros ordinaverunt*, ut Petrus abbas ait in concilio Carthaginenſi, de quo infra; ad hæc monaſterium de Præciſu, & Baccenſe, de quibus in eodem concilio fit mentio, uti & de monaſterio Petri abbatis, quod gravi contentioni in eadem Synodo agitatæ occaſionem dedit. Erat & Gillitanum monaſterium, cujus abbas Felix ob tria capitula damnatus fuit: erat & Tripolitanum, cui præfuit Petrus abbas, compilator commentarii in epiſtolas Pauli ex operibus ſancti Auguſtini; denique erant & monaſteria illa, de quibus agitur in libro de vita ſancti Fulgentii epiſcopi Ruſpenſis, quo nullum fere vitæ monaſticæ illuſtrius ornamentum. Victor Vitenſis [e] laudat Tabracenum monaſterium, cui tum nobilis paſtor Andreas præerat. Eo ſe recepit Martinianus ille confeſſor, ſervus Vandali cujuſdam, juſſu domini ſui deſponſus egregiæ Chriſti ancillæ Maximæ, quæ & ipſa *haud procul monaſterium incoluit puellarum.* E Capſenſi monaſterio prodiere ſeptem illi pugiles, in perſecutione Vandalica enecti: quorum unus diaconus, duo ſubdiaconi, præter abbatem, & Maximum monachum puerili ætate, in eodem monaſterio ab infantia nutritum. Unde colligimus quænam fuerit in Africanis monaſteriis diſciplina.

e Victor. Vit. lib. 1. num. 10.

X. S. Fulgentii vitæ compendium.

Sed nullum aliud hujus rei illuſtrius monumentum eſt, quam vita ſancti Ful-
» gentii epiſcopi mox laudati. Is primo quidem monaſteriorum ſuaviſſimos greges
» frequentius viſitans, ſervorum Dei mores propoſitumque didicit. Inter abſtinen-
» tes nulla eſſe gaudia, nulla eſſe tædia ſentiebat. Eorum conſuetudine, ſimulque
» lectione tractatus ſancti Auguſtini in pſalmum triceſimum-ſextum ad ſæculi con-
» temtum animatus, ad Fauſtum epiſcopum ſe confert, qui ab Hunerico relegatus,
» monaſterium ſibi in exſilio pro aſylo condiderat. Ne matri quidem ſe ſpectandum præ-
» bere voluit novitius, illius preces admittere incongruum putans, *quia pietatem ſo-*
» *litam religioſa crudelitate vincebat.* Ad quod Fauſtus: *Facile*, inquit, *poterit hic*
» *juvenis tolerare quemcumque impoſueris laborem, qui poteſt maternum jam deſpicere*
» *dolorem.* Ingruente perſecutione, conſulto prius Fauſto epiſcopo, vicinum mona-
« ſterium petiit, cui Felix abbas, dudum ejus amicus, præerat, coadjutor ejuſdem
» effectus *poſt multa certamina pietatis, paſſus violentiam caritatis.* Fulgentius docen-
» dis fratribus, & exhortandis externis eo ſupervenientibus: Felix quotidiano mi-
» niſterio & hoſpitibus excipiendis vacabat: nihil alter ſine alterius conſilio faciens;
» alter alterum offendere timens, de mutua ſubjectione ambo ſublimes. Compre-
» henſo utroque a crudeli presbytero Ariano, in ſe unum verbera & plagas converti
» rogabat Felix: nec ſic tamen Fulgentio parci obtinuit. Poſt ſæva verbera ambos
» decalvatos & nudos perfidus ille dimiſit. Inde Ægyptios monachos cogitat Ful-
» gentius, duabus ex cauſis: *ut vel ibi depoſito nomine abbatis ſub regula viveret in*
» *humilitate, vel diſtrictioris abſtinentiæ legibus ſubderetur.* Ea propter Syracuſis
» Eulalium epiſcopum adit, qui monachorum profeſſionem ſingulariter diligebat, ha-
» bens etiam ipſe monaſterium proprium, cui ſemper adhærebat, quoties ab eccleſiaſticis
» officiis vacabat. Is ab Ægypti itinere revocat Fulgentium, propterea quod illorum
» locorum homines a communione beati Petri eſſent alieni. Poſt paullo Fulgentius
» Ruſinianum Africanum antiſtitem, qui in vicinam inſulam refugiens, vitam mona-
» chi ibidem agebat, hac de re conſulit, idemque ab eo accipit reſponſum. It Romam:

ſacra

Digitized by Google

AN. CHR. 515.

ſacra martyrum loca, omneſque ſervos Dei inviſit, urbis pompam nil moratus præ ſplendore cæleſtis Jeruſalem. Mox ad Africam per Sardiniam redit, ſuiſque cum ingenti lætitia redditur. Offertur a quodam prænobili cive Byzaceno locus aptus monaſterio fabricando: ubi magnæ congregationis efficitur pater, *otium ſanctum quærens ex dilectione veritatis, negotia multa ſuſcipiens ex neceſſitate caritatis.* At victus tandem contemplatione meliorum, clam ſecedit in monaſterium Juncenſe, ubi tunc duo preſbyteri eximii abbatis officio fungebantur, *numquam de cœnobio recedentes, ſed eccleſiaſticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes.* His adunatus vir ſanctus, fulget ſupra ceteros mirabili ſcientia, eloquentiaque ſpeciali; ſed laudabili humilitate atque obedientia ſingulari omnibus ſubjectus. Tantus cum eſſet, manibus tamen delectabiliter operabatur, ſcriptoris artem exercens, & ex palmarum foliis flabellos contexens ad miniſterium altaris, lectioni autem in cellula, frequenter coram fratribus inſiſtens. Vulgatus in proprium monaſterium redire cogitur ſub interminatione Fauſti epiſcopi, qui, ne Fulgentius iterum effugeret, repente eum conſecrat preſbyterum, ut abbatis & preſbyteri decoratus & ligatus officio, nec monaſterium deſerere, nec in alia eccleſia poſſet ordinari.

XI. Epiſcopus ut ſe gerit.

Conſpirantibus omnibus ut epiſcopus fieret, eligentium vota velociori præveniens fuga, latebris ignotis abſconditur, nec quæſitus invenitur. Alio electo revertitur, pontificalis dignitatis ſarcinam ſe gaudens evaſiſſe: ſed tandem a Ruſpenſibus flagitatus, *pontifex eſſe non rogatur, ſed cogitur.* Accepta dignitate ita ſe geſſit, ut non deſiſteret eſſe monachus, profeſſionis præteritæ ſervans integritatem, quæ pontificis dignitatem ornabat. Iidem ſemper cibi, etiam inter hoſpites; eademque jejunia. Orario, ſicut omnes epiſcopi, numquam; pelliceo cingulo ritu monachorum, etiam inter dormiendum, utebatur. Calceamentis clericorum viliſſimas caligas hiemis tempore, caligulas in æſtate, ſoleas interdum præferebat. Caſulam pretioſam, vel *ſuperbi* ſeu ſplendidi coloris, nec ipſe habuit, nec monachos ſuos habere permiſit: ſubtus caſulam nigello vel lactinio, id eſt ſubalbo, pallio circumdatus, ſolo pallio intra monaſterium: una tantum viliſſima tunica, ſive per æſtatem, ſive per hiemem, contentus. Hæc illa Fulgentii epiſcopi inſignia, qui *in qua tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat:* dicens, *tempore ſacrificii mutanda eſſe potius corda, quam veſtimenta.* Nullus umquam ab eo extorſit, ut cujuſlibet generis carnes ederet, ſed ſola olera & ova, quando juvenis erat, ſine oleo, niſi poſtquam ſenuit, *ne caligo prævalens oculorum lectionis impediret officium.* A vino denique ſemper abſtinuit. De cetero nuſquam ſine monachis, quibuſcum in condito a ſe Ruſpenſi monaſterio habitabat, *ne, ſuſcepta regendorum ſarcina clericorum, conſolationem perderet monachorum.* Longum eſſet cetera ejus eximia facta, proſcriptiones, exſilia, & lucubrationes percenſere. Sexaginta amplius epiſcoporum, quos tunc catena exſilii ligabat, *lingua & ingenium Fulgentius fuit.*

XII. Paſtoris monaſtici egregium in eo ſpecimen.

Reverſus in Sardiniam, ubi antea monaſterium condiderat, novum ædificat procul a ſtrepitu Calaritanæ civitatis, hoc ſpeciatim monachis inculcans, ut nullus eorum quidquam proprium ſibi vindicaret: ſervis Dei neceſſaria vitæ ſic diſtribuens pro ſingulorum infirmitate, ut moneret eos, qui plura accipiebant, abundantiorem ſervare humilitatem: cum quiſquis plus accipit, omnium fiat debitor, quorum eſt illa ſubſtantia. Erat quoque ei maxima ſollicitudo prævenire cunctorum monachorum petitiones; eis vero qui peterent, petita negare, etiamſi accipere meruiſſent, dicens, *monachos iis, quæ acceperint, debere eſſe contentos.* Illos dictitabat veros eſſe monachos, qui, ſubactis voluntatibus ſuis, parati eſſent nihil velle, aut nolle, niſi pro abbatis arbitrio. Sic laborem & lectionem omnibus commendabat, ut laborantes fratres, qui lectionis ſtudium non habebant, minus diligeret, nec magno honore dignos judicaret: contra ſtudioſos, ſed laborare non valentes, ſummopere amaret. Carthaginem demum ab exſilio revocatus eſt cum omnibus conſacerdotibus, unde ſolus exierat; invenitque habentes ſpiritalem patrem, id eſt Bonifacium epiſcopum, conceſſa catholicis ab Hilderico epiſcoporum eligendorum facultate. Effuſa eſt obviam populorum infinita multitudo, Fulgentium in primis videre cupientium. Immenſa pluvia neminem terruit: quin planetis ſeu palliis ſuis ſuper eum certatim expanſis repellebant imbres, novum tabernaculi genus artificioſa caritate componentes. Egreſſo inde novos triumphos exhibuerunt omnes eccleſiæ: id quod eum ad majoris humilitatis ſtudium provocabat. Redditus

AN. CHR. 525.

» ſuis, inter monachos denuo habitare perſeveravit. Et ne videretur abbatis Felicis
» adventu ſuo minuere poteſtatem, imperandi monachis omnem ſibi facultatem ul-
» tro ademit, non ſuam, ſed alterius volens ſequi voluntatem; recuſans jam epiſ-
» copus dominari in proprio monaſterio. Parum fuit verbis ac operibus hanc humi-
» litatem profiteri, niſi per ſcripturam quoque firmaret, nihil ſe in illo monaſterio
» proprium vindicare; nec pro poteſtate, ſed pro caritate inter monachos habitare,
» obice contradictionis hoc pacto ſucceſſoribus ſuis oppoſito, ne quod exinde ſervi
» Dei ſimplices præjudicium paterentur. Hoc privilegium confirmatum fuit aucto-
ritate ſynodi Carthaginenſis, ſub Reparato epiſcopo, de qua inferius agemus,
poſtquam de priori altera ſynodo ibidem habita diſſeruerimus.

XIII. Concilium Carthaginenſe pro monaſteriorum libertate.

Hæc ſynodus ſub Bonifacio primate celebrata eſt anno quingenteſimo viceſimo-
quinto, fere octennio ante ſancti Fulgentii obitum, quem anno quingenteſi-
mo triceſimo-tertio deceſſiſſe conſtat. Concilii convocandi occaſio nata eſt ex
indulgentia Hilderici Vandalorum regis, qui, mortuo Traſamundo, Bonifacium
epiſcopum apud Carthaginem, alioſque in viduatis eccleſiis antiſtites ordinari per-
miſit, omnibus catholicis libertate reſtituta. Gratulatur hac de re Bonifacius epiſ-
copus initio concilii, conteſtatus, ſe plus de ſacerdotum præſentia, quam de ſolis
adſpectu lætari; hortaturque Patres ad ſarciendam eccleſiæ diſciplinam. Intro-
ductus inter alios Petrus abbas cum aliquot monachis ſuis, oblato libello conqueſ-
» tus eſt, quod Liberatus, primæ ſedis Byzacenæ epiſcopus, vim ſibi, ſuique mo-
» naſterii libertati inferret. Quippe hoc cœnobium a monachis, qui ex diverſis
» Africæ locis & de tranſmarinis partibus convenerant, conditum fuiſſe *ſumtu pa-*
» *rentum* ſuorum, *aliorumque religioſorum* hominum; atque a Reparato epiſcopo
» Puppianenſi provinciæ proconſularis dedicatum, nulli umquam, præterquam pri-
» mati Carthaginenſi, paruiſſe. Carthaginenſi ſede vacante poſt Eugenii obitum,
» qui anno quingenteſimo-quinto contigit, cui non ante annum quingenteſimum vice-
» ſimum-tertium alius ſuffectus eſt; cum ordinandi eſſent ad monaſterii uſum ſacri mi-
» niſtri, ſe *de proximo* Bonifacium Gratianenſem, primæ ſedis Byzacenæ provinciæ epiſ-
» copum, conveniſſe, ut, dum eccleſiæ Carthaginenſi epiſcopus indultus fuiſſet, ex
» ſuis, *qui divina myſteria celebrarent*, ſibi ordinaret. Bonifacio mortuo, Reparatum
» ejus ſucceſſorem ex hac ordinatione monachos in jus vocaſſe, & poſt audientiæ
» præfixum diem, poſt pacificæ diſputationis facultatem conceſſam, monaſterio ſuo
» excommunicationem intendiſſe. Ceterum nihil contra fidem, nihil contra bonos
» mores a ſe admiſſum. Licere liberis hominibus ſe ſe, cuicumque demum voluerint,
» ſubjicere, nulla in contrarium adverſante auctoritate. Exempla etiam ſibi patro-
» cinari aliorum monaſteriorum, quæ, omiſſa proximi epiſcopi ſubjectione, alteri
» eccleſiæ ſponte ſe ſe ſubjecerint. Ita monaſterium de Præciſu, quod in medio Lep-
» timinenſis diœceſis ſitum erat, prætermiſſo iſtius ſedis epiſcopo, e longinquo Vico-
» Aterienſis epiſcopi ſubjectionem prætuliſſe. Baccenſe item monaſterium, quan-
» tumvis Maximianenſi eccleſiæ vicinum, ſe contuliſſe ad primatem Byzacenæ pro-
» vinciæ. Quin etiam Adrumetinos monachos, prætermiſſo ejuſdem civitatis epiſco-
» po, de tranſmarinis partibus, hoc eſt de Italia, preſbyteros ſibi ſemper ordinari
» curaſſe. Non inſolens proinde videri debere, quod monaſterium ſuum ſoli pri-
» mati Carthaginenſi ſubjectum a principio fuiſſe contendant. Neque obſtare quod
» opponebatur a Liberato, nempe quod a proprio ejus ſubdiacono, qui primus loci
» abbas exſtiterat, monaſterium diceret eſſe fundatum. Non enim præjudicare vi-
» ventibus mortui hominis perſonam, *quando, etiamſi clericatus conditionem alicui*
» *debuit, conditio cum perſona defecerit.* Subdiaconum ipſum non fuiſſe monaſterii
» dominum, cujus tantum diſpenſationem habuerit; nec, quia ſubdiaconus, ſed quia
» monachus erat, electum fuiſſe abbatem. Denique, eſto Byzacenæ provinciæ epiſ-
» copi ſubdiaconus fuerit: ſuum certe monachum exſtitiſſe; nec ſe honoris eccle-
» ſiaſtici, ſed ſanctiſſimæ profeſſionis heredes regendo monaſterio adoptaſſe. Proinde
» obſecrare nihil novari in ſuo monaſterio, quando nihil a ſe novum commiſſum
» conſtaret. Ideo ſe, ne opprimerentur, appellaſſe ad iſtam ſedem, ad quam ſolerent
» ipſi etiam clerici, ſi ſe opprimi viderint, appellare. Eo ſe adductos, quod a Li-
» berato vexati & diris addicti, ab eccleſiis arcerentur, ejicerenturque; hoſpitali-
» tatis jure privarentur, nec a quoquam ſalutarentur, nec ipſis cuiquam benedictio-
» nem impertiri liceret. Libello ſubſcripſit Petrus abbas cum monachis ſuis, quorum

alii preſbyteri, alii diaconi, omiſſo monachi titulo, nomen ſuum apponunt, alii dicti ſeniores.

ANN. CHR. 525.

XIV. Inſtrumenta ejuſdem argumenti.

Libello ſubjiciunt *ſanctorum Patrum dicta, monaſteriorum libertatem defendentium.* Primum ſancti Auguſtini ex ſecundo libro ſeu ſermone de moribus clericorum, ubi agitur de preſbytero Leporio, qui monaſterium conſtituerat in horto, nec eccleſiæ, nec ſuo. Alterum ex eodem etiam ſermone, ubi fit mentio de loco, quem honorabilis vir Eleuſinius Barnabæ preſbytero ad condendum monaſterium tradiderat, antequam idem Barnabas ordinaretur preſbyter : ſed tamen, ne quod monaſterii libertati præjudicium ex conditione preſbyteri generaretur, mutata inſtrumenta, ut ne Barnabæ preſbyteri, ſed monaſterii nomine locus poſſideretur. Tertium inſtrumentum eſt Bonifacii epiſcopi, Byzacenæ provinciæ primatis, epiſtola ad quaſdam ſanctimoniales, concedentis, ut, cum ſemper Dei ſervorum vel ancillarum monaſteria *liberum habeant arbitrium a conditione clericorum* ; & iſtæ licentiam habeant, unde voluerint, ſpiritalem ſumendi cibum ; & quem velint, aſſumant preſbyterum, qui in monaſterio ſuo *ſacroſancta peragat, & illa quæ ad normam pertinent unitatis* : ſed ea conditione, ut *ipſius primatis in altario Domini nomen recenſeatur, at jurgiorum ſemina in omnibus caveant.* ſic enim legendum, *non careant*, ut in editis. Poſtremum eſt decretum ſynodi Forojulienſis pro monaſterio Lirinenſi, de quo ſuperius actum eſt.

XV.

Recitata fuit etiam epiſtola Liberati primatis Byzaceni, aliorumque epiſcoporum, ex Juncenſi concilio, cui ſanctus Fulgentius interfuit, ad Bonifacium tranſmiſſa : poſtulantium, ut ea quæ per coëpiſcopos ſuos, Pontianum & Reſtitutum, ſanctitati ſuæ exponenda mandaverant, clementer audire, & ſapienter ordinare ſua beatitudo dignaretur ; ſtuderetque præcipue, (quod tacite cauſam Petri abbatis ſpectabat) ut nullus permitteretur eccleſiaſticorum canonum convellere firmitatem ; atque ita ſe cunctis formam præbere virtutum, ut terminos paternis definitionibus conſtitutos non negligat ſervare poſteritas. Ad quam quidem epiſtolam Bonifacius reſpondit : id quod per legatos Juncenſes Liberatus aliique petierant, ſibi difficillimum eſſe. Neque enim ſe poſſe mutare ſtatuta, quæ per tot ſacerdotes inſtinctu divino ſervata noſcuntur. Si enim id ſemel admiſſum fuerit, ut quæ antea conſtituta ſunt, in retractationem vocentur, nihil in divinis humaniſque actibus, nihil in ſacris publiciſque rebus obtinere ullam poſſe firmitatem : dum poſt tot annorum ſpatia, tamquam in emendationem patrum, velut inſtructior noſtra videatur mutare poſteritas.

XVI. Concilii hac de re ſententia.

Recitato coram omnibus Petri abbatis libello, Bonifacius Carthaginenſis primas palam teſtatus eſt ſe gravate atque indigne ferre, quod Liberatus epiſcopus *de leviſſimis rebus grave jurgium ſuſcitaret, captataque unius injuſtiſſima querelæ occaſione, privilegia Carthaginenſis eccleſiæ ſubtrahere moliretur.* Aſſenſi ſunt etiam alii epiſcopi, dolentes, quod *huic ſanctæ ſedi debitam reverentiam* Liberatus *denegaret* : ac demum perlectis, atque attente expenſis omnibus, decretum condiderunt in hunc modum : *Erunt igitur omnia omnino monaſteria, ſicut ſemper fuerunt, a conditione clericorum modis omnibus libera, ſibi tantum & Deo placentia.*

XVII. Aliud concilium Carthag. ejuſdem argumenti.

Huic concilio aliud ejuſdem generis, Carthagine itidem ſub Reparato Bonifacii ſucceſſore anno ejuſdem ſæculi triceſimo-quarto habitum, continenter hoc loco ob argumenti affinitatem ſubjungendum eſt. Tempus celebrati concilii colligitur ex epiſtola ſynodica epiſcoporum Africanorum ad Johannem papam ſecundum, quæ ejus ſucceſſori Agapeto reddita fuit paullo poſt ejus creationem, ineunte anno triceſimo-quinto factam. Inter alia in hac ſynodo actum eſt de privilegio, quod monaſterio Ruſpenſi a ſancto Fulgentio conceſſum ſuperius vidimus. Poſt mortem Fulgentii, quæ fere biennio ante acciderat, Felicianus epiſcopus Ruſpenſis, cum ſynodo præſens adeſſet, patres ſciſcitatus eſt, quid de hoc privilegio obſervare deberet. Felix epiſcopus eccleſiæ Zactarenſis provineiæ Nımidiæ nomine totius coneilii edixit : de monaſterio abbatis Petri, ubi nunc Fortunatus abbas conſtitutus eſt, quæ temporibus ſanctæ memoriæ Bonifacii *in univerſali concilio*, nobis etiam præſentibus, acta ſunt, inconvulſa permaneant : cetera vero monaſteria etiam ipſa libertate pleniſſima perfruantur, ſervatis limitibus conciliorum ſuorum in hæc dumtaxat, ut quandocumque voluerint ſibi clericos ordinare, vel oratoria monaſteriis dedicare, epiſcopus, in cujus plebe, vel civitate locus

Digitized by Google

AN. CHR. 525.

» monaſterii conſiſtit, ipſe hujus muneris gratiam compleat, ſalva libertate monachorum, nihil ſibi in eis præter hanc ordinationem vindicans, neque eccleſiaſticis eos conditionibus aut angariis, id eſt exactionibus, ſubdens. Tum ſubjicit : » OPORTET enim in nullo monaſterio quemlibet epiſcopum cathedram collocare : aut qui forte voluerint habere, nequaquam permittantur; nec aliquam ordinationem, quamvis leviſſimam, facere, niſi clericorum, ſi voluerint habere, nempe monaſteria. Eſſe enim debent monachi in abbatum ſuorum poteſtate. Et quando ipſi abbates de corpore exierint, qui in loco eorum eligendi ſunt, judicio congregationis eligantur, nec officium hujus electionis ſibi vindicet aut præſumat epiſcopus. Si qua vero contentio, quod non optamus, inter monachos exorta fuerit, abbatum aliorum concilio ſive judicio finiatur : aut, ſi ſcandalum perſeveraverit, ad primates uniuſcujuſque provinciæ univerſæ cauſæ monaſteriorum judicandæ perducantur. Inter ſacrificia vero ordinatores ſuos tantummodo, id eſt epiſcopos plebium, ubi monaſteria ſunt, recitent. Hoc enim convenit paci. Confirmetur etiam ab hoc ſancto concilio, ut ſine bono teſtimonio abbatis, vel conceſſione, nullus monachum in aliqua eccleſia teneat ad clericatum, vel promoveat ad honorem.

XVIII. *Locus emendatur.* Hoc decretum, prout jacet hoc loco, ex codice Virdunenſi monaſterii ſancti Vitoni magis integrum relatum eſt, quam apud Labbeum ex editione Acheriana, ubi mutilum, mendoſumque habetur. Quamquam nec mendæ expers eſt codex ipſe Virdunenſis ad hunc locum, qui in aliis editis ad finem uſque deeſt, ubi legitur, *Inter ſacrificia vero ordinatos ſuos tantummodo idem epiſcopus plebium, ubi monaſteria ſunt, recitet.* & ſic quidem typis edideram in tomo primo Analectorum : ſed manifeſto errore, ut cuivis patebit ex comparatione ſuperioris textus cum alia lectione, & cum tertio inſtrumento, quod Petrus abbas protulit, in quo Africanis illis ſanctimonialibus ea conditione preſbyterum ſibi, quem voluerint, adſciſcere permittitur, ut *ipſius primatis altario Domini nomen recenſeatur, ut jurgiorum ſemina in omnibus caveant.*

XIX. *Obſervanda in his conciliis.* Hæc fuſius ob materiæ gravitatem referre viſum eſt ad illuſtranda ſubſequentium temporum privilegia, quæ ab hoc priori concilio Carthaginenſi præſidium & formam mutuata ſunt. Sane graviſſima eſt iſtius concilii auctoritas : tum quod univerſale eſſet totius Africæ concilium, ut certe in poſteriori concilio Carthaginenſi appellatur : tum quod ex epiſcopis pleriſque ſanctiſſimis, qui diras vexationes a Traſamundo pertulerant, conflatum eſſet. Ex his autem colligitur, eum fuiſſe per id tempus in Africa uſum, quem etiam in Oriente maxime viguiſſe conſtat, ut monaſteria, in quacumque demum diœceſi vel provincia fundarentur, illius tamen juriſdictioni immediate ſubjecta eſſent, cui illa ſubjicere voluiſſent fundatores, ſi modo in prædio libero & ab eccleſiæ principis poteſtate ſeu poſſeſſione alieno conſtructa eſſent; & ab hominibus quidem liberis, qui nec ratione conditionis, nec ratione ordinis ſeu clericatus, diœceſano epiſcopo eſſent obnoxii. » Nullum tutius, nullum privilegii indubitatius fundamentum eſt, inquit eruditiſſimus [a] » Thomaſſinus, quam fundatorum voluntas, quibus integrum utique eſt bona ſua & » ſe ipſos cui lubet donare. Deinde hinc ſumta auctoritas, ut primati immediate ſubeſſent monaſteria pro voluntate fundatorum, atque adeo patriarchæ, ad ſignandam ſuæ ſedis prærogativam. Ad hæc, diœceſanis epiſcopis relictam aliquando clericorum in monaſteriis ordinationem, aliquando detractam, uti & altarium conſecrationem. Nec in his tamen abrogata eſt epiſcoporum in monachos poteſtas, ſed tranſlata ab uno in alium. Accedit quod in his monaſteriis libera erat penes monachos abbatum ſuorum electio : ut jam ex concilio Forojulienſi pro Lirinenſi monaſterio obſervatum. Unde patet quam largiſſime allucinentur ii, qui hujus poteſtatis originem ad ſancti Benedicti regulam referunt. Poſtremo ſi quid abbas in monaſterio deliquiſſet, aut ſi qua jurgia inter ipſum & monachos nata fuiſſent, id aliorum abbatum judicio ac ſententia emendandum, componendumve, aut ad primatis referendum arbitrium.

[a] *Thomaſſin. Diſcip. p. 2. lib. 3. c. 31. n. 9.*

XX. *Privilegium parthenonis Arelatenſis.* Gallia tunc omnis diviſa erat in quatuor partes. Unam obtinebant Franci recens ad fidem converſi ſub rege Chlodoveo, tum ſub quatuor ejus filiis, Theoderico, Chlodomiro, Childeberto & Chlothario : alteram Burgundiones ſub Sigiſmundo & Godomaro Gundobadi filiis, Ariani; Provinciam Arelatenſem Theo-

doricus Oſtrogotthorum rex; Galliam denique Narbonenſem Theuda Amalarici Veſigotthorum regis non tam tutor, quam exturbator. In hac Cæſarius Arelatenſis antiſtes, quamquam parthenium a ſe conſtructum epiſcopo Arelatenſi ſubjecerat, hoc tamen ſpeciatim voluit, atque a ſucceſſoribus [a] ſuis magnopere poſtulavit, ut ſive proviſorem ad monaſterium, ſive preſbyterum ad baſilicam ſanctæ Mariæ, nullum alium habeat congregatio ſancta, niſi quem ipſa elegerit, vel ordinari petierit: & quia nonnulla ex bonis eccleſiæ ſuæ eidem monaſterio dederat, confirmationis privilegium a Romano pontifice obtinuit. Quapropter ſucceſſores ſuos obteſtatur, ut illibatam donationem ſervent: quia *hoc quod epiſcopi agitur verbo, non ſolum auferri non debet, verum nec omnino poteſt: tum præcipue quia & hoc ipſa ſanctiſſimi papa urbicani ſuaſit auctoritas.* Hormiſda is fuit, cujus hac de re diploma exſtat [b] apud Bollandum. Diplomatis initio perperam præmittitur *Paulinus*, quod mendum ex imperitia lectoris ortum exiſtimo, qui cum Chriſti monogramma, pontificiis diplomatibus non raro præponi ſolitum, vidiſſet, pro littera græca P. Paulinum compendio ſcriptum opinatus eſt. Liberam porro abbatiſſæ electionem penes monaſterii congregationem relinquit [c] Cæſarius: tantum ut ne fiat *pro carnali affectu, aut pro natalibus, aut pro parentela.*

ANN. CHR. 525.

a *Cæſarii teſtamentum.*

b *Belland. to. 2. Jan. p. 736.*

c *Cæſar. recapit reg. c. 12.*

XXI. Conſimile privilegium Hormiſda pontifex Divionenſi ſancti Benigni monaſterio indulſit rogatu beati Gregorii epiſcopi Lingonenſis, qui ſub initia ſæculi ſexti, inventum ſancti Benigni martyris corpus in decentiorem tranſtulit locum, & ſuper ipſius tumulum baſilicam ædificavit, ibique multos ex diverſis partibus aggregavit monachos, quibus præfectum Euſtadium, virum ſanctum, tradit Chronographus [d] Benignianus. Locus erat ſuburbanus, ob ſancti martyris reverentiam perquam honoratus, in cujus ambitu circumquaque totius urbis, nedum provinciæ, conditorium erat, atque etiam non paucorum Lingonenſium epiſcoporum in adjuncta eccleſia, quam ſancto Johanni Baptiſtæ & ſancto Johanni Evangeliſtæ nuncupatam tradunt, ubi & ſanctimonialium congregatio ante monachos exſtiterit. Totum hoc ſpatium Gregorius novo monaſterio, cujus auctor erat, attribuit, conſtituitque, ut etiam in poſterum ibi generale cœmeterium eſſet monaſterio ſubjectum: quam conſtitutionem Hormiſda, aliique deinceps pontifices, Johannes & Sergius, apoſtolica auctoritate confirmarunt. Veri ſimillimum eſt, monachos iſtuc accitos fuiſſe tum ex Agaunenſi monaſterio, quicum magnam ab exordio neceſſitudinem habuit Benignianum, tum ex vicino Reomaenſi, de cujus origine hic agendum eſt.

Simile ſancti Benigni Divion.

d *Spicil. to. 1. p. 318.*

XXII. Johannes abbas ejus auctor, ſi quidem vixit annis centum & viginti, ſub annum Chriſti viceſimum ſupra quadringenteſimum apud Lingonas editus in lucem eſt, parentibus non minus piis, quam genere claris. Pater ejus Hilarius ex ſenatoribus, mater Quitta, ambo a Gregorio Turonenſi [e] epiſcopo laudati, ſepultique Divione ad tumulum ſancti Benigni juxta Euſtadium abbatem. Johannes annorum circiter viginti in cellam ſe reclusit cum duobus ſociis non ita procul a paterna villa: dein iiſdem comitantibus in deſertum locum pagi Lingonenſis ſeceſſit, ibique monaſterium conſtruxit triginta paſſuum millibus a caſtro ſeu opido Tornodoro * ad amnem Reomaum, qui monaſterio poſtea vocabulum dedit. Dein prælationis impatiens, Lirinum cum duobus ſociis clam profectus, ibidem ſeſqui-anno delituit. Verum ab exploratore detectus, ad ſuos redire compulſus eſt, flagitante per epiſtolas epiſcopo Lingonenſi, quarum una ad Lirinenſem abbatem, quem antiquus vitæ ſcriptor perperam Honoratum vocat; altera ad ipſum Johannem, exigente, ut quantocius rediret. Regreſſus comperit fratres jam a diſtrictione regulæ multum deflexiſſe, quam ad priſtinum ordinem mox revocavit, præſcripta regulari norma, quam diſcipulis ſuis tradidit ſanctus Macarius. Ex quo conjicere poſſumus, eamdem regulam apud Lirinenſes tum obtinuiſſe. Orientalium monachorum exemplo fratres ſuos labore manuum exercebat, adeo ſolitudinis amans, ut ne viros quidem ſæculares in monaſterii baſilicam inter ſacra admitteret. Unde quidam vir pius, nomine Agreſtius, cum ad monaſterium die dominico adveniſſet, communionem ſacram ab eo (preſbyter quippe erat) & benedictionem percepturus; non tulit Johannes, e[u]mque foras egredi juſſit, ut ſecretius ſacra myſteria celebraret. Urgente illo ne rejiceretur: Non ideo, ait vir ſanctus, « id facimus, quaſi præſentiam tuam averſemur; ſed ne ſanctorum patrum præcepta «

Reomaenſis monaſterii initia.

e *Greg. de gl. Conf. c. 42*

* *Tonnerre.*

AN CHR. 515.

& regularem cenſuram tranſgredi videamur. Eadem in Luxovienſi monaſterio diſciplina viguit ſub beato Columbano.

XXIII. Laicis negatur in ejus eccleſiam ingreſſus.

Quæ ſint hæc ſanctorum Patrum præcepta, non liquet. neque enim quidquam ſimile in antiquis regulis legitur, ne qnidem in Macariana, quam Reomaenſes ſectabantur. Neque huc trahi poteſt, ut Petrus Roverius in hiſtoria Reomaenſi opinatur, Pachomianæ regulæ articulus quinquageſimns-primus: ubi tantum abeſt ut ſæculares bomines ab oratorio arceantur, ut etiam admittantur *mulierculæ*, ita ut ſinguli in diverſis locis ſuſcipiantur *juxta ordinem ſexus ſui*. Et hic quidem ritus in aliis orientalibus monaſteriis paſſim [a] ſervabatur, præterqnam in eccleſia Cellarum [b] in Ægypto haud procul a Nitria: in quam cum quidam, parvam geſtans cucullam, ingreſſus fuiſſet, expulſus fuit ab Iſaaco abbate, inſtar laïci, dicente: Hæc loca monachorum ſunt: tu vero, cum ſæcularis ſis, tibi hic manere non licet. In regula quidem ſancti Aureliani epiſcopi Arelatenſis pro viris, articulo quarto-decimo præſcribitur, ut *nullus laicus, ſive nobilis, ſive ignobilis, in baſilicam vel monaſterium introire permittatur*: at hæc regula poſt obitum Johannis abbatis ſcripta fuit. At forte *ſanctorum Patrum* nomine intelligere voluit ſuos Lirinenſes. Quamquam ſanctus Sequanus, etſi Johannis diſcipulus, hanc diſtrictionem nequaquam tenuit, utpote qui paralyticum ipſo die ſancto Paſchæ ad communionem admiſit.

a Roſweid. p. 364.
b Cotelerii monum. græca to. 1. p. 491. & 492.

XXIV. S. Sequani vita monaſtica.

Hic haud procul a paterna domo, in villam Valeriacum * pagi Magnimontenſis * in Burgundia, non longe a fonte Sequanæ, primum ſeceſſit, ſub ipſo laici habitu mores monachi probatiſſimi gerens, & ſub intonſi capitis *crine tonſi pectoris frugem*. Poſt rigidiſſimæ vitæ annos tres Euſtadio, ſancto apud Magnimontenſes presbytero, adhæſit, acceptaque ab eo clericali tonſura, (hæc enim per ſimplicem ſacerdotem, nedum per abbates, illis temporibus non raro conferebatur) cum eſſet *annorum fere quindecim*, à Lingonenſi epiſcopo ad diaconatum promovetur, obloquentibus loci clericis, quod Sequanus *ſecundi ordinis ſacerdotis honore* ſibi præponeretur. Mortuo ſancto Euſtadio, Sequanus *eccleſiaſticum officium relinquere*, & monaſticam vitam arripere ſtatuit. Hujus rei cauſa Johannem abbatem adiit in Reomaenſe monaſterium pagi Tornodorenſis, *cujus ſingularis ſanctitas univerſas jam provincias peragrarat*. Poſt exactam ſerio vitæ religioſæ diſciplinam ab eo digreſſus, & ipſe monaſterium condidit, in quo monachos adeo perfecte erudivit, ut propoſiti eorum continentiam, ſacrarumque litterarum peritiam omnes in eis mirarentur. Locus Sicaſter ſeu Sigeſter antiquis appellatus, in pago Magnimontenſi, quinque leucis ab urbe Divione, in valle anguſta poſitus, ab auctore ſancti Sequani nomen retinet, abbatia ſanctæ Mariæ & ſancti Sequani in diplomate Caroli cognomento Craſſi dictus, Benedicti, inſignis illius Anianenſis abbatis, receſſu in primis ſæculo octavo illuſtratus.

* Verry ſous Dreez.
* Maimont.

XXV. Sancti Benigni abbates.

Si Benigniani, ut diximus, cœnobii abbas primus fuit Euſtadius, alius cenſendus videtur ab Euſtadio presbytero Magnimontenſi mox laudato, quem presbyterum ſæcularem fuiſſe ex actis ſancti Sequani non obſcure intelligitur. Euſtadio Tranquillum abbatem ſucceſſiſſe tradit ejuſdem loci chronographus, quem ipſum eſſe putat Tranquillum virum ſanctum, cujus miracula commemorat Gregorius [c] epiſcopus Turonenſis. Apollinarem abbatem laudat idem auctor tempore Guntchramni regis, qui, multis prædiis ſancto Benigno attributis, inſtituit, ut ad inſtar monaſterii Agaunenſis, cujus itidem regimen, uti & ſancti Apri apud Tullum, Apollinaris habuiſſe dicitur, die noctuque divinum in ſancti Benigni eccleſia officium perſolveretur. Et ut hæc inſtitutio in poſterum non deſineret, conſtituiſſe dicitur, ut abbates utrobique iidem eſſent, ut una congregatio, unuſque ordo ſervaretur. Quæ conſtitutio, ſi vera eſt, effectu caruit: quandoquidem diverſi omnino duorum illorum monaſteriorum abbates leguntur in vulgatis indicibus; nec Apollinaris abbas, ſed ſanctus Tranquillus inter abbates Agaunenſes recenſetur.

c Greg. de gl. Conf. c. 44

XXVI. Burgundiæ alia monaſteria.

Præter hæc, alia erant etiam tunc in iiſdem Burgundiæ partibus cœnobia, Autiſiodorenſe ſancti Germani, Tornodorenſe ſancti Michaëlis, Melundenſe ſancti Petri, corrupte Moloſmenſe, ſancti Martini a vicina parœciali eccleſia dictum: quibus addenda ſunt ſancti Petri Vivi Senonenſe, & Ferrarienſe ſancti Petri.

XXVII. Sancti Germani Autiſiodorenſe.

Sancti Germani monaſterium in urbe Autiſiodoro * a primordiis exiguum erat oratorium, quod beatiſſimus Germanus, ejuſdem urbis antiſtes, vir magnus & il-

* Auxerre.

ANN. CHR. 525.

luſtris, qui vitæ monaſticæ ſeveritatem cum epiſcopatu conjunxit, in ſuo ipſius prædio ſub ſancti Mauricii patrocinio conſtruxerat, & Saturnino diſcipulo ſuo ſub titulo ſacerdotali deputaverat. Iſtuc beati Pontificis corpus Ravenna, ubi deceſſerat, delatum, ibidemque ſepultum fuit, pretioſo illo ſudario, quod Placidia auguſta ſuppeditaverat, a ſancto Petro Ravennate epiſcopo, cognomento Chryſologo, involutum. Illud ipſum eſſe creditur, quod unum ex Calviniana ſtrage relictum eſt ſanctiſſimi antiſtitis monumentum. Pannus eſt ex ſerico, longitudinis pedes fere ſeptem, latitudinis quinque habens cum totidem pollicibus, violacei coloris flavo permiſti. Aquilis octo reſperſum eſt ſudarium, intermiſtis roſis. Aquilæ, ſemi-expanſis alis, ex roſtro ſingulas palas cum gemma non mediocri, & torques ſingulos in collo gerunt. Progreſſu temporum Chrotechildis regina, Magni Chlodovei conjux, ſuper ſancti Germani tumulum ingentis atque operoſæ fabricæ baſilicam exſtruxit, & ad eam dedicandam *ſanctum Lupum epiſcopum ex ſuperioribus Burgundiæ partibus* ſecum adduxit. Ita fere Herricus [a], ſancti Germani ſæculo nono eruditus monachus: qui & addit, eumdem Lupum non multo poſt ad decimum-ſextum kalendas Julii die functum ſupremo, in eadem eccleſia decenter ac religioſe compoſitum requieſcere. quod pario impreſſum marmori cuique legere cupienti ſcriptura prodit antiquior. Cujus loci epiſcopus fuerit iſte Lupus, ignoramus. neque enim id vel ad ſanctum Lupum Trecenſem epiſcopum, qui ſuperiori ſæculo deceſſerat; neque ad Senonenſem referri poteſt, qui ipſis menſis Septembris kalendis mortuus eſt in Briennonenſi diœceſis ſuæ prædio, ſepultuſque in baſilica ſanctæ Columbæ prope Senonas, integro fere ſæculo poſt tempus Chrotechildis reginæ. Quin etiam Chlotharii ſenioris conjux, nomine Ingundis, ſepulcro beati Germani plurima vaſorum, palliorumque attulit ornamenta: inter quæ calicem egregium, auro ſplendidiſſimo, gemmiſque compactum vidimus, ait Herricus, pretioſis reginæ memoriam inſertis litteris præferentem. Quod vero ſubdit idem auctor, munus iſtud *per manus Deſiderii* Autiſiodorenſis epiſcopi beato Germano fuiſſe oblatum; ſane id conſtare non poteſt cum accurata ratione temporum. quandoquidem Deſiderius hanc ſedem iniit non ante exitum ſæculi ſexti, quo tempore Ingundis jam dudum vivere deſierat. Nec ob eamdem rationem Chlothario ſeniori aptari poteſt quod idem auctor ei tribuit, nempe ipſum *per manus ſancti Deſiderii, ejuſdem tunc urbis epiſcopi*, regalibus expenſis *fredam*, id eſt ædiculam columnis innixam, (alii ciborium vocant) ſuper ejuſdem ſancti Germani ſepulcrum compoſuiſſe. quæ freda auro, argentoque decorata, in noſtram, ait Herricus, duravit ætatem, auctorem miniſtrumque operis inſculptarum ſibi deſignans ſuffragio litterarum. Neque dixeris, duos ejuſdem urbis exſtitiſſe per id tempus eodem nomine epiſcopos, unum Chlotarii ſenioris, alterum junioris principatu: cum conſtet, tum ex antiquis iſtius ſedis epiſcoporum indicibus apud Hugonem ſancti Mariani monachum, & apud Labbeum [b]; tum ex ipſo Herrico, unicum fuiſſe. quod cuivis perſpicuum erit, qui caput primum libri primi ejuſdem auctoris, cum libri ſecundi capite quinto-decimo conferre voluerit. An forte Chlotarius ſecundus, uti & primus, conjugem nomine Ingundem habuit ante Bertetrudem? quam ſecundam ejus uxorem fuiſſe Hadrianus Valeſius, & cum eo Carolus Cointius exiſtimat. Sed de his plura ſuo loco.

[a] Labbe to. 1. Biblioth. nova p. 542.

[b] ibid. p. 422.

XXVIII. Abbates ejus loci.

Ab erecta per ſanctam Chrotechildem beati Germani Baſilica monachi locum iſtum inſederunt ad noſtrum uſque tempus, numquam interrupta ſerie: ſed quis primus loci abbas exſtiterit, incertum. Aunarium quidem, ſeu Aunacharium vulgati præferunt indices, quem monachum abbatemque fuiſſe tradunt, priuſquam epiſcopatum Autiſiodorenſem adipiſceretur: at de abbatiali ejus dignitate altum ſilentium in ejus vita apud Labbeum [c], ubi tantum ad ſepulcrum ſancti Martini Turonenſis epiſcopi, *coma capitis detonſa, clericali habitu ſacularem veſtem mutaſſe* perhibetur. Idem jam epiſcopus in cœnobium ſancti Germani admiſit Walaricum, Leuconaenſem abbatem ſanctum poſtea futurum. Exploratior eſt notitia de Winebaudo ſancti Germani abbate forte ſecundo, qui ſynodo Autiſiodorenſi ſub Aunario ſubſcripſit anno ſupra quingenteſimum nonageſimo, ut in conſequentibus videbimus.

[c] ibid. p. 529.

XXIX. Sancti Petri Vivi origo.

Apud Senonas haud inferius dignitate ac ſanctitate etiam nunc viget monaſterium ſancti Petri, in ſuburbio ejuſdem civitatis ad orientalem plagam ſitum, eo in

ANN. CHR. 525. loco, ubi primitus ſanctorum martyrum Saviniani & Potentiani eccleſia erat, & quidem in vico ſancti Petri: unde monaſterio ſancti Petri de Vico, corrupte Vivi cognomen adhæſiſſe volunt nonnulli: cum alii *Vivi* vocabulum præferant, a nomine vici, quem *Vivum* antiquitus appellatum malunt. Sed id parum intereſt ad notitiam monaſterii nobiliſſimi, ubi Senonenſium archiepiſcoporum conditorium, etiam ante inductos monachos, fuit, ſanctarum reliquiarum multitudine & dignitate inſignitum. Conditricem agnoſcit Theudechildem reginam, quam alii Chlodovei Magni, alii Theoderici ejus filii prolem; plerique virginem, quidam nuptam dicunt. Et certe fuere per id tempus duæ ejuſdem nominis notiſſimæ feminæ: una regiæ ſtirpis, a Venantio Fortunato laudata duobus in locis, (nam unam eamdemque utrobique deſignari cum Hadriano Valeſio non dubito:) & quidem Theoderici Auſtraſiorum regis filia, Hermigiſclo Varnorum regi conjugata, ea ſcilicet, quam Suavegottæ filiam vocat Frodoardus: altera vero ex opilione orta, quæ Chariberti Pariſiorum regis concubina fuit. Priorem monaſterii ſancti Petri Vivi (ut cum vulgo loquamur) auctorem fuiſſe mihi pro comperto eſt. quam Theoderico rege natam illud ſatis probat, quod Nunnichius, Arvernorum tribunus, *Theudechildæ reginæ tributa reddidiſſe* a Gregorio [a] memoratur: quia ſcilicet Theoderico, ac poſtea Theodeberto ejus filio, Auſtraſiorum regibus, Arverni tum patebant. Nec alia fuiſſe videtur Theudechildis ſancti Petri cœnobii conditrix, quæ Baſolum Arvernorum comitem, ob defectionem a Theoderico in vincula conjectum, in idem monaſterium excepit. Certe huic conditrici totidem ætatis annos Clarius monachus cum aliis ejuſdem loci ſcriptoribus, id eſt ſeptuagintaquinque, tribuit, quot Fortunatus Theudechildæ reginæ in epitaphio, in quo *templorum Domini cultrix* [b] vocatur; & in alio [c] quidem carmine Fortunatus haud obſcure meminiſſe videtur baſilicæ ſancti Petri his verſibus:

[a] Greg. Tur. de gl. conf. c. 41.

[b] Fortunat. lib. 4. c. 24.

[c] id. lib. 6. c. 8.

Eccleſiæ ſacra, te diſpenſante, novantur:
Ipſa domum Chriſti condis, & ille tuam.

Ceterum genus ejus apprime in epitaphio exprimit hoc diſticho.

Cui frater, genitor; conjux, avus, atque priores,
Culmine ſucciduo regius ordo fuit.

Eadem alio in carmine ſententia eamdem utrobique Theudechildem contra Cointium probat.

Inclita progenies regali ſtirpe coruſcans,
Cui celſum a proavis nomen origo dedit.
Currit in urbe volans generis nova gloria veſtri,
Et ſimul hinc frater perſonat, inde pater.

Nec dubitavit Clarius, monaſterii ſui auctorem Theudechildem eſſe eam ipſam, cujus epitaphium ſcripſerat Fortunatus: tametſi aliud huic poëtæ tribuit, agens de Archembaldo archiepiſcopo monaſterii direptore, cui legendum objectum eſt domnæ Theudechildæ epitaphium, dira ſacri loci raptoribus ſupplicia intentans.

XXX. Abbates primi ejus loci.

Ex his argumentum deducitur, iſtius monaſterii originem circiter annum ſæculi ſexti viceſimum reponendam eſſe: certe ante Arvernorum a Theoderico Auſtraſianorum rege defectionem, qui eos denuo ſubegit rebellantes anno viceſimoquinto, quo tempore Baſolus Arvernorum comes ab eo comprehenſus, captivuſque ab ipſo abductus fuit: ſed mox errati venia per Theudechildem impetrata, tonſus in monaſterio ſancti Petri, ibidem pie deceſſit, ſepultus in oratorio ſancti Bartholomæi cum debito epitaphio alibi a me relato, in quo quidquid prædii & opum apud Arvernos habebat, eidem monaſterio contuliſſe dicitur. In his eſt nobile prædium Mauriacus * in ſuperiori Arvernorum regione, non longe a Dordonna fluvio: ubi Jeremias Senonum archiepiſcopus cellam ſeu monaſterium, principi ſancti Petri abbatiæ ſubjectum, ſæculo nono conſtruxit, de quo alias. Primos ſancti Petri abbates ignorarunt Clarius & Odorannus, ejuſdem loci monachi & chronographi, quibus primus eſt Amalbertus, a quo normam Luxovienſem iſtuc inductam

* Mauriac.

ANN. CHR. 525.

inductam tradunt. Id ſi admittamus, rejiciendus eſt Amalbertus ad ſæculum ſeptimum, quo ſæculo ritus Luxovienſes propagari cœperunt. Verum hac de re ſermo recurret, ubi de privilegio Emmonis epiſcopi Senonenſis eidem abbatiæ conceſſo agemus. Mitto quæ ſcribit Hugo monachus ſancti Mariani de ſancti Petri baſilicæ dedicatione, & vulgatas de ejus conditione litteras ſub nomine Chlodovei Magni. Theudechildis ſepulta eſt in eadem baſilica ad ſiniſtrum latus majoris altaris, ibidemque ut ſancta colitur in vigilia apoſtolorum Petri & Pauli.

XXXI. Ferrarienſe ſancti Petri.

Invitat nos & viciniæ affinitas & temporis, ut de Ferrarienſi ſancti Petri monaſterio continenter agamus, cujus tam obſcura ſunt primordia, quam illuſtria incrementa & progreſſus. Situm eſt in Waſtinenſi * pago diœceſis Senonenſis, ad Clareiam * amnem in Lupam * influentem, tribus admodum leucis ab urbe Montis-Argiſi, dictum in litteris Ludovici Auguſti *monaſterium ſanctæ Mariæ & ſancti Petri de Ferrariis, quod antiquitus Bethlehem vocabatur.* Et quidem Lupus, ejuſdem loci ſæculo nono illuſtris abbas [a], *Bethlehem a conditore dictum* ſcribit, ſed conditoris nomen non exprimit. Aliæ litteræ Wandalbertum ducem vocant, quem cœnobii inſtauratorem, non primum auctorem plerique opinantur. Hæc in medio relinquimus, idoneis deſtituti monumentis, quibus & monaſterii, alias celeberrimi, originem, & conditorem ejus ſive reſtitutorem Wandalbertum ducem illuſtremus. Forſan ipſe eſt Waldebertus [b] dux ſub Chlodoveo juniore, is qui cum aliis Burgundiæ ducibus Willibadum patricium armis aggreſſus eſt ac peremit. an idem qui prius Chlotharii ſecundi domeſticus [c] fuerat. quo tempore Dado ſeu Audoënus Reſbacenſe monaſterium ab ſe conditum itidem Jeruſalem appellari voluit. Ex abbatibus monaſterii Ferrarienſis primus nobis occurrit apud ſanctum Audoënum [d] *Buchinus ex gentili converſus, qui & ipſe poſtea venerabilis*, id eſt monachus, *exſtitit*, & *monaſterio Ferrarienſi præfuit.* Aliorum ante Alcuinum abbatum haud comperta eſt ſeries ac memoria. Pippinus rex in frequenti procerum conventu apud Ferrarias leonem in taurum immiſſum tranſverſo gladio confodit ad virtutis ſuæ ſpecimen Francis, quibus forte ob brevem ſtaturam deſpectui erat, oſtentandum. Sed hæc anticipato dicta ad celebrandum inſigne monaſterium, quod Hildegarius epiſcopus Meldenſis *pro religione ſanctitatis famoſiſſimum* vocat ſub Lupo abbate, ſub quo cœtus monachorum ſeptuaginta-duorum *toto orbe venerandus* florebat. Duplex eo in loco etiam nunc eccleſia, major ab Aldrico & Lupo reſtituta, ſub titulo ſancti Petri: minor ſub titulo ſanctæ Mariæ, Bethlehem hodie quoque appellata, quam a primis Chriſtianæ religionis iſtis in locis incunabulis ibidem exſtitiſſe tradunt.

* Le Gaſtinois.
* Clairy.
* Le Lom.

[a] Lupus ep. 13.

[b] Fredeg. chron. c. 90.

[c] ibid. c. 14.

[d] Audoën. de vita ſancti Eligii lib. 1. c. 10.

XXXII. Melundenſe item ſancti Petri.

Eſt & aliud in Tornodorenſi pago item ſancti Petri monaſterium Melundenſe, vulgo Moloſmenſe *, ſic dictum a vico cognomine, in quo primitus conditum fuit; poſtmodum autem retento primo vocabulo ad Armentionem * fluvium, tribus circiter a priore ſitu leucis, tranſlatum prope vicum ſancti Martini. Prima ejus initia Chlodoveo Magno, uti & multa alia antiqua, quorum origo ignoratur, auctori tribuunt recentiores. Hujus mentio eſt ante annos octingentos inter fratres conſcriptos monaſteriorum ſancti Galli apud Helvetios, & Augienſis, ubi memoratur Epelinus abbas *de cœnobio ſancti Petri Melundis*, in Augienſi catalogo *ex monaſterio Melundis*. Bernardus quoque abbas Melundenſis ſubſcripſit litteris [e] Jonæ epiſcopi Æduenſis, datis anno decimo-octavo regni Caroli, cognomento Calvi. Subſequentes abbates prætereo, nullis rebus geſtis inſignes. Anſegiſus abbas Fontanellenſis, imperante Ludovico Pio, in teſtamento ſuo legat *ad Melundas libram unam.* Perſeverat ad hoc uſque tempus monaſterium, ſed tenuis cenſus, ſub Congregatione ſancti Mauri.

* Molôme.
* l'Armançon.

[e] Spicil. to. 8. p. 145.

XXXIII. Sancti Michaëlis Tornodorenſe.

Nec illuſtriora, quæ antiquiſſima eſſe conſtat, proximi Tornodorenſis ſancti Michaëlis monaſterii exordia, quæ itidem Chlodoveo Magno tribuunt. Situm eſt in monte Voluto, unde vocabulum aliquando ei tributum, imminente urbi Tornodoro * ad Armentionem. Primum loci incolam fuiſſe quemdam eremitam tradunt, qui condendo monaſterio occaſionem dederit: ſed eremitæ nomen ignorant. Forſan is eſt Michomeres monachus, ſancti Germani epiſcopi Autiſiodorenſis ex Hibernia pediſequus: qui cum magiſtrum, cujuſdam eccleſiaſtici negotii cauſa longe profectum, adire vellet, atque Tornodorum perveniſſet; languore interceptus, teſtante Herrico [f] monacho, ibidem decubuit, paucisque interjectis die-

* Tonnerre.

[f] Herric. lib. de mirac. ſancti Germani. c. 2.

AN. CHR. 525.

» bus vita defunctus, atque in clivo ejuſdem rupis ſepultus eſt: ubi *beato Michomeri ipſo in loco deinceps oratorium eſt conſtructum*: ibidemque ſanctum Dei venerantibus, ait idem auctor, divina hodie miracula cumulantur. Sed hæc conjectura eſt, nec certiora ſuppetunt de monaſterii conditore argumenta. Teutboldus, » Lingonenſis medio ſæculo nono epiſcopus, in quibuſdam litteris teſtatur, ſe reperiſſe » eccleſiam ſancti Michaëlis juxta Tornodorum, ubi monachi Deo famulabantur, » ſed rebus neceſſariis fere deſtitutam. cui ſuccurrendum exiſtimavit, ne religio » *antiquitus* ibidem inſtituta penitus deficeret. Collapſas cum religione ædes ſarcivit Milo comes Tornodorenſis, cooperante Widrico diœceſano, id eſt Lingonenſi epiſcopo, ibidemque monaſticas veſtes ſub Dodone abbate induit labente ſæculo decimo. Mirum eſt, Ebonem, prænobilem illum ſeptimo & octavo ſæculo Tornodorenſem alumnum, & ex monacho Senonenſem epiſcopum ſanctum, prætermiſſo, ſi tum exſtabat, hoc ſancti Michaëlis monaſterio, ad Senonenſe ſancti Petri ſe recepiſſe. tametſi loci dignitate & majori frequentia huc allici potuit.

XXXIV. Sanctus Fidolus abbas Trecenſis.

Eamdem, atque Baſolus comes, cujus ſuperius meminimus, fortunam Arvernico bello ſubiit Fidolus, & ipſe Arvernus, inter manubias a Theoderico rege abſtractus a patria. Is cum in Trecenſem pagum, ubi tunc venerabilis Camelianus epiſcopus, beati Lupi ſucceſſor, præerat, adveniſſet, religioſiſſimi Aventini abbatis opinione comperta, qui in agro Trecenſi piorum monachorum gregem magna cum religione paſcebat, ſe ſe ejus diſciplinæ mancipavit, captivitatem in filiorum Dei libertatem commutaturus. Situm erat Aventini monaſterium ad Inſulam opidum, duabus ab urbe Tricaſſina leucis, ad Ozam fluviolum, ubi nunc prioratus Moliſmenſi cœnobio ſubjectus. Proceſſu temporis cum Fidolus pro virtutum merito cunctis probaretur, præpoſiti officium ſibi impoſitum geſſit, ſuffectus tandem Aventino, qui in proximum Inſulæ locum deſertum ſeceſſit, ubi ad mortem uſque ſolus perſeveravit. Fidolus vero quanto ceteris loco præeminebat, tanto ſe exhibebat virtutibus ſuperiorem, adeo parcus in victu, ut in quadrageſima vix ternos panes conſumeret. Migravit in cælum ſeptimo-decimo kalendas Junias, quo anno incertum. Ejus reliquiæ in monaſterio Cellenſi ad muros Tricaſſinos, de quo alias, religioſe aſſervantur.


XXXV. Monaſterium beatæ Mariæ de Nigella.

* Neſle la Repoſte.

Non diſceſſerim ab epiſcopatu Trecenſi, inſalutato beatæ Mariæ monaſterio de Nigella ſeu Nigello, quod prope Villam-noxam, Briegii tractus opidum, primitus conditum fuit, quo auctore, non ſatis exploratum. Nigellam-*-repoſtam ſeu abſconditam vulgus appellat. Qui hujus monaſterii originem ad Chlodovei Magni tempora referunt, referunt autem plerique, ſed nullo idoneo teſtimonio adducto, auctoritatem habent a vetetrimo baſilicæ portæ majoris frontiſpicio, in quo duplex ternarum ſtatuarum ordo altrinſecus viſitur, nempe ingreſſuris ad lævam, ſancti Petri, tum duorum regum cum ſceptris & coronis, ad dextram epiſcopi cujuſdam, ſancti Remigii Remenſis, an Lupi, alteriuſve Trecenſis, cum pontificalibus ornamentis; ac deinde reginæ, tabulas manibus tenentis; cui adhæret alius rex cum libro in manibus, & corona in capite. Reginam hanc non aliam eſſe quam Chrothildem, Chlodovei ſenioris conjugem, id argumento eſt, quod pingitur cum dextro pede anſerino. quo ritu etiam in aliis nonnullis locis exhibetur, puta in Divionenſi baſilica ſancti Benigni, in Nivernenſi ſancti Petri, & in ſancti Porciani baſilica apud Arvernos, & quidem ad majorem ubique eccleſiæ portam. Id ſive ſymbolum eſt ad deſignandam reginæ prudentiam, (nam anſerem iſtuc veteres adhibebant) ſive rem veram prodit, mirum eſt, a Gregorio, ceteriſque ſcriptoribus Francicis fuiſſe prætermiſſum; nec ejuſdem reginæ lapideam ſtatuam, quæ ad majorem itidem ſancti Germani apud Pariſios baſilicæ portam exſtat cum aliis aliorum regum ſtatuis, abſque ejuſmodi pede anſerino repræſentari. Unde conjicere licet id potius pro ſymbolo, quam pro rei veræ indicio alibi expreſſum. Pedis-anſerini reginam, vulgo *la Reine-Pedauque*, jactitant Toloſates ac finitimi populi: ſed quæ, qualiſque fuerit, non explicant. Verum ut ad id unde digreſſi ſumus ſermo recurrat, antiquiſſima Nigellenſis baſilicæ facies nobis hiſtoriæ loco eſſe poteſt, monaſterium iſtud a Chrothilde regina ædificatum fuiſſe, uti innuit ejus ſtatua, tabulas manu geſtantis. Deinde ſacram hanc ædem beato Petro primitus dicatam, forte a Cameliano Trecenſi epiſcopo, cujus effigies ea fuerit, quæ prima ingreſſuris ad dextram occurrit. Alias vero eſſe trium Chrothildis filiorum, Chlodomiri, Childeberti, & Chlotharii. ſi tamen una ex his

50a
2-77
Vol I
(2)

Digitized by Google



Conſpectus portæ majoris

Digitized by Google



basilicæ S. Mariæ de Nigella.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANN. CHR. 525.

non eſt Chlodovei ejus conjugis. Certe hoc monaſterium ante ſæculum nonum exſtitiſſe probat tum Lotharii imperatoris diploma, Sigobaldo abbati Nigellenſi conceſſum, quod Chlothario Chlodovei M. filio perperam tribuunt; tum conſtitutum de monaſteriis regni Francorum ſub Ludovico Pio, ubi inter monaſteria, quæ ſolas preces regi debebant, *monaſterium Nigelli* ponitur. Hujus loci abbas mihi videtur fuiſſe Geraus ille *abbas de Nivella*, qui ſynodo Attiniacenſi ſubcripſit anno ſupra ſeptingenteſimum ſexageſimo-quinto. Tranſlatum eſt nuper hoc monaſterium in Villam-noxam * a Patribus Benedictinæ Congregationis ſancti Vltoni, atque in poſterorum documentum baſilicæ totum frontiſpicium eodem comportatum eſt. Idem non ab re fuerit hoc loco æri inciſum ejuſdem rei gratia exhibere. Sunt & multa alia apud noſtrates loca Nigellæ appellata, qualis eſt Nigella caſtrum ſeu opidum agri Veromandenſis, ubi collegium modo eſt canonicorum ſæcularium; ſancti Laurentii ad Nigellam in Septimania, & alia quædam, quorum commemoratio in conſequentibus facienda. Sed jam ſatis eſt in præſens monaſteriorum Gallicanorum: ad res Italicas revertamur.

* *Villa-nova.*

ANN. CHR. 526.

XXXVI. Dionyſii Exigui cyclus & elogium.

ANno hujus ſæculi, quod præ manibus habemus, viceſimo-ſexto, Dionyſius, ob corporis ſtatum cognomento Exiguus, natione Scytha, cyclum Victorii Aquitani reformavit, & quem iſte a Chriſti Domini paſſione orſus fuerat, Dionyſius ab incarnatione per annos quingentos triginta duos repetiit, ſed ita [a] tamen, ut uno anno cyclus Dionyſianus ejus æram antecedat, atque adeo primus annus æræ Dionyſianæ, ſit ejuſdem cycli annus ſecundus. Conſtat hic cyclus ex duobus cyclis, ſolis & lunæ, in ſe ductis, qui duo per ſe ſe mulplicati prædictam ſummam annorum D XXXII. conficiunt. Hunc autem cyclum reſtituit ad ſupplendum cyclum ſancti Cyrilli epiſcopi Alexandrini, annis nonaginta quinque conſtantem, atque a Diocletiani anno primo inchoatum. Cum enim cyclus Cyrilli in orbem non rediret, & eo deſinente, novo XCV. annorum cyclo opus eſſet; Dionyſius, ut in plures annos paſchatis dies haberi poſſet, compoſuit cyclum magnum paſchalem D XXXII. annorum: quo ſpatio exacto, omnia novilunia & omnia feſta mobilia in eumdem diem menſis, & in eaſdem ferias redeunt. Hunc magnum annum vocat Aimoïnus exemplo mathemathicorum [b] apud Ciceronem, magnum annum appellantium eum, qui tum efficitur, cum ſolis & lunæ, & quinque errantium ad eamdem inter ſe comparationem confectis omnium ſpatiis eſt facta converſio. Idem, hortante Stephano Salonitano antiſtite, codicem græcum canonum eccleſiaſticorum latine vertit poſt veterem tralatorem, præmiſſis canonibus Apoſtolorum, quos Nicæni, aliique deinceps aliorum ad Chalcedonenſe uſque conciliorum canones ſubſequuntur. Eidem Eugipius abbas Lucullanenſis auctor fuit in græcum transferendi librum Gregorii Nyſſeni de opificio hominis, ut docet ejus præfatio typis edita initio voluminis ſecundi noſtrorum Analectorum. Id ipſum item præſtitit de vita ſancti Pachomii abbatis, teſtante Trithemio. Qualis porro quantuſque fuerit Dionyſius, non ab alio melius diſcere poſſumus, quam a Caſſiodoro, amico ejus ſingulari, in libro de divinis [c] lectionibus, ubi dicitur monachus, Scytha natione, ſed moribus Romanus, factis ſuis exprimens quæ in libris Domini legerat. qui ſcripturas divinas tanta diligentia diſcuſſerat, ut de quacumque re interrogatus, mox competens reſponſum redderet, paratus græce & latine in promtu diſſerere. qui inter reliquas virtutes hoc habuiſſe probatur eximium, ut, cum ſe totum Deo tradidiſſet, non aſpernaretur ſæcularium colloquiis intereſſe. vir, in quo magna ſimplicitas cum inſigni ſapientia, cum facundia loquendi parcitas, cum doctrina ſumma humilitas, ut in nullo ſe vel extremis ſervis anteferret, cum dignus eſſet regum ac principum colloquiis. In lacrymas compunctionis reſolvi ſolitus, cum alios inani lætitia geſtientes videbat; jejunus ſine exprobratione prandentium; ubi vero comederet, parce quidem, ſed eſcis communibus utens. Denique totus catholicus, totus paternis regulis perſeveranter addictus, ac demum in eccleſiæ pace mortuus, ſepultuſque. Hunc conſortem ſuum & in dialecticæ ſtudio ſocium, virum ſanctum, ſanctiſque adjunctum aſſerere non dubitat Caſſiodorus, qui ejus meritis & precibus ſe adjutum iri confidebat. Apud Bedam [d] *abbas Romanæ urbis* vocatur: incertum an alicujus monaſterii rector, an potius abbas dictus Orientalium more, quibus monachi quique,

[a] *Petav. de doct. temp. lib. 12. c. 2.*

[b] *Cicero de nat. deor. lib. 2.*

[c] *Caſſiod. divin. lect. c. 23.*

[d] *Beda de temp. rat. c. 45.*

ANN. CHR. 526.

virtutibus ac meritis præcipui, abbates cenſebantur. Hæc de Dionyſio ſcribebat Caſſiodorus poſt annum quadrageſimum ſupra quingenteſimum : quo tempore Dionyſius ipſe jam in vivis eſſe deſierat.

XXXVII. Concilii Ilerdenſis decretum de monachorum poſſeſſionibus.

Ad claudendum hunc librum obſervandus canon tertius concilii Ilerdenſis, in Hiſpania Tarraconenſi anno hujus ſæculi viceſimo-quarto celebrati : ubi de monachis id obſervari placuit, quod ſynodi Agathenſis & Aurelianenſis ſuperiori libro laudatæ decreverunt, hoc tantum adjecto, ut pro eccleſiæ utilitate, quos epiſcopus probaverit in clericatus officio, cum abbatis voluntate debeant ordinari,
» nempe ad miniſteria in extraneis eccleſiis pro nutu epiſcopi exercenda. ea vero
» quæ in jus monaſterii a fidelibus de facultatibus ſuis offeruntur, in nullo, *diœce-*
» *ſana lege*, ab epiſcopis contiogantur. Quæ ſit illa lex diœceſana, diſcimus cum ex multis aliis, tum ex concilio Carpentoractenſi anni quingenteſimi viceſimi-ſeptimi, in quo ad revincendam quorumdam epiſcoporum cupiditatem, qui, quæ a fidelibus in parochiales eccleſias collata erant, omnia fere «in ſuos uſus
» transferebant, ſtatuitur, ut, ſi eccleſia civitatis ejus, cui epiſcopus præeſt, ita ſit
» locuples, ut nihil indigeat ; quidquid parochiis donatum fuerit, clericis qui ipſis
» parochiis deſerviunt, vel reparationibus eccleſiarum diſpenſetur. Si vero epiſco-
» pus minus facultatum habuerit, parochiis vero largior fuerit collata ſubſtantia ;
» hoc tantum quod clericis & ſartis-tectis rationabiliter ſuffecerit reſervato, reliquum
» epiſcopo concedatur. Cum autem epiſcopi idem jus in monaſteria exercere vellent, decreto Ilerdenſi hoc eis interdictum fuit ; eaque molitio, cum nec ſic compeſceretur, occaſionem dedit privilegiis illis, quibus monaſteria complura exemta ſunt a ditione epiſcoporum : qua de re alias uberior erit dicendi locus.

ANN. CHR. 528.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER TERTIUS.

Ab anno Chriſti 528. ad annum 537.

I. S. Benedictus qualis & quantus apud Sublacum.

JAM tandem cum Benedicto Caſinum migrare juvat, ubi proſtratas profanæ ſuperſtitionis reliquias, iiſque ſuperſtructas ſacras ædes, adoleſcentem Ordinem toto orbe venerandum, fuſa oracula, miracula edita, ac demum Regulam ſanctam divino afflatu ſcriptam licebit intueri. Migrationis cauſam paucis accipe. Poſt edomitos inteſtinos hoſtes, vir ſanctus, quaſi ſecurus ſui, atque intima pace gaudens; ſibi ſuiſque alumnis intendebat animum; & deſertis, qui ſibi mortem propinare voluerant, adulterinis monachis, docilem piorum filiorum gregem apud Sublacum lætus paſcebat: cum inimica virtuti invidia novum ipſi bellum, novaſque inſidias per Florentium quemdam ſtruxit. Invidiæ materiam forte præbuere facta admiranda, quæ per Benedictum iis in locis edita, omnium ora oculoſque in eum convertebant. Nam, ut ne ſuperiora hic repetam, ad ejus imperium Maurus, Placidum puerum ex imminenti periculo erepturus, ſiccis pedibus ſuper lacum accurrit. quod etſi Pater ſanctus diſcipuli obedientiæ tributum volebat, magiſtri tamen benedictioni ac meritis Maurus, aſſentientibus univerſis, adſcripſit. Et quoniam res iſta ſtupenda, & poſt Petrum apoſtolum, ait Gregorius, inuſitata videtur, paullo diligentius narranda eſt.

II. Maurus ejus imperio ſuper aquas incedit.

Per id tempus habitabat vir ſanctus in uno ex illis duodecim monaſteriis, ex quo proſpectus, aut certe breve iter in lacum Sublacenſem; ibidemque hortus erat, ut ex Florentii facto perſpicuum eſt. Unde improbanda Angeli de Nuce conjectura, id de monaſterio Specuenſi interpretantis, quod potius hodierno ſanctæ Scholaſticæ monaſterio convenit. nam ex ſpecu neque proſpectus, neque admodum breve iter eſt ad lacum, nec loci anguſtiæ hortum patiuntur. Forte Placidus *puer ſancti viri monachus*, ad hauriendam aquam in lacum cum vaſe procumbens, incaute lapſus, mox undarum impulſu longius abripiebatur. Hoc cognito, Benedictus ilico Maurum advocat, eumque pereunti fratri ſuccurrere jubet. Patris benedictione accepta, (jam tum quippe is religionis mos erat) confeſtim advolat filius obediens, & non qua iret, ſed quod juberetur attendens, neſciens ſuper aquas currit, Placidumque per capillos (nam monachis tunc ad cutem reſecti non erant) ſalvum ex aquis extrahit. Ut vero terram attigit, miratus eſt ſe feciſſe, quod tentare numquam auſus fuiſſet. Reverſus factum ad Patrem retulit, qui non ſuis meritis, ſed diſcipuli obedientiæ imputavit miraculum. Maurus contra

ANN. CHR. 518.

Patris imperio id tribuit, ſe nullo modo ejus rei participem confeſſus, quam ignorans feciſſet. Sic uterque concedendo invicem alter alteri hujus facti laudem totam ſibi vel nolens aſſerebat. Contentionem diremit Placidus arbiter, qui Benedicti melotem ſeu pallium ſuper caput ſuum ſe vidiſſe, & per ipſum ex aquis ſe eductum fuiſſe conteſtatus eſt. Puerum vocat Gregorius Placidum tum quindecennem; eum ad modum, quo Valentinianus auguſtus annorum viginti, *pæne puer* necatus Hieronymo [a] dicitur; & Gregorius ipſe *puerulum* vocat monachum illum, cujuſdam curialis filium, qui lapſi parietis, cui erigendo cum aliis operam dabat, ruina oppreſſus fuit. Quin etiam Victorinus *puer* appellatur homo conjugatus annorum triginta ſeptem, qui VII. Idus Junias deceſſit Flaviis Lupicino & Jobino conſſ. Lapidem ejus rei indicem ſervant Martinianæ apud Turonos baſilicæ canonici, quibus Victorini corpus pro martyre Roma allatum eſt. Præclarum vero erat, ſenatorii ordinis adoleſcentem monachum, alioſque ejuſdem conditionis ſancti Benedicti diſcipulos, qualis fuit illius curialis filius, humilibus ejuſmodi applicari miniſteriis, quæ nonniſi viliores apud nos operæ exſequi ſolent. Hoc tam celebri ac memorando prodigio, quod in duobus illuſtribus Romanis adoleſcentibus toti urbi, nedum orbi, quaſi coram oſtentatum fuit, poſteris Deus declaratum voluit, Benedictinam religionem in humili obedientia maxime fundari, nec ullam aliam per hos æſtuantis ſæculi fluctus tutiorem eſſe ad ſalutem viam.

[a] Hieron. epiſt. 3.

III. Florentius Benedicto inſidiatur.

Creſcentem inde ſupra modum Benedicti ac Benedictini inſtituti famam certatim admirari omnes, multi etiam cæleſtem ejus vitam æmulari & amplecti. Verum, ut mos pravorum eſt invidere aliis virtutis bonum, quod ſectari ipſi nolunt; Florentius quidam, vicinæ eccleſiæ preſbyter, vanæ opinioni ſuæ decedere putans, quod tanti viri juſtæ exiſtimationi accedebat, ejus meritis derogare cœpit, & quocumque modo poterat, alios ab ejus conſuetudine revocare tentavit. Ubi verba non ſuccedunt, vi malam mentem explere aggreditur. Benedicto infectum veneno panem quaſi pro munere tranſmittit. Dirum munus vir Dei accipit cum gratiarum actione, non ignorans peſtem, quæ in pane latebat. Hunc vero per corvum, qui ſtatis in dies horis ad eum annonæ cauſa accedere ſolitus erat, longius aſportari juſſit. Fruſtratus mala arte Florentius, ad aliud nequitiæ genus ſe convertit; & quia magiſtro corporalem vitam adimere non potuit, diſcipulorum animas perdere inſtituit. Hinc puellæ ſeptem in monaſterii hortum nudæ inductæ, quæ obſcœnis nutibus ac ſignis ſpectantium pectora ad libidinem inflammarent. Quod ubi vir ſanctus animadvertit, longe minus ſollicitus & anxius de vita ſua, quam de animarum ſibi commiſſarum profectu aut detrimento, invidiæ cedendum ratus, quæ conſtruxerat monaſteria, ſingulis præpoſitis ſeu abbatibus regenda commiſit, paucіſque ſecum aſſumtis monachis, Sublaco receſſit. Quiddam haud abſimile, tametſi innocens in ſpeciem factum, magnum Gregorium Nazianzenum e ſolitudine ſua expulit. Unus ex amicis & cognatis, Valentinianus nomine, ejus contubernii fruendi cauſa cum quibuſdam mulieribus proxime ad eum habitaturus
» acceſſit. Non tulit tales vicinas vir ſanctus, moxque e ſolitudine receſſit, ſcripta [b]
» ad Valentinianum epiſtola, in qua ait, multo melius fuiſſe, tabula publice propo-
» ſita ipſi ſeceſſionem indici, quam per mulieres, quas e regione ſui collocaverat.
» Neque valere ſpecioſum iſtum prætextum, quo ille ſe excuſabat, nempe Gre-
» gorium hinc honore affici, quod illi cum ſuo cœtu vicinus eſſe cuperet, ac,
» ſicut cognatos decet, complecti, & aliquem ex ejus amicitia fructum capere. Hunc
» enimvero merum ſermonem, mera verba eſſe, non rem. Se quidem libenter
» eum amplecti; at feminarum viciniam, ut viperinos impetus, velle effugere.

[b] Greg. Naz. epiſt. 196.

IV. Benedictus Sublaco diſcedit.

Non diu crimen Florentii inultum. is enim cum in *ſolario*, ſeu ſuperiori domus ſuæ cubiculo, de Benedicti diſceſſu exſultaret, corruentis cubiculi, domo cetera integra remanente, lapſu contritus interiit. Inde jam decem millibus proceſſerat Benedictus, cum diſcipulus ejus, Maurus nomine, non ſine quadam lætitiæ ſignificatione, infelicem hominis caſum nulla mora nuntiari curavit: rediret ocius; Florentium dediſſe meritas pœnas. Illacrymatus eſt ad funeſtum caſum Benedictus, ſimul de inimici morte dolens, ac de errore diſcipuli, adeo ut eidem pænitentiam indixerit, quod de Florentii interitu gaudere viſus fuiſſet. Quo in loco, auditis tot ſancti Benedicti miraculis ac virtutibus, exclamans merito infert Petrus Gregorii interlocutor, quod *vir iſte omnium juſtorum ſpiritu plenus fuit.* id quod approbat

Florentii caſum luget.

ANN. CHR. 528.

Gregorius. Maurus iſte an Equitii filius ſit, etſi aſſerit liber de vita ſancti Mauri, dubitant quidam e noſtris, nec ſine fundamento: tum quia Benedictum Sublaco diſcedentem comitatus eſt ſanctus Maurus: tum quia Gregorius, nominato ſemel Mauro Equitii filio, Maurum ſimpliciter in conſequentibus ſemper vocat: cum hic longo verborum ambitu *viri Dei diſcipulus, Maurus nomine*, appelletur. Ceterum hoc factum eo certius reſcivit Gregorius, quod Florentius iſte avus fuerit Florentii Romani ſubdiaconi, ipſi Gregorio, ut ex ipſius ad Petrum diaconum verbis liquet, notiſſimi ac familiaris.

V. Caſinum adit, purgatque.

Non ideo pedem retulit Benedictus, ſed conſtans in propoſito perſecutus eſt iter, quod non caſu ac fortuito, ſed ſumma ordinante providentia ſuſceperat. Ibat plenus animi, forte neſciens quo iret, ſed divini numinis ductum ſequens. Angelos duos in bivii divortio Caſinum verſus monſtraſſe iter, auctor eſt Marcus poëta; & poſt eum Paulus Diaconus, aliique. quod mirum eſt ignoraſſe, aut reticuiſſe Gregorium. Pervenit tandem Caſinum vir ſanctus, ibique ſedem figere conſtituit; ſive loci opportunitate, ſeu divino, ut credi par eſt, conſilio impulſus. Caſinus; Campaniæ-Felicis locus celebris apud veteres, Ciceronem, Livium, aliosque; nunc Samnitum provinciæ ſeu Aprutio, nunc Latio-novo ob confinia attributus, Roma paſſuum millibus circiter ſeptuaginta, Neapoli fere quinquaginta, totidemque Sublaco diſtat; ſancti Benedicti receſſu ac monaſterio illuſtrior, quam Varronis villa, antiquis auctoribus tantopere decantata. Idem vicino municipio, monti, & fluvio nomen. Fallitur Cluverius, & ex noſtris Haëftenus præter alios, qui vetus Caſini opidum, (caſtrum Gregorius appellat) eo loci ſteriſſe aiunt, quo ſuum Benedictus monaſterium exſtruxit. Hoc quippe in ipſo montis cacumine, ad quod per tria paſſuum millia patet aſſcenſus: opidum vero in decliviori montis latere ſitum eſt. quod vel ſola locorum inſpectio probat. Iſtic namque ſuperſunt vetera urbis ædificia non pauca, templi, amphitheatri, & aquæductus nobiles reliquiæ; via ſilicibus ſtrata, aliaque vetuſtæ civitatis præclara veſtigia: quo colonorum quatuor millia ex ſenatuſconſulto quondam deducta ſunt. Fluvius Caſinus altero lapide a Caſino monte oritur, & in Lyrim, Rapidi amnis aquis auctum, influit, ad Caſini radices labentem. In ipſo monte Benedictus profanæ gentilitatis delubra, aras, lucoſque etiam tum invenit, accolaſque inſanis ritibus addictos, Benedicto ejuſque diſcipulis zeli materiam & laborum. Luſtrato monte, vir ſanctus fanum Apollinis evertit, contrivit idolum, ſubvertit aram, ſuccidit lucos, ubi infidelium inſana multitudo ſacrificiis ſacrilegis uſque dum inſudabat; atque in ipſo templo Apollinis (Gregorii verbis utor) oraculum ſeu oratorium beati Martini; « ubi vero ejuſdem Apollinis ara fuit, oraculum ſancti Johannis Baptiſtæ conſtruxit, « & *commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua* ad fidem adduxit. « Mirum ſane eo in loco ſuperfuiſſe ad id uſque tempus profanæ ſuperſtitionis reliquias: cum & Caſinus quondam epiſcopos habuerit, ex quorum numero fuit Severus ille epiſcopus Caſinenſis, qui actis concilii Romani ſub Felice tertio ſubſcripſit, in Chronico Caſinenſi celebratus. Verum id mirari deſines, ſi in ipſo Romæ ſanctuario cives paganis ritibus deditos ad id fere tempus reliquos fuiſſe advertas, quales ſane multi ibidem reſtabant Honorio Auguſto imperante, qui Ratgaiſo Italiæ cladem minitante, erecti animo palam in ſermone jactabant, Ratgaiſo merito hæc ſecunda evenire, quod deos coleret; Romanam civitatem idcirco deſtitutam eſſe, quia deos & ſacra deſeruiſſet. quod etiam tum jactatum in vulgus, cum ab Alarico Roma direpta eſt.

VI. Monaſterium ibidem condit.

Ergo, everſis proſtratiſque inſanæ turbæ ſimulacris, animiſque accolarum ad veri Dei cultum ſollicitatis, tandemque adductis, poſtquam duo, ut mox dicebam, oratoria profanis ruinis ſuperſtruxiſſet Benedictus, monaſticarum ædium fabricæ manum admovet, collaborantibus piiſſimis alumnis, qui everſæ gentilitatis rudera, lucoſque profanos in ſacros uſus, plaudentibus ſuperis, convertebant. Apollinis ara erat in ipſo montis apice, ubi dein oratorium ſancti Johannis; & nunc ſanctuarium baſilicæ Caſinatis: infra aram ad occaſum erat fanum, cui ſucceſſit beati Martini oratorium, prope monaſterii januam, teſtante Petro [a] Diacono; nunc vero tranſlatum ad aquilonare baſilicæ latus, ubi ſæculares domeſtici & peregrini humantur. Inter ea frendebat humani generis hoſtis, quod regno ſuo cedere cogeretur, nullumque non movebat, aut ſiſtebat lapidem, quo ſurgentia ædificia prohiberet. Verum om-

[a] *Petr. Diacon. lib. 4. Chron. Caſ. c. 8.*

ANN. CHR. 528.

nes ejus artes ludebat artifex pius , & vires illius precibus vel minimo nutu infringebat. Inſideat lapidi dæmon, quo minus in ſtructuram efferatur , apteturque ? Orando repellit hoſtem Benedictus, & nullo negotio lapis effertur. Igneo terriculamento ludificet ille laborantes ? hic præſtigias eadem arte diſpellit. Parietem jam erigi cœptum ad opprimendos fratres disjicere minetur , atque *unum puerulum monachum*, *cujuſdam curialis filium*, everſi parietis ruina opprimat, penituſque conterat dirus perſecutor ? mox contriti adoleſcentis, non jam corpus, ſed fruſta , in ſuam cellam deferri jubet vir ſanctus, & eadem hora hunc incolumem atque , ut prius , redintegratum, ad eumdem laborem remiſit in diri hoſtis deſperationem. Sic invito illo ac ringente, fabrica tandem ad cumulum perducta eſt, ea ſimplicitate , quæ monachos , nonniſi cæleſtem patriam ſpirantes , deceret ; ea opportunitate , quæ religioſis conveniret exercitiis ; eo denique ſeceſſu , qui ſæculares ſic arceret a conſuetudine monachorum, ut tamen hoſpites admitteret ac peregrinos. Hæc, inquam, ſuis numeris abſoluta, non alio architecto quam Benedicto , non aliis fere artificibus quam monachis. quod etiam contigit in conditione cœnobii Terracinenſis, de quo inferius.

VII. Martino eremita cedente.

Hic ſancti patris in Caſinum montem adventus ſtatuitur jam inde a multis ſæculis anno viceſimo-octavo, vel inſequenti ſupra quingenteſimum. Iſtic invenit quemdam eremitam, nomine Martinum , qui locum novo hoſpiti cedere divinitus juſſus, montem Marſicum in Campania prope Galenum ſeu Forum-Clandii petiit, ibique pie ac ſancte viram abſolvit. Et primo quidem longiori catena ſe ipſe conſtrinxit , ne longius progredi poſſet: ſed poſtea catenam abjecit, monente ſancto Benedicto his verbis : *Si ſervus Dei es , non teneat te catena ferri , ſed catena Chriſti.* quo audito oraculo , in antro ſuo ita ſe continuit , ut ſequiori ſexui aditum penitus interdiceret, nec cuiquam umquam mulieri in poſterum ſe ſpectandum permitteret. quæ omnia de eo Gregorius [a] commemorat.

a *Greg. lib. 3. Dial. c. 16.*

VIII. Regulæ œconomia, qualis ab eo præſcripta.

Confluentibus undequaque diſcipulis, cum multitudo hæc coaleſcere in unius ſocietatis corpus nulla re, præterquam legibus ac certis ritibus poſſet , Regulam præſcripſit Benedictus ,quæ ita poſteris probata fuit, ut Gregorio diſcretione præcipua , ſermone luculenta ; Patribus & conciliis præciſe Sancta atque eodem Spiritu, quo ſacri canones, condita haberetur. Hæc nullo diſcrimine quoſvis admittit, pueros, adoleſcentes, adultos; pauperes æque ac divites, nobiles & ignobiles , ſervos & ingenuos , doctos pariter & litterarum expertes , laïcos & clericos. Pueros oblatio parentum monachos , adultos ſua quemque profeſſio faciebat. Serius, nec ante ſæculum undecimum admiſſi fratres illi , quos Converſos vocamus, ſolis externis addicti miniſteriis : cum alias converſi dicerentur adulti quique , qui ad profeſſionem monaſticam matura in ætate accedebant : qualis fuiſſe videtur Exhilaratus ille, quem converſum [b] vocat Gregorius Magnus, nullo diſcrimine, quantumvis illiterati eſſent, ab aliis olim diſtincti. Cujuſvis conditionis, ſervos & ingenuos, nobiles & ignobiles admittit [c] Benedictus. In regulam proinde peccant illa monaſteria, quæ nonniſi nobiles admittunt , excluſis aliis , qui ſunt ſervilis aut inferioris conditionis. *Grave* hoc *delictum* vocat Auguſtinus [d] in hæc verba. *Nunc veniunt plerumque ad hanc profeſſionem ſervitutis Dei & ex conditione ſervili, vel etiam liberti, vel propter hoc a dominis liberati ſive liberandi , & ex vita ruſticana , & plebeio labore, tanto utique felicius , quanto fortius educati : qui ſi non admittantur*, GRAVE DELICTUM *eſt. Multi enim ex eo numero vere magni & imitandi exſtiterunt. nam propterea infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia , & ſtulta mundi elegit, ut confunderet ſapientes ; & ignobilia mundi , & ea quæ non ſunt , tamquam ſint, ut ea quæ ſunt evacuentur : ut non glorietur omnis caro coram Deo.* Hactenus ex Auguſtino, quæ vice commentarii eſſe poſſunt in hunc regulæ noſtræ locum, cujus ſpecimen jam perſequimur. Pueri, novitii, profeſſi, in diſtinctis dormitoriis noctu jacebant , continentes habentes lectos, ſolis velis aut tabulis ab invicem, ut credere par eſt, ob honeſtatem diſcretos , ſub ſuis quique magiſtris. Omnibus præpoſitus; ſinguli ſingulis decadibus præerant decani. Abbas , in ſumma poteſtate, plus tamen exemplo, precibus , & prudentia , quam auctoritate univerſos regebat ; cellerario utens ad temporalia curanda; præpoſito, decanis, aliiſque magiſtris ad ſpiritualia. Omnes ſamulorum ſibi mutuo vices præſtabant in culina, piſtrino, horto, & in ceteris miniſteriis, etiam ad excipiendos hoſpites & peregrinos, quibus ſeparata diverſoria & menſa

b *Gregor. lib. 2. Dial. c. 18.*

c *Regula c. 3c.*

d *Aug. de op. monach c. 22.*

ANN CHR. 528.

menſa erant, tametſi iidem cibi, ita ut nullius dignitatis aut ſtatus prætextu carnes cuivis præberentur. Infirmis tamen conceditur *ſervitor, timens Deum, & diligens ac ſollicitus*; immo *& ſervitores*, a quibus ne infirmi negligantur, magnopere curare debet abbas. Monachis omnibus tonſura communis, ſed non ita preſſa ad cutem: corona interraſilis miniſtros ſacros a reliquis diſtinguebat, diaconos ac ſacerdotes, quos e probatiſſimorum numero abbas legebat.

Veſtes, tunica & cuculla duplex cum cingulo; ſcapulare loco cucullæ ad laborem manuum, quod tunicam a ſordibus protegeret, ad genua uſque protenſum, & ligaculis conſtrictum ad utrumque latus; minor cuculla nonnumquam dictum. Cuculla & ſcapulare paſſim ex nigro; tunica ſeu toga ex albo (quamquam de colore non admodum curabat ſanctus Legiſlator) utraque duplex, tum ad lavandum, tum ad decumbendum. nam abſque tunica & cuculla jacere in lecto religio erat. Tunica ad cutem tum demum nigra fieri cœpit, poſtquam interulæ laneæ in uſu eſſe cœperunt, tametſi ſerius. ſiquidem albus tunicarum color diu perſeveravit poſt conceſſas interulas ſtamineas, quarum uſus jam ſæculo octavo invaluerat.

Tribus maxime virtutibus fulcitur tota Benedictinæ religionis diſciplina, nimirum ſilentio cum ſolitudine ac ſeceſſu, humilitate, & obedientia. Hanc ſolam, cum converſione morum ſecundum Regulam, ſollemni voto promittimus, ad difficillima quæque ſeu impoſſibilia uſque extenſam. Primum in religioſis exercitiis officium divinum, opus Dei, & ſervitutis noſtræ penſum; ſecundum hoc lectio & labor, qui manu exercetur. Nocte vigiliæ nocturnæ paullum de media nocte, interpoſito ſpatio ante matutinos, quos modo Laudes appellamus. A matutinis redire ad lectos non licebat. quod tempus lectioni, meditationi, id eſt cuivis piæ mentis agitationi, pſalmis diſcendis inſumebatur. Sic in Regula ſanctorum Patrum [a] matutino dicto fratres lectioni vacabant uſque ad horam ſecundam. Meditationem vocat ſancti Macarii [b] Regula, quæ tantumdem temporis indulget. Poſt Primæ officium labor manuum a Paſchate ad kalendas Octobris in tres fere horas; ab his kalendis in Paſcha poſt lectionem, quæ per binas ternaſve horas mane fiebat. Nulla diebus privatis miſſa principio celebrabatur: ſed ſolis Dominicis & feſtis ſeu ſollemnitatibus: in quibus omnes ſacra communione reficiebantur. Poſt meridiem iterum lectio, iterumque labor, pro portione virium cuique aſſignatus, ita ut debiles impoſitum non refugerent, validiores euperent etiam duriorem. Si quando extra monaſterium occuparentur fratres ad colligendam meſſem aut ſimile quid operandum, ibidem officia divina pro tempore flexis genibus perſolvebant. Stando pſallebatur etiam in matutinis, præterquam ad lectiones vigiliarum & ad reſponſoria, exemplo [c] ſcilicet beati Martini, quem nemo umquam in eccleſia ſedere conſpexit. Oratoria paſſim bina, aliquando terna, immo & plura: princeps non raro baſilica vocabatur, & eccleſia. Alia oratoria erant pro infirmis, & pro iis qui aut ſecretius orare, aut e communi cœtu ſecedere volebant; proceſſu temporis etiam unum pro famulis.

a Reg. SS. Patr. c. 5. in Cod. Reg. p. 22.

b Macar. c. 10. ibid. p. 25.

c Sulpit. de vita S. Martini lib. 2. c. 1.

In cibum quotidianum pulmenta duo, aliquando tertium ex naſcentibus herbis; libra panis propenſa, hemina vini in potum; tertia parte reſervanda cœnaturis. Mixtum lectori & ſervientibus ad menſam conceſſum ad relevandum laborem; at ſpeciatim lectori *propter communionem ſanctam*, diebus dominicis percipi ſolitam. quem locum quidam recentiores ad metaphoricam communionem inepte detorquent. De his alias fuſius maxime ubi de ſynodo Aquiſgranenſi. Pulmenta ex quibuſvis leguminibus confecta erant, itemque ex ovis & piſcibus, ut ex actis [d] ſanctæ Salabergæ aliiſque conſtat, quorum rarior principio uſus. Jejunia a paſchate ad pentecoſten nulla; a pentécoſte ad idus Septembris ſingulis feriis quartis & ſextis, inde ad paſchæ feſtum quotidiana; at ſeveriora in quadrageſima, in qua unuſquiſque non modo de cibo & potu, ſed etiam de ſomno, loquacitate, aliiſque commodis aliquid detrahebat. In utriſque jejuniis una refectio, in his ad veſperam, in illis ad nonam.

d V. hic lib. 14. n. 46.

Abſtinentia ab eſu carnium, ſaltem quadrupedum, perpetua, præterquam infirmis. An eſus volatilium ſanis, aut quidem infirmis, ex regulæ indulgentia conceſſus ſit, varia fuit noſtrorum ſententia; varia item praxis illius temporis monachorum; ſed longe graviora in negantem partem præjudicia. Certe pullorum eſum, etſi facilius, ſolis tamen infirmis permittunt Cæſarius [e] & Aurelianus. Neque veri

e V. hic lib. 1. n. 53. lib. 5. n. 31. & lib. 12. n. 42.

ANN. CHR. 528.

a *Greg. Tur. lib.* 5. *c.* 19.
b *infra lib.* 23. *n.* 2. *&c.*

ſimile eſt, ſanctum Benedictum, qui vilioris pretii & guſtus eſcas ſuis tribuit, etiam ſanis conceſſurum fuiſſe volatilium eſum, quas regias tum delicias fuiſſe ex Gregorio [a] Turonenſi epiſcopo diſcimus. Sed hæc alias [b], maxime ubi de concilio Aquiſgranenſi anni DCCCXVII. Ad regulæ ordinem redeo.

Delinquentium pœnæ ſequeſtratio ab oratorio, a menſa, a cœtu communi, pro culpæ qualitate; protervi, contumaces, obdurati & incorrigibiles e monaſterio ejecti. Ne monachis vagandi foras facilis eſſet prætextus aut frequentior neceſſitas, omnia intra monaſterii clauſtra neceſſaria erant, molendinum, piſtrinum, diverſæque artes, diverſi adeoque artifices: quorum opera ſi quando vænum dari contingebat, minori pretio vendebant quam ſæculares, ut quævis cupiditatis labes removeretur. Si quando foras progredi cogebat neceſſitas, abbatis benedictio & preces fratrum abeuntes & redeuntes muniebant. Reverſis interdictum viſa vel audita referre aliis: *quia plurima deſtructio eſt* & detrimentum pietatis, ſæpe etiam caritatis. Non longe profecturis, ſi eadem die reverſuri eſſent, quidquam cibi vel potus percipere nefas. Certe olim [c] religio monachis erat cibum ſumere in domo ſæculari.

c *Pachomii vita n.* 42. *apud Bolland.*

IX. Fratres ob ſumtum foris cibum correpti.

Cum in hoc præceptum deliquiſſent nonnulli fratres, qui cujuſdam reſponſi ſeu negotii cauſa non longe a monaſterio ex ſancti Patris mandato progreſſi fuerant, tardiuſque morari coacti, apud quamdam religioſam feminam cibum ſumſiſſent; reverſos interrogavit vir ſanctus, ubinam comediſſent. His vero nuſquam ſe comediſſe reſpondentibus: Cur, ait, mentimini? an non ad hoſpitium illius feminæ divertiſtis, atque hos & illos ſumſiſtis cibos, totque calices ebibiſtis? Ad hæc illi ſtupore tremefacti, ad ejus pedes acciderunt ſupplices, atque erratum confeſſi ſunt. Ipſe vero culpam tandem faſſis remiſit pœnam, certus, eos ſe abſente ſimile quid numquam perpetraturos, quem ſibi animo præſentem ſemper eſſe ex hoc facto probaſſent. quaſi hoc exemplo Benedictus rectores monaſteriorum erudiret, diſſimulandas aliquando eſſe culpas, maxime quando publicæ non ſunt, relaxandaſque pœnas, ubi conſtat de lapſorum reſipiſcentia.

X. Item laïcus

d *Audoen. lib.* 2. *c.* 22.

Non abſimile accidit cuidam laico, ſed religioſo viro, fratri Valentiniani monachi, qui poſtea Lateranenſe monaſterium rexit. Is annis ſingulis, ut ſervi Dei precibus ſe commendaret, germanumque fratrem viſeret, e domo ſua in Caſinenſe monaſterium jejunus (id ipſum actirabat ſanctus [d] Eligius cum adiret monaſteria) venire conſueverat. Accedenti quadam vice comitem ſe adjunxit viator ignotus, cibos in viaticum portans. Cum longius ambo proceſſiſſent in multam diem: Veni, mi frater, inquit, atque una ſumamus cibum. Abnuit alter, morem ſuum allegans. Siluit ad horam conviator: aſt aliquantum progreſſus, inſtitit denuo ut corpora reficerent. Primus vero in abnuendo perſeveravit: ſed tandem cum longius iter vires pæne exhauſiſſet, inclinata jam luce, pratum amœnum, limpidiſſimumque fontem, omnia denique ad reficiendum opportuna cum inveniſſent, ait ſocius ille: En aqua, pratum, amœnus locus, omnia demum nos ad reficiendum corpus invitant. quid moramur, ut reſumtis viribus iter noſtrum conficiamus incolumes? Sic tandem, cum & verba auribus, & loca oculis blandirentur, tertio ſollicitanti aſſenſit alter, & cibos ſumſit. Deinde iter proſecutus, ſub veſperam ad monaſterium pervenit, & ad ſanctum Patrem deductus, petiit ut pro ſe precaretur. Verum factum ei improperans vir ſanctus: » Itane vero, inquit, malignus tibi » hoſtis per conviatorem illuſit, ut propoſitum tuum, quod ſtrenue ſemel iterum» que retinueras, tertio tandem victus abjiceres! Tum ille culpam agnoſcens ſuam, ad ejus pedes provolutus, eo penitiore tactus eſt dolore ac verecundia, quo ſe ſe cognovit, quamquam abſentem, quaſi ſub ipſis Benedicti patris oculis deliquiſſe. quod ſane delictum, etſi levius forte nonnullis videatur, id nos docet, non facile pios quoſcumque motus comprimendos, quos longo uſu foveris, ne ſegnior in proficiendo fias, qui ferventior in dies eſſe debueras. Sic enim ignea illa vis animi deferveſcit ſenſim, & caritatis curſus langueſcit, dum ſegnius propoſiti conſtantiam retines, mobilis ad quamlibet auram.

XI. Tertulli adventus Caſinum & donatio.

Ad idem fere tempus revocandus eſt Tertulli patricii Caſinum adventus, ut ſurgentis monaſterii ædificia, ſed magis ut Benedictum, filiumque ſuum Placidum, iſtuc cum Mauro adductum, inviſeret. Tertullo itineris comites adjungit vitæ ſancti Placidi ſcriptor, non admodum accuratus, illuſtriſſimos Romanæ nobilitatis viros,

ANN. CHR. 528.

Boëtium, Symmachum, Vitalianum, Gordianum, & Equitium Mauri parentem; additque ab Tertullo Caſini montem cum appendicibus ſuis novo monaſterio tunc ſollemni donatione traditum fuiſſe: cui donationi multa etiam de ſuo Equitius & Gordianus adjecerint. Ad hæc Tertullum decem & octo patrimonii ſui in Sicilia cortes ſeu prædia beato Patri contuliſſe. quam donationem teſtimonio ſuo confirmat Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi. Sane Tertulli commemorationem notat ejuſdem loci Necrologium decimo-ſeptimo kalendas Auguſti, eademque die hactenus ſollemni anniverſario recolunt noſtri Caſinates. Quod attinet ad Boëtium & Symmachum, triennio ante exſtincti fuerant, quam Benedictus Caſinum accederet.

XII. Monachus ob mappulas increpitus.

Haud longe a ſacro monte aberat vicus, emporium Zacharias vocat, in quo non minima hominum multitudo ab idolorum cultu ad veram fidem Benedicti fuerat exhortationibus converſa. Ibi quoque verſabantur *quædam ſanctimoniales feminæ*, quarum diverſorium Zacharias aſceterium vocat. Iſtuc crebro ad exhortandum cum recens converſorum, tum ſanctimonialium gregem, quoſdam e fratribus ſuis Benedictus dirigere curabat. Miſſus quondam ex more monachus mappulas ſeu ſtrophiola pro munere a ſanctimonialibus rogatus accepit, atque abſcondit in ſinum. Reverſum mox graviter increpuit Pater: Et quomodo, ait, ingreſſa eſt iniquitas in ſinum tuum? At ille obſtupuit, facinoris jam non memor. Tum vir ſanctus: An putas me abfuiſſe, cum mappulas illas ab ancillis Dei accepiſti, ac depoſuiſti in ſinum? Ad hæc monachus humi procumbens, culpam agnovit, mappulaſque abjecit. Sanctimoniales illas in cœnobio vixiſſe, tametſi non perſuadet ſanctimonialis vocabulum, quo Gregorius aliquando [a] uſus eſt ad deſignandas virgines Deo in privatis ædibus devotas, nihilo minus probat aſceterii nomen, quod hoc in loco Zacharias, vicinius illorum temporum, adhibuit. An vero monaſterium iſtud a ſancto Benedicto conditum fuerit, etſi ex converſione paganorum ibidem ab eo facta probabilis conjectura eſt, non tamen conſtanter affirmare auſim. Neque etiam conſtat, an Scholaſtica germana ejus ſoror, quæ haud procul a Caſino degebat, eo loci vitam monaſticam duxerit.

[a] *Greg. lib. 3 Dialog. c. 7. 14.*

XIII. Sanctimoniales excommunicatæ.

Sed quid de duabus illis ſanctimonialibus, quæ ob intentatam a beato Patre excommunicationis ſententiam, poſt mortem e tumulis prodibant tempore ſacrificii? Rem ſic narrat Gregorius. Non longe ab ejus monaſterio *duæ quædam ſanctimoniales feminæ*, nobiliſſimo genere exortæ, *in loco proprio converſabantur*, quibus quidam religioſus vir ad exterioris vitæ uſum præbebat obſequium. Sed illæ tumore neſcio quo nobilibus ingenito, cum linguam ſuam, ut earum habitus poſcebat, non frenabant, tum etiam religioſum illum virum duris & incautis verbis nonnumquam ad iram provocabant. Is cum diu hæc tuliſſet, atque illæ nihilo moderatius agerent, rem ad virum Dei retulit, qui auditis ejus querelis, ſanctimonialibus hanc comminatus eſt ſententiam: Continete linguam veſtram; alioqui excommunico vos. Iſtæ autem nequaqum reſipiſcentes, intra paucos dies defunctæ ſunt, atque in eccleſia ſepultæ. Cum vero in eadem eccleſia miſſarum ſollemnia celebrarentur, clamante ex more diacono, *Si quis non communicet, det locum*, nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre conſueverat, eas e ſepulcris ſuis progredi, & de eccleſia exire cernebat. Id cum ſæpius eveniſſet, hæc recordata ſignificatæ illis a Benedicto ſententiæ, eidem factum exponi curavit. Is vero mox oblationem manu ſua tranſmiſit, ita effatus: Ite, & hanc oblationem pro eis Domino facite; & ſic demum excommunicatio ceſſabit. Et quidem id probavit eventus; nec ad vocem diaconi amplius viſæ ſunt ab eccleſia exire: quippe quæ communionem a Deo per ſervum Domini recepiſſent. Factum ſane obſervatione dignum ad eccleſiaſticam diſciplinam. Sed an illæ ſanctimoniales monaſticæ profeſſioni ac recluſioni addictæ erant? an ſancto Benedicto ſubjectæ, ut quæ comminatoriæ ejus ſententiæ vim ſenſerint? An monaſterium ſignificant hæc verba, ubi *in loco proprio* converſatæ dicuntur? an in propria domo, ut ſane intellexiſſe videtur Zacharias ἐν τῷ ἑαυτῶν οἴκῳ? aliis æſtimandum relinquere malim, contentus factum, uti apud Gregorium ſe habet, expoſuiſſe.

XIV. Scholaſtica an & ubi monacha.

Quid vero de Scholaſtica, ſancti Benedicti germana ſorore dicemus? nam de ea tandem ut agamus, poſtulat hic locus. Nil moror Trithemium, qui Benedictum & Scholaſticam uno partu ex Abundantia editos; nec alia recentiorum de hac ſomnia, digna fabulis anicularum. Id tantum de ea explorati, quod ex Gregorio habemus. Soror ejus, inquit, Scholaſtica nomine, omnipotenti Domino ab ipſo infantiæ tem-

AN. CHR. 528.

» pore dedicata, ad eum ſemel per annum venire conſueverat. Non ergo erat, inquis, ſanctimonialis ex earum numero, quæ monaſticis regulis & recluſioni ſubjectæ erant, tametſi eam Gregorius ſanctimonialem vocat. Atqui omnes tum monachæ non eadem ſeveritate recluſionis leges ſervabant, ſicut illæ, quæ Cæſarii regulam profitebantur. Certe in parthenona ſanctæ Liobæ abbatiſſæ, ſancti Bonifacii epiſcopi & martyris diſcipulæ, ea lege admittebantur ſanctimoniales, ut eo intrarent numquam inde egreſſuræ, niſi *cauſa rationabilis, vel magnæ cujuſdam utilitatis* id exigeret. qualis ſane illa erat, quæ Scholaſticam, ſemel tantum in anno ad fratrem ſuum accedere ſuadebat, ut ſalutaribus ejus monitis & conſiliis juvaretur. quo facto, *ad cellam propriam* virgo ſancta ſe denuo recipiebat. Hoc cellæ vocabulo Gregorius paſſim monaſterium ipſum, aut certe privatam monaſterii cellam ſignificat, cujus rei multa apud eum exempla ſuppetunt; nec uſquam cellæ nomen apud ipſum, cum ſanctimonialis ſaltem vocabulo conjunctum, niſi pro monaſtica habitatione invenies. Ita vero de Scholaſtica intellexerunt auctores quique ex noſtris, etiam antiquiores. Bertharius abbas Caſinenſis ante annos octingentos in ſermone de ſancta Scholaſtica eam monacham, & monacharum magiſtram non obſcure appellat, deſignando locum, in quo ipſa *ſimul cum aliis religioſis ſanctiſque virginibus, quas illa docuerat, Domino ſerviebat*. Carmen de eadem virgine, Paulo Diacono adſcriptum, addit, Scholaſticæ parthenium, quod *virginal* appellat, vicinum fuiſſe Benedicti monaſterio, ibique eam ſacris virginibus præfuiſſe. Integra exſtant alibi teſtimonia, tum apud Angelum de Nuce in hunc locum, tum in præfatione noſtra ad Sæculum primum, quæ hic repetere ſuperfluum fuerit. Locus, ubi prope Caſinum degebat, quantum majorum traditione aſſequi poſſumus, Plumbariola fuit, ubi Taſia Ratchiſi ducis uxor, & filia eorum Ratrudis, monaſterium conſtruxerunt, aut forte inſtaurarunt. Sane eo in loco virorum etiam cœnobium exſtitiſſe, patet ex privilegio libertatis, quod ex antiquiſſimo Diurni Romani exemplari [a] eruimus, *Religioſo abbati venerabilis monaſterii ſanctæ Dei genitricis Mariæ, in loco Plumbariolo, territorii Aquinenſis*, inſcripto: cum puellarum monaſterium ſanctæ Petronillæ nomine inſignitum eſſet. De illo virorum cœnobio qui ſcripſerit, reperimus neminem, præter vetus illud monumentum, quod ſæculo nono antiquius fuiſſe colligere licet ex illo Diurni Romani exemplari, ſcripto ante annos octingentos. Fuit ergo apud Plumbariolam olim monaſterium duplex, ſanctæ Mariæ virorum, & ſanctæ Petronillæ puellarum. De monaſterio ſanctæ Mariæ in Plumbariola mentionem facit Leo [b] Marſicanus. Nunc locus redactus eſt in nudum prædium abbatiæ Caſinenſis. Ceterum an ſancta Scholaſtica, quam Domino ab infantia dicatam aſſerit Gregorius, primitus apud Sublacum ſe ſe receperit; an potius Romæ, aut alibi votis adſtricta monaſticis, poſtmodum Caſinum ad fratrem acceſſerit, aliis divinandum permittimus.

a Muſei Ital. p. 35.

b Chron. Caſin. lib. 1. c. 49.

ANN. CHR. 530.

XV. Clericus dæmone ſolutus.

INter ea Benedicti fama creſcebat in dies, atque in remotas ſpargebatur regiones: neque homines modo, qui tunc in terris agebant, ſed & cælites ipſi ad celebrandam ejus virtutem, Deo ita volente, conſpirare videbantur. Teſtis in primis ille Aquinenſis eccleſiæ clericus a dæmone vexatus, qui cum a venerabili Conſtantio ejuſdem eccleſiæ antiſtite per multa ſanctorum martyrum oratoria fuiſſet tranſmiſſus, nequaquam tamen infeſto vexatore ſolutus fuerat. quaſi ſancti Martyres Benedicto ad declarandam inſignem illam, quæ divinitus ipſi conceſſa fuerat, gratiam id miraculi reſervarent. Is itaque adductus ad ſanctum Patrem eſt: qui fuſis ad Chriſtum precibus, antiquum hoſtem ex obſeſſo homine protinus expulit, hoc præ-
» cepto impoſito, ut ne in poſterum carnes comederet, aut ad ſacros Ordines acce-
» deret. ſi ſecus tentaſſet, ſtatim juri diaboli rurſus mancipatum iri. Diſceſſit ita clericus ſanus; dum cruda eſſet in eo pœnæ intentatæ memoria, interdictum ſervans. At lapſu temporis, cum alios natu minores ſibi præferri gravate ferret, abjecta interdicti memoria, ad ſacrum ordinem acceſſit. Nec mora, iterum dæmonis poteſtati ad mortem uſque mancipatus fuit; confitentibus univerſis, qui hujus facti conſcii fuerant, virum ſanctum, ut qui Deo perfecte adhæreret, divinitatis ſecreta penetraſſe, quippe qui perſpexiſſet, hunc clericum idcirco diabolo traditum, ne ad ſacrum ordinem accedere auderet.

XVI. Benedictus an ad ſanctum Remigium puellam curandam remiſerit.

Idem in conſimili omnino cauſa Benedictus in ſanctum Remigium Remorum

ANN. CHR. 530.

antiſtitem, quod ſancti Martyres in Benedictum, præſtitiſſe dicitur. Factum ſic narrat Hincmarus in libro de beati Remigii vita. Puella quædam Toloſana haud ignobilis a dæmone vexata, a parentibus, qui eam ſummopere caram habebant, Romam ad beati Petri ſepulcrum deducta eſt, cum *in iiſdem partibus vir vitæ venerabilis, gratia & nomine Benedictus*, plurimis virtutibus & miraculis inclareſceret. Hoc comperto, puellam ad eum perducunt parentes, ut filiæ ſoſpitatem ab ipſo flagitarent. Verum ubi nec precibus, nec jejuniis, Pater ſanctus id quod petebatur a Deo impetrare potuit, hoc unum ab hoſte diriſſimo tum exorciſmis, tum adjurationibus valuit extorquere, numquam ſe cujuſquam, niſi beatiſſimi Remigii antiſtitis orationibus, ex ſuo hoſpitio egreſſurum. Tunc, acceptis Benedicti ad Remigium, atque etiam Alarici Gotthorum regis, cui neceſſitudine & affinitate conjuncti erant, litteris, ad beatum Pontificem accedunt, eumque diutius reluctantem ad petendam filiæ ſuæ ſalutem compellunt. Ceſſit tandem dirus hoſpes tanti Pontificis virtuti, ſed cum tanta violentia ac puellæ ipſius vexatione, ut ipſa paullo poſt exſpiraverit. Mox novæ ad Remigium poſtulationes, mortuæ ut reddat vitam, cui ſalutem jam reddiderat. Ille conſtanter abnuere, profeſſus, ſe loco remedii homicidium commiſiſſe. ſed vicit demum parentum, aliorumque flagitatio & importunitas, adhibitiſque ſuis ac circumſtantium precibus & lacrymis, mortuam vir ſanctus excitavit. Hanc narrationem ſuſpectam habet Barooius, quod Hincmarus pro puellæ parente, qui Benedictus in prolixiori ſancti Remigii teſtamento vocatur, ſancti Benedicti nomen ſubſtituiſſe videatur. Verum Fortuoati potius loco male intellecto erravit Hincmarus. Fortunatus quippe, primus vitæ ſancti Remigii ſcriptor, quem Hincmarus interpolavit, ſcribit, puellam hanc ad beati Petri ſepulcrum perductam fuiſſe, ubi *quidam Dei ſervus cum auxilio ſacri corporis, plurima patrabat ſigna virtutum*. Non ergo illis in partibus, ſed Romæ, & quidem ad ipſum Apoſtoli ſepulcrum. tum addit, negaſſe dæmonem, ſe ab ullo alio, quam a Remigio expelli poſſe. *Tunc*, ait auctor, *parentes ejus, & ipſius benedicti ſervi Dei, & Alarici Gotthorum regis affatibus ſuffragati, cum ægrota ſobole ad ſanctum Remigium antiſtitem pervenerunt*. quæ verba cum legiſſet Hincmarus, *benedicti* vocem adjective, ut ſæpe alias, hic uſurpatam in proprium ſancti Benedicti nomen commutavit, & quod *benedicto*, id eſt beato illi ſervo Dei, qui ad ſancti Petri ſepulcrum excubabat, a Fortunato tribuitur, ſancto patri Benedicto adſcripſit, qui illis in partibus, id eſt apud Sublacum, forte etiam tum latebat, nondum illa virtutum fama, qualem paullo poſt obtinuit, Romæ celebratus. ſiquidem id contigit Alarici Gotthorum regis principatu, qui anno Chriſti quingenteſimo-ſeptimo exſtinctus eſt. Sic Fortunatus ipſe hujus vitæ Remigianæ initio habet, *matri ſua benedictæ Cilinia*. Sic in libro ſecundo de geſtis beati Cæſarii epiſcopi Arelatenſis, vir ſanctus ad Urſum presbyterum: *Parcat tibi*, inquit, *Deus, benedicte*. & ad ſanctimoniales: *Non timeatis, benedictæ*. Sic exempla pæne infinita. Hinc exploſa manet vulgata illa ſancti Benedicti ad beatum Remigium epiſtola, quam vel eo ſuppoſitam imprudentes probant ipſi ejus confictores, quod non propriis auctoris verbis ac ſtilo, ſed conſimili, & qualem ſcilicet ipſe effinxiſſet, exaratam ultro agnoſcunt. Quin etiam haud levis ſuſpicio eſt, ſimili æquivocatione in prolixius Remigii teſtamentum cum miraculi commemoratione intruſum fuiſſe *Benedicti* nomen, quaſi puellæ parentis proprium fuerit, quod ipſius benedicti ſervi Dei elogium erat apud Fortunatum. Hunc vero ſervum Dei non alium eſſe crediderim, quam Abundium, eccleſiæ beati Petri manſionarium ſeu cuſtodem, tantæ humilitatis ac gravitatis virum, ac divino cultui ſic addictum, ut *idem beatus Petrus apoſtolus*, teſte [a] Gregorio, *ſignis oſtenderet, quam de illo haberet æſtimationem*. quod Gregorius ipſe exemplis probat.

a Gregor. lib. 3. Dial. c. 25.

ANN. CHR. 533.

XVII.

Sancti Remigii obitus & ſepulcrum.

JAm quando ad id tempus devenimus, quo ſanctus Remigius ex hac vita migravit, multæ me rationes, tum privatæ, tum communes impellunt, ut ne hunc locum intactum prætercam. Ejus quippe ſepulcrum, tota Europa celeberrimum, inſigni Ordinis noſtri monaſterio & occaſionem dedit & originem; & ego ipſe eo in loco vitæ monaſticæ tirocinium me poſuiſſe cum debito grati animi ſenſu agnoſco. Situm olim erat in ſuburbano vico, ſed jam dudum urbis muris incluſum: ubi antiquitus ſancti Chriſtophori martyris oratorium exſtabat, ad cujus atrium ſanctus Remigius baſilicam ſancto Germano epiſcopo Autiſiodorenſi [b] conſtruxerat, in qua

b Herricus de mirac. ſancti Germani c. 46.

ANN. CHR. 533. decreverat ſepeliri. Poſtquam ergo Pontifex ſanctus Remenſem eccleſiam ad decrepitam uſque ætatem, inſigni vitæ factorumque gloria & ſanctitate adminiſtraſſet, & Chlodoveum regem cum tota Francorum gente Chriſto per vivifica ſacramenta conſecraſſet, naturæ tandem conceſſit, ejuſque corpus in ipſo ſancti Chriſtophori ſacello, ubi ſanctæ Genovefæ jam ara erat, ſepulturæ mandatum fuit. Mox loco ac tumulo religio acceſſit ex pietate accolarum in ſanctum Pontificem, qui confluentium devotionem multis beneficiis muneravit. Hinc abbas cum monachis ibidem inſtituti, qui ſacri corporis ac tumuli cuſtodes eſſent & excubitores. Jam enim Gregorii epiſcopi tempore, id eſt annis non amplius a Remigii obitu quinquaginta, abbas loci

a *Gregor. de glor. Conf. c. 29.* memoratur, tum in libro [a] de gloria confeſſorum, tum in ejuſdem hiſtoria [b], ubi Epiphanius *abbas baſilicæ ſancti Remigii* appellatur. Creſcentem cum miraculis adventantium frequentiam cum parva ædicula capere non poſſet, dilatatis ſpatiis nova

b *id. Hiſt. lib. 10. c. 19.* baſilica fieri cœpta, quæ deinceps ſancti Remigii dicta fuit, novo hoſpiti locum & honorem cedente beato Chriſtophoro, cui continens ſacellum conditum eſt, virgini Deiparæ itidem ſacrum. Dein effoſſo ſancti Pontificis tumulo, corpus quidem *exſiccatum*, ſed *integrum* repertum, quod novo *brandeo* ſeu ſudario rubeo involutum, in cryptam pone altare novæ baſilicæ depoſitum fuit kalendis Octobris. quo etiam die longe poſt recurrente nova ejuſdem ſacri corporis tranſlatio ab Hincmaro facta eſt, ut ſuo loco dicturi ſumus.

XVIII. Ampulla ſacra. Ibidem etiam cum ſancto corpore aſſervata ſacra ampulla, quam in Chlodovei regis baptiſmum cælo delapſam Hincmarus tradit, tum in vita beati Remigii, tum in Capitularibus Caroli Calvi: ubi, Carolum apud Mettas inauguraturus, in frequenti epiſcoporum, procerum, omniumque ordinum conventu aſſeruit, eumdem Carolum duxiſſe originem a Chlodoveo per beatum Remigium converſo, ac perunc̃to *cælitus ſumto chriſmate, unde*, inquit, *adhuc habemus*. Res proinde tum conſtantiſſima erat, ampullam hanc ad id uſque tempus aſſervatam, eam ipſam videlicet, quæ etiam ætate noſtra habetur in regum chriſtianiſſimorum unctionem. Huic traditioni ſeveriores critici opponunt Aviti Viennenſis, Gregorii Turonenſis, Fortunati Pictavenſis epiſcoporum, atque Fredegarii Scholaſtici ſilentium, quod in re tam illuſtri decretorium arbitrantur; atque adeo Hincmarum hujus fabulæ, ſic vocant, auctorem criminantur. At, ſi res ex æquo ac ſincere expendatur, non ita decretorium videbitur horum auctorum ſilentium. Nam ad Avitum quod attinet, nondum forte reſcierat, quæ acciderant in Chlodovei baptiſmo, ad quem a rege invitatus, hac epiſtola ſe excuſat. Deinde etiam ſi ea reſciviſſet, quid attinebat illa commemorare Chlodoveo ipſi, horum omnium probe conſcio? Jam vero Gregorius, etſi ampullæ cælitus demiſſæ non meminerit, aliquid tamen prodigii tunc ac-

c *Gregor. Tur. lib. 2. c. 31.* cidiſſe innuit, cum ait templum [c] baptiſterii " *divino reſperſum* fuiſſe *ab odore*, talem" que ibi gratiam adſtantibus ibi tribuiſſe, ut *æſtimarent ſe paradiſi odoribus conlocari*. Denique ex Fortunati ſilentio nihil confici poteſt: cum alia æque miranda in ſancti Remigii vita prætermiſerit, immo ipſam, quod mirere, Chlodovei & Francorum converſionem, & ſacram ejuſdem regis tinctionem a Remigio factam. Quid itaque mirum, ſi miraculum de ſacra ampulla reticuit, qui ne quidem Chlodovei baptiſmi meminit? Quin etiam conſimile omiſit miraculum de duabus ampullis, oleo ſacro & chriſmate in baptiſmo cujuſdam viri nobilis cælitus impletis. quod miraculum ipſius Fortunati ævo in conteſtatione ſeu præfatione miſſæ Gallicanæ de ſancto Remigio recitatum fuiſſe conſtat, ut mox videbimus. Verum fac ut nullus horum aliorumve auctorum ante Hincmarum hujus ampullæ mentionem fecerit: quis Hincmarum adeo imprudentem, ne dicam impudentem fuiſſe credat, ut rem novam ac recens inventam pro re antiqua & ſacra in tam illuſtri eruditorum hominum cœtu obtruſerit? Quid? quod id obiter tantum, & abſque ulla præfatione, uti rem omnibus notam & nemini ambiguam, refert. Res ergo jam tum receptiſſima & exploratiſſima erat ampulla ſacra: ſed origo forte non ita.

Non unius tantum, ſed duarum ampullarum meminit antiquus auctor, qui libellum de vita ſanctæ Chrothildis reginæ ſcripſit, ubi ait, chriſmate deficiente, " cum ſanctus Remigius Chlodoveum baptizaturus eſſet, *duas ampullas oleo & chriſmate plenas*, cælitus demiſſas fuiſſe, ex quibus beatus Remigius regem more eccleſiaſtico " perunxerit. Unde id acceperit hic auctor, nobis incompertum. niſi ſi hoc loco aliud miraculum confuderit, ab Hincmaro in vita beati Remigii relatum. Narrat

quippe Hincmarus, ſanctum pontificem, cum iter ageret, ab homine quodam ægroto haud ignobili, necdum baptizato, accerſitum fuiſſe, ut eum ſacris aquis ablueret. Cum autem oleum exorcizatum fere, chriſma vero penitus in duabus ampullis a preſbytero loci allatis defeciſſet; vacuas ampullas ſuper altare depoſuiſſe, ac fuſa ad Deum oratione mox plenas inventas fuiſſe. quod quidem Hincmarus ante Chlodovei baptiſmum refert. Neque id ab Hincmaro inventum putes. Hoc enim antiquitus, id eſt ante annos mille, in præfatione miſſæ de ſancto Remigio ritu Gallicano commemorabatur, ut conſtat ex veterrimo codice eccleſiæ Remenſis, ante annos octingentos ſcripto, in quo beati Remigii quoddam vitæ compendium, & quædam miracula referuntur *ex præfatione, quæ ad miſſam antiquitus dicebatur*, ut fragmenti illius titulus præfert, in quo ſic de duabus ampullis ſcriptum reperitur. *Dum autem cuidam ægroto baptizando chriſma quæreretur, & nihil inveniretur; ſic ampullas vacuas ſuper altare juſſit mitti, ut ipſe ſe interim in oratione proſterneret. Tunc cæleſti rore chriſmatis benedictione perfunditur.* Integrum fragmentum in appendice hujuſce tomi habes. Haud ſcio an ad duas iſtas ampullas reſpexerit ſcriptor vitæ ſanctæ Chrothildis mox laudatus. quod ſi ita eſt, ex his ampullis Chlodoveum perunctum fuiſſe nobis conjiciendi locum dedit. Porro an ampulla illa, cujus meminit Hincmarus una ex illis duabus fuerit, ejuſque originem, non ſatis ipſi compertam, ad Chlodovei baptiſmum retulerit; temere aſſerere nolim. ſed ſive hæc, ſive alia fuerit, de ejus veritate dubitare non poſſum. Neque vero mirum eſt, Fortunatum in libello de beati Remigii vita ſecundi hujus miraculi non meminiſſe. Neque enim omnia ſcripſit Fortunatus, profeſſus, ſe *pauca diſſerere, plurima præterire*. Et quidem rem omnium maxime illuſtrem, & quæ ad beati Remigii gloriam & commendationem in primis faciebat, prætermiſit, nempe converſionem Chlodovei regis, adeoque Francorum omnium ab eo factam, ut jam diximus. Ex quo intelligitur, quam invalidum ſit ex ejus ſilentio argumentum. Neque potior eſt ex Fredegarii ſilentio petita auctoritas, quæ ut ſummum eadem cenſenda eſt cum auctoritate Gregorii epiſcopi Turonenſis, cujus ille hiſtoriam dumtaxat in compendium redegit. Cum itaque hæc argumenta nihil contra ſacræ ampullæ veritatem efficiant, antiquiſſimæ de illa traditioni Remenſis, immo & Gallicanæ eccleſiæ ſua conſtare debet auctoritas.

Occaſione ſacræ ampullæ non poſſum non meminiſſe vaſis illius, quod Chlodovei dono acceperat ſanctus Remigius, eccleſiæ Remenſi ab ipſo legari ad fabricandum *turritulum & imaginatum calicem*, ut in breviori teſtamento legitur, hoc addito in prolixiori, ut epigramma, quod Remigius ipſe Lauduni argenteo vaſi inſcribi curaverat, calici quoque ex vaſe facto inſcriberetur. ſic vero habebat epigramma, Hincmaro referente. XIX. Calix S. Remigii.

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro,
Injecto æternus quem fudit vulnere Chriſtus.
Remigius reddit Domino ſua vota Sacerdos.

Quod vas, addit Hincmarus, *ad noſtra tempora perduravit, donec fuſum in redemtionem datum eſt chriſtianorum, ut a miniſtris diaboli Nortmannis redimerentur pretio argentei calicis, quos de poteſtate tenebrarum redemerat effuſus ſanguis calicis, Chriſti videlicet paſſionis.* Alius tamen calix in Remenſi eccleſia oſtenditur, qui ſancti Remigii fuiſſe dicitur. Illuſtre ſane hic elucet exemplum chriſtianæ caritatis, quæ nec ſacris vaſis parcit, ubi de Chriſti membris redimendis agitur. quod olim Cæſarium Arelatenſem epiſcopum, præter alios multos, ſuo tempore feciſſe ſuperius legimus. Verum, quod ad Remigium attinet, inſigne in his verſibus eſt ejus de vero Chriſti in Euchariſtia ſanguine monumentum, dignum certe quod argenteo calici, immo & cedro inſcriberetur: quo ſanguinem illum, quem e calice fideles hauriunt, eum ipſum eſſe, qui e Chriſti vulneribus in cruce fuſus eſt, conteſtatur. Nec minoris eſt momenti teſtimonium Hincmari in libro de vita [a] ipſius ſancti Remigii, ubi *panis & vini creatura in ſacramentum carnis & ſanguinis* Chriſti *ineffabili Spiritus ſanctificatione transferri* dicitur; *ſicque corpus & ſanguis illius fidelium ore ſumi in ſalutem, qui licet in Patris dextera ſit conſtitutus, in eadem tamen carne, quam aſſumſit ex Virgine, ſacramentum propitiationis exſequitur.* Id in tranſcurſu

ANN. CHR. 533.

[a] Hincmar. c. 21.

ANN. CHR. 533.

obſervare viſum eſt, utpote ab iis, qui ejuſmodi argumentum tractarunt, hactenus, ni fallor, prætermiſſum. Non hic prætercam Venantii Fortunati verſus duos in eam rem inſignes, Remigianis omnino conſimiles, cum Leontium Burdegalenſem epiſcopum laudans, ob vaſa ſacra, Virgini Deiparæ conceſſa, ita canit:

Muneribuſque piis dotaſti altaria Chriſti,
Cum tua vaſa ferant viſcera ſancta Dei.

quibus verbis nihil expreſſius afferri poteſt ad probandam illorum temporum cum noſtris de Euchariſtia fidei conſenſionem.

XX. Romanus S. Remigii ſucceſſor. * *Mantenay.*

Remigium in ſede Remenſi excepit Romanus abbas Mentuniacenſis * prope Trecas monaſterii, quod Romanus ipſe duabus ab urbe leucis ad Sequanam conſtruxerat in honorem ſanctorum Gervaſii & Protaſii martyrum. Locum poſt eum rexit Leo abbas ſanctus, qui obitum ſuum prædidicit a ſanctis Hilario, Martino & Aniano. Exciſum eſt monaſterium ab annis fere ſexcentis. Romanus vero vix biennium eccleſiæ Remenſi præfuit: ſiquidem Flavius ejus ſucceſſor concilio Arvernenſi ſubſcripſiſſe invenitur anno currentis ſæculi triceſimo-quinto.

XXI. Theodericus abbas Remenſis. a *Sæc. 1. Bened. p. 617.* * *Alnancourt.*

Non diu Remigio ſupervixit Teudericus ſeu, Theodericus ejus diſcipulus, abbas & conditor cœnobii Remenſis in monte Hor, quod *aureum* montem perperam nonnulli interpretantur contra veterum traditionem, qui hoc nomine *lumen*, vel *iracundiam* a, ſive *montanum* ſignificari teſtantur, exoticorum ejuſmodi nominum recti interpretes. Theodericus in Alamannorum-curte * pagi Remenſis vico, patre Marcardo natus, rectius educatus fuit, quam ut ferret latronis (ſic acta eum vocant) patris conditio. Conjugio pro parentum voluntate inito, ſponſam paullo poſt intactam, vix ac ne vix quidem conſentientem, dimiſit. Hinc de novæ vitæ ineunda ratione ſacra virgo & abbatiſſa conſulitur, nomine Suſanna, quæ ſub ſancti Remigii auſpiciis puellari in urbe Remorum congregationi præerat. Remigius ipſe arbiter convenitur. Ejus conſilio ambo locum monaſterio aptum quærunt, inveniuntque in monte ſilvis conſito, tribus ab urbe paſſuum millibus. Atque ne res conſilii divini expers crederetur, ab Angelo in ſpecie aquilæ monaſterii & baſilicæ ſitus & forma deſignantur. Dein Theodericus ordinatus preſbyter, *omnibus præcepta ſalutis prædicare cœpit, implere* ſcilicet *volens officium ſacerdotis*. In multis Marcardum patrem ſuum ad monaſticam vitam ex latrone traduxit. Accerſitus à Theoderico Auſtraſiorum rege, in cujus palatium fama ejus virtutum penetraverat, inſanabili regis oculo precibus ſuis integrum uſum reſtituit; non Theodericus, ſed Theoderio præ modeſtia deinceps appellari volens ad diſcrimen regis. Sic prima Theoderici acta in codice Remigiano, ab annis fere octingentis exarato. Addunt poſteriora acta, a nobis vulgata in Sæculo primo, ab eo ejuſdem Theoderici regis filiam a morte excitatam fuiſſe: in cujus rei argumentum regium diploma proferunt de facta donatione Venderarum * ad Matronam fluvium, & Gaugiaci * in pago Remenſi, præter Germaniacum * villam, quam pro recepta oculi ſanitate rex illuminatori ſuo largitus ſit. Utraque acta in id conſentiunt, abbatem ſanctum ad Chriſtum migraſſe kalendis Julii; ejuſque corpus Theoderici regis humeris in tumulum ſubvectum fuiſſe. Id contigiſſe oportet ante annum iſtius ſæculi triceſimum-quintum, quo rex ipſe vivere deſiit. Theoderico abbati ſucceſſit anonymus, anonymo Theodulfus vir magnæ ſanctimoniæ, inferius commemorandus. Primariam Theoderici vitam, quæ needum typis edita eſt, in appendice noſtra referre viſum eſt.

* *Vendieres.* * *Gueux.* * *Germigny*

ANN. CHR. 534. XXII. Terracinenſis monaſterii origo.

CAſinum revertor, ubi tunc de condendo prope Terracinam monaſterio agebatur. Urbs eſt Campaniæ ſeu Latii-novi ad oram Tyrrheni maris, decimo lapide a Fundis, termino regni Neapolitani. Rogatus *a quodam fideli viro* Benedictus, diſcipulos ut mitteret ad conſtruendum in ejus prædio monaſterium. Miſſis qui opus inchoarent, dixit bonus pater, irent; ſe certo die adfuturum ad fabricam delineandam. Eunt, nec ipſe adeſt ad condictum diem: ſed paratis omnibus ad ædificium neceſſariis, nocte eadem, qua promiſſus inſtabat dies, uni ex his, quem novæ coloniæ *patrem* ſeu abbatem deſignaverat, eique, qui ab ipſo ſecundus erat, præpoſito, vir Dei in ſomnis univerſam futuri cœnobii diſpoſitionem notavit, deſignatis locis, ubi oratorium, ubi refectorium fratrum, ubi cella hoſpitum, aliæque monaſticæ officinæ conſtitui deberent. Verum cum ſomnio fidem non accommodarent

modarent, ad Patrem reverſi permodeſte conqueruntur, quod promiſſioni ſuæ defuiſſet. Et, cur, inquit, iſta dicitis? an non ipſo die, quo promiſeram, adfui? " Illis vero percontantibus, quando veniſſet; reſpondit: Nonne utrique veſtrum " in ſomnis apparui, & loca ſingula deſignavi? ite, atque agite ſecundum formam, " quam vobis præſcripſi. His auditis, attoniti receſſerunt, atque omnia ad ipſum exemplar compoſuerunt. Sancto Stephano protomartyri nuncupatum fuit monaſterium, cujus quinam abbates primi fuerint, quive ſubſequentes, ignoramus.

XXIII. Sancti monachi Terracinenſes.

Tantum reſcimus nomina quorumdam ex illis, qui primi iſtuc miſſi ſunt, ſanctorum monachorum, nempe Speciosi & Gregorii. Hos laudat Gregorius M. in libro [a] quarto Dialogorum ex relatu aliorum ſancti Benedicti diſcipulorum. Hi duo nobiles viri, & quidem germani fratres cum eſſent, atque *exterioribus ſtudiis*, id eſt humanioribus ac civilibus, eruditi, omnibus facultatibus ſuis in pauperes diſtributis, ſancti Benedicti regulæ ac diſciplinæ ſe ſubjecerunt; eoſque probe inſtitutos venerabilis Pater in monaſterium, *quod juxta Terracinenſem urbem conſtruxerat*, habitaturos direxit. Ex his Specioſus, *cum pro utilitate monaſterii* ad quemdam locum prope Capuam miſſus fuiſſet, exceſſit e vivis: cujus obitum ſtatim Gregorius ejus frater Terracinæ cognovit, eumque ceteris monachis indicavit. Tum profectus ad prædictum locum, fratrem ſepultum reperit, eumdemque ipſa hora, qua ejus animam e corpore egreſſam conſpexerat, obiiſſe intellexit. Falluntur ergo qui Gregorium hunc Romæ aut vixiſſe, aut devixiſſe exiſtimant, quod innuere videntur Martyrologia, monaſticum & Romanum. Ex his intelligitur, Specioſo commiſſam fuiſſe rerum temporalium procurationem, quippe qui *ſtudiis exterioribus* eruditus erat. Felices illi, qui ſimilibus implicati negotiis, ita ſe gerunt, ut ſoluti corpore eamdem ſortem experiri mereantur! At quam timendum eſt, ne temporalia tractando, temporalibus, quaſi cuidam viſco, inhæreant, & a cæleſtibus ad hæc terrena & infima ita demergantur, ut inde emergere non valeant!

a Greg. lib. 4. Dial. c. 8.

XXIV. Paulinus & Auguſtinus monachi Caſinenſes.

His duobus Terracinenſibus monachis geminos alios adjungere liceret, Paulinum & Auguſtinum, ſi vera eſſet Angeli de Nuce obſervatio in Chronici Caſinenſis locum illum, ubi de his duobus agitur. Narrat libri quarti auctor [b] Petrus Diaconus, Oderiſii abbatis Caſinenſis anno ſeptimo-decimo, Chriſti centeſimo-tertio ſupra milleſimum, dedicatam ſancti Stephani eccleſiam a Benedicto Terracinenſi epiſcopo nonis Novembris; atque in hac eccleſia inventa fuiſſe corpora ſanctorum monachorum Paulini & Auguſtini, beatiſſimi Benedicti diſcipulorum, cum aliis duobus ſepulta; tumque dæmoniacum quemdam infeſto dæmone liberatum fuiſſe, vociferante, ſe ab illis duobus, quos ex nomine appellabat, ſancti Benedicti diſcipulis ex hominis corpore expelli. Poſtremo addit, Oderiſium abbatem ſanctorum illorum corpora inde extuliſſe, atque in muro eccleſiæ ſancti Andreæ apoſtoli reverenter collocaſſe. Angelus de Nuce, & ipſe noſtro tempore abbas Caſinenſis, lecto hoc loco, ubi de Terracinenſi epiſcopo & de eccleſia ſancti Stephani agitur, hunc interpretatus eſt de Terracinenſi ſancti Stephani monaſterio, quem de Caſinenſi ſancti Stephani eccleſia intelligit idem ipſe Petrus diaconus in libello necdum typis edito de obitu juſtorum Caſinenſium, ubi de his duobus ſanctis monachis ſcribit in hunc modum. *Paulinus Patris Benedicti diſcipulus, Caſini mortuus, & ſepultus in ipſo loco, ubi poſtea eccleſia ſancti Stephani conſtructa eſt. Hujus corpus Oderiſii abbatis tempore dum inventum fuiſſet, dæmoniacus quidam ibidem veniens confeſtim ſanatus eſt. Tunc abbas cum fratribus ſancti Paulini corpus inde elevans, in muro eccleſiæ ſancti Andreæ apoſtoli reverenter locavit.* & capite ſequenti: *Auguſtinus, beati Benedicti diſcipulus, juxta corpus ſancti Paulini cum aliis duobus ſepultus Caſini: ejus corpus itidem in eccleſiam ſancti Andreæ tranſlatum.* Unde in antiquo Caſinenſi kalendario legitur: *Nonis Novembris hic in Caſino dedicatio eccleſiæ ſancti Stephani & ſancti Adalberti.* & de ſancti Andreæ eccleſia: III. *kalendas Februarii in Caſino dedicatio eccleſiæ ſancti Andreæ apoſtoli.* Non ergo ad Terracinenſe, ſed ad Caſinenſe monaſterium referendi Paulinus & Auguſtinus, quamquam parum intereſt, nec incongrue de illis mentio facta eſt hoc loco. Agapitus & Leo IX. Caſinatibus aſſeruerunt monaſterium Terracinenſe, quod noſtra ætate ab ipſis alienatum conqueritur [c] Angelus de Nuce.

b Chron. Caſin. lib. 4. c. 23.

c Angel. in Chron Caſ. lib. 1. c. 8.

XXV. S. Placidi miſſio in Siciliam.

Ad idem fere tempus, quo monaſterii Terracinenſis origo, revocanda eſt ſancti Placidi in Siciliam miſſio, quæ prima noſtrorum extra Italiam fuit. Optandum

ANN. CHR. 534.

ſane eſſet, ut accuratiorem de rebus ab eo geſtis ſcriptorem haberemus, quam Gordianum illum perſonatum auctorem, qui ejus diſcipulus atque itineris ſocius fuiſſe, ejuſque vitam græce ſcripſiſſe dicitur. Scriptorem longe recentiorem arguit imperita narratio, plurimis reſperſa erratis, quæ niſi in poſteriorum temporum hominem, & quidem imperitum, cadere non poſſunt; nec modo interpolatorem, ſed falſum auctorem omnino arguunt. Petrus diaconus Caſinenſis in ſancti Placidi elogio, quod Gregorio præſuli, Terracinenſi, an Sueſſano, nuncupavit, ſe primum ex græco vitam ſancti Placidi tranſtuliſſe teſtatur. Stephanus Anicienſis paullo poſt eamdem expoliendam ſuſcepit rogatu Caſinenſium. Hæc ex membraneis Caſinenſis bibliothecæ monumentis accepimus: ex quibus ſancti Placidi apud Caſinates cultum longe ante hos auctores receptum fuiſſe intelleximus. Hunc ſancti martyris cultum, ſimul & miſſionis ejus cauſam indicat vetus ejuſdem monaſterii kalendarium, in quo aureis litteris ipſius memoria conſignata fuit ante annos ſexcentos in hæc verba: III. *nonas Octobris apud Siciliam natalis ſancti Placidi beatiſſimi martyris, cum ſociis ſuis Eutychio, Victorino, & aliis triginta: pro quo pater ejus Tertullus patricius decem & octo patrimonii ſui curtes beatiſſimo patri Benedicto obtulit.* De iſta donatione totidem fere verbis agit Leo Marſicanus in chronico Caſinenſi, quæ quidem antiquiorum martyrologiorum, Uſuardi, Adonis, aliorumque commemorationem, non ſatis explicatam, illuſtrant; ſimulque innuunt occaſionem mittendi in Siciliam Placidi in vulgatis actis expreſſam, nempe ad recuperandas poſſeſſiones Benedicto a Tertullo Placidi patre aſſignatas, quas iniqui homines invaſerant. Itineris ſocios habuiſſe fertur Gordianum & Donatum: Capuæ a Germano, Beneventi a Martiano, Canuſii a Sabino, Regii a Siſinnio epiſcopis benigne ac perhonorifice exceptus cum tanta miraculorum frequentia, ut præter ea quæ in via patravit plurima, totius etiam Siciliæ homines male habentes ſanaſſe dicatur. Non diu poſt ſuum Meſſanam adventum de monaſterio conſtruendo cogitare cœpit, idque intra quadriennium abſolvit in portu maris, haud longe ab urbe Meſſana, ſancto Johanni Baptiſtæ ſacrum. Baſilicæ dedicationem quinto kalendas Auguſti factam perhibent. Brevi confluentibus eo diſcipulis, numerus ad triginta accrevit: quos omnes monaſticis præceptis apprime imbuit vir ſanctus, dum ipſe interim oratione, lectione, jejuniis, ceteriſque virtutibus ſupra ceteros emineret. Hanc miſſionem anno currentis ſæculi triceſimo-ſexto contigiſſe vulgatus ejus vitæ ſcriptor tradit: at, ſi Canuſii a Sabino epiſcopo exceptum fuiſſe conſtet, biennio ante ſtatuenda eſt: ſiquidem Sabinus anno triceſimo-quinto Conſtantinopolim miſſus ab Agapeto pontifice, anno ſequenti interfuit, ſubſcripſitque concilio ibidem convocato, quod pridie nonas Junii abſolutum fuit. Hic eſt Sabinus Canuſii epiſcopus, cui ſanctus Benedictus, teſte [a] Gregorio, urbis Romæ excidium prædixit; qui etiam cæcus factus, ob ſanctitatis famam a Totila rege demum honoratus fuit.

[a] Gregor. lib. 2. Dial. c. 15. & lib. 3. c. 5.

XXVI. Donatus an primus monaſtici Ordinis auctor in Hiſpania.

Non dubium quin primas Siculis facile conceſſuri ſint Benedictini noſtri Hiſpani, poſt agnitas fraudes vulgati chronici ſub nomine Maximi, cujus larvata auctoritate deceptus Antonius Yepeſius, ſancti Benedicti regulam anno ſexti ſæculi triceſimo-ſeptimo in Hiſpanias invectam, ac monaſterio ſancti Petri de Cardenna impoſitam fuiſſe exiſtimavit. Id ſerius factum conſtat, tametſi quo præciſe tempore contigerit, minime ſit exploratum. Verum ante quam id explicemus, obſervare convenit, Hiſpaniam omnem ſæculo ſexto Gotthis & Suevis paruiſſe, utriſque Ariana labe infectis. Suevis Gallicia, Gotthis ſeu Veſigotthis cetera ſubjecta erant. Suevi, Germaniæ populi, cum Vandalis aliiſque barbaris nationibus ineunte ſæculo quinto, irruptione in Galliam facta, eaque per biennium vaſtata, inde cum eis in Hiſpaniam penetrarunt, & citeriore Hiſpania Honorio imperatori dimiſſa, ulteriores provincias a ſe ſubactas in ſortem conjecerunt. Vandalis & Suevis Gallicia evenit, Alanis Luſitania, Turcilingis Bætica; atque ita eas ſuis quique ſubjecti regibus tenuerunt. Alani paullo poſt, regia dignitate omiſſa, uti & Turcilingi, Vandalis ſe ſubdunt; Vandalis demum in Africam commigrantibus, Suevorum potentia in Hiſpania crevit. Sed hac a Gotthis tentata ac minuta, Romani ipſi quidquid juris in Hiſpania reliquum habebant, Gotthis ceſſerunt ſub Eurico rege, qui domita Hiſpania in Galliam irrupit; & Aquitania prima, aliiſque ad Rhodanum provinciis occupatis, regni ſedem Arelati con-

ANN. CHR. 534.

ſtituit. Alaricus, Eurici ſucceſſor, a Chlodoveo Francorum rege victus ac necatus, cum vita ſimul Aquitaniam amiſit. Amalarico ejus filio adhuc puero, Geſalaicus ejus nothus regnum occupat; quem Theuda, a Theodorico Italiæ rege pro Amalarico præfectus, regno ejicit, & Galliæ partem Amalarico recuperat, idemque Hiſpaniæ partem invadit; atque Amalarico a Childeberto Francorum rege, ob contumelias ſorori ipſius illatas, deleto ac cæſo, ſolus demum in Hiſpania regnat ad annum ejus ſæculi quadrageſimum-octavum, quo Theudiſclum, & poſt eum Agilam, Athanagildum, Liuvam & Leuvigildum, quem ejus filius Reccaredus catholicus excepit unum poſt alium habuit ſucceſſores. Sub illis regibus, tametſi Arianis, res monaſticæ nihilominus incrementum acceperunt. Primus in Hiſpaniam *monaſtica obſervantiæ uſum & regulam*, ſi Hildefonſo [a] Toletano epiſcopo ſit fides, adduxit Donatus, qui *profeſſione & opere monachus*, cujuſdam in Africa eremitæ diſcipulus exſtitiſſe fertur. Hic violentias barbararum gentium, Hildefonſi verba ſunt, imminere conſpiciens, atque ovilis diſſipationem & gregis monachorum pericula pertimeſcens, fere cum ſeptuaginta monachis, copioſiſque librorum codicibus, navali vehiculo in Hiſpaniam commigravit: qui ab illuſtri femina Minchæa ſubſidiis ac rerum opibus miniſtratis, Sirbitanum monaſterium viſus eſt conſtruxiſſe. Non alia videtur hæc barbararum gentium in Africam incurſio, quam Vandalorum vexationes, & frequentes bellorum tempeſtates cum Imperatoribus Orientis; aut certe Maurorum in Africam impreſſiones, quos ante & poſt ſancti Fulgentii obitum paſſim in Africam irrupiſſe, ac pleraque loca rapinis, cædibus, incendiis infeſtaſſe [b] legimus. Donatum quippe Juſtiniani, aut ſaltem Juſtini principatu in Hiſpaniam acceſſiſſe intelligimus ex chronico Johannis Bielarenſis, apud quem *Donatus abbas monaſterii Servitani, mirabilium operator, clarus* habitus memoratur ad annum quintum Juſtini ſecundi, id eſt anno iſtius ſæculi ſeptuageſimo. Jam ergo ante aliquot annos Donatus eo acceſſerat, condideratque Servitanum Monaſterium, quod in regno Valentiæ prope Setabim * ſitum fuiſſe opinantur.

[a] *Hildef. de vir. ill. c. 4.*

[b] *S. Fulgent. vita c. 9. 10. & 30.*

* *Xativa.*

XXVII. Verum longe ante id tempus monaſticum inſtitutum in Hiſpaniam fuerat propagatum, probante Siricii papæ epiſtola ad Himmerium Tarraconenſem antiſtitem, qui varia de monachis ac ſanctimonialibus dubia Damaſo Siricii deceſſori propoſuerat. Idipſum adſtruunt canones conciliorum, Tarraconenſis, Ilerdenſis, & Barcinonenſis, editi ante medium ſæculum ſextum; immo Cæſaraugustani canon ſextus, convocati ſæculo quarto contra Priſcillianiſtas, quæ prima eſt monacho um mentio apud Hiſpanos. Juſtus, Urgellenſis ſequenti ſæculo epiſcopus, in commentario ſuper Cantica canticorum, per vineas florentes & odoriferas ait deſignari *congregationes clericorum, monachorum, & virginum*, quæ *in eccleſia proficiunt, & per bonam famam & converſationem intonuerunt*. quod tamen de Gallia Narbonenſi Gotthis tum ſubjecta, immo & de aliis extra Hiſpanias regionibus intelligi poteſt. [c] Johannes Mariana præmiſſum Hildefonſi locum, ubi Donatus *prior monaſtica obſervantiæ uſum & regulam* in Hiſpaniam attuliſſe perhibetur, ſic interpretatur, quaſi monaſticam vivendi rationem, certis legibus inſtitutiſque temperatam, invexerit primus, cum monachi in illis partibus antea, aut nulla votorum religione adſtricti eſſent, aut diſſipati per ſilvas vitam agerent ſolitariam. Verum ex Hiſpanicis illorum temporum conciliis oppoſitum omnino evincitur. Tarraconenſe anno iſtius ſæculi ſexto-decimo monachorum cœtum, abbateſque memorat, ubi ſtatuit canone I. ut monachus, qui abſque teſte ad mulieres etiam conſanguineas acceſſerit, *in cella monaſterii* recluſus pænitentiæ lamentis incumbat, ubi ſingulari afflictione, panis & aquæ victum *ex abbatis ordinatione* percipiat. & canone undecimo: *ut monachi a monaſterio foras egredientes*, miniſterium eccleſiaſticum temere non uſurpent, *niſi forte cum abbatis imperio*. Ad hæc in Ilerdenſi anni viceſimi-quarti canone tertio: ut monachi, quos epiſcopus probaverit in clericatus officio, *cum abbatis voluntate* ordinentur; & quæ *monaſteriis* offeruntur, ab epiſcopis non contingantur. Erant ergo tunc temporis abbates monachorum, erant & monaſteria in Hiſpaniis ante Donatum, qui forte quod ſeveriores monachis præſcripſit leges, *prior monaſtica obſervantiæ uſum & regulam* induxiſſe dicitur ab Hildefonſo. Certe Eutropius ejus diſcipulus, & in Servitani monaſterii regimine ſucceſſor, de nimia rigiditate accuſatus eſt, ut inferius videbimus. Si germanum eſſe conſtaret Donati epitaphium, quod Eutropio auctori apud Tamayum tribuitur, dicendus eſſet diſci-

[c] *Mariana lib. 5 de reb. Hiſp. c. 11.*

ANN. CHR. 534. pulus *Facundi præſulis & monachi*, in Africa. At ſatius eſt fidem habere Hildefonſo, qui eum *cujuſdam in Africa eremitæ diſcipulum* exſtitiſſe ſcribit.

XXVIII. Victorianus an ipſo prior. Donato in propaganda apud Hiſpanns re monaſtica præiviſſe videtur Victorianus abbas Aſanenſis, qui, teſte [a] Fnrtunato, *plurima per patriam monachorum examina fudit*, ſuumque ipſius Aſanenſe monaſterium *bis ſenis luſtris*, hoc eſt ſexaginta annis, rexit. Aſana ſeu Aſanio vicus eſt apud Celtiberos ſeu Aragones, haud procul ab urbe Oſca [*], ad fluvium Cingam, qui per montium fauces rapido impetu decurrens, in Iberum tandem influit. Primum hujus lnci abbatem fuiſſe Victorianum nullus dubito, quantumvis reclament recentiores Hiſpanici ſcriptores, qui hujus monaſterii auctorem putant Geſalaïcum Gnthorum regem ad annum quingenteſimum-ſextum, ſane parum veri ſimili argumento, regi Ariano veniſſe in mentem, ut monaſterium alienæ religionis conſtrueret. Sed etſi de tempore conditi cœnobii conveniamus, Victorianum ejus primum rectorem fuiſſe nihil obſtat: cum annis ſexaginta ei præfuerit, non diu poſt annum ejuſdem ſæculi ſexageſimum ſuperſtes. ſiquidem mortuus erat tum, cum Venantius Fortunatus [b] ejus epitaphium ſcripſit, ſub hnc tituln in ſinceris ac pervetuſtis codicibus: *Epitaphium Victoriani abbatis de mcnaſterio Aſana*: ubi in editis mendoſiſſime legitur, *monaſterii Agaunenſis*. At in veterrimo exemplari Corbeienſi ſic titulus habet: *Epitaphium d mui Victoriaui primi abbatis de monaſterio Aſans in Spania*. quo ex titulo confutantur & qui eum Aſanenſis monaſterii abbatem primum, & qui Hiſpanum fuiſſe negant. Integrum epitaphium viſum eſt referre hoc lnco, qund Victoriani vitam compendio referat melius, quam alia recentinr apud Bollandum ad Januarii diem duodecimum, qui ſupremus ejus dies fuit. Audi Fortunatum.

[a] V. Sæc. 1. Bened pag. 189.

[*] Hueſca.

[b] Fortunat. lib. 4. c. 11.

Quiſquis ab occaſu properas huc, quiſquis ab ortu,
Munus in hoc tumulo quod venereris habes.
Reſpice ditatum cæleſti rore talentum,
Cujus ſemper habet pectoris arca Deum.
Relligionis apex, vitæ decus, arma ſalutis,
Eximius meritis Victorianus adeſt.
Dignum opus exercens, qui fructificante labore,
Cunctis, non ſoli vixit in orbe ſibi.
Plurima per patriam monachorum examina fundens,
Floribus æternis mellificavit apes.
Lingua potens, pietas præſens, oratio jugis
Sic fuit, ut jam tunc totus ad aſtra foret.
Plura ſalutiferis tribuens oracula rebus,
Sæpe dedit ſignis vita beata fidem.
Bis ſenis rexit patrio moderamine luſtris
Rite Deo placitas paſtor opimus oves.
Calle ſequens recto ſacra per veſtigia Chriſtum,
Nunc fruitur vultum, quem cupiebat amor.

Sunt qui exiſtiment, Victorianum Italum fuiſſe, atque ex Italia in Hiſpaniam demigraſſe, decepti, ut puto, ſimilitudine nominis, eumdem eſſe opinati eum Victorinn monacho illo Italo, quem Gregorius Magnus laudat in homilia triceſimaquarta. At rem dirimere videtur Fnrtunatus, qui Hiſpaniam Victoriani *patriam* dicit. Gratiam forte nobis habebunt Hiſpani, non modo quod Victorianum ipſis aſſeramus, ſed quod eidem reſtituamus Fnrtunati epitaphium, in abbatem Agaunenſem, ubi nullus eo nomine abbas in indicibus abbatum invenitur, jam dudum perperam tranſlatum. Nune Aſanenſe monaſterium eſt canonicorum regularium ſancti Auguſtini.

XXIX. Turibius monachus, an epiſcopus. Victoriano & Donato æqualis fuit Turibius monachus, a Turibio Palentino ſæculi quinti epiſcopo diverſus, cui habitum monaſticum Romæ a ſancto Benedicto traditum, eumdemque Benedictinæ in Hiſpania regulæ promulgatorem fuiſſe nonnulli pſeudo-Maximi ſectatores inepte fabulantur. Exſtat Montani Toletani antiſtitis epiſtola, *domino eximio præcipuoque Chriſticolæ, domino & filio Theoribio* inſcripta, in qua eum laudans nb deſtructum idolorum cultum, exſtinctaſque Priſcillianiſta-

rum reliquias ; ſimul ei poteſtatem committens revincendi *novum*, & a primis chriſtianæ religionis *inauditum* quorumdam in Palentina diœceſi preſbyterorum facinus, qui chriſma ipſi conficere auſu temerario non dubitabant ; ſimul arguens eos, qui *alienæ ſortis*, id eſt metropolis, epiſcopos ad conſecrandas Palentinæ diœceſis baſilicas invitabant. *Quæ celſitudini veſtræ*, inquit, *indicare curavi, quo facilius per veſtram increpationem nefanda præſumptio in poſterum conquieſcat*, nempe audacia illa preſbyterorum ; demumque hortatur, ut ad id emendandum *ſeveriſſimi ſacerdotis auctoritate utatur.* Garſias dubitat, an hic Turibius monachus fuerit ille, cujus meminit Hildefonſus in libro [a] de viris illuſtribus : an alter notarius ſedis apoſtolicæ, a beato Leone Papa miſſus in partes Hiſpaniæ ad Priſcillianam hæreſim exſtirpandam ; an vero epiſcopus Palentinus & Aſturicenſis. At dubium non eſt quin idem fuerit Turibius ille monachus, de quo agit Hildefonſus, quippe qui prædictæ epiſtolæ argumentum refert : nec minus certum, & Turibium notarium, & Turibium Palentinum epiſcopum, qui Leonis Magni tempore vixerunt, annis fere octoginta ab iſto diſcretos fuiſſe. Montanus enim Toletanus antiſtes, qui hanc ad Turibium epiſtolam ſcripſit, præfuit ſecundo concilio Toletano ad annum ſexti ſæculi triceſimum-primum, nec quadrageſimum exceſſit ; quippe qui, teſte Hildefonſo, annis novem tenuit pontificis dignitatem. Palentina vero ſedes paſtore tum deſtituta erat, cum hæc epiſtola ſcripta fuit. unde factum erat, ut Palentini ſacerdotes licentiam conficiendi chriſmatis novo & inſolito auſu ſibi arrogarint, quod poſtea damnavit concilium [b] *Bracarenſe* ; alienoſque epiſcopos, provincialibus prætermiſſis, ad baſilicas conſecrandas invitaverint. Id porro diſerte probat alia ejuſdem Montani epiſtola ad Palentinos preſbyteros, in qua hæc iterari vetat, donec ipſis *a Domino præparetur antiſtes.* Non ergo, inquam, epiſcopus erat ille Turibius, ſed tantum preſbyter & monachus, quo nomine afficit illum Hildefonſus, ubi Montani *ad Turibium monachum* epiſtolam commemorat. Quæ autem his opponuntur, ſive ex *domini* ſive ex *celſitudinis* titulis, ſive ex *coepiſcopi* vocabulo, leviora ſunt quam ut tam luculenta elevare argumenta poſſint. Certe idem Montanus Palentinos ſacerdotes vocat *dominos* in epiſtola, *dominis dilectiſſimis fratribus, filiiſque territorii Palentini* inſcripta : nec dubitavit ſanctus Bernardus, parcus alioqui laudator, Petrum abbatem Cluniacenſem *magnitudinis* [c] titulo compellare. Porro *veſter coëpiſcopus* dici potuit relate ad Montanum, aut propter aliam rationem, ſcilicet quod in vacante Palentina diœceſi officium exerceret chorepiſcopi. nam haud inſolens eſt apud veteres, chorepiſcopi nomen cum coëpiſcopo confundi. Maneat ergo fixum, Turibium hunc monachum fuiſſe : quod ſatis innuit Montanus initio epiſtolæ, ubi ejus vitam laudat, cum *adhuc floreret in ſæculo* : quin etiam tunc fuiſſe ſacerdotem & viſitatorem vacantis eccleſiæ Palentinæ. quo fit ut Montanus eum hortetur ad utendum *ſeveriſſimi ſacerdotis auctoritate.* Certe ſi Turibius fuiſſet epiſcopus, hunc Montanus in epiſtolæ inſcriptione *filium* appellaturus non fuiſſet. Hæc de Turibio certa & explorata : cetera conjectorum arbitrio permittimus.

ANN. CHR. 534.

[a] Hildef. cap. 4.

[b] Conc. Bracar. c. 19.

[c] S. Ber. ep. 218.

XXX. S. Æmiliani res geſtæ.

Prædictis viris annumerandus venit ſanctus Æmilianus, abbas recentioribus dictus, quem vel monachum tantum, vel preſbyterum veteres appellant. Hunc Benedictini in Hiſpania inſtituti auctorem, aut ſaltem amplificatorem exiſtimant noſtri, atque in argumentum afferunt vetus epitaphium, ad ejus tumulum inſculptum. Silet tamen hac de re ſanctus Braulio Cæſarauguſtanus epiſcopus, qui libellum de vita ſancti Æmiliani Fronimiano preſbytero, cujus hortatu id ſuſceperat, nuncupavit, eumque ab ſe ſcriptum ait *ſub teſtificatione Citonati abbatis venerabilis, Sophronii & Gerontii preſbyterorum, atque ſanctæ memoriæ Potamiæ religioſæ feminæ, ut poſſit in Miſſæ ejus celebratione quantocius legi*, pro more illorum temporum, quibus ; lecto evangelio, ejuſmodi narrationes recitari ſolebant. Citonatus abbas ſancti Æmiliani cœnobii fuiſſe creditur ; Sophronius vero & Gerontius monachi ejuſdem loci, tametſi preſbyteri tantum appellati ex recepto antiquorum uſu, qui ſuppreſſis aliis titulis, nude preſbyteros, etiam eos qui abbates erant, non raro appellabant. Sic in prologo Braulionis idem ipſe, qui Citonatus abbas initio vocatur, in conſequentibus *Citonatus preſbyter ſanctiſſimus*, & *ſanctæ puriſſimæque vitæ*, tametſi adhuc vivens, appellatur. Jam, ut ad rem accedamus, Æmilianus ex opilione primum diſcipulus fuit cujuſdam eremitæ ſanctiſſimi, nomine Felicis, tunc in caſtro Bilbio ;

ANN. CHR. 534.

quod Najaræ opido Hiſpaniæ Tarraconenſis proximum eſt, commorantis. Dein *ad ſua* redit, haud procul a Vergegio, qui locus ejus natalis dicitur in ſuo ipſius epitaphio: ſed concurrentium multitudine turbatus, *ad remotiora Diſtercii montis ſecreta* ſecedit, ubi annis quadraginta vixit, *conſortio hominum privatus*, Angelorum ſolummodo conſolationibus recreatus, omnibus temporum ac neceſſitatum expoſitus incommodis, quas remotiſſima parit ſolitudo. Sed quantumvis latere vellet, in notitiam venit Didymi *Tyraſonenſis* epiſcopi tum diœceſani, qui eum ordini eccleſiaſtico, etſi renitentem, aptavit, ac presbyterum ordinatum præfecit eccleſiæ Vergegienſi. Nihilo tamen minus continuatæ preces, protracta jejunia, vigiliæ, aliaque vitæ monaſticæ rigidiora exercitia. At cum eccleſiæ ſuæ facultates in egenos, eam religione & virtutibus potius, quam opibus ditare cupiens, liberaliter effunderet; ſub ſpeciem dilapidati eccleſiæ patrimonii ab illo miniſterio amotus, reliquum vitæ ad centum annos tempus peregit eo in loco, ubi nunc ejus exſtat monaſterium, ſacro ejuſdem corpore & adventantium concurſu celebratum, quod modo ſubeſt epiſcopo Calaguritano. Hunc ſanctis Antonio & Martino *vocatione, educatione ac miraculis* omnino ſimilem dicit ſanctus Braulio, qui *ſuis fere temporibus geſta* narravit, ut ipſe in ejus vitæ præfatione teſtatur. Æmiliano mos erat celluſa recluſum in quadrageſima vivere, nec cuiquam tum ſe permittere videndum. Hoſpites, præter id tempus, ad ipſum adventantes non minus verbis reficiebat, quam cibo. Virginibus cohabitavit in decrepita ætate non ſine vulgi, ut fit, obloquiis, exemplo, etſi in illa centenarii hominis ætate minime ſuſpecto, ſane haud quaquam aliis probando aut imitando, *ne*, ſicut ait Braulio, *ſuccedat periculum temeritati*. Potamia ſuperius laudata ex earum virginum numero fuiſſe videtur. De monaſterio ſancti viri altum in ejus vita ſilentium, niſi quod *is collegium* habuiſſe dicitur cum Aſello ſanctiſſimo presbytero, quod perinde eſt atque eum habuiſſe collegam; & quod ipſius corpus poſt mortem ſepultum legitur *cum multo religioſorum obſequio, depoſitumque in ſuo, ubi & manet, oratorio.* Ibidem monaſterium exſtructum, cujus abbas, ut jam dixi, fuiſſe videtur Citonatus. Æmiliano etiam *abbatialem curam* tribuit ejus epitaphium, gotthicis litteris ſcriptum, inventumque in ejus tumulo ante annos, ut ferunt, ſexcentos, effictum apud Yepeſium. Eumdem anno iſtius ſæculi ſeptuageſimo-quarto in cælum migraſſe inferius demonſtrabimus. Cum ergo in ſolitudine Diſtercienſi, poſt ſuum ſub Felice eremita tirocinium, annos quadraginta duxerit; ſubducto, quo Vergegienſem rexit eccleſiam, quoque poſtea ſupervixit, tempore, ante annum ejuſdem ſæculi triceſimum vitam monaſticam iniiſſe dicendus eſt. Hic rerum conſequentia poſtularet, ut ad perſectam traditionis in Hiſpania Benedictinæ notitiam de ſancto Martino Dumienſi primum abbate & epiſcopo, tum Bracarenſi, hic ageremus: at rem in ſuum locum differre præſtat, ut temporis rationem accuratius obſervemus.

XXXI. Hiſpaniæ monaſteria.

Quænam fuerint primis illis temporibus alia, præter Servitanum, Aſanenſe & Æmilianenſe, de quibus mox egimus, per Hiſpaniam monaſteria, non ita liquet. Valvenerenſe ad Diſtercii montes jam dictos, Caradignenſe ſancti Petri in diœceſi Burgenſi, ſancti Claudii Legionenſe, ſancti Martini ſeu ſancti Turibii Libanenſe, atque Lorbanenſe in Luſitania ſuggerunt Antonius Yepeſius, aliique: ne quid dicam de cœnobio ſancti Petri de Arlança, quod non ante ſæculum decimum conditum fuiſſe nobis perſuaſum eſt. Nec fere certiora ſunt de aliorum, quæ mox commemoravi, origine argumenta, ut pote pſeudo-Maximi, aliorumque ejuſmodi farinæ mendaci auctoritate ſubnixa. Valvenerenſis principia referunt ad Munionem quemdam eremitam, qui pænitentiæ cauſa in illam ſolitudinem ſecedens, diſcipulis eo confluentibus, monaſterium excitaverit, ibidemque vixerit ſub regimine Dominici presbyteri. In ejus loci eccleſia beatiſſimæ Virginis imago maxime celebratur; vigetque cultus ſancti Athanaſii Alexandrini patriarchæ, quem eo ſe olim recepiſſe perperam putant. Caradignenſis monaſterii conſtructionem tribuunt Sanctinæ, Severiani ducis Carthaginenſis parenti. Cetera nonniſi dubia traditione fulta.

XXXII. Emeritenſia. * *Merida.*

Certa & explorata ſunt quæ de Emeritenſi ſanctæ Eulaliæ, & de Cauliniano in Luſitania monaſteriis habemus teſtimonia ex libro Pauli diaconi de vita Patrum Emeritenſium. Auguſta-Emerita *, totius olim Luſitaniæ metropolis & caput,

ANN. CHR. 534.

cujus metropolitica dignitas, cum a Mauris attrita jacuiſſet, Compoſtellam juſſu Calliſti ſecundi tranſlata, ſanctæ Eulaliæ reliquiis & cultu in primis nobilitata fuit. Duæ in ea urbe primariæ eccleſiæ erant; una princeps ſeu ſenior ſanctæ Mariæ, Jeruſalem dicta, cui adjacebat baptiſterium ſancto Johanni Baptiſtæ de more nuncupatum: altera ſanctæ Eulaliæ ſub abbate & monachis, teſtante Paulo Diacono, qui ejuſdem loci monachus videtur fuiſſe. Is quippe *abbatem* ſuum, tacito nomine, appellat ſub finem capitis primi, cujus initio eumdem vocat *præpoſitum cellæ*, id eſt monaſterii, nempe ſanctæ Eulaliæ: itidemque capite octavo-decimo *dominum, qui præeſt cellæ ſanctæ Eulaliæ*. Neque enim infrequens eſt apud veteres, ut cellæ nomine monaſterium deſignetur. In hac eccleſia mos erat ex ejuſdem auctoris capite primo, *ut hiemis tempore ſeorſum matutinum officium facto intervallo celebraretur*, hoc eſt ut vigiliæ nocturnæ aliquo temporis intervallo dirimerentur a matutino, id eſt a Laudibus, quas modo vocamus, qui ritus omnino aſſignatur a ſancto Benedicto in regula [a] ſua. An *Florentinus eccleſiæ monaſterii ſanctæ Eulaliæ abbas*, qui undecimo concilio Toletano ſubſcripſit, Emeritenſi cœnobio præfuerit, incertum eſt: immo veri ſimilius id de Toletano interpretandum, nam & iſtic ſanctæ Eulaliæ eccleſia erat: cum nullus, præter ejuſdem provinciæ epiſcopos, huic concilio interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe reperiatur.

a S. Bened. reg. c. 8.

XXXIII. Caulinianum

b Paul. diac. c. 1.

Erat & aliud in agro Emeritenſi monaſterium, vocabulo Caulinianum, *quod Emerita urbe haud procul ſitum*, inquit Paulus [b] diaconus, *ferme millibus octo diſtabat*: cui ineunte ſæculo ſeptimo præerat *reverendiſſimus vir piæ memoriæ Renovatus abbas*, poſtmodum Emeritenſis antiſtes. Hoc abbate res accidit non indigna memoratu, quam anticipato huc referre viſum eſt. Cum Renovatus cœnobii ſui monachos ſollicite regeret, omneſque piiſſimis monitis & adhortationibus ſuis conſentientes haberet & conſpirantes; unus tamen, a ceterorum moribus diſcrepans, ſic gulæ & crapulæ addictus erat, ut non modo temperantiæ leges ſæpe excederet, ſed etiam obvia quæque ſuffuraretur. Nulla hunc admonitio aut increpatio; non flagra, recluſiove, aut quævis alia remedia poterant ab inolita conſuetudine revocare. Quid faceret in tam difficili articulo bonus paſtor? Tactus dolore ob periculum errantis oviculæ, in id tandem devenit, ut homini cupiditatibus ſuis explendis habenas laxaret, præciperetque promtuariorum cuſtodibus, ut quæcumque vellet aſportaret, iiſque pro nutu abuteretur. Ille univerſa impune auferre, devorare, vaſa vinaria cum cibariis, poſteaquam ventrem impleverat, in horto monaſterio ipſi contiguo inter arbuſta aut arundineta occultare, nemine prohibente. Forte die quadam, cum temulentus e cellario exiret, puerorum turba, qui in monaſterio *ſub pædagogorum diſciplina in ſcholis ſtudebant litteris*, eo viſo una voce exclamavit: « Conſidera tandem, o vir, terribile judicium Domini, & tremendi examinis metuendam ſententiam; conſidera horrendam ejus judicii ultricem ſeveritatem! Attende iſtam ætatem, iſtos canos; tandemque mores commuta in melius, &, vel uno ante mortem die, vitam corrige tuam. An vero tibi jam annis effeto licet agere, quæ nobis puerulis non licet? Ad hæc ille pudore ſuffuſus, reſolutuſque in lacrymas, cum ejulatu magno in has voces erupit: Domine Jeſu Chriſte, Salvator bone, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut revertatur ab iniquitate, & vivat; te obnixe precor ut corrigas me, & auferas ignominioſum hoc opprobrium a facie mea; aut certe, ſi minus id majeſtati tuæ placet, jam tolle me ex hac miſerabili vita, ne umquam ſimilia dedecora audiam. Nec mora, exauditæ cælitus preces: eumque ſtatim ingens febris æſtus corripuit; eademque Excelſi dextera, quæ eum percuſſit, ſic commutavit in melius, ut omnes gulæ ac carnis delicias abhorrens, *flagranti animo pænitentiæ remedium mox appeteret, corporiſque ac cruoris dominici ſacramentum deſideraret*. Verum cum id veſaniæ aut improbæ mentis vitio tribueret abbas prudentiſſimus, *pænitentiam plenariam*, Pauli ipſa verba ſunt, *dare diſtulit, ſed tantum ei gratiam viaticam impertivit*. hoc eſt *pænitentiæ benedictionem, quam viaticum deputant* patres concilii [c] Gerundenſis, tantum ei conceſſit, ea tamen lege, ut, ſi reconvaleſceret, condignam pænitentiam omnino expleret. Perſtitit æger tribus diebus totidemque noctibus in lamentis & confeſſione delictorum ſuorum; ac tertio tandem die vale dicens fratribus, conteſtatus eſt, omnia ſibi errata condonata eſſe, atque adeſſe ſanctiſſimos apoſtolos Petrum & Paulum cum beato Laurentio, qui ſe exſpectent, ut cum ipſis

c Conc. Gerund. c. 5.

ANN. CHR. 534.

* Guadiana.

ad Dominum pergat. Dixit, & in hæc verba efflavit animam. Addit Paulus, quindecim poſt annis Anam * fluvium, qui Emeritam alluit, aquis extra alveum redundantibus circum poſita vaſtaſſe, ſimulque Caulinianenſis monaſterii cellas evertiſſe. quas cum monachi inſtaurare voluiſſent, effoſſo monachi illius tumulo, nectareum inde odorem emanaſſe, ejuſque corpus cum veſtimentis incorruptum fuiſſe repertum. Mirum quam brevi compendio guloſus ille tantum ſanctitatis adeptus ſit! At Spiritus ubi vult, & quomodo vult ſpirat. Harum rerum notitiam referre debemus acceptam Paulo Diacono, qui in ſuo libro agit de quinque Emeritenſis eccleſiæ epiſcopis, Paulo, Fideli, Maſſona, Innocentio & Renovato, in quo deſinit. Innocentius Gundemari regis decreto ſubſcripſit anno Chriſti ſexcenteſimo decimo: Renovatus vero vivere deſiit anno ejuſdem ſæculi triceſimo-tertio, ſucceſſorem ſortitus Stephanum, ſub quo indubie Paulus hæc ſcribebat. Mitto quæ de allatis per Romanum Caulinianum monachum reliquiis & ſacra beatiſſimæ Virginis effigie habentur apud Bernardum [a] Brittum, & in Notis Thomæ Tamaii ad Paulum Diaconum.

a Britto Monarchia lib. 7. c. 4.

XXXIV. Toletana monaſteria.

Toletanæ urbis & provinciæ quorumdam, quæ tunc exſtabant, monaſteriorum nomina diſcimus ex undecimo concilio Toletano, cui ſubſcribunt *Julianus eccleſiæ monaſterii ſancti Michaelis abbas*, totidemque verbis Valderedus ſanctæ Leocadiæ, Gratindus ſanctorum Coſmæ & Damiani, Abſalio ſanctæ Crucis, Florentinus ſanctæ Eulaliæ, Avila ſancti Juliani Agalienſis: qui omnes non ſimpliciter monaſterii, ſed *eccleſiæ monaſterii* abbates ſe dicunt. Hæc videntur omnia ſita fuiſſe in ipſa urbe Toleto, aut certe non procul, ſi quid ſani ex pſeudo-Maximo elicere poſſumus, qui monaſteria illa, uno ſancti Michaëlis excepto, Toletanæ urbi attribuit; & Agalienſe quidem ab Athanagildo rege conditum in villa ſuburbana; at vero ſanctorum Coſmæ & Damiani cœnobium, quod Toleto amplius duobus paſſuum millibus ſitum erat ad Tagum, cum aquarum colluvie collapſum fuiſſet, a Reccaredo rege inſtauratum. Sane apud Johannem Biclarenſem *monaſteriorum conditor & ditator* Reccaredus appellatur. at parum ſimile veri eſt, regem Arianum fuiſſe auctorem cœnobii ſanctorum Coſmæ & Damiani, quod ab Agalienſi diverſum eſſe præmiſſæ ſubſcriptiones evincunt. Quamquam in actis ſancti Hildefonſi Agalienſe monaſterium ſanctorum Coſmæ & Damiani dicitur; & Mariana teſtis eſt, in Gotthicis codicibus prædicti concilii Toletani poſt voces *monaſterii ſancti Juliani*, non addi Agalienſis. qua de re ſuo loco. Aliis Hiſpanicis ſubſcribunt conciliis, ſed nudis tantum nominibus, alii abbates: ac proinde id unum inde conficere poſſumus, in aliis etiam Hiſpaniarum provinciis monaſteria exſtitiſſe. id quod patet ex ſubſcriptione eorum abbatum, qui pro ſuis epiſcopis vicarii nonnullis conciliis interfuerunt. In Bætica ſane provincia tempore concilii Hiſpalenſis ſecundi, id eſt anno ſeptimi ſæculi decimo-nono, erant monaſteria, cum nova, tum antiqua, ut patet ex canone decimo: ubi *poſcentibus monaſteriorum patribus* ſtatuitur, *ut cœnobia nuper condita in provincia Bætica, ſicut & illa quæ ſunt antiqua, immobili & inconcuſſa ſtabilitate permaneant ſolidata.*

XXXV. Saguntenſe & Biclarenſe.

b Greg. Tur. de gl. Conf. c. 11. & 13.

His tantum alia duo addere placet, ſancti Martini Saguntenſe, & Biclarenſe. De priori agit Gregorius [d] Turonenſis antiſtes, traditque, Leuvigildem regem, cum in Hermenigildum filium arma moveret, acceſſiſſe ad monaſterium ſancti Martini, ſitum inter Saguntum & Carthaginem-Spartariam. quo audito, monachos, relicto iſtic abbate ſene, in inſulam maris fuga ſe proripuiſſe. tum advenientibus Gotthis, monaſterium direptum; in Abbatem ſanctum enſem vibratum ab uno ex illis, qui reſupinus ruens mox ſpiritum exhalaverit. quod cum regi nuntiatum fuiſſet, juſſiſſe ut quæcumque ablata fuerant, monaſterio reſtituerentur. Cernens vero prædictus rex, addit Gregorius, tot tantaque miracula per ſervos Dei, *qui noſtræ religionis erant*, fieri; accerſitum ad ſe unum ex ſuis epiſcopum Arianum ſecreto interrogavit, cur iſti ſimilia non patrarent? Repoſuit epiſcopus, ſe cæcis lumen, ſurdis auditum ſæpius reſtituiſſe, paratumque eſſe ad hæc iteranda. Et uni de ſua ſecta clanculum ad ſe vocato, datis quadraginta argenteis, præcepit epiſcopus, ut in loco, per quem rex tranſiturus erat, clauſis oculis cæcum ſe ſimularet, & prætereunte rege exclamando precaretur, ut epiſcopus qua pollebat virtute ſibi lumen oculorum reſtitueret. quo facto, iſti epiſcopo idem contigiſſe quod alteri ejuſdem ſectæ, nomine [c] Cirulæ, & impoſitis ſuper ficti cæci oculos

c V. Greg. Tur. lib. 2. Hiſt. c. 3.

oculos manibus, dicto, *Secundum fidem meam fiat tibi*; veram cæcitatem, quaſi impacto lapide, incuſſiſſe. Hæc obiter occaſione monaſterii Sagunthenſis, quod percelebre fuit, ut in conſequentibus videbimus.

Ad Biclarenſe quod attinet, conditorem habuit Johannem, qui Barcinonem a Leuvigildo relegatus, cœnobium conſtruxit. Illud ad Pyrenæi montis radices poſitum fuiſſe, ibique hodie quoque videri ait Johannes [a] Mariana. Verum ex litteris illuſtriſſimi e noſtris Benedicti epiſcopi Barcinonenſis, quem hac de re nuperrime conſului, rem aliter omnino ſe habere intellexi. Ita enim ad me ſcribit vir illuſtriſſimus. *Circa ſitum & ſtatum monaſterii Bsclarenſis, noſtro idiomate* de Vallclara, *a Johanne abbate fundati regnante in Hiſpania Reccaredo; æquivocationem abſque dubio paſſus eſt Mariana, cum ſcripſit, illud ad radicem Pyrenæi montis conſtitutum, ibique eodem nomine etiam nunc exſtare. Perſtat quidem adhuc juxta opidulum ejuſdem nominis* de Vallclara *eccleſia, circa quam plura veſtigia hodie cernuntur ſolo æquata ad calcem montis, non Pyrenæi, ſed alterius longe diſſiti, vulgo* de Prades; *in archidiœceſi Tarraconenſi, prope illuſtre cænobium ſanctæ Mariæ de Populeto, ubi Bsclarenſe monaſterium exſtitiſſe, eique præfuiſſe Johannem abbatem, antea quam Gerundenſem eccleſiam gubernaret, teſtantur ſcriptores noſtri, conſtans eſt in Gotholaunia perſuaſio. Quod, cum aliud non exſtet in toto principatu noſtro prædicti monaſterii vel leve veſtigium, nullum videtur relinquere dubitandi locum, quin iſte fuerit ſitus monaſterii Bsclarenſis.* Hactenus vir illuſtriſſimus in litteris ineunte hoc anno M DCCII. ad me ſcriptis.

a Mariana lib. 5. c. 3.

Quales regulas per prima illa tempora ſectati ſint veteres illi in Hiſpania monachi, definire haud in promtu eſt. Arbitrariæ tum erant paſſim ad nutum abbatum regulæ, nec raro in uno eodemque cœnobio plures obſervabantur. Cum enim in unum omnes ſcopum dirigerentur, nempe, ut abdicata rerum omnium inanitate, uni Deo monachi vacarent, ſeque totos ejus rei cauſa ſilentio, ſeceſſui, labori, aliiſque ſeverioris pænitentiæ officiis dederent; regulæ omnes in monaſteriis legebantur, ſaltem ut libri ſpirituales; aſſumebaturque ex unaquaque earum, quod e bono monaſterii regimine eſſe videbatur. Unde in cœnobio Atanenſi apud Lemovices, teſte Gregorio Turonenſi epiſcopo, *non modo Caſſiani, verum etiam Baſilii, & reliquorum abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrabantur regulæ.* Non ergo ita uni addicti erant monachi, quin pro voluntate abbatum aliam inducerent, aut jam receptæ ſuperducerent. Quippe priſtino inſtituto nihil mutationis ex mutatis regulis obveniebat, cum eodem ſpectarent omnes. Primus antiquorum ſanctus Benedictus diſcipulos ſuos uni regulæ ſuæ ſollemni voto adſtrinxit, cum eos obedientiam & converſionem morum ſecundum regulam profiteri voluit. Ex his intelligitur, facilem fuiſſe monachorum ex prima ſua regula tranſitum ad Benedictinam: a Benedictina ad alias non item. tametſi, cum ea non raro aliæ in eodem loco compoſitæ fuerint. Ita etiam primis illis temporibus uſu venit in Hiſpanieis monaſteriis. nam in ſancti Petri [b] Arlucenſi cœnobio hactenus ſervatur codex, *Regulæ Patrum* inſcriptus, in quo regulæ ſanctorum Macarii, Pachomii, Baſilii, Benedicti, Fructuoſi, Iſidori, & Caſſiani continentur. ſic in Caradignenſi itidem ſancti Petri alius codex regulas ſanctorum Poſtumi, Macarii, Pachomii, Baſilii, Caſſiani, Benedicti, Iſidori & Fructuoſi comprehendit. Utrobique habentur regulæ Baſilii, Caſſiani, Benedicti: atque inde colligitur, ante receptam illis in partibus Benedictinam, iſtic vel Baſilii, vel Caſſiani, vel utraque ſimul inſtituta viguiſſe. Certe *Caſſiani dicta*, hoc eſt Inſtituta & Collationes, *Victor Martyritanus epiſcopus Afer purgaſſe, & quæ minus erant addidiſſe* a Caſſiodoro memoratur; & ſanctus Fulgentius eadem inſtituta lectitabat, teſtante ipſius vitæ ſcriptore. Et forte fuerint illa Caſſiani inſtituta, quæ Donatus ex Africa in Hiſpaniam invexit, ac Servitano impoſuit monaſterio *ſecundum antiquorum normam*, ut Eutropius loquitur in epiſtola ad Petrum epiſcopum Irtabicenſem: ubi *ſanctæ Regulæ inſtitutio* vocatur. *Sancta Regula* nomine paſſim veteres Benedictinam intelligunt. Ita concilia, ita auctores plerique, ita vetera diplomata, ut alias videbimus. At, ne quid diſſimulem, *ſancta Regula* hoc loco pro ſtricto & accurato normæ ac diſciplinæ monaſticæ genere ab Eutropio videtur uſurpari. Neque enim prope fidem eſt, Regulam ſancti Benedicti ex Africa, ubi vixdum nota eſſe poterat, in Hiſpaniam per Donatum allatam fuiſſe. Verum de hac Donati regula

XXXVI. Regulæ horum monaſteriorum.

b Tolet. an. 640. v. 3.

ANN. CHR. 534.

in conſequentibus ſermo recurret, ubi de Eutropio agemus.

XXXVII. Regula S. Benedicti quando in Hiſpaniam.

Interim hic examinandum, quo tempore ſancti Benedicti regula apud Hiſpanos nota ac recepta fuerit, & quo auctore. Cum a Mauris, qui in Hiſpaniam ineunte ſæculo octavo irruperunt, peſſumdata fuerint pleraque monaſteria; veteraque archiva & tabularia incendio variiſque caſibus diſſipata ſint; his deſtituti argumentis, ad conjecturas, & ad paucos qui ex illis cladibus ſuperfuere auctores confugere cogimur. Huc faciunt non modo ſcriptorum, ſed conciliorum, aliarumque regularum, puta Iſidori, & maxime Fructuoſi teſtimonia. Cum lego quarti concilii Toletani canonem quadrageſimum-nonum, ſancti Benedicti regulæ ſententiam atque uſum mihi videre videor. *Monachum*, inquiunt patres, *aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus, & omnem ad ſæculum interdicimus regreſſum.* Non hæc ex Baſilii regula, non ex Caſſiani inſtitutis. Baſilius quidem pueros admittit in monaſteria, Deoque illic a ſuis parentibus offerri probat: at eiſdem jam adultis revertendi [a] in ſæculum, ac nubendi poteſtatem facit. Caſſianus ne pueros quidem intra clauſtra recipit. Quid vero ſancti Benedicti [b] regula? Idem omnino præſcribit quod concilium Toletanum. Offertur a parentibus inter ipſa ſacra puer, involuta ejus manu in palla altaris. Sancte jurant parentes ſe nihil umquam puero daturos, nec per ſe, nec per ſuſpectam perſonam: ne qua puero detur pereundi occaſio, nempe contra vota faciendo, aut revertendo in ſæculum. Annon eſt hoc ipſum quod aiunt patres Toletani, cum his, quos parentes obtulerint, omnem ad ſæculum interdicunt regreſſum? Idem porro de clericorum admiſſione in monaſteria, in canone ſequenti, atque ſanctus Benedictus in capite itidem proximo, quaſi patres hanc regulam in condendis his duobus decretis habuerint præ oculis. Celebratum hoc concilium æra ſeptimi ſæculi ſeptuageſima-prima, id eſt anno Chriſti triceſimo-tertio ſupra ſexcenteſimum. Interfuit huic concilio Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus, & ipſe regulæ auctor, in qua Benedictinæ præcepta de verbo non raro tranſſcribit. Plura habet in ſua Fructuoſus, ut alibi [c] oſtendimus. Ambo vero proprias quiſque regulas condiderunt, tum ut ſancti Benedicti regulam uſibus patriis aptarent: tum quia, ut mox dicebamus, plures ſimul regulas in uno eodemque monaſterio tunc ſervari mos erat; idque pro Hiſpania probant duo veterrimi codices ſuperius laudati, in quibus ſancti Benedicti regula cum Iſidori, Hildefonſi, aliiſque aliorum regulis componitur.

a *Baſil. reg. brev. 7. Reg. fuſ. c. 15. V. Spicil. to. 7. p. 62.*

b *S. Bened. c. 59.*

c *Præfat. in Act. ſæc. 1. Bened. n. 74. & ſeq.*

XXXVIII. Hujus propagationis auctores.

Hujus autem propagationis auctores fuiſſe videntur Martinus abbas & epiſcopus Dumienſis, Leander Hiſpalenſis, præ ceteris Gregorius Magnus cum verbo, tum ſcriptis, maxime per libros Dialogorum, in quibus tantopere ſancti Benedicti regulam commendavit, ac veluti toti Latinæ eccleſiæ approbavit. Martinus e Pannonia, uti & magnus ille Martinus, oriundus, in Orientem profectus eſt, indubie per Italiam, atque ex Oriente poſt medium ſæculum ſextum in Galliciam navigio appulit, ubi monaſteria, in primis Dumienſe, ab eo conſtructa. In his peregrinationibus Regulam ſancti Benedicti forte accepit, certe in Hiſpania videtur obſervaſſe. Argumento eſt Bonifacii quarti ſummi pontificis decretum contra quoſdam clericos monachis infeſtos ob eccleſiaſticas functiones, quas pontifex monachis aſſerit exemplo Gregorii papæ, Auguſtini Anglorum apoſtoli, ac *Pannonienſis beati Martini. Neque enim*, uti addit Bonifacius, *Benedictus, monachorum præceptor, hujuſcemodi rei aliquo modo fuit interdictor.* Ut quid vero pontifex huc ſancti Benedicti regulam attuliſſet, ſi eam tres illi magni viri non obſervaſſent? Hic vero de Martino Dumienſi ſermonem eſſe longe veri ſimilius eſt quam de Martino Turonenſi, quem *Pannonicum* [d] ſemel tantum, & quidem ab energumenis dictum lego: qui certe poſtremus omnium hoc loco nominatus haud quaquam fuiſſet. Deinde Leander Conſtantinopolim ab Hermenegildo principe legatus, conſuetudine uſus eſt Gregorii Magni, tunc ibidem apocriſiarii officio fungentis, qui ſancti Benedicti geſta regulamque, quam ipſe in monaſterio ſuo Romæ ceteris prætulerat, inſpirare potuit. Et quid non ipſa ejuſdem Gregorii commendatio per libros Dialogorum effecit? quos in Hiſpania, ſtatim atque editi ſunt, notos lectitatoſque fuiſſe probat in primis Taïonis Cæſar-auguſtani epiſcopi collectio ex ſcriptis Gregorii Magni, tum Pauli diaconi præfatio in librum de ſanctis Emeritenſibus, ubi eos laudat, uti & Taïo in ſua collectione. Huc non refero chartarum,

d *Greg. Tur. de mirac. S. Jul. c. 30.*

ANN. CHR. 534.

veterumque diplomatum monumenta, quæ ab erudito viro Joſepho Perezio Benedictino Hiſpano diſcuſſa, aſſerta, & vindicata leges in Diſſertationibus eccleſiaſticis, Salmanticæ editis contra Hermenegildi Hieronymiani monachi objectiones, ne dicam cavillationes aut criminationes, religioſo homine prorſus indignas. Sane longe æquiores in nos fuere Johannes Mariana, Moralez, aliique inter Hiſpanos auctores nobiliſſimi, qui vetera quæque Hiſpaniarum monaſteria Ordini noſtro tribuere non dubitarunt, nullo habito præjudicio ex amiſſione antiquiorum monumentorum, quæ Sarracenica clades abſumſit. Jam vero quidquid pro commentitia ſancti Hieronymi regula & monaſtici Ordinis inſtitutione libnerie, effutiat Hermenegildus: nobis noſtra exponere ac proponere juvat, non aliena ſomnia refutare.

XXXIX. Objecta diluuntur.

Obtenditur nobis Sancii majoris diploma pro Legerenſi ſeu Leirenſi monaſterio, qui, audito *beati Benedicti doctrinam ubique rutilare, cogitavit, qualiter in regionibus ſuis eam poſſet tranſplantare. Et mittens ad Cluniacenſe cœnobium, invocavit inde abbatem Paternum, & cum illo gregem monachorum, quos in arciſterio ſancti Johannis Baptiſtæ conſtituit* anno Domini viceſimo-ſecundo poſt milleſimum. Ergone, inquam, ad id tempus ſummovenda eſt regulæ noſtræ in Hiſpaniam propagatio? Et quid fiet aliis diplomatis, aliiſque inſtrumentis pæne infinitis, quæ hanc regulam longe ante ſæculum undecimum iſtic receptam fuiſſe evincunt? qualis eſt Fromiſtæ abbatis charta pro monaſterio ſancti Vincentii de Oveto, data æra octingenteſima decima-nona, quæ anno Chriſti ſupra ſeptingenteſimum octogeſimo-primo reſpondet, ubi *regulam ſancti Benedicti accepiſſe* ſe abbas iſte teſtatur. quale eſt ejuſdem æræ diploma Adelgaſtri, Silonis regis filii, qui cœnobium conſtruxit in loco, nomine Obona, ad honorem Chriſti & beatæ Matris ejus, & ſancti Michaëlis Archangeli, & ſancti Johannis Evangeliſtæ & ſancti Antonini martyris *& ſancti Benedicti abbatis, cujus ordinem*, inquit, in ipſo *monaſterio conſtituimus.* Legantur multa alia diplomata & inſtrumenta in Appendice Marcæ Hiſpanicæ apud virum clariſſimum Stephanum Baluzium, Ludovici Pii pro monaſterio Arulenſi in diœceſi Helenenſi, pro ſanctæ Gratæ in Urgellenſi, (quibus aliud ejuſdem imperatoris ac diœceſis pro Exaladenſi ſancti Andreæ adde ex libro ſexto de re diplomatica [a]) tum pro Suredenſi in Helenenſi diœceſi; diplomata item Caroli Calvi pro eodem Suredenſi, pro Helenenſi ſancti Clementis, pro Balneolenſi, Biſuldunenſi, Arulenſi, Urgellenſi ſanctæ Cæciliæ, aliiſque; & ubique invenies diſertis verbis commendari regulam ſancti Benedicti. Qnid mirum itaque ſi in ulterioribus Hiſpaniæ monaſteriis eadem viguerit? Cum ergo Sancius ait ſe induxiſſe animum, ut *in regionibus ſuis eam tranſplantaret*, ejuſque rei gratia monachos Cluniaco acerſiiſſe; id hoc modo interpretandum eſt, quod is regulæ Benedictinæ accuratum uſum, qualis apud Cluniacenſes tum obtinebat, & ubique paſſim ex eodem fonte radiabat, transferendum in Legerenſe monaſterium curavit. Sic locum hunc Mariana [b] intellexit. Sic etiam explicandus locus ex miraculis [c] ſancti Bercharii abbatis Dervenſis, ubi ante Cluniacenſes *regula ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti inaudita* fuiſſe dicitur *hominibus Francorum imperii.* quod niſi de recentiori illa Cluniacenſium diſciplina ſeu ſtrictiori regulæ obſervatione, aut luxatæ reſtitutione intelligas, nubem teſtium contra te inſurgere videbis. Sed de his alias: ad ordinem revertor.

a Diplomat. p. 106.

b Mariana lib 8 c. 14.

c Acta Sct. 2. Bened p. 847.

XL. Chlodoaldus monachus.

Per id tempus Chlotharius & Childebertus, Francorum reges, Godomarum Burgundionum regem bello aggreſſi ſunt, totamque Burgundiam perdomitam inter ſe ſe partiti, poſtea ad facinus atrociſſimum convenerunt. Chlodomirus eorum germanus, qui regni ſedem apud Aurelianos obtinuerat, a Burgundionibus circumventus cæſuſque, tres filios impuberes reliquerat, Theodovaldum, Guntharium & Chlodoaldum, qui ſub Chrothildis aviæ ſuæ diſciplina nutriebantur. Hos e medio tollere, ut regni portionem ipſis debitam devorarent, Chlotharius & Childebertus patrui ex compoſito durarunt. Tum, advocatis ad ſe nepotibus, ſpecie ut regnum inter eos partirentur; Arcadium ad Chrothildem mittunt, qui forfices & gladium reginæ oſtentet; ſimulque interroget, quid nepotibus ſuis fieri velit; forficibuſne tonderi, & privatos vivere placeat, an gladio jugulari. Talibus verbis velut telo icta regina, reſpondit, malle ſe mortuos videre, quam tonſos. Mox illi horrendum propoſitum exſequuntur, dumque duos primos

ANN. CHR. 534. cultro crudeliter conficiunt, Chlodoaldus per viros fortes eorum furori ſubductus, ſibi ipſe capillos incidit, *clericuſque*, id eſt monachus, ac poſtmodum preſbyter
[a] Greg. Tur. lib. 3. c. 18. factus eſt, ut ex Gregorio [a] diſcimus. In vulgatis ejus actis *habitum ſacræ religionis* dicitur accepiſſe a Severino monacho, qui tum recluſus prope Luteciam verſabatur. Poſtea in Provinciam, ubi ſcilicet patruis ſuis ignotus degeret, ſeceſſiſſe; atque inde pacatis eorum animis reverſus, apud Novientum ſeu Novigentum, agri Pariſienſis vicum, conſediſſe: ubi & monaſterium conſtruxit, & corpus ſuum poſt mortem ſepeliri curavit. Childebertus & Chlotharius Aurelianenſe regnum inter ſe partiti ſunt, parte tamen Theoderico Auſtraſiorum regi conceſſa, cui Andecavorum portio ſortitione obtigit, ut ex actis ſancti Mauri abbatis intelligimus. Ambo fratres, tanti facinoris haud dubie poſtmodum pænitentia ducti, ob Chlodoaldi vitæ ſanctitatem magnis demum poſſeſſionibus locupletarunt cœnobium Novienti, quod ab ejus nomine & corpore hactenus ſancti Chlo-
* S. Clou. doaldi * vocabulum retinet, regio palatio & hortis amœniſſimis inſigne. In veterrimo martyrologio bibliothecæ olim Pithœanæ, nunc Ottobonianæ, memoratur VII. *idus Septembris Pariſius, vico Novigento, depoſitio ſancti Chlodoaldi regis & confeſſoris.* ubi regis filium regem appellatum vides, & *Pariſius* ſitum eſſe vicum Novigentum, qui quinque millibus paſſuum ab urbe abeſt. Illic monachi erant ad ſæculum octavum, ſi quidem ſynodo Attiniacenſi anno ſupra ſeptingenteſimum ſexageſimo-quinto ſubſcribit Johannes abbas *de ſancto Flodoaldo.* quod de hoc Novientenſi haud dubie interpretandum eſt. & in epiſtola Eginhardi ad Gozbertum abbatem, de monaſterio ſancti Chlodowaldi fit mentio, quod jam dudum collegium eſt canonicorum ſæcularium. Hic primus e principibus Francis eſt tonſus ac monachus factus, ut perniciem vitaret. Ante eum Sigiſmundus Burgundio-
[b] Marii Chronic. num rex a ſuis proditus, *in habitu* [b] *monachali*, quem forte volens ad vitandam necem induerat, in Franciam abductus, interfectuſque eſt. Eadem ſors fuit Conſtantini tyranni, qui Arelati obſeſſus, ob eamdem cauſam ſacerdotio ſe initiari curaverat.

ANN. CHR. 537. XLI. Silverius papa monaſtica veſte indutus. POſt paullo quam id Chlodoaldo accidit, in Silverium Romanum pontificem conſimile, novo itidem exemplo, facinus commiſſum. Quippe Theodora Auguſta, cui per Juſtiniani imperatoris facilitatem omnia licebant, cum Pontificem ad Menam Conſtantinopolitanum epiſcopum dejiciendum, Anthimumque, qui ob hæreſim Acephalorum rejectus fuerat, reſtituendum inducere non poſſet; mandata ad Beliſarium ducem miſit, ut eum de ſede, excogitata cauſa, dejiceret, atque ei Vigilium ſubſtitui curaret. Mox litteræ Silverii nomine ad Vitigem Gothorum regem confictæ, quibus ſe urbem ei cum Beliſario traditurum pollicebatur. His productis, Beliſarius eo nomine Silverium ad ſe in ædes Pincianas vocat. Is apertas cernens inſidias, jam tertium accerſitus, eo tandem acceſſit, tum ſolus ad Beliſarium & Antoninam ejus conjugem eſt intromiſſus. Dum vero ab Antonina de proditione conflata interrogatur, ſubdiaconus primæ regionis, ad id conductus, pallium de collo ejus abſtulit, & pontificio habitu detracto monaſticas ei veſtes injecit. quo facto, Sixtus, regionis ſextæ ſubdiaconus, egreſſus foras clero nuntiavit, Silverium ſe ipſum pontificatu abdicaſſe, & monachum induiſſe. proinde ipſi ſe ad alium pontificem ſubrogandum pararent. Inde poſt ſex dierum ſpatium Vigilius Beliſarii ſuffragatione ſuffectus eſt. Silverius Pataras in Lyciam relegatur, ibidem ærumnis poſt ſeſqui-annum confectus.

XLII. Meroveus item, aliique. Eamdem Chlodoaldi ſortem etiam experti ſunt Meroveus Chilperici filius, & Eboricus rex Suevorum in Hiſpania, quem Andeca, regno ejus per tyrannidem occupato, monachum fieri juſſit, & ipſe poſtmodum tonſus, ſacerdotio accepto, in Pacenſem urbem relegatus, teſte Johanne Biclarenſi, Mauricii imperatoris principatu. quæ quidem anticipato dicta ob argumenti cum prædictis affinitatem. Meroveus vero propter matrimonium cum Brunichilde, Sigeberto patruo ſuo orbata, initum, Chilperico patri inviſus infeſtuſque, cum in cuſtodia a patre tene-
[c] Greg. Tur. lib. 5. c. 14. retur, itidem tonſus eſt, *mutatâque veſte*, ait Gregorius [c], *qua clericis uti mos eſt, preſbyter ordinatur*, & ad monaſterium pagi Cenomannenſis, quod Aninſula vo-
XLIII. Carileſus monachus Miciacenſis. cabatur, directus eſt, *ut ibi ſacerdotali regula erudiretur.*

Hoc cœnobium a fluvio præterfluente Aninſula, vulgo Aniſola, cognominatum,

ANN CHR. 537.

Carileſus * ſeu Karileſus, Arvernus preſbyter & monachus, Maximini Miciacenſis abbatis, de quo ſuperius [a] diximus, diſcipulus, regnante Childeberto, conſenſu & favore Innocentii Cenomannorum epiſcopi exſtruxit. Is monachus primum in Menatenſi apud Arvernos cœnobio ad amnem Siolam * poſito, cujus origo Brachioni [b] abbati, natione Toringo; inſtauratio Meneleo ſæculi octavi abbati accepta referri debet, cum Avito ſocio ad Miciacenſe monaſterium Maximini abbatis, tunc celebre, ſe recepit: ubi poſtquam in communi virtutum palæſtra recte ſe exercuiſſet, dimiſſa, non jam ſua ſponte, ſed Maximini abbatis ſui conſilio Miciacenſium ſocietate, cum Avito commilitone & populari ſuo in Perticenſem ſolitudinem ſeceſſit. Iſtic cella ab eis exſtructa: cui Avitus præfuit, diſtinguendus ab altero Avito abbate Miciacenſi ejus æquali, ſed Aurelianis orto, non Arvernis, qui regi Chlodomiro adverſus Godomarum [c] Burgundionum regem arma paranti, atque Sigiſmundum ejus fratrem, quem ſuperiori bello cum uxore & filiis captum in cuſtodia detinebat, necare volenti, prædixiſſe fertur: Si habito Dei reſpectu, conſilium de interficiendis iſtis captivis mutaveris, eorumque vitæ peperceris, Deus tibi aderit, certumque de Burgundionibus victoriam obtinebis. Si vero eos occidere ſuſtinueris, tu ipſe in manus inimicorum traditus, eadem conditione interibis, idemque tibi eveniet, quod Sigiſmundo & conjugi ac liberis ejus feceris. At ille ſtultum & inſanum eſſe reputans, ut inimicis domi relictis, contra reliquos progrederetur, ne ab utriſque hinc inde circumveniretur; deſpecto Aviti conſilio, Sigiſmundum cum uxore & liberis in puteum præcipitari juſſit, atque in Burgundiones cum Theoderico fratre progreſſus, viri ſancti vaticinium expertus fuit, in acie ipſa interfectus anno regni ſui quarto-decimo, Chriſti viceſimo-quarto ſupra quingenteſimum. Ejus caput a corpore deſectum, ac conto defixum, per hoſtium caſtra circumlatum eſt. quod ita Francorum animos exaſperavit, ut Burgundiones victoria jam elatos, redintegrato magna mole prœlio, penitus oppreſſerint, ac provinciam, exſtincto Burgundionum regno, in ſuam redegerint poteſtatem. Avitus iſte Miciacenſis abbas obiit quarto-decimo kalendas Januarii, quo die in ſincero Adonis martyrologio laudatur ut *ſpiritu prophetiæ illuſtris*; Perticenſis vero quinto-decimo kalendas Julii in hæc verba: Aurelianis depoſitio ſancti Aviti preſbyteri & confeſſoris, qui, cum ſanctæ religionis fervore ſub patre Maximino in monaſterio floreret, tandem Deo tactus, eremum petiit: ubi aliquanto commoratus, etiam miraculis claruit, ac poſtea glorioſo fine in pace quievit. Hunc Perticenſem abbatem vocatum ait [d] Gregorius, additque ipſum apud Aurelianos humatum fuiſſe, ac ſuper ejus tumulum eccleſiam a fidelibus conſtructam, quæ hactenus perſtat. In loco ejus ſolitudinis virginum cœnobium hodie quoque viſitur, ab ejus * nomine appellatum in pago Carnutenſi. Nominis æquivocatio fecit, ut hi duo in unum Aviti commiſcerentur.

[*] S. Calais. [a] lib. 1. n. 81. [*] la Sioule. [b] Greg. de vit. Patr. c. 12.

Avitus ejus ſocius, alius ab Avito abbate Miciacenſi

[c] Greg. Tur. lib. 3. c. 6.

[d] id. de gl. Conf. c. 99. [*] S. Avi.

XLIV. Aninſulenſis monaſterii origo.

Carileſus ab Avito Perticenſi cum Daumero & Gallo digreſſus in pagum Cenomannenſem, conſedit in loco Caſa-Gajani appellato ad Aninſulam amnem, qui locus, rametſi amœnus, ab hominum tunc frequentia omnino ſecretus erat. Illic tamen viſebantur parietinæ vetuſti ædificii, quamdam operis dignitatem etiam tum retinentes. Ibidem eccleſia itidem ſuperſtes erat, a Turibio epiſcopo ſub titulo ſancti Petri conſtructa, ut in actis [e] Cenomannenſium epiſcoporum legimus, ubi Innocentius ejuſdem civitatis epiſcopus multas Carileſo ſuppetias contuliſſe perhibetur. Forte Childebertus rex in villa proxima, quæ Madvallis, id eſt Bonavallis, vocabulo ex Britannica & latina lingua compoſito, dicebatur, aliquando conſiſtens, inter venandum, bubalo deducente, ad Carileſi cellam progreſſus eſt. qui ſervi Dei ſanctitate permotus, prædium ipſi conceſſit, atque ad eum inviſendum Ultrogotham reginam excitavit. Miſſis qui reginæ deſiderium Carileſo intimarent, propoſita vicini fiſci integra donatione, ſi modo annueret; vir ſanctus reſpondit: preces Deo libenter pro ejus ſalute ſe oblaturum; ceterum rogare, ne ad monaſterium accedat. quippe infixum animo, ne unquam cuiquam mulieri huc pateret ingreſſus. Neque enim decet nos, inquit, qui de Chriſti cenſemur familia, vendere noſtrum mulieribus adſpectum, aut pro capeſſenda terrena poſſeſſiuncula inimico generis humani noſtram proſtituere animam. Mutaret ergo conſilium, & fiſci ſui partem, cui libuerit, attribueret. Quod etſi non ſine moleſtia accepit regina, a cœpto tamen deſtitit: atque ab eo tempore hæc conſuetudo in Aninſulenſi

[e] Analect. to. 3. p. 76. & ſeqq.

ANN. CHR. 537.

monaſterio inviolata perſeveravit ad Siviardum abbatem, qui hæc ſcripſit, & ſæculo octavo vivere deſiit. Eadem religio in multis aliis Galliæ cœnobiis diu ſervata eſt: cujus rei exemplum in Reomaënſi ſancti Johannis cœnobio jam vidimus, alia ſubinde in horum Annalium decurſu obſervaturi. quæ conſuetudo non ſolum de interioribus monachorum ædibus, ſed etiam de oratorio ſeu eccleſia interpretanda eſt; ut conſtat exemplo cujuſdam Gundæ, quæ ſexum mentita, cum rem exploratura ad ſancti viri tumulum acceſſiſſet, temeritatis meritas luit pœnas. quod factum ſuo tempore accidiſſe teſtatur Siviardus, qui libellum de miraculis vitæ ſubjecit. Poſteaquam in laborioſis vitæ monaſticæ officiis conſe-
» nuiſſet vir ſanctus, morte imminente, diſcipulis convocatis dixit: Filioli, adeſt mei finis
» irrevocabilis hora. ideoque peto, ut veſtri memores, memores quoque Chriſti, fi-
» dem rectam ipſi ſervetis, neque illam ulla adulterina labe corrumpatis. Sit in cor-
» dibus veſtris defixa cum vera caritate obedientia, ut poſſitis non modo æter-
« nas pœnas evitare, ſed repoſitas in cælo perpetuas & immarceſſibiles promereri
« coronas. His fere dictis, obiit ipſis kalendis Julii. Corpus ejus in ſuo ipſius monaſterio ſepultum fuit, poſtmodum ſæviente Nortmannorum tempeſtate tranſlatum in caſtrum Bleſenſe, ubi hactenus aſſervatur.

XLV. Tempus conditi Aninſulenſis monaſterii certo definire in promtu non eſt. Id factum conſtat eo tempore, quo Cenomanni Childeberto regi parebant: ac proinde poſt mortem Chlodomiri Burgundiæ regis, cui hæc provincia ex paterna hereditate ſortitione obvenerat. In actis Cenomannenſium [a] epiſcoporum variæ referuntur litteræ, tum Carileſi cœnobium ſuum Innocentio epiſcopo ſubjicientis, tum Childeberti hanc ſubjectionem approbantis: quarum litterarum priores datæ ſunt octavo idus Januarii, anno quarto-decimo Childeberti. Verum has litteras, etſi antiquiſſimas, utpote quæ ſæculis octavo & nono in litis contentione productæ ſunt, non immerito ſuſpectas reddunt nomina epiſcoporum ſubſcribentium, quorum nulli in indicibus Turonicæ provinciæ antiſtitum per id tempus reperiuntur; & cenſus illi, in prædictis litteris expreſſi in gratiam majoris eccleſiæ Cenomannenſis, qui numquam ab Aninſulenſibus perſoluti leguntur. Accedit, quod monaſterium illud ſemper liberum exſtitiſſe pronuntiatum eſt a Nicolao papa, apud quem prolixa de ejus ſubjectione controverſia tum recruduit, quæ antea, Caroli Magni & Ludovici auguſti principatu, agitata fuerat. Melioris notæ videtur in archivo Aninſulenſi diploma Childeberti regis pro dotatione ejuſdem monaſterii: aſt annus ejus quartus, qui in recentiori apographo legitur, ſine dubio mendoſus eſt: tum quia eo anno Childebertus minorennis erat, necdum conjugatus cum Ultrogottha regina, quæ prædictæ dotationi favit: tum quia necdum tunc Cenomanni Childeberto regi parebant, ſed Chlodomiro ejus germano, qui non ante annum Childeberti regis tertium-decimum, Chriſti quingenteſimum viceſimum-quartum necatus eſt. Forſan omiſſa eſt in apographo numerica nota x. ac pro xiv. ſcriptum iv. Hoc diplomate Childebertus Carileſo tradit Madvallem, ubi ſitum erat Aninſulenſe monaſterium, ejuſque fines circumſcribit. Idem princeps eumdem locum ſub ſuam tutelam ſuſcipit in aliis litteris, Daumero abbati inſcriptis: qui Daumerus Carileſi ex Perticenſi monaſterio ſocius, ejuſdemque in regimine Aninſulenſi ſucceſſor fuit. Eamdem gratiam Chilpericus anno regni ſui primo confirmat Gallo abbati, qui Carileſi *ſervus* in libro de vita ejus appellatur. In actis ſupra [b] laudatis Cenomannenſium epiſcoporum exhibetur precaria, Gallo abbati a Domnolo epiſcopo facta Chilperici anno quinto. Deinceps nullæ ejuſmodi litteræ inveniuntur ante precariam ab Hadoindo epiſcopo factam Sigranno abbati, cui ſucceſſit ſanctus Siviardus, is qui geſta ſancti Carileſi litteris mandavit. Ex his intelligimus, Carileſum vita ceſſiſſe ſub annum iſtius ſæculi quadrageſimum, eique ſucceſſiſſe Daumerum ante Chilperici regis annum primum, id eſt ejuſdem æræ ſexageſimum, quo Gallus Aninſulenſibus jam præerat. Hiatus eſt in abbatum catalogo inde ad Sigrannum. Ceterum mirabitur fortaſſe aliquis, cur Gregorius Turonum antiſtes nullam de Carileſo, qui in ſua provincia ante ſe floruerat, mentionem fecerit. at mirari deſinet, cum alios ejuſdem provinciæ haud minus illuſtres itidemque prætermiſſos advertet, ac ne nominatum quidem ab ipſo, licet Aninſulenſis monaſterii meminerit, ſancti Carileſi vocabulo cum adjuncto opido inſigniti, ejuſdemque reliquiis nobilitati uſque ad tempora Normannorum, quando ad caſtrum Bleſas delatæ ſunt.

[a] ibid p. 80. & ſeq.

[b] p. 104.

ANN. CHR. 537.

XLVI. Alii ſancti monachi Cenomannenſes.

Eodem tempore, & quidem pontificatu prædicti Innocentii epiſcopi, multi alii monachi ſanctitate præditi in eumdem pagum acceſſerunt, in eoque monaſteria condiderunt, annuente atque ſuffragante Innocentio; in primis Almirus, Ulfacius, Bommirus, & Conſtantianus: quibus accenſendus etiam Leonardus abbas & auctor cœnobii Vendoperenſis, diſtinguendus a ſancto Leonardo Lemovicenſi, auctore cœnobii Nobiliacenſis, quod nunc ſancti Leonardi vocatur, eſtque collegium canonicorum ſæcularium; diſtinguendus item a ſancto Leonardo abbate Cellenſi diœceſis Bituricenſis, qui eodem ſæculo floruere. Ex his manifeſtum eſt, Innocentem ſeu Innocentium Cenomannenſem epiſcopum inſtituti monaſtici maxime fautorem fuiſſe; nec proinde mirum eſſe, quod beatum Maurum e Caſino in pagum Cenomannenſem accerſierit, ut in ſubſequentibus videbimus. De ſancto Conſtantiano, nihil certum afferri poteſt, quippe cujus geſta cum actis ſancti Alnei confunduntur. Ejus reliquiæ in Britulienſi diœceſis Bellovacenſis monaſterio aſſervantur.

XLVII. S. Leobini vitæ compendium.

Per idem tempus Albinus Andecavenſis epiſcopus, & Leobinus tum abbas Brajacenſis, is qui poſtea Carnutenſi eccleſiæ præfuit, ad Cæſarium epiſcopum, ſanctitate & doctrina tum celebrem, cujus ſuperius meminimus, Arelate adierunt. Leobinus *, in Pictavorum urbe infimo loco natus, tantum litterarum ſtudium & amorem a teneris præ ſe tulit, ut boves paſcendo, & terram excolendo, eas didicerit, Noidgelenſi monacho in primis præceptore. Deinde in quodam monaſterio (ſic habet ejus vitæ ſcriptor) ſuſceptus, reſectis capillis monachum induit. Tum cellarium ei creditum cum cura horarum temperandarum. His interdiu occupatus officiis, cum nullum fere ad lectionem tempus ſupereſſet; ceteris ſomno indulgentibus, ipſe pernox ſacris lectionibus dabat operam. Verum hanc lectionis aſſiduitatem ob luminis, quo utebatur, ingeſtum dormientibus ſplendorem, fratribus oneroſam animadvertens, feneſtræ, quæ oculis eorum patebat, velum oppoſuit, ut lumen eis redderet ſubobſcurum. Sub hæc incidit ei cogitatio adeundi beatum Avitum, in Perticenſi, ita ut diximus, ſolitudine degentem. Hoc cognito, Nileffus illuſtris diaconus: Novi, inquit, frater, te majora moliri animo; ſed de tribus « monitum te velim. Unum, ut nulli epiſcoporum te obſequiis obliges, quia inter « malos bonus, multos invenies detractores. Alterum, ut ne curam ullius eccleſiæ « ſuſcipias, ne inter diverſos mores aut monachi rigorem perdas; aut, ſi blandi- « mentis non conſenſeris, detrahentes ferre non poſſis. Tertium, ne te exiguo ſo- « cies monaſterio: quia dum ſinguli ſingulos præponere ſibi cupiunt, nulli obedien- « tia impenditur. Leobinus nihilo minus, poſt annos octo in ſuo monaſterio exactos, inviſit ſanctum Avitum. qui ei ſuaſit, ut poſt eruditionem, quam in congregatione monachorum percipere volebat, ad ſe reverteretur. Inde recedens cum quodam ſui monaſterii diacono, monitorum memor, dimiſſa, quæ ſibi offerebantur, quadam cella ad Ligerim, Lirinum adire parat. Sed a quodam Lirinenſi monacho, quem forte in itinere offendit, propoſita inſulæ intemperie revocatus, ab Hilaro Gabalitano antiſtite ſuſceptus fuit. Loci incommodum cauſante ſocio, ad Inſulæ-Barbaræ monaſterium ambo ſe conferunt, beati Lupi fama & ſanctitate allecti. Non multo poſt vago & inconſtanti fratri ſuum rediit ingenium: at diſcedere volentem nil moratus Leobinus, quinquennio ibidem converſatur. Interea dum Franci cum Burgundionibus atrocia gererent bella, monachis ob Francorum metum huc illucque diffugientibus, ſolus cum altero ſene in cœnobio intrepidus manſit. Irruentibus in locum Francis, ad prodendas monachorum, quas extorquere volebant, reconditas reculas, nec minis, nec tormentis adduci potuit. Inde tandem cum duobus fratribus, Eufronio & Ruſtico, digreſſus, ad ſanctum Avitum reverſus, cellarii officium apud eum exercuit. Poſt ejus mortem cum prædictis ſociis in locum Carbonariam dictum ſeceſſit, ibique una in ſingulis cellulis per quinquennium conſederunt, parciſſimo cibo & aquæ poculo ſe ſe reficientes. Tantæ ejus virtutes Ætherium Carnutenſem epiſcopum induxerunt, ut eum diaconum ordinaret, ac Brajacenſi * monaſterio præficeret, cui præfecturæ presbyteri gradum opportunum eſſe judicavit.

* S. Lubin.

* de Bron.

Non multo poſt tempore ab eodem pontifice ei injunctum eſt, ut ad ſanctum Cæſarium Arelatenſem epiſcopum ſe conferret, de rebus ad ſuum profectum pertinentibus eum conſulturus. Forte beatus Albinus, tunc Andecavenſis antiſtes,

ANN. CHR. 537.

eadem de cauſa idem iter aggreſſus fuerat, maxime ut de inceſtis nuptiis Cæſarii ſententiam exploraret. Sciſcitanti cur ambo tantum iter ſuſcepiſſent, reſpondit Leobinus, ſe quidem non aliam ob cauſam, quam ut, dimiſſo monaſterii ſui regimine, apud Lirinum privatus degeret, aliiſque ſubjectus. Conſilium improbavit Cæſarius, juſſitque ut quantocius ad ſuos reverteretur, ne eo abſente vim regulæ frangerent, & quaſi oves ſine paſtore in direptionem venirent. quod ſi contigiſſet, tuæ, inquit, reputabitur culpæ, & omnis eorum iniquitas in tuum redundabit caput. Regreſſus eſt itaque Leobinus: ſed paullo poſt mortuo Ætherio, in ejus locum ſubrogatur, Childeberti regis præmiſſo, ut tunc mos ferebat, decreto de ejus electione. In epiſcopatu monaſtici propoſiti rigorem indeficienter ſervavit, ſine pompa monachum ſe, ut antea, demonſtrare perſeverans. Obiit poſt annos regiminis duodecim, ſi qua Carnutenſis eccleſiæ tabulis fides, ſepultus in ſuburbana ſancti Martini ad vallem baſilica. Corpus a Calviniſtis in favillas redactum præter caput, quod in Majori-monaſterio aſſervatur. Brajacenſe monaſterium nunc redactum eſt in ſimplicem, ut vocant, prioratum, ſub titulo ſancti Romani martyris: qui prioratus abbatiæ ſancti Petri in valle Carnutenſi ſubeſt: cui adjunctum eſt opidulum Brajacum *, caput decanatus cognominis. Leobini annus obitus colligitur ex actis concilii Pariſienſis tertii, anno ejus ſæculi quinquageſimo-ſeptimo celebrati, cui Caletricus ejus ſucceſſor ſubſcripſit, cum ipſe antea Aurelianenſi quinto & Pariſienſi ſecundo interfuiſſet. Cetera ex ejus actis, certe non improbandis, repetere licet.

* Bray.

XLVIII. Albini res geſtæ.

Albini mox laudati vitam in litteras retulit Fortunatus tum preſbyter, dein epiſcopus Pictavenſis, ſuumque hac de re libellum Domitiano, Albini poſt Eutropium in ſede Andecavenſi ſucceſſori, nuncupavit. Albinus in pago Venetenſi apud Aremoricos *non exiguis parentibus* ortus, decus ex genere acceptum vix adoleſcens Deo conſecravit in monaſterio Tincillacenſi, & quidem eo fere tempore, quo ſanctus pater Benedictus ſæculo nuntium remiſit. Ab ipſo vitæ religioſæ tirocinio jejuniis, vigiliis, orationi, ceteriſque virtutibus ſic deditus erat, ut jam tum ſenibus eſſet exemplo. Ita vero ſenſus ſuos in monaſterio compoſuit, ut, ſi quando in publicum procedere cogeretur, non aliud extra ſe ſpectandum curaret, Chriſtum ſemper præ mentis oculis & in corde habens. Cum eſſet annorum circiter triginta-quinque, monaſterii rector & abbas eligitur. quo in munere per viginti & quinque regiminis annos ita diſciplinæ cenſuram tenuit, ut ſub eo peccandi licentia periiſſe videretur; cum ad eradicanda vitia ſollicitus, tum inſerendis virtutibus, doniſque cæleſtibus intentus.

XLIX. Tincillacenſe monaſterium.

Quodnam fuerit illud Tincillacenſe, aliis Cincillacenſe, monaſterium, quove in epiſcopatu ſitum, nullus hactenus definire potuit. Ut Andecavenſi illud attribuamus, ſuadet Albini electio in epiſcopum Andecavenſem, tametſi ex Venetenſi, ob virtutum ſplendorem, facile accerſiri potuit. Verum id majoris momenti, quod Fortunatus, ex Pictavorum urbe Andecavos profecturus, adiit cœnobium Tincillacenſe, uti ipſe teſtatur ª in carmine de itinere ſuo ad Radegundem & Agnetem abbatiſſas Pictavenſes, quas ſic alloquitur.

ª Fortunat. lib. XI. c. 24.

Nam me digreſſum a vobis Eomundus amator
Illa ſuſcepit, qua bonitate ſolet.
Hinc citus excurrens, Cariaca devehor aula:
Tincillacenſi perferor inde loco.
Hinc ſacer antiſtes rapuit me Domitianus,
Ad ſancti Albini gaudia feſta trahens.

Ita hos verſus reſtitui ex optimæ notæ codice Corbeienſi, ante annos octingentos exarato: cum apud Browerum legeretur diſtinctis verbis, *eo mundus*; & mox, *Tuno Illacenſi*: quamquam hoc poſterius jam reſtituerant ſocii Bollandiani. Ceterum tam ex iſtius codicis lectione, quam ex variis vitæ ſancti Albini codicibus, non dubito quin legendum ſit *Tincillacenſe*, non *Cincillacenſe*: quod monaſterium ut Andecavenſi potius quam Venetenſi pago, ex quo Albinus oriundus erat, tribuamus, ſuadet prædictum Fortunati ex urbe Pictavorum iter in urbem Andecavorum. Quippe digreſſus ab Eomundi hoſpitio, mox venit ad Cariacam aulam, forte *Carieres*

prope

ANN. CHR. 537.

ptope Toarcis-caſtrum *; inde in Tincillacenſe monaſterium, hinc raptus a Domiciano epiſcopo in urbem Andecavorum; atque adeo tribus aut quatuor diebus hoc totut.. confecit iter: quod longe prolixius futurum fuiſſet, ſi ex Pictavorum urbe Andecavos per Namnetenſem & Venetenſem pagum acceſſiſſet.

* *Touars.*

L. Albini epiſcopatus.

Adelphio Andecavorum antiſtite mortuo, in Albinum eligentium ſuffragia convenerunt. Pontificis meritum ſubſecuta miracula comprobarunt. In his, cæco lumen dicitur reſtituiſſe, ***cum Aſiacum monaſterium paterna ſollicitudine viſitaret;*** uti & Genomero monacho Tincillacenſi. Aſiacum duplex invenio, ac utrique adjunctum prioratum, unum Cormeriacenſi, alterum Nucarienſi monaſterio ſubjectum, ſed apud Turones, non apud Andecavos, ad quos prædictum Aſiacum pertinebat. Fuerit ergo prioratus ille, *Aſé* vulgo appellatus, diœceſis Andecavenſis. Jam vero cum in conciliis Arvernenſi [a] anni triceſimi-quinti, atque poſt triennium in Aurelianenſi [b] tertio, cui Albinus ſubſcripſit, inceſtæ nuptiæ penitus damnatæ fuiſſent, injunctumque epiſcopis ut examinarent in ſuo quiſque territorio, id eſt diœceſi, ignorantia an contumacia perpetratæ fuiſſent, diris in eos qui a ſe ſe ſeparari nollent intentatis: cum, inquam, exſequendis hiſce decretis Albinus ſtrenue navaret operam, ***inceſtarum nuptiarum***, ait Fortunatus, ***exſecrabilis copulationis jura condemnans:*** demum quorumdam epiſcoporum ***vi coactus eſt, ut excommunicatas a ſe perſonas abſolveret.*** Id in quodam concilio in cujuſdam præpotentis perſonæ gratiam factum innuit idem auctor. nam cum Albinus rogaretur, ut eulogias, quas reliqui « antiſtites, ad perſonam communione ſuſpenſam directuri, benedixerant, & ipſe ſi- « gnaret in ſignum redditæ communionis, ait ad ſacerdotale concilium: Etſi ad im- « perium veſtrum ego ſignare compellor, dum vos Dei cauſam recuſatis defendere, « ipſe potens eſt vindicare. Et quidem, antequam eulogias ejus excommunicata per- « ſona ſuſciperet, exſpiravit. « Scrupulum ſancto antiſtiti movit hoc factum, de quo mox Cæſarium Arelatenſem epiſcopum conſulturus Arelate cum Leobino, ut mox dicebam, adiit. Quid reſponſi retulerit, non declarat Fortunatus, neque etiam Leobini vitæ ſcriptor: tametſi uterque iſtius itineris meminit. Id vero accidit non multo poſt concilium tertium Aurelianenſe: ſiquidem Cæſarius vix quadriennium ſupervixit. Forte huc revocandus conventus epiſcoporum apud Andecavos, in vita ſancti Melanii [c] Redonenſis epiſcopi memoratus, qui Melanius Albino, aliiſque epiſcopis eulogias in fine ſynodi dediſſe perhibetur. Similem ob cauſam habita fuit per ea tempora ſynodus Tullenſis, cujus memoriam nobis ſervavit epiſtola Mappinii epiſcopi Remenſis ad Nicetium Trevirenſem, qui pariter ob damnatas ejuſmodi nuptias exagitatus fuerat. Hæc de ſancto Albino fuſius perſequi a noſtro inſtituto non videtur alienum: tum quia is eſt, qui ſanctum Maurum in Andecavenſem pagum admiſit: tum quia inſigni apud Andecavos monaſterio, ſancti Albini nomine & reliquiis ornato, occaſionem præbuit, ut inferius exponemus.

a *Conc. Arvern. c.* 11.
b *Aurel.* 3. *c.* 10.
c *Conc. to.* 4. *col.* 1828.

LI. S. Paternus epiſcopus Abrincatenſis.

Leobini æqualis & concivis fuit Paternus * epiſcopus Abrincatenſis, cujus geſta itidem Fortunatus ad poſteros tranſmiſit rogatu Marciani abbatis, haud dubie Enſionenſis. Hoc monaſterium, quod alii Eneſſionenſe, alii Anſionenſe vocant, jam ſtabat ante ſæculum ſextum; ſed quo auctore, quove tempore cœperit, nobis latet. Sunt qui ejus originem tribuunt ſancto Jovino, cujus nomine poſtea inſignitum fuit, uti & reliquiis decoratum. Hunc Maximini Trevirorum epiſcopi germanum fratrem dicunt recentiores, uti & Maxentium Pictavenſem. tametſi in actis beati Maximini a Lupo abbate editis, ſolus Maxentius Maximino frater adſcribitur. Situm eſt monaſterium prope Marnas, vicum pagi Mirabellenſis, prope Toarcium * opidum, inter duos amnes, Thoedam * & Divam, qui in Ligerim devolvuntur. Principio duplex iſtic erat cœnobium: unum [d] in vertice montis ſub titulo ſancti Johannis-Baptiſtæ; alterum ſancti Petri verſus orientem. Præter has majores baſilicas aliæ duæ minores erant, nempe ſancti Johannis Evangeliſtæ ad auſtrum, & ſancti Chriſtophori martyris, ubi primitus ſancti Jovini corpus humo conditum fuit. Hæc penitus jam dudum everſa eſt, ac pæne etiam jacet ſancti Petri baſilica, ſuperſtite una ſancti Johannis Evangeliſtæ eccleſia poſt varias clades & everſiones, cum monaſterio, quod modo ſancti Jovini * de Marnis a vicino Marnarum vico appellatur. Nullum ejus loci abbatem invenimus ante Leonegiſilum, a quo Generoſus ejus poſtea ſucceſſor, monaſticum habitum ſuſcepit. Hic eſt Generoſus abbas, qui Paternum in Enſionenſe monaſterium admiſit, vixdum adoleſcentem, Pictavis ortum, & a

* *S. Pativ.*
* *Touars.*
* *le Toué & la Dive.*
d *Act. ſæc.* 1. *Bened. p.* 618. *&c.*
* *S. Jovin de Marnes.*

ANN. CHR. 537.

Scubilio ejus ſocius.

Julitta matre nobili piiſſime educatum. Is a primis vitæ monaſticæ rudimentis cellario præpoſitus, in ipſo primo gradu dedit indicium futuræ dignitatis. Parentum viciniam & conſuetudinem ægre ferens, cum Scubilione *ejuſdem cellulæ*, id eſt cœnobii, monacho in Conſtantinum Neuſtriæ pagum ſe recepit, uno ſecum delato pſalterio. Necdum pallium monaſticum gerebat Paternus, quod forte nonniſi provectioribus ætate ac virtute monachis concedebatur. Scubilio vero jam emeritus, cum illud geſtaret, *ad fratrem ſuum ſibi coæquandum ſuum dimiſit pallium.* Sic apud Græcos monachi diſtinguuntur in ordines tres, novitios, perfectos ſeu profeſſos, & perfectiores, qui ſuis quique diſtincti veſtibus. Novitiorum eſt tunica, cingulum & pileus: perfectorum pallium: perfectiorum cucullа. Atqui tamen Paternus jam tum votis adſtrictus erat, tametſi necdum geſtabat pallium, quo nomine neſcio an cuculla deſignetur a Fortunato. Cum vero ambo in quamdam inſulam, majoris ſolitudinis cauſa, vellent ſecedere; vir quidam religioſus, Amabilis nomine, eis auctor fuit, ut apud Seſciacum conſiſterent ad expurgandum fanum, ubi profanæ ſuperſtitionis ſacra exſecranda etiam tum incolæ frequentabant. Hinc antrum montis proximi ad habitandum eligunt, ut ad fanum adventantes a nefario cultu compeſcerent. Res pro votis ſucceſſit, non ſine fremitu & repugnantia hominum inſanis ritibus addictorum.

LII. Alii diſcipuli.

Paterno & Scubilioni adjuncti ſunt nonnulli diſcipuli, quorum primus fuit Witherius. Paterni ſupra ceteros rigidior vitæ ratio erat. Huic pro cibario nihil aliud præter panem & aquam, atque olera ſale condita. Lectulus nullus, nulla lectaria: ſola ei veſtis cum cilicio per noctem, ſicuti per diem. Conſpectum virorum, nedum feminarum, penitus reſpuebat. Id genus vitæ auſterioris, *quod ſupra propoſitum regulæ erat*, Generoſus abbas, poſt triennium ad requirendos diſcipulos, bene pro Chriſto fugitivos, iſtuc fama vulgante profectus, temperari juſſit, dato mandato, ut *cellulas, quas ipſe conſtruxerat*, id eſt monaſteria, *in carro* certis vicibus viſitaret. forte quod præ debilitate virium equo incedere non poſſet. nam monachos, quantumvis ſeveriores, equis non raro, ubi foras progredi cogebantur, uſos fuiſſe, multis exemplis probare in promtu eſt. Non tulit Leontianus Conſtantienſis antiſtes, ut Paternus ad priſtinum monaſterium reverteretur. atque ut eum ſuæ diœceſi ſtrictius obligaret, diaconum, ac mox preſbyterum ordinavit. Unum Scubilionem extorquere potuit Generoſus, quem etiam poſtmodum ad Paternum redire permiſit. Ex illa demum ſpelunca, veluti ex quodam alveario, probatiſſimorum examina monachorum prodierunt, per circumpoſitas diſperſa civitates, Bajocas, Cenomannos, Abrincas, & Redones Aremoricæ urbem: quibus in locis monaſteria, Paterno auctore, accreverunt.

LIII. Paternus abbas.

a *Fortun. lib. 3. c. 20. & lib. 7. c. 23.*

Nonnullis videtur is eſſe Paternus abbas, ad quem exſtant verſus [a] Venantii Fortunati. quod facile concederem, niſi temporis ratio repugnaret. At Paternus longe ante deſiit eſſe abbas, quam ex Italia in Galliam accederet Fortunatus, qui nec eum viventem in Gallia epiſcopum videre potuit, mortuo quippe Paterno biennio ante Fortunati in Galliam adventum. Jam ſeptuagenarius raptus eſt ad ſedem Abrincatenſem in locum Ægidii, qui anno ejus ſæculi unde-quinquageſimo ſubſcripſit concilio quinto Aurelianenſi, obiitque poſt tres admodum annos. Mirum eſt, Scubilionem, qui Paterno tantopere addictus erat, eidem epiſcopo non adhæſiſſe, adeo ut ſolitudinem ſuam tam ſanctæ atque amicæ conſuetudini præferret. Annum in epiſcopatu tertium-decimum agebat Paternus, cum ecce altera die paſchæ, fratres Seſciacenſes viſitare cupiens, in morbum incidit, eodemque tempore Scubilio in cœnobio Maudanenſi. Nuntios ad ſe invicem ſimul dirigunt, ut priuſquam e ſæculo diſcederent, mutua præſentia fruerentur. Ibat Scubilio a Paterni nuntio admonitus: ſed, *brachio maris oppoſito*, non potuit nocturno tempore transfretare. Interim cum viri ſancti a ſe ſe trium millium ſpatio diſtarent, eadem nocte ambo pias animas emiſerunt ad Chriſtum [b] anno ejuſdem æræ ſexageſimo-quinto. Eodem etiam tempore Lauto Conſtantienſis epiſcopus, qui morienti Scubilioni adfuit, & Laſcivus, ut videtur, Bajocenſis, hic Paterni, ille Scubilionis exſequias curarunt, & utrumque apud Seſciacum ſepulturæ mandarunt. Sic uno eodemque momento mortuis, eodem etiam ſuprema funeris perſoluta. Viſuntur hodie quoque amborum cenotaphia in vico ſancti Paterni * diœceſis Conſtantienſis, haud procul a Grandi-villa opido ad oram Oceani, ubi ſitum fuiſſe videtur monaſterium Seſciacenſe, jam du-

b *Acta ſæc. 1. Bened. p. 353.*

* *S. Pair.*

Digitized by Google

ANN. CHR 537.

dum penitus exciſum. Locum poſſidet abbatia ſancti Michaëlis in monte Tumba ex dono Richardi ſecundi ducis Nortmannorum. Iſtic anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto ſupra milleſimum ſancti Gaudi epiſcopi Ebroïcenſis corpus inventum eſt. De Maudanenſi monaſterio non improbanda eſt conjectura Arturi in Neuſtria pia, id eſſe Maduinenſe, diœceſis itidem Conſtantienſis, cujus loci abbas fuit ſæculo nono ſanctus Odobertus. Tantum de Paterno & Scubilione, qui ambo faſtis ſacris adſcripti ſunt ad diem Aprilis ſextum-decimum. Generoſus abbas, is qui utrumque in monaſterium Enſionenſe admiſit, ibidem colitur decima die Julii, itidemque in vicino prioratu, ab ejus nomine appellato.

LIV. Concilium Vaſenſe de ſcholis.

* de Vaiſon.

Per decem annos, quibus hic liber continetur, primum in conciliis occurrit Vaſenſe * ſecundum, Decio juniore conſule, id eſt anno ejus ſæculi undetriceſimo, habitum, præſide Cæſario epiſcopo Arelatenſi. Concilii canon primus nos docet, magnam tunc temporis fuiſſe ſcholarum penuriam, nec in majoribus paſſim eccleſiis hoc inſtitutum viguiſſe: quandoquidem patres jubent, ut omnes preſbyteri, qui ſunt in parochiis conſtituti, ſecundum conſuetudinem, quam per totam Italiam ſalubriter teneri cognoverant, juniores lectores, quantoſcumqne ſine uxore habuerint, ſecum in domo ſua recipiant, quos, ut boni patres, ſpiritaliter inſtituant in pſalmis, lectionibus divinis & in lege Domini, ut ſibi dignos ſucceſſores provideant. Non mirum itaque ſi in monaſteriis, ubi ejuſmodi vigebat inſtitutio, externi etiam nonnumquam alerentur. qualis fuit ille Meroveus, Chilperici regis filius, qui a patre tonderi juſſus, in monaſterium Aninſulenſe miſſus fuit, ut ibi eccleſiaſticis regulis informaretur. In ſecundo canone præcipitur, ut preſbyteri, quibus eo in concilio per omnes parochias verbum Dei prædicandi facultas datur, ſi per ſe ſe id exſequi non valeant, ſaltem ipſi curent, ut ſanctorum Patrum homiliæ a diaconis recitentur. *Si* enim *verba* [a] *Domini, & prophetarum, ſive apoſtolorum a presbyteris & diaconibus recitantur: Ambroſii, Auguſtini, ſeu & parvitatis meæ*, inquit Cæſarius, *aut quorumcumque ſanctorum a presbyteris & diaconibus quare non recitentur?* Ita Cæſarius, qui huic concilio interfuit, & homilias ſuas, cum ipſe non poſſet, per preſbyteros & diaconos prædicari curabat. Quin etiam novas quandoque homilias ab aliis in ejuſmodi uſum condi curabant epiſcopi, quales ſunt homiliæ [b] Abbonis ſæculo nono monachi ſancti Germani apud Pariſios, quem Froterius Pictavenſis & Fulradus Pariſiacenſis compulere ad cudendas id genus homilias *ad utilitatem ſimplicium clericorum*, qui eis ad prædicandum populo uterentur.

a Cæſarii vita lib. 1. n. 31. lege Præfat. in to. 5. S. Auguſtini.

b Spicil. to. 9. p. 72. &c.

LV. Toletanum II. de pueris clericis.

Concilium Toletanum ſecnndum, habitum anno quinto Amalarici regis, id eſt biennio poſt Vaſenſe, de pueris rem definit, eccleſiaſticis regulis magis accommodatam: nempe ut hi, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio mancipari, mox ut detonſi, ac miniſterio eccleſiaſtico contraditi fuerint, in domo eccleſiæ, ſub epiſcopali præſentia, a præpoſito ſibi erudirentur ad decimum-octavum ætatis annum, quo ſacultatem haberent vel cælibatum, vel conjugium eligendi.

LVI. Aurelianenſe II. de epiſtolis.

Unum obſervo in concilii Aurelianenſis ſecundi canone tertio-decimo, ut abbates, martyrarii, recluſi, vel presbyteſi *apoſtolia* dare non præſumant. ubi *epiſtolia* legendum eſſe monet vir claræ memoriæ Carolus Cangius, idque probat ex canone ſexto concilii ſecundi Turonenſis ,, quo ſtatuitur, ut nullus clericorum vel levitarum *epiſtolia* facere præſumat. quod de litteris pacificis ſeu communicatoriis intelligendum eſt, quæ foras profecturis in ſignum communionis dabantur ab epiſcopis.

ANN CHR. 538.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUARTUS.

Ab anno Chriſti 538. ad annum 542.

I. Belli Gotthici cauſa & effectus.

JAM toti Italiæ ſuprema clades ex Gotthico bello imminere videbatur, jam omnia tumultu & armorum ſtrepitu permiſcebantur, jam denique graviſſima fames Campaniæ, immo univerſæ pæne Italiæ incumbebat: cum Benedictus, malorum omnium aut teſtis, aut præſcius, cum præſentibus remedium aliquod afferre conabatur, tum ex futurorum prænotione ſe ſuoſque, immo & hoſtes ipſos ad recta conſilia flectebat, aut animabat. Et quia hæc omnia ex bello Gotthico, tamquam ex fonte orta ſunt, paucis ejus originem ac progreſſum juvat exponere. Poſtquam Odoacer rex Herulorum, atque Italiæ invaſor, pulſo qui eum auxilio acciverat Auguſtulo imperatore occidentis, rex Italiæ acclamatus fuerat; atque ipſe a Theodorico Oſtrogotthorum rege Italiæ regno & vita ſpoliatus fuerat; Italia ipſa in ſumma rerum tranquillitate ſub Theodorico per annos fere triginta-tres verſata eſt. Verum, cum eo exſtincto Amalaſuenta filia, ob immaturam Athalarici filii ſui ætatem, omnia pro arbitrio ſuo regeret; in odium tandem Gotthorum incurrit, & Athalarico filio impubere mortuo Theodahatum ſuffecit, cum eo, ut ipſa ſub illo, non ſecus ac ſub filio ſuo, regnaret. Conditionem accepit, ſed non diu ſervavit Theodahatus: immo Amalaſuentam, de fuga ſua in Græciam cogitantem, in inſulam conjecit lacus in Tuſcia Vulſinienſis, eamque paullo poſt impie necari juſſit. Hoc comperto, Juſtinianus auguſtus Amalaſuentæ necem armis perſequi maturavit, & Francorum reges ad affinis ſuæ mortem communibus armis vindicandam perpulit. Hinc Mundus in Dalmatiam, Beliſarius in Siciliam miſſi, initium dederunt internecino illi bello, quod Juſtiniani imperii anno nono, Chriſti Domini quingenteſimo triceſimo-quinto cœptum, Gotthicæ in Italia dominationi finem poſt annos ſeptemdecim impoſuit, atque maximarum ibidem calamitatum cauſa fuit. Theodahato, primam belli molem ſegniter ſuſtinenti, Vitiges a Gotthis altero incœpti belli anno ſuffectus, poſt triennium a Beliſario in obſidione Ravennæ captus, locum fecit Hildobaldo, moxque Hildobaldus Ararico: quem a Gotthis ipſis cæſum excepit Totilas anno Gotthici belli ſeptimo deſinente. Eo demum, cum regni annum undecimum ageret, victo, & per Narſetem interfecto, Teias a Gotthis ſubrogatur, ſub quo Gotthorum in Italia regnum penitus exciſum eſt anno ejus ſæculi quinquageſimo-ſecundo. Sic Juſtinianus in regnum Italiæ reſtitutus poſtliminio eſt, idque retinuit Juſtinus ejus

ſucceſſor uſque ad Langobardorum invaſionem, de qua in conſequentibus agendum. ANN. CHR. 538.

II. Famis tempore quid S. Benedictus egerit.

Anno ejuſdem belli quarto tanta frugum inopia Italiam afflixit, ut alii panem e glandibus commolitis confectum eſitarent, unde magna eiſdem pernicies contigit; alii ſe ipſi conficerent, alii denique alios interfectos abſumerent; nec defuerint matres, quæ, famis impotentes, rabiem ejus in proprios liberos exercuerint. Huc referendum id quod de ſancto patre Benedicto ſcribit[a] Gregorius, nempe cum fames Campaniæ, in qua ſitum fuiſſe Caſinum diximus; incolas ad ſummam egeſtatem adduxiſſet, jamque tritico in Benedicti monaſterio deficiente, panes omnes ad quinque conſumti eſſent; fratres inopiæ metu perculſos ac contriſtatos fuiſſe, eorumque timiditatem *modeſta increpatione* beatum Patrem correxiſſe, ac certa divinarum promiſſionum fiducia relevaſſe. Cur de panis, inquiens, inopia » animi veſtri triſtitia dejecti ſunt? Hodie quidem minus eſt, ſed craſtina die abunde habebitis. « Et quidem ſequenti die ducenti farinæ modii ante fores *cellæ* ſeu monaſterii inventi ſunt: ſed per quos, Deo providente, iſtuc delati fuerint; hactenus fuit incompertum. Hoc miraculo recreati fratres, Deo gratias ex animo retulerunt, didiceruntque jam de abundantia, nec in egeſtate ipſa, dubitare; dum juſtitiam Dei ejuſque regnum, ut par eſt, præ omnibus quærerent. Sic exhauſta fuit aliquando Benedicti ſubſtantia, fides numquam.

a Greg. lib. 2. Dial. c. 21.

Eodem tempore alia duo acciderunt, quæ idem Gregorius[b] etſi ex ordine non commemorat, continenter tamen facta fuiſſe ſatis declarat. Nimirum cum hæc alimentorum inopia Campaniam affligeret, quidam ſubdiaconus, Agapitus nomine, magnopere ab ipſo poſtulavit, ut ſibi nonnihil olei daret. Mox vir Dei, qui nihil ſibi reliqui in terra volebat reſervare, ut omnia cum fenore in cælo recuperaret; quidquid olei in exiguo vaſculo ſupererat, petenti dari juſſit. Res dictu parva: ſed quam inopia fecerat argumentum ingens caritatis. Verum, quemadmodum œconomis non raro contingit meticuloſos eſſe, & humanæ plus induſtriæ, quam divinæ miſericordiæ confidentes; monachus, qui cellarii curam habebat, jubentis quidem verba excepit, ſed ea exſequi diſſimulavit. Poſtea vero inquirenti an id dediſſet, rem ut erat faſſus eſt; aïens, ſi iſtud tradidiſſet, nihil omnino fratribus ſuperfuturum. Tunc vir Dei indignatus, aliis præcepit, ut hoc ipſum vas vitreum cum oleo per feneſtram abjicerent, ne in *cella*, id eſt in monaſterio, aliquid per inobedientiam remaneret. Nec mora id factum. At cum præcipitium ingens ſub ipſa feneſtra ſaxorum mole exceptum pateret; vas quidem vitreum in ſaxa decidit, ſed omnino illæſum, atque integrum cum oleo reſtitit. Benedictus vero ſtatim id ad ſe referri, atque, ut erat integrum, petenti tribui præcepit. Sub hæc ne ad commonendos fratres tam præclaræ occaſioni deeſſet, convocatis omnibus inobedientem monachum coram increpuit, & contumaciam ei ſuam atque infidelitatem exprobravit. Continuo cum fratribus ſe ad orandum proſtravit, ipſo in loco, ubi dolium oleo vacuum erat. Cumque vir ſanctus orationi inſiſteret, tanta olei copia dolium implevit, ut ejus operimentum oleo excreſcente efferretur, oleumque ipſum redundaret in pavimentum. Tunc diffidentem inobedientemque fratrem pluribus admonuit, ut fidem habere diſceret, atque humilitatem. Is vero ſalubriter inde pudefactus, & cum eo fratres omnes experimento didicerunt, nequaquam divinæ providentiæ diffidendum, nec magiſtri ſui juſſionibus repugnandum, quando tanto cum fenore caritati ejus Deus vicem rependiſſet. Eadem caritas fecit, ut pro duodecim denariis, quos a paupere debitore durus quidam exactor repetebat, tredecim divinitus, cum in monaſterio nulli eſſent, Benedictus obtineret, atque debitori ad perſolvendum debitum erogaret, ut Gregorius[c] a Peregrino monacho reſcivit. Sic fide ſua vir ſanctus, quaſi communis quidam fons, & dantibus, & accipientibus profluebat.

b id. c. 28. & 29.

c Greg. lib. 2. Dial. c. 27.

III. Caſſiodori ſeceſſus Schyllacium, Romani in Gallias.

Inter has Italiæ ærumnas, cum plurimi alio ſalutem quærerent, Caſſiodorus, ex conſule & præfecto-prætorio, poſt adminiſtratam ſub Athalarico, Theodato & Vitige Gotthorum regibus rempublicam, nuntium ſæculo remiſit, condito apud Schyllacium Calabriæ urbem Vivarienſi monaſterio, uti fuſius infra dicturi ſumus. Romanus vero monachus, is qui Benedictum principio in ſpecu Sublacenſi aluerat, in Galliam acceſſiſſe, atque apud Fontem-Rogi, diœceſis Autiſiodorenſis vicum, tumultuario opere monaſterium conſtruxiſſe traditur. Diſtat hic locus ſex leucarum

intervallo ab urbe Autiſiodoro ad auſtrum, ubi nunc Drogia * opidulum cernitur.

* Drouï.

ANN. CHR. 539.

IV. Johannis abbatis Reomaënſis obitus & miracula.

NOn longe hinc abeſt cœnobium Reomaënſe, cujus auctor & primus abbas Johannes, de quo ſuperius mentio facta eſt, e vivis exceſſit, cum annos fere centum ac viginti attigiſſet, ſenſibus nihilo minus atque animo integer. Inerat in eo virtutum omnium ſeries & ornamentum. Mens modulo contenta ſuo, nec umquam turpi lucro dedita, ſemper ſibi conſtans & eadem. Jocos non minus, quam obſcœna dicta vitavit. Sollicitudinem rerum temporalium numquam, vix rerum neceſſariarum curam admiſit. Id vero in primis curabat, ut diſcipuli his imbuerentur diſciplinis, in quibus ipſe ab ineunte ætate exercitatus, ad culmen perfectionis evaſerat. Naturæ tandem conceſſit quinto kalendas Februarii, anno quingenteſimo duodecimo, ſecundum calculum Victorii, qui cyclum ſuum exorſus eſt ab æræ chriſtianæ viceſimo-octavo. Sepultus eſt vir ſanctus *haud procul a cœnobio*, id eſt baſilica, ita enim *cœnobii* vocabulum in his actis non ſemel uſurpatur: ſed intra *terminos monaſterii*, donec ejus corpus in baſilicam illatum eſt a Leopardino, qui quartus poſt eum abbas locum rexit. Primus quippe ab illo abbas fuit Silveſter, & ipſe inter ſanctos habitus; dein Mummolus, cognomento Bonus; tum Leopardinus, qui primam ſancti Johannis tranſlationem fieri curavit. Alterius auctor fuit Betto Lingonenſis antiſtes Carolo Magno imperante: ne quid dicam de tertia, cum nempe ſacrum beati Johannis corpus, ob Normannorum infeſtationes, confugii cauſa, in opidum Sinemurum * delatum eſt. Johannis memoria celebris eſt in antiquis martyrologiis ad quintum kalendas Februarii: quo die Hicanis a Notkero vocatur.

* Semur.

Res ab eo geſtas primus ſcriptis excepit Reomaenſis anonymus ejus diſcipulus, eaſdemque politiori ac prolixiori ſtilo exornavit Jonas abbas, beati Columbani diſcipulus, rogatus a Reomaënſibus, cum ad eos divertiſſet anno tertio Chlotarii junioris, ut ſuo loco dicturi ſumus. Libello de Johannis vita alterum ſubjecit de ejus miraculis dialogi modo, interlocutore Læto diacono: tertium adjunxit anonymus quidam, qui ſæculo nono vixit. In dialogo meminit Jonas Secundini Patricii, qui cum epiſtolam a Johanne in gratiam cujuſdam pauperis ſcriptam proculcaſſet, magnis doloribus vexatus eſt; ſed facti pœnitens ſoſpitatem recepit. Subdit Lætus germani ſui Fidamioli receptam ex quartana febre ſanitatem. Is videtur eſſe Lætus monachus, qui Johannis epiſtolam ad Secundinum detulit. Cum ergo interlocutor a Jona, qui longe ſerius vixit, inducitur, id fit oratorio more.

V. Silveſter ejus ſucceſſor.

In fine laudat Jonas Silveſtrum abbatem, quem Johannes ipſe vivens ſucceſſorem ſuum deſignaverat. Is & religionis forma, & regulæ accurata diſciplina veſtigiis magiſtri incedens, longo tempore floruit, Chlothario atque Childeberto acceptiſſimus *ob meritum ſanctitatis*. Huic clericus quidam, quem contractio nervorum & manuum debilitas gradiendi & operandi impotem reddebant, oblatus, olei perunctione a Silveſtro pedum agilitatem, a beato Germano Pariſiorum epiſcopo manuum uſum recepit. cujus rei meminit Fortunatus in libro de vita beati Germani. Obiit Silveſter ſeptimo-decimo kalendas Maii, ſepultus in baſilica ſancti Johannis. Hæc ex Jonæ dialogo.

VI.

In ſubſequenti libro miraculorum duo tantum obſervare ſufficiat, nempe quoddam pœnitentiæ genus, quod homicidis, aliiſque ejuſmodi facinoroſis hominibus antiquitus imponi mos erat, ut ferreis vinculis eorum brachia, quandoque etiam venter conſtringerentur: ſicque palabundi vagari ſinebantur. Alterum, feminis olim in monachales eccleſias negatum fuiſſe aditum. Id etiam ad viros extendebat Johannes noſter, ut ſuperius obſervatum: ſed cum hæc ſeveritas poſtea remiſiſſet; „ proceſſu temporis, ait ſcriptor miraculorum alter, ejus loci fratres religioſo ſancire conſilio, atrium cœnobii, id eſt eccleſiæ, a frequentia feminarum perpetuo coërcere; regulari profeſſioni non integrum fore arbitrantes, muliebri frequenter vel adſpectu inſueſcere, vel alloquio implicari. Unde quædam pagi Reomaënſis mulier, oculorum uſu deſtituta, per dies quam plures limina baſilicæ ſubire prohibita, cum ad proſpectum monaſterii aliquando acceſſiſſet, fuſis precibus adepta eſt, quod cupiebat, experta Johannem beatiſſimum abſentum etiam votis adeſſe. Multa hujuſce interdicti exempla occurrunt in actis Sanctorum noſtrorum, quæ in præfationibus noſtris retulimus. Inſigniora quædam huc afferre juvat. In monaſterio Floria-

Feminis negatus in baſilicas monaſticas aditus.

cenſi id *ex antiqua conſuetudine* jam tempore Adrevaldi monachi ſancitum erat, idque unum mulieres, junctis ſpectabilium virorum precibus, ab abbate & monachis extorquere potuerant, ut ad venerandas ſanctorum reliquias, extra portam monaſterii, in loco nemoribus conſito tentorium extenderetur, ubi ſacræ reliquiæ certis dominicis diebus depoſitæ, communi venerationi exponerentur. Eodem tempore, id eſt ſæculo nono, Caſtrenſes monachi, teſte Aimoino, non illo Floriacenſi, ſed Pratenſi ſancti Germani, cum ſancti Vincentii martyris reliquiæ iſtuc allatæ fuiſſent, ſanctum corpus ſervandum, venerandumque in eccleſia beatæ Mariæ *ante ipſius cœnobii portam* collocaverunt ob mulierum frequentiam, quibus monaſterii ipſius aditus, adeoque principis baſilicæ, *ex antiqua Patrum ejuſdem loci conſuetudine* denegabatur. In nonnullis figebatur crux longiuſcule a forinſeca monaſterii porta [a] in ſignum, quouſque uterque ſexus admitti deberet. quale ſignum etiam nunc viſitur in eremo Camaldulenſi. Hinc apud Cluniacenſes prope monaſterium exſtabat [b] oratorium, ubi nobiliſſimæ mulieres cauſa orationis recipiebantur. Eadem etiam diſciplina viguit ab ipſis primordiis in cœnobio Fuldenſi, ut patet ex actis ſanctæ Liobæ abbatiſſæ, cui uni licebat Fuldenſem ingredi baſilicam ex conceſſione ſancti Bonifacii popularis & conſanguinei ſui. Perſeverabat eadem lex principatu Friderici primi imperatoris, cognomento Ænobarbi, qui ingreſſu ejuſdem baſilicæ abſtinuit, propterea quod *regina*, id eſt imperatrix, *in comitatu ejus erat*. Interdictum iſtud violare non auſus eſt Johannes Merlavius abbas, niſi prius obtento diplomate Bonifacii papæ noni. tametſi id impune non tulit, Fuldenſi baſilica fulmine tacta poſt triduum, quam ſalubris hæc ſeveritas emolliri cœpit. Idem in cœnobiis Lindiſfarnenſi apud Anglos, in Elnonenſi, Sithienſi & Stabulenſi apud Belgas, in Romano ſancti Pauli, aliiſque permultis, ne dicam omnibus, uſus primis illis purioris ævi temporibus obtinebat, atque adeo in ipſo noſtri ordinis principe monaſterio Caſinenſi, ut initio libri ſequentis obſervabimus. Quin Turonici baſilicæ Martinianæ canonici eam, quam a monachis acceperant, diſciplinam, etiam abjectis monaſticis inſtitutis, per multos annos retinuerunt, uti perſpicuum eſt ex epiſtola [c] Leonis papæ ſeptimi ad Hugonem abbatem. Ex communi illa monaſteriorum lege factum eſt ut Cartuſienſes & Ciſtercienſes ab ipſo ſuæ inſtitutionis initio hanc diſciplinam inſtauraverint, uti & Grandimontenſes. quod ſanctus Stephanus hujus ordinis auctor in regula ſua præſcripſit. Excipiebantur nihilo minus ab illa ſeveritate feſta nonnulla, puta dedicationis; ſed & ſollemnes illi ritus, quando pueri Deo ab utroque parente offerebantur. Hæc dixerim, non quo diſciplinam illam in monaſteriis noſtris reſtitui poſſe putem: ſed ut majorum noſtrorum exemplo admoneam fratres noſtros, ut ſaltem chori ſui interiores, quoad licet, aditus prohibeant a ſæcularium hominum tumultu & frequentia, nedum a mulierum ingreſſu, quæ utinam ad ipſos etiam ſacri altaris gradus aliquando non obreperent impune! Laudanda in primis hac in re Lætienſium noſtrorum religio, qui laïcos homines non modo in chorum eccleſiæ ſuæ non admittunt, ſed ne quidem in monaſterii clauſtra interiora, uti oculis quondam nos ipſi conſpeximus.

ANN. CHR. 539.

[a] *Act. Sæc. 4. parte 1. p. 151.*

[b] *Act. Sæc. 5. p. 163.*

[c] *Spicil. to. 2. p. 375.*

VII. Homicidarum pœnitentia.

Altera de homicidarum pœna obſervatio petitur ex eodem libro de miraculis ſancti Johannis abbatis, ubi quidam ob admiſſum facinus ferreis vinculis conſtrictus, cum varia ſanctorum oratoria perluſtrando, atque unius brachii nexu ſolutus fuiſſet, alterius etiam ad ſancti Johannis tumulum relaxationem obtinuit. Id genus pænitentiæ ab epiſcopis & preſbyteris non raro imponebatur ob crimina graviora, maxime ob homicidium. neque enim quovis tempore pœna capitis plexa eſt hominis cædes. Quippe *conſuetudine antiqua*, ut legitur in libro nondum «
edito de miraculis ſanctorum Floriani & Florentii, in partibus Franciæ interio- «
ris mos inoleverat, ut quiſquis propinquiorem ſibi gladio peremiſſet, & poſtea «
pænitentia ductus, ad pontificem crimen admiſſi facinoris detuliſſet; ipſo decer- «
nente pontifice, ex ejus gladio ferrei nexus componebantur, & collum homi- «
cidæ, venter, atque brachia conſtringebantur ex ipſis ferreis vinculis: ſicque ex «
propria patria pellebatur, peregrinari coactus Romam, dein per diverſa ſancto- «
rum loca, quouſque divina pietas eadem vincula reſolviſſet. Deinde exemplum «
affertur cujuſdam clerici, nomine Amelii, qui ob necatum avunculum ab Are- «
tario Trajectenſi epiſcopo hoc judicium ſubierat: at ſolutus meritis ſancti Florentii, «

AN. CHR. 539.

» abſente abbate, obnixe obteſtatus eſt fratres, ut ex nomine abbatis deprecato-
» riam epiſtolam eidem epiſcopo, a quo in pænitentiam miſſus fuerat, ſcriberent,
» ut eum in ſua parochia reciperet: ut quem divina benignitas ac meritum ſancti
» Florentii viſibilibus ſolviſſet vinculis, ipſe quoque interioribus ſua pontificali au-
» ctoritate eumdem omnino abſolutum declararet. Infinita propemodum id genus exempla alibi occurrunt. Ubi memoria ſubit conſimilis facti, quo Conſtantinus Magnus cum Veronenſes ſubactos in vincula tradere vellet, ex gladiis eorum gemina aptari elauſtra præcepit. Verum tamen Carolus Magnus ejuſmodi pœnas
» haud probavit. unde in Capitulari Aquiſgranenſi [a] ſtatuit, ut *iſti nudi cum ferro,*
» *qui dicunt ſe data ſibi pænitentia ire vagantes*, deinceps vagari non ſinantur. me-
» lius quippe videri, ut, ſi quod capitale crimen commiſiſſent, in uno loco perma-
» nerent laborantes, & canonicam pænitentiam agentes. Non tamen continuo hæc conſuetudo ceſſavit, ut conſtat in primis ex Aimoini libro ſecundo de miraculis ſancti Germani Pariſiorum epiſcopi, ubi cuidam ob interfectam matrem, cauſa pænitentiæ ferri circulum in brachio jam dudum geſtanti, ad tactum ſacri feretri, ilico ferrum e brachio diſſilit. Idem ritus etiam in Anglia vigebat, teſtante Wolſtano in verſibus de miraculis ſancti Swithuni epiſcopi Wintonienſis: qui verſus quoque, quamquam ſcabroſi & impoliti, ad illuſtrandam antiquitatem repudiandi non ſunt.

a Sirmond. to. 2. Conc. p. 154. c. 79.

Contigit interea quemdam patraſſe reatum.
Nam occidit proprium crudeli morte parentem.
Unde reo ſtatim præcepit epiſcopus urbis,
Ferreus ut ventrem conſtringeret acriter omnem
Circulus, & ſimilem paterentur brachia pœnam;
Continuoſque novem ſemet cruciando per annos,
Atria ſacrorum luſtraret ſæpe locorum;
Viſeret & ſacri pulcherrima limina Petri,
Quo veniam tantæ mereretur ſumere culpæ.

Quin etiam Romæ id genus pænitentiæ a pontifice imponebatur: cujus rei unicum exemplum afferam, ſane luculentum. Fuit qui fortuito caſu [b] germanum ſuum injecto ſcalpello occideret; & is diaconus erat Spoletinus. Facti horrore commotus, conſilio accepto perrexit ad papam, ut ab eo pænitentiam acciperet. Expoſito crimine, pontifex *juſſit illum ligari per collum & brachia, ſicut in lege parricidarum cenſetur*, mandato impoſito, ut loca ſancta circuiret, Deum omnipotentem pro ſuo reatu deprecaturus. Romæ luſtratis ſæpius ſanctorum apoſtolorum baſilicis, admonitus in Britanniam-minorem acceſſit ad Rotonenſe * monaſterium, ubi ad reliquias ſancti Marcellini papæ, evangelio ſuper eum lecto, vinculorum ſolutionem cælitus impetravit. Longius jam progreſſum piget omittere inſigne in eam rem factum [c] Frotmundi, viri inter Francos nobiliſſimi, qui una cum fratribus, ob cæſum patruum ſuum, & is ſacerdos erat, pænitentia ductus perrexit ad palatium regis Lotharii, epiſcopos conſulturus, quidnam ad expiandum facinus agere deberent. Epiſcopi vero *juſſerunt fabricare catenas ferreas, & ligare eos per lumbos & brachia ſtrictim: ut ſic loca ſancta circuirent in cinere & cilicio.* Romam profecti, ibidemque morati per multos dies ad frequentandas eccleſias, cum epiſtola Bonifacii, Romanæ ſedis invaſoris, loca ſancta Jeroſolymis ſemel & iterum adierunt; tum Ægyptum & vaſtas Ægypti ſolitudines, ubi monachi conſiſtebant; ad hæc Africam ad viſitandum ſepulcrum ſancti Cypriani, *qui ſecundo miliari* ab urbe Carthaginis *juxta mare* tum requieſcebat. Demum poſt peregrinationis annos octo, in eodem Rotonenſi monaſterio per ſanctum Marcellinum, vinculis diſruptis, liberati ſunt. Idem porro pænitentiæ modus adhuc in uſu erat ſæculo undecimo, cujus rei exemplis [d], ne longior ſim, referendis ſuperſedeo.

b Acta Sæc. 4. parte 2. p. 215.

* Roden.

c ibid. p. 219.

d ibid. p. 401.

ANN. CHR. 541.

VIII. S. Benedictus ruſticum ſolvit

Hoc loco venit in mentem conſimile exemplum, quo ſanctus Benedictus ruſticum quemdam loris ligatum ſolo adſpectu ſolvit. Rem ſic narrat [e] Gregorius. Gotthorum quidam, Zalla nomine, Arianus, Totila rege, cum contra catholicos immaniſſime

e Greg. c. 31.

ANN. CHR. 541.

immaniſſime ſæviret, prædæ & rapinæ inhians, obvium ruſticum diris tormentis vexare non deſinebat, ut ab eo, ſi quid haberet, extorqueret. Victus pœnis ruſticus, ſe res ſuas omnes Benedicto patri conſignaſſe, per ſpeciem redimendi temporis ac ſupplicii aſſeruit. Mox Zalla ejus brachia loris validiſſimis adſtringens, ſe præcedere ad Benedictum juſſit. Hunc vero cum ad ingreſſum monaſterii ſedentem ac legentem offendiſſent, ſubſequenti ac ſævienti Zallæ ruſticus: En, ait, de quo tibi dixeram, Benedictus pater. Tum Zalla feroci illo animo, torviſque ac minacibus oculis vociferari: Surge, ſurge, & res iſtius ruſtici tibi commiſſas quantocius redde. At Benedictus tantiſper a lectione oculos in utrumque avertens, mox ut ad ruſtici brachia oculos deflexit, miro modo, tanta celeritate lora diſſoluta ſunt, quanta nulla hominum induſtria diſſolvi potuiſſent. Adeo verum eſt quod hujus facti occaſione dixit ſancta Hildegardis, nullum vel leviorem oculorum nutum in Benedicto virtutis expertem fuiſſe. Ad tantæ vim potentiæ tremefactus Zalla, in terram corruit, & cervicem illam ſævitia & ſuperbia rigidiſſimam ad ſancti Patris pedes inclinans, ejus ſe orationibus commendavit. At vir ſanctus a lectione minime ſurrexit, ſed cibo refectum, atque ut mitius in poſterum ageret, admonitum dimiſit.

IX. Mortuum excitat.

Hæc ſane arguunt, quanta Benedictus apud Deum poteſtate valeret. quod maxime probat mortui pueri facta per eum excitatio. Ruſticus alter, auditis viri ſancti factis admirandis, defuncti filii ſui, quem ſummopere lugebat, corpus ad monaſterium attulit, tum, cum vir ſanctus ad agreſtem laborem cum fratribus egreſſus fuerat. Revertenti occurrit mæſtiſſimus ruſticus, & inſanienti ſimilis, viſo Benedicto, iterata voce clamare cœpit, filium ſuum ut ſibi redderet. An vero, infit Benedictus, filium tuum tibi abſtuli? At ille: Mortuus eſt, veni, excita eum a mortuis. Quo audito, vir Dei mærore affectus dixit: Recedamus hinc, fratres. Talia quippe opera noſtra non ſunt, ſed ſanctorum apoſtolorum. Ruſticus vero plus ſuo dolore, quam hac repulſa tactus, juravit ſe non receſſurum, niſi ſuum ſibi filium viventem reſtituiſſet. Victus tandem Ruſtici dolore & improbitate vir ſanctus, ad mortuum, qui ad portam monaſterii jacebat, acceſſit; tum flexo genu ſuper corpuſculum infantis incubuit, moxque erectus, elatis in cælum palmis, in hunc modum precatus eſt: Domine non reſpicias ad peccata mea, ſed ad fidem hujus hominis, qui filium ſuum ad vitam revocari rogat, & reſtitue in hoc corpuſculum animam, quam abſtuliſti. Vixdum completa oratione, ſenſim revixit puer, quem manu apprehenſum patri viventem atque incolumem Benedictus reſtituit, ſanctos hoc in facto imitatus, qui [a] operantur ut juſti, loquuntur ut peccatores.

[a] Chryſoſt. de Spiritu ſancto.

X. Dæmonem alapa fugat.

Non mirum ſi dæmones eum revererentur, cui mors ipſa tam facile parebat. Ibat [b] quadam die vir Dei ad oratorium ſancti Johannis Baptiſtæ, quod in ipſo Caſini montis cacumine conſtruxerat. Forte humani generis hoſtem in mulomedici ſeu equimedici ſpecie offendit, cornu & tripedicam ferentem. Interrogatus quo iret: Ad fratres, inquit, vado potionem daturus. Perrexit nihilo minus ad orationem venerabilis pater: qui confeſtim reverſus, invenit unum e ſenioribus monachis, a dæmone inter hauriendum aquam a dæmone correptum, ac dire vexatum. Mox alapa monacho inflicta, infeſtum hoſpitem expulit, quem alias flagello a monacho vago ejecerat. Simile quid de ſancto Macario legitur apud Rufinum in libro tertio de vitis Patrum. Videas ſanctiſſimum patrem, cum peculiari orationi vacare vellet, ſeorſim in oratorium ſeceſſiſſe: neque proinde mirum ſi plura fuerint ob eam cauſam in unoquoque cœnobio oratoria, cum privatarum cellularum, ubi id commode fieri poteſt, uſus nondum invaluiſſet, nonniſi poſt multa inde ſæcula inductus. Quamquam etiam tum abbati peculiarem cellam competiſſe ex eo [c] intelligimus, quod juvenem illum monachum, ex parietis everſione contritum, in cellam ſuam afferri juſſit Benedictus, & in pſyathio deponi, ſuper quod procumbere ſolebat ad orationem.

[b] Gregor. c. 30.

[c] Id. c. 11.

XI. Monacho inſepulto euchariſtiam mittit

Jam vero quanti eſſet ſancti Patris benedictio, & quantum damnum ea caruiſſe, docet nos exemplum unius pueruli, id eſt adoleſcentis, monachi, qui parentes ſuos ſupra modum amans, ad eos abſque benedictione ſanctiſſimi abbatis acceſſerat. Non diu id impune tulit. ſiquidem ipſo, quo acceſſit, die defunctus eſt. Quin etiam ejus corpus altero quam humatum eſt die ejectum e ſepulcro repertum. quod rurſus ſepulturæ traditum, ſequenti itidem die extra tumulum inventum eſt, quaſi terræ

ANN. CHR 541.

ſinus ejus cadaver horreret, qui Benedicti gratiam non haberet. Rem ſancto Patri mox nuntiant mæſti parentes, obſecrantes, defuncto ut gratiam ſuam largiri dignaretur. Nuntiis vir Dei *manu ſua protinus communionem dominici corporis*, id eſt euchariſtiam, *dedit. Ite*, inquiens, *atque hoc dominicum corpus ſuper pectus* mortui *cum magna reverentia ponite; & ſic ſepulturæ eum tradite.* Quo facto, ſuſceptum corpus terra retinuit, nec amplius ejecit. Non infrequens olim conſuetudo erat euchariſtiam conſepeliendi mortuis. quem uſum poſtmodum concilia improbavere, in primis Carthaginenſe tertium canone tertio, & Trullanum canone octogeſimo-tertio. Id maxime uſitatum in epiſcopis mortuis docet Theodorus Balſamon in hunc canonem. *Quod autem*, inquit, *ſanctus panis antiſtitibus poſt mortem tradatur, & ſic ſepeliantur; exiſtimo hoc fieri ad avertendos dæmones; & ut per ipſum, tamquam viaticum, deducatur ad cælum, qui magna & apoſtolica benedictione dignus eſt habitus.* Huc afferri poteſt locus ex vulgata ſancti Baſilii vita, qui hoſtiam conſecratam diviſiſſe fertur in tres particulas, quarum unam ore accepit, aliam e columba aurea ſuſpendit, tertiam ad ſibi conſepeliendum reſervavit. Hinc eſt quod, abrogato etiam apud Latinos ejuſmodi uſu, viaticum nonniſi in extremo halitu moribundis traderetur: cujus rei infinita propemodum recentiorum temporum exempla nobis ſuppetunt, præter exemplum ſancti Ambroſii epiſcopi Mediolanenſis, qui mox ut glutivit ſacrum Domini corpus, extremum ſpiritum exhalavit.

XII. Monachus vagus metu draconis reducitur.

Sed vide alterum paternæ longanimitatis exemplum. Quidam monachus mobilis & inconſtantis animi, viro ſancto ſæpe conteſtatus fuerat, ſe in monaſterio permanere haud poſſe. Cumque toties increpitus & correptus, in eadem ſemper mobilitate perſiſteret, atque importunis precibus ut relaxaretur poſtularet, tandem beatus Pater improbitatis ejus tædio affectus, non ſine indignatione dixit demum, ut abiret. Verum diſcedenti occurrit draco faucibus hians, cumque quaſi mox devoraturus. Ille vero tremere, palpitare, & vix reſumto tantiſper ſpiritu, auxilium inclamare. Accurrentes ſubito fratres, draconem minime viderunt, ſed monachum illum fere exanimem in monaſterium reduxerunt, voto ab eo facto, ſe numquam e monaſterio diſceſſurum. quod quidem ſtrenue poſtmodum exſecutus eſt. Atque inde patuit, ſancti viri precibus dæmonem draconis ſpecie monacho reſtitiſſe, quem prius inviſibilem ſequebatur. Hinc mirari deſinamus, ſi in monaſteriis noſtris id genus vagi & inconſtantes monachi nonnulli reperiantur, quando in ſancta illa tanti viri ſchola & ſocietate tales non defuerint.

XIII. Alius ſuperbus correptus.

Et ecce aliud tibi imperfecti monachi exemplum. nam ejuſmodi paullo minus, quam proborum laudabilia exempla, proſunt. Forte quadam die venerabili Patri ad veſperam reficienti unus e ſuis monachis, cujuſdam defenſoris filius, candelam tenebat ad menſam. Et is mos olim erat, ut probat apud Gregorium Turonenſem[a] epiſcopum Rauchingi illius factum, cui ad menſam accumbenti puer cereum miniſtraſſe dicitur. ſed & Symmachi[b] ſenioris uxor viro ſuo candelam & candelabrum tenebat. Tum monachus ille, natalium ſuorum opinione tumidus: Et quis eſt hic, ait, cui ſedenti ac manducanti aſſiſto ac ſervio candelam tenens? an is vero ſum, qui ei miniſtrare debeam? Non latuit virum Dei ſuperba hominis cogitatio; ſed ſtatim ad eum converſus, vehementer eum increpuit, jubens cor ſuum ut cruce ſignaret ad abigendam inſanam cogitationem: tum aliis fratribus ad ſe vocatis, ab eo candelam auferri, & quietum reſidere præcepit. Poſtea fratribus quid rei eſſet ſciſcitantibus, erratum monachus faſſus eſt ſuum: atque hoc facto innotuit omnibus, ſanctiſſimum Patrem nihil latere, ut qui interiores etiam mentis agitationes penetraret. Prætereo hoc loco inofficioſos cenſores nonnullos, qui ex inſana monachi cogitatione præjudicium inferunt adverſus ſancti Benedicti natalium dignitatem. quod fere perinde eſt, ac ſi aliquis ex blaſphemis hominum cogitationibus contra Dei majeſtatem argueret. Sed nos in ſanctiſſimo Patre noſtro non tam generis ſplendorem quærimus, quam virtutis, ex cujus, ut ita dicam, proſapia ſumus procreati.

a Gregor. Turon. lib. 5. c. 3.
b Sidon. lib. 2. ep. 10.

XIV. S. Placidi martyrium.

Nunc Caſino tantiſper dimiſſo, adeunda iterum Sicilia eſt ad intuendum ſancti Placidi protomartyris e noſtris martyrium, quod hoc anno contigiſſe tradunt, id eſt currentis æræ chriſtianæ quadrageſimo-primo. Rem hoc modo commemorant. Cum Placidus abſoluto apud Meſſanam monaſterio, ubi ad triginta monachi erant,

ANN. CHR. 541.

præeſſet cum magna virtutis exiſtimatione, eo acceſſerunt, fratris videndi deſiderio, Eutychius & Victorinus germani ejus, una cum Flavia ſorore. Eodem tempore contigit, barbaros quoſdam (Sarracenos appellat vulgatæ vitæ ſcriptor, quos a rege ſuo Abdala, duce Mamuca ex Hiſpania in Siciliam miſſos per ſupinam inſcientiam dicit) in eam inſulam irrupiſſe, atque Meſſanam adortos, etiam in ſancti Placidi monaſterium involaſſe. Atque ut pagani erant, in monachos, cum Placido ejuſque germanis ac ſorore comprehenſos, ut ad ejurandam chriſtianam religionem eos cogerent, fuſtibus ſæpe repetitis, ſuſpendio, linguæ præciſione, igne ac fumo, aliiſque diriſſimis ſuppliciis ſæviiſſe, ac demum ferro eorum cervices reſecuiſſe. tum monaſterio præter eccleſiam combuſto, cum Regium navigio tenderent, ſuborta tempeſtate omnes, id eſt ſexdecim millia octingentos, cum navibus centum maris undis abſorptos. At vero ſanctorum martyrum corpora per Gordianum monachum, qui fuga clam ſe ſubduxerat, ſepulturæ mandata fuiſſe, eumdemque totam hanc hiſtoriam in litteras græce retuliſſe. Non immoror huic poſteriori commento refutando, quando id ſatis ſuperque jam alibi a me actum eſt. Auctorem vero illum, quiſquis eſt, non ante Johannis octavi pontificatum vixiſſe, ex eo colligimus, quod is pontifices recenſens, qui Tertulli donationes in Sicilia factas comprobarunt, a Vigilio papa numerat quadraginta-novem. totidem enim a Vigilio ad Johannem octavum numerantur Romani pontifices.

XV. Ejus acta examinantur.

Huic hiſtoriæ medicam adhibere manum difficile eſt in tanta rerum antiquarum obſcuritate. Unus ei illuſtrandæ nobis ſuccurrere poſſet Procopius, qui de rebus Juſtiniani Auguſti principatu per Italiam & Siciliam geſtis accuratiſſime diſſeruit. Nihil vero ad propoſitum accommodatius ex iſto auctore afferri poteſt, quam quod in libro tertio commemorat ad belli Gotthici annum quintum decimum, ejus vero ſæculi quadrageſimum-nonum. Quippe Gotthorum rex Totila, quem alii Badiulam vocant, poſtquam Regium a ſuis obſeſſum, relicta cuſtodia, circumcluſerat, ipſe trajectis in Siciliam copiis Meſſanæ adortus eſt mœnia: cui cum Domentiolus urbis præfectus ſtrenue reſtitiſſet, Gotthi, nemine ſibi deinceps obviam procedente, Siciliam fere omnem depopulati ſunt. quibus peractis, in Italiam denuo transfretaſſe perhibentur. quæ quidem vulgatis ſancti Placidi actis non male conveniunt, niſi quod Regio paullo ante dedito, Totila cum ſuis in Italiam feliciter appulſus eſt: at in iſtis actis prædones illi, Regium adeundo, periiſſe naufragio dicuntur. Illud præter ea incommodi, quod Gotthi, non plane gentilium ritibus, ſed Arianæ ſectæ addicti erant. quamquam & barbari inter eos multi erant, & in catholicos ita efferati, ut plurimos in Italia, cum alios, tum monachos, atrociter ceciderint. Facile nihilo minus propenderem in Sclavos, quorum immanitatem & feritatem ita deſcribit idem ipſe Procopius, ut ad mores illos, quales ſancti Placidi paſſionis primus ſcriptor deſcribit, plane accedant Hi enim nulli parcebant ætati, quoſlibet obvios abſque delectu necantes, non enſe, non telo, aliove armorum genere conſueto; ſed acutiſſimos in terram palos defigentes, ſumma vi miſeros ſuperimponebant, palique præacutum ſpiculum per inferiorem corporis partem trudendo, & in viſcera adigendo, interiora excruciabant. Aliquando etiam ad ſudes quernas & craſſiores, altius in terram defixas, pedes manuſque captivorum deligabant, ac fuſte deinde caput diverberantes, morte conficiebant: alios vero cum bubus, pecudibuſque, quas abigere domum non ſatis commode poterant, igne inclementius cremabant. quæ certe tormentorum genera iis, quæ in ſanctum Placidum, ejuſque ſocios adhibita leguntur, apprime conveniunt, uti & Sclavorum religio, qui inter deos unum aliquem, qui fulminis ſit fabricator, ſummum omnium dominum ac ſolum agnoſcebant, tametſi ſilvas, nymphas, dæmoneſque etiam ſacrificiis colebant. Verum quo minus Sclavis hanc impreſſionem tribuamus, nos prohibet Procopius ipſe harum rerum ſcriptor ac teſtis, qui Sclavos in Hiſtriam, Thraciam, Illyricum & Dalmatiam, non in Siciliam graſſatos commemorat. De cetero tempus non male congruit. Carolus Sigonius ſancti Placidi martyrium refert ad annum ſexageſimum-primum: ſed in re tam obſcura tempus, non minus quam aliæ circumſtantiæ, penitus incertum eſt. Non tamen propterea incertum eorum martyrium, immo exploratum cenſeri debet. Certe in veteri kalendario Caſinenſis monaſterii ante annos ſexcentos exarato, ſancti Placidi ejuſque ſociorum memoria aureis litteris conſignatur III. nonas Octobris, ut

ANN. CHR. 541.

a lib. 3. num. 35.

b Cod. reg. n. 3867.

c Sicil. ſac. lib. 4. p. 245. & ſeqq.

ſuperius [a] vidimus ; & paullu recentiori manu IV. idus Octobris, *Octava ſancti Placidi & ſociorum ejus.* Ad hæc in veterrimis litaniis Vaticanis poſt ſanctos Benedictum & Maurum ſanctus Placidus locum habet, uti & in Caſinenſibus, tempore Oderiſii primi abbatis ſcriptis, atque in aliis, quæ in appendice rerum liturgicarum apud Cardinalem Bonam habentur, & in Pontificali [b] Romano bibliothecæ regiæ in litaniis pro baptiſmo. Poſt mortem ſancti Placidi ad Meſſanenſe monaſterium Caſino miſſi ſunt alii monachi, qui locum illum incoluere uſque ad Siciliæ devaſtationem [c] factam per Sarracenos, id eſt ad annos ferme trecentos: qua in communi ſtrage deſtructum fuit monaſterium: quouſque, fugatis per Normannos Sarracenis, Rogerius primus Siciliæ comes, locum equitibus ordinis ſancti Johannis Jeroſolymitani attribuit ineunte ſæculo duodecimo, ut patet ex ejus litteris anno M C XXXVI. datis. Demum ſub finem ſæculi decimi-ſexti, id eſt anno M D LXXXVIII. ſacræ horum martyrum reliquiæ inventæ ſunt in prædicta ſancti Johannis Baptiſtæ eccleſia, ac ſollemni pompa in decentiorem locum tranſlatæ.

XVI. Inventionis ejuſdem hiſtoria.

d Gotho p. 13. & ſeqq.

Hujus inventionis & tranſlationis hiſtoriam ſingulari libro, Meſſanæ edito anno M D XCI. deſcripſit accurate Philippus Gothus eques Meſſanenſis italico idiomate, totamque pompam elegantiſſimis figuris repræſentavit. Inventionis ſumma hiſtoriæ hæc eſt. Tempore Philippi [d] ſecundi regis catholici ſubiit mentem Rai-
» naldi de Naro, Jeroſolymitani apud Meſſanam prioris, conſilium redigendi melio-
» rem in formam prædictum ſancti Johannis templum, quod eſt veluti totius illius
» ordinis in Sicilia metropolis. Quapropter cum templi illius tribuna ſeu abſida,
» orienti de more obverſa, amplam haberet planitiem cum ornatiſſimo fonte verſus
» civitatem; annuente ſummo totius ordinis magiſtro Hugone Verdala Cardinale,
» ob majorem urbis ac populi eo concurrentis commodum, tranſlata eſt ad locum
» portæ majoris, quæ loco tribunæ poſita eſt. Cumque terra prædictæ tribunæ ef-
» foderetur ad reficiendum murum, qui novam portam ſuſtineret; humo ad viginti
» palmos effoſſa, ſub majori altari ad dextram, menſis Auguſti die quarta, anno
» M D LXXXVIII. inventum eſt ſepulcrum, extrinſecus muro ſæptum, intrinſe-
» cus vero marmore varii coloris incruſtatum, longitudine duodecim palmorum, la-
» titudine vero ſex; lateribus & muro fortiſſimo coopertum. quo aperto, quatuor
» reperta ſunt corpora, ex quibus tria poſita erant ex una parte ſepulcri cum capi-
» tibus ad meridiem converſis: quartum vero ad aquilonem. Et quia antiqua fere-
» bat traditio, ſanctum Placidum ſocioſque ejus in illo templo, ſed incerto loco, hu-
» matos fuiſſe; hæc corpora eorum eſſe non dubitarunt Meſſanenſes. Concurrit ad
» pium hoc ſpectaculum tota civitas, adfuitque archiepiſcopus cum ſenatoribus, preſ-
» byteris atque religioſis viris, Benedictinis, & Jeſuitis, necnon abbatibus domno Cæſa-
» re Minutolo & domno Silveſtro Maurolico ad hoc opus deputatis: quibus viſum eſt,
» ut circa ſepulcrum humus cavaretur, ſi forte aliqua inſcriptio, vel alia corpora
» illic reperirentur. quo diligentiſſime & ſtudioſiſſime facto, inventa ſunt triginta circi-
» ter corpora cum vaſculis ſanguine plenis; abſciſſis alia capitibus ſupra pectus poſitis,
» alia abſque capitibus, forte crematis, vel in mare projectis; alia denique, quorum
« pectora ferro, vel ſagittis confixa erant, aut ſemiuſtulata. quæ ſancti Placidi ſo-
» ciorum corpora eſſe omnibus perſuaſum fuit: ſepulcrum vero ipſum ejuſdem Pla-
» cidi, fratrumque ac ſororis ejus oſſa continere. E medio ſanctorum illorum cor-
» porum funtem protinus ſcaturiiſſe teſtatur idem auctor, & ex eo dulcem & copio-
» ſam emanaſſe aquam, quæ multis ægrotis ſalutem attulerit. Tum Xyſto ſummo
» pontifici ab Antonio archiepiſcopo, civibuſque Meſſanenſibus ſupplicatum, ut recens
» inventæ ſanctorum martyrum reliquiæ fidelibus publice colendæ exponerentur. An-
» nuit pontifex diplomate dato eodem anno M D LXXXVIII. idibus Novembris: quo
» in diplomate teſtatur pontifex corpora ſancti Placidi noſtri ejuſque ſociorum in
» eccleſia ſancti Johannis Baptiſtæ, olim monachorum, quæ poſtmodum ſucceſſu
» temporis in prioratum hoſpitalis ejuſdem ſancti Johannis Jeroſolymitani fuit erec-
» ta, pie ſepulta & recondita, temporum injuria per multa ſæcula ita inibi oc-
» culta latuiſſe, ut jam noſtra, inquit, ætate, licet ex compluribus antiquitatis
» monumentis conſtaret in prædicta eccleſia ſancti Johannis ſepulta fuiſſe; tamen
» certus ejus eccleſiæ locus, ubi ſita forent, penitus ignotus eſſet: ſed tandem di-
» vinæ miſericordiæ placuiſſe, ut ſacra ex eis nonnullorum monumenta & reliquiæ,

Digitized by Google

dum pro fundamentis in reparatione ipſius eccleſiæ jaciendis humus effoderetur, poſt longum temporis intervallum in lucem proferrentur. ANN. CHR. 541.

XVII. S. Placidi martyrium inde aſſertum.


Ex hac nuda & ſimplici factæ inventionis narratione confirmatur noſtri ordinis antiqua traditio de ſancti Placidi ſociorumque ejus martyrio. Quid enim ad hæc dicturi ſunt moroſiores illi ac præcipites critici, qui hujus martyrii veritatem negant, ejuſque cultum abrogare contendunt? En ſepulcrum nuper detectum, in quo quatuor corpora ſub majori ara, utpote digniora, inventa; & circa illud triginta fere alia, teſtaute Gotho, qui præſens adfuiſſe videtur. Quis non videat, ut certe cenſuere Meſſanenſes, quatuor illa corpora eſſe ſancti Placidi monachi, duorumque ejus fratrum ac ſororis; alia vero ejus ſociorum? Nec illud inſuper habendum, quod iſtius ſepulcri quartum corpus alio modo compoſitum ſit, quam prima tria, nempe capite ad aquilonem converſo pro ſexus verecundia ad diſcrimen trium fratrum, quorum capita ad meridiem converſa erant. Unde vero hunc martyrum numerum, eorumque martyrii circumſtantias reſcire potuit perſonatus ille, ſi lubet, Gordianus, niſi ex vulgata ſuperiorum temporum traditione, quæ ab ipſo rei geſtæ tempore ad illius auctoris ætatem pervenerat? At fabulis & erratis referta ſunt vulgata ejuſmodi acta. Cedo, & ea quidem ego ipſe agnovi & detexi. an vero propterea falſum martyrium? Si ſic argutari liceret, eodem jure quis veritatem martyrii apoſtolorum infitiari poſſet, quorum acta pleraque ſubdititios itidem præferunt auctores, atque erratis reſperſa ſunt. Aſt, inquis, ſancti Placidi apud Meſſanenſes memoria penitus ignota erat ante conficta ejuſmodi acta. Primum id pernego. nam, ſi quidem Petrus diaconus Caſinenſis eorum fabricator eſt, certe longe ante illum ſancti Placidi noſtri cultus cum Caſini, tum Romæ receptus erat, ut ex præmiſſis kalendariis ſuperius probatum eſt; probatque inſuper ſincerum Uſuardi Martyrologium, in quo apud Siciliam ſancti Placidi, ſociorumque ejus triginta fit commemoratio ad tertium nonas Octobris. Quin etiam in veteri codice miſſali Romaricenſium ſanctimonialium, qui ante annos quingentos ſcriptus eſt. Deinde, etſi prædictorum martyrum apud Meſſanenſes fere obſoleta eſſet memoria, id minime mirum eſſet in tam prolixo temporum decurſu, quando apud Mediolanenſes breviori longe intervallo ſancti martyres Gervaſius & Protaſius omnino in oblivionem venerant ante ſancti Ambroſii pontificatum, qui eorum corpora ex divina revelatione detexit, eorumque n mina penitus ignorata vulgavit. Sed tandem, ne quis opponat, hanc inventionem cum ejus hiſtoria confictam eſſe a monachis; hæc inventio facta eſt, non a Benedictinis, ſed ab equitibus ordinis Jeroſolymitani; & quidem in eccleſia, quæ ab annis fere ſexcentis ad illum ordinem tranſlata eſt. Denique, ut rem finiam, illius inventionis hiſtoria accuratiſſime ſcripta eſt, non a monacho, ſed a Philippo Gotho equite Meſſanenſi, qui repertorum corporum iconem cum arcubus triumphalibus, ad ſollemnem eorum tranſlationis pompam erectis, excudi curavit. Verum ut tota res melius intelligatur, factæ inventionis iconem ex Gotho hic in averſa pagella exhibere juvat.

XVIII. S. Germani Capuani obitus.

Jam tandem ad ordinem revertendum, & ad hoc tempus revocandus eſt obitus ſancti Germani Capuani epiſcopi, cujus animam in cælum abeuntem Benedictus ſuſpexit. Is eſt, quem Hormiſda pontifex Conſtantinopolim cum collegis direxit ad reconciliandam eccleſiam orientalem cum occidentali. Exſtant relationes hujuſce legationis ſeptem, in quarum ſeptima, obſervatione dignum eſt, quod legitur de Juſtiniano viro magnifico, poſtea imperatore, qui de impetrandis Roma ſanctorum apoſtolorum reliquiis legatos interpellaverat. Rogant iſti pontificem, ut *ſanctuaria beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ſecundum morem ei* concedi præcipiat, &, ſi fieri poſſet, *ad ſecundam cataractam ipſa ſanctuaria* deponerentur. Sanctuaria hæc erant panni, ſanctorum apoſtolorum contactu reliquiarum ſacrati. Brandea vocat Gregorius Magnus. Cataractæ [a] vero nihil aliud erant, quam feneſtræ clathris ſeu cancellis ferreis munitæ, per quas panni illi ſuper ſanctorum reliquias demittebantur. Et hæ duplices erant: aliæ exteriores, in altari vel pavimento, ſub quo conditæ erant ſacræ reliquiæ: aliæ interiores, in ipſa capſa ſeu arca, qua reliquiæ claudebantur. Petunt ergo legati, ut ad ſecundam feneſtram panni deponerentur ad contrahendam ex proximo contactu majorem virtutem. Rediit ex hac legatione Germanus anno ſuper quingenteſimum viceſimo. Eumdem inviſit Placidus, cum in Siciliam proficiſceretur. Annum ejus obitus incer-

[a] v. infra lib. 6. n. 6.

ANN. CHR. 540.



tum eſſe fatetur Michaël, cognomento Monachus, in Sanctuario Capuano: at differri non poſſe poſt annum quadrageſimum-ſecundum, quo anno Victor ejus ſucceſſor Capuanam regebat eccleſiam. Quid eo moriente ſancto Benedicto acciderit, ex Gregorio [b] accipe. Servandus diaconus & abbas monaſterii, a Liberio patricio in Campaniæ partibus conſtructi, frequens adibat Caſinum, ut cæleſti ſancti Benedicti doctrinæ pabulo reficeretur. Vulgata ſancti Placidi acta ferunt, Servandi monaſterium ſitum fuiſſe juxta civitatem Alatrinam, haud procul a Ve-

[b] Greg. M. lib. 2. c. 35.

ANN. CHR. 541.

rulis, ſancto Sebaſtiano martyri nuncupatum; atque adeo, ſi res ita habet, triginta fere paſſuum millibus Caſino diſtans. Ejus auctor Baronio videtur eſſe Liberius præfectus prætorio Galliarum pro Gotthis ſub Theodorico ſemel, iterumque ſub Athalarico. Caſinum venerat pro more Servandus abbas, aliquot diſcipulis ſuis, qui eodem ſtudio tenebantur, comitatus. Somni tempore appetente, ſinguli ad ſuas quique cellulas quieturi ſe ſe receperunt; Benedictus quidem in ſuperiori cujuſdam turris parte, Servandus in inferiori, ex qua patebat ad ſuperiorem aſſcenſus; utriuſque vero diſcipuli in habitaculo ampliori, eidem turri adjuncto. Vigilias occupaturus vir Dei, fratribus adhuc quieſcentibus, ad feneſtram orationi vacabat, cum ſubito, intempeſta noctis hora, vidit fuſam lucem tanto ſplendore cælo radiantem, ut diem vinceret illa, cunctaſque noctis tenebras abigeret. Atque, ut tam inſolito ſpectaculo intentus erat, res mira, quemadmodum & ipſe poſt narravit, conſecuta eſt. quippe in hac ſpeculatione mundus etiam totus, velut ſub uno ſolis radio, collectus, oculis ejus obverſatus eſt. dumque in hunc ſplendorem defixos haberet oculos, Germani Capuani epiſcopi animam in ſphæra ignea ab Angelis in cælum deferri conſpexit. Tunc tanti ſibi teſtem miraculi habere cupiens, Servandum diaconum, iterato bis terque ejus nomine, inclamare cœpit. Ille vero inſolito tanti viri clamore perculſus, tum ob nocturni ſilentii religionem, tum ob inſolitam vociferationem, aſſcendit, reſpexit, partemque lucis jam exiguam vidit. Huic vero rei novitate attonito, vir Dei ex ordine cuncta narravit: moxque ad caſtrum Caſinum, monti ſubjectum, Theoprobo, viro religioſo, mandavit, ut Capuam ipſa nocte nuntium mitteret, qui quid Germano epiſcopo accidiſſet ſciſcitaretur, ac ſibi referret. Nec mora miſſus qui mandatum exſequeretur; relatumque eſt, reverendiſſimum epiſcopum eodem momento exhalaſſe animam, quo eam in cælum deferri vir ſanctus adſpexerat. Hic torquentur theologi, ſeque verſant in diverſas partes, an ſanctus Pater tunc eſſentiam divinam (ſic enim loquuntur) intuitive viderit. Nobis ſufficiet Gregorii verba retuliſſe, cetera ignoraſſe contentis. Non mirum quod Benedictus totum mundum, quaſi ſub uno ſolis radio collectum conſpexerit: quia ANIMÆ VIDENTI CREATOREM ANGUSTA EST OMNIS CREATURA. Quippe præter illam lucem exteriorem, quæ corporeis oculis fulſit, animæ ipſius affulſit lux interior, qua luce non cælum ac terra contracta ſint, ſed videntis animus ita dilatatus, ut totus in Deum raptus, immo & Deo ipſo perfuſus, mundo ac ſe ipſo ſuperior exſtiterit; ſicque facile comprehenderit, quam breve ac fere nihilum ſit quidquid creatum eſt. Ceterum hoc ineffabili, qualecumque demum fuerit, ſpectaculo declaratum voluit Deus, quantæ perfectionis ac ſublimitatis fuerit ſancta illa anima, quæ tanto excellentiori modo Deum conſpexit, quanto res omnes creatas infra ſe poſuit, ac pro nihilo duxit. Nulla quippe ad Deum videndum compendioſior via eſt, quam perfectus rerum omnium contemtus.

XIX. Turris Caſinenſis.

Non prætererim hoc loco, turrem illam, cujus ſuperius mentio facta eſt, ex primis ædificiis Caſinenſibus ſupereſſe unicam, per quam aditus eſt in monaſterium, ſubobſcuro ſub ea fornice per gradus quadraginta præbente viam. Inferior pars turris jam dudum converſa eſt in Salvatoris & Virginis Deiparæ oratorium; cujus parietes tectorio opere, teſtudo vero plaſtico obducta. In ejus veſtibulo ad angulum turris orientalem exſtant rudera veteris illius habitaculi largioris, in quo Benedicti & Servandi diſcipuli requieviſſe dicuntur. Hoc videtur fuiſſe domicilium hoſpitum, & eorum fratrum, qui ſancto abbati atque hoſpitibus miniſtrabant. Pars ſuperior, quæ beati Patris cubiculum fuiſſe traditur, bipartita concameratione diſtincta eſt a poſteris, quo firmior eſſet adverſus caducitatis injurias, atque adeo duo quædam efficit cubicula, præter aliud præambulum ad ſuperiorem turris ingreſſum. Prioris cubiculi pavimentum bicolori marmore: interioris vero pretioſis ſtratum lapidibus, egregio artificio teſſellatis: utriuſque teſtudo plaſtico opere, auroque illuminata: parietes denique exquiſitis celebriorum pictorum tabulis adornatæ. In utroque etiam altare, prioris quidem ad omnem ornatum & elegantiam compoſitum: at ſub interioris altariolo ſancti Mariani lipſana reconduntur cum lumine perpetuo lychnorum. Interius porro cubiculum unam habet feneſtram ad occidentem: exterius duas, unam ad occaſum, alteram ad auſtrum. Huic turri adjunctum erat ſancti Martini oratorium, ut ex veteri codice Caſinenſi

AN. CHR. 541. » diſcimus, in quo hæc leguntur. In turri juxta ſanctum Martinum, in feneſtra
» alta, quæ eſt contra Capuam, (nempe ad auſtrum) vidit ſanctus Benedictus ani-
» mam Germani Capuani epiſcopi ; & ibi in feneſtra, quæ eſt contra Plumbario-
» lam, (ſcilicet ad occaſum) vidit animam ſanctæ Scholaſticæ. Ibi reſanavit Seve-
» rum contritum, & leproſum, (nimirum elephantioſum illum, famulum patris
a Greg. c. 26. » Aptonii viri illuſtris, a quo id reſcivit [a] Gregorius) & ibi cunctas virtutes fecit.
» In fundo turris fecit miraculum de labello olei ; & ibi ſuper aream tredecim
» ſolidi de turre ceciderunt. Per feneſtram, unde vidit animam ſanctæ Scholaſticæ,
» jactata eſt ampulla de vitro. Ibi reſuſcitavit mortuum ad petram de turre extra
» portam. Ibi ſanctus Maurus claudum extendit. In poïo (id eſt porticu) qui eſt
» in dormitorio ante portam de turre, ſolſit (id eſt ſolvit) ruſticum, & ibi corruit
» Totila. In refectorio, quod eſt juxta ipſum dormitorium, prophetavit de Roma
» & de panibus. In turre ipſa ſcripſit regulam. In pede de rabe (forte rupe)
» quæ vadit ad ſanctum Johannem, fugavit dæmonem. In fronte ipſius dormitorii
» & de ſancto Martino, fecit cerbenera. (& hoc obſcurum.) Deforis porta ad
» pedem turris inveoit munus de farina. In ipſa turre omni anno in ſancti . . .
b V. lib. 20. n. 32. » [b] ante altare bianeco faciebant officium Græci & Latini, ſicut præcepit Petro-
» nax abbas Caſinenſis. Hæc, tametſi minutula & ſalebroſa, viſum eſt referre hoc loco, tum quia pleraque ſancti Benedicti miracula exhibent, tum quia fidem conciliant miraculo ſancti Mauri in ejus tantum actis relato, qui claudum ibi ſanaviſſe memoratur. Porro hæc relatio antiquiſſima eſt, ut ex ipſo ſtilo patet, & quidem paullo poſt Petronacis abbatis tempus, id eſt medium octavum ſæculum, ſcripta ; adeoque ante vulgatum ab Odooe abbate librum de vita beati Mauri abbatis.

XX. Prophetia de excidio Caſinenſi. c Greg. M. lib. 2. c. 17.

Neſcio an Theoprobus, cujus ſuperius mentio facta eſt, idem ſit cum Theoprobo, viro illo [c] nobili, qui ſancti Benedicti admonitione converſus, magna apud eum familiaritatis gratia pollebat. Is cum quadam die ſancti viri cellam fuiſſet ingreſſus, eum in lacrymas reſolutum vidit, noo orando, ut ſolebat, plangentem ac ſuſpirantem, ſed mærentem ac gemebundum. Cauſam tanti luctus percontanti
» vir Dei reſpondit : Nempe totum hoc, quod vides, monaſterium, a me con-
» ſtructum, & univerſa quæ in fratrum uſus multo ſudore comparavi, omnipo-
» tentis Dei judicio profanorum arbitrio tradita ſunt ; idque uoum ægre obtinere
» potui, ut vel ſaltem fratres ſalvi ex illa tempeſtate evadant. ubi addit Gregorius, Benedictum Pauli vicem tenuiſſe, cujus dum navis rerum omnium jacturam pertulit, ipſe in conſolatiooem vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit. Hujus vero prophetiæ veritatem comprobarunt Langobardi, qui de nocte in monaſterium irruentes, omnia diripuere, ut ſuo loco dicendum erit. Mærentem Benedicti ex hac prænotione animum Dei miſerentis benignitas cæleſti oraculo recreavit, fecitque certiorem, brevi fore ut ejus diſcipuli ab exteris depoſcerentur, qui ipſius inſtitutum in longinquas regiooes tranſmitterent, & Caſinenſis everſionis damna ſarcirent. Nempe hoc oraculo ſignificabatur epiſcopi Cenomannenſis futura legatio ad Benedictum, quæ ſub finem anni quadrageſimi-ſecundi Caſinum directa eſt. quod obiter hoc loco notaſſe ſufficiat, hujuſce legationis narrationem tantiſper differendo, dum alia, quæ interceſſere, ſanctiſſimi Patris facta & eventa perſequimur.

ANN. CHR. 542. XXI. Totilæ fraus detecta. d Greg. M. c. 14.

SUb idem tempus, quo hæc Caſinenſis ruinæ prædictio facta eſt, Totila [d] Gotthorum rex poſt Hildebaldum, audito, Benedictum prophetiæ dono celebrem haberi, veritatem per ſe ipſe explorare voluit. At cum non longe a monaſterio abeſſet, illic ſubſtitit, regiæ dignitati coovenientius exiſtimans id prius per exploratorem tentare. Præmiſſo itaque qui ſe brevi venturum nuntiaret, Riggonem enſiferum ſuum regio ornatu & comitatu, ut ſe regem ſimularet, ad virum ſanctum direxit. Sed Riggo ubi in ejus conſpectum venit cum ſua illa regis perſona & ſatellitio, Benedictus eminus venientem, ut ſedebat, conſpicatus : Pooe, inquit, fili, pone alienum iſtum quem geris habitum, qui tuus non eſt. Is vero ſtatim in terram corruit, ſimulque omnes quotquot cum eo iſtuc advenerant, & quod ſancto viro fucum facere tentaſſet, magnopere doluit. Neque vero, poſtquam e terra ſurrexere, ad eum accedere auſi ſunt : ſed mox ad Totilam reverſi, quam cito ac facile fraus eorum deprehenſa fuerit, trepidi retulere.

His

ANN. CHR. 542.

XXII. Ipſe ad eum accedit.

His acceptis, Totilas [a] mox ad Dei hominem ipſe acceſſit. quem cum itidem ſedentem e longinquo aſpexiſſet, propius accedere non auſus venerabundus humi procubuit. Hunc vero ſurgere juſſum, ſed necdum audentem, Benedictus accurrens, proſtratum erexit, immanitatem ei ſuam exprobravit, atque de rebus ſuis forte conſulenti, paucis, quæ ei eventura eſſent, prædixit. Multa, inquiens, mala hactenus commiſiſti, committiſque in dies. jam tandem aliquando tantis facinoribus modum pone. Romam inibis: mare trajicies; novem annis regnabis; decimo anno morieris. His Totilas, qui aliis terrori erat, tremefactus, poſtquam ſe viri Dei precibus commendaſſet, receſſit, atque ex illo tempore multo mitior & humanior fuit. qualem ſane ſe exhibuit maxime in obſidione & expugnatione Neapolitana. nam urbe capta, eam in captivos, teſte [b] Procopio, benignitatem præ ſe tulit, quæ utique nec barbaro, nec hoſti ſatis convenit. Quippe Romanorum inedia confectorum in primis curam ſuſcepit; atque, ut eos vires recepiſſe vidit, patefactis portis abire, quo quiſque vellet, permiſit. ad hæc, milite ob vitiatam virginem morte affecto, bona ejus omnia vitiatæ mox tradi juſſit. Unde contigit, ejus ut nomen, tum prudentiæ, tum benignitatis fama celebre apud Romanos jam eſſet, ac maximi fieret. Ceterum effectus vaticinio ex æquo reſponderunt. Siquidem non multo poſt, id eſt altero poſt anno, Romam cepit, eximia comitate in Romanos uſus. tum ea iterum poſt annos quatuor expugnata, Siciliam magno navium numero adortus eſt, ex dictis ſuperius [c], ubi de ſancti Placidi paſſione egimus; ac demum anno regni ſui undecimo interiit.

a Id. c. 15.

b Procop. lib. 3. de bello Gotth.

c Supra n. 16.

XXIII. Aliud vaticinium de Roma.

Huic vaticinio aliud ſubdit Gregorius occaſione ejuſdem Totilæ, de quo cum aliquando Canuſinæ civitatis antiſtes, Sabinus in actis ſancti Placidi appellatus, cum ſancto Benedicto ſermonem ingreſſus dixiſſet, fore ut per eum Roma ita dirueretur, ut in poſterum civibus omnino careret; reſpondit Benedictus: Immo vero Roma ab hominibus non exſcindetur; ſed a tempeſtatibus, turbinibus & terræmotu fatigata exardeſcet in ſemetipſa. cujus oraculi veritatem effectu comprobatam fuiſſe Gregorius teſtatur; affirmans, ſua ætate Romæ mœnia diſſoluta, domos everſas, deſtructas eccleſias turbine fuiſſe; ejuſque ædificia, ſenio longo laſſata, increbreſcentibus ruinis proſtrata, ingratum ſui ſpectaculum præbuiſſe. Id anno ejus ſæculi quinquageſimo-nono conſignat Sigonius, quo anno tam horribiles tempeſtates, ſæva fulgura, terræ-motus adeo atroces in omnibus terris, ac præſertim in Italia, totoque Occidente contigerunt, ut merito homines vererentur, ne uno terræ hauſtu urbes abſorberentur. In fine addit Gregorius, quod miram ejus fidem ac diligentiam, quidquid cenſores nonnulli moroſiores contra dicant, manifeſte prodit, Honoratum ſancti viri diſcipulum, a quo poſtremum hoc factum accepit, nequaquam ex ore, uti faſſus eſt, ipſius Benedicti id audiviſſe, ſed ex relatu fratrum, qui ex ipſo id reſcierant.

XXIV. Tempus congreſſus Totilæ cum Benedicto.

Senſim accedimus ad ſupremum ſancti Patris annum, tantopere controverſum apud auctores: cui finiendo, tamquam citimus limes, ultra quem ſummoveri non poteſt, defigendus eſt annus, quo prædictus ejus cum Totila congreſſus accidit. Nam hoc ſemel conſtituto, planior erit rerum conſequentium narratio. Poſt Hildebaldi regis necem, quæ Gotthici belli anno ſeptimo vertente accidit, Erarius rex a Gotthis acclamatus eſt ante verni temporis initium, quo annus belli Gotthici octavus inibat: Eraricum poſt menſes circiter quinque cæſum excepit Totilas, ac proinde menſe Julio. Caſinum adiit anno ſequenti, ut ex Procopio [d] facile intelligimus. nempe poſtquam Cæſenæ, mox Petræ præſidia ceperat, paullo poſt ſe in Tuſciam contulit, lociſque in ea jam pertentatis, cum ad ſe nemo accederet, amne Tiberi tranſmiſſo, ad Campanos & Samnites divertit, ubi Caſinum ſitum eſt. Atqui belli Gotthici annus octavus, a vere ineunte de more apud Procopium numeratus, cum anno ejus ſæculi quadrageſimo-ſecundo componitur; nec in ſequentem annum Totilæ in Caſinum adventus differri poteſt. at quo menſe? certe vere ipſo, ut ex filo narrationis Procopius perſpicue innuit his ſane verbis, quæ ad rem ſtabiliendam referenda videntur. Hæc inter hiems deſiit, clauſitque annum ſeptimum hujus belli, quod a Procopio deſcribitur. Poſt id Totilas Cæſenam, Petramque caſtella cepit. Inde in Tuſciam digreſſus, fruſtra tentatis præſidiis, accedente ad ipſum nemine, Tiberi trajecto, Romæ fines non attigit, ſed in Campaniam, Samniumque declinans, Beneventum, firmum quamquam opidum, cepit

d Procop. lib. 3.

ANN CHR. 542.

facile. Hæc levi negotio geſta, tantum temporis ſolum exigunt, quantum fere ad emetiendum hoc iter neceſſarium erat. Certe relicto Caſino, Totilas ante hiemem, in qua belli Gotthici octavus deſinebat annus, capto Benevento, Neapolim obſedit, ac diu reluctantem expugnavit. adeo ut menſe admodum Aprili aut Maio ejus anni Caſinum adveniſſe dicendus ſit, ut poſtea Beneventum ac Neapolim ante hiemem inſequentem expugnare potuerit. Huic calculo recte convenit ſancti Benedicti vaticinium, ubi Totilæ prænuntiat, fore ut *novem annos regnans, decimo moreretur* [a]. Id vero deſumendum non ab ipſo regni ejus initio, ſiquidem annum regni ſui undecimum agens, ut diſerte Procopius habet, exſtinctus eſt; ſed ab ipſo tempore, quo colloquium iſtud cum ſancto Benedicto habuit. Hanc vero ſummam facile conficies ex Procopii libro quarto, ubi Totilas periiſſe anno belli Gotthici octavo-decimo memoratur, id eſt quinquageſimo-ſecundo ſupra quingenteſimum; & quidem menſe Auguſto, quo menſe annus regni ejus undecimus a Julio inchoatus erat. Numera tempus a Maio anni quadrageſimi-ſecundi; quo ejus cum Benedicto congreſſum accidiſſe dicebamus, cum anno quinquageſimo-ſecundo ad menſem Auguſtum; utique annos integros novem cum tribus menſibus invenies. quod cum prædicto ſancti Benedicti vaticinio accurate convenit. Hinc conſequens eſt, viri ſancti obitum, ſi quidem menſe Martio contigit, non incidiſſe in annum quadrageſimum-ſecundum, cum hujuſce anni menſe Maio Totilam exceperit: an vero anno inſequente acciderit, inferius diſcutiemus.

[a] id. lib. 4.

XXV. S. Cæſarii obitus & virtutes.

Ab his chronologicis tricis veniendum eſt ad obitum magni Cæſarii epiſcopi Arelatenſis, qui aliquanto tempore ſanctum Benedictum in cælum præceſſit, annis quadraginta in epiſcopatu exactis, & quidem tanta vitæ ſanctimonia, puritate & caritate, ut ſanctiſſimis quibuſque epiſcopis exemplo eſſe poſſit. Agebat annum ætatis ſeptuageſimum-tertium, cum tranſitum ſuum ad Deum imminere præſentiens, inter non modicos quos patiebatur dolores, an prope eſſet beatiſſimi Auguſtini depoſitionis dies, ſciſcitatur. Cum vero non longe abeſſe intellexiſſet: » Confido, ait, in Domino, obitum meum non longe ab ipſius mortali die ſeparan- » dum eſſe. nam quantum dilexi, ut ipſi noſtis, catholiciſſimum ejus ſenſum, tan- » tum ego, etſi me diſcrepantem meritis ſentio, minime tamen reor longo intervallo de- » poſitionis meæ diem ab ejus obitus tempore diviſum iri. Jam vero migrationis ejus die accelerante, in monaſterium virginum, quod ipſe fundaverat, famulantium manu in ſella deferri ſe præcepit, quaſi eas conſolaturus, quibus proximi ejus obitus vel ſola ſuſpicio ſomnum & cibum abſtulerat, pro pſalmorum cantu non niſi lacrymas, ejulatum pro canticis, & gemitum reddentes. Ejus vero præſentia, cum mortem jam præſentem indicaret, earum mærorem, etſi pius pater verbis ſuis id tentaverit, adeo non minuit, ut contra cumulaverit. In primis alloquitur Cæſariam juniorem, ducentarum puellarum venerabilem matrem, hortaturque, » ad palmam ut ſupernæ vocationis irremiſſe tendant, & regulam a ſe in- » ſtitutam accurate ſervent. Tum eis fauſta precatur omnia, benedictionem amanter impertit, atque, extremo vale dicto, ad eccleſiam revertitur. Demum tertio die poſt ſancti Geneſii feſtum patroni Arelatenſis, pridie ante diem depoſitionis ſancti Auguſtini, uti optaverat, id eſt ſexto kalendas Septembris, imminente hora prima, inter manus qui aderant pontificum, preſbyterorum, & diaconorum, beatam animam lætus emiſit ad Chriſtum, dignus habitus, quem non ſolum boni, ſed etiam mali, Judæi æque ac Chriſtiani lugerent. Sepultus eſt in baſilica ſanctæ Mariæ, a ſe conſtructa, ubi ſanctimonialium corpora condebantur.

XXVI. Præclara ejus facta & epitaphium.

Vita ejus ſtatim poſt ejus mortem ſcripta eſt duobus libris, quorum primus auctorem habet Cyprianum Tolonenſem epiſcopum, adſtipulantibus Firmino ac Viventio, itidem epiſcopis: ſecundus Meſſianum preſbyterum, ejus olim notarium, & Stephanum diaconum, rerum teſtes oculatos, qui totum opus Cæſariæ juniori, poſt Cæſariam ipſius Cæſarii ſororem Arelatenſis parthenonis abbatiſſæ, inſcripſerunt. Præclara omnino ſunt, & ad inſtruendos mores aptiſſima, quæ de eo referuntur. Epiſcopus nihil umquam de monaſticæ vitæ ſeveritate remiſit. Idem habitus, ſine lineis; vita immaculata, irreprehenſibilis, ſemper æqualis. Seipſo melior fiebat in dies, judicium æternoſque dies præ oculis ſemper habens. Numquam ad ejus menſam defuit lectio, cujus rationem a ſuis exigere ſolebat. Ceterum lectioni privatæ, ut ferebant negotia, aſſidue vacabat; prædicationi verbi Dei irremiſſe: cum

vero per ſe ipſe non poſſet, per idoneos miniſtros, preſbyteros & diaconos, id ſuppleri curabat. Doctrinam ejus de gratia, ab æmulis impugnatam, ſynodus Valentina & Bonifacius papa, utpote Auguſtinianæ conſentientem, probarunt. Tertiæ, ſextæ, & nonæ officia in majori ſancti Stephani baſilica inſtituit; curavitque, ut laici in eccleſia proſas & antiphonas latine & græce canerent, ut fabulis vacandi ſpatium non haberent. Sic in eccleſia Pariſienſi, teſte Fortunato, per idem tempus, Pontificis monitis clerus, plebs, immo & infantes pſallebant. Pallium ab apoſtolica ſede, id eſt a Symmacho pontifice, ſibi ſucceſſoribuſque ſuis; dalmaticarum uſum diaconis eccleſiæ ſuæ, inſtar Romanæ, impetravit. Horum ordinationem non ante annum ætatis triceſimum admittebat, ea certe conditione, ut quater vetus, totidemque vicibus novum teſtamentum perlegiſſent. Magna ei ſollicitudo erat, ut nullus *ſine medicamento pœnitentiæ* [a] ex hoc mundo recederet; cavitque, ne pro pœna peccati quiſquam amplius quam undequadraginta [b] virgarum plagas exigeretur, poſt dies tamen aliquot repetendas, ubi crimen capitalius eſſet. Statuit etiam *regulariter*, ut [c] nubentes, poſt benedictionem in eccleſia acceptam, triduo ſe continerent. Longe plura proponi poſſent ex piis ejus homiliis, quæ fere omnes in appendice Auguſtiniana novæ editionis ſimul editæ ſunt: ſed hæc in ſpecimen ſufficient ad conciliandam lectoribus opinionem tanto viro non omnino indignam. Legi Meſſiani preſbyteri, ejus diſcipuli ac vitæ ſcriptoris, epiſtolam ad Viventium epiſcopum de reſtituta ab ipſo memoria ſancti Hermetis martyris, quæ haud indigna nobis viſa eſt, quæ in appendice noſtra ederetur. Ejus epitaphium, poſt everſum a Sarracenis ipſius ſepulcrum, ſcripſit Paulus illuſtris *anno Domini* DCCC LXXIII. *indictione* XV *. *Raniguado magiſtro*, ut legitur poſt epitaphium in veteri codice Arelatenſi, ſub hoc titulo, *Reſtauratio ſepulcri ſancti Cæſarii.* cui titulo ſubjicitur epitaphium, longe emendatius quam apud Saxium & alios, in hunc modum.

ANN. CHR. 542.

[a] Vita lib. 1. n. 8.
[b] lib. 1. n. 13.
[c] ibid. n. 34.

Cernitur hic vario renovatum marmore tectum
Patri Cæſario pontificique ſacro,
Quod ſcelerata cohors rabie deſtruxit acerba.
Hanc virtute Dei ſorbuit unda maris.
Præſule Roſtagno, hac Arelati ſede locato,
Cernuus id Paulus ſtrenue compſit opus.
Cui Chriſtus tribuat cæleſtis præmia vitæ,
Cœtibus angelicis conſociavit ovans.
Et nobis, venerande pater, miſerere precando,
Diluat ut noſter crimina cuncta Deus.

XXVII. Ægidius ejus diſcipulus.

Ex Cæſarii diſcipulis duo ſunt nobis commemorandi in præſens, Ægidius & Florianus abbates. Is eſt Ægidius, qui una cum Meſſiano notario mox laudato Romam directus a Cæſario eſt, ut libellum Symmacho papæ offerret ad renovanda privilegia ſedis Arelatenſis. an vero idem ſit Ægidius abbas ille Græcus & ſanctus, qui monaſterium in Septimania prope Nemauſum in valle Flaviana conſtruxit, ab ejus nomine poſtea nuncupatum, res non adeo perſpicua eſt. Hic quidem in omnibus ejus actis, tam editis, quam ineditis, dicitur ex Græcia, unde oriundus ex regia ſtirpe erat, tributis in pauperes facultatibus, in Galliam acceſſiſſe ad Cæſarium Arelatenſem epiſcopum: ſed cum deinde Aurelianos a Carolo Francorum rege accitus fertur, hoc primum ſi admiſeris, alterum reſpuendum eſt, cum Cæſarius qui unus Arelatenſi eccleſiæ præfuit, ducentis annis præcedat Carolum Martellum, primum eo nomine principem Francorum. Idem itaque fuerit Ægidius græcus abbas, quem Cæſarius cum Meſſiano direxit ad Symmachum papam. Is, ſi qua vulgatis ejus actis fides, tranſmiſſo Rhodano ſe adjunxit Veredemio eremitæ. dein ſecretiorem in locum penetravit, ubi cum cervæ lacte paſceretur, a Flavii Gotthorum regis venatoribus, cerva ad eum refugiente, deprehenſus fuit; idemque poſtea Flavio auctor fuit condendi cœnobii, quod ipſe rexit. Dicebantur quidem Flavii omnes Gotthorum reges: ſed cum omnes Arianæ ſectæ addicti fuerint, quis putet Amalaricum, qui tempore Cæſarii Septimaniam obtinuit, aut quemvis alium de condendo monaſterio cogitaſſe? Ad hæc, monaſterium iſtud

ANN. CHR. 542.

multo poſt tempore conditum dici debet, quam Ægidius, tranſmiſſo Rhodano, diſceſſit a Cæſatio; nec Ægidius ante conditum monaſterium abbas fuit. Et tamen libellus ſeu epiſtola Symmacho pontifici Cæſarii nomine oblata eſt *ab Ægidio* jam *abbate, & Meſſiano notario.* Ex his colligitur, quam intricata ſint & nullius pæne momenti hæc acta, his mendis quidem expurgata a Fulberto epiſcopo Carnutenſi in officio ſacro, quod de ſancto Ægidio compoſuit, ſed nullo pæne relato hiſtorico facto, niſi quod eum Græcum fuiſſe, & in Galliam acceſſiſſe dicit. Utcumque ſit, antiquum eſt ſancti Ægidii monaſterium in valle Flaviana, quod inter Septimaniæ [a] monaſteria, quæ regi ſolas orationes debebant, primum nominatur in Conſtituto Ludovici auguſti, cognomento Pii, de monaſteriis regni Francorum. Hæc abbatia ex ordine ſancti Benedicti ad ſæculares canonicos tranſlata eſt.

a Cheſn. to. 2. p. 324.

XXVIII. Item Florianus.

De Floriano abbate, altero Cæſarii diſcipulo, pauca habemus, ſed certiora. Is ortu civis Mediolanenſis, ſacris aquis tinctus fuit ab Ennodio Ticinenſi antiſtite,
» quem ſuum ipſius ex lavacro patrem appellat. Idem in latinis elementis præce-
» ptorem habuit beatæ memoriæ, ut ipſe loquitur, Cæſarium Arelatenſem epiſco-
» pum, qui vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus; pater orphanorum, pater
» egentium, qui tanti cenſus effuſione nil perdidit, catholicæ regulam. diſciplinæ
» dictis, factiſque demonſtrans. Poſt hæc in Romanum admiſſus monaſterium, ſanctæ
» memoriæ Theodatum nanctus eſt abbatem & archimandritam, ſæculi hujus ini-
» micum, utpote cui crucifixus erat mundus, templum vere digniſſimum Trinitatis,
» plenum reverentiæ chriſtianitatis, ex placida bonitate mitiſſimum, jejuniis caſtiga-
» tum, qui ipſi ſacras expoſuit ſcripturas, & flores teneræ lanuginis ſuſcepit. Hæc de ſe ipſe teſtatur in epiſtola [b] prima ad Nicetium epiſcopum Trevirenſem, quem rogat, ut ſanctos illos viros pro ſe interpellet, atque ſacratiſſimum confeſſorem ſuum
» Ambroſium, ut ſe peculiarem famulum tueatur, ac veluti proprium civem ac fa-
» miliarem alumnum foveat. In altera ad eumdem epiſtola obſecrat, ut domino
» filio veſtro, inquit, glorioſiſſimo regi Theodebaldo inſulam Larienſem, quæ Chriſ-
» topolis dicitur, plurimum commendetis, ut Romanis ſervis ejus ſacramenta, quæ
» data ſunt, omnimodis conſerventur. Hæc eſt inſula Larienſis, quæ prope Comum, Gallorum Inſubrium civitatem, ſita eſt, laudata non ſemel ab Ennodio epiſcopo Ticinenſi. Hæc inſula, aut forte portio ejus, Romani cœnobii monachis tradita fuerat, eiſdemque Theodebaldus ſeu Theobaldus, qui hanc Italiæ portionem tunc poſſidebat, ſancte juraverat, ſe hanc eis poſſeſſionem ſartam tectam ſervaturum: cujus ſacramenti ut memor ſit, per Nicetium moneri eum optat. Florianus abbas Romanus, neſcio an idem, qui Lirinenſis eo nomine abbas medio ſæculo ſexto: ſane mihi non alius eſſe videtur quam Florianus ille abbas, cui Arator ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconus carmina ſua nuncupavit: ubi ait, eum,
» adhuc *primævum*, id eſt adoleſcentem, ſenibus ipſis dediſſe documenta, quibus in
» cælum iter inſtrueret. Rogat inſuper, ut priſcis & grandiloquis mille volumi-
» nibus tantiſper ſepoſitis, hæc recentia & breviora legat. Ceterum non dubito quin hoc ſit Romanum monaſterium, quod ſanctus Romanus Jurenſis abbas in pago Lauſannenſi conſtruxit, ut ſuperius diximus. Paullo minus mihi perſuaſum eſt, duas Ennodii [c] epiſcopi Ticinenſis epiſtolas Floriano inſcriptas, cujus laſcivientem in ſcriptitandis epiſtolis animum reprimit vir ſanctus, huic Floriano aptandas eſſe, tum juveni, ac floſculis recentis eloquentiæ pluſculum indulgenti. Præclarum eſt
» quod ait his in epiſtolis Ennodius, ſe jam dudum amore ſilentii abrupiſſe ſcriben-
» di ſtudium, & in locum gloriæ ſilentium computaſſe; diu eſſe, quod oratorium or-
» natum affectus orationis a ſe abſciderit, & nequeat occupari verborum floribus,
» quem ad gemitus & preces evocat clamor officii. Egregia virtus in epiſcopo, utinam non rarior in monachis ſtudioſis!

b Id. to. 1. p. 811. & ſeq.

c Ennod. lib. 1. ep. 25. & 26.

XXIX. Nicetius epiſcopus Trevirenſis.

In fine prioris epiſtolæ Florianus Nicetium rogat, ut pro beatiſſimo viro, do-
» mino ſuo, Dacio epiſcopo Mediolanenſi precetur. Æquum enim eſſe, ut pro eo,
» quem monaſterii ſæpta ſacrarunt ſucceſſorem, etiam confeſſorum ſucceſſor egre-
» gius beatorum, nempe Nicetius, qui ſanctis Maximino & Paulino ſucceſſerat in
» ſedem Trevirenſem, exorare non deſinat. Ex quibus verbis intelligimus, Nicetium abbatem fuiſſe ejuſdem monaſterii, cui poſt eum Datius præfuit. At quodnam illud monaſterium? Gregorius epiſcopus Turonenſis Nicetium monachum quidem & abbatem fuiſſe dicit, ſed cujus monaſterii non dicit, immo neque ejus patriam

memorat. In hiſtoria [a] Trevirenſi legitur, Nicetium fuiſſe abbatem *urbis Lemovicinæ*. At vereor, ne auctor deceptus ſit ex lectione ejus vitæ [b] per Gregorium, qui ait ſe ejus facta reſciiſſe *a beato Aredio abbate urbis Lemovicinæ*, ipſius Nicetii alumno ac diſcipulo. Forte enim putavit iſte auctor, ambos ejuſdem loci abbates exſtitiſſe. Id unum pro explorato haberi poteſt, Nicetii monaſterium ſitum fuiſſe in regno Theoderici Auſtraſiorum & Arvernorum regis, cui etiam Lemovicenſes videntur paruiſſe. Certe concilio Arvernenſi, quod Theodeberti ejus filii conſenſu convocatum fuit, interfuit Ruricius epiſcopus Lemovicenſis, cum aliis Aquitaniæ primæ prælatis; & epiſtolam ſynodalem Theodeberto inſcribunt *cultores*, inquiunt, *veſtri, eccleſiarum veſtrarum epiſcopi*, quos inter Ruricii etiam nomen comparet.

ANN. CHR. 541.
a Spicil. to. 12. p. 209.
b Gregor. de vit. Patr. c. 17.

XXX. Lemovicenſe S. Auguſtini monaſterium.

Hic eſt Ruricius junior, ex Aniciana ſtirpe, uti & prior, ambo Lemovicenſes epiſcopi, hic avus, ille nepos, quorum primus ſancti Auguſtini, alter ſancti Petri baſilicam erexit, teſte Fortunato [c] in epitaphio Ruriciorum,

c Fortunat. lib. 4. c. 5.

Accumulante gradus prænomine, ſanguine nexi,
Exultant pariter hinc avus, iſte nepos.
Tempore quiſque ſuo fundans pia templa patroni;
Iſte Auguſtini condidit, ille Petri.

Ruricio ſeniori conſtructionem ſancti Auguſtini eccleſiæ tribuit Gaufridus [d] Prior Voſienſis, aliique poſt eum; putavitque ex nomine ſancti Auguſtini canonicos regulares ibidem ab eo inſtitutos, quaſi tunc canonici regulares exſtiterint. Locus eſt extra muros urbis ad Vigennam * fluvium, in orientali plaga, ubi ſanctus Martialis oratorium in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis condidiſſe fertur, commune olim cœmeterium chriſtianorum, immo & epiſcoporum Lemovicenſium, ex quibus viginti-octo iſtic humati creduntur. An monachi ibidem principio inſtituti a Ruricio fuerint, tametſi veri ſimillimum eſt, non produnt vetera monumenta. Illud certum, ſi ulla eo in loco primitus inſtituta ſocietas fuit, monachorum fuit: cum rara clericorum ante ſæculum octavum familia in his partibus Gallicanis exſtiterit extra eccleſias cathedrales. At reſtituta ejuſdem loci eccleſia per Turpionem epiſcopum ante medium ſæculum decimum, ibidem collocati ſunt monachi, qui ex eo tempore iſtic perſeverarunt, perſeverantque hactenus ſub ſancti Mauri congregatione, quæ eo in loco initium habuit, atque ob hanc cauſam titulum abbatialem recuperavit ex regia munificentia glorioſæ memoriæ Ludovici Juſti. Quæ cauſa Ruricium impulerit ad conſtruendam hanc baſilicam ſub nomine ſancti Auguſtini, colligimus ex ejus epiſtolis, in quibus magnopere affectus fuiſſe videtur in lectionem tanti eccleſiæ Doctoris. Exſtat ejus hac de re epiſtola [e] ad Turentium epiſcopum, forte Nivernenſem, qua ſibi mitti poſtulat promiſſum librum ſancti Auguſtini de civitate Dei: *cujus dum nos*, inquit, *lectione ædificatis in terris, vobis ejuſdem civitatis habitacula preparetis in cælis.* In reſponſione Turentius eum laudat, quod antiquos ſcripturarum interpretes, Cyprianum, Auguſtinum, Hilarium, Ambroſium, alioſque amet, nedum aſſequatur; mittitque ſancti Auguſtini codicem ab eo exoptatum, chartaceum librum, adeoque ad ferendam injuriam parum fortem, « quia citius charta vetuſtate conſumitur. quod intelligendum de charta ſeu papyro « Ægyptiaca ex corticibus, quæ charta membranis longe fragilior erat. Ad ejuſdem ſine dubio conditionem eccleſiæ Ruricius parabat columnas illas, de quibus ſcribit [f] Claro epiſcopo, indubie Eluſano. Et forte ad idem opus etiam utebatur illo pictore, quem ſorori ſuæ Ceraunia [g] ſe dirigere in alia epiſtola teſtatur.

d Labbe to. 2. Bibl. p. 277.
* la Vienne.
e Ruric. lib. 2. ep. 16.
f Ruric. lib. 2. ep. [illegible]
g ibid. ep. 14.

XXXI. Alia ejuſdem diœceſis monaſteria.

De ſancti Petri baſilica, quam Ruricius junior, teſte Fortunato, ædificavit, nihil certi & explorati nobis dicendum occurrit. Erat per id tempus inter alias eccleſia ſancti Petri prope baſilicam ſancti Salvatoris & ſancti Martialis, ubi ſanctus Aurelianus antiſtes [h] ſepultus fuit: erat & ſancti Petri monaſterium Voſienſe * extra urbem ad Viſeram * fluvium, cui cœnobio præfuit Sebaſtianus abbas tempore Ruricii junioris, is qui beatum Aredium, Atanenſis cœnobii auctorem primumque abbatem, a pueritia in litteris inſtruxit. Id diſcimus ex teſtamento [i] ipſius Aredii, cedentis *Deo & ſancto Petro apoſtolo ad monaſterium Voſidenſe apud Limovicas monaſterium ſancti Michaëlis.* Idem Voſienſe monaſterium Aredius deſtruc-

h Labbe to. 2. p. 266.
* Vigeois.
* la Vezere.
i Analect. to. 2. p. 66. & ſeqq.

ANN. CHR. 542.

tum reſtauravit poſt mortem Sebaſtiani abbatis, atque innumeris beneficiis ditavit, monachis iſtic duodecim collectis, quibus nepotem ſuum Aſtidium, virum illuſtrem, præfecit abbatem. Exſiſtit etiam nunc hæc abbatia, non vero monaſterium ſancti Michaëlis in urbe, quod Voſienſi attribuerat Aredius, utpote poſt varias fortunas in eccleſiolam redactum.

Aliud tunc temporis fuit in eadem diœceſi cœnobium Comodoliacenſe, alias ſancti Juniani ad Vigennam *, modo canonicorum ſæcularium, auctorem habens ſanctum Amandum, qui ibidem ſolitariam vitam duxit. In hunc locum maxime affectus erat Ruricius junior, quippe qui ſancto Amando ædiculam, & beato Juniano tumulum conſtruxit, ibidemque ſepeliri voluit. Forte hujus loci baſilica ſancto Petro ſacra erat, adeoque hæc fuerit, de qua loquitur in ipſius Ruricii epitaphio Fortunatus.

* *la Vienne.*

Præter ea fuere per id tempus & alia apud Lemovices monaſteria, ut ſancti Pauli in urbe, conſtructum a Jocundo & Pelagia beati Aredii parentibus, atque a ſancto Ferreolo præſule dotatum; Rauzoliæ item monaſterium, ab iiſdem conditoribus Atanenſi abbatiæ addictum, ſi tamen jam tunc monaſterium erat, quod Cariſſima, Odonis Biturigum principis filia, & ſancti Aredii proneptis, eidem abbatiæ aſſeruit litteris datis *menſe Septembrio, indictione prima, veſano Childerico regali ſede ejecto, atque Pippino rege piiſſimo a Francis pro eo conſtituto.* His monaſteriis adde Nobiliacenſe ſancti Leonardi; item ſancti Valerici, quem cave ne confundas cum ſancto Walarico abbate Leuconaënſi; utrumque nunc canonicorum ſæcularium. Addunt plerique Scoltorienſe ſeu de Dorato ſancti Petri ad Separim amnem, itidem modo collegium ſæculare; uti & Aëntenſe * monaſterium ad Vigennam *, quorum originem ad Chlodovei M. principatum referunt, melius ad ſæculum nonum aut decimum revocandam. Hæc de monaſteriis Lemovicenſibus.

* *Emantiers.*
* *la Vienne.*

XXXII. Monaſteria diœceſis Arvernenſis, S Illidii.

Quod attinet ad monaſteria diœceſis Arvernenſis, multa itidem tunc exſtitere: quorum præcipua ſunt ſancti Illidii, Menatenſe, Mirandenſe ſancti Porciani, ſancti Cyrici, Rubiacenſe, Autumenſe, Cromonenſe, & Teclatenſe. Ut ſancti Auguſtini monaſterium apud Lemovicas, ita ſancti Illidii * apud Auguſtonemetum Arvernorum ſeu Clarummontem, primitus commune totius urbis cœmeterium fuit, in ſuburbii valle amœniſſima ad fluviolum Trundonis * ſeu Scateonis: ubi ſanctus Stremonius, aliis Auſtremonius, primus Arvernorum præſul, oratorium erexiſſe traditur in honorem ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis, dictum *ſancta Maria inter ſanctos*, propterea quod plurimi eo in loco ſancti quieſcant martyres, in primis Caſſius, Victorinus, & Anatolianus, atque multi etiam epiſcopi Arvernorum, ſanctitate inſignes. Certe jam Apollinaris-Sidonii tempore locum illum *ſepulcrorum multitudo* repleverat, in quibus *multa Sanctorum corpora* requieſcebant. Ex epiſcopis primus ac præcipuus eſt Illidius, qui oratorio ſanctæ Mariæ aliud ornatius & amplius adjunxit ſub titulo ſancti Clementis papæ & martyris, cujus brachium ibidem repoſuit. Deceſſit apud Treviros vir ſanctus, quo ſanandæ imperatoris filiæ cauſa profectus fuerat; ejuſque corpus ad Arvernos revectum, in oratorio ſancti Clementis ſepultum fuit, atque inde mox loco appellationem & celebritatem dedit, ut patet ex Gregorio [a] epiſcopo Turonenſi, qui ſancti Illidii baſilicam vocat. Idem tres [b] illic baſilicas exſtitiſſe dicit, quæ hodie quoque ſuperſunt, nempe ſancti Illidii, quæ præcipua eſt; ſancti Venerandi, & ſancti Caſſii, quæ parœcialis: additque, in ſancti Venerandi baſilica multa ex marmore [c] pario ſepulcra ſculpta fuiſſe, quæ viſuntur etiam nunc, veterum chriſtianorum, cum picturis Chriſti Domini & apoſtolorum, quales in Roma ſubterranea exhibentur. Lege Ruinartum noſtrum in addendis [d] ad Gregorium Turonenſem. Quo tempore monaſterium his oratoriis accreverit, obſcurum eſt. *Apocryſarius capitolii Arvernorum monaſterium juxta ſancti Clementis ſimul & ſancti Illidii eccleſiam conſtruxit*, inquit Winebrandus in libro de vita & miraculis ſancti Illidii: ſed quo tempore id contigerit, non explicat hic auctor, cujus ætas etiam ignoratur. Illud certum, Arnaldum & Raymundum ſecundum epiſcopos, cooperante Odone abbate Cluniacenſi, reſtituiſſe medio ſæculo decimo hoc monaſterium, quod incurſione barbarorum deſtructum fuerat.

* *S. Alire.*
* *Tiretaine.*

a *Greg. Tur. de vit. Patr. cap. 2.*
b *Id. de gl. conf. c. 36.*
c *Ibid. c. 35.*
d *Ruinart. p. 1400. & ſeq.*

XXXIII. Menatenſe.

Menatenſe ſancti Martini cœnobium quis primus condiderit, ignoramus. Cariléſum & Avitum inde ad Miciacenſe receſſiſſe jam ſuperius vidimus. Eodem tempore Brachio, Sigivaldi præpotentis famulus, hortatu Æmiliani eremitæ conver-

ſus eſt. Cum adhuc [a] eſſet laicus, nocte bis aut ter e lecto conſurgens, terræ pro- ANN. CHR. 542.
ſtratus preces fundebat ad Dominum. Ignarus, ſed cupidus litterarum, videns in
oratorio litteras ſuper *iconicas*, ut Gregorius vocat, apoſtolorum, aliorumque ſan- [a] *Greg. Tur. de vit. Patr. c. 12.*
ctorum conſcriptas, eas pro modulo exprimebat in tabulis, &, ſi quando clerici
aut monachi ſibi occurrerent, ab eis inquirebat nomina litterarum; atque hac in-
duſtria legere, ac ſcribere didicit. Mortuo Sigivaldo, adiit Æmilianum eremitam,
quibus & alii monachi adjuncti ſunt. Hinc origo monaſterii in ſilva Ponticiacenſi;
cui Ranichildis, Sigivaldi filia, multa prædia tribuit. Etſi blandus & humanus ſer-
mone, in ſe tamen ſeverus, & diſciplinæ monaſticæ in aliis rigidus exactor & cen-
ſor erat. Ob id accitus eſt ad regendum monaſterium Manatenſe ſeu Menaten-
ſe, quod per incuriam abbatis intepuerat. Ob hanc forte regularis diſciplinæ re-
laxationem Carileſus & Avitus monachi inde receſſerunt. Avito epiſcopo Brachio
imminentem obitum ſuum prænuntiavit, rogavitque prioris monaſterii ſui abba-
tem, ut corpus ſuum ibidem ſepeliret. Menatenſe reſtituit ineunte ſæculo octavo
Meneleus abbas ſub regula ſancti Benedicti, quam hodie quoque obſervat.

Paullo infra Menatum, ad fluvium itidem Sicaulam *, intermedio opidulo Ebo- XXXIV.
rolaco ſeu Ebrolio, olim prædio Apollinaris-Sidonii, ubi nobile Benedictinorum *S. Porciani.*
cœnobium a ſæculo decimo conditum exſtat, viſitur aliud, ſancti Porciani * nomi- * *la Sioule.*
ne celebratum, quondam Mirandenſe appellatum, quod circumpoſito non igno- * *S. Pourſain.*
bili opido cognomini originem dedit. Porcianus, uti & Brachio, in obſequio bar-
bari domini Deum cæli quærere non deſinebat. Identidem ad proximi cœnobii
Mirandenſis abbatem confugiens, toties revocabatur a domino ſuo: qui tandem
oculorum lumine orbatus, videndi facultatem emancipato ſervo redemit, abbate
pro ipſo apud Deum ſupplicante. Exin Porcianus clericus, ut Gregorius [b] loquitur, [b] *Greg. de*
id eſt monachus, factus, ad eum virtutis gradum pervenit, ut decedenti abbati ipſe *vit. Patr. c. 5.*
ſucceſſerit. Cum monaſterium regeret, Theodericus Auſtraſiorum rex in Arver-
nos irruens, in Arthonenſis vici pratis caſtra metatus eſt. Hunc convenit Porcia-
nus, rogaturus, ut abſtineret a devaſtatione regionis. Erat in regis comitatu Sigi-
valdus *, is qui Brachionis dominus fuerat, Porcianumque flagitavit, ut ſecum re- * *V. de gl.*
ficeret. Hic vero excuſare, quod neque hora eſſet reficiendi, nec regem adhuc ſa- *conf. lib. 1.*
lutaſſet; &, quod his omnibus potius erat, Deo necdum officium debitum perſol- *c. 14.*
viſſet. Sed tandem cedere compulſus, oblatum poculum benedicendo, vaſculum
fregit, & cum vino venenum latens effuſum eſt. Hinc ſancto viro multus honos
a rege & optimatibus, atque ab aliis impenſus; captivi redditi, & in libertatem
aſſerti. Hunc contra dæmonis aſtus & fraudes muniit Protaſius, recluſus in vicino
Canbidobrenſi monaſterio, quod Jacobus Sirmundus, eximiæ vir eruditionis, idem
eſſe cum ſancti Porciani cœnobio exiſtimavit. At, ſi Gregorii contextus expenda-
tur accurate, diverſa fuiſſe monaſteria nemo, ut quidem reor, negaturus eſt. Certe
tam diverſa fuere monaſteria, quam diverſa opida ſancti Porciani, & Canbidobrum,
vulgo *Combronde*, Ricomago vicinum, a ſancti Porciani opido diſſitum octo fere
leucarum intervallo.

Major eſt difficultas de Porciano abbate, cui Ennodius ſcribit epiſtolam [c] illam, XXXV.
cujus occaſione hanc notam Sirmundus adhibuit, an ſcilicet idem ipſe ſit Porcianus Porciani ab-
abbas Arvernenſis. quod quidem ægre conceſſerim. Hic quippe homo erat plane bates an duo.
rudis & indoctus, nec ipſi, ut puto, in mentem veniſſet ſcribere epiſcopo erudi- [c] *Ennod. l. 8. ep. 34.*
tiſſimo, & longis terrarum ſpatiis diſſito ab Arvernis. Atqui hac epiſtola Ennodius
gratias agit Porciano abbati, quod ſe litteris præveniſſet. Impetratæ, inquit, jam «
divinæ miſericordiæ fiducia eſt, cultorum Dei animis non deeſſe. Ergo gratias re- «
fero Trinitati Deo noſtro, qui, ut me reverentia veſtra alloquiis viſitaret, exegit. «
Suſcipio obedientiam veſtram. nec enim exiguus cultus debetur obſequentibus, cum «
Chriſti gloria maneat imperantem. Orate pro me, qui humanitatis imbecilla, dum «
adhuc eſtis homines, evitaſtis, quos contigit, necdum corpore ſequeſtrato, pon- «
deribus carnis abſolvi. Certe hæc mihi convenire non videntur in Porcianum Ar-
vernenſem. Permirum videtur ſcriptori recentiori, monachis hodie tribui *reveren-
tiæ* compellationem. Abſit hos titulos exigi a monachis: ſed a novitatis invidia vo-
cabulum Ennodius cum aliis pluribus vindicat. Nec erubeſcit magnus præſul *obe-
dientiæ* honorem abbati deferre. quod quidem non obſervarem, niſi nonnemo quod-
dam opuſculum epiſcopo abjudicatum vellet, quod auctor monachis librum ſuum
inſcribendo, obedientiæ ſibi munus hoc officio prætendiſſet.

ANN. CHR. 542. Verum non ſolum Ennodius, ſed & Apollinaris-Sidonius, vir magnus, eodem obediendi, immo & domini vocabulo utitur erga Voluſianum monachum, qui a ſe
XXXVI. S. Cyrici monaſterium. » Abrahæ abbatis epitaphium ſcribi optaverat. Jubes me, inquit, [a] domine frater, le-
» ge amicitiæ quam nefas lædi, jam diu deſides digitos incudibus officinæ veteris im-
» ponere, & ſancto Abrahæ die functo næniam ſepulcralem luctuoſis ſermonibus in-
a Sidon. l. 7. ep. 17. » ſcribere. Celeriter injunctis obſecundabo, tum tua tractus auctoritate, tum prin-
» cipaliter ampliſſimi viri Victorii comitis devotione præventus. Abraham Perſa erat, natus ad Euphratem. Dum Ægypti ſolitudines, ad viſitandos viros ſanctos, qui eas incolebant, perluſtraret, a paganis comprehenſus, multis pro Chriſto verberibus affectus, juſſu regis Perſarum in vincula conjicitur: in quibus quinque annos exegit. Inde elapſus, ad occidentales partes acceſſit, ob virtutes & potentiam in energumenos ab univerſis expetitus. Is vero honores fugiens, venit ad Arvernos, ubi in ſeceſſu urbis exiguam vili opere caſam, culmo tectam, cum oratorio ſtruxit. Paul-
b Greg. de vit. Patr. c. 3. lo aliter id narrat Gregorius [b], ubi ait, Abrahamum ad baſilicam ſancti Cyrici monaſterium collocaſſe. quaſi hanc baſilicam jam erectam inveniſſet. At Sidonius, cui potior fides, auctorem baſilicæ Abrabamum agnoſcit.

Ædificas hic ipſe Deo venerabile templum,
Ipſe Dei templum corpore facte prius.

Ibidem plenus dierum obiit, ſepultuſque eſt, pontificatu Sidonii, cum Victorius ducem ageret ſuper ſeptem civitates ſub Eurico Gotthorum rege, teſte Gregorio: tametſi comes tantum a Sidonio appelletur. In fine epiſtolæ Sidonius viciſſim a Vo-
» luſiano poſtulat, ut Abrahæ diſcipulos ſoletur, fluctuantemque regulam ſecundum
» ſtatuta Lirinenſium patrum vel Griniacenſium informet; diſciplinæ ſi qui rebelles
» fuerint, caſtiget; ſi qui ſequaces, collaudet. Præpoſitum quidem illis eſſe ſanctum
» Auxanium: qui vir, ut noſti, inquit, pluſculum juſto & corpore infirmus, & vere-
» cundus ingenio; eoque parendi, quam imperandi promtior, exigit te rogari, ut tuo
» ipſe ſub magiſterio monaſterii magiſter accedat; &, ſi quis illum de junioribus ſpre-
» verit, tamquam imperitum vel puſillanimem; per te unum ſentiat utrumque non
» impune contemni. Quid multa? vis ut paucis quæ velim agnoſcas? Quæſo ut abbas
» ſit frater Auxanius ſupra congregationem, tu vero & ſuper abbatem. nempe ut curaret Auxanio abbati ab omnibus obtemperari, non ut ipſe abbas eſſet primarius ſuper Auxanium abbatem. Ex quibus intelligimus, homines corpore infirmos & verecundos ingenio, minus idoneos eſſe ad alios regendos. Nunc parœcialis eſt ſancti Cyrici eccleſia, de qua fit mentio in libro primo de eccleſiis Claromontenſibus, & de ejus altari, *ubi ſanctus Abraham, & ſanctus Juſtus, & ſanctus Silvanus quieſcunt.*

XXXVII. Rubiacenſe & S. Martii. * Royat. Juxta eamdem pariter urbem ſitum erat virginum monaſterium Rubiacenſe*, mille circiter paſſuum millibus ab urbe diſſitum verſus occidentem, a monte Rubiaco ſic appellatum. Poſitum eſt inter duos præcelſos montes in rupe, ſub qua amnis ſen torrens Scateon, vulgo *Tiretaine*, ſeu Trundo dictus, præterfluit. Incerta illius parthenonis origo, quam noſter Petrus Laurentius, a quo ejus loci notitiam accepi, tribuendam putat ſancto Præjecto Arvernorum epiſcopo, de quo in ſæculo ſequenti acturi ſumus. Huc ſanctus Bonitus Arvernorum præſul adduxit ex Britannia Blandam mulierem, cui lumen oculorum reddiderat. Iſtic erat altare ſanctæ Mariæ; item alia duo, nempe ſanctæ Segolenæ, & ſanctæ Genovefæ; ibidemque ſancta Sacra requieſcebat, ut in veteri notitia eccleſiarum Claromontenſium legimus. Hactenus eo loci ſupereſt eccleſia haud inelegans, ſancto Leodegario ſacra, in qua ſervantur etiam nunc reliquiæ ſanctæ Sacræ, forſan olim ibidem ſanctimonialis, ſed nullo publico cultu honoratæ. Ibidem crypta eſt beatæ Mariæ dedicata. Eccleſia modo parœcialis eſt cum prioratu, qui a Mauſacenſi monaſterio pendet.

Non longe ab hoc parthenone aberat ſancti Martii abbatis monaſterium, qui, re-
c Greg. de vit. Patr. c. 14. ferente [c] Gregorio, cujus pater Florentius Martii benedictionem obtinuerat, in rupe cavati montis cellulam, ſcamnum & lectulum ſibi paraverat, nihil habens proprium, niſi Dei cultum: cui victum interdum devotorum largitio miniſtrabat. In ejus eccleſia, ubi nunc prioratus ſancti Illidii abbatiæ ſubjectus, eſt altare ſanctæ
XXXVIII. Autumenſe duplex. * Autoin. Felicitatis, ubi olim ejus corpus requieſcebat.

Exſtabat olim apud Arvernos Autumenſe * monaſterium duplex: unum, non longe

longe ab Iciodoro opido ad Elaver * fluvium, Cantoënnenſi canonicorum regularium
abbatiæ etiam nunc prioratus nomine ſubjectum: aliud item in Delſinatu Arver- ANN. CHR 541.
niæ, ſolo pingui ſitum, itidem prioratus, modo a Celſiniacenſi monaſterio pen- * *l'Allier.*
dens. In alterutrum ſe recepit Walaticus, poſtea Leuconaënſis in Pontivo abbas,
de quo inferius.

Sexto ab urbe Arverna milliario diſtabat Cromonenſe * monaſterium. Iſtuc cum XXXIX.
Gallus, nobilis ex Georgio ſenatore Arvernus, ſe recipere vellet, non eum prius Cromonenſe.
admiſit abbas, quam Gallus patris conſenſum obtinuiſſet. Ille vero, etſi primo * *Cournom.*
ægre tulit, mox tamen aſſenſus eſt. Natum hunc, inquit, conjugio deſtinave-
ram, utpote primogenitum: ſed, quando Deus eum ad aras vocat, æquum eſt ejus
potius, quam noſtra voluntas fiat. Mox abbas eum *clericum*, ut Gregorii verbis
loquar [a], id eſt monachum, fecit. Erat in eo magna vitæ & caſtimoniæ puritas, a *Greg. de*
mens ſeria, & ſenilis in juvene gravitas; lectio pæne aſſidua, longa denique jeju- *vit. Patr. c. 6.*
nia. Hunc beatus Quintianus a monaſterio paullo poſt abſtraxit; patre mortuo
Theodericus rex evocavit in aulam, ac demum Quintiano ſufficiendum curavit.
Deſtructum fuit a Danis, ut & alia ejuſdem regionis fere omnia, Cromonenſe mo-
naſterium: at ſæculo decimo inſtauratum pro canonicis regularibus, quibus tandem
ſæculares canonici ſucceſſerunt.

Denique cœnobium ſancti Petri de Teclada ſeu Teclatenſe, incertæ, uti & Cro- XL.
monenſe, originis, jam ſtabat ſæculo ſeptimo. quippe Moderatus ejus loci abbas lau- Teclatenſe.
datur in hiſtoria tranſlationis ſancti Boniti epiſcopi Arvernenſis, procedente octavo
ſæculo factæ. In libro ſecundo de eccleſiis & altaribus Claromontenſibus ſancta Te-
cla requieſcere dicitur in monaſterio Camalarienſi, quod eruditus Savaro idem eſſe
ſuſpicatur cum Teclatenſi, quaſi ita dictum ſit a ſancta Tecla loci patrona. At di-
verſum eſſe conſtat. Siquidem Camalarienſe monaſterium modo eſt collegium ca-
nonicorum ſæcularium: Tecladenſe * vero prioratus Caſæ-Dei abbatiæ ſubjectus. * *Teilledo.*
Certe Simon archiepiſcopus Bituricenſis in inſtrumento viſitationis ſuæ, ſub finem
ſæculi tertii-decimi factæ, dicitur acceſſiſſe non ſemel ad *Teillede, latine Teeletas,*
prioratum Caſæ-Dei. qui ſitus eſt haud procul a Ricomago, verſus Canbidobrum opi-
dum, de quo modo agebamus. His omnibus adde monaſterium Brivatenſe, cujus b *V. infra*
abbas Felix [b] laudatur apud Frodoardum, de quo inferius. *lib. 13. n. 20.*

Quænam regulæ in prædictis monaſteriis obtinuerint, colligimus ex ſuperiori XLI.
Sidonii epiſtola, in qua Voluſianum monet, ut *fluctuantem regulam* monaſterii ſancti Regulæ ho-
Cyrici *ſecundum ſtatuta Lirinenſium patrum, vel Grinincenſium* informet. ubi regulæ rum monaſte-
vocabulum non pro aliqua ſcripta, ut vulgo, regula uſurpatur, ſed pro certa viven- riorum.
di ratione ac diſciplina uſu recepta in monaſterio. quo modo non raro accipitur
apud veteres ſcriptores rerum monaſticarum. Sic, teſte Caſſiano [c], in cœnobiis c *Caſſian.*
orientalibus *tot propemodum typi ac regula* erant, quot monaſteria. quod de mona- *l. 2. Inſt. c. 4.*
ſtica ſeu regulari diſciplina, quæ pro nutu præpoſitorum variabat, non de regulis
ſcriptis intelligendum eſt. Neque alia forte fuerint tunc ſtatuta patrum Lirinen-
ſium ſeu Griniacenſium, quam ritus & conſuetudines uſu receptæ: quales apud
Cartuſienſes abſque ſcripto viguere ad Guigonem uſque, quintum majoris Cartu-
ſiæ præpoſitum, qui eas in ſcripta primus redegit. Quod ſi in ſancti Cyrici monaſte-
rio ſub Abrahamo abbate ſtatuta Lirinenſium & Griniacenſium in uſu erant, veri
ſimillimum eſt eamdem ſuiſſe aliorum etiam ejuſdem provinciæ monaſteriorum diſ-
ciplinam. De Lemovicenſibus id unum ſcimus, quod de Atanenſi ſancti Aredii cœ-
nobio Gregorius [d] Turonenſis antiſtes memoriæ prodidit, nempe iſtic *non modo Caſ-* d *Id. Inſt.*
ſiani, verum etiam Baſilii, & reliquorum abbatum, qui monaſterialem vitam inſtitue- *lib. 10. c. 29.*
runt, regulas celebratas fuiſſe. Quippe non una tum erat, ut jam dixi, repetamque
ſæpius, nec fixa ſingulorum monaſteriorum ſcripta regula. Plures ſimul in eodem
loco obſervari mos erat: ex quibus certa vivendi ratio ac diſciplinæ regularis forma
pro voluntate abbatum conſtituebatur, ceteris, quæ in eiſdem regulis ad informan-
dos mores pertinebant, lectioni ac meditationi fratrum reſervatis. Unde per illa
tempora nec mutatio regularum ſtatum mutabat, nec ſtatus forma pendebat ex re-
gulis; quæ cum ad unum ſcopum ac propoſitum tenderent omnes, eumdem mo-
naſtici ordinis ſtatum conſtituebant: eum ad modum quo variæ in eamdem regu-
lam conſtitutiones, ut vocant, unitati Ordinis modo non officiunt. Ceterum hæc
vivendi norma, quæ apud Atanenſes vigebat, ex Baſilii, Caſſiani, aliorumque pa-

ANN. CHR. 541.

trum regulis conflata, non multum ſine dubio diſſidebat ab inſtitutis Lirmenſium & Griniacenſium, quorum vivendi ratio a primis inſtitutoribus ſuis orientalium diſciplinæ accommodata fuerat.

XLII. Griniacenſes monachi.

De Grinincenſibus ſeu Griniacenſibus id ſolum nobis reſtat, quod in libello de vita ſancti Clari abbatis legimus, nempe eorum *cœnobia*, a ſanctis pontificibus Viennæ Allobrogum fundata, *in quorum maximo* oſſa beati Ferreoli martyris condita erant, quadringentos monachos aluiſſe. Non ergo unum erat Griniacenſium, ſed plura monaſteria, quorum auctor & inſtitutor ignoratur. Forte ſancti Marcelli cœnobium ex illis unum erat: ſiquidem Clarus, qui in majori ſancti Ferreoli monaſterio veſtes monaſticas induerat, a pontifice urbis abbas ad ſanctum Marcellum inſtitutus fuit. Griniacenſe * monaſterium, a quo alia ejuſdem inſtituti cœnobia vocabulum traxerunt, ſitum fuiſſe videtur extra muros urbis ad Rhodanum, eo in loco, qui hodie quoque vulgatum nomen retinet.

* *Grigny.*

XLIII. Viennenſia monaſteria.

Erant tum Viennæ & alia monaſteria intra & extra civitatem, quorum unum ſancti Petri ad auſtralem partem Leonianus abbas, ut ſuperius ᵃ diximus, inſtituit, quod quingentos pæne monachos alebat tempore Clari abbatis. aliud erat ſancti Andreæ intra urbem, virginum numero centum, eodem tempore, ubi tantum ſexaginta principio ſub ejuſdem Leoniani abbatis diſciplina verſabantur. Utrumque cœnobium Anſemundus & Anſleubana, nobiles cives Viennenſes, principatu Chlotharii primi condiderunt. Auctor vitæ ſancti Clari alia memorat: unum ſanctorum Gervaſii & Protaſii, monachorum quinquaginta: alterum ſancti Johannis Baptiſtæ, totidem: tertium ſancti Vincentii martyris, itidem quinquaginta: quartum ſancti Marcelli, triginta: quintum ſancti Martini, quinquaginta. Ad hæc ſanctimoniales viduæ apud ſanctam Blandinam viginti-quinque: apud ſanctum Andream, tum ſuperiorem, tum Inferiorem, nam duo id nominis erant parthenones, virgines utrobique centum: apud ſanctum Nicetium quadraginta: apud ſanctam Columbam triginta. Erant ergo ſæculo ſeptimo intra aut prope Viennam ſex minimum monaſteria virorum, non computatis Griniacenſibus: & quinque virginum. Horum omnium, præter unum ſancti Petri virorum, & alterum ſancti Andreæ virginum, » cujus auctores mox laudavimus, incerta origo eſt. Alia quoque erant, ait idem » vitæ ſancti Clari ſcriptor, venerabilia ſanctorum in unum converſantium habitacula » ad ſexaginta, quæ ſub cura pontificis in eadem diœceſi vigebant. In his quatuor erant a ſancto Theuderio abbate inſtituta, de quo nunc agendum eſt.

a *lib. 1. n 77.*

XLIV. Theuderii abbatis res geſtæ.

Theuderius & ipſe unus fuit e diſcipulis ſancti Cæſarii epiſcopi Arelatenſis, præter Ægidium & Florianum abbates ſuperius laudatos. Ejus vitam ᵃ in litteras retulit ſæculo nono Ado Viennenſis antiſtes, eamque *fratribus in cœnobio ſancti Theuderii conſiſtentibus* inſcripſit, ut eos ejus exemplis ad amorem vitæ æternæ amplius invitaret. Ortus eſt ex Viennenſi provincia vir ſanctus, parentibus genere claris & locupletiſſimis. Amplo patrimonio in pauperes effuſo, adoleſcens Lirinenſis monaſterii deſiderio ſanctum Cæſarium adiit, ut per ipſum in ſacram illam familiam facilius admitteretur. Retentus apud Cæſarium, eximios in virtute progreſſus fecit, adeo ut ei, quamvis reluctanti, beatus antiſtes diaconi officium, & non multo poſt ſacerdotii dignitatem contulerit. Cum aliquamdiu apud eum conſtitiſſet, incidit ei cogitatio reviſendi patrios lares. Pontificis benedictione accepta, Viennam reverſus, locum aptum ad religioſum ſeceſſum » quæſivit. Placuit ei locus haud procul ab urbe, ubi in honore Domini noſtri Jeſu » Chriſti, Adonis verbis utor, ſub veneratione beati Euſebii Vercellenſis epiſcopi » & martyris domunculam, id eſt oratorium, ædificare cœpit. Tum juxta Jaïram fluvium monachorum cella cum oratorio ſancti Symphoriani ab ipſo conſtructa: ubi, plurimis ad eum undique confluentibus, frater ejus Arvus cum aliis conſanguineis ſuis ipſum convenit. Forte locus non capiebat tot diſcipulos, qui frequentes ad eum veniebant. Hinc aliud cœnobium condidit ad caſtrum Alaronam, cum oratorio ſancti Petri: aliud item ad vicum & villam parentum ſuorum, vocabulo Aſſiciam, in honorem ſancti Mauricii. Neque his contentus, quartum addidit in colle Ruſpiano, qui locus tum ſilveſtris, ac feris tantum pervius erat: ubi eccleſiam in veneratione ſanctæ Dei genitricis Mariæ condidit, cum monaſterio, propinquorum ſuorum facultatibus dotato, cui *regulam ſanctorum Patrum* præſcripſit. Præerat tum Viennenſi eccleſiæ Philippus epiſcopus, ordine *vi-*

a *Acta ſæc. 1. Bened. p. 678.*

ceſimus primus, is qui conſilio Lugdunenſi ſecundo, & quarto Pariſienſi præſedit.

ANN. CHR. 542.

In eadem vero urbe conſuetudo ſerebat, unum e ſanctioris vitæ hominibus intra urbem recludi in privata cellula, qui uni vitæ contemplativæ addictus, vota populi Deo aſſidue offerret. Fuerat ex eo numero Leonianus abbas ſuperius laudatus, qui Viennæ clauſtro peculiaris cellæ concluſus, per multos annos hoc officio functus eſt. Electus ad id muneris a Philippo Theuderius, Severiano præpoſito poſtremi hujus monaſterii curam commiſit, atque in monte Quirinali intra urbem ad baſilicam ſancti Laurentii recluſus, reliquum vitæ, nimirum per duodecim annos, in oratione & magna diſtrictione exegit, ita ut advenientibus monita ſalutis nonniſi per modicam feneſtram daret. Poſt mortem ejus corpus ſepultum eſt in prædicto ſanctæ Mariæ monaſterio, quod ab eo nomen poſtmodum accepit, vernacule *Saint Chef* appellatum, ex ordine ſancti Benedicti in collegiatam eccleſiam converſum, cujus portio abbatialis archiepiſcopis aſſignata eſt.

XLV. Cenomannenſis epiſcopi legatio ad S. Benedictum.

A ſancto Benedicto ad Cæſarium digreſſi, nunc ab ipſo Cæſario ejuſque diſcipulis ad ſanctum Benedictum revertimur. Triſtem, ut dicebam, & conturbatum ex Caſinenſis everſionis prævıſione ejus animum relevavit legatio Cenomannenſis epiſcopi, qui novi inſtituti fama permotus, Benedicti diſcipulos in diœceſim ſuam accerſere decrevit. Id accidit ſub finem anni, qui beati Patris obitum præceſſit, id eſt extremo ejus ſæculi anno quadrageſimo-ſecundo, ſi conſtet hunc obitum anno quadrageſimo-tertio, menſe Martio contigiſſe. Legationis hujus auctor in vulgata ſancti Mauri acta Berthichramnus pro Innocente ſeu Innocentio intruſus eſt ab Odone abbate, ejuſmodi actorum editore, quorum primus auctor dicitur Fauſtus monachus, Mauri in eadem peregrinatione ſocius. Quo modo hæc acta in manus Odonis abbatis inciderint, Odo ipſe exponit in epiſtola, vitæ ab eo editæ ſeu interpolatæ præmiſſa ad Adelmodum Cenomannenſis eccleſiæ archidiaconum.

S. Mauri vita ut reperta.

Erat Odo abbas monaſterii Glannafolienſis ad Ligerim in pago Andecavenſi, quod beatus Maurus conſtruxit, & corporis ſui ſepultura, non ſolum vita & converſatione ſua nobilitavit. Graſſantibus per illas partes Normannis, Odo cum ſancti Mauri corpore hac illac profugus, in Burgundiam acceſſit. Cum ad Ararim in prædio quodam illuſtris viri Audonis comitis tantiſper conſiſteret anno ſexageſimo-tertio ſupra octingenteſimum, obvios habuit quoſdam ex Romana peregrinatione redeuntes: quorum unus clericus, Petrus nomine, ex Neuſtriæ pago Abrincatino iſtuc ante biennium profectus, quaterniunculos inde referebat, antiquaria conſcriptos manu, ac nimia pæne vetuſtate conſumtos, qui vitam ſancti Benedicti ac diſcipulorum ejus quinque, Honorati videlicet, Simplicii, Theodori, Valentiniani atque Mauri, continebant. Hos quaterniunculos, quia e re ſua erant, Odo aliquot nummorum pretio redemit. Sic acta ſancti Benigni martyris, Burgundionibus olim ignota, ſanctus Gregorius Lingonum antiſtes accepit ex Italia, ut pronepos ejus Gregorius [a] Turonenſis tradit. Et quoniam vitio ſcriptorum, nedum inculto ac impolito ſermone, depravati erant hi quaterniones; ſancti Mauri acta pro modulo, viginti fere dierum labore, Odo correxit, *ſalva fide dictorum & miraculorum inibi repertorum*. In fine prædictæ epiſtolæ lectores obteſtatur, *per eam quæ eſt in Jeſu veritatem*, ut relationi ſuæ *abſque fuco* factæ fidem habeant. Non tamen deſunt nævi aliquot in hac vitæ narratione, qui Fauſto monacho tribui vix poſſunt, qualis eſt ille, quem mox notabam, de nomine epiſcopi Cenomannenſis iſtius legationis auctoris, quem fuiſſe Innocentium, non Bertichramnum, temporis ratio perſuadet. quippe Innocentius, cum Aurelianenſi concilio quarto ſubſcripſiſſet anno quadrageſimo-primo, exiguo tempore ſupervixit, ſucceſſorem ſortitus Domnolum, dein Baldegiſilum: cui Bertichramnus, mortuo jam ſancto Mauro, ſucceſſit anno Childeberti junioris undecimo, qui fuit ejus ſæculi octogeſimus-ſextus. Hinc apparet quantum a vero aberraverit Odo, qui, cum Bertichramnum pro Innocentio intruſiſſet, Bertichramno Domnolum conſequenter, ſed falſo ſuppoſuit. Sunt & alia in his actis errata, quæ ſuis locis notare neceſſarium erit. Porro hanc Cenomannenſis epiſcopi legationem ſancto Benedicto cæleſti oraculo prænuntiatam fuiſſe, ad erigendum ejus ex Caſinenſis excidii prænotione animum, Fauſtus vulgatus tradit, Deum ipſum Benedicto loquentem inducens: Bono animo eſſet. « Irrevocabilem quidem eſſe de Caſini everſione divinam ſententiam: at brevi adfore « opportunum ſolatium atque in tantis malis remedium, ex quo locus ipſe in melio- «

[a] *Greg. Tur. lib. 1. de gl. mart. c. 51.*

AN. CHR. 542.

» rem reſtituerentur ſtatum, & in exteras nationes ejus inſtituti ſplendor diffunderetur. Proinde, ubi primum hujus rei oratores accepturus eſſet, extemplo quos probabiliores haberet diſcipulos, eo mittere, quo poſtularentur, ne hæreret, haud dubius de ſucceſſu & fructu operis, nec de præmio, quod ſibi inde accreſceret poſt mortem, quæ ipſum paullo poſt cælo eſſet illatura.

XLVI. S. Maurus ad miſſionem deſignatus.

Oraculum brevi ſecutus eſt effectus. Caſinum quippe ſub finem anni advenere ab Innocentio epiſcopo legati, Flodegarius archidiaconus, & Harderadus vicedominus, multis precibus flagitantes, ut pio antiſtiti concederentur ſacri inſtituti cultores probatiſſimi, qui in fundo ad hoc parato iſtud proſeminarent. Annuit ſanctus Pater, quamquam vitæ ſuæ exitum imminere intelligeret, nec niſi ægre cara a ſe pignora pateretur avelli. Delectus ad id muneris Maurus una cum Conſtantiniano, Antonio, Simplicio, & Fauſto, qui anno ſequenti ineunte iter ad has partes inſtituerent. Præpoſiti apud Caſinenſes munere tunc fungebatur Maurus, qui qualis ac quantus vir fuerit, intelligimus tum ex eo quod ſuper aquas ſiccis pedibus Placidi auxilio accurrit; tum ex alio miraculo, quo linguæ & pedum officia, cum ex agri opere ad horam ſextam regrederetur, ſurdo & muto puero reſtituit, impoſita ſuper ejus caput ſtola levitica, quam eo anno, quo ſcilicet diaconus ordinatus fuerat, pro more geſtabat. Moris enim tunc erat, quod ex ſolo Fauſto diſcimus, ut toto ordinationis ſuæ primo anno diaconi *ſanctitatis gratia* ſtolas indeſinenter gererent. Nec eſt quod hac in re ſive Fauſto, ſive Odoni fidem denegemus. ſi quidem id etiam novis preſbyteris apud Cluniacenſes mos erat, ut ſacerdotalem ſtolam, etiam noctu in lecto, retinerent, ut ex facto ſancti Odonis conſtat apud Johannem [a] ejus vitæ ſcriptorem. immo in concilio Moguntino anni DCCCXIII. ſtatuitur canone XXVIII. ut *preſbyteri* omnes *aſſidue* & *ſine intermiſſione utantur orariis propter differentiam ſacerdotis dignitatis*. Id miraculi cum apud alios omnes, tum maxime apud Benedictum, conceptam de Mauro opinionem magnopere auxit. Nullus eodem in jejuniis rigidior, nullus in vigiliis magis aſſiduus. Cilicio oblongo, tunicæ ac cucullæ loco, in quadrageſima uti ſolitus, duabus tantum per hebdomadam diebus corpus parciſſime reficiebat; aliis temporibus cilicium ſub tunica geſtabat. Somnum ſuper aggeſtum ſabuli, ſtragulo cilicino inſtratum, capiebat extra quadrageſimam, qua vix ſedenti id ſibi tribuebat. Pachomius ad carnem ſuam magis edomandam cilicina, ut plurimum, veſte corpus tegebat: &, cum defatigatum nimiis vigiliis corpuſculum tantiſper recreare vellet, in cellulæ ſuæ medio ſuper lapidem, aut aliud quidpiam conſidens, ne parieti quidem incumbendo, ſomnum captabat. Is fere erat Maurus, quem tam celebris miſſionis ducem ac ſigniferum Benedictus deſignavit.

a *Johan. lib.* 1. *n.* 37.

XLVII. Legationis tempus.

Hujus legationis tempus certo definire vix poſſumus, propterea quod annus tum obitus Innocentii epiſcopi Cenomannenſis, tum electionis Domnoli ejus ſucceſſoris non ſatis exploratus eſt. Innocentium concilio Aurelianenſi quarto conſtat ſubſcripſiſſe *Baſilio conſule, indictione quarta*, id eſt ſæculi ſexti quadrageſimoprimo; & quidem in ſynodo, ut veri ſimile eſt, verni temporis. nam indictio quinta menſe Septembri inchoabat. Quam diu ſupervixerit Innocentius, incompertum. Poſt ejus obitum veteres tabulæ Cenomannenſes interpontificium ſtatuunt, ſed incerti intervalli: recentiores nonnulli intruſum eo intervallo fuiſſe aiunt Scienfridum, quem ſub Innocentio chorepiſcopum prædictæ tabulæ exhibent, non intruſum. Innocentio itaque, mediante incerti temporis interpontificio, proxime ſucceſſit Domnolus: at ejus pontificatus & exordium, & diuturnitas nobis certo non conſtant, ſive Gregorii Turonenſis [b] hiſtoriam, ſive acta vetera epiſcoporum Cenomannenſium, ſive ipſius Domnoli vitam ab anonymo ſcriptam conſulamus. Gregórius annos dumtaxat viginti-duos epiſcopatus ei tribuit: acta epiſcoporum vetera [c] quadraginta-ſex cum menſibus undecim. Carolus Cointius, Gregorii totum libri ſexti caput nonum, quod de Domnolo eſt, interpolatum cenſet, utpote quod abeſt a Corbeienſi & Mettenſi codicibus. Etſi ejus ſententiæ non aſſentiar, illud tamen adverſus Gregorianum textum me movet, quod in eo Domnoli pontificatus brevior ſit, quam vetera ferant inſtrumenta, quæ in actis epiſcoporum ejus ſedis referuntur. Unum eſt Theodeberti [d] Francorum regis, cujus ſi notæ chronicæ ſinceræ eſſent, ad probandum Domnoli exordium valde conducerent. Datum quippe legitur anno ſeptimo regni Theodeberti, menſe Junio.

b *Greg. Tur. lib.* 6. *c.* 9.

c *Analect. veter to.* 3. *p.* 47. & 99.

d *ibid. p.* 108.

ANN. CHR. 541.

qui annus coincidit cum anno Chriſti quadrageſimo-primo ; ac proinde vix integro poſt menſe, quam Innocentius Aurelianenſi concilio ſubſcripſerat. Id vero admitti non poteſt : tum quia hoc pacto nullus interpontificio, immo nec fere electioni, locus relinquitur : tum quia hoc admiſſo, Innocentius ante menſem Junium obiiſſe debuerat, quem acta epiſcoporum & faſti Cenomannenſes tertiodecimo kalendas Julii deceſſiſſe tradunt. At ſive annum Theodeberti regis octavum, ſive etiam duodecimum pro ſeptimo in ejus diplomate reponas ; anni minimum pontificatus triginta-quinque Domnolo tribuendi ſunt, cujus litteræ pro Canone villa datæ ſunt Chilperici regis anno viceſimo, Chriſti octogeſimo-primo ſupra quingenteſimum ; qui annus Domnoli ſupremus fuit.

XLVIII. Auctores conciliantur.

Verum fortaſſe tanta annorum diſparitas ita conciliari poterit. Domnolo poſt Innocentii mortem electo quiete ac tranquille ſedem ſuam occupare non licuit ob odium Childeberti Cenomannis imperantis, cui is inviſus erat, propterea quod Chlothario faveret, teſte Gregorio. Mortuo Childeberto cum Chlotharius Domnoli amicus principatum apud Cenomannos obtinuiſſet ; tunc demum Domnolus pacifice eccleſiam ſuam rexit per annos, quibus ſupervixit, viginti-duos. Hujus temporis tantum rationem in aſſignandis ejus pontificatus annis Gregorius habuit : alii longe plures annos eidem tribuerunt, ducto a prima ejus electione exordio. Toto illo tempore, quod ante Childeberti obitum fluxit, Domnolus nullas a Childeberto litteras impetrare potuit : plures dein obtinuit a Chilperico Chlotharii filio. Cur vero unum diploma a Theodeberto Auſtraſiorum rege, cui tunc nihil juris apud Cenomannos competebat ? nempe quod, exſtinguendo abſque maſculis Childeberto, devolvenda partim eſſet ad nepotem patrui hereditas. Ergo anticipato Theodebertum adiit Domnolus pro eccleſiæ ſuæ cauſa, non Childebertum ſibi infeſtum. Hæ conjecturæ meæ ad conciliandum Gregorii contextum cum actis epiſcoporum Cenomannenſium.

Nec forte difficilius fuerit Domnoli ſcriptorem vitæ cum Gregorio itidem conciliare. Auctor ille, quiſquis eſt, etſi eum Hadoindi epiſcopi juſſu hæc ſcripſiſſe admittamus, certe non admodum accuratus fuit, ut qui nec Domnoli patriam, nec locum, ubi epiſcopus fuerat antequam Cenomannis præficeretur, noverat. Omiſſa ejus abbatialis in Pariſienſi ſancti Laurentii baſilica dignitatis, de qua Gregorius agit, mentione, ait eum Romam ad limina Apoſtolorum profectum, cum in Galliam rediret, electum fuiſſe epiſcopum Cenomannenſem, ubi *jam pridem beatus Innocens ad Dominum migrarat* : atque ejus electioni tam proceres & principes, quam univerſum clerum & populum conſenſiſſe, cum antea jam alibi epiſcopus fuiſſet ordinatus. Huc referri poteſt id quod de Domnolo tradit Gregorius, eum a Chlothario ſedi Avennienſi epiſcopum fuiſſe deſtinatum, ſed ejus rogatu in aliam ſedem reſervatum. Niſi malis, communem hunc & generalem ejus pro ſede Cenomannenſi electionis conſenſum contigiſſe poſt obitum Childeberti, qui eam antea ratam habere noluerat. quod tamen impedire non potuerit ejus ordinationem, at cum ſedem pacatam per Childebertum habere ipſi non liceret, nec ſancto Mauro in condendo, quod deceſſor ipſius Innocentius meditabatur, monaſterio ſuffragari poſſet, nec in eccleſia ſua conſiſtere ; ob id ad limina apoſtorum ſe contulerit, dum ſerenior rerum facies ſibi arrideret. quod quidem contigerit mortuo, ita ut mox dicebamus, Childeberto.

XLIX. Gregorii Turonenſis locus de Domnolo excuſſus.

Hæc ſi certis demonſtrari argumentis non poſſunt, certe a veri ſimilitudine non multum abhorrent. Verum, utcumque ſit de his conjecturis, certum eſt Gregorii de Domnolo narrationem non eſſe commentitiam & aſſutam. Certe eas rerum circumſtantias præfert, quæ neſcio quo pacto interpolatori venire in mentem potuiſſent. Domnolus, ex Gregorio, apud Pariſios in baſilica ſancti Laurentii gregi monachorum præfuiſſe dicitur. Nihil hac de re, fateor, in libello de Domnoli vita : ſed quod hic legitur, Domnolum Germano Pariſiorum antiſtiti maxime familiarem fuiſſe, id Domnoli apud Pariſios commorationi fidem conciliat. unde enim alias hominis exteri, & ex longinqua peregrinatione in Galliam ſubito adventantis, tanta cum Germano neceſſitudo ? Ceterum ſi a Gregorii hiſtoria removerentur, quæcumque a nonnullis abſunt codicibus, quantumvis antiquis, mutilam & truncam haberemus Gregorianam hiſtoriam, & fere nullam. Id patet ex variis locis, pleriſque magni momenti, quæ Cointius ex ejus textu expungenda exiſti-

ANN. CHR. 542.

mat, quod in nonnullis codicibus deſint. Verum hi defectus non interpolatoris vitio, ſed aliis cauſis imputari poſſunt. Una eſt, quod Gregorius abſoluta hiſtoriæ ſuæ rudi editione, eam retractando, nova novis curis ſubinde, ut fit, adjecerit, quæ ſequentes editiones reddidere auctiores. Jam vero qui eam poſtea deſcripſere hiſtoriam, ſi prioris editionis exemplar nancti erant, iis capitulis d'minutam habebant, quæ ſecundis exemplaribus adjecta fuerant. Immo non totos decem libros continenter ſcripſit Gregorius, ſed primo quidem ſex primos vulgavit: quos unos habebant veterrimi codices, Mettenſis & Corbeienſis; nec plures in epitomen Fredegarius Scholaſticus redegit, auctorve geſtorum Francorum. Afferri poteſt & alia cauſa ex deſidia & arbitrio antiquariorum, qui, ut compendioſiori labore Gregorianam haberent hiſtoriam, ea tantum exſcribebant, quæ e re ſua ſibi videbantur. Plura hac de re inferius.

L. *Legationis ſumma.*

Itaque, ut ad propoſitum me referam, mihi perquam veri ſimile eſt, Innocentium epiſcopum verno tempore anni quadrageſimi-ſecundi legatos ad montem Caſinum direxiſſe, qui tum Gotthici belli difficultatibus, tum Romanæ urbis videndæ ac perluſtrandæ ſtudio, in itinere nonnihil retardati, nonniſi autumno procedente Caſinum pervenerint, dum Totila Neapolitana obſidione occupatus, liberum iſtuc iter reliquerat. Interim Innocentium tertio-decimo kalendas Julii e vivis exceſſiſſe, ignorantibus legatis, qui non ante ejus obitum reſcierint, quam in reditu id acceperunt Aurelianis. Domnolum Innocentio ſuffectum poſt aliquod tempus, intercedente, cui inviſus erat, Childeberto, Innocentii de condendo novo monaſterio conſilium exſequi nec potuiſſe, nec forſan voluiſſe. unde factum, ut Maurus, invitante Floro, in pagum Andecavenſem ſe receperit, ibique condiderit monaſterium Glannafolienſe, de quo in ſequenti libro acturi ſumus.

LI. *In conciliis actum de profeſſione pænitentiæ.*

Per hos quinque, quibus hic liber circumſcribitur, annos, quatuor habita in occidente concilia legimus, Aurelianenſia duo, tertium & quartum, Gerundenſe atque Barcinonenſe. In duobus Aurelianenſibus interdicitur abbatibus, ne res monaſteriis collatas aut ſibi vindicent, aut alienare inconſulto epiſcopo auſint. In Aurelianenſi tertio & Gerundenſi ſtatuitur, non licere iis qui pænitentiæ ſollemnis benedictionem ſuſceperint, denuo ad ſæcularem habitum ac militiam reverti: ſecus facientibus Aurelianenſis canon viceſimus-quintus viaticum uſque ad exitum negat. Bar-
» cinonenſis ſextus edicit, ut pænitentes, tonſo capite & religioſo habitu utentes,
» jejuniis & obſecrationibus tempus vitæ peragant. Septimus, ut epulis non inter-
» ſint, nec ſæcularibus negotiis ſe implicent, ſed tantum in ſuis domibus frugalem
» vitam ducant. Octavus, ut qui in infirmitatibus conſtituti pænitentiam petierint,
» ſuſceperintque a ſacerdote, ſi poſtea convaluerint, vitam pænitentium peragant.
Ejuſmodi vero pænitentes, ſi conjugati erant, cælibem deinceps vitam agere de-
» bebant. unde vetat Aurelianenſis canon viceſimus-quartus, ne benedictio pæni-
» tentiæ juvenibus perſonis concedatur, maxime conjugatis, niſi ex conſenſu par-
» tium, & ætate jam plena. Id obſervare viſum eſt, quod ex hoc ritu pænitentium
profecta ſit ea, de qua ſubinde loquemur, conſuetudo, ut infirmi monaſticum habitum peterent: quo accepto, ſi convaluiſſent, nefas erat ad ſæcularia vota reverti. Ubi opportuna eſt Gabrielis Albaſpinei obſervatio ſeu conjectura in canonem oc-
» tavum concilii Gerundenſis, hoc canone agi de iis, qui cum imminentis mortis
» metu percellerentur, pænitentiam, quamvis nulla peccata tam atroci multa digna
» commiſiſſent, divini amoris inſtinctu ſibi dari efflagitabant, ob idque tonſuram ac
» certum pænitentium habitum ſuſcipiebant. Confeſſores apud Hiſpanos id genus pænitentes appellabantur. Ex variis ſæculi ſexti exemplis unum ex Gregorio [a] Turo-
» nenſi antiſtite adducere licet Marci referendarii, qui poſt congregatos ex iniquis
» deſcriptionibus theſauros, ſubito lateris dolore correptus, caput totondit, atque
» pænitentiam accipiens, ſpiritum exhalavit. Pænitentium etiam haud dubie induit habitum, quem pullum ſeu nigrum fuiſſe conſtat in primis ex Ruricii [b] epiſcopi Lemovicenſis epiſtola ad Agricolam conſanguineum ſuum, qui hoc modo pænitentiam ſollemni ritu profeſſus fuerat. *Supereſt*, inquit, *ut nunc converſionem, quam protuliſtis in veſte, probetis in corde; & hæc commutatio inter indumentum veſtrum habeatur & animum, ut, ſicut ille ſub candidis veſtibus habuit huc uſque nigredinem, ita nunc ſub pullis veſtibus operum luce candeſcat.* Si qui ab hoc propoſito deſciviſſent, eos ab epiſcopo comprehendi, & ad pænitentiam revocari jubet To-

a Greg. Tur. lib. 6. c. 28.

b Ruric. lib. 2. ep. 31.

ANN CHR. 541.

letani concilii quarti canon quinquageſimus-quintus ; ſecus irrevocabiles, id eſt reſipiſcere nolentes, ut apoſtatas vult haberi. Duo ejuſmodi pœnitentium genera diſtinguit ejuſdem concilii canon quinquageſimus-tertius, unum eorum, qui ob manifeſta crimina ; alterum aliorum, qui ex ſola devotione ſe ſe ejuſmodi pœnitentiæ ſubjiciebant : atque inter utroſque id diſcriminis ſtatuit, quod hi, ſi revaluerint ex infirmitate, pro morum probitate ad gradus eccleſiaſticos promoveri poſſint ; non vero qui ob mortale aliquod peccatum pœnitentiæ addicti fuiſſent.

Hoc genus pœnitentiæ jam ſæculo quinto in uſu erat, uti colligitur ex epiſtola Leonis Magni ad Ruſticum epiſcopum Narbonenſem, ex indulgentia diſpenſantis cum juvenibus conjugatis, ut, ſiquidem continere ſe non poſſent, ad priſtinum conjugium redire ipſis liceret. quam diſpenſationem renovant patres concilii ſexti Toletani canone octavo. Verum progreſſu temporis eo uſque crevit ejuſmodi pœnitentiæ ſeveritas, ut, qui eam in extremis, etiam non ſentientes, id eſt ſui non compotes, nec proinde eam petentes, accepiſſent, eam ſervare tenerentur. Inſigne præ omnibus eſt exemplum Wambæ Veſigotthorum regis, cui ex veneni hauſtu pæne exanimi, nec ſcienti, nec ſentienti, pœnitentiæ ordinem impoſuit Quiricius Toletanus antiſtes. Cum vero ex letali poculo nihilo minus convaluiſſet, pœnitentiam ſibi impoſitam intelligens, ſive proprio, ſeu Ervigii regnum affectantis impulſu, monaſterium petiit, ibique uſque ad obitum in propoſito pœnitentiæ perſeveravit. Paullo poſt concilii Toletani duodecimi patres, fortè ut Ervigio novo regi gratificarentur, ratam habendam eſſe ejuſmodi pœnitentiam ſanxerunt canone tertio, eum ad modum, quo infantes baptiſmus ligat, tametſi non ſentientes ac ſcientes illum acceperint. In fine tamen canonis hunc rigorem aliquo modo temperant, ſub unius anni excommunicatione interminantes, ne quiſquam ſacerdos infirmis, qui non aliquo ſaltem nutu aut indicio petiiſſent, pœnitentiæ ordinem temere imponerent. Hæc præludia fuere piæ illius conſuetudinis, quæ apud monachos, ut jam dixi, ſæculo ſeptimo invaleſcere cœpit, ut, ſumto in extremis monaſtico habitu, perpetuæ, ſi ſanitatem recuperaturi fuiſſent, ſe ſe pœnitentiæ devovebant, quo divinum ſibi numen propitium redderent, uti exempla ſuis locis referenda nos docebunt. Cum enim ejuſmodi pœnitentes ſanitati reſtituti intelligerent, hoc pœnitentiæ ac continentiæ genus in privatis domibus ægre admodum ſervari poſſe ; id demum Wambæ exemplo induxerunt animum, uti in monaſteria perpetuo ſe ſe retruderent : ac ſubinde hoc pacto mos obtinuit, ut non alius perpetuæ iſtius pœnitentiæ habitus indueretur, quam monaſticus, cujus colorem pullum jam antea imitabantur.

LII. Abbas epiſcopi vicarius in concilio.

Concilio Aurelianenſi quarto pro Amelio Pariſienſi epiſcopo ſubſcripſit Amphilochius abbas. quo nullum forte antiquius exemplum eſt abbatis, qui vices epiſcopi egerit in conciliis. Multa alia exempla ſuppeditant ſynodi ſubſequentes. Amphilochius erat ſine dubio abbas in pago Pariſienſi : ſed cujus monaſterii, ignoramus ; immo quæ tunc temporis monaſteria in hoc pago eſſent, nobis haud ſat compertum. nam ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii, nunc ſancti Germani, monaſterium nondum condi cœptum erat. Gregorius Turonum præſul auctor eſt, monachos tum exſtitiſſe in ſuburbana ſancti Laurentii baſilica, iiſque præfuiſſe Domnolum abbatem, qui poſtea creatus epiſcopus Cenomannenſis. Forte etiam ſancti Dionyſii baſilicam jam tum incolebant monachi, certe ante Dagoberti principatum, qui munificentia ſua ita eam auxit & locupletavit, ut monaſterii primus auctor a poſteris habitus ſit.

LIII. Monaſteria diœceſis Pariſienſis

Et quidem huic loco præerat ſub Chlothario Dagoberti patre Dodo abbas, ut patet ex litteris tum in libro ſexto de re diplomatica, tum apud Dubletum relatis. An autem Amphilochius huic baſilicæ tum præfuerit, deſunt argumenta quibus id aſſeramus. Alia pagi Pariſienſis monaſteria memorantur in charta Vandemiris [a] exeunte ſæculo ſeptimo : ſed non minus incerta eſt eorum origo & conditio, quam incerti abbates. Ceterum Pariſiacæ ſancti Petri baſilicæ monachos non longe a principio adhæſiſſe, intelligimus ex auctoris perantiqui libello de vita ſanctæ Balthildis reginæ, in quo Chrodechildis ſeu Chrothildis regina, Chlodovei Magni conjux, eccleſiam in honore ſancti Petri, *ubi religio monaſtici ordinis vigeret*, apud Pariſios condidiſſe perhibetur, necnon & cœnobiolum in honore ſancti Georgii ſacrarum virginum in Cala ; quod poſtea ſancta Balthildis everſum reſtituit atque amplificavit.

[a] *Diplomatica p. 472.*

ANN. CHR. 543.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINTUS.

Ab anno Chriſti 543. *ad annum* 559.

I. Mauro diſceſſuro quantus Caſini mæror.

PARATIS omnibus quæ tum ad miſſionem Gallicanam, tum ad novam iſtic coloniam fundandam neceſſaria & opportuna videbantur, Benedictus Maurum ejuſque ſocios ire fortes, ire felices jubet. Hinc effuſus mæror ac luctus totum illum ſacri montis cœtum invaſit : ſe in Mauro alterum patrem atque rectorem, ſpei ſuæ alterum præſidium, alterum denique Benedictum amittere deplorantes : nec ſcio an Maurus ſociique minori a cariſſimis commilitonibus dolore avellebantur. His motus alternantibus ſuſpiriis bonus Pater,
„ utrorumque animos his paucis, at efficacibus verbis relevandos duxit. Si cui no-
„ ſtrum, cariſſimi fratres ac filii, dura & acerba videri poſſit hæc diſceſſio, mihi
„ ſane præ vobis hinc dolendum eſt, ut qui non modo a caris pignoribus avellar, ſed
„ etiam his deſtituar ſolatiis, quæ in præſens tantopere neceſſaria videbantur. Ve-
„ rum jam dudum in ſchola caritatis edocti, quæ ſuis commodis aliena præferre ju-
„ bet ; nos aliis impendere decet, quod Deo ſuggerente rogamur. Quapropter his
„ lacrymis, quæſo abſtinete, certi poſſe Deum ſupplere his, quos quaſi amiſſos lu-
„ getis, longe meliores. Jacite ergo in eum ſpem veſtram, & cavete, ne dæmonis
„ aſtu, unde aliis ſalus acquiritur, inde vobis ex triſtitia detrimentum accedat. Nec
„ vos mutui conſpectus moveat privatio. Noo valent dividere longa quævis terra-
„ rum ſpatia, quos caritas artiſſimo ſemel unanimitatis fœdere conjunxit. Vos vero,
„ fratres cariſſimi, quos ad pium iſtud opus Deus optimus vocat, erigite animos,
„ & arreptum ſacræ religionis propoſitum conſtanter retinete ; nec dubitate, quanto
„ duriora & aſperiora pro Chriſto pertuleritis, tanto ampliora vobis præmia in cæ-
„ lo proventura. Ceterum etſi me forte mors ipſa a vobis ſeparabit, ne aoimos ab-
„ jicite ; præſentiorem vobis, ſi Deo placebit, atque utiliorem, depoſito hoc mor-
„ tali corpore, ut quidem ſpero, habituri.

II. Caſino diſcedit in Gallias.

In hæc verba dimiſſi cum Patris benedictione & fratrum oſculis Maurus & ſocii, diſcedunt, ſacro cœtu ad monaſterii januam proſequente, ſecum ferentes ſanctæ Regulæ codicem, piſſimi auctoris manu exaratum, ſimulque pondus libræ panis, atque vini heminæ vaſculum, quæ ſingulis fratribus in dies regula ſubminiſtrari

ANN. CHR. 543.

ſubminiſtrari præcipit. Caſino profecti ipſis epiphaniorum diebus, feria quinta, ut obſcura Fauſti verba explicat Adrevaldus, in vicinum monaſterii prædium, (Eucheliæ vocabulum hactenus hæret) a duobus, quos pridie ſanctus Pater eo præmiſerat, fratribus, Probo & Aquino, humaniſſime accepti ſunt. Sequenti nocte, cum nocturnale officium celebrarent, eodem advenerunt alii duo fratres, Honoratus, vir beatæ memoriæ, ac Feliciſſimus, egregiæ indolis adoleſcens, ipſius Mauri conſobrinus, miſſi a ſancto Patre, qui capſulam eburneam, ſacras reliquias, in primis tres veræ crucis particulas, continentem, afferrent, cum brevi epiſtola, quæ prolixum ejus in filios amorem abunde teſtabatur in hunc fere modum. Accipe, cariſſime fili, extremum pignus amoris in te mei, quod tibi ſodalibuſque tuis ſolatio ſit, & contra impendentia mala præſidio. Vos quippe multa manent in iſto itinere diſcrimina: ſed vobis præſto aderit benigniſſimus Deus, qui felicem incœptis veſtris exitum tandem conceſſurus eſt. Ad te, fili, quod attinet, poſtquam religioſæ profeſſionis annos ſexaginta expleveris, laborum tuorum fructum (ſic enim mihi cælitus revelatum eſt) in cælo percipies. Vade interim, ſiſque in profectione felix, ſed felicior in perventione. His recreati, alacres itineri ſe committunt, ac quinquageſimæ quinta feria (ſic enim interpretor) Vercellas adveniunt. Hic e celſa turri lapſus alter e legatis Harderadus, per dies quatuordecim ſubſiſtere coegit, quoad prolixioris moræ tædio affecti ſocii, Maurum ad divina ſubſidia confugere compulerunt. Prolatum e ſacro ſcrinio lignum vivificæ crucis, ſimul attriti corporis partes attigit, priſtinam Harderado reſtituit ſoſpitatem. Poſtridie Vercellis egreſſi, ad Alpes contendunt, iiſque tranſſcenſis, dum in Agaunenſi baſilica Maurus cum ſociis precibus vacat, cæco lumen ſigno crucis reddit. Jurenſibus in locis cujuſdam viduæ, apud quam hoſpitabantur, filius, Eligio nomen erat, ab imminente morte revocatus: qui in monaſterio Lirinenſi poſtmodum monachus factus eſt.

III. Scholaſticæ extremum cũ fratre colloquium.

Interim jam mæſtos ex Mauri diſceſſu Caſinatium animos gemina plaga ſupra modum afflixit, mors ſcilicet Benedicti parentis, ſororiſque ejus Scholaſticæ, quæ fratrem in cælum paucis diebus præceſſit. Hæc ex vicino, ubi degebat, aſceterio fratrem ſemel quotannis adire ſolita, ad quamdam monaſterii villam accedebat, mille circiter ac quingentis paſſibus a Caſinenſi cœnobio diſtantem, totidemque a Plumbarola, ubi ejus parthenon exſtitiſſe creditur. Iſtuc venerabilis ejus deſcendebat frater cum aliquot diſcipulis: non modo ut ſororis incommodo, quod ad conſcenſum montis ſubeundum fuiſſet, ac ſæcularium obloquiis occurreret; ſed maxime quod ea lex monaſterii erat, pleriſque aliis, ut vidimus, jam communis, ut ne mulieres propius accederent. Id tamen ex indulgentia conceſſum Agneti auguſtæ, aliiſque ſubinde principibus feminis, ut ſacri loci ſæpta & baſilicam ingrederentur. quæ facultas etiam nunc rarius, nec fere præterquam in ſollemnioribus feſtis, permittitur. Hæc ſeveritas, hæc religio majorum noſtrorum erat! Rara cum feminis, etiam ſanctis, colloquia, raræ conſalutationes. Nonniſi annuus erat, ut mox dicebam, Benedicti cum ſorore, etſi e vicino conſiſterent, congreſſus; colloquia ipſa ſacra, nec niſi de Deo, rebuſque divinis. Hæc erat amborum ſitis, hæc aviditas: quam cum unius diei ſpatium explere non potuiſſet, in noctem etiam, immo in ſequentem lucem Scholaſtica protrahi hoc extremo anno cupiebat. Omnino abnuere frater, pernoctare extra monaſterium ſibi fas non eſſe. Hæc cum fratrem flectere ad voluntatem non poſſet ſuam, capite in manus inſertas ſuper menſam inclinato, Deum ardentiſſima cum lacrymis prece ſollicitavit, id ſibi ut liceret. Ubi caput attollere cœpit, nec mora mugire tonitrua, fulgura coruſcare, cælum ipſum in pluvias reſolvi, cum antea ejus ſereniſſima eſſet facies. Tum Benedictus: Parcat tibi, inquit, omnipotens Deus, ô ſoror! quid iſtuc feciſti? Illa vero: Rogatus preces meas rejeciſti: non ita vero Dominus meus. Jam ergo, me dimiſſa, abi hinc, ſi poteris. Sic remanſit in loco invitus ac nolens ſanctiſſimus frater, atque ambo pervigilem in ſacris colloquiis noctem duxerunt inſomnes. Miranda in ſorore ſacrorum colloquiorum aviditas! miranda vis & efficacia precationis, immo potius lacrymarum, qua factum eſt, ut plus apud Deum tacito fletu potuerit, quam precibus apud fratrem: ſed non minus ſuſpicienda fratris religio in obſervanda, quam ipſe inſtituerat, regulæ diſtrictione. Utrius præferenda ſit imitatio, non facile dixerim: utramque malim.

IV. Ejuſdem obitus.

Poſt triduum quam ſacra virgo *ad propriam cellam*, ut Gregorii verbis utar,

ANN. CHR. 543.

receſſerat; Benedictus in ſua cella conſiſtens, erectis ſurſum oculis, ſororis ſuæ animam ſub columbæ ſpecie in cælos evolantem ſuſpexit. quo ſubito infortunio adeo turbatus non fuit, ut de beata ſororis ſorte ac gloria magnopere gaviſus ſit, atque inde omnipotenti Deo gratias immenſas retulerit. Mox ejus obitu fratribus nuntiato, quia locus non procul aberat, ſacræ virginis corpus ad Caſinenſe monaſterium deferri, atque in ſepulcro, quod ſibi ipſe ob continuam mortis recordationem paraverat, ſepeliri curavit: ut quorum mens in Deo una ſemper fuerat, eorum quoque corpora nec ſepultura ipſa ſepararet.

V. S. Benedicti morbus extremus & mors.

Non diu ſorori ſupervixit ſanctus frater, qui ſuum ipſius obitum ſelectis familiaribus, qui ſibi adhærebant, diſcipulis; quibuſdam vero longe poſitis prænuntiavit: illos monens, ut ſilentio rem tegerent; his vero certum ſignum & indicium promittens, quo mortis ſuæ hora ipſis ſignificaretur. Mox ſexto ante obitum die tumulum ſibi aperiri juſſit. tum ardentiſſima febre correptus, cum in dies creſcente morbo vires corporis deficerent, ſexto die in monaſterii oratorium deferri voluit: ubi *exitum ſuum dominici corporis & ſanguinis perceptione munivit*. Deinde corporis imbecillitati minime cedens, inter diſcipulorum manus ſe ipſe ſuſtentans, erectis in cælum manibus ſubſtitit, atque ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit. Ea virtus erat, ut niſi poſt mortem non jaceret aut caderet: ea jugitas orationis, ut non alius precandi, quam ſpirandi finis eſſet.

VI. Viaticum an ſub utraque ſpecie.

Hoc piiſſimæ mortis exemplum pro modulo imitari conati ſunt plurimi e noſtris, præſertim ſacramenta in eccleſia ipſa ſuſcipientes. ubi cum audis, Benedictum *dominici corporis & ſanguinis perceptione* exitum ſuum muniiſſe, haud ſcio an recte inde concluſeris, ſacrum Viaticum ſub utraque ſpecie, quod nonnulli hinc inferunt, ab eo perceptum fuiſſe. neque enim inſolens eſt apud veteres, idque indubia loca probant, ut corporis & ſanguinis dominici nomine unica tantum panis ſpecies deſignetur. Sic in Sacramentario Gellonenſi, ubi corpus Domini in cæna Domini reſervandum de more in ſequentem paraſceven dicitur, poſtea die ipſo paraſceves *ingrediuntur diaconi in ſacrarium*, atque inde *procedunt cum corpore & ſanguine Domini, quod ante diem remanſit*. Eadem verba leguntur in codice Carnutenſis monaſterii ſancti Petri. Conſimili modo preſbyter fideles communicaturus, porrigendo panis ſpeciem non raro dicebat: *Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu-Chriſti proſit tibi, &c.* ut videre licet tum apud Menardum [a] noſtrum in Notis ad Sacramentarium Gregorianum, tum in concilio Rotomagenſi [b] ſub Ludovico rege Tranſmarino, in hæc verba: NULLI *autem laico aut feminæ euchariſtiam in manibus ponat, ſed tantum in os ejus cum his verbis ponat*: CORPUS DOMINI ET SANGUIS PROSIT TIBI AD REMISSIONEM PECCATORUM ET AD VITAM ÆTERNAM. Contra in Miſſali Gelaſiano, recens baptizatis in Miſſa, ſiquidem celebranda ſit, communionem dari præcipitur: *Sin autem, dabis ei tantum Sacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, dicens*: CORPUS DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI SIT TIBI IN VITAM ÆTERNAM. ubi vides hic *corpus Chriſti* præciſe dici, cum paullo ante *ſacramenta corporis & ſanguinis* dictum ſit. Erunt fortaſſe qui hæc dicta velint de ſpecie intincta; ſed ne controverſias hic ſerere videar, hanc interpretationem ſaltem non admittit reſervata in Paraſceven euchariſtia, quæ ſufficientem nobis rationem præbet, ut ne alia loca de ſpecie intincta interpretemur. Quamquam aliquando viaticum ſub utraque ſpecie conceſſum fuiſſe haud negaverim: cujus rei præclarus eſt locus tum in canone undecimo concilii undecimi Toletani, ubi agitur de quibuſdam infirmis, qui præ oris ſiccitate, *præter dominici calicis hauſtum* traditam ſibi euchariſtiam deglutire non poterant: tum apud Petrum [c] Damiani, ubi agit de quodam ſacerdote, qui cum euchariſtiam detuliſſet ægroto, *aliquantulum dominici ſanguinis* ex ne-
» gligentia reliquit *in calice*. quod cum ille ad eccleſiam reverſus comperiſſet, ſed
» faſtidio præpeditus noluiſſet accipere; mox calicem lavit, & in labrum marmo-
» reum, in quo erat aqua ſanctificata, projecit. Et, o magnum divinæ virtutis in-
» dicium! illam labri partem, quam id quod effuſum eſt de calice contigit, in ſan-
» guineum ruborem repente convertit, ubi ſcilicet duæ majores guttæ exprimuntur.
Utro modo Benedictus ſacrum viaticum acceperit, non facile aſſeruerim.

VII. Viſum de ejus obitu.

Ubi animam in cælum emiſit vir ſanctus, ſimul uno atque indiſſimili viſo ejus obitus declaratus eſt duobus ipſius diſcipulis, uni *in cella*, hoc eſt in Caſinenſi

a Menard. pag. 392.
b Pomeraius Conc. Rotom. p. 33.
c Petr. Dam. opuſc. 47. c. 2.

monaſterio, commoranti, ut habet Gregorius; alteri vero longius poſito. quod de ſancto Mauro Fauſtus vulgatus ita interpretatur. Superatis, ita ut diximus, alpibus & Jurenſibus locis, Maurus tandem pervenit in pagum Autiſiodorenſem, ubi Romanus, is qui Benedicto apud Sublacum ſuppeditaverat annonam, monaſterium apud Fontem-rogi condiderat. Hoc comperto, Maurus cum ſociis iſtuc divertit ipſo die paraſceves. Recreatus boni hoſpitis officiis, doloris materiam eidem præbuit, ſignificando ſancti Patris obitum in craſtinam ſabbati diem, quæ duodecimo kalendas Aprilis celebranda erat. qua die, hora tertia, dum precationi operam daret, extra ſe raptus, viam palliis ſtratam, ac innumeris coruſcam lampadibus conſpexit, recto orientis tramite a Benedicti cella ad cælum uſque pertingentem. Rem narrat Gregorius ipſe: at neque Mauri hoc loco, nec Galliæ meminit. Hoc ſpectaculo intentum propius aſſiſtens quidam venerabilis ſenex, quid de inſolita illa ſentiret via, cujuſve eſſet, interrogavit. Mauro autem, ignorare ſe fatenti, reſpondit: Hæc eſt via, qua dilectus Domini cælum Benedictus conſcendit. O præclara illa via! quis nobis det eam cum ſancto Patre tenere ac terere! Via hæc, vita ejus, regula ejus, una atque eadem. Ex ejus quippe regula vitam quoque ejus conjicere licet. Neque enim ſanctus vir, ait [a] Gregorius, ullo modo potuit aliter docere, quam vixit. Hanc viam, hanc mentem, Benedicte pater, qua quondam Caſinum ac ſubjecta tibi monaſteria rexiſti, qua ipſe vixiſti, da ſtirpi tuæ. Jube hanc ingredi viam, quam tu dux, quam grex ingreſſus eſt tuus; ego vero, quantum mortalis atque infirmus homuncio poſſum, te ac tua veſtigia ſequar! Ita impletum eſt ſancti Patris promiſſum de morte ſua diſcipulis, cum præſentibus, tum abſentibus, ſignificanda. Sepultus eſt in oratorio beati Johannis Baptiſtæ, quod Apollinis fano everſo ipſe conſtruxerat, teſtante Gregorio, ex quo vulgatus Fauſtus corrigendus, qui ſancti Martini oratorium habet. Succeſſorem in Caſinenſis monaſterii regimine ſortitus eſt Conſtantinum, quem reverendiſſimum valde virum [b] Gregorius appellat.

ANN. CHR. 543.

[a] Gregor. lib. 2. Dial. c. 36.

[b] ibid. c. 1.

VIII. Quo anno.

De anno, quo ſanctiſſimus Pater mortalem vitam reliquit, jam dudum orta difficultas calculatorum ingenia torſit. Incaſſum, deficientibus idoneis, quibus id definiatur, argumentis. Qui id anno ejus ſæculi triceſimo-ſexto conſignarunt Abbo Floriacenſis abbas, aliique; recte quidem duodecimum kalendas Aprilis cum ſabbato ſancto ex paſchalibus tabulis compoſuerunt: ſed non attenderunt ad Totilæ cum Benedicto congreſſum, qui ſerius contigit. Si Gregorium Magnum conſulas, duas certe habebis hujuſce obitus chronologicas notas, ceu duos limites, quos ultra citraque Gregorius divagari non ſinit; nempe Totilæ cum ſancto Patre congreſſum, quem anno quadrageſimo-ſecundo contigiſſe probavimus; & everſionem Caſinenſis monaſterii per Langobardos, quæ ſub Bonito, Caſini poſt ſanctum Benedictum abbate quarto, facta eſt circiter annum, ut ſuo loco videbimus, octogeſimum. Ex vago hoc ſpatio mortalem illum annum ad tempus Totilæ congreſſus propius accedere recte inferre licet: at certum obitus annum figere non licet. Si Fauſtum integrum ſequi velis, vanus & irritus conatus. Numquam enim toto illo, quod mox notabam, ſpatio ſabbatum ſanctum duodecimo kalendas Aprilis invenias. Quod ſi ad varios paſchalis feſti cyclos confugias: nugæ. Neque enim id conficias, ſive Victoris aut Victorii, ſive Dionyſianum aut Alexandrinum, qui uni tunc in eccleſia recepti erant, calculum ſequaris. Hanc controverſiam ſibi finiendam, aut certe illuſtrandam propoſuit eruditus ac religioſus vir Claudius Lancelotus: at Fauſtum, quem ſequi ducem inſtituit, deſerere coactus eſt non ſemel, ut annum quadrageſimum-ſeptimum ceteris præferat, quo anno paſcha, non undecimo, ſed nono kalendas Aprilis, contra vulgati Fauſti & latinæ eccleſiæ calculum, fatetur accidiſſe. Accedit præter alia, quod in ea ſententia, Glannafolienſis eccleſiæ dedicatio, quæ apud Fauſtum octavo incœpti monaſterii anno, & quidem Theodeberto rege facta dicitur, non integro poſt inchoatum monaſterium anno, ſi Gregorium Turonenſem præ Procopio audiamus, aut certe quarto admodum, ſi Procopium Gregorio præferamus, facta fuiſſe dicenda eſt. Verum hæc minoris momenti incommoda Lanceloto videntur, quam recedere ab accurata illa Fauſti in deſcribendis paraſceves & ſabbati ſancti circumſtantiis diligentia. quas ſane circumſtantias ſi commentus eſſet Odo Fauſti expolitor, næ ille nebulonis ac falſarii loco habendus eſſet, ut qui Jeſum invocet ſinceritatis ſuæ teſtem

ANN. CHR. 543.

in edenda ſancti Mauri vita. Odonis fidem elevare non eſt animus: ſed cum Fauſtum integrum præſtare non liceat, in his ambagibus recepto jam pridem calculo adhærere ſatius videtur, conſtituendo ſancti Patris obitum in anno quadrageſimo-tertio, quem Leo Marſicanus in chronico Caſinenſi, aliique poſt eum plerique aſſignarunt. Quidam codices habent *quadrageſimo-ſecundo*. at perinde eſt utrum dicas, ſiquidem annus quadrageſimus-tertius ſecundum novum calculum, idem eſt quadrageſimus-ſecundus juxta veterem, qui a paſchate novum annum inchoabat. Quamquam apud Leonem indictio non concordat: ſed, his inextricabilibus tricis omiſſis, ad ordinem revertendum eſt.

IX. Maurus Aurelianis diſcit obitum epiſcopi Cenomanenſis

Digreſſos a Romano Maurum ac ſocios, ubi Aurelianorum attigere civitatem, graviſſimus alter invaſit mæror, nuntius ſcilicet ad ſe perlatus de morte Innocentii epiſcopii Cenomannenſis, hujus legationis auctoris. Maurus vero, oraculi ſibi a ſancto Patre de adverſis perferendis memor, ſpem in Deum defigens ſuam, ſocios legatoſque bono animo eſſe juſſit. Harderadus novum ſuadet adeundum pontificem: ſi deceſſoris ſui conſilium exſequi neglexerit, ſe aliam ſarciendis rebus tentaturum viam. Conventus a legatis epiſcopus, ſive is fuerit, ut quidam volunt, Scienfridus intruſus; ſeu potius, ut apud Fauſtum, Domnolus, ob Childeberti odium ſedem ſuam pacatam non habens, reſpondit, non ferre ſuarum rerum ſtatum ac rationes, ut aliorum negotia & cœpta perſequatur; ſibi alias longe majoris neceſſitatis ac momenti curas incumbere. Hoc reſponſo Harderadus nihilo turbatior, maxime cum locus, quem Innocentius ad novi cœnobii fabricam deſignaverat, Rupiacus vocabulo, non admodum commodus & opportunus videretur (ſitum ejus indicant acta [a] epiſcoporum Cenomannenſium prope Evronium) Hademarum nepotem ſuum ad Maurum, qui Aurelianis interim ad ſancti Petri baſilicam ſubſtiterat, dirigit: ne deſponderet animum, ſed quantocius ad ſe in pagum Andecavenſem accederet, ubi quid facto eſſet opus, ſimul conſulerent.

[a] Analect. to. 3. p. 159. V. infra lib. XI. n. 52.

X.

Confeſtim Aurelianis, decimo quam eo advenerant die diſcedunt, & intra quinque dies ad locum, qui Reſtis dicitur, perveniunt: ubi Maurus ab Harderado, ejuſque conjuge ac filiis (nam in eccleſiis quibuſdam Gallicanis vicedominos conjugatos eſſe hodie quoque fert uſus) honorifice cum ſociis acceptus, refectuſque eſt. Mox Harderadus cum uxore, cui Cæciliæ nomen, Maurum ſeorſim alloquitur: eſſe ſibi in aula Theodeberti regis conſobrinum, Florum nomine, virum præpotentem ac locupletiſſimum, ceterum Deo devotiſſimum: cui, amiſſa uxore, unicum filium habenti, nihil antiquius fuerit, quam probatiſſimis Dei ſervis monaſterium ex rebus ſuis conſtruere, ac filium iſtic ſuum offerre Deo. ſibi videri mittendum ad eum nuntium, qui Mauri adventum ac deſolationem ſignificet. Interim luſtrandum ex ejus prædiis unum, haud procul inde remotum, qui locus conſtruendo cœnobio aptiſſimus ſibi videatur. Annuit Maurus; nec mora miſſus eſt qui rem Floro nuntiaret. Ille vero oblatam occaſionem gratanter arripiens, regi conſilium aperit ſuum, & approbat: tum iter ad prædium ſuum, Glannafolium vocabulo, ad Ligerim apud Andecavos ſitum propere accelerat. Dein Maurum, ejuſque ſocios complexus, ſuam de condendo monaſterio voluntatem pandit: operam, locum, facultates, inſuper & regis gratiam ac favorem pollicetur. Acceptis cum multa gratiarum actione conditionibus, cum locus ad monachorum quietem ac ſolitudinem Mauro arriſiſſet, inſtrumentum donationis conficit, ac Bertulfum filium, annorum circiter octo, Deo conſecrat, Mauri doctrina præceptiſque informandum; facto propoſito nuntium remittendi ſæculo, ubi de rebus ſuis ſtatuiſſet. Poſt hæc conducti artifices opus accelerant, intra octo annos abſolvendum. Anguſtus erat locus ad Ligeris ripam, ex altera parte montis objectu conſtrictus, in cujus devexo latere fabrica omnis ædificari cœpta eſt. Dum operi certatim incumbunt artifices, clericus, cui nomen Langiſo, cæmentariis præfectus, ex ſublimi præceps actus loco, Mauri precatione recepit ſoſpitatem. Alia item in alios artifices, qui beato viro detraxerant, miracula patrata. Hic forte nos remoretur aliquis, inquirens, quid juris eſſet Theodeberto Auſtraſiorum regi in pago Andecavenſi, qui ad Childeberti regnum pertinebat? Verum etſi forte pagus ille maxima ex parte ad Childebertum pertinuiſſet, nihil obſtat quominus aliqua ejus portio Theodeberto competeret. Sic Chilperico Carnutenſis pagus tributus erat: & tamen Caſtridunum poſſidebat Sigebertus ejus frater, qui epiſcopatum illic inſtituere tentavit. Sic media pars urbis Maſſiliæ Gunt-

Glannafolienſis monaſterii conſtructio.

ANN. CHR. 543.

chramno, altera Childeberto, ejus ex fratre nepoti, parebat. quo minus mirandum eſt, ſi aliquantula portio pagi Andecavenſis ad Theodebertum pertinuerit. Adde non omnino certum eſſe, an Andecavi ad regnum Childeberti ſenioris pertinuerint. Certe ſi conſtaret, formulas Andecavenſes, quæ in tomo quarto analectorum a nobis editæ ſunt, nomenque Childeberti regis præferunt non ſemel, principatu Childeberti ſecundi Auſtraſiorum regis, ut veri ſimillimum eſt, conditas fuiſſe; Andecavi regno Auſtriæ tribuendi eſſent, non Neuſtriæ, quæ ſors erat Childeberti ſenioris. Ceterum Glannafolienſe monaſterium ab origine coloniam fuiſſe Caſinenſis monaſterii, illud indubitatum argumentum eſt, quod per multa ſæcula principi illi cœnobio ſubjectum fuerit, uti Hadriani papæ primi, Urbani ſecundi ejuſque ſucceſſorum diplomata evincunt.

XI. S. Benedicti virtutes

Hucuſque ſancti Benedicti formam atque exterioris hominis lineamenta rudiori penicillo utcumque adumbrare conati ſumus. utinam ſat perſpicaces haberemus oculos, ut interioris ejus hominis virtutes ac dotes introſpicere, contemplari, atque exprimere nobis liceret! Quanta inde nobis exemplorum ſeges, quam præclarum virtutis ſpecimen & exemplar in tanto viro, qui, teſte Gregorio, omnium juſtorum ſpiritu plenus fuit! At quis illas animi dotes mente comprehendere, nedum verbis explicare poſſit? illam ſcilicet perſeverantiam in abſtinentia & jejuniis, in vigiliis & orationibus; animum illum ſemper Deo intentum, noctesque ab eo perinde ac dies actas; nullumque ab opere Dei tempus, quod vel otio indulſerit, vel negotio extraneo. quod in ſancto Martino Sulpicius laudat. Sic, magni Antonii imitatione, laudabat veterum ſtudia, ut eſſet imitator novorum, utroſque in ſe uno repræſentans. Hinc Baſilium æmulatus, bonarum rerum alias invenit, alias imitatus eſt, alias ſuperavit. Cunctas in ſe virtutes tam plenas habuit, ut ſingulas peculiariter excolere, & poſſidere tamquam unicam putaretur. Omnes ſemper nimietates, ſancti Honorati exemplo, & cognatum nimietatis gloriæ fugiens appetitum, regulam ita ſuam temperavit, ut & fortes plura facere cuperent, & infirmi ejus ſeveritatem non refugerent; regulam ſuam nihil aliud eſſe, præter quamdam honeſtatem morum & initium piæ converſationis profeſſus. Studebat potius amore ſuos regere, quam eis terrore dominari, quod de ſancto Honorato ſcribit Hilarius: ut voluntaria magis quam coacta correctio hunc quoque ſubditis adjiceret ornatum, ne ad officium ſuum compulſi crederentur. Incredibile eſt quantæ illi curæ fuerit, ne quem triſtitia præter modum affligeret. Non adulatorie tamen aut ſerviliter, ſed perquam fortiter & generoſe delinquentes, ubi exigebat res, corripiebat, ratus, id quod molle ac tenerum eſt, diſſolutum eſſe ac languidum. Sic utrique malo per alterum medebatur, duritiam manſuetudine & facilitate, mollitiem autem gravitate atque animi firmitate temperans. Omnes in eo geſtus, nedum actus, exemplo erant. Ita non modo loquendo, ſed etiam ſilendo, monitoris partes obibat. Quales putamus exſtitiſſe ſub tali inſtitutore ac magiſtro diſcipulos! Quid aliud tum erant Ordinis noſtri cœnobia, quam gymnaſia pietatis, ubi quiſque non optimus videri, ſed eſſe ſtudebat! ubi ſolitudo ac latebræ pro ſumma gloria, paupertas pro divitiis, ſilentium pro eloquentia erat! Quam præclare nobiſcum ageretur, ſi idem rerum noſtrarum ſtatus eſſet! Nunc autem periculum eſt, ne Ordo omnium ſanctiſſimus in contemtum veniat, & forte in ſolitudinem, ſi prima hæc ejus ornamenta a nobis negligantur: ſed maxime ſolitudo, ſilentium, ſæcularium hominum ac rerum fuga, ſtabilitas in monaſterio: cum nihil monachis pernicioſius ſit, quam facilis ac promiſcuus ex uno in aliud diſcurſus, ubi ſola in cauſa eſt animi levitas & inconſtantia. Sed querelarum hic locus non eſt, quas utinam admittere, ubi neceſſariæ erunt, ſæculi noſtri mores poſſint.

XII. Maurus diſcipulus ejus præcipuus.

Præcipuus ex ſancti Patris diſcipulis fuit Maurus, & præ ceteris familiaris. Id curſus ejus ſuper aquas ad liberandum Placidum, atque, ut cetera ſileam, id miſſio in Galliam, & viſum de morte pii Patris ſatis ſuperque probant. Nec mirum ſi tantum profecerit ſub optimi magiſtri oculis, cujus viva vox & convictus continua exhortatio erat. Felix ille, qui tanti viri actis interfuit, ſecreta perſpexit, qui eum in omnibus obſervavit. Non poterat, ſiquidem homo frugi erat, ut certe erat, non fieri melior in dies. Talem Ordinis noſtri apoſtolum Gallia meruit, qui ſancti Benedicti ſpiritum in nos tranſmitteret; nos, inquam, qui ejuſdem beati Patris ſacras reliquias poſſeſſuri eramus.

ANN. CHR. 543.

An laborem aboleverit.

a Petrus Ven. lib. 1. ep. 18.

b id. lib. 4. ep. 17.

Non dubium quin is regulam docuerit ad amuſſim, eo ſcilicet modo, quo eam ab ipſo legiſlatore edoctus fuerat. Sunt tamen qui exiſtiment eum labori manuum in Gallia detraxiſſe. Mirum eſt unde id acceperint Rupertus & Petrus Venerabilis, qui hæc ſcripſerunt. Nihil quippe ejuſmodi in ejus vita invenio. Et tamen
Petrus [a] ait, beatum Maurum, ad has Galliarum partes pro conſtruendis ſecundum
» regulam cœnobiis a ſancto Benedicto directum, hunc morem in monaſterio Ande-
» cavenſi tenuiſſe, ut, quia eis ſine proprio labore cuncta neceſſaria ſuppeditabant,
» *omiſſo manuum labore*, unis ſpiritualibus exercitiis occupati eſſent. unde alibi [b] di-
» cit, eum *aliqua vel multa*, ex ſimplici caritatis oculo, mutaſſe. quod de labore manuum non facile crediderim, quantumvis dotatum fuerit monaſterium Glannafolienſe. Ejuſmodi enim dotatio monaſteriorum etſi pro privata monachorum neceſſitate laborem remittit, at non præſcribit contra ſacrum hoc pænitentiæ exercitium, quod pleriſque monachis [c] neceſſarium eſt, ne otio torpeſcant; & pauperibus utile, ut ex eo labore adjumentum accipiant. Certe in Gallicanis poſt beatum Maurum cœnobiis laboris corporalis uſus perſeveravit, ac denuo ſancitus eſt in generali ſynodo Aquiſgranenſi, prout videbimus ſuis locis.

c V. Tractat. de ſtudiis monaſt.

XIII. Menſa abbatis an ſeorſim?

Quænam ſint alia, quæ a ſancto Mauro mutata fuiſſe Petrus exiſtimavit, non video. Quamquam citra culpam quædam pro locorum varietate diſpenſari poſſe non diffitear: nec Ciſtercienſes ipſi, qui regulam ad apicem obſervandam receperant, hujuſce diſpenſationis in omnibus expertes erant, ut idem Petrus probat. Immo vero quædam aliquando mutanda ſuggerit experientia, cum ex ipſo regulæ uſu, pro locorum, temporum, atque hominum diverſitate, quædam oriri incommoda monaſteriorum præfecti advertunt. Sic in celebri illo abbatum conventu Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio ſtatutum fuit, ut menſa abbatis, quam cum hoſpitibus & peregrinis ſeorſim vult eſſe Benedictus, non in privata camera, ſed in communi fratrum refectorio eſſet: nempe ut hoc pacto multorum abbatum profuſioni,
» qui hoſpitum occaſione ſibi propitii, ſuis impii eſſe ſolebant, ut Petrus [d] Venera-
» bilis loquitur, eos ad menſam communem revocando patres mederentur. Non deſunt tamen e noſtris qui exiſtiment, hanc eſſe regulæ noſtræ mentem, ut non in privata, ſed in communi menſa, cum hoſpitibus abbas reficiat; atque ea eſt Menardi noſtri ſententia. ſed, ut ingenue dicam quod ſentio, hunc ſenſum vix capit regulæ noſtræ caput quinquageſimum-ſextum; atque eo mihi videtur ſpectare anonymus ſcriptor vitæ ſancti Augendi, cum abbates quoſdam notat, qui *ſequeſtratam a fratribus menſam* habebant. Hoc vero ſancto Patri ſuaſit caritas, & tantopere apud veteres monachos commendata & laudata hoſpitalitatis virtus; idque laudabiliter ſervatum eſt, dum eadem frugalitate, iiſdemque cibis abbates in privatis menſis utebantur. at ubi ad lautitias & menſarum ſæculares apparatus ventum eſt, virtus in vitium vertit, eique opportuno remedio recte conſultum eſt. Quamquam non leviora forte incommoda occurrunt in ſuſceptione hoſpitum ad menſam communem. Hæc ut præcaveret ſanctus Pachomius, inſtituerat, ut etiam monachis aliunde adventantibus, quanto magis ſæcularibus? hoſpitium ad monaſterii fores, loco ab aliis ſecreto pararetur, nec intra monaſterium una cum aliis fratribus admitterentur. quod cum [e] Dionyſius, Tentyranæ eccleſiæ œconomus, improbaſſet, ejus reprehenſionem leniter excepit Pachomius, hancque inſtituti ſui reddidit rationem;
» nempe in monaſterio ſuo varii generis eſſe homines, quoſdam recenter admiſſos,
» qui nullam adhuc vitæ monaſticæ cognitionem haberent; quoſdam etiam pueros,
» qui boni & mali diſcrimen necdum noſſent. Utriſque nociturum adventantium
» contubernium. quamobrem e majori eorum commodo, atque monachorum peregre
» advenientium eſſe honore, ut hi ad ſacram admiſſi ſynaxim, poſtea in decentiorem
» & quietiorem locum reciperentur. quo audito, Dionyſius factum probavit. Ut rem paucis abſolvam, hoſpitum menſa aut iiſdem cibis eademque frugalitate inſtruenda eſt, ſi ſeorſim fiat, & ſacra lectione adverſus otioſos ſermones munienda: aut, ſi communis eſt cum fratribus, ſtrepitus ac tumultus omnis vitandus eſt; iique ſoli hoſpites admittendi, qui fratres nec perturbare, nec offendere ulla immodeſtiæ ſignificatione poſſint.

d Petrus lib. 4. ep. 17.

e Pachomii vita apud Bolland. n. 28.

XIV. Carnium eſus hoſpitibus interdictus.

Verum ferenda non eſt quorumdam monachorum vecordia, qui legum monaſticarum ignari aut obliti, carnium eſum hoſpitibus nonnullis, maxime ſummæ dignitatis viris, immo quandoque operis externis concedunt aut permittunt intra mona-

ſterii ſæpta, contra præſcripta ſanctorum patrum, contra pontificias ſanctiones. Exſtat hac de re præclarus locus in actis ſancti Theodoti Siceotæ. Is fabris quibuſdam mandavit, ut ad uſum monaſterii apothecam frumenti ac fructuum ex tabulis ædificarent, ſed ea conditione, ut ne carnibus veſcerentur: aut, ſi veſci vellent, in opidum irent. Verum, cum abſente viro Dei carnes comediſſet fabrorum præfectus, ſtatim in febrem incidit, actumque erat de ejus vita, niſi ei ſanitatem vir ſanctus ſuis precibus reſtituiſſet. Innocentii tertii & Gregorii noni ea de re decreta alias, Deo dante, referemus. Scio incivile ac pæne inhumanum id videri Johanni epiſcopo [a] Sariſberienſi: at inhumanius longe eſſet, ac turpius, inquit Baſilius [b] Magnus, propter delicatos aliquos monaſterii leges ac frugalitatem mutare. Id etiam de quibuſvis aliis cibis ac de piſcium inſolito apparatu intelligendum. Turpe enim eſt, teſte Hieronymo [c], *judicem provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio.* Apage vero jactatam nuper fabulam de monachis græcis a ſancto Benedicto carnibus refectis, quam fabulam male feriati homines ſuperiori ſæculo commenti ſunt.

AN. CHR. 543.

a Johan. Sariſb. de nugis cur. l. 8. c. 13.
b Baſilius Reg. fuſ. c. 20.
c Hieron. ep. 2.

XV. Regulæ autographum.

Quod attinet ad regulæ autographum, quod ſanctus Maurus in Gallias attulit, olim creditum eſt illud ipſum fuiſſe, quod poſtmodum in Majori-monaſterio apud Turones aſſervatum fuit, ex deſtructo forte Glannafolienſi cœnobio iſtuc allatum. Primam ejus rei notitiam Browero [d] debemus, atteſtanti in Fuldenſi monaſterio aſſervari codicem regulæ noſtræ perantiquum, ad cujus calcem hoc præclarum attexitur *mnemoſynon* beati Patriarchæ: *Codex peccatoris Benedicti. Væ mihi miſero, habenti contrariam mihi rem; qui reus in his omnibus, quæ adverſantur moribus meis malis! Tu vero horum lector, ſi tuam videris vitam concordare præceptis, orans pro ſcriptore, codicem redde domino ſuo.* Tum ſubdit hujus clauſulæ exſcriptor: *Hæc verba ſancti Patris reperta ſunt in fine regulæ, quam ipſe manibus ſuis propriis ſcripſit, & ſancto Mauro, cum eum in Gallias mitteret, tradidit. quæ domnus ac venerabilis abbas* N. (Ruthardum Browerus explicat, qui Fuldenſi monaſterio poſt medium ſæculum undecimum præfuit) *cum apud Majus-monaſterium Turonenſe in eadem regula, quæ ibi pro reliquiis ſervatur, inveniſſet, rogavit ſibi apud Cluniacum tranſmitti, & in hac regula noſtra pro amore ipſius ſanctiſſimi Patris noſtri juſſit ſtudioſe deſcribi.* Verum hæc eadem clauſula ſine Benedicti ſubſcriptione reperitur in codice Caſinenſi ſub nomine Petri Venerabilis in fronte libri, qui inſcribitur *Ordo monaſticæ converſationis*, ubi leguntur hæc verba, *quem domnus Petrus abbas Cluniacenſis cum apud Majus-monaſterium &c.* atque adeo hæc clauſula potius Petro Venerabili adſcribenda, quam Ruthardo Fuldenſi abbati. tametſi poſtea Fuldenſis abbas aliquis poſt Ruthardum, quo poſterior fuit Petrus Venerabilis, eamdem ſubſcriptionem & clauſulam deſcribendam curavit, ut fidem facit codex Fuldenſis. Utcumque res habet, tempore ſaltem Petri Venerabilis perſuaſum erat, regulæ autographum, beato Mauro a ſanctiſſimo Patre noſtro traditum, illud ipſum fuiſſe, quod in Majori-monaſterio pro reliquiis aſſervabatur. quamquam ſubſcriptio ipſa iis verbis concepta eſt, ut potius Benedicto cuidam regulæ exſcriptori, quam ſancto regulæ auctori tribui poſſint. Sed hæc conjectura eſt, cui præponderat vetus Majoris-monaſterii traditio. Niſi ſi illud exemplar erat, quod Carolo M. direxit Theodemarus abbas Caſinenſis, ex ipſo codice tranſſcriptum, quem beatus Pater *ſuis ſanctis manibus exaravit.* Forte illud idem exemplar erat, de quo loquuntur Grimaldus & Tatto monachi, qui ſub initia ſæculi noni Sancti-Gallenſibus noſtris regulam beati Benedicti direxere, *ex ipſo transſcriptam exemplari, quod ex ipſo exemplatum eſt codice, quem beatus Pater ſacris manibus ſuis exarare* (quæ Theodemari fere verba ſunt) *ob multarum ſanitatem animarum curavit.* Ut ut eſt, periit exemplar illud Majoris-monaſterii, uti & autographum Caſinenſe, quod in Theani conflagratione combuſtum eſt ſæculo nono. Caſinates noſtri in ſacrario ſuo unum oſtendunt folium, quod ex illo incendio reliquum putant. At ejus ſcriptura nobis haud quaquam tantæ viſa eſt antiquitatis. Veri ſimilius exiſtimem eam eſſe *regulæ partem*, quam Drogo abbas Glannafolienſis, cum anno ſupra milleſimum centeſimo triceſimo-tertio Caſinum adiiſſet, Caſinatibus obtulit cum reliquiis beati Mauri, ut ex Petro Diacono videbimus ſuo loco.

d Fuld. antiqu. lib. 2. c. 16.

XVI. Benedictus an tantum diaconus.

Unus hic reſtat excutiendus ſcrupulus, an ſanctus Benedictus ſacerdotii ordine præditus fuerit, an diaconi tantum gradu inſignis, quemadmodum beatus Maurus, quem levitam dumtaxat fuiſſe ejus epitaphium, vetera inſtrumenta, & collectæ, ut

ANN. CHR. 543. vocant, ſeu orationes in ſacris antiquitus uſitatæ probant. Sacerdotii expertem exſtitiſſe Benedictum tradit præ aliis Petrus Bleſenſis in epiſtola octogeſima-ſexta, & poſt eum, ut alios mittam, Buſchius in Chronico [a] Windeſimenſi. Petri Bleſenſis verba hæc ſunt ad Alexandrum Cartuſianum, cauſantem, quod ſibi quotidie rem divinam facere non liceret. *Scis quia monachorum pater, & ſacri Ordinis inſtitutor, nec etiam ſacerdotii gradum attigit, experſque miſſarum multo tempore, etiam in die paſcha, utrum paſchalis eſſet ſollemnitas, ignoravit.* Hunc vero diaconum fuiſſe conſtans noſtrorum traditio eſt, antiquis picturis, monumentiſque confirmata, ut in ſecunda effigie hic appoſita videre licet. Hic vero præmittere viſum eſt antiquam ejuſdem ſanctiſſimi Patris effigiem, quæ formam ejus habitus repræſentat ex veteri codice, quem Deſiderius Caſini abbas anno M LXXII. deſcribi curavit, prout eam noſter Bernardus *de Montfaucon* in ſuo Diario Italico [a] expreſſit. Aliarum ejuſdem tabellæ figurarum explicationem ad illud tempus, quo ſcriptus eſt codex, reſervamus.

[a] *Buſch. l. 2. c. 69.*

[b] *Angel. de Nuce p. 45.*

[a] *Diar. Ital. p. 124.*





Poſterior


IOHANNES
ABBAS
SCS
BENEDICTUS.

ANN. CHR. 543.

a *Angel. de Nuce p. 45.* b *Idem p. 87.*

Poſterior hæc figura æri inciſa eſt [a] ab Angelo de Nuce in notis ad vitam ſancti Benedicti, ubi Benedictus *levita* appellatur; eruta ex codice Caſinenſi, in cujus prima membrana exhibetur effigies ſancti patris Benedicti, atque Johannis abbatis, qui codicem exarari curavit, quod Angelus [b] interpretatur de Johanne primo, qui Caſini abbas electus fuit anno nongenteſimo quinto-decimo. Sedet in cathedra ſanctus Pater, dalmatica indutus & ſtola diaconali, non ab humero ſiniſtro, ut fit, in dextrum latus tranſverſa: Johannes autem abbas, ſtans ante eum, regulam ab eodem accipit. Similem vidimus picturam in codice bibliothecæ Vaticanæ, ex Caſinenſi iſtuc allato.

XVII. Benedictinus habitus.

Ex his picturis, præter ſancti Benedicti leviticum gradum, quædam alia colligimus de primario habitu noſtro (nam & id ad hunc locum pertinet) obſervatione digna. Quippe in Johannis abbatis icone deprehendimus ſcapularis formam, non ultra umbilicum protenſi, & ſub ſcapulis aſſuti: tum colorem tunicæ talaris album, contra quam ſcapularis, quod nigrum eſt: ad hæc caputium acuminatum, ne quid dicam de barba neglecta, non tamen promiſſa. Denique ad caput Johannis abbatis videas tabulam quadratam, quod viventium piorum hominum inſigne eſt; non coronam, ut ad caput ſancti Benedicti, beatis dumtaxat ac ſanctis tribui ſolitam, uti docet in primis Johannes diaconus in libro quarto [c] de vita Gregorii Magni. Vidimus & alias id genus picturas veteres, qualis eſt ea, quæ exſtat Romæ in altari eccleſiæ ſancti Benedicti in Piſcinula, qualem in Itinere [d] Italico retulimus. Alias picturas monachorum, tum Gallicanorum, ubi de viſione Baronti monachi ſæculo proximo, tum Germanorum ſeu Fuldenſium ſæculo nonu, ubi de Ratgario ejus loci abbate, referemus. Ita vero uſus priſcus tenebat, ut loco cucullæ eſſet ſcapulare ad laborem, ob id parva cuculla appellatum, quod cuculla eſſet monachorum inſigne, quam ne de nocte quidem abjicere licebat. Quam ob cauſam cuculla duplex a ſancto Benedicto conceditur: quæ quoniam ad laborem incommoda futura eſſet, inventum eſt ſcapulare, quod cum cuculla, ut modo fit, olim non geſtabatur. Unde in Clementina præcipitur, ut monachi peregre proficiſcentes *cucullam deferant, aut, ſi maluerint, ſcapulare ſubtus cappam*, quod genus pallii viatorii erat. Ad ſancti Patris Benedicti geſta quod attinet, inſignis eſt ejus prærogativa, quod ea litteris mandaverit ex relatu quatuor ejus diſcipulorum Gregorius Magnus, qui unus omnium inſtar eſſe debet. Quædam tamen peculiaria refert Marcus poëta, non ſpernendus, quem ipſius ſancti Benedicti diſcipulum fuiſſe Paulus Warnefridi teſtatur.

c *Johan. diac. lib. 4. c. 86.*

d *Itiner. Ital. p. 147.*

AN. CHR. 544.

XVIII. Chrothildis regina obit.

Dum Maurus apud Andecavos monaſterium condit, Chrothildis regina, viro ſuo Chlodoveo Magno dudum orbata, apud Turonos exceſſit e vivis; & Radegundis, Chlotharii ſenioris conjux, velo ſuſcepto Pictavos ſeceſſit. Utriuſque rei commemoratio ad noſtram pertinet hiſtoriam. Chrothildis, regio Burgundionum ſanguine, Chilperico patre nata, inter Arianos licet, in aula Gundebaldi patrui, qui ejus parentem interfecerat, catholice educata, Chlodoveo conjugi ſuo auctor fuit, ut, ejuratis profanæ gentilitatis ritibus, chriſtianam fidem profiteretur. Mortuo Chlodoveo, piæ viduæ officia omnia obire cœpit, Chlodomiri regis filios ſeu nepotes ſuos educare, eleemoſynis pauperum egeſtati ſuccurrere, baſilicas condere, monaſteria dotare. Cæſis a Childeberto & Chlothario Chlodomiri, uno excepto Chlodoaldo, liberis, ſeceſſit Turonos ad tumulum beatiſſimi Martini, ibidemque e vita deceſſit, forſan in ſancti Petri parthenone, quem ipſa in ſuburbio Turonenſi conſtruxerat, puellari hactenus appellato, tametſi modo collegium eſt canonicorum ſæcularium. Obiit tempore Injurioſi epiſcopi [e] Turonenſis, mortui anno ejus ſæculi quadrageſimo-ſexto; ejuſque corpus deportatum eſt Luteciam Pariſiorum ad baſilicam ſancti Petri, quam ipſa conſtruxerat, ibidemque ad latus Chlodovei regis ſepultum. In hac baſilica monachos principio exſtitiſſe jam probavimus teſtimonio [f] antiquiſſimi auctoris vitæ ſanctæ Balthildis reginæ; ex quo etiam diſcimus, Chrothildem *cœnobium ſacrarum virginum in honore ſancti Georgii in Cala primam inſtruxiſſe.* De hoc cœnobio plura, ubi de ſancta Balthilde agemus.

Monaſteriorum conditrix.

e *Greg. Tur. lib. 4. c. 1.*

f *Supr. lib. 4. n. 13.*

XIX. S. Petri Rotomagenſe.

Ad hæc, Chrothildis in ſuis ipſius actis, in primo Sæculo noſtro editis, dicitur etiam renovaſſe ab ipſis fundamentis quoddam miræ magnitudinis monaſterium,

quod in ſuburbio Rotomagenſis civitatis prope muros ejuſdem urbis tempore beati « AN. CHR. 544.
Dionyſii ibidem ædificatum fuit, & ab eodem apoſtolico viro dedicatum in no- «
mine duodecim apoſtolorum die kalendarum Septembris, ſicut in quadam petra, «
quæ erat in fundamento altaris repoſita, ſculptum erat; ibique aggregaſſe non «
modicam congregationem clericorum Deo ſervientium, id eſt monachorum, quos «
Gregorius epiſcopus Turonenſis, aliique ejuſdem ævi ſcriptores, non raro clerico-
rum nomine inſigniunt, uti exempla ſuperius a nobis allata probant. Hoc apoſto-
lorum Rotomagenſe monaſterium non aliud eſt a cœnobio quondam ſancti Petri,
modo ſancti Audoëni * appellato. Ejus originem Fridegodus, ejuſdem loci mona- * S. Ouen.
chus, in libello de vita ſancti Audoëni epiſcopi Rotomagenſis, Chlothario ſeniori
tribuit. Sed nihil vetat, quo minus Chrothildis ejus parens eidem operi collabora-
verit. Si *beati Dionyſii* nomine præmiſſus auctor Dionyſium Pariſiorum apoſtolum
ac primum epiſcopum intelligit, haud dubie fallitur; potiuſque ad Victricium
Rotomagenſem epiſcopum illius baſilicæ ac monaſterii, ſi quidem ante Chro-
thildis ac Chlotharii tempora exſtitit, primordia referenda ſunt. Conjecturæ
favet Paulinus in epiſtola [a] ad eumdem Victricium, ubi eum laudat, quod [a] Paulin. ep. 18. nova edit.
in ſua urbe, uti & in oriente, *apoſtolorum quoque præſentiam adduxerit, qui pere-
grinam memoriis ſuis urbem, affectu ſanctorum ſpirituum, & effectu operum di-
vinorum, ſedibus ſuis comparant.* quibus verbis novam tum apoſtolorum apud
Rotomagum baſilicam videtur deſignare. Sane idem Paulinus ibidem Victri-
cium commendat ab inſtituto apud Rotomagenſes quotidiano pſallentium concentu
per frequentes eccleſias & monaſteria. quod ſancti Petri monaſterio non ſine funda-
mento aptari poteſt. De hoc nihil ulterius comperti habemus ad id tempus, quo
ſancti Audoëni corpus eo delatum eſt.

XX. [b] Andelagenſe.

Præter ea Chrothildis conſtruxit aliud puellarum cœnobium ſuper fluvium Se-
quanæ, in loco, qui dicitur Andelagus * ſeu Andeleius, ſupra Rotomagum, cujus * Andeley.
baſilica in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ dedicata erat. De hoc partheno-
ne agit venerabilis Beda in hiſtoria [b] ſua, ubi ſcribit, ſæculo ſeptimo, cum pauca [b] Beda lib. 3. c. 8.
eſſent in regione Anglorum monaſteria, hunc morem in illa gente fuiſſe, ut multi «
ex Britannia, monaſticæ converſationis gratia, Francorum monaſteria adirent, «
ſed & filias ſuas eiſdem erudiendas, ac Sponſo cæleſti copulandas mitterent, maxi- «
me in Brigenſi ſeu ſanctæ Faræ monaſterio, & in Calenſi, *& in Andilegum mona-* «
ſterio. Hoc monaſterium jampridem exſiſtere deſiit, cujus loco novum Benedicti-
narum virginum cœnobium nuper excitatum eſt.

XXI. Radegundis ſecedit Pictavos.

Chrothildis deceſſum non longo intervallo excepit Radegundis itidem reginæ
ſeceſſus in urbem Pictavorum. Hæc Berthariі Toringorum regis filia, Francis vi-
ctoribus Chlothario Sueſſionum regi ſorte obtigit pæne infans, dein apud Atteias*, * Athies.
pagi Viromandenſis regiam ad Suminam villam, educata, dum regio thalamo habi-
lis redderetur. Cum præter votum regi nupſiſſet, monacham potius agebat quam
reginam, de nocte e regio cubili ſe ad orandum ſubripiens, & in quadrageſima jugi
cilicio ad carnem utens, quod ipſi religioſa quædam ſanctimonialis, re ac nomine
Pia, ſuppeditabat. Hinc durius identidem a ſponſo tractabatur. Quæ res ſæculi fu-
gam ei facile perſuaſit, jam a conjugii vinculis alienæ. Acceſſit germani ejus fratris
interitus, cujus auctor Chlotharius, qui eum pariter captivum in Franciam abduxe-
rat. Hinc dolori ac tædio cedens Radegundis, ſeceſſum meditatur. Ideo Novioma-
gum * accedit ad beatum Medardum epiſcopum, vehementer obſecrans, ut ſe Do- * Noyon.
mino conſecraret. Abnuit ille, obtendens Apoſtoli interdictum, ne, quæ ligata con-
jugio eſt, ejus ſolutionem tentet. Ad hæc interminabantur proceres, ne pontifex
eam velaret, quæ ſollemni more nupſiſſet regi. Hæc vero mox in ſacrarium in-
greſſa, monachica veſte ſe ipſa induit; ſicque induta proceſſit ad altare, epiſco-
pum ſic allocuta: Si me conſecrare diſtuleris, plus hominem reveritus quam Deum,
erit qui animam abs te meam exigat. quibus ille verbis, haud ſecus ac tonitruo con-
cuſſus, ſive ſerio, ſive ex compoſito id factum ſit, *manu ſuperpoſita conſecravit dia-
conam*, ait Fortunatus, qui poſtea rem explicans, ait eam *a ſancto Medardo conſe-
cratam velatam fuiſſe.* Ergo veli ſuſceptione monacha facta eſt, manuum impoſi-
tione diacona. Ordo Romanus addit ex novo ritu orarii impoſitionem ſuper collum.
Diaconiſſarum præcipuum munus erat, ut presbyteris miniſtrarent, cum mulieres
baptizarentur, & ad certa negotia exſequenda, quæ presbyteris propter honeſta-

ANN. CHR. 544.

tem non congruebant. Morinum [c] adeant qui plura volent.

a Morin. 3. part. Ord. exerc. 10.

Mox Radegundis eccleſiæ regia ſua ornamenta, pauperibus cingulum ex auro comminutum diſtribuit. Tum nulla mora Pictavos verſus iter inſtituit, varia piis locis dona conferens, nempe *ad cellam ſancti Jumeris, & ad cellam venerabilis Datdonis*, ubi quidquid indui poterat regio more, in manu Datdonis abbatis *totum dedit cœnobio*, quod prius cellam Datdonis dixerat Fortunatus. Idem fecit in *ſynergio* ſeu monaſterio Gundulfi, quem poſtea Mettis epiſcopum fuiſſe idem auctor tradit, tametſi nullus eo nomine præſul Mettenſi eccleſiæ per ea tempora præfuiſſe reperiatur. Hinc navigio Turones appulſa, mirum eſt quanta ſacris ubique altaribus munera largita ſit. Eadem in vico Candatenſi * & in villa Suaëdis * liberalitas. Hoc ejus iter Pictavos uſque: ubi aliquantum temporis ſubſtitit, dum, conſtructo monaſterio, ibidem recluderetur, tanta interim vitæ ſeveritate, ut, præter panem ſiligineum vel hordaceum, nihil aliud quam legumina & olera perciperet, non piſces, non ova, ne quidem poma: ad potum nihil præter aquam mulſam aut piratium adhiberet. Cetera in uſus pauperum, egenorum & infirmorum tota erat, quibus etiam ad menſam miniſtrabat. Quadrageſimæ tempore, exemplo ſancti Germani Pariſiorum epiſcopi, quem ſummopere venerabatur, mola truſatili frumentum conterebat, ex quo tantum panis, quantum ad quatriduanam refectionem ſatis eſſet, conficiebat; ad hæc oblationes in uſum ſacrificii, quas *locis venerabilibus diſpenſabat*. Dum in villa Suaëdis ſubſiſteret, rumor ad ipſam defertur, Chlotharium pænitere, quod eam a ſe diſcedere permiſiſſet. Hæc vehementer timens ne revocaretur, jejunia, vigilias, cilicium ſibi impoſuit, ut animum regis a tali cogitatione averteret. Quin etiam per nonnam quamdam, nomine Fridovigiam, quam itineris comitem habuerat, munera tranſmiſit *viro venerabili domno Johanni reclauſo in caſtello Cainone* * ad confluentes Vigennæ & Ligeris, pro ſe ut oraret, ne iterum ad ſæculum reverti cogeretur; ab eoque veſtem cilicinam accepit, & divinum oraculum, quo certior fieret de mutata regis voluntate. Is eſt Johannes, quem laudat Gregorius Turonenſis antiſtes in libro de gloria [b] confeſſorum.

* Cande.
* Sais.
* Chinon.
b Greg. Tur. de gl. Conf. c. 23.

XXII. An cum regis conſenſu.

Mirari ſubit, cur Radegundis a viro diſceſſerit. Occaſionem vidimus, necem fratris: at conſenſum regis non videtur impetraſſe ante receſſum, tametſi ſex minimum annos cum Chlothario vixerat more conjugali. An vero eam citra conſenſum regis velaturus fuiſſet Medardus, regularum eccleſiaſticarum ſciens; aut etiam conſentiente rege, niſi rex ipſe cælibatum profeſſus fuiſſet, quem certe poſtea non ſervavit. An forte epiſcopi, ſi quid hac in re peccatum eſſet contra leges, diſſimularunt propter verecundiam regis? Quoſdam id feciſſe, facile crediderim; ut nullus reſtiterit, ægre aſſenſerim. Carolus Cointius putat Radegundem, annuente rege Chlothario, Noviomagum profectam fuiſſe, atque aſſenſum regis acceſſiſſe, antequam velaretur. Alterum ex altero probat, nempe quod, teſte Fortunato, *directa a rege, veniens ad beatum Medardum, ſupplicat inſtanter.* Verum ſi rex conſenſerat, cur reclamant proceres? cur Medardo tergiverſanti, & Apoſtoli obtendenti interdictum, Radegundis non opponit regis conſenſum? Equidem Baudonivia, quæ librum de vita Radegundis ſecundum ſcripſit, quodam modo huic ſententiæ favet, ubi ait, Radegunde in villa Suaëdis commorante, ſparſum fuiſſe rumorem de regis pænitentia, *qui talem & tantam reginam permiſiſſet a latere ſuo diſcedere.* At reponi poteſt, permiſſum hunc acceſſiſſe velata jam regina. Locus ſane lubricus ac difficilis. Radegundis a rege diſceſſum ea tantum ratione probat Fortunatus, quod ejus frater a rege cæſus fuiſſet *innocenter*, id eſt abſque ulla cauſa, adeo ut prorſus innocens & culpa vacuus eſſet. *Et quoniam*, inquit Fortunatus, *frequenter aliqua occaſione, divinitate proſperante* ſeu obſecundante, *caſus cedit ad ſalutem; ut hæc religioſius viveret, frater interficitur innocenter.* Quod ſubdit idem auctor, *Directa igitur a rege, veniens ad beatum Medardum Noviomago;* perinde eſt ac ſi diceret, *profecta a rege.* Cædes ergo illa diſceſſionis cauſa fuit non plane iniqua, ſed non ſufficiens ad ſolvendum vinculum conjugale. Nodum hunc ſolvere videtur collecta, quam vocant, in ejus officio antiquitus recitari ſolita, in qua Radegundis regali in ſolio virginitatis decorem conſervaſſe dicitur. At parum veri ſimile id ſervari potuiſſe per ſex minimum annos cum tali conjuge, qui vitæ non admodum continentis fuit. Sed hæc viderint theologi: res noſtras perſequamur.

XXIII. Duo illic monaſteria condit.

Duplex apud Pictavos monaſterium pia regina conſtruxit, unum ſanctæ Crucis pro

ANN. CHR. 544.

virginibus, cui Agnetem abbatiſſam præfecit, ſeque illi ſubjecit: alterum ſanctæ Mariæ pro vitis, ubi virgines ſepeliebantur. Aliud etiam virorum condidit in urbe Turonica, cujus vocabulum ſilet Baudonivia [a] ejus vitæ auctor. *Monaſterium ſibi*, ait Fortunatus, *per ordinationem præcelſi regis Chlotharii conſtruxit*, nimirum cœnobium ſanctæ Crucis: cujus fabricam Pientius Pictavorum epiſcopus, & Auſtrapius dux, ex regis mandato, accelerari curarunt. *Magnam congregationem puellarum* [b] ibidem principio exſtitiſſe Baudonivia tradit, tametſi *cellam* [c] inferius appellat. Dotato ex regia liberalitate monaſterio præfecta eſt a Radegunde Agnes abbatiſſa, quam ipſa a teneris eduxerat. De ejus benedictione a ſancto Germano facta inferius dicemus. Monaſterio beatæ Mariæ præfuit Arnegiſilus abbas, ut ſcribit Baudonivia, cujus tempore jam baſilica ſanctæ Radegundis, uti & modo, appellabatur, nunc collegium ſæcularium canonicorum. Qui in hoc monaſterio primitus degebant monachi, ſanctimonialibus ſanctæ Crucis in ſacris inſerviebant. idemque mos in omnibus aliis virginum cœnobiis obtinebat, ut duplicia eſſent, quod in horum Annalium decurſu paſſim obſervabimus: tametſi pleraque hæc virorum monaſteria in canonicos ſæculares abierunt, uno fere excepto apud nos Calenſi agri Pariſienſis, ubi a principio ad hoc uſque tempus monachi ſanctimonialibus ſacra indeſinenter miniſtrarunt.

[a] Baudon. num. 19.
[b] ibid. n. 5.
[c] ibid. n. 19.

ANN. CHR. 545.

XXIV. Caſſiodori ſeceſſus, & monaſteria.

DUplicia etiam fuere quibuſdam in locis virorum monaſteria, una pro cœnobitis, altera pro anachoretis, exemplo ſcilicet orientalium monachorum, qui præter cœnobia lauras habebant, in quibus monachi, in cœnobiis prius exercitati, diviſis cellulis habitabant. Utrumque vivendi genus inſtituit Magnus Aurelius Caſſiodorus, cognomento Senator, *repulſis* [d] *in Ravennati urbe ſollicitudinibus dignitatum, & curis ſæcularibus*; atque in fundo proprio duplex monaſterium erexit prope Schyllacium, Calabriæ ulterioris apud Brutios opidum; Vivarienſe ſcilicet pro cœnobitis, Caſtellienſe pro anachoretis. Iſtic depoſitis priorum dignitatum inſignibus, qui prius conſul, quæſtor, præfectus-prætorio, & Theodorico Gotthorum regi ab epiſtolis fuerat, vilem monachi habitum purpuræ ipſi prætulit, *converſus* & *ſervus Dei* ob id a veteribus appellatus. quod ipſe confirmat in libro ſuo de orthographia, ubi *converſionis* ſuæ meminit. Calcedonius & Gerontius utrique loco præfecti, ſive ut ſuus ſingulis locis præeſſet abbas, ſive ut conjunctis curis utrumque ſimul monaſterium regerent. quod in Wiremuthenſi & Girwenſi apud Anglos cœnobiis factum ſuo loco videbimus. Vivarienſis monaſterii ſitum amœniſſimum fuiſſe colligimus ex libro [e] de inſtitutione divinarum litterarum. Ibi horti irrigui, & piſcoſi amnis Pellenæ fluenta, cujus aquæ per diverſos meatus in monaſterium ad neceſſarios uſus derivabantur. Hinc varia piſcium *receptacula* ſeu vivaria, unde loco vocabulum manavit. Nec longe aberat mare ad piſcationem, quod vir magnus commemorat: ut vel inde appareat, Vivarienſes monachos piſcibus, non carnibus uſos fuiſſe. Ad hæc inſignem ibidem bibliothecam inſtruxit, omnigenis libris, quos undequaque conquiſierat, refertam. nec deerant balnea in uſum infirmorum. adeo ut nihil rerum neceſſariarum monachis in ipſis clauſtris deeſſet. « Ita fiebat, ut monaſterium potius quærerentur ab extraneis, quam monachi extranea loca deſiderarent. Verum his oblectamentis nolebat occupari monachos ſuos vir pius, ſed ſpe futurorum, ad quæ eos jugiter adſpirare hortabatur. Qui in priori hoc Vivarienſi cœnobio probati fuerant, ſi aliquid ſublimius cuperent, his pro eremo Caſtellienſe monaſterium erat. Habetis, inquit [f], montis Caſtelli ſecreta ſuavia, ubi, velut anachoritæ, præſtante Domino, feliciter eſſe poſſitis. Erant quippe illic remota & imitantia eremi loca, & muris ambientibus incluſa. Quapropter, addit ipſe Vivarienſes alloquens, vobis aptum erit eligere exercitatis jam atque probatiſſimis illud habitaculum, ſi prius in corde veſtro præparatus fuerit adſcenſus.

[d] Caſſiod. præf. in pſalm.
[e] Div. litt. c. 29.
[f] ibid.

XXV. Regula & ritus eorum.

Patrum regulas [g], *ac præceptoris proprii juſſa* ſervare diſcipulis ſuis præcipit, atque Caſſiani [h] inſtituta, aliaque ejus ſcripta ſedulo legere, & libenter audire, exceptis iis, quæ de libero arbitrio ſcripſit, in quibus ſancti Proſperi cenſuram, ac Victoris Martyritani Afri epiſcopi, qui ejus errata purgavit, ſequendam Caſſiodorus docet. Horas divini officii omnes, quas modo in uſu habemus, commemorat in commentario ſuper pſalmos. Jejunia monaſtica nona reſolvi ait in ejuſ-

[g] ibid. c. 32.
[h] ibid. c. 29.

ANN. CHR. 545. dem commentarii præfatione. Scripturæ ſacræ ſtudium ſuis magnopere inculcat, eoque omnium diſciplinarum intentionem dirigi cupit. Huc ſpectat præclarus ejus liber de inſtitutione divinarum litterarum, quem monachi omnes accurate legere
a c. 28. deberent. Quin etiam ſæcularium litterarum ſtudia [a] probat, quia exinde, inquit,
» non minimum ad ſacras ſcripturas intelligendas ſenſus noſter inſtruitur: ſi tamen
» notitia ipſarum rerum ſobrie ac rationabiliter inquiratur. Sacrorum librorum exſcribendorum atque emendandorum curam inter præcipua vitæ religioſæ exercitia
b c. 30. ponit, eamque ceteris præfert, quæ corporeo [b] labore exerceri poſſunt, propterea
» quod monachi antiquarii (ſic ſcriptores illi vocabantur) mentem ſuam, relegendo
» ſcripturas divinas, ſalubriter inſtituant, & Domini præcepta ſcribendo, longe, late-
c c. 32. » que diſſeminent. Pro lectione ſpirituali, ſacrarum ſcripturarum [c] cum expoſitoribus
» ſuis commendat, necnon vitas patrum, confeſſiones fidelium, & paſſiones martyrum.
d c. 28. » Denique, ſi qui erant ita ingenio tardi, ut nec humanis, nec divinis litteris [d] eru-
» diri potuiſſent; laborem, qui manu exercetur, iis imponit: quia nec ipſum eſt,
» ait, a monachis alienum hortos colere, agros exercere, & pomorum fœcund-
» tate gratulari, etiam in uſus pauperum ac peregrinorum. Hæc quippe, cum pe-
» regrinis atque ægrotantibus præparantur, fiunt cæleſtia, quamvis terrena eſſe vi-
» deantur. Quale eſt enim, inquit, languentes aut dulcibus pomis reficere, aut co-
» lumbarum fetibus enutrire, aut piſcibus alere, aut mellis ſuavitate mulcere? quæ quidem de languentibus extraneis, non de monachis ipſis intelligenda eſſe, cum ex ſuperioribus, tum ex conſequentibus manifeſtum eſt.

XXVI. Monita ejus ad abbates & monachos. e c. 32.

Præclara in primis ſunt ejus monita tum ad abbates, tum ad monachos. Calcedonium & Gerontium [e] obnixe rogat, ut ſic cuncta diſponant, quo gregem ſi-
» bi creditum, præſtante Domino, ad beatitudinis præmia perducant. Peregrinos
» ante omnia ſuſcipiant, eleemoſynam indigentibus tribuant, nudis veſtes, eſu-
» rientibus panem. Ipſos autem ruſticos, qui ad ſuum pertinent monaſterium, bonis
» moribus erudiant, nec adjectarum penſionum pondere gravent: curent denique, ut
» illi frequenter ad monaſteria ſancta conveniant, ut erubeſcant, inquit, veſtros ſe
» dici, & non de veſtra inſtitutione cognoſci. Prætereo varia ejus monita ad monachos, quibus præcipue concordiam inſpirat, deſidiæ fugam, lectiones ac me-
f c. 32. » ditationes ſanctas: quæ id efficient, ut inimicus [f] in eis non inveniat locum, cum
» totum Chriſtus occupaverit animum. Ceterum qui non valet alios ſermonibus
» docere, morum inſtruat ſanctitate.

XXVII. Monachi quales ibi poſiti.

Monachos, non Græcos, ſed Romanos ſeu latinos principio in duobus illis monaſteriis conſtitutos fuiſſe patet ex præfatione ſæpe laudati libri de inſtitutione divinarum litterarum: ubi potius *latinos ſcriptores* ſectandos monet, *ut, quoniam Italis*, inquit, *ſcribimus, Romanos quoque expoſitores indicaſſe videamur.* Caſtellienſis monaſterii
g Gregor. M. lib. 7. epiſt. 31. & 33. Ind. 1. mentionem facit duabus in epiſtolis [g] Gregorius Magnus: quarum una Secundino Tauronimitano epiſcopo, altera Johanni Schyllitano inſcripta eſt. In hac ſanctus pontifex de nova quadam exactione conqueritur, quam Johannes a monachis Caſ-
» tellienſibus extorquebat, juberque ab ipſo ſervari omnia, quæ ab ejus prædeceſ-
» ſoribus promiſſa ſunt ac ſervata: ita tamen, ut, ſi quempiam illic pravè conver-
» ſari deprehenderit, diſtricta ac regulari emendatione corrigat. Jam dudum uterque locus, Vivarienſis ſcilicet ac Caſtellienſis, monachis orbatus eſt, uno ſancti Gregorii Thaumaturgi oratorio in præſens relicto. Dionyſium, cognomento Exiguum, cum Caſſiodoro, cui in primis carus erat, in Vivarienſi monaſterio per aliquod tempus converſatum fuiſſe quidam opinantur, ibique dialecticam cum eo legiſſe. At vereor ut id probari poſſit: immo Dionyſium ante conditum Vivarienſe monaſterium deceſſiſſe inde confici poſſe exiſtimem, quod liber de inſtitutione divinarum litterarum, ubi tanta cum laude amici jam mortui meminit Caſſiodorus, paullo poſt ejus converſionem ſcriptus ab eo eſt, uti diſerte tradit initio libri de orthographia, nempe *poſt commenta pſalteris*, quod opus converſionis ſuæ tem-

ANN. CHR. 546. XXVIII. S. Medardi obitus & monaſterium.

pore *primum* elucubravit. Poſtremus ejus liber eſt de orthographia, quem *anno ætatis* ſuæ *nonageſimo-tertio* compoſuit. E vivis exceſſit poſt annum ejus ſæculi ſexageſimum-ſecundum.

h Spicil. to. 8. p. 481. * l'Oiſe.

SUb hoc tempus, id eſt anno circiter quadrageſimo-ſexto, mortalem vitam [h] æterna commutavit Noviomagi ad Iſaram * Medardus Viromandenſis epiſcopus,

ANN. CHR. 546.

ſanctitate inſignis : cujus corpus Chlotharius Francorum rex Sueſſionas transferendum, atque in fiſco ſuo ſuburbano, qui Croviacus * hactenus appellatur, ſepeliendum curavit. Is tumultuario opere ſtatim ſuper ejus tumulum rude ex virgultis [a] oratorium conſtruxit, quod in inſignem baſilicam, beatæ Mariæ, ſanctis Petro ac Stephano dicatam, converſum eſt, ab ipſo Chlothario inchoatam, ſed abſolutam a Sigiberto ejus filio, qui ex paterno voto baſilicæ monaſterium adjunxit, ſancti Medardi reliquiis & nomine illuſtre. Situm eſt ad proſpectum urbis amœniſſimæ orientalem, ſecundum dextram Axonæ ripam, haud procul a vico Croviaco : quæ loci amœnitas reges nonnullos primæ ac ſecundæ ſtirpis ad conſtruendum ibidem palatium, adeoque ſedem ſuam iſtic figendam invitavit. Perſtant etiam nunc in hortis monaſterii antiqua veſtigia baſilicæ ſanctæ Sophiæ, quam ex æmulatione Juſtiniani imperatoris priſci illi reges condiderant. Superſunt etiam ejuſdem baſilicæ canonici duodecim, qui ad divina officia ſingulis tantum dominicis cum monachis conveniunt. Perfecto monaſterio, non clericos, ſed monachos a Sigiberto impoſitos fuiſſe, tam luculenter demonſtravit vir clariſſimus Hadrianus Valeſius in diſceptatione ſua de baſilicis, & in ejus defenſione, ut nemo qui legerit, in poſterum hac de re dubitaturus ſit; omneſque fatebuntur, baſilicarum nomine apud Gregorium Turonenſem epiſcopum, alioſque ejuſdem ævi Gallicanos ſcriptores, paſſim monaſteriorum eccleſias deſignari. quod ſemel ſufficiat monuiſſe. Danielem abbatem cœnobii primum ſuggerunt vulgati indices non admodum accurati; eique ſubſtituunt Gairaldum, cui vulgatum Gregorii Magni privilegium inſcriptum eſt. Ibidem ſepulti ſunt Chlotharius & Sigibertus loci conditores; eidemque villas [b] fiſcales in pago Sueſſionico poſitas, quas Godino propter proditionem ademerat, Chilpericus Sigiberti frater largitus eſt. Hæc pro conſequentia rerum, occaſione ſancti Medardi obitus, continenter diximus, tametſi ipſius monaſterii conditio paullo ſerius, id eſt poſt mortem Chlotharii, differenda erat.

* Crony.

a Greg. Tur. de gl. conf. c. 95. & lib. 4. hiſt. c. 19

b Greg. Tur. lib. 5. c. 3.

ANN. CHR. 547.

XXIX. Flori profeſſio monaſtica.

Danielem abbatem ferunt diſcipulum fuiſſe beati Mauri, qui tum Glannafolienſis monaſterii ædificationem accelerabat. Loci dedicationem, anno inchoati ædificii octavo factam, præceſſit Flori converſio, ac Theodeberti in monaſterium acceſſus, tametſi dedicationem anticipato refert Odo, ne ſemel incœptam de Glannafolienſis cœnobii conſtructione [c] narrationem interrumperet. Sic, ne ſermonem de Floro jam inſtitutum divideret, prius ejus obitum narravit, quam Theodeberti regis : quamvis dicat Florum inter monachos vixiſſe annis duodecim, menſibus tribus ac diebus totidem; conſtetque Theodebertum anno ejus ſæculi quadrageſimo-octavo e vivis exceſſiſſe, annis fere decem ante Florum. Is factæ promiſſionis memor, qui Mauro fundum conſtruendo monaſterio dederat, a Theodeberto rege facultatem petiit ſæculo nuntium remittendi. nam id injuſſu regis optimatibus agere non licebat. Rex nonniſi ægre aſſenſit, pollicitus ſe ad certum diem, ſi modo ſanctus Pater gravate non ferret, cœnobio adfuturum. Florus interea accedit ad cœtum Glannafolienſem, qui jam tum ad quadragenarium monachorum numerum creverat. Tum rex ad diem condictum eodem venit, ibidemque ea, quæ regiam dignitatem decebat, honorificentia ſuſceptus, fiſcum regium, qui Boſcus vocatur, conceſſit, ac demum comam Floro totondit : qui, depoſito militari cingulo, aliiſque ſæculi inſignibus, monaſticas veſtes, frequenti curia ſpectante, indutus eſt, conceſſis plurimis auri, argentique donariis, atque ornamentis pretioſis in uſum ſacrorum. Refectus inde rex, ſe filiumque ſuum Theobaldum in ſocietatem orationum admitti rogavit, ac Bertulfum, Flori filium jam monachum, complexus, Landramno, ejuſdem Flori nepoti, quæcumque patruus ejus ex regali dono poſſederat, per ſceptrum regale tradidit. Florus vero, cum annis duodecim, menſibus tribus ac diebus totidem in religioſo inſtituto piiſſime vixiſſet, duodecimo kalendas Septembris ſupremum diem abſolvit.

c Cointe an. 547. n. 2.

XXX. Childeberti ſtudii in monachos.

Monachis non minus favebat Childebertus, quam alii reges, immo alios hac in re longe ſuperavit. Nam, ut ne ſuperiora repetam; Sacerdoti Lugdunenſi antiſtiti in conſtruendis ſancti Pauli & ſanctæ Eulaliæ baſilicis; Aureliano Arelatenſi in condendis cœnobiis ſancti Petri & ſanctæ Mariæ; & præ ceteris Germano Pariſienſi in excitando monaſterio ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii martyris

ANN. CHR. 547.

opem tulit. Sancti Pauli baſilicam apud Lugdunum, quæ modo collegiata eſt, monachorum quondam fuiſſe multi opinantur, auctore Sacerdote ejus loci metropolita, qui ſanctæ Eulaliæ cœnobium virginum in eadem urbe exſtruxit, ſuppetias ferente Childeberto cum Ultrogottha regina. Utrumque locum inſtauravit Leidradus archiepiſcopus, uti idem ipſe teſtatur in epiſtola ad Carolum Magnum. *In eadem civitate Lugdunenſi alias reſtauravi eccleſias, unam in honore ſanctæ Eulaliæ, ubi fuit monaſterium puellarum in honore ſancti Georgii, quam de novo operui ex parte, & macerias ejus a fundamentis erexi. Alia quoque domus in honore ſancti Pauli de novo operta eſt.* Sanctæ Eulaliæ eccleſia poſtmodum ceſſit militibus Templi, quæ modo præceptoria eſt ordinis ſancti Johannis Jeroſolymitani.

ANN. CHR. 548
XXXI.
S. Aureliani monaſteria apud Arelate. S. Petri.

SAcerdotis exemplum æmulatus eſt Aurelianus, Cæſarii poſt Auxanium ſucceſſor in ſede Arelatenſi, condendo monaſterio Apoſtolorum pro viris, & parthenone ſanctæ Mariæ pro virginibus. Utrique regulam præſcripſit ſanctus antiſtes, ſola fere generum mutatione diverſam. Regula virorum inſcripta eſt, *Sanctis & in Chriſto venerandis fratribus, quod Deo miſerante, ac jubente Childeberto fecimus, Aurelianus epiſcopus.* Nonnullis videtur hoc idem eſſe monaſterium, quod Childebertus rex *intra muros Arelatenſis civitatis* condidit, cui *quædam ibidem pro habitantium ſuſtentatione conceſſit*, obtento a Vigilio papa ad Aurelianum privilegio, tam pro libera diſpoſitione rerum, quam pro

a Greg. M. lib 7. ep. 116. nd. 2.

electione abbatis: quod privilegium Gregorius [a] Magnus confirmavit. Huic conjecturæ favent diptycha monaſterii ab Aureliano conſtructi, in quibus fit commemoratio Childeberti & Ultrogotthæ poſt Aurelianum, alioſque benefactores; tempuſque exprimitur conditi monaſterii, atque nomen baſilicæ patronorum, nempe ſanctorum Apoſtolorum & martyrum. Ex quo refelluntur ii, qui hoc cœnobium confundunt cum monaſterio Montis-majoris, ſito extra muros Arelatenſes, cum illud Aureliani ac Childeberti exſtiterit intra muros ejuſdem civitatis. Diptycho-

b Cod regul. parte 2. p. 69.

rum [b] hæc verba ſunt. *In Chriſti nomine fundatum eſt monaſterium virorum Dei in civitate Arelatenſi a ſancto Aureliano epiſcopo, jubente ſanctæ memoriæ Childeberto rege Francorum, quinto-decimo kalendas Decembris, indictione undecima, anno quinto*

* l. ſeptimo.

*to * poſt conſulatum Baſilii junioris viri clariſſimi, & baſilica ibidem in honore ſanctorum Apoſtolorum & martyrum; habetque ibidem reliquias poſitas, id eſt de cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti, &c.* Hæ notæ chronicæ conveniunt cum anno quingenteſimo quadrageſimo-octavo. Primus loco abbas præfuit Florentinus per annos quinque, teſtante ejus epitaphio, acroſtichis verſibus compoſito, in quo dicitur obiiſſe pridie idus Aprilis, anno duodecimo poſt Baſilii conſulatum, qui coincidit cum anno hujus ſæculi quinquageſimo-tertio. Hujus corpus Conſtantinus abbas tranſtulit in baſilicam ſanctæ Crucis, ac demum *exactis ſeptem luſtris* in eccleſiam ſancti Petri. Hæc memoriæ prodidit Januarius ejus diſcipulus, iſtius epitaphii auctor, qui ſe ſe illi commendat, ſimulque tumuli ſculptorem, ac Benignum & Hilarinum monachos. Acroſtichi verſus hanc ſententiam reddunt, *Florentinus abbas*

c Sax. Pont. Arelat.

hic in pace quieſcit, amen, ut apud Saxium, Baronium, & Cointium videre licet, qui prædictum epitaphium retulerunt. Huic ſubjuncta leguntur hæc verba. *Primus itaque præfuit ſanctus Florentinus abbas monaſterio noſtro per annos* V. *qui vixit annis plus minus* L. *obiit pridie Idus Aprilis, duodecies poſt conſulatum Baſilii viri clariſſimi junioris. Poſt hunc ſecundus fuit domnus Redemptus abbas.* Hunc excepit Conſtantinus primæ tranſlationis auctor, ut ex diptychis prælaudatis conſtat, in quibus hoc ordine fundatores atque abbates primi commemorantur. *Simulque precantes oramus etiam, Domine, pro animabus famulorum tuorum, patrum atque inſtitutorum quondam noſtrorum, Aureliani, Petri, Florentini, Redempti, Conſtantini, Himiteri, Hilarini, Januarini, Reparati, Childeberti, Wltrogotæ, vel omnium fratrum noſtrorum, quos de hoc loco ad te vocare dignatus es.* Diſputant Saxius, Baronius, & Cointius de nomine monaſterii, an titulus fuerit ſanctæ Crucis, an ſancti Petri, an Montis-majoris. At mihi pro explorato habetur non aliud fuiſſe quam ſancti Petri ſeu ſanctorum Apoſtolorum, ut in diptychis: ubi erat duplex eccleſia pro more illorum temporum, una ſancti Petri præcipua, ex quo inditum monaſterio nomen: altera ſanctæ Crucis, in quam tranſlatum eſt primo Florentini corpus ex cœmeterio fratrum; deinde, creſcente in eum fidelium religione,

in

ANN. CHR. 548.

in eccleſiam ſancti Petri. Certe in iiſdem diptychis, ubi de reliquiis ejuſdem monaſterii agitur, fit mentio *de Cruce Domini Jeſu-Chriſti*, quæ ſecundæ huic baſilicæ titulum dedit. Hæc nunc eſt eccleſia parœcialis. Sancti Florentini memoria quotannis apud Arelatenſes recolitur decimo-ſexto kalendas Junias, tametſi ejus depoſitio accidit pridie idus Apriles, inventio & elevatio undecimo eaſdem kalendas, tranſlatio duodecimo kalendas Junias.

Cœnobium virginum, quod Arelati conſtruxit Aurelianus, beatæ Mariæ nuncupatum fuiſſe docet ipſius regulæ inſcriptio : *Sanctis & in Chriſto venerandis ſororibus in monaſterio beatæ Mariæ, quod Deo jubente intra muros Arelatenſis urbis fecimus, conſtitutis, Aurelianus epiſcopus.* Hic nulla mentio de Childeberto rege, quia nimirum ad ejus parthenonis conditionem nihil contulerat. Non amplius extat hoc cœnobium, uti neque illud ſancti Petri, quod a Sarracenis ſæculo octavo everſum fuiſſe exiſtimant.

XXXII. S. Aureliani regula.

Sancti Aureliani regula in multis concordat cum regula ſancti Cæſarii, in multis etiam cum regula ſancti Benedicti, quam, uti & Cæſarianam, præ oculis [a] videtur habuiſſe Aurelianus. Vetat [b] ne pallæ holoſericæ ad altaria, de auro aut de gemmis ornatæ umquam comparentur. Ut [c] ad vigilias, dum lectio legitur, aut de ſparta, aut de canape, aut aliud hujuſmodi, manibus operentur tam monachi, quam monachæ, ne ſomnus obrepat. Ut [d] lites nullas habeant. Ut ſi aliquis ex monachis ad epiſcopatum expetatur, ſolus egrediatur e monaſterio abſque ullo alio monacho comite. Ut [e] ſanctus abbas (ſic paſſim appellatur) niſi inæqualitate, id eſt morbo, faciente, extra congregationem non reficiat, id eſt extra commune refectorium. Ut [f] carnes in cibum numquam ſumantur, ne quidem pulli [g] aut quævis altilia, niſi ab infirmis. Piſces vero certis feſtivitatibus, aut quando abbas indulgentiam facere voluerit, procurentur. Ceterum cibaria quotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, ad cænam duo indulget. Biberes ad refectionem per æſtatem merum, id eſt ſcyphum ex vino, & tres caldellos, id eſt cyathos ex cerviſia aut zytho ; ad prandium tres tantum : ad cænam in æſtate ternos, aliis temporibus binos tantum accipiant : ſic tamen ut abbas in feſtivitatibus, & quando indulgentias facere voluerit, & cibaria, & recentes augere poſſit. Biberes binas ad prandium, binas ad cænam concedit ; ſi jejunaverint, ternas. Refectio jejunium indicat ; prandium vero cænam. *Recentes* hoc loco perperam emendare volunt [h] nonnulli : at prorſus vox hæc retinenda eſt, ſignificatque *dulciamina*, ut ex regula virginum intelligitur, & *recentes, id eſt dulciamina*, (ita enim legendum puto, non *de dulciamina) addenda ſunt*. Hinc *recentatum* vinum, de quo in Gloſſario Cangiano, quod vetus vinum eſt, muſto aut recenti aliquo liquore permiſtum ac renovatum. Eadem regula jejunium indicit a kalendis Septembris ad kalendas Novembris (ſic reſtituit Benedictus [i] in Concordia regularum) qualibet feria ſecunda, quarta & ſexta, uti & regula Cæſarii : a kalendis Novembris ad Nativitatem Domini per dies ſingulos, exceptis ſabbato & dominica ; Cæſarius excipit etiam feſtivitates. Similiter ab epiphania uſque ad paſcha, exceptis majoribus feſtivitatibus, ſabbato ac dominica, ut legitur etiam in Concordia regularum. Non ergo emendandus hic locus ſecundum conjecturam [k] Caroli Cointii, cenſentis, aut hanc vocem *ſabbato* expungendam eſſe, aut præceptum illud non eſſe prorogandum ab epiphania uſque ad paſcha, ſed tantum ab epiphania uſque ad quadrageſimam, ſicut in regula Cæſarii : ne ſabbata in quadrageſima excludantur a jejunio. Verum ſollemne erat non modo Orientalibus, ſed etiam Gothis, ut Menardus in hunc locum notavit, ut a jejunii lege eximerent ſabbatum & dominicam, propter communionem ſacram, quæ his diebus in quadrageſima percipiebatur. Denique in Aureliani regula jejunium a paſcha ad pentecoſten ſolis feriis ſextis præſcribitur : poſt pentecoſten vero per menſes Junium, Julium & Auguſtum, pro arbitrio abbatis. quod utrumque Cæſarii regulæ conſentaneum eſt. Bultellus ita explicat capita ſecundum, & quadrageſimum-ſextum Aureliani regulæ, quaſi in ea monachorum recluſio perpetua fuerit, uti & ſanctimonialium ; ſoluſque abbas ſacerdotii gradum potuerit ſuſcipere. En verba capitis ſecundi : *Exceptus vero uſque ad mortem ſuam nec præſumat, nec permittatur de monaſterio egredi.* quæ forſan aliquis de regreſſu ad ſæculum interpretetur. At veri ſimilior eſt Bultelli interpretatio : atque ob id ſtatuit Aurelianus, ut ſolus ſine comite, ſi quis

[a] Coint. ad ann. 548. n. 76.
[b] Reg. c. 27.
[c] c. 29.
[d] c. 39.
[e] c. 50.
[f] c. 51.
[g] V. ſupra lib. 1. n. 53.
[h] Coint. an. 748. n. 86.
[i] Conc. reg. p. 749.
[k] Coint. an. 748. n. 92.

ANN CHR. 548.

epiſcopus e monachis electus fuiſſet, e monaſterio egrederetur. Verum in capite quadrageſimo-ſexto id ſolum ſtatuitur [a], *ut nullus honorem presbyterii aut diaconatus accipiat, præter abbatem*, id eſt citra ejus conſenſum. quod verba ſequentia probant: *ſi voluerit ordinari presbyterum, & unum diaconem, & ſubdiaconem; quos ipſe voluerit, & quando voluerit, ordinandi habeat poteſtatem.* Idem ergo ſtatutum erat de ſacerdotio, ac de diaconatu & ſubdiaconatu, quos nulli monacho abſque permiſſu & conſcientia abbatis conferre licebat, ut ex Gregorii Magni epiſtolis patet. Id notare viſum eſt hoc loco, ne viri eruditi, mihique, dum viveret, amiciſſimi auctoritas alios inducat in errorem. Certe Menardus noſter, ut poſtea deprehendi, ſic Aureliani verba explicat, *præter abbatem, id eſt præter abbatis voluntatem.*

a *Conc. regul.* p. 1017.

ANN. CHR. 550. XXXIII. S. Albini obitus & monaſterium.

SEd jam in pagum Andecavenſem revertendum eſt, quo ſancti Albini epiſcopi obitus, & Glannafolienſis eccleſiæ dedicatio nos vocant. Mortuus eſt Albinus kalendis Martii, anno vitæ ſuæ octogeſimo, poſtquam viginti annis & ſex menſibus eccleſiam Andecavenſem rexiſſet. quæ omnia ex Fortunati narratione diſcimus. Mortuus eſt, inquam, poſt concilium quintum Aurelianenſe, cui ſubſcripſit Sapaudus abbas, an Tincillacenſis, *directus a domno Albino epiſcopo eccleſiæ Andecavenſis*, gravi ætate, ne adeſſe poſſet, forte impedito. Hic eſt Sapaudus abbas, qui quondam Chlotharii [b] regis miniſter, pænitentia accepta, cum Friardo eremita in Vindimitenſem Namnetici pagi inſulam ſeceſſit: ſed poſtea in monaſterium ſuum reverſus, non multo poſt, incertum qua de cauſa, gladio peremtus eſt. Hoc porro concilium habitum fuit anno Childeberti regis triceſimo-octavo, qui coincidit cum anno ſæculi ſexti quadrageſimo-nono. Albini corpus ſepultum fuit in baſilica ſancti Petri: ubi cum aliquamdiu jacuiſſet, non multo poſt ab Eutropio ejus ſucceſſore, & ſancto Germano Pariſienſi, aliiſque comprovincialibus epiſcopis, tranſlatum eſt in baſilicam ſancti Germani epiſcopi Autiſiodorenſis, quæ poſtmodum ab ejus nomine ſancti Albini appellata eſt cum adjuncto monaſterio. Hanc baſilicam Fortunatus *novam* vocat. quod argumento eſt eam ſacri corporis cauſa ædificatam fuiſſe. Eutropium, non Domitianum, hujus tranſlationis auctorem fuiſſe, etſi non aſſereret, ut quidem aſſerit, vetus loci breviarium; id certe ſuaderet ipſius Fortunati narratio, qui cum libellum de vita ſancti Albini Domitiano epiſcopo nuncuparet, Albini ſucceſſorem a Domitiano plane diverſum eſſe, etſi ejus nomen haud exprimit, ſatis innuit his verbis. *Igitur cum ſanctus Germanus epiſcopus Pariſiorum, vel comprovinciales, ac pontifex ſucceſſor ejus*, nempe Albini, *& populus vellent membra ſancti Albini in novam baſilicam tranſponere*, &c. quæ verba directurus fuiſſet ad Domitianum, cui libelli ſui præfationem inſcripſit, ſi alius ab ipſo non fuiſſet Albini ſucceſſor.

b *Greg. Tur. de vit. Patr.* c. 10.

Childebertum regem novæ baſilicæ conſtruendæ per Germanum Pariſiorum epiſcopum neceſſaria ſuppeditaſſe tradunt; nec dubito quin idem regi auctor fuerit monaſterii, quod ab eo tempore ibidem excitatum eſt. Certe hanc baſilicam per ſanctum Germanum, voluntate & imperio Childeberti regis, fundatam fuiſſe, aſſerit charta [c] Neſingi epiſcopi Andecavenſis. Bobinum ejus loci abbatem, Chlotharii ſecundi principatu, ſuggerit Bertichramni [d] epiſcopi Cenomannenſis teſtamentum. is villam Pauliacum, quam *a venerabili Bobeno* ſeu Bobino *abbate de baſilica domni Albini* pretio triginta ſolidorum aureorum comparaverat, cuidam pronepoti ſuo legat, hoc pacto, ut ſi aliquid aut baſilica domni Albini, aut abbas, qui Bobini ſucceſſor futurus eſſet, ſecus attentaturus fuiſſet, dupli ſatisfactionem prædicto pronepoti ſuo redderet, nec villam umquam illam revindicare poſſet. Veri ſimile eſt primos iſtius cœnobii monachos ad Glannafolienſium normam inſtitutos fuiſſe. Bobino videtur ſucceſſiſſe Nihulfus ſub Magnobodo epiſcopo, quo tempore ibidem vigebat diſciplina monaſtica. Præter hæc nulla nobis documenta ſuperſunt uſque ad Carolum Magnum, cujus anno primo Guntarus abbas obtinuit confirmationem omnium ejuſdem loci poſſeſſionum, ubi monachorum numerum ad quadraginta definit. Fuit & aliud [e] ſancti Albini cœnobium puellarum apud Cenomannos, ab Aigliberto epiſcopo ſub finem ſæculi ſeptimi conditum, ubi *monachas ſub regula degentes* inſtituit. Ceterum, ut ad ſuperiora me referam, libellum de vita ſancti Albini, quem Fortunati eſſe Gregorius [f] teſtatur, Domitiano epiſcopo inſtigante ſcriptum, eidemque nuncupatum fuiſſe probat tum auctoris præ-

c *Baluz. ad Lupum* p. 378.
d *Analect.* to. 3. p. 132.
e *ibid.* pag. 192.
f *Greg. Tur. de gl. Conf.* c. 95.

fatio libello præfixa, tum codicis Eſcurialis, teſte Roſweydo, titulus, *ad Domitianum papam*, quem virum apoſtolicum Fortunatus principio appellat: ubi ait, ſe, cum ad urbem Andecavorum acceſſiſſet, ab ipſo compulſum fuiſſe ad ſcribenda geſta ſancti Albini. Id factum fortaſſe eo itinere, quod Fortunatus [a] ipſe deſcribit, cum ex urbe Pictavorum profectus eſt ad cœnobium Tincillacenſe. quippe, ut ipſe canit,

ANN. CHR. 550.

[a] Fortun. lib. 11. c. 24.

> *Hinc ſacer antiſtes rapuit me Domitianus,*
> *Ad ſancti Albini gaudia feſta trahens.*

ANN. CHR. 551.

XXXIV. Glannafolienſis dedicatio.

EUtropius, Domitiani deceſſor, ſucceſſorque ſancti Albini, cum aliis ejuſdem provinciæ epiſcopis, Glannafolienſis monaſterii dedicationem celebravit anno a Mauri adventu octavo, & quidem poſt obitum Theodeberti regis, tametſi anticipato eam Odo retulit, ut ſuæ narrationis filum continuaret. In ipſo monaſterio eccleſiæ quatuor primitus ædificatæ fuerunt: quarum major, in quam fratres ad divina conveniebant officia, conſecrata eſt in honorem beati Petri: ſecunda in honorem ſancti Martini: tertia, quæ ceteris minor erat, in veneratione ſancti Severini Noricorum apoſtoli: quarta vero, quæ in modum turris quadrifidæ ad ingreſſum monaſterii altiſſime erecta erat, ſub titulo ſancti Michaëlis archangeli. Porro jam tunc grex ille ſanctiſſimus quadragenarium monachorum numerum exceſſerat, atque adeo ſubinde excrevit, ut viceſimo-ſexto conditi cœnobii anno centum quadraginta monachi iſtic degerent. qui numerus beatus Maurus vetuit ne excederetur. Eodem quo Theodebertus ſtudio Theodebaldus ejus filius hunc locum proſecutus eſt, eidemque villas duas, nempe Villam-fabrenſem, & Voſdam, donavit. Nec minus in Glannafolienſes munificus fuit Chlotharius, cum regni Francorum monarchiam obtinuit. Hanc munificentiam probat largitio fiſci regii, qui *Blazon* vocatur, & villæ Longi-campi, ab eo facta, dato regio diplomate, quo item abbatis eligendi libertas monachis aſſerta eſt.

XXXV. Marii abbatis Bodanenſis geſta.

* de Siſteron.
* de Beton.

Interea florebat in Provincia Gallicana, nempe in pago Siſtaricenſi *, Marius abbas Bodanenſis *, cujus vitam litteris mandavit Dynamius patricius ac rector patrimonii Romanæ eccleſiæ in Gallia, quem uterque Gregorius laudat. Iſtic numeroſiſſimæ monachorum turmæ præerat Marius, civis Aurelianenſis, qui primum in ſua urbe monachum induit, forte in cœnobio Miciacenſi. deinde in Provinciam profectus, a fratribus monaſterii Bodanenſis abbas electus eſt, cum Gundobadus in Burgundia regnaret, Johannes vero præeſſet eccleſiæ Siſtaricenſi. Obſervare tamen convenit, monaſterium *Bobacenſe* dici in martyrologiis etiam manu exaratis Uſuardi & Adonis ad diem ſextum kalendas Februarii, quo die natale ſancti Marii celebratur. Mos erat viro ſancto, qui monachis tunc familiaris erat, ut tempore quadrageſimæ in cellam peculiarem recluſus, ſeverius ſolito viveret. Hunc frequens tum inviſebat Lucretius Dienſis epiſcopus, ejuſdem olim monachus & alumnus, qui eum patris loco, etiam epiſcopus venerabatur. Eidem imminentem Italiæ cladem vir ſanctus prædixit, itidemque obitum cuidam Donato ſervo Dei & anachoretæ concivi ſuo, in Martyrologio Adonis ad diem quartum decimum kalendas Septembris laudato, qui vitam anachoreticam multis annis duxiſſe dicitur in monte Lura, non Jura, ubi ſæculo duodecimo Lurenſis abbatia [b] condita eſt. Utrumque oraculum probavit eventus. Suprema Mario funera perſolvit Lucretius: nec multo poſt Bodanenſe monaſterium, in illa communi Italiæ clade, dirutum eſt. Situm fuiſſe creditur in valle Badonenſi *, prope comitatum Saltus *. Perſtitit nihilo minus uſque ad ſæculum decimum eccleſia Bodanenſis ſive Bobacenſis: ex qua ſancti Marii corpus ab Arnulfo Siſtaricenſi epiſcopo tranſlatum fuit in opidum Forcalcarienſe, quod inter Siſtaricum & Aptam-Juliam ſitum eſt, in concathedralem eccleſiam erectum a Gerardo epiſcopo Siſtaricenſi ſub annum milleſimum ſexageſimum. In hac vero Forcalcarienſi eccleſia monachos Benedictinos quondam exſtitiſſe, forte ex Bodanenſi iſtuc cum ſancti Marii reliquiis tranſlatos, probat libellus de ejus miraculis iis ſane verbis [c], quæ ad Benedictinam profeſſionem manifeſte alludunt. nam relata cujuſdam puellæ pœna ob violatum quod ipſa ad ſancti Marii tumulum fecerat votum, auctor monet eos, qui in hac eccleſia *Deo & ſancto Mario morum ſtabilitatem promiſerunt*, ut

[b] V. Gall. chr. to. 4. p. 582.

* Baudonneſe.
* de Sault.

[c] Sæc. 1. Bened. p. 108.

AN. CHR. 551. » voti ſui memores ſint; &, ſi quidem minus religioſe iſtud exſecuti fuerint, *votis fractis, per pœnitentiam* conſulant, adeoque ſaluti ſuæ *morum ſtabilitate redintegrata.* Hic obiter animadvertas, olim in ſollemni Benedictinæ profeſſionis formula, ubi regula [a] morum converſionem & ſtabilitatem in congregatione promitti præcipit, utrumque non raro una morum ſtabilitate comprehenſum fuiſſe. Bodanenſis abbatia lapſu temporis converſa eſt in prioratum, Inſulæ-Barbaræ monaſterio ſubjectum.

a S. Bened. c. 63.

XXXVI. Ebredunenſe monaſterium & Noviacenſe. Per idem tempus contigit ſanctorum martyrum Vincentii, Orontii, & Victoris reliquiarum tranſlatio, quæ condendo monaſterio Noviacenſi occaſionem præbuit. Paſſi ſunt hi martyres Gerundæ in Hiſpania Diocletiano Imperatore: quo ex loco Ebredunum *, quæ alpium maritimarum metropolis eſt, eorum corpora tranſlata ſunt, ac recondita per Marcellinum epiſcopum prope muros Ebredunenſes in baſilica ab eo conſtructa, quam monachi ſubinde occuparunt. His præerat ſæculo ſexto Beroaldus abbas, a quo partem reliquiarum ſacrarum impetravit Ætherius epiſcopus, eaſque in loco, qui Noviacus dicebatur, honeſte collocavit. Rem geſtam fuſius narrat ejus temporis auctor apud Bollandum [b], qui ſe Ætherii ſucceſſorem dicit. at cujus loci epiſcopus fuerit Ætherius, diſputant recentiores. In actis vulgatis *Antincia*, ſeu *Antimia*, epiſcopus dicitur. Bollandus *Diniæ*, vel *Sanicii*, vel *Nicia* legendum ſuſpicatur. Carolus Cointius *Aventica*. Mihi vero perſuaſum eſt *Antibia* præferendum, id eſt Antipolitanæ civitatis, cujus loci Euterius antiſtes concilio Aurelianenſi quarto ſubſcripſit anno iſtius ſæculi quadrageſimo-primo, idem haud dubie qui Ætherius prælaudatus. Huic in ſede Antipolitana ſucceſſit Euſebius, qui proinde prædicta ſcripſit acta tranſlationis, ſi non me mea fallit conjectura. Concilio Aurelianenſi quinto interfuit September diaconus, *miſſus ab Euſebio epiſcopo eccleſiæ Antipolitanæ.* Nec reticendum quod narrat idem auctor de quodam Noviacenſi pſeudomonacho, nomine Aſtroaldo, qui prædictas furatus reliquias, eas Lugdunum ſecum aſportavit. Cum id ab eo reſciſſet vir quidam religioſus, nomine Beatus, qui cellulam ad ripam Rhodani prope Lugdunum incolebat, nec ab eo extorquere potuiſſet, ut eas loco ſuo reſtitueret; eas demum Beatus poſt necem Aſtroaldi, quam quidam ejus comes eidem intulerat, obtinuit, ac in ſua cella repoſuit. Forte iſtuc divertit Euſebius, qui tum Lugdunum ad principem navali per Rhodanum itinere properabat. Is a Beato ſciſcitatur, cujas eſſet. Aurelianenſem ortu & educatione ſe eſſe repoſuit, qui in Hiſpania diu habitaſſet; addiditque quo pacto ad ſe prædictæ reliquiæ perveniſſent, eaſque non ſine multa difficultate Euſebio reſtituit. Auctor demum agit de quodam *ſynodali concilio* Galliæ epiſcoporum, cui ipſe interfuit, adfuitque *quidam abbas ab Hiſpaniis pro utilitatibus eccleſiarum*, a quo prædictorum martyrum paſſionem accepit, quam deinde ipſe, tametſi rudi ſtilo, expolire conatus eſt, ad id uſque tempus Ebredunenſibus ipſis incompertam. Exiſtimarem concilium iſtud non aliud eſſe quam Aurelianenſe quintum, anno Childeberti regis triceſimo-octavo celebratum, multis præſentibus ex Gallia Narbonenſi & ex Aquitania ſecunda & tertia epiſcopis, ſi Euſebius huic concilio per ſe, & non per vicarium ſuum ſubſcripſiſſet.

* Ambrun.

b Belland. 22. Janu. p. 390.

ANN. CHR. 552. XXXVII. Totilæ obitus. SUb hæc Totilas Gotthorum rex, inito cum Narſete in Tuſcia prœlio fuſus, interfectuſque eſt, anno Gotthici belli decimo-octavo, regni vero ſui undecimo, qui decimus erat ab ejus congreſſu cum ſancto Benedicto, cujus vaticinium mors ejus comprobavit. cetera, quæ ad idem vaticinium ſpectabant, itidem impleta ſunt. nam Romam iniit anno regni ſui ſexto, nono in Siciliam transfretavit. Teias a Gotthis in ejus locum ſubrogatus, in belli ſocietatem adduxit Theodebaldum Francorum regem, qui patri Theodeberto ante annos quatuor ſucceſſerat, teſtante Gregorio noſtrate, cujus hac in re auctoritas Procopio præferenda eſt, ſcriptori extraneo, Theodeberti obitum ad tres annos differenti. Franci liberius per Italiam vagati, ab urbe tamen Roma, lociſque finitimis abſtinebant. poſtquam vero in Samnium pervenerunt, diverſas inter ſe ſe provincias ad populandum partiti ſunt, ſic tamen ut templis parcerent, exceptis Alemannis eorum ſociis, qui a chriſtiana religione averſi, in ea potiſſimum ſæviebant, &, ſacra ſupellectile direpta, etiam mortuos ex ſepulcris trahebant.

ANN. CHR. 553. & 554.
XXXVIII.
Caſini finis belli Gotthici.

FRancis a Narſete in Campania victis, Gotthi in opidum Caſinum ſe receperunt, idque Ragnacare Brittone duce, communiverunt. Narſes extemplo locum oppugnare inſtitit, a quo Ragnacares colloquii copiam obtinuit. ſed ab eo abſque fructu dimiſſus, ſagittam clam in Narſetem occidendi hominis gratia jecit. quæ res, iniqui admodum ac ſcelerati exempli, ita Romanorum animos inflammavit, ut ſagittis ipſum confoderint. Hoc duce exſtincto, Gotthi viribus ſuis diffiſi, incunctanter Caſinum, ſeque dediderunt: atque hic Francici ac Gotthici in Italia belli finis fuit anno quingenteſimo quinquageſimo-quinto. Conſtantinus ſancti Benedicti ſucceſſor, tum præerat Caſinenſi monaſterio, quod per eas tempeſtates incolume ſtetit, extra Caſinum opidum in monte locatum.

XXXIX.
Victorini monachi mira pænitentia
a Greg. Mag. hom. 34. in Evang.

Mira erat per id tempus pænitentia Victorini monachi, cognomento Æmiliani, qui, referente Gregorio [a] Magno, cum in ſæculo eſſet locuples, in grave crimen lapſus tanto facti horrore correptus fuit, ut monaſterium, expiandi ejus cauſa, confeſtim petierit: ubi tantæ ſeveritatis, tantæque humilitatis ſpecimen dedit, ut ceteri fratres, tametſi ferventiſſimi, in ejus comparatione ſibi ipſis viloſcerent, quippe toto animi conatu carnem macerare ſtuduit, propriam abdicare voluntatem, furtivas orationes fundere, quotidianis animam lacrymis abluere, ſui deſpectum appetere, delatum a fratribus fugere honorem. Is nocturnas fratrum vigilias prævenire ſolitus, montis, in quo monaſterium ſitum erat, ſecretiorem partem adibat, ut ſe in fletu pænitentiæ quanto ſecretius, tanto liberius exerceret, & venturi Judicis contemplatione lacrymis dilueret reatum facinoris ſui. Quadam vero nocte abbas eum furtim perſecutus, in eodem loco ad orationem proſtratum diu obſervavit, tantoque luminis ſplendore perfuſum, ut lucis ipſius claritas vicinas regionis illius partes illuſtrarit, ipſumque abbatem, timore pæne exanimatum, in fugam conjecerit. Reverſum ad monaſterium abbas interrogavit de eo quod acciderat. Ille vero ſe deprehenſum intelligens, rei veritatem aperuit; adjecitque ſibi in illo ſplendore revelatum cæleſti voce fuiſſe, dimiſſum eſſe ipſius peccatum. Potuit Deus, ait Gregorius, peccatum ejus tacendo relaxare: ſed loquendo per vocem, radiando per lumen, exemplo ſuæ miſericordiæ noſtra ad pænitentiam corda convertere voluit. Monaſterii, in quo id factum eſt, nomen Gregorius non exprimit, neque ego divinare velim, tametſi ejus verba ad Caſinenſem montem videntur inclinare. ſed cura nobis longe minor eſſe debet de loco, quam de tam præclaro exemplo.

ANN. CHR. 555.
XL.
S. Germanus abbas Æduenſis.

FLorebat tum apud Æduos Germanus preſbyter, quem Nectarius epiſcopus abbatem *ad ſanctum Symphorianum*, ſic Fortunatus loquitur, adſciverat. an monachus fuerit priuſquam abbas ab epiſcopo deſignaretur, incertum eſt. Forſan idem Germano accidit, quod Probo civi Romano; quem Gregorius Magnus ex laïco monachum fieri voluit, ut ſancti Andreæ regimen ſuſciperet. Nemo humanior, nemo in pauperes liberalior fuit, adeo ut nec fratribus quandoque neceſſaria ad victum reſervaret. Hinc murmur adverſus eum & querelæ monachorum, immo & ipſius epiſcopi, qui nimiam ejus, uti putabat, effuſionem non probans, ipſum pænitentiæ cauſa in ergaſtulum retruſit. quod epiſcopi factum in veterrimo quidem codice noſtro omittitur; at vero in ſancti Galli exemplari, ante annos octingentos ſcripto, reperitur. Verum Deus ſervi ſui probavit innocentiam, tum reſerando carcerem, ex quo tamen Germanus citra epiſcopi juſſionem egredi noluit; tum ſummittendo annonam copioſam, tum denique virum ſanctum miraculis illuſtrando. Hinc fœnilis reſtinctum incendium, quod Amandus fortuito igne excitaverat. Chariulfus, Francus præpotens, ob res ſancti Symphoriani occupatas divinitus punitus. Agricolæ Cabilonenſis epiſcopi cubiculario in extremis poſito ſalus reddita ad Germani orationem, quam Agricola ſcriptis ad eum litteris poſtulaverat. Cum vero ad repetendas quaſdam villas Auguſtodunenſis eccleſiæ Theodeberto regi Cabilone occurriſſet, memor ſancti Symphoriani in ingreſſu palatii, ſic divino ſpiritu afflatus eſt, ut ante rex annueret, quam verba orator explicaret. Non ideo tamen regi, quod de proximo ejus obitu cælitus acceperat, reticuit. Nec vana oraculi fides. nam paucis poſt diebus, cum Remos Theodebertus remearet, in ipſo itinere mortem oppetiit. quamquam Gregorius eum *diutiſſime* ægrotaſſe aſſerit, atque anno poſt Chlodovei obitum triceſimo-ſeptimo, regni ſui quarto-decimo, id eſt Chriſti quadrageſimo-octavo ſupra quingenteſimum obiiſſe. Ex quo intelligitur,

ANN. CHR. 555.

jam dudum ante hunc annum Germanum baſilicæ ſancti Symphoriani abbatem præfuiſſe.

XLI. Fit epiſcopus Pariſienſis.

Poſt annos inde ſeptem, Saffaraco Pariſienſi epiſcopo ob crimina exauctorato, & in monaſterium retruſo, cum regem Childebertum in ea urbe adiiſſe t omnium ſuffragiis admotus eſt cathedræ hujus civitatis, cujus claves ſibi a quodam ſene porrigi in ſomnis ante intellexerat. Creatus epiſcopus, nihil omnino de mo-
» naſticæ vitæ ſeveritate remiſit. nam, teſte Fortunato, *de reliquo monachus perſiſ-*
» *tens*, hinc ſe frequentibus exercebat jejuniis, inde continuata inedia macerabat:
» nec minus ſacras tenebat vigilias. Curſum ſuum, id eſt horas divini officii, nudo
» ſemper capite, etiam in itinere, per tempeſtatem, per hiemem, dicebat. Hinc
» ſumma in eum erat Childeberti reverentia, atque inter ambos pia de miſericor-
» dia contentio, theſauros ut in pauperes effunderent, & de ſuis talentis egeni dita-
» rentur. Quadam vice cum idem princeps ei ſolidorum ſex millia pauperibus ero-
» ganda tribuiſſet; expenſis tantum tribus millibus; reverſus ad palatium Germanus
» cauſatus eſt pauperes defuiſſe, quibus totum diſtribueret. cui rex infit: Domine,
» dona quod reſtitit. nam, Chriſto largiente, quod donetur non deficiet. Ejuſdem ſancti antiſtitis, ut videtur, ſuggeſtione Childebertus conſtitutionem edidit de abolendis idololatriæ reliquiis, & de ſacrorum dierum feſtivitatibus rite celebrandis, emendatis profanis vigiliis, quas in compotationibus & ſcurrilitatibus populus ducebat. Nec deſunt veri ſimiles conjecturæ, ejuſdem hortatu conditum fuiſſe a Childeberto inſigne ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii monaſterium in pratis Luteciæ ſuburbanis; de cujus primordiis modo agendum eſt.

XLII. S. Vincentii monaſterium apud Pariſios.

Duplex Hiſpanis bellum intulit Childebertus: unum anno hujus ſæculi triceſimo-primo adverſus Amalaricum, ad ulciſcendam Chrothildis ſororis ſuæ injuriam, quam Arianus ille princeps, non ut ſponſus, ſed ut tyrannus catholicæ religionis odio duriſſime tractabat: alterum anno quadrageſimo-ſecundo, incertum qua de cauſa, in Cæſarauguſtanos. Ex priori bello magnos theſauros, teſte [a] Gregorio, cum ſorore, quæ in via mortua eſt, retulit, & *miniſteria eccleſiarum*, id eſt ſacram ſupellectilem, calices, patenas, capſas evangeliorum; quæ omnia eccleſiis & baſilicis tradidit. In poſteriori bello, quod cum fratre Chlothario, obſeſſa Cæſarauguſta, aggreſſus eſt, intellecto cives ſancti Vincentii tunicam circa muros civitatis ad avertendam obſidionem circumtuliſſe, religione tactus obſidionem ſolvit, ſed acquiſita maxima Hiſpaniæ parte, ait [b] Gregorius, cum magnis ſpoliis reverſus eſt.

a Greg. Tur. lib. 3. c. 10.

b Ibid. c. 29.

Apud auctorem qui geſta Francorum ſcripſit, legimus Childebertum, advocato loci epiſcopo, ſancti Vincentii reliquias ab eo poſtulaſſe, ejuſque demum ſtolam accepiſſe, ac tandem Pariſios reverſum ædificaſſe eccleſiam in honorem ſancti Vin-
» centii martyris. Idem tradit Aimoinus [c] ſincerus a Cheſnio editus, additque in ea
» baſilica non minimam vaſorum partem, quæ tunc a Toleto Childebertus aſportaverat, cum capſis evangeliorum, cruces quoque mirifici operis, aliaque excellentiſſima munera ab eodem repoſita fuiſſe. Quam duo iſti auctores ſancti Vincentii ſtolam vocant, tunicam appellant Aimoini interpolator & Giſlemarus ſancti Germani monachus, qui libellum de vita ſancti Droctovei, primi ejuſdem loci abbatis, ſcripſit. Ex Gregorio Turonenſi antiſtite conſtat, Cæſarauguſtanos, cum a Childeberto obſiderentur, tunicam beati Vincentii circa muros civitatis pſallendo geſtaſſe, & Childebertum cum magnis ſpoliis ex Hiſpania in Gallias rediiſſe: an vero idem princeps hanc tunicam ab epiſcopo Cæſarauguſtano impetraverit, ex illo auctore non conſtat. Placet Carolo Cointio, Cæſarauguſtanos tunicam & ſtolam beati Vincenti penes ſe habuiſſe: ex quibus tunicam penes ſe retinuerint, cujus præſidio, veluti quodam palladio, ſe ex gravi obſidione ereptos credebant: ſtolam vero Francis dederint, nec integram, ſi qua fides ſcriptoribus Hiſpanis, partem ejus etiam nunc Cæſarauguſtæ aſſerentibus oſtendi. Verum cum ſtolæ vocabulum apud antiquos pro quolibet veſtimenti genere ſumatur; non incongrue ſtolæ nomine tunica, quam ſanctus Vincentius forte in uſu communi habebat, intelligi poteſt: cum ejus tempore levitæ peculiares, ut credi par eſt, veſtes necdum in ſacris geſtaverint. Certe Giſlemarus, hujus loci ante annos octingentos monachus, beati Vincentii modo tunicam, modo ſtolam indifferenter vocat.

c Aimoin. lib. 2. c. 20.

XLIII. Baſilicæ ſtructura.

Ut ut eſt, hujus monaſterii baſilicam Childebertus, teſtante eodem Giſlemaro, magnifice conſtruxit in modum crucis, ob ſanctam crucem eidem loco a piiſſimo

ANN CHR. 551.

principe conceſſam, qui eccleſiam aptiſſimis feneſtris, columnis marmoreis, auratis laquearibus, elegantibuſque picturis ornaſſe dicitur. Ad hæc pavimentum pulcro emblemate, id eſt teſſellato opere, ſtratum; tectum denique deaurato cupro coopertum erat. Hinc *inaurati Germani aula*, inquit Giſlemarus, olim vulgi ore celebrabatur. Addit idem auctor, hanc baſilicam, in modum crucis, ita ut diximus, conſtructam, quatuor habuiſſe in totidem crucis cornibus altaria: unum in honorem ſanctæ Crucis & beati Vincentii martyris conſecratum, ubi prædicta ſtola ſeu tunica recondita erat: alterum ad aquilonem in veneratione ſanctorum martyrum Ferreoli & Ferrutionis: tertium ad meridiem ſub titulo ſancti Juliani martyris Brivatenſis: quartum verſus occidentem in honorem ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, Celſi pueri & Georgii. Ad hæc ad ingreſſum eccleſiæ verſus auſtrum ædificatum eſt ſancti Symphoriani oratorium, ubi ſanctus Germanus poſtmodum ſepeliri voluit: ad aquilonem vero ſacellum beati Petri apoſtoli, ſingulis noctibus, ait Giſlemarus, celebri quodam miraculo inſignitum, quod ab eodem auctore ſcriptum, nunc deletum eſt in veteri codice. Porro in majori altari ſanctæ Crucis, reliquiæ quoque beati Stephani protomartyris inventæ ſunt tempore Pippini regis, quo tranſlatio ſancti Germani corporis e ſancti Symphoriani ſacello in majorem baſilicam facta eſt. Nunc quo in loco crux illa, vel ſancti Vincentii tunica exſiſtant, ſiquidem alicubi exſiſtunt, nobis prorſus incompertum. Exſtabat adhuc ſæculo undecimo crux illa pretioſiſſima, quæ tum Philippi regis manus evaſit, ut ſuo loco videbimus. Ceterum in martyrologio Uſuardi, hujus loci in quo hæc ſcribimus monachi, quod autographum, aut certe ipſius auctoris tempore exaratum aſſervamus, primaria manu ſcriptum legitur: *decimo kalendas Januarii. Pariſius dedicatio baſilicæ in honore ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii martyris; & depoſitio domni Childeberti regis.* dubium an eodem anno: tametſi id aſſerit Giſlemarus in vita Droctovei abbatis. In eadem baſilica cum viro ſuo ſepulta eſt Ultrogottha regina, cui hoc elogium ab anonymo ſcriptore altero vitæ ſanctæ Bathildis tribuitur, quod nutrix eſſet orpha- « norum, conſolatrix pupillorum, ſuſtentatrix pauperum & Dei ſervorum, atque adju- « trix fidelium monachorum.

XLIV. Varia ejus nomina.

Non immoror refutando celebris Johannis Launoii duplici commento, contra omnium antiquorum fidem præfracte negantis, baſilicam ſancti Vincentii, quam Childebertus ſenior condidit, quæque poſtea beati Germani a ſepulto ibi beato antiſtite dicta eſt, ſanctæ Cruci pariter conſecratam fuiſſe, & monachos a primordiis habuiſſe. non immoror, inquam, his commentis refutandis, quando id eruditiſſime atque invictiſſime præſtitit Hadrianus Valeſius in duobus libellis de baſilicis. Hæc a Gregorio noſtrate & Fredegario, atque ab auctore geſtorum Francorum ſemper quidem baſilica ſancti Vincentii appellatur: ſed a Fortunato baſilica ſanctæ Crucis in libro de vita [a] beati Germani, ubi ait, cum vir Dei Pariſius *ad baſi-* « *licam ſanctæ Crucis, in ſuburbio ejuſdem civitatis poſitam*, proceſſiſſet, mulierem « quamdam parvulum adhuc in albis, extremos ſpiritus trahentem, ante ſanctum ex- « poſuiſſe, eique vitam impetraſſe. De hac eadem baſilica intelligendus idem auctor [b], « ubi de hortis veteris thermarum palatii agens, canit, hinc Childeberti fuiſſe iter, cum ad eam baſilicam progrederetur, quam poſtea ejus tumulo nobilitatam dicit.

[a] Fortunat. n. 42.

[b] Id. lib. 6. c. 8.

Hinc iter ejus erat, cum limina ſancta petebat,
Quæ modo pro meritis incolit ille magis.
Antea nam vicibus loca ſancta terebat amatus:
Nunc tamen aſſidue templa beata tenet.

Hinc Valeſius infert, ipſam baſilicam ante Childeberti obitum perfectam, conſecratamque fuiſſe, cum eam frequens adiret. tametſi non ante ejus obitum, immo ipſo ejus obitus die conſecratam fuiſſe tradit Giſlemarus. Eum itidem diem habet Uſuardus mox laudatus: ſed annum non exprimit. Indiſcriminatim itaque baſilica modo ſanctæ Crucis, modo ſancti Vincentii compendio dicebatur; in vetuſtiſſimis paſſim inſtrumentis, ſanctæ Crucis & domni Vincentii. Primus Dado ſeu Audoenus, aut certe inter primos, in libro primo [c] de vita beati Eligii, *baſilicam ſancti Germani confeſſoris* vocat, ubi claudum, ad cancellos ejuſdem ſancti Germani, fuſis precibus ſanavit, erexitque Eligius. Tandem hæc baſilica cum ſuo monaſterio

[c] Audoen. lib. 1. c. 16.

ANN. CHR. 555.

ſancti Germani a Pratis nomine modo celebris eſt ob primum ſitum ſuum in pratis Luteciæ ſuburbanis, quæ in magnificas ædes urbi continuas noſtro ævo converſa ſunt.

XLV. S. Germani merita in hoc monaſterium.

Quid ſanctus Germanus huic baſilicæ ſive adjuncto monaſterio contulerit, nunc inveſtigandum eſt. Childeberto hujus fabricæ condendæ auctorem fuiſſe, prope fidem eſt, ſive ejus primordia referas ad tempus poſterioris Hiſpanici belli, ſive ad pontificatum ipſius Germani. Is Pariſios ante ſuum epiſcopatum identidem ventitabat, &, ſi vetuſtæ traditioni recentioribuſque ſcriptoribus credimus, in baſilica, quæ modo ſancti Germani-veteris appellatur, cum diſcipulis ſuis hoſpitabatur. Sane quod ſancti Symphoriani ſacellum regiæ ſancti Vincentii baſilicæ adjunxerit, quod ex Æduenſi cœnobio monachos in hunc locum induxerit, atque adeo Droctoveum ejuſdem loci abbatem primum eis præfecerit; quod denique eidem ſancti Vincentii monaſterio privilegium indulſerit: id argumento eſt, quanto ſtudio ejus profectum quæſierit. Accedit quod ſuum ipſius alodium, nempe manſum dominica-
a V. appendicem hujus tomi. » tum in villa [a] Vitriaco, & Puciolum pertinentem ad ipſam villam, contulit ad lu-
» minaria ſanctæ Crucis, ut ex ea ſingulis annis eidem eccleſiæ perſolverentur olei
» ſextaria octo, aut ceræ libræ una & viginti, ut ex cenſuali codice Irminonis abbatis, qui Carolo Magno imperante floruit, diſcimus. Quin etiam Germani pater
» Eleutherius ab Ermenfrido comite emit poſſeſſiones ſeu villas duas Vitriaco pro-
» ximas, ſcilicet Valliacum & Galliacum, quas idem præſul largitus eſt eidem baſili-
» cæ: ut exinde quotannis *in commemoratione natalitii patris ac genitricis ſuæ*, id eſt
» in eorum anniverſario, ſolvantur ad ſepulcra eorum cerei duo, ſinguli librarum oc-
» to, & ad refectionem fratrum viginti ſolidi, intentata coram novemdecim epiſco-
» pis excommunicatione in quemcumque, qui temerario auſu hoc donum in poſterum
» convelleret, ſive epiſcopus Autiſiodorenſis, in cujus diœceſi exſiſtunt, ſeu princeps
» Nivernenſis, cujus in ditione ſitæ ſunt. In eodem codice ſubjungitur dies depoſitionis patris ejus, nempe Eleutherii, kalendis Novembris: matris vero, nomine Euſebiæ, quinto kalendas Januarii. qui ambo in oratorio ſancti Symphoriani ſepulti fuerunt. Ex his intelligimus, quanta fuerit beati Germani in hunc locum propenſio; nec vana proinde traditio cenſeri debet Germanenſium monachorum, qui ſuum monaſterium hortatu patroni ac benefactoris ſui munificentiſſime a Childeberto conditum, dotatumque fuiſſe credunt. quæ traditio Childeberti ipſius pragmatico innititur. Neque vero ejus fundationem ſtatim poſt poſterius bellum Hiſpanicum admittere neceſſe eſt, etſi eam continenter deſcribant Aimoinus & anonymus auctor, qui geſta Francorum ſcripſit. nam, facta commemoratione theſaurorum ſacrorum, quos Childebertus ex illo bello reportavit, conſequens erat, ut de conditione monaſterii ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii agerent, ubi hæc munera, a piiſſimo principe hic repoſita, forte conſtruendi monaſterii fuerant occaſio.

S. Germani Autiſiodorenſis monaſterium Pariſiis.

b Diplom. p. 472.

Eidem etiam regi vulgo tribuitur conditio alterius monaſterii ſancti Germani Autiſiodorenſis, nunc collegiatæ eccleſiæ, apud Pariſios, cujus primus patronus itidem fuit ſanctus Vincentius. Hujus monaſterii mentio facta videtur in charta Vandemiris optimatis, qui *baſilica* [b] *domnæ Germani* (ita authenticum) *ubi Landebertus abbas*, inquit, *præeſſe videtur*, villam Fraxinetum confert ſub finem ſæculi ſeptimi; idemque alia etiam legat *baſilicæ ſanctæ Crucis & domni Germani*, cui Audcharius abbas præerat.

XLVI. Childeberti pragmaticum pro cœnobio ſancti Vincentii.

Eidem ſanctæ Crucis monaſterio Childebertus pragmaticum ſuum ſeu regium diploma, Germanus vero privilegium libertatis conceſſit. Utrumque jam multoties cuſum non videtur operæ pretium hic recudere. In pragmatico Childebertus ait,
» ſe cum conſenſu & voluntate Francorum ſeu Neuſtraſiorum, & exhortatione ſanc-
» tiſſimi Germani Pariſiorum urbis pontificis, & conſenſu aliorum epiſcoporum, cœ-
» piſſe conſtruere templum in urbe Pariſiaca prope muros civitatis, in terra quæ
» adſpicit ad fiſcum Iſciacenſem, in loco dicto Locoticio, in honorem ſancti Vincen-
» tii martyris, cujus reliquias ex Hiſpania aſportavit, necnon ſanctæ Crucis & ſancti
» Stephani, & ſanctorum Ferreoli, Juliani, Georgii, Gervaſii, Protaſii, Nazarii &
» Celſi pueri, quorum reliquiæ ibidem repoſitæ ſunt. Idcirco ſe eidem loco donaſſe
* Iſſy. » fiſcum Iſciacum *, qui eſt in pago Pariſiaco prope alveum Sequanæ, una cum
» omnibus quæ ad eum pertinent, cum piſcatoria, quæ appellatur venna, cum piſca-
* la Seure. » toriis omnibus fluvii Sequanæ a ponte civitatis uſque ad locum, ubi alveolus Savaræ *
præcipitat

præcipitat ſe in Sequanam; ad hæc oratorium ſancti Andeoli martyris, qui primus patronus eſt parœcialis eccleſiæ ſancti Andreæ, de Arcubus vulgo appellatæ. Datum die ſexto menſis Decembris, anno regni ejus quadrageſimo-octavo, qui vitæ ejuſdem regis ſupremus fuit. Nihil moror effutias quaſdam, quas critici recentiores in hoc diploma objiciunt, quod ſua ſe auctoritate vindicat contra id genus minutias, qualis eſt ea in primis, quod vox *Neuſtraſii* nondum per id tempus in uſu erat. deinde quod ſancti Vincentii baſilica exhortante ſancto Germano condita dicatur, quæ longe ante Germani Pariſios adventum & pontificatum conſtructa ſit, nempe ſtatim poſt bellum ſecundum Hiſpanicum. Sed hæc leviora ſunt, quam ut iis immoremur.

ANN. CHR. 555.

XLVII. S Germani privilegium.

Giſlemarus monachus meminit privilegii a beato Germano eidem loco indulti, quo eligendi abbatis libertatem monachis concedit, adimendo quibuſvis, præter regiam majeſtatem, ejuſdem loci rerum diſpoſitionem. Sic Childebertus monaſterio, quod Arelati conſtruxerat, a Vigilio papa privilegium obtinuerat immunitatis, *tam in diſpoſitione rerum, quam in ordinatione abbatis*. quod privilegium Gregorius Magnus confirmavit litteris datis ad Virgilium epiſcopum Arelatenſem. Sic idem rex de xenodochio Lugduni ab ſe erecto ſtatuerat, ut Lugdunenſis antiſtes nihil ex eo ſibi attribueret. quo minus mirandum eſt, eumdem principem, inquit[a] Valeſius, multo majora privilegia baſilicæ ſancti Vincentii, quam apud urbem regiam, prope palatium ſuum exſtruxerat, conceſſiſſe, aut concedenda curaviſſe; ac Germano etiam Pariſiorum epiſcopo perſuaſiſſe, ut ditioni ſuæ ac ſucceſſorum ſuorum hanc baſilicam eximeret. quod non multis poſt ipſius obitum annis pius antiſtes perfecerit. An vero vulgatum Germani privilegium ſit omnino ſincerum, hic diſcutere ſupervacaneum fuerit poſt diſputationes ultro, citroque editas, tum a Johanne Launoio, tum a noſtro Roberto Quatremario: quas diſputationes revocare non eſt hujus loci.

a Valeſ. diſcept. de baſil. p. 53.

XLVIII. Droctoveus abbas primus.

Autharium ejuſdem monaſterii abbatem primum ſuggerunt vulgati indices, atque etiam ſcripti ante annos quingentos. Droctoveum præponit vetus auctor, qui libellum de ejuſdem vita ſcripſit. Ejus nomen eruimus ex acroſtichis verſibus libello præmiſſis, quorum initiales litteræ hanc ſententiam conficiunt, *Giſlemarus edidit has*. unde auctor in poſteriori verſu:

Pars horum prima deſignat vatis onoma.

Inter monachos Germanenſes, qui ſæculo nono ſocietatem inierunt cum Dionyſianis, notatur Giſlemarus. quo nomine duo minimum fuere Pratenſes monachi, unus ſenior mox dictus: junior alter, qui libros retractationum exaravit ante annos circiter quadringentos. Seniori tribuendus videtur libellus de vita ſancti Droctovei. Hic quippe auctor vixit ante ſæculum undecimum, quo Autharius primus Pratenſis abbas fuiſſe jam credebatur. Contra Droctoveo primum locum tribuit Giſlemarus, qui libellum ſuum compoſuit poſt alterum monaſterii incendium per Normannos: quod accidit anno ſæculi noni octogeſimo-ſexto, poſt annos a primo triginta-tres. Sane Fortunatus Giſlemaro ſuffragari videtur in carmine[b] ad Droctoveum ſeu Dructoveum abbatem, quem his verſibus laudat.

b Fortun. lib. 9. c. 11.

Vir venerande, ſacer, meritis & honore colende,
Dructovee, mihi ſemper amore pater:
Qui de diſcipulis Germani jure beati,
Norma magiſterii factus es ipſe ſui.
Cujus pontificis ſacra per veſtigia currens,
Deſpicis hunc mundum, dum cupis ire polo.
Perge libenter iter celi manſurus in urbem,*
Et pro me famulo quæſo precare Deum.

* al. orbem.

Idem Poëta[c] Lupo, & Waldoni palatii diaconis eumdem commendat, uti amicum præcipuum.

c Ibid. c. 13.

ANN. CHR. 551.

Druċtoveo, dulci clero, & concivibus, oro,
Quod præſens facerem, vos adhibete vicem.

Fuit quidem Autharius ejuſdem cœnobii abbas: ſed principatu Theoderici, haud dubie Chlodovei ſecundi filii: qui donationem confirmavit eccleſiæ ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii, a Galterio quodam, ejuſque conjuge Goda factam de rebus ſuis in Bituricenſi pago ſitis, ſub Authario abbate: qui Autharius, in vulgaris indicibus tempore Theoderici omiſſus, ad Childeberti principatum ſummotus eſt, forte quod abbas exſtitiſſet ſub Childeberto tertio Theoderici filio, quem pro Childeberto ſeniore quidam rerum antiquarum minus periti uſurparunt. An ſancti Benedicti regula principio ſancti Vincentii monaſterio præſcripta ſit, non definio. Giſlemarus ſcribit, haud ſcio an idoneus hac in re auctor, Droctoveum in Æduenſi ſancti Symphoriani monaſterio inſtitutum fuiſſe *juxta normam ſanctorum patrum Antonii & Baſilii.* In ſincero Uſuardi martyrologio memoratur ſexto idus Martii, *Pariſius depoſitio ſancti Drochtovei abbatis, diſcipuli beati Germani epiſcopi.* Sepultus fuit in oratorio ſancti Petri, ad occidentalem baſilicæ plagam poſito, cujus dedicatio primaria manu in eodem Uſuardi martyrologio notatur quinto idus Junii: at poſteriori manu, ſed antiqua, margini adſcripta legitur ſeptimo kalendas Maii, *tranſlatio corporis beati Droctovei abbatis;* ſed quo tempore facta ſit, ignoramus. Droctoveo in regimine cœnobii ſancti Vincentii ſucceſſores in vulgatis indicibus & ſcriptis aſſignantur Scubilio, Deſiderius, Gauſcio, Germanus, Sigo, Sigofredus, Babo, Childerannus, Hunfridus, de quibus nihil dicendum occurrit.

XLIX. S. Fuſciani inventio & monaſterium. * *Saints.*

Ad hunc annum Carolus Cointius revocat inventionem corporum ſanctorum martyrum Fuſciani, Victorici, & Gentiani, qui tempore Diocletiani in pago Ambianenſi martyrium paſſi ſunt, via publica, eo ſcilicet in loco, ubi ſancti Fuſciani monaſterium hactenus cernitur; ſepulti non longe ab hoc loco, in vico Sanctis * poſtmodum appellato, ubi etiam nunc eorum cenotaphia viſuntur. Honoratus Ambianenſis epiſcopus, præmonito cælitus Lupicino preſbytero, ejus elevationis auctor. Childebertus rei fama permotus ſacra inde corpora amovere cum non potuiſſet, in eorum martyrii loco baſilicam conſtrui juſſit, in qua reponerentur. Hinc initia monaſterii ſancti Fuſciani in nemore, ex quo ſancti hujus martyris, uti & ſanctorum Victorici ac Gentiani, reliquiæ Ambianos delatæ ſunt, atque in majori eccleſia collocatæ: inde poſtea tranſlatæ, Genriani quidem in monaſterium Corbeïenſe, Victorici vero Auguſtam-Viromanduorum: tametſi Ambianenſes id pernegent. Sancti Fuſciani monaſterio, quod quinto ab ea urbe milliari, in veteri Pariſienſi via ſitum

Ebrulfus abbas.

eſt, præfectus fuit paullo poſt Ebrulfus abbas Bellovacenſis ſuaſu Fredegundis reginæ, quæ illum maxime venerabatur: cum prius in Oratorio monaſterio, ab ſe prope Bellovacos conſtructo, religioſe vixiſſet, atque ab epiſcopo Bellovacenſi diaconus ac preſbyter ordinatus fuiſſet. Hinc non niſi ægre avelli potuit, eodemque poſtmodum reverſus, iſtic finem vivendi fecit. Proceſſu temporis everſum fuit ſancti Fuſciani monaſterium, quod Ingelramnus comes ſæculo decimo exeunte inſtauravit.

ANN. CHR. 556. L. Marculfus abbas Nantenſis. * *Nanteüil.*

CElebris erat per id tempus ſanctus Marculfus in Neuſtriæ pago Conſtantienſi, qui natus apud Bajocaſſes, relictis omnibus Poſſeſſorem epiſcopum Conſtantienſem adiit, ab eodemque preſbyter, & ſacri verbi præco inſtitutus eſt. In concionibus ſuis id paſſim fidelibus inculcabat, ut quod ſemel in ſacro fonte profeſſi eſſent, & moribus tenereut, & operibus exercerent. Subinde a Childeberto rege locum in eodem pago, conſtruendo monaſterio aptum, Nantum * vocabulo, facile obtinuit: ubi cum Cariulfo & Domardo ſociis, aliiſque monachis piiſſime vixit. Quadrageſimæ tempore in ſolitudinem ſecedere ſolitus, pane tantum & crudis herbis veſcebatur, ſacco indutus cilicino, & pellibus vervecinis. Morti proximus ad Childebertum regem in opidum Compendium profectus eſt, ut ab eo monaſterii ſui bonorum confirmationem obtineret. Sepultus fuit in monaſterio ſuo Nantenſi cum Cariulfo & Domardo, qui eodem tempore obierunt. Ejus corpus e tumulo extulit ſæculo ſequenti ſanctus Audoënus Rotomagenſis epiſcopus rogatu Berwini abbatis. Everſo per Normannos Nantenſi monaſterio, ſancti Marculfi corpus in villam regiam pagi Laudunenſis tranſlatum Carolo Simplice regnante, ſcilicet Corbiniacum; ibidemque erecta eſt in ejus

ANN. CHR. 516.

honorem baſilica, quo voti ſolvendi cauſa reges Francorum ſtatim a ſua inunctione proficiſci ſolent, ut ob ſtrumarum ſanandarum donum cælitus acceptum ſe Deo gratos exhibeant.

LI. Bajocaſſenſia monaſteria.

Paullo ante hoc tempus tria apud Bajocaſſes condita ſunt a Vigore epiſcopo monaſteria, Redeveriacum, Ceraſienſe, & Chriſmatum; priora quidem duo ante ejus epiſcopatum, ubi & religioſiſſime vixit: tertium vero poſt adeptam illam dignitatem. Tria illa monaſteria ſolo adæquata ſunt a Nortmannis: ex quibus Ceraſienſe undecimo ſæculo a Rotberto, ejuſque filio Guillelmo Nortmanniæ ducibus inſtauratum hodie quoque ſupereſt, uti & Chriſmatum, nunc prioratus abbatiæ ſancti Benigni Divionenſis ſubjectus, ſancti Vigoris dictus a ſuo conditore.

ANN. CHR. 517.

LII. S. Symphoriani monaſterium apud Bituriges.

CONcilio Pariſienſi tertio ſubſcripſit anno quinquageſimo-ſeptimo in primis Probianus epiſcopus eccleſiæ Bituricenſis, auctor cœnobii ſancti Symphoriani ad muros ejuſdem civitatis. Primus ejus abbas fuit Auguſtus [a] quidam nomine, ex familia Deſiderati quondam epiſcopi; qui Auguſtus ædificato apud Brivas oratorio, contractione membrorum liberatus, ibidem monaſterium conſtruxit: ubi collectis ſecum paucis monachis, *ſub regula monaſterii degens*, aſſidue orationi vacabat. Dein cum merita ejus Probiano epiſcopo innotuiſſent, ab eo abbas ordinatur in baſilica ſancti Symphoriani, quam memoratus pontifex in urbis proſpectu fabricaverat. Non tamen prioris cœnobii regimen dimiſit, ſed, inſtituto iſtic præpoſito, ipſe utrumque locum rexit. Tum de requirendo ſancti Urſini, primi ejuſdem urbis epiſcopi, corpore cælitus admonitus, viſum retulit ad Probianum: qui fidem ejus dictis primo non adhibens, & ipſe poſtmodum cæleſti oraculo ad id exſequendum compulſus eſt. Id præſente ſancto Germano Pariſiorum epiſcopo factum fuſius commemorat Gregorius epiſcopus Turonenſis. In additionibus Molani ad Uſuardum fit mentio nonis Octobris apud Bituricas ſancti Auguſti preſbyteri & confeſſoris. Jam pridem monaſterium ſancti Symphoriani converſum eſt in collegium [b] canonicorum ſæcularium, nunc ſancti Urſini vulgo appellatum.

[a] Greg. Tur. de gl. conf. c. 80.

[b] Patriarch. Bitur p 25.

ANN. CHR. 518.

LIII. S. Ferreoli monaſterium & regula.

INterea Ferreolus Ucetienſis epiſcopus monaſterium inſtituit, quod ex ſuo nomine Ferreolacenſe voluit appellari. Iſtius loci monachis regulam præſcripſit, quam Lucretii Dienſis epiſcopi cenſuræ ſubmiſit. In hujus regulæ præfatione, *Lucretio papæ* nuncupata, Ferreolus ſcribit, ſe hortatu quorumdam ac propria devotione accenſum, ſervorum Dei habitaculum condidiſſe, ratum id ſuæ ſaluti ceſſurum, quod ſanctæ congregationi deputaſſet. Multa in hac regula obſervatione digna reperiuntur, in qua monachi *religioſorum* nomine paſſim appellantur. [c] Prohibet ne qua mulier, ſeu religioſa, ſeu laïca, in monaſterium ingrediatur: & ſi qua neceſſitas monachum cum feminis honeſtis colloquium habere coëgerit, id fiat ſub oculis duorum fratrum cum permiſſu abbatis, qui cauſam, de qua erit colloquendum, non ignoret. Nulli [d] monacho litteras ignorare permittit, cunctiſque præſcriptum eſt pſalterium memoriter tenere, etiam iis, qui paſtores pecorum pro more illius temporis erant. Carolus Cointius [e] mihi non videtur aſſecutus ſenſum capitis duodecimi, ubi Ferreolus, præter communem ac publicum pſallendi curſum, quem dominicum vocat, præcipit, ut unuſquiſque peculiares Deo laudes ſingulis diebus, ſecretius offerat. quod ille de dominicis ſeu feſtivis diebus, & privatis interpretatur. Baptizari [f] in monaſterio ſuo parvulos ait neceſſarium non eſſe, ſicut in reliquis monaſteriis obſervatur. Mos quippe erat multis in locis, cum apud orientales, tum apud occidentales, ut catechumeni in monaſteriis inſtituerentur, ac baptizarentur. Præter exempla jam ſuperius [g] hanc in rem allata inſigne eſt quod legitur apud Johannem [h] Moſchum de Conone preſbytero monaſterii Penthuculæ, cui pro vitæ merito patres juſſerant ut baptizaret accedentes; eoſque ſacro chriſmate ungeret, non modo viros, ſed etiam mulieres. Has vero quoties oleo ſancto inungere cogebatur, ſcandalum patiebatur moleſtiſſimum, (hæc quippe inunctio per totum corpus nudum [i] olim fiebat apud Græcos, ſervaturque fere etiam nunc) ita ut toties ex monaſterio vellet abſcedere. Id vero cum Petro archiepiſcopo innotuiſſet, ad hoc opus diaconiſſam mulierem delegare cogitavit: ſed tamen id non fecit, ne contra canones peccaret. Porro Conon ob eam cauſam cum e monaſterio ſuo jam demum diſcederet, a ſancto Johanne Baptiſta revocatus eſt, atque alios duodecim annos in baptizandi miniſterio implevit

[c] Ferreoli reg. c. 4.

[d] Ibid c. 11.

[e] Le Cointe an 558. n. 20.

[f] Fer. reg c. 15.

[g] lib. 1. n 45.

[h] Prat. ſpir. c. 3.

[i] S. Cyrill. Jeroſol. catech. 2. Dion. de hier. c. 2. Euchol. de baptiſmo.

AN. CHR. 558.

a Ferr. reg. c. 16.

b Ibid. c. 38.

» tanta tranquillitate animi & corporis, ut nullum interius carnis motum ſentiret, cum » inſpiceret ac tangeret mulieres. Denique in eadem Ferreoli regula [a] cavetur, ne » quis cellam peculiarem habeat ad manendum, aut ad alium quemcumque uſum, » præter abbatem & artifices. Abbas [b] vero tribus per annum vicibus, id eſt die na- » talis Domini, & primo paſchæ, necnon in feſtivitate peculiaris patroni monaſterii, » nempe ſancti Ferreoli martyris, coquinæ miniſterium exercere debebat. Ne autem tam præclara inſtitutio in oblivionem veniret, hanc regulam ſingulis ſingulorum menſium kalendis coram omnibus relegi præcipitur.

ANN. CHR. 559.

LIV. Radegundis Chlotharium iterum effugit.

c Baudoniv. in vita S. Radegund.

EXſtincto ſub finem anni quinquageſimi-octavi Childeberto rege, Chlotharius ejus germanus, regni monarchiam adeptus, cum filio ſuo [c] Sigiberto Turonos ſpecie devotionis acceſſit, ſed re vera Pictavos accedendi cauſa, ut inde Radegundem educeret, ſibique denuo copularet. Hoc cognito, pia regina ſacramentales litteras ad Germanum Pariſiorum epiſcopum, qui regem comitabatur, per Proculum agentem ſuum ſecretius direxit cum xenio & eulogiis. quas litteras ubi vir Dei perlegiſſet, cum fletu ad regis pedes procumbens ante beati Martini ſepulcrum, eum obteſtatus eſt, ut ab eo conſilio averteret animum. Rex tanta pontificis humilitate flexus ad pænitentiam, malis conſiliariis id imputavit, ſeque tali regina indignum confeſſus eſt. Dein ad pedes beati Germani eodem in loco viciſſim ſe ſe abjiciens, obnixe eum rogavit, ut a Radegunde pro ſe veniam peteret. Nec mora, Pictavos accedit vir ſanctus; ac monaſterium ingreſſus, in oratorio beatæ Mariæ proſternit ſe ad pedes reginæ, pro rege veniam flagitans. Hæc vero ſtatim benigne indulget, magnopere gaviſa, quod tam lubricam occaſionem evaſiſſet; moxque omni timendi ratione expedita, ſe ſe ad Dei ſervitium totam aptavit. Tunc Germanus Agnetem, a tota congregatione electam, ſua benedictione abbatiſſam conſecravit. quo verbo uſa eſt Radegundis in epiſtola a Gregorio [d] relata.

d Greg. Tur. lib. 9. c. 42.

LV. Auſtera ejus vita.

Quam auſteram poſt hæc vitam duxerit piiſſima regina, Fortunatus & Baudonivia monacha ab ea educata produnt. Primo omnium Agnetis abbatiſſæ, quam ipſa inſtituerat, ſe ſuaque omnia tradidit poteſtati, ex proprio jure nihil ſibi re- » ſervans, ut curreret expedita poſt Chriſtum, & tanto ſibi plus augeret in cælo, » quanto magis ſubtraxiſſet de ſæculo. Cilicio ad cutem jugiter pro linteo utebatur, & pro lectulo cinerem cilicio ſtratum ſibi adhibebat, adeo ut requies ipſa fatigaret. Hinc Monachabus ſomno indulgentibus, calceamenta tergere & ungere, vice ſua culinæ miniſterium exſequi, ſcopis purgare monaſterium, & quidquid fœdius & aliis horrori erat, avehere; ligna in aliarum uſus comportare, infirmantibus miniſtrare præter hebdomadam ſuam, ipſa coquens cibos, & quæ neceſſaria erant omnibus præbens, nullius paſſa famulitium aut ſolatium. Denique ex omnibus monaſterii officiis nihil ſibi placuit, niſi prima ſerviret; &, ſi quando ab aliis præventa foret, rigidam ſibi pœnam ob id imponebat. Prima recluſionis ſuæ quadrageſima panem non comedit, niſi dominica die, ſed tantum radices herbarum, aut olera de malvis, abſque ſale & oleo: aqua ipſa tam parce uſa, ut toto illo jejunii tempore vix duo aquæ ſextaria biberit. Aliis quadrageſimis aliquid relaxatius feria quinta & dominica ſumebat. In illis tamen ſe in privatam cellam recludere ſolebat. unde Fortunatus [e] ad ipſam:

e Fortun. l. 8. c. 11.

Mens fœcunda Deo Radegundis, vita ſororum,
Quæ ut foveas animam, membra domando cremas!
Annua vota colens, hodie claudenda recurris.
Errabunt animi te repetendo mei.
Omnibus excluſis uno retineberis antro:
Nos magis includis, quos facis eſſe foris.
Et licet hic lateas, brevibus fugitiva diebus:
Longior hic menſis, quam celer annus erit.

f Ibid. c. 12.

& idem [f] ad eamdem, cum abſoluta quadrageſima ex ea recluſione ſe in communem cœtum reddebat:

Abſtuleras tecum, revocas mea gaudia tecum:
Paſchalemque facis bis celebrare diem.

ANN. C.HR. 559.

Eamdem ipſe Fortunatus, ut modicum vinum bibat, hortatur [a] aliis verſibus, quibus, ne nimium diffluamus, referendis ſuperſedemus. Addit Baudonivia, quadam vice tres circulos ferreos diebus quadrageſimæ collo brachiiſque ſuis nexuiſſe, totidemque catenis corpus ſuum ita conſtrinxiſſe, ut carni alte infigerentur; nec ſine carnis inciſione extrahi potuerint. Ad hæc lamina ignita corpori impreſſa, cæro ipſa prunis ardentibus aduſta: ut, ceſſante perſecutionis tempore, a ſe ipſa fieret martyr. Quam aſſidua in lectione fuerit, docent iidem auctores: quos vero libros ſolita eſſet legere, his verſibus explicat Fortunatus ejus familiaris.

a *Id. lib.* 11. *c.* 3.

Cujus ſunt epulæ quidquid pia regula pangit:
Quidquid Gregorius, Baſiliuſque docent.
Acer Athanaſius, quod lenis Hilarius edunt,
Quos cauſæ ſocios, lux tenet una duos.
Quod tonat Ambroſius, Hieronymus atque coruſcat:
Sive Auguſtinus fonte fluente rigat:
Sedulius dulcis, quod Oroſius edit acutus:
Regula Cæſaris linea nata ſibi eſt.
His alitur jejuna cibis, palpata nec umquam
Fit caro, ſit niſi jam ſpiritus ante ſatur.

LVI. Vulfinus Boëtius & Drepanius quinam.

Junianus interim apud Pictones anachoreticam vitam aliquamdiu æmulatus, in artiſſima cella, veluti reus in ergaſtulo, recluſus degebat. Res ab eo geſtas in litteras ſeculo nono retulit Wlfinus Boëtius Pictavis degens, rogatu Godoleni abbatis Nobiliacenſis, cujus *per inobedientiam contraire imperiis.* (ſic ille auctor abbati loquitur) veritus eſt. Is eſt Wlfinus Boëtius, quem Drepanius poëta in carmine eidem inſcripto grammaticum Aurelianenſem vocat, atque ad ſibi ſcribendum impellit. Drepanii nomen adſciticium eſt Flori diaconi Lugdunenſis, ut patet ex ejus epiſtola ad Moduinum Auguſtodunenſem epiſcopum, ubi ſe Drepanium in epiſtolæ inſcriptione, Florum in carmine dicit. Aliam ejuſdem Flori epiſtolam, cum aliis ejuſdem carminibus in Analectorum noſtrorum tomo primo habes, metrice itidem ſcriptam ad ipſum Moduinum, quem Ludovici Auguſti, cognomento Pii, principatu vixiſſe conſtat. Hæc optime conveniunt tum Flori, tum Wlfini Boëtii ætati, ad quam proinde Drepanii hactenus incerta ætas revocanda eſt. Wlfinus in prologo hujus vitæ ſe origine Sarmatam dicit; nec dubito quin Boëtii nomen ipſi adſciticium fuerit, uti & Drepanii Floro, pro more illius temporis eruditorum. Sic Carolo M. Davidis, Alcuino Albini, Rabano Mauri, Radberto Paſchaſii, Gotheſcalco Fulgentii cognomina litteraria adſcripta erant. Theodulfus epiſcopus [b] Aurelianenſis Wlfinum cum ſcholaribus ſuis laudat. Hæc extrà lineas ad illuſtrandum Drepanium & Wlfinum: ad Junianum revertor.

b *Theodulf. lib.* 2. *c.* 23.

LVII. S. Juniani abbatis res geſtæ.

Is apud Coloniacum *, Pictavenſis pagi vicum, recluſus cum degeret, in Radegundis notitiam & familiaritatem veniſſe memoratur, nec aliam poſt hæc geſtaſſe veſtem, (erat autem cappa caracallæ in modum, ex caprarum pilis contexta) quam quæ ab illa conficiebatur. Sed & illa viciſſim ab eo catenam ferream accepit, quam ad exitum vitæ ſuper nudam carnem geſtavit. Confluentibus ad virum Dei multis diſcipulis, in vicum vocabulo Caſtum-locum * migravit. Apud Chlotharium regem, quaſi aliquid ex territorio fiſci regii uſurparet, accuſatus, ſic ei ſe purgavit, ut regi admirationem ſimul ac venerationem ſui excitarit. Interroganti de genere vitæ ac religionis ſuæ reſpondit: ſe ſub monaſtico ordine vitam degere, abbatem monachis præeſſe ſecundum beatiſſimi Benedicti inſtituta; regularem ejus vitam ſe in omnibus obſervare, quoad liceret per anguſtiam loci. His auditis, rex locum, Mariacum nomine, conſtruendo monaſterio aptiſſimum, Juniano conceſſit, Aurelio diploma regium conſignante; ibidemque conditæ religioſæ ædes ampliores ad commodiorem uſum monachorum. Identidem nihilo minus in remotiorem locum ſecedebat vir ſanctus, ubi orationi ſecretius vacaret.

* *Chaunay.*
* *Chaſſe-lachrr.*

LVIII. S Benedicti de Roma oraculum impletum.

Hoc anno, per menſes Julium & Auguſtum, toto fere oriente & occidente, ex maris illuvione, tempeſtatibus, peſtilentia & terræ-motibus, ſæviſſima clades accepta, quæ clades cum alia occidentis loca, tum in primis Italiam afflictavit, uſque adeo, ut Romam ſatis conſtet plus ab ea detrimenti, quam a barbarorum feri-

ANN. CHR. 519. tate cepiſſe. Tunc impletum eſt de illa urbe ſancti Benedicti vaticinium, qui Ca-
nuſino antiſtiti (Sabinus vocatur in vulgaris ſancti Placidi actis) aliquando aſſeren-
ti, fore ut per Totilam Roma ita dirueretur, ut nequaquam incoleretur in poſte-
[a] Greg. M. l. 2. dial. c. 15. » rum, reſpondit[a]: Immo vero Roma ab hominibus non exſcindetur, ſed a tempeſta-
» tibus, fulguribus, turbinibus, & terræ-motu fatigata exardeſcet in ſemetipſa. Hujus
oraculi veritatem, teſte Gregorio M. probavit eventus, affirmante, ſua ætate mœ-
nia diſſoluta, domos everſas, eccleſias turbine dirutas fuiſſe; ejuſque ædificia, lon-
go ſenio laſſata, increbreſcentibus ruinis, ingratum ſui ſpectaculum præbuiſſe.

LIX. Conciliorum decreta. Ab Aurelianenſi concilio quarto ad hunc annum varia cum in Oriente de tribus
capitulis, tum in Occidente, præſertim in Gallia, habita ſunt concilia, quorum
decreta, quæ ad res monaſticas pertinent, pro noſtro inſtituto referre juvat. In Au-
relianenſi quinto duo ſanctimonialium genera, præter eas mulieres, quæ in domi-
bus propriis degebant, diſtinguuntur: unæ, quæ perpetuam clauſuram obſervabant,
aliæ quæ recluſæ non erant. Utræque item duplicis erant conditionis, nempe quæ
propria voluntate monaſterium expetebant; & illæ, quæ a parentibus offerebantur
[b] cap. 19. » in puerili ætate. De utriſque ſtatuitur[b], ut quæcumque puellæ, ſeu propria volun-
» tate monaſterium expetunt, ſeu a parentibus offeruntur, ſiquidem perpetuo inclu-
» ſæ eſſe debeant, annum unum in ipſa qua intraverint veſte permaneant, hoc eſt in
» habitu ſæculari, qui novitiarum erat: in his vero monaſteriis, ubi non perpetuo te-
» nentur incluſæ, triennium in ipſa qua intraverint veſte permaneant: nimirum quod
» majori periculo expoſitæ, majori cautela & probatione opus haberent: & poſtmo-
» dum ſecundum ſtatuta monaſterii ipſius, in quo elegerint permanere, veſtimenta
» religionis accipiant. ubi vides religionis vocem, quod eo tempore jam uſitatiſſimum
erat, pro vita monaſtica ſumi, & religioſas veſtes alias fuiſſe a ſæcularibus. In hoc
canone duo leguntur regulæ ſancti Benedicti conſentanea: nempe oblatio puellarum
impuberum, & probatio novitiarum in veſte ſæculari. Celebratum eſt hoc conci-
lium, quod nationale cenſeri poteſt, anno Childeberti regis triceſimo-octavo, hujus
ſæculi quadrageſimo-nono reſpondente. Huic concilio ſubſcribunt inter alios epiſ-
coporum vicarios Optatus abbas directus a Prætextato epiſcopo eccleſiæ Cabellicæ,
& Sapaudus abbas directus a domno Albino eccleſiæ Andecavenſis. Eadem ſtatuta
panllo poſt confirmata ſunt in concilio Arvernenſi ſecundo. Concilium Pariſienſe
» tertium ſub gravi interminatione prohibet raptum & conjugium earum, quæ veſtium
» commutatione, tam viduæ, quam puellæ, religionem, pænitentiam, aut virginita-
» tem publica fuerint declaratione profeſſæ. Id factum anno quinquageſimo-ſeptimo,
anno altero poſt ſecundum concilium Pariſienſe, quo Saffaraci epiſcopi ejus urbis
exauctoratio, atque in monaſterium retruſio ſancita eſt.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI

LIBER SEXTUS.

Ab anno Chriſti 560. ad annum 579.

I. Conſtantino ſuccedit Caſini Simplicius.

CONSTANTINUS, poſt ſanctum Benedictum Caſinenſis abbas primus, annis ſeptemdecim ſacro monti præfuiſſe, atque ad annum hujus ſæculi ſexageſimum perveniſſe creditur. Virum eximiæ virtutis ac ſanctimoniæ fuiſſe, etſi vetera monumenta diſerte non loquuntur, ſatis probat vel unum Gregorii Magni teſtimonium, qui eum ex quatuor ſancti Patris diſcipulis, à quibus res ab eo geſtas didicit, primum teſtem adducit, eumdemque virum *valde reverendiſſimum* appellat, quo nomine non niſi inſignes dignitate ac pietate viros deſignare ſolet. Conſtantino in regimine congregationis Caſinatis ſucceſſit Simplicius, in eadem ſanctiſſima ſchola educatus, & ipſe in teſtimonium adductus a Gregorio Magno ad fidem iis rebus conciliandam, quas de ſancto Benedicto retulit. Simplicius, auctore Petro[a] diacono ac monacho Caſinenſi, regulam, quam ſuus magiſter ediderat, publice legendam omnibus monachis tradidit, verſuſque nonnullos de eadem re ſcripſit. Extant hi verſus cum apud Haeftenum alioſque, tum in Codice regularum, in quibus, ubi Simplicius *magiſtri latens opus propagaſſe in omnes* dicitur, quidam codices veteres præferunt, *magiſtri late opus propagavit in omnes.* quæ una voculæ mutatio Gallonii objectionem diſſolvit, contendentis, ſancti Benedicti regulam ante Simplicium latentem, inviſamque fuiſſe, quaſi non ante illum eam in Gallias attulerit beatus Maurus, in Siciliam Placidus: ne quid dicam de Terracinenſi, aliiſque monaſteriis a ſancto Patre inſtitutis, quibus eamdem regulam tradidit, ac præſcripſit. At *latens* etiam regula dici ante Simplicium potuit, habita ratione majoris propagationis ab eo factæ per univerſa Italiæ monaſteria, immo per alias orbis partes, ſi qua fides Petro diacono mox laudato; apud quem in alio libello hæc de Simplicio legimus: *Hic regulam per orbem diſſeminavit.*

Regulæ propagator.

[a] Petr. diac. de vir. ill. Caſ. c. 3.

II. Fundani abbatis ad eum epiſtola.

Huc afferri poteſt vulgata Fundani abbatis epiſtola, *reverentiſſimo monachorum patri Simplicio* inſcripta: in qua teſtatur, jam ſuo tempore omnia Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ, & aliarum Italiæ provinciarum monaſteria, dimiſſis peculiaribus regulis, Benedictinam ſervare decreviſſe: quorum exemplo & ipſe animatus, ſe duos ex ſua congregatione monachos Caſinum dirigere, Hugonem & Paulum, juxta prædictam ſanctam regulam & obſervantiam plenius inſtruendos ſub Simplicii diſciplina. Datum in monaſterio prope urbem Fundanam, ſeptimo

» kalendas Aprilis. Hoc teſtimonio cum ſe feriri ſenſiſſet Gallonius, qui Baronii cauſam de Gregorii Magni monachatu Equitiano in ſe ſuſceperat, confictam a recentioribus epiſtolam cauſatus eſt, non alio argumento, quam quod Bernardi & Hugonis nomina Simplicii ævo in Italia inuſitata eſſent. quippe Bernardi nomen Lauretus Benedictinorum defenſor tribuit Fundano abbati, cujus nomen in veteri codice prima tantum littera B. decurtatum reperitur. Hunc codicem [a] ego ſociuſque meus Michael Germanus peramantiſſimus, quem paucis abhinc diebus mors a me cum maximo mærore meo avulſit, vidimus ſimul, cum ante annos octo * in ſacro aſceterio Caſinate verſaremur. qui codex varias continet pontificum epiſtolas, quibus hæc Fundani abbatis epiſtola inſerta eſt ab annis fere trecentis. Codicem vidit & epiſtolam Lucas Holſtenius, Vaticanæ bibliothecæ præfectus eruditus, eidemque nomen ſuum appoſuit cum hac ſubſcriptione: *Hac illa epiſtola eſt, quam pater Matthaus Lauretus in libro de exſiſtentia corporis ſancti Benedicti apud monaſterium Caſini defendit contra Gallonium ejus impugnatorem: quamvis ipſe Lauretus neſciverit ubi exſtaret.* Erunt forte quibus ſuſpectam reddat epiſtolam inclinata ejus latinitas. at forſan levandæ huic ſuſpicioni id ſufficere poterit, quod hæc epiſtola in codice Caſinenſi ſcripta ſit loco peregrino trecentis annis ante natam de Gregorii monachatu controverſiam. Nec plura ſcimus de Simplicio abbate Caſinenſi, quem Gallonius perperam confudit cum altero Simplicio beati Mauri ſocio in Galliam, eumque congregationi Lateranenſi præfuiſſe exiſtimavit, ob locum male intellectum Gregorii Magni, ubi, cum dicit ſe ſancti Benedicti facta quatuor ejus diſcipulis agnoviſſe, *Conſtantino ſcilicet, reverendiſſimo valde viro, qui ei in monaſterii regimine ſucceſſit; Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranenſi monaſterio præfuit; Simplicio, qui congregationem illius poſt eum tertius rexit, &c.* pronomen *illius* Gallonius retulit ad Valentinianum, cum ad ſanctum Benedictum manifeſte referatur, uti probat in primis Paulus [b] diaconus, ubi quatuor primos Caſinenſis monaſterii abbates poſt Benedictum recenſet, Conſtantinum, Simplicium, Vitalem, & Bonitum, ſub quo ſacri monaſterii deſtructio a Langobardis facta eſt. Odo Glannafolienſis abbas in epiſtola, beati Mauri actis præmiſſa, ſancti Simplicii vitam aſſerit a ſe viſam, quam periiſſe magnopere dolemus.

a *Caſin. cod. mſ. n.* 115
* *anno* 1685.

b *Paul diac. de Langob. lib.* 4. *c.* 18.

III. Martinus Suevos ad fidem convertit.

Sub hunc annum ſexageſimum Martinus Pannonius ex partibus Orientis, quo devotionis atque eruditionis cauſa profectus fuerat, in Galliciam appulſus eſt, Theodemiro Sueyis tum Arianis imperante, eoſque ad catholicam fidem cum eorum rege adduxit. Tam præclari eventus occaſionem diſcimus ex Gregorio [c] epiſcopo Turonenſi. Theodemiro ſeu Ariamiro Suevorum regi, quem Gregorius Charraricum vocat; filius erat in primis carus, quem morbus graviſſimus, iſque inſanabilis vexabat. Rex, omni humana ope deplorata, auditis beati Martini Turonenſis epiſcopi miraculis, cujus religionis fuiſſet, inquiſivit. Catholicæ de trium divinarum perſonarum æquali ſubſtantia & omnipotentia fidei eum ſemper adhæſiſſe, eamdemque fidem ſubjectis ſibi populis tradidiſſe cum intellexiſſet; confeſtim legatos ad ejus tumulum direxit, munera deferentes ampliſſima, in his auri argentique donum ad filii pondus; profeſſus ſe, ſi æger convaleſceret, ad catholicas partes acceſſurum. Reverſi legati, multa ſe Martini miracula vidiſſe affirmarunt: cur autem regis filius ſanatus non fuerit, ignorare. Cauſam Theodemirus intellexit: tum fabricata in ſancti Martini honorem eccleſia inſigni, alios miſit nuntios, qui ſacras ejus reliquias poſtularent, pollicitus, ſe demum catholicum fore, ſi eas obtinuiſſet. Reliquiæ illæ non aliæ erant quam panni ex contacto beati pontificis ſepulcro ſacrati. Petentibus reliquias nuntiis oblati ex more ejuſmodi panni. Hi vero: Non ita erit, inquiunt, ſed liceat nobis ſuper ſepulcrum ponere, atque inde aſſumere quæ attulimus. Tunc partem pallii ſeu panni ſerici, prius in lance expenſam, ſuper tumulum ſacrum poſuerunt; dicentes: Apud ſanctum confeſſorem gratiam nos inveniſſe credemus, ſi majoris ponderis pannum e tumulo receperimus. Hujus rei cauſa tota nocte vigilatum. ubi craſtina illuxit, tanta beati viri gratia perfuſus eſt pannus, ut appenſus in libra, in ſublime efferret alteram ſtateræ lancem. Sic rem narrat Gregorius, paullo poſt epiſcopus Turonenſis.

c *Greg. Tur. de mirac. S. Martini lib.* 1. *c.* 11.

IV. Martinus ex Oriente in Galliciæ portum appulit eodem die, quo reverſi ſunt nunrii: quibus obviam prodiit regis filius, morbi penitus expers. Rex unitatem trium divinarum perſonarum confeſſus, cum omni domo ſua chriſmatus eſt, (is recipiendi hæreticos)

ANN. CHR. 560.

hæreticos ritus erat) atque lepræ omnis contagio, quæ Suevos ad id tempus infecerat, magni ſancti Martini meritis omnino fugata. Martinus alter, & ipſe Pannonius ac monachus, hac occaſione dextre uſus, populum, jam ad rectam fidem inclinantem, omnino convertit, tantoque Chriſti amore inflammavit, ut omnes martyrium libenter, ſi tempus perſecutionis adfuiſſet, ſponte ſubituri fuiſſent. quæ res Suevos cum rege impulit, ut Martinum ſuæ gentis epiſcopum ordinari curarent. Is ordinatus eccleſias per totam Galliciam catholicis ritibus addixit, monaſteria [a] condidit, ac præclara piæ inſtitutionis opuſcula compoſuit. Tantorum conſcius factorum Venantius Fortunatus, accepta a Martino per Domicium ejus diſcipulum epiſtola, in ejus laudes excurrit, tum in præfatione in carminum librum quintum, tum in carmine primo, ubi de Suevorum converſione ipſi congratulatur his aliiſque verſibus.

[a] *Iſidor. de vir. ill. c. 35.*

Martino ſervata novo, Gallicia, plaude:
Sortis apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.
Qui virtute Petrum præbet tibi, dogmate Paulum:
Hinc Jacobi tribuens, inde Johannis opem.
Pannonia, ut perhibent, veniens e parte quiritum,
Eſt magis effectus Galli-Sueba ſalus.
In ſulcum ſterilem vitæ plantaria ſevit,
Quo matura ſeges fertilitate placet.
In ramis hereſis fides pia germina fixit;
Quodque oleaſter erat, pinguis oliva viret.

Non immerito itaque Hiſpani Martinum Galliciæ apoſtolum nuncupant: tametſi Johannes Biclarenſis perfectam Suevorum, uti & Gotthorum, converſionem Reccaredo Veſigotthorum regi tribuit.

V. Dumienſe monaſterium & alia condit.

Non impari ſtudio rem monaſticam promovit in Gallicia Martinus, conſtruendis monaſteriis, quæ religioni & præſidio eſſent, & ornamento. Præcipuum fuit Dumienſe, prope Bracaram ſitum, cujus eccleſia hodie quoque ſupereſt, ſed parœcialis, antiquitatem ſuam referens, teſtante præter Garſiam Johanne Waſeo. In monachorum gratiam librum de ſententiis patrum e græco in latinum transferri curavit per Paſchaſium diaconum, cujus prologus, *domino venerabili patri Martino, presbytero & abbati*, nuncupatus eſt. Sigebertus de hac tralatione ita loquitur, quaſi Paſchaſius eam ediderit in monaſterio Dumienſi. In concilio Lucenſi primo, ut præconi ſuo gens Suevorum gratam ſe exhiberet, hujus monaſterii dignitas aucta eſt ſede epiſcopali, quam Martino, tum Dumienſi abbati, patres illius concilii detulere. Hæc ſynodus proinde poſterior cenſeri debet Bracarenſi prima, anno Theodemiri tertio habita, cui Martinus jam Dumienſis epiſcopus ſubſcripſit. Demum, Lucretio metropolita Bracarenſi mortuo, Martinus utrique cathedræ, Bracarenſi nimirum & Dumienſi, imponitur: qui non multo poſt, id eſt anno Mironis regis ſecundo, alterum Bracarenſe concilium indixit, eodemque anno, Nitigeſio, aliiſque patribus apud Lucum * denuo congregatis, orientalium canonum collectionem ab ſe latine redditam obtulit, dedicavitque.

* *Lugo.*

VI. Panni ſacri e tumulis ſanctorum, quales.

Quod de pannis ex contactu ſepulcri beati Martini Turonenſis epiſcopi ſacratis, ac reliquiarum inſtar habitis, ex Gregorio epiſcopo retulimus, idem ex eodem auctore [b] diſcimus de ſepulcro ſancti Petri Romæ apud Vaticanum. Id ſub altari collocatum ambiebant cancelli, quibus reſeratis, accedebant fideles ſuper ſepulcrum; & feneſtella parvula, quæ ibi erat, patefacta, immiſſo introrſum capite neceſſitates ſuas orando ſuggerebant. tum immiſſo, ſi qui vellent, palliolo ſeu panno, prius ad momentanam ſeu ſtateram appenſo, jejuni in precibus vigilias ad ſepulcrum agebant; &, ſi quidem eorum fides id meruiſſet, votorum compotes fiebant: cujus rei hoc indicium erat, ſi pannum inde pondere graviorem efferrent. Ejuſmodi panni ſacrati *brandea* vocantur a Gregorio Magno. Porro non unica, ſed duæ ad beati Petri ſepulcrum feneſtellæ erant, ſuperior & inferior, quæ *cataracta* appellantur in ſuggeſtione altera legatorum Germani & Johannis epiſcoporum, nomine Juſtiniani comitis ad Hormiſdam, petentium, ut *ſanctuaria*, ſeu id genus reliquiæ, *ad ſecundam* [c] *cataractam* ſibi concederentur.

[b] *Greg. Tur. de gl. mart. lib. 1. c. 28.*

[c] *V. ſupra lib. 4. n. 19.*

ANN. CHR. 560.

a Evod. de mirac. S. Steph. c. 11.

Quippe longe major prærogativa cenſebatur, ſi ex ſecunda feneſtella panni ſuper loculum ſacrum inferrentur, quod videlicet ex ea propior eſſet ſacri corporis contactus. Similis feneſtella erat ad memoriam ſeu oratorium beati Stephani in civitate Uzalenſi, auctore Evodio [a]: ubi quidam civis Uticenſis, paralyſi linguæ
» ac pedum affectus, recuperato pedum officio, exuens ſibi manicam tunicæ ſuæ,
» eo quod orarium non haberet, per feneſtellam memoriæ ad interiora loca ſanc-
» tarum reliquiarum manu injecta mittebat, atque inde manum reducens, ori ſuo
» admovebat; & linguam contingendo, ſic tandem paullatim linguæ facultatem
» recuperavit. Ideo vero ejuſmodi feneſtellæ dicebantur *cataractæ*, quod firmis porticellis (ſic enim firmiores portæ appellantur) eſſent præcluſæ. Ad lineas regredior.

VII. Martinus ubi monachus, an Benedictinus.

Quo in loco monaſticam vitam amplexus ſit Martious, nobis incompertum. Certe monachum fuiſſe coostat, non tantum ex dignitate abbatis Dumienſis, ſed etiam ex decreto Bonifacii papæ quarti, qui monachis aſſerit jus obeundi eccleſiaſticas functiones, tum exemplo Gregorii papæ primi, ejuſque diſcipuli Auguſtini, ac Martini Pannonienſis, qui ex monachis ad pontificalem dignitatem aſſumti fuerant: tum ex regula ſancti Benedicti, qui id monachis non interdicit. Quid vero conſequentiæ eſſet, Gregorio, Auguſtino, & Martino id licuiſſe per regulam ſancti Benedicti, ſi eam non ſervaſſent? Hunc vero Martioum Pannonienſem non eſſe magnum illum Turonenſem epiſcopum, uti Gallonius exiſtimavit, ſed Dumienſem, ex eo intelligimus, quod eum nominat Bonifacius poſt Gregorium Magnum & Auguſtinum, nempe ut ſuæ taotum ætatis exempla adduceret; nec umquam, quod quidem viderim, Pannonienſis cognominatus ſit magnus ſanctus Martinus epiſcopus Turonenſis, etſi Pannonienſis eſſet, uti & is de quo nunc agimus, niſi quis abuo velit convicio energumenorum, immo dæmonum per eos loquentium, qui eum per contumeliam *Pannonicum* vocaot apud Gregorium [b] Turonenſem. De altero proiode Martino intelligenda ſunt prædicti decreti elogia, ubi laudatur *Martinus Pannonienſis, cujus ſanctitatis fama longe lateque diffuſa totus perſonat mundus.* In ſynodo Lucenſi prima, in qua cum antiquis, tum novis epiſcopatibus fines aſſignantur, Dumio tantum attribuitur *familia regia*, ſeu *ſervorum*, hoc eſt, uti Garſias interpretatur, regimen ſanctorum monachorum, qui ex regia Chriſti familia in primis cenſentur, ob idque ſervi Dei paſſim appellantur. quod argumento eſt, Dumienſem epiſcopatum eo tantum conſilio erectum fuiſſe, ut Dumienſe monaſterium, ejuſque conditor ac primus abbas Martinus hac dignitate honoraretur. Ex hac Garſiæ interpretatione conjicimus, ubi in illa ſynodo ſex familiæ Dumio aſſignantur, id interpretandum de ſex monaſteriis, quæ Martinus condiderit. Sane apud Iſidorum non unum, ſed plura monaſteria conſtruxiſſe memoratur.

b Greg. lib. 1. de gl. mart. c. 30.

ANN. CHR. 561.

VIII. Chlotharii obitus & ſepultura ad S. Medardum.

* de Cuiſſe.

c Spicil. to. 8. p. 396.

ANoo poſt Suevorum converſionem proximo, Chlotharius Francorum rex, in Cotia * ſilva inter venandum febre correptus, apud Compendium regnandi ac vivendi finem fecit. Ejus corpus quatuor filii Sueſſionas delatum in ſancti Medardi baſilica, quam ipſe ædificare cœperat, ex juſſione patris ſui ſepelierunt. In vita ſancti Medardi Suriana honorifice ſepultus dicitur *ante altare ſancti Medardi*. In genuina ejus vita, auctore [c] Fortunato, nulla ejus rei mentio: at in actis eidem ſubjunctis Chlotharius ſepulturam obtinuiſſe perhibetur *ante glorioſi pontificis tumulum*, nempe in crypta ſubterranea, ubi hactenus ejus tumulus oſtenditur. Regnum inter ſe partiti ſunt quatuor ejus filii: Chariberto Pariſii, Guntchramno Aureliani cum Burgundia, Chilperico Sueſſiones, & Sigeberto Auſtraſii obtigere: qui Sigebertus ſedem Remis, non Mettis haboit, ut in emendatis Gregorii codicibus legitur. His erat ſoror, nomine Chlodoſuinda, Alboino Langobardorum regi nupta, quam litteris hortatus eſt Nicetius Trevirenſis epiſcopus, nt mariti ſui Ariani procorandæ ſaluti ſedulo incumberet exemplo Chrothildis aviæ ſuæ, quæ Chlodoveum ad chriſtianam fidem monitis ſuis adduxerat. His in litteris in teſtimonium catholicæ fidei Nicetius affert miracula ſanctorum Galliæ pontificum, Martini Turonenſis, Hilarii Pictavenſis, Germani Autiſiodorenſis, Lupi Tricaſſenſis, Remigii Remenſis, & Medardi Noviomenſis. Hic, inquit, ſi lubet, ad domnum Martinum per feſtivitatem ſuam, quam undecima die

facit November, ipſos mittat fideles ſuos Alboinus; & ibi, ſi audent, aliquid præſumant, ubi cæcos hodie illuminari conſpicimus, ubi ſurdos audirum, & mutos ſanitatem recipere. Nam quid dicam adhuc de domno Germano, Hilario, vel Lupo epiſcopis? ubi tanta mirabilia hodie apparent, quanta nec dicere valeo. Quid de domno Remigio, & domno Medardo epiſcopis, quos tu, credo, vidiſti? Non poſſumus tanta exprimere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Hos præ ceteris laudat Nicetius, quod & illuſtriores eſſent, & Arianis ſuo tempore maxime reſtitiſſent, ut Cointius [a] obſervavit.

AN. CHR. 561.

[a] *Coint. ad an. 563. n. 9. & ſeq.*

IX. Ruſticula traditur monaſterio Arelatenſi.

Per id tempus Ruſticula, cognomento Marcia, Valeriano & Clementia clariſſimis in pago Vaſionenſi orta parentibus, cum pæne quinquennis eſſet, rapta eſt a quodam viro nobili, nomine Cheraonio, qui eam genitrici ſuæ enutriendam tradidit, in nubili ætate ſibi aliquando copulandam. Id cum reſciſſet Liliola ejus monaſterii, quod Cæſarius Arelati conſtruxerat, abbatiſſa, Syagrium Æduenſem divino inſtinctu impulit ad Guntchramnum regem interpellandum, ut eam, juxta ſancti Cæſarii oraculum Ruſticulæ genitrici factum, in ſuo parthenone inſtituendam vindicaret, id permittente regula, quæ [b] vetabat, ut nulla umquam in monaſterio infantula parvula, niſi ab annis ſex & ſeptem, quæ & jam litteras diſcere, & obedientiæ obtemperare poſſet, ſuſciperetur. Nec mora, puella juſſu regis, repugnante incaſſum Cheraonio, per quemdam abbatem eximiæ pietatis ad Liliolam, quæ Cæſariæ juniori ſucceſſerat, perducitur. Hinc Ruſticulæ mater eam repetere per Sapaudum Arelatenſem epiſcopum; munera ejus rei cauſa ipſi dirigere; rogare, ut miſereatur orbitatis ſuæ; alias domus ſuæ facultates, familiæ numeroſam turbam, opes denique omnes, deficiente altera prole, venturas in alienas manus. Ad hæc Sapaudus: ſe cupere mæſtæ parentis votis obtemperare: at repugnare præceptum Domini. Opes, quas filiæ dare meditaretur, momentaneas & vanas eſſe. ne fleret quaſi amiſſam, quæ cum Chriſto regnatura eſſet. Nec plus obtinent apud fillam matris preces, munuſcula, blandimenta. Inter hæc quippe immota manet pia puellula, quæ ita ſcripturæ ſacræ lectioni ac meditationi ſe addixit, ut intra breve temporis ſpatium pſalmos omnes didicerit, immo ſcripturas omnes divinas; digna proinde habita, quæ Liliolæ ſuccederet, vix nata annos duodeviginti, uti ex Florentio, Tricaſtinenſis eccleſiæ preſbytero, qui libellum de ejus vita ſcripſit, accepimus.

[b] *Cæſarii reg. c. 5.*

AN. CHR. 563.

X. Launomarus monachus.

* *de Dreux.*

DUm hæc in Provincia Romanorum aguntur, Lannomarus, apud Carnutenſes natus in pago Dorcaſſino *, Curbionenſe monaſterium anno ſecundo Chilperici regis, poſtea quam in eremo ſocios aliquot collegiſſet, ædificare cœpit. Is apud Carnutas a venerabili Chirmiro preſbytero in pietatis officiis ac litteris inſtitutus, ſacerdotii primum in ea urbe gradum, dein cellerarii munus adeptus eſt. quod munus potius monacho convenit, quam canonico, qualem tunc fuiſſe Lannomarum recentiores nonnulli opinantur.

XI. Carnutenſia monaſteria.

* *l'Eure.*

Tria ſunt antiqua Carnutum monaſteria, ſancti Petri unum, alterum ſancti Carauni, tertium ſancti Martini; omnia ſuburbana, uno ſancti Petri excepto, quod olim extra, nunc intra muros ſitum eſt ad ripam Auduræ * fluvii, in valle Carnutenſi. De prima ejus origine nihil comperti habemus, niſi quod locus iſte inter regales per Galliam nobiliter fundatos ac dotatos inſignis dicitur in codice Aganonis epiſcopi, qui cœnobium iſtud ſæculo decimo inſtauravit, poſtea quam ab Elia epiſcopo expilatum, ac fere deſtructum fuiſſet, ut ſuo loco dicturi ſumus. In eodem Aganonis libro laudantur inter veteres loci benefactores Hilarius quidam illuſtris, qui alodium ſuum ad portam urbis Cineroſam, condendæ in honorem ſancti Hilarii eccleſiæ gratia, medio ſeptimo ſæculo conceſſit; & Balthildis regina, cui Geneti & Autrici villæ acceptæ referuntur. Huic cœnobio, quod hactenus inter inſigniora congregationis noſtræ monaſteria cenſetur, proxima eſt ſancti Carauni, modo canonicorum regularium, abbatia, quam Pappolus antiſtes poſt medium ſæculum ſextum ædificavit; cujus loci Apet abbas memoratur in actis ſancti Carauni haud vulgatis, ex quibus hæc didicimus. Incerta ſunt ſancti Martini, in valle item Carnutenſi, monaſterii primordia. Certum eſt monaſterium illic exſtitiſſe ſæculo ſexto, quo ſanctus Leobinus epiſcopus in baſilica ſancti Martini humatus eſt, uti & ſanctus Launomarus abbas, de quo agimus in præſens. Iſtic quondam Carnutenſium an-

ANN. CHR. 562.

tiſtitum, aliorumque nobilium conditorium fuiſſe veteres etiam tradiderunt. Præter ea, duo alia erant, auctore, ut ſuperius diximus, Leobino, monaſteria, unum apud Brajacum, alterum apud Carbonariam vicum: cujus cellæ abbati Leudranno ſeu Leudocramno paralyſi affecto Launomarus priſtinum membrorum uſum ſigno crucis atque olei ſacri inunctione reſtituit.

XII. Quænam a Launomaro extructa. * le Perche. * Bellomer.

Leobinus in monaſterio, forte ſancti Martini, ſuſceptus, poſtea cellario præfectus fuit. Idem de Launomaro dictum puta. quæ cauſa fuerit, ut in baſilica ſancti Martini uterque humatus ſit. Poſt diuturnam in Perticenſi * ſolitudine manſionem, Launomarus, cum fama vulgante hominum frequentia interturbaretur, una cum ſociis in locum ſeceſſit nemoribus opacum, ubi cœnobium conſtruxit, ab ipſius nomine nunc Belli-Launomari * appellatum, quod modo eſt inſtituti Fontis-Ebraldi. Iſtic edita miracula turbas acciverunt: turbæ virum ſanctum alio refugere denuo coegerunt. Placuit Curbionis locus, ſic dictus ab amne præterfluente, decem circiter leucis diſſitum ab urbe Carnutum, fundum tradente Ragnoſointho, viro illuſtri. Iſtuc nobilis quidam Perticenſis, Hermoaldus nomine, ex graviſſimo languore redactus ad extrema, viro Dei ſolidos quadraginta per unum e ſervis ſuis ſubmiſit, ad vitæ inducias impetrandas. Hic, ſolidis ſuper altare compoſitis, orationem fudit pro Hermoaldi ſoſpitate. tum, uno e ſolidis accepto, reliquos nuntio reddidit, domino
» ſuo referendos, Pecunia hæc, inquiens, quippe quæ injuſte acquiſita, nec mortem,
» nec divinam poteſt ſuſpendere ſententiam. adeoque Hermoaldus rebus ſalutis ſuæ
» conſulat injuſte parta reſtituendo. nam eum ſine dubio incunctanter moriturum. quod
» eventus probavit. Felicior ſuit Widforada ſeu Wlſrada nobiliſſima matrona, quæ deficiente ex morbo anhelitu, ad Launomarum perducta, oleoque ſacro perfuſa, ſanitatem recepit; ob idque poſt Launomari obitum Curbionenſibus monachis ex ſuis rebus dedit, viro ſuo Chrammulfo aſſentiente, Lontvei-villam & Britonogilum, ut ibi ſervorum Dei cœtus conſtitueretur ad divinas laudes celebrandas. quod quidem a Ragnoberto Launomari ſucceſſore effectui mancipatum, miſſis ad hoc opus idoneis fratribus, qui piis benefactorum votis facerent ſatis. quæ res eoſdem movit, ut villam Fagiam, trans Ligerim ſitam, primæ donationi ſuperadjicerent in perpetuum animæ ſuæ remedium. Tempus conditi cœnobii Curbionenſis aſſignat alter vitæ ſancti Launomari ſcriptor annum ſecundum Chilperici regis, id eſt annum ſexageſimum-ſecundum vel tertium, ſi Chilperici annos a Chlotharii obitu numeres, non ab exceſſu Chariberti fratris, qui Carnutibus tum dominabatur. quippe ſcriptor iſte, qui ſub Chlotharii ſecundi, Chilperici filii, poſteris hanc vitam edidit, nullam videtur habuiſſe regis rationem, qui tum Carnutibus imperabat, ſed tantum illius, a quo deſcenderant reges, qui ſuo tempore Francorum principatum obtinebant.

XIII. Ebrulfus Bajocaſſenſis ſeculum deſerit. * Bayeux. * de Liſieux.

Eodem fere tempore Ebrulfus, alius a Bellovacenſi, cujus ſuperius mentio facta eſt, nobili admodum proſapia ortus apud Bajocaſſes *, relicta Childeberti ſenioris aula, atque uxore velata, tamquam elapſus e naufragio, ad monaſterium quoddam ſe recepit. Ordericus Vitalis de cœnobio Duorum-gemellorum apud Bajocaſſes ſito, cujus ſola rudera ſuo tempore ſupererant, interpretatur. Hoc monaſterium a ſancto Martino abbate Vertavenſi conditum ferunt, uti mox dicemus. Inde Ebrulfus ſolius Dei contemplationi vacare volens, aſſumtis ſecum tribus ſociis, in eremum clam properavit, atque in Uticenſem ſilvam pagi Oximenſis ſe abdidit, non longe ab opidulo, quod Mons-fortis dicitur: ubi cum nec ſatis tecti eſſent ab adventantium moleſtia, locum deſeruere, ibique poſteri baſilicam in honorem ſancti Ebrulfi condidere, quæ in prioratum poſtmodum converſa eſt ſub diœceſi Lexovienſi *. Erat in eadem ſilva locus; tum denſiſſimis nemoribus opacus, fontibus ad potandum gratiſſimis ſcatens, qui paullulum derivati in grande ſtagnum colligebantur.

Auctor monaſterii Uticenſis. * Hiefmes. * Charente.

Iſtic ſubſiſtendum rati ſervi Dei, ex virgultis & frondibus extemporaneum conſtruxere tugurium, exiguo ejuſdem materiæ clauſtro circumcinctum; ibique manentes, optatæ quietis refugium ſunt conſecuti. Hæc initia fuere inſignis monaſterii Uticenſis, ſic dicti a ſilva circumpoſita, aliquando Oximenſis a pago Oximenſi, cujus Oximum * opidum caput eſt, appellati, quod ſancto Petro primitus dedicatum, a ſancto Ebrulfo demum vocabulum & decus retinuit, ſitum ad Carentonam * fluvium in diœceſi Lexovienſi, non Bajocenſi, uti nonnullis perperam viſum eſt. Monaſterii primordia paullo poſt annum hujus ſeculi ſexageſimum refe-

ANN. CHR. 582.

renda ſunt, ſi quidem lues illa graviſſima, quæ locum iſtum anno inchoati cœnobii viceſimo-ſecundo contigit, eadem ſit cum ea, quæ, Gregorio [a] teſte, accidit anno Childeberti regis ſeptimo, Chriſti quingenteſimo octogeſimo ſecundo. ſed prima hæc initia tumultuario opere potius tentata, quam perfecta, paucis poſt annis, Chilperico & Sigeberto regnantibus, quod tradit Willelmus Gemeticenſis monachus, meliorem formam acceperunt. Hic ſingularis patientiæ, abſtinentiæ & orationis ſpecimen exhibuit Ebrulfus, cujus monitis ſanctis flexi etiam latrones, qui ſilvam illam infeſtam habebant, ad meliorem frugem omnes converſi ſunt. Nulla ipſi de craſtino cura, nec quidquam pauperibus negatum volebat; cunctantibus ex annonæ penuria œconomis dicere ſolitus: Numquam deſiturum paſcere fidelem conditorem, « pro quibus dignatus eſt affixus cruci pretioſum ſanguinem impendere. Hinc ad alio- « rum ſalutem, quam propriæ identidem quieti præferebat, procurandam animatus, vulgata per multas provincias ejus opinione ſanctitatis, ad ejuſdem profeſſionis luctam plurimos traxit, qui beato viro domos, prædia & poſſeſſiones ſuas una cum familiis tradebant, rogantes, ſibi ut monaſteria conſtrueret, atque religioſæ vitæ ordinem præſcriberet. Horum petitionibus acquieſcens vir ſanctus, monaſteria quindecim, cum virorum, tum mulierum, regularibus inſtituit diſciplinis, iiſque probatiſſimæ vitæ præfectos impoſuit, dum ipſe interim Uticenſe monaſterium regere perſeveraret. Nomina quindecim illorum monaſteriorum jam dudum cum ædificiis interiere, ſuperſtite etiam nunc Uticenſi, quod a conditore demum appellationem, uti & ornamentum accepit.

a Greg. Tur. lib. 6. c. 14.

Item aliorum quindecim.

XIV. Martinus abbas Vertavenſis an auctor monaſterii Duorum-gemellorum.

Modo agebamus de monaſterio Duorum-gemellorum apud Bajocaſſes, quod Ordericus [b] Vitalis, Uticenſis ante annos ſexcentos monachus, ex veterum traditione a Martino abbate Vertavenſi ex Anglia revertente conditum ſcribit, juvante Ebrulfo adhuc laïco, qui ibidem poſtea monaſticum habitum ſuſceperit, atque a duobus gemellis ab eodem Martino excitatis nuncupatum. Ordericum, auctorem ſane gravem, & domeſticum, ſequimur, deficientibus antiquioribus & magis idoneis argumentis: tametſi nonnihil difficultatis aliquando in hac ſententia paſſi ſumus: propterea quod Felix Namnetenſis epiſcopus, a quo Martinus diaconus, ſacrique verbi præco inſtitutus fuit, hanc ſedem non ante annum ſexti ſæculi quinquageſimum obtinuerit; atque adeo Martinus munia hæc, variaſque tum in Angliam, tum in alias Europæ provincias, expleviſſe peregrinationes vix potuerit ante annum ſexageſimum, quo Ebrulfus, jam dudum monachus, Uticenſe monaſterium rudi opere conſtruere cœpit. Verum his conjecturis præferenda videtur Orderici ſententia: cum annus incœpti Uticenſis monaſterii nobis haud ſatis compertus ſit & exploratus. In actis epiſcoporum Cenomannenſium laudatur [c] abbas *monaſterii Duo-gemellenſis* ſub Dagoberto rege ejus nominis primo; ibidemque [d] Herlemundus ejus urbis epiſcopus, qui origine Colonienſis clericus fuerat, dimiſſo ob tyrannorum violentiam epiſcopatu, orbatus oculis ſe recepiſſe ad monaſterium quoddam, ubi frater ſuus abbas præerat, Duos-gemellos appellatum, in pago Bajocaſſino. Id factum regnante Pippino. Nulla deinceps hujus monaſterii mentio, præterquam in teſtamento Anſegiſi abbatis Fontanellenſis, qui monaſterio Duorum-gemellorum duas libras legavit Ludovici Pii principatu: ut proinde conſtet, hoc cœnobium a Normannis everſum, denuo excitatum non fuiſſe.

b Orderic. hiſt. lib. 6.

c Analect. to. 3. p. 147.

d ibid. p. 240.

XV. Res ab eo geſtæ.

Ad Martinum quod attinet, hic apud Namnetas * in Armorica, illuſtri loco natus, decurſis apprime liberalium artium ſtudiis, cum in virtute non minorem progreſſum feciſſet, diaconus primum, dein ſacri verbi miniſter a Felice epiſcopo ordinatur. Qui res ab eo geſtas ſcripſere auctores, eum ad Herbadillam urbem, Namnetibus proximam, directum tradunt, ut opidanorum mentes, ignorantiæ tenebris occæcatas, illuminaret, eorumque cordis ex rerum affluentia duritiem emolliret. Verum ubi nec promiſſa, nec minæ proficiunt, urbi cladem minitatur rebelli, quæ ultricibus aquis abſorpta, ingentem in lacum, qui Grandis-locus, rectius Grandis-lacus, etiam nunc dicitur, converſa ſit. Tam triſtis eventus (fabulam alii malunt dicere) Martinum ſolum vertere compulit, & peregrinabundum per totam vagari Europam, ut tantæ calamitatis triſtitiam devoraret. Reverſus demum in patriam, ſeceſſit in locum, qui Vertavum * dicitur, duabus ab urbe Namnetum leucis, ibique cœnobium in honorem beati Johannis Chriſti Præcurſoris ædificavit ſub regula, *quam a traſalpinis ferunt regionibus ab ipſo delatam*. quod de Benedictina alter [d]

* Nantes.

* Vertou.

d Sæc. 1. act. Bened. p. 685.

ANN. CHR. 562.

vitæ ejus ſcriptor explicuit. Hinc propagatæ in alia complura cœnobia coloniæ, veluti totidem ſacrarum apum examina, quæ vicinas regiones, Neuſtriam in primis, virtutum ſuarum odore perfuderunt. In his ad tercentenos ſub Martini diſciplina monachos vixiſſe tradunt ambo vitæ ſcriptores. Apud Durivum *, ſic dictum a duobus rivulis in unum confluentibus, duplex erat monaſterium, virorum unum, alterum mulierum, quibus etiam vir ſanctus æternæ vitæ ſubſidia præbebat. quod dum aliquando exſequeretur, iſtic ad ſuperos evolavit hoc ſæculo deſinente.

* *Durin.*

XVI. Rei monaſticæ ſtatus in Armorica.

Dum in Armorica verſamur, qualis tunc ea in provincia rei monaſticæ ſtatus fuerit, paucis explicare juvat. Primos ejus vitæ illis in partibus auctores fuere ſancti Wingaloëus, Jacutus, Gildas ſeu Gildaſius, Samſon, & Machutes ſeu Maclovius: monaſteria præcipua, Landvenecenſe, ſancti Jacuti, Ruyenſe, Dolenſe, & Aletenſe.

XVII. Landvenecenſe monaſterium.

Landvenecenſe, quod locum apricum & a ventis tectum ſignificat, primum conditorem & abbatem agnoſcit ſanctum Wingaloëum * ſeu Winwaloëum, ex majori Britannia ortum, quem ſancti Patricii tempore, hoc eſt ſæculo quinto, vixiſſe conſtat ex ejus actis, ubi Patricium conſulere voluiſſe memoratur. Ex Hibernia in Armoricam cum trajeciſſet, relicto, ubi primum ſubſtitit, Coriſopitenſi * pago, in adverſum litus occiduum cum ſociis conceſſit. Condito iſtic monaſterio, ſed ob ventorum aſperitatem poſt decennium itidem deſerto, nonnihil deflexit ad commodiorem oceani oram, quæ arcus inſtar ab oriente, auſtro, & aquilone, tota mari cincta, ſolo aditu ad occidentem patefacto, omnibus fere ventis, præterquam orientali, impervia eſt, atque adeo amœniſſima, *velut quidam paradiſus*, ut verbis utar antiqui ejus vitæ ſcriptoris. Hic demum ſedem ſuam fixit vir ſanctus, ibidemque monaſterium conſtituit in honorem Deiparæ Virginis, Grallono rege locum & multa prædia ſuppeditante, cum pro ſalute ſua, tum pro anima [a] filii ſui Riveleni. A viceſimo ætatis ſuæ anno ad obitum uſque numquam viſus eſt ſedere in eccleſia. Brachiis in modum crucis expanſis orare ſolitus, centenis per diem, totidemque per noctem genuflexionibus Dei majeſtatem adorabat. Pro lineo, laneove indumento, nonniſi caprinis pellibus; pro plumis aut lectiſterniis, tantum arborum corticibus utebatur. Panis quo veſcebatur, ex hordeo erat cineri permiſto: pulmentum ex farinula hordeacea & modico oluſculo: ſabbato & dominica piſces & caſeum in cibum adhibebat. In quadrageſima bina tantum erat per hebdomadam refectio. De cetero nullum uvæ liquorem, nihil mellis, aut lactis ſumebat: ſed potus ejus conſtabat ex aqua plurima, & quibuſdam malorum agreſtium ſuccis. Hæc fere inſtitutio ibidem viguit ad imperium Ludovici, cognomento Pii, cujus juſſu temperata eſt ea ſeveritas ad regulam ſancti Benedicti; mutataque tonſura, quam ad id uſque tempus, Scottorum more, Landvenecenſes retinuerant. Diſcipulum habuit vir ſanctus inter alios ſanctum Riochum [b], per quem aliquando mortuam ejus matrem excitavit. Wingaloëus pervenit ad principatum Childeberti ſenioris, obiitque quarto nonas Martias, prima hebdomada jejunii quadrageſimalis, ſub initia [c] ſæculi ſexti.

* *S. Guignolé.*
* *de Cornouailles.*
a *Bolland. to. 1. Martii. pp. 246. col. 2.*
b *ibid. p. 259. col. 1.*
c *Bolland. ibid. p. 246. vol. 1.*

XVIII. S. Jacuti.

Paullo minus antiquum eſt ſancti Jacuti monaſterium, primitus appellatum ſanctæ Mariæ de Landovardo, ſitum in diœceſi Dolenſi, in quadam Armoricæ pæninſula, quæ, lapidum mole oceani fluctibus objecta, modico terræ ſpatio jungitur continenti. Grallonum itidem conditorem habuiſſe fertur. Hactenus perſtat, uti & præcedens & ſubſequens, ſub Benedictina ſancti Mauri congregatione, quæ vetuſtis ædificiis meliorem formam reſtituit.

XIX. Ruyenſe auctore Gilda Sapiente.

Gildas, cognomento Sapiens, auctor eſt cœnobii Ruyenſis ſub diœceſi Venetenſi. Natus eſt nobiliſſimis ac regiis parentibus apud Arećlutam, Scotiæ validum propugnaculum, ipſo anno obſidionis Badonicæ, ex qua Badonici cognomentum accepit. Albanium alii vocant a patre Cauno Albaniæ rege. Prima vitæ chriſtianæ & litterarum elementa didicit a piiſſimo viro Hiltuto ſeu Eltuto, ſocioſque in ea ſchola habuit Samſonem & Paulum, clariſſimos dein futuros epiſcopos, alterum Dolenſem, alterum Oxiſmenſem ſeu Leonenſem in Armorica, quæ olim Letavia Britannis dicebatur. In Hiberniam a rege accitus, rem chriſtianam ac monaſticam ea in inſula mirifice promovit. Poſt Romanum inde iter, in Armoricam acceſſit, ubi vetus quoddam caſtrum, in monte Reuviſii ad proſpectum maris ſitum, in monaſterium commutavit, conſtruxitque parvum oratorium ad ripam fluminis Bla-

ANN. CHR. 562.

veti, qui Venetenſes a Curioſolitibus dirimit. Id factum anno circiter ſexti ſæculi tricesimo-octavo. Poſt decem annos, quam ex patria receſſerat, librum de excidio Britanniæ ſcripſit duobus libris eo anno, quo Conſtantinus Damnoniæ rex, duorum puerorum regiorum, eorumque nutritorum, inter ſacroſancta altaria, latera tranſverberavit; & quidem anno poſt obſidionem Badonicam quadrageſimo-quarto, quam obſidionem anno Chriſti octogeſimo-quarto ſupra quadringenteſimum contigiſſe alibi [a] probavimus. Multa in illo opuſculo, quod typis in Bibliotheca Patrum atque alibi vulgatum eſt, obſervatione digna, quæ non ſunt hujus loci. Venetenſis comitis filia, quæ ſub ejus fidejuſſione cuidam illius regionis tyranno nupſerat, ab impio marito cæſa, a Gilda e mortuis excitata fuit, ac poſtmodum in cœnobium virginum ſponte incluſa. Filius ejus, Trechmorus nomine, a viro ſancto pie educatus, vitam & ipſe beato fine concluſit. E vivis exceſſit Gildas quarto kalendas Februarii in inſula Horata *, ubi olim eremiticam vitam duxerat. Corpus ejus, prout juſſerat, in caduca navi in mare demerſum, appulit ad quoddam oratorium, quod ſub titulo ſanctæ Crucis conſtruxerat, atque inde in proximum Ruyenſe monaſterium delatum quinto idus Maii, qui tum in litanias rogationum incidebat, id eſt anno hujus ſæculi ſexageſimo-quinto.

[a] Sæc. 1. Bened. p. 139 & 144.

* Horath.

ANN. CHR. 563.

DE hoc monaſterio altum deinde apud veteres ſilentium ad ſæculum nonum, quo tempore a Nortmannis everſum fuit. Sunt & alia eidem patrono dicata duo monaſteria, unum in pago Bituricenſi, ad excipiendas ejus reliquias erectum ſæculo decimo ineunte; alterum ſæculo inſequente in diœceſi Namnetenſi, ſancti Gildaſii de Nemore appellatum, ut ſuis locis videbimus.

XX. Dolenſe & Pentalienſe per Samſoné.

Dolenſis & Pentalienſis monaſteriorum, itidem in Armorica, origo ad ſanctum Samſonem epiſcopum referenda. Huic patria Demetia, quæ Walliæ in Britannia majori provincia eſt, parentes nobiliſſimi fuere. Puer in monaſterio Elturi cum Gildaſio inſtitutus, dein a Dubricio Legionum epiſcopo diaconus ac preſbyter ordinatus, abbatis officium geſſit in cœnobio Pyronis abbatis, quem ſanctum appellari Guibertus [b] abbas vehementer conqueritur. Epiſcopus demum ab eodem Dubricio conſecratus, in Armoricam item acceſſit, ubi Dolenſe monaſterium ab ipſo conſtruitur. Aliud deinde auctore Childeberto rege in antro, ex quo ſerpentem expulerat vir ſanctus, excitatum ad fluvium Sigonam ſeu Sequanam, vocabulo Pentale ſeu Pentalenſe. Ejus ſitum ſignantius exprimit libellus de vita ſancti Geremari abbatis, qui ſæculo ſeptimo rexit *monaſterium Pentallium in pago Rotomagenſi ſuper fluvium Lirizinum* *, nempe ubi Lirizinus in Sequanam influit. Hactenus locus ille infra Pontem-Audomari poſitus, ſancti Samſonis appellationem retinet. Samſon epiſcopus, abſque ulla ſedis deſignatione anno quinquageſimo-ſeptimo ſubſcripſit concilio tertio Pariſienſi, cui non diu ſupervixit. Poſt mortem ſepelitur in Dolenſi monaſterio, quod in epiſcopalem eccleſiam converſum eſt, non ante ſæculum nonum, nempe cum Nomenoius, dux minoris Britanniæ, ex quatuor ejus regionis epiſcopatibus octo conſtituit. Quadrageſimæ tempore, pro more piorum illius temporis hominum, in remotiorem locum ſecedere ſolitus, tres tantum oblationes, id eſt panes ad ſacrificium paratos, ſecum portabat; idemque kalendarum Januariarum profanos ritus acriter inſectatus eſt. Res ab eo geſtas anonymus auctor [c] æqualis ſcripſit duobus libris, quos Tigerinomalo epiſcopo nuncupavit, haud dubie Leonenſi, qui in actis ſancti Pauli iſtius ſedis antiſtitis Tiernomailus vocatur, in vulgatis indicibus omiſſus. Præferendus hic auctor aliis ejus vitæ ſcriptoribus: quos inter Baldricus, Dolenſis ſæculo undecimo antiſtes, præcipuus eſt. In ſynodo Landavenſi [d] tertia ex Cornugallia Britanniæ majoris remiſſus eſt judicandus rex parricida ad archiepiſcopum Dolenſem in Cornugalliam Armoricanam: propterea quod magnam inter ſe ſe neceſſitudinem habuiſſent ſanctus Teliavus epiſcopus Brittonum majoris Britanniæ, & ſanctus Samſon archiepiſcopus primus Dolenſis civitatis; & quod Brittones, & archiepiſcopus illius terræ eſſent unius linguæ & unius nationis, quamvis dividerentur ſpatio terrarum,

[b] Guibert de pign. Sanct. lib. 1. c. 1.

* le Lizaine.

[c] Sæc. 1. Bened. p. 165.

[d] Labbe to. 5. conc. col. 830

XXI. Maglorii Sargienſe monaſterium.

Samſonis conſanguineus ac popularis exſtitit Maglorius, qui ab eo diaconus ordinatus, in Armoricam pariter cum eodem trajecit. Succeſſor ab ipſomet deſignatus in regimine Dolenſis monaſterii, Budoco poſtea ſibi ſubſtituto, turbæ declinandæ cauſa in Sargiam * inſulam ſe recepit, ubi locum, ſibi a Radwalo regulo conceſſum,

* Jerſay.

ANN. CHR. 563.

in monaſterium commutavit, in quo monachi ſupra ſexaginta ab eo congregati. Jejunium illi ſingulis feriis quartis & ſextis ſollemne erat. a vino & ſicera prorſus abſtinens, piſciculis interdum paucis in cibum utebatur. E Sargienſi monaſterio, ubi primitus ejus corpus humatum fuit, ſæculo nono transfertur in prioratum Lehonienſem, poſtmodum Luteciam Pariſiorum, ubi hactenus religioſe aſſervatur in eccleſia ipſi ſacra, quæ a Benedictinis ad patres Oratorii noſtro ævo mutavit.

XXII. S. Maclovii Aletenſe.

Ab his non divellendus Maclovius, aliis Machutes, Samſoni & Maglorio non minus ſanctitate, quam conſanguinitate conjunctus. A puero diſciplinæ traditur ſancti Brendani abbatis apud Carvannam, locum in majori Britannia maritimum. Jam epiſcopus in Armoricam trajicere animo deſtinavit, ac primum quidem ad quamdam applicavit inſulam, in qua Aaron abbas, vir angelicæ vitæ, cum diſcipulis tunc verſabatur. Huic vicina eſt alia inſula, ſpatio latior, altiorque rupibus, ubi antiquiſſima civitas Aletis ſita erat, a meridie Rinctio * fluvio in mare iſtic influente, ab aquilone brevi freto ab illa inſula ſejuncta. Mox Aletenſes, qui plerique etiam tunc paganis ritibus addicti erant, verbis & exemplis ad fidem adduxit, eiſdemque epiſcopali ſollicitudine præfuit. Aarone abbate mortuo, ejus etiam cœnobium regendum ſuſcepit, numerumque monachorum ad ſeptuaginta auxit. Parem canonicorum numerum in Aletenſi eccleſia inſtituiſſe dicitur, parum veri ſimili fundamento. Verum poſtea vexatus ab incolis illius regionis, in Aquitaniam ſemel atque iterum ſe recepit, ibidemque apud Archambiacum *, Santonenſis pagi vicum, in cinere ac cilicio exſpiravit ſeptimo-decimo kalendas Decembris. Inde corpus ejus Aletas revectum, pars in cathedrali ſancti Petri eccleſia ſervata fuit, pars delata in monaſterium Aaronis, ſancto Vincentio ſacrum, quod in urbem ſubinde accrevit, ab ejus nomine Macloviopolim * ſeu ſancti Maclovii urbem appellatam: quem in locum ſedes epiſcopalis Aletenſis duodecimo ſæculo tranſlata eſt. Aletæ vero, quæ civitas Diablintum in antiqua epiſcopatuum notitia vocatur, in vicum * redactæ, nunc ſancti Servatii vocabulum obtinent. De ſancti Maclovii reliquiarum in urbem Pariſiorum tranſlatione alias agemus.

* *la Rance.*
* *Archambray.*
* *S. Malo.*
* *Quidaleth.*
* *S. Servans.*

XXIII. Pauli epiſcopi Leonenſis facta.

Paulo, Oxiſmenſi ſeu Legionenſi item in Armorica epiſcopo, eadem patria, idemque genus, eadem ſub Eltuto præceptore inſtitutio, eadem quoque in Armoricam tranſmigratio. Huic Batham * inſulam Withurus comes, ſerpentis infeſtatione ab eo repurgatam, cum cenſu delègavit, atque ut Oxiſmorum epiſcopus ordinaretur, a Childeberto rege obtinuit. Dein monaſteria a Paulo conſtructa, in primis Gerberenſe, cui Tanguidus abbas præfectus, is qui ſancti Matthæi monaſterium in extremo Armoricæ apud Leonenſes promontorio ſub medium ſæculum ſextum conſtruxiſſe perhibetur, ob id in finibus-terræ cognominatum. Occaſionem tradunt ſancti Apoſtoli caput ex Ægypto a quibuſdam mercatoribus Leonenſibus allatum. Novum aſceterium conſecravit Paulus, eoque Tanguidus e Gerberenſi monaſterio, cui Relecenſe ſucceſſit, monachorum coloniam duxit. Perſtat ad noſtrum tempus ſancti Matthæi monaſterium ſub ſancti Mauri congregatione, ſitum, ut mox dicebam, in diœceſi Leonenſi, haud procul a Conquitto, paullo longius a Breſtenſi celeberrimo portu. Nulla fere de hoc cœnobio vetera monumenta ſuperſunt poſt varias ab Anglis illatas clades: tametſi antiquum ejus ſplendorem arguit inſignis baſilica, quæ variis ſanctorum reliquiis ornata eſt. Sancti Pauli epiſcopi corpus delatum in monaſterium Floriacenſe ſæculo decimo.

* *Baax.*
S. Matthæi monaſterium.

XXIV. Kemperlegienſe cœnobium.

Poſt medium item ſæculum ſextum revocant Kemperlegienſes noſtri primam cœnobii ſui originem, quod in finibus diœceſis Coriſopitenſis, qua parte Venetenſes attingit, ſitum eſt cum adjuncto cognomine opido, quod geminis fluviolis alluitur, Idola ſcilicet atque Elegio, ex quo inditum loco nomen Kemperlegium, quaſi dicas Elegi urbem. De primario cœnobii conditore nihil conſtat. Karadokum ſeu Guarekum Venetenſem comitem recentiores ingerunt, primumque abbatem Gurthiernum, cujus memoria ſacris Armoricæ faſtis tertio kalendas Julias inſcripta eſt. De monaſterii reſtitutione agendum ſæculo undecimo.

XXV. S. Brioci & S. Rabutvali.

De monaſteriis ſancti Brioci, & ſancti Rabutvali, quorum primum in epiſcopalem ſancti Brioci ſedem & urbem, alterum in Trecorenſem ſæculo nono converſum eſt, nihil certi & explorati habemus in vetuſtis inſtrumentis, niſi quod utrumque ſæculo ſexto conditum fuit, uterque ſanctus eo tempore floruit. Sic ex novem Armoricæ epiſcopatibus quinque ex monaſteriis originem habuerunt, Dolenſis, Leonenſis,

ANN. CHR. 563.

Leonenſis, Maclovienſis, Briocenſis, & Trecorenſis, tametſi, una excepta Leonenſi, non ante ſæculum nonum eam dignitatem obtinuiſſe videntur: quamvis Samſon epiſcopus fuerit, ſed regionarius.

ANN. CHR. 566.

XXVI.

S. Nicetii epiſcopi Trevirenſis facta & obitus.

a lib. 4. n. 28.

b Greg. Tur. de vit. Patr. c. 17.

* Hæc in editis deerant.

AD annum hujus ſæculi ſexageſimum-ſextum revocamus obitum ſanctorum Nicetii epiſcopi Trevirenſis,& Victoriani Aſanenſis in Hiſpania abbatis. Nicetium in Auſtraſiano regno abbatis officium geſſiſſe, atque inde in ſedem Trevirenſem aſſumtum fuiſſe, ſuperius [a] diximus. Multa præclare in epiſcopatu egit, viro apoſtolico digna. Illud in primis memorandum, quod Theodeberto Auſtraſiorum regi non pepercerit, frequenter eum corripiens, quod multa iniqua committeret, ejuſque aulicos, qui ſacris ab ipſo privati fuerant, ab eccleſia ejecerit. [b] Gregorii contextum, qui in editis gemino verſu mutilus erat, Ruinartus noſter ex codice antiquo ſic reſtituit. *Cum Theodorico decedente Theodebertus filius ejus regnum ambiiſſet, ac multa inique exerceret, & ab eodem plerumque corriperetur, quod vel ipſe perpetraret, vel perpetrantes non argueret;* [*advenit* * *dies dominicus: & ecce rex cum his, qui ab hoc ſacerdote communioni abeſſe juſſi fuerant,*] *eccleſiam eſt ingreſſus. Lectis igitur lectionibus, quas canon ſanxit antiquus, oblatis muneribus ſuper altare Dei, ait ſacerdos: Non hic hodie miſſarum ſollemnia conſummabuntur, niſi communione privati prius abſcedant.* Energumeno vero in eos, qui exire ab eccleſia nolebant, vociferante, cum *rex timore concuſſus peteret, ut hic energumenus ab eccleſia ejiceretur, dixit epiſcopus: Prius illi qui ſecuti ſunt, id eſt inceſti, homicidæ, adulteri, ab hac eccleſia extrudantur, & hunc Deus ſilere jubebit. Et ſtatim rex juſſit,* [*omnes hos, qui ſacerdotis ſententia damnati fuerant, egredi ab eccleſia. quibus expulſis juſſit ſacerdos*] *dæmoniacum foras extrahi.* quo facto rex mitior ac placatior factus eſt. Ex Gregorii contextu non apparet, Theodebertum, etſi adulterii reus dicitur, inter abſtentos numeratum, ejectumve fuiſſe. Quamquam Nicetius, ut idem auctor in conſequentibus ſcribit, *Chlotharium regem pro injuſtis operibus ſæpius excommunicavit, exſiliumque eo minitante, numquam eſt territus.* quod ſine dubio accidit, cum Chlotharius monarchiam obtinuit. alias Trevirenſi epiſcopo in Sueſſionum regem nulla erat auctoritas. Id probat Gregorius ipſe cum ſubdit, Nicetium re vera in exſilium a Chlothario miſſum fuiſſe: ſed mox, eo mortuo, a Sigiberto rege inde revocatum. Sanctorum baſilicas, maxime beati Maximini, ſæpe uno tantum comitatus famulo, circumibat, capite cucullo contecto, ne agnoſceretur. Adhuc vivens potiſſimum a naufragantibus invocabatur. Ad Deum migravit nonis Decembris, poſtquam Chlodeſuindam, Alboini Langobardorum regis ſponſam, de curanda mariti ſui converſione litteris commonuit, ac Juſtinianum auguſtum, ſub extremum imperii ſui tempus in errorem Incorruptibilium lapſum, redarguit. Sepultus eſt in baſilica ſancti Maximini, de cujus monaſterio nunc agendum.

XXVII.

S. Maximini monaſterium Trevirenſe.

c Greg. Tur. de vit. Patr. c. 17.

d id. de gl. conf. 93.

e ibid. c. 94.

f Aug. conf. lib. 8. c. 6.

g Greg. Tur. de gl. conf. c. 94.

Antiquiſſima eſt, & a primis chriſtianæ religionis apud Treviros ſæculis condita ſancti Johannis evangeliſtæ baſilica, cujus originem Conſtantino Magno tribuunt. Sancti Maximini appellationem accepit a tumulo ejuſdem pontificis, quem inſignis confeſſor Paulinus, ut verbis utar Lupi abbatis, in eccleſia beati Johannis evangeliſtæ magnificæ ſepulturæ tradidit. *Templum ſancti Maximini* vocat Gregorius [c] epiſcopus Turonenſis, qui perjuros ad ejus tumulum [d] divinitus caſtigatos fuiſſe dicit, idemque de ſancto Nicetio [e] commemorat. Quo primum tempore monachi baſilicam illam inſederint, non ſatis exploratum. Id ipſo Conſtantino auctore ad preces Helenæ auguſtæ factum aſſerit diploma Dagoberto regi adſcriptum, ac Johannem primum loco abbatem præfuiſſe. Fibicium item ſeu Vibicium, qui Maximiano ſucceſſit deſinente ſæculo quinto, ex abbate ſancti Maximini aſſumtum ferunt. Sane ante ſæculum quintum ſervos Dei ſeu monachos apud Treviros exſtitiſſe conſtat ex narratione Pontitiani apud [f] Auguſtinum, ubi *in quadam caſa* extra muros urbis habitaſſe memorantur quidam ſervi Dei, quibus duo Pontitiani ſocii, reperto iſtic codice, in quo ſcripta erat vita magni Antonii, eoque lecto, ſe ſe adjungi flagitarunt. Verum ad illuſtrandam hujus nobiliſſimi cœnobii antiquitatem nulla nobis idonea ſuppetunt argumenta, neque in actis ſancti Maximini per Lupum abbatem, neque in veteri hiſtoria Trevirenſi. Tantum Lupus meminit cujuſdam Goſberti, ipſius eccleſiæ cuſtodis, per quem cæcus quidam *ad ſepulcri penetralia intromiſſus eſt,* nempe, ut ex Gregorio [g] intelligitur, ad tertium oſtium, per quod ad cryptam, ubi

ſancti pontificis loculus erat, ingreſſus patebat. Addit Lupus donum Caroli Magni, qui *cœnobium ſancti Maximini* prædiis auxit, ob ſanitatem ad ejus tumulum recuperatam. Browerus [a] forte antiquiora viderat inſtrumenta, cum ait, Hildulfum epiſcopum, qui cum Clemente ſeu Willibrordo atque Goſberto epiſcopis ſancti Maximini corpus, teſtante Lupo, ex hac crypta in decentiorem locum octavo ſæculo tranſtulit, revocata veteri monachorum diſciplina, centum ibidem inſtituiſſe cœnobitas. Totidem numerat vulgarum diploma Dagobertinum. Ceterum Lupus abbas Ferrarienſis librum de vita ſancti Maximini edidit rogatu Waldonis monachi, quem amicum ſuum vocat. Is non alius videtur, quam venerabilis ille abbas Waldo. cui Lotharius [b] rex diploma conceſſit anno ſupra octingenteſimum ſexageſimo-octavo pro abbatia ſancti Maximini: de cujus inſtauratione ſæculo nono erit dicendi locus.

ANN. CHR. 566.

a *Annal. Trevir lib 7. n. 16.*

b *Zylleſius part 3 p. 14.*

XXVIII. S. Eucharii ſeu S. Mathiæ monaſterium.

Extra muros itidem Trevirenſes a primis temporibus exſtitit baſilica ſancti Eucharii ex primis Trevirorum apoſtolis, quam beatus Cyrillus, ejuſdem ſedis medio
» ſæculo quinto antiſtes, incenſam & deſertam reparavit, monaſteriumque non longe
» a priore loco conſtituit, & illuc corpora ſanctorum Eucharii, ſucceſſorumque ejus
» tranſtulit, juxta quos & ipſe requievit, prout legitur in veteri hiſtoria [c] Trevirenſi.
Exſtant apud Browerum [d] antiqui verſus id ipſum atteſtantes. Locum reſtituit ſæculo decimo Egbertus epiſcopus, alio nomine ſancti Mathiæ a reliquiis hujus beati Apoſtoli appellatum.

c *Spicil. to 12. p 209.*

d *Annal Trevir. l. 1. n. 82.*

XXIX. S. Martini item Trevirenſe.

Revertor ad Nicetium, cujus epitaphium ſcripſit Venantius Fortunatus. Magnericus, ejus diſcipulus ac ſucceſſor, præter varias eccleſias, unam in ipſa urbe conſtruxit in honorem ſancti Martini, in qua & ipſe, expleto vitæ ſuæ curſu, humatus eſt. Hanc monachis conceſſit, an reſtituit ſæculo decimo Theodericus archiepiſcopus. Nicetii etiam diſcipuli fuere Aredius abbas Atanenſis & Wlfilaïcus ſtylites, de quibus aptior erit infra dicendi occaſio.

XXX. Victoriani abbatis Aſanæ obitus.

Hunc annum non videtur exceſſiſſe Victorianus abbas Aſanenſis in Hiſpania primus, de quo ſuperius [e] actum, poſtquam cœnobium ſuum per annos ſexaginta rexiſſet. Hunc miraculis claruiſſe tradit Fortunatus in ejus epitaphio, confirmatque Rodericus Toletanus [f] antiſtes, qui Petri Aragonum regis de Mauris victoriam ſancto Victoriano acceptam refert. De ejus reliquiis duæ certant apud Hiſpanos eccleſiæ, quarum lites componere haud noſtri eſt inſtituti. Vide ſis hac de re obſervata in ejus elogio, edito in actis noſtris Benedictinis.

e *Supra lib. 3. n. 28.*

f *Roderic. Tolet. lib. 6. cap. 1.*

XXXI. Turonenſis concilii ſtatuta.

Sub finem hujus anni, id eſt quinto-decimo kalendas Decembris, anno ſexto Chariberti regis, celebratum eſt Turonenſe concilium ſecundum, in quo multa diſciplinæ regularis capitula ſancita ſunt a pontificibus trium Lugdunenſium provinciarum. Interdictum [g] epiſcopo, ne abbatem, abſque aliorum abbatum conſilio, e loco
» ſuo ejiciat. quod ſecundæ Carthaginenſis ſub Reparato ſynodi decreto conſenta-
» neum eſt. Nec liceat [h] monachis cellulas habere communes, ut in eis bini maneant;
» aut peculiares, ubi ſingulares reponi poſſint: ſed ſchola, id eſt commune conclave
» ſeu dormitorium, labore communi conſtruatur, ubi omnes jaceant, & lectiones
» fiant. Non ergo in clauſtro lectiones tum fiebant. Monachis item prohibetur [i] con-
» jugium ſub interminatione excommunicationis. Ad hæc [k], ne quævis mulier intra
» ſepta monaſterii introire permittatur: qua in re ſi abbates aut præpoſiti negligen-
» tes reperti fuerint, excommunicantur. Jejunia [l] a paſchate ad quinquageſimam ſeu
» pentecoſten nulla, præterquam in triduo rogationum. Poſt pentecoſten integra je-
» juniorum ſeptimana. Inde ad kalendas Auguſti ſingulis feriis ſecundis, quartis, &
» ſextis. Prandia toto Auguſto, id eſt nulla jejunia, *quia quotidie miſſæ*, ſeu feſta,
» *Sanctorum* erant. Quænam feſta illa fuerint, non ſatis apparet. Totis Septembri,
» Octobri & Novembri, terna, ut poſt pentecoſten, jejunia: quotidiana menſe De-
» cembri ad natale Domini. Ab hoc feſto ad epiphaniam triduanæ ad abolendas gen-
» tilium ſuperſtitiones litaniæ in kalendis Januarii, in quibus poſt pſalmorum cantus
» nonniſi hora octava miſſa celebrabatur. Ab epiphania denique ad quadrageſimam
» terna itidem, ut poſt pentecoſten, jejunia. Incertum eſt [m] an ordo pſallendi, qui in hoc concilio tam in baſilica ſancti Martini, quam in aliis eccleſiis aſſignatur, etiam ad monachos pertinuerit. qui ordo, uti & jejuniorum, omnino diverſus eſt ab eo, quem ſanctus Benedictus in regula ſua præſcribit.

g *can. 7.*

h *can. 14.*

i *can. 15.*

k *can. 16.*

l *can. 17.*

m *can. 18.*

XXXII. Ad patres in hac ſynodo congregatos ſcripſit Radegundis, ut ſuum eis commen-

ANN. CHR. 566

Radegundis patribus Concilii ſcribit.

dare monaſterium. Excidit ejus hac de re epiſtola : at Gregorius[a] patrum ad eam reſponſum refert, cujus hæc inſcriptio : *Dominæ beatiſſimæ, & in Chriſto eccleſiæ filiæ Radegundi*, *Euphronius* Turonenſis, *Prætextatus* Rotomagenſis, *Germanus* Pariſienſis, *Felix* Namnetenſis, *Domitianus* Andecavenſis, *Victorius* Redonenſis & *Domnolus* Cenomannenſis epiſcopi. In his litteris patres Radegundi gra-
tulantur, quod, declinante ſæculi vetuſtate, ejus fides revireſcit in flore, & quod «
veterno tepuerat algore ſenectæ, tandem ferventis animi rurſus ardore recaleſcat. «
quod exemplo beati Martini ſic audientium mentes & pectora cæleſti lumine af- «
ficiat, ut paſſim provocati puellarum animi, divini ignis ſcintilla ſuccenſi, raptim «
feſtinent ejus doctrinæ fonte inrigari, & relictis parentibus, hanc ſibi matrem eli- «
gant, faciente hoc gratia, non natura. Et quia quaſdam ex ſuis territoriis puel- «
las ad inſtitutionem ejus regulæ convolaſſe intellexerant patres, ſe ejus rogatu «
confirmare quod fecerant votum, nimirum perpetuæ reclusionis, ut omnes invio- »
labiliter cuſtodiant, quod libentiſſimo animo ſuſceperant : quoniam contami- »
nari ac violari non debet, quod ſemel Chriſto promiſſum cælo teſte fuerit. «
ideoque definire, ut quæcumque ex ſuis provinciis in Pictavenſi iſto monaſterio «
meruerit ſociari, ſecundum beatæ memoriæ domni Cæſarii Arelatenſis epiſcopi «
conſtituta, nulli ſit ulterius diſcedendi licentia. quod ſi qua ſecus fecerit, ſeparata «
a communione ſua, diri anathematis vulnere feriatur, &, ſi quis cum ea conjunc- «
tus fuerit, aut id faciendi conſilium ſuggeſſerit. «
Hæc epiſtola ſcripta fuit antequam Cæſarii regulam ſuſcepiſſent illæ ſanctimoniales. quod non niſi poſt tres annos factum eſt. Sed tamen ex hac regula patres perpetuæ reclusionis legem eis imponunt, ita ut excommunicatio in eas tantum caderet, quæ animo revertendi in ſæculum e clauſtro diſceſſiſſent. nam poſt hoc decretum Radegundis cum Agnete abbatiſſa profecta eſt Arelate, ut inde ſancti Cæſarii regulam acciperent, ac Sigiberti regis patrocinium obtinerent.

[a] Greg. Tur. lib. 9. c. 39.

ANN. CHR. 567.

XXXIII. Fortunatus Radegundi adhæret.

NOn multo poſt hoc concilium Venantius Fortunatus Italiæ Galliam prætulit, & cum amore ſancti Martini, cujus meritis ſanatus fuerat, Turonos acceſſiſſet, poſtmodum Radegundi atque Agneti abbatiſſæ ſe addixit. Is in Italia tranſpadana prope Tarviſum opidum, in loco qui Duplavenis ipſi Fortunato, Paulo diacono Duplabilis dicitur, natus, Ravennæ educatus, atque in litteris inſtitutus fuit. Contracto ex ſtudiis oculorum morbo, in baſilica ſanctorum Johannis & Pauli, quæ in ea urbe ſita eſt, ſanitatem conſequitur ex contactu olei, quod ad beati Martini oratorium ardebat. Hinc accepti beneficii memor, Sigiberto rege in Franciam acceſſit, Turonos adeundi cauſa ad tumulum ſancti Martini, ut tanto ſe patrono gratum præſtaret. Erant tunc novæ Sigiberti cum Brunichilde nuptiæ, quas ipſe epithalamio celebravit : cum vero Pictavos primum acceſſit, Galeſuinta, major Brunichildis ſoror, ex Hiſpania veniens illac tranſibat, Chilperico nuptura. quod anno Chilperici & Sigiberti ſexto contigit. Ab eo tempore Fortunatus[b] Radegundi adhæſit, ut ipſe fatetur his, aliiſque verſibus.

Martinum cupiens, voto Radegundis adhæſi,
Quam genuit cælo terra Toringa ſacro.

[b] Fortun. lib. 8. c. 1.

Quanta fuerit ejus cum Radegunde & Agnete abbatiſſa familiaritas, idem in carminibus ſuis paſſim teſtatur.

XXXIV. Radegundis pia monita.

Porro etſi regina humilis Agneti abbatiſſæ, quaſi omnium infima, ſubjecta eſſet; ſalutaria nihilo minus toti congregationi monita ſubinde dabat. Sic vero, teſte Baudonivia, congregationem ſanctarum puellarum diligebat, ut præ his nec parentes, nec conjugem reges ſe habuiſſe recordaretur. Hinc piæ illæ ad eas voces:
Vos elegi filias, vos mea lumina, vos mea vita, vos mea requies, totaque felici- «
tas, vos novella plantatio. agite mecum in hoc ſæculo, unde gaudeamus in futu- «
ro. Plena fide, plenoque cordis affectu ſerviamus Domino in timore, & in ſimpli- «
citate cordis quæramus eum, ut cum fiducia ei dicere poſſimus : Da, Domine, «
quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti. «
Ad hæc, pacem inter Francorum reges, qua monitis, qua precibus, procurare conabatur, ut eis regnantibus populi ſalubri tranquillitate fruerentur; puelliſque ſuo monaſterio incluſis aſſiduas indi-

cebat vigilias, ut ſine intermiſſione Deum pro regibus precarentur.

ANN. CHR. 567

XXXV. Charibertus rex obit.

a Greg. Tur. lib. 4. c. 26.
b id. de gl. conf. c. 19.
* Blaye.

Sub boc tempus Charibertus rex Pariſiorum Marcoveſam, religioſa veſte indutam, conjugio ſibi copulavit: cujus rei cauſa a Germano Pariſiorum epiſcopo excommunicatus uterque eſt. Sed, cum rex eam dimittere nollet, protinus illa judicio Dei exſtincta eſt. Nec multo poſt ipſe rex deceſſit, & quidem in urbe [b] Pariſiorum, ubi haud dubie ſepultus eſt, forte in baſilica ſancti Vincentii, juxta Childebertum patruum ſuum; non vero Blaviæ * in Aqnitania ſecunda, ut recentiores volunt, ſecuti ſcriptorem libri de geſtis Francorum, qui Charibertum, Dagoberti primi filium, in illa provincia mortuum, videtur confudiſſe.

Theodechildis retruſa in monaſterium Arelatenſe.

c Greg. Tur. lib. 4. c. 26.

Mortuo Chariberto Pariſiorum rege, Theodechildis opilionis filia, quæ in regium itidem thalamum adſcita fuerat, nuntios [c] ad Guntchramnum Aurelianorum regem direxit ad nuptias cum eo conciliandas. Rex id ſe facturum ſimulavit. accederet proinde cum theſauris, majori honore quam cum Chariberto ſublimanda. Hæc vero, tam læto nuntio accepto, mox ad regem profecta eſt cum gaza regia. Tum rex indignum putans, hos theſauros penes eam, quæ temere germani ſui thorum adierat, remanere; cum exigua portione eam ablegavit in monaſterium Arelatenſe, cui tum Liliola abbatiſſa præerat. At illa tantam vitæ ſeveritatem inique ferens, Gotthum quemdam ad ſe ducendam, atque in Hiſpanias perducendam, oſtentatis theſauris ſuis, ſollicitavit. Nec mora Gotthus acquievit. Verum cum illa diſceſſum cum proco ſuo pararet, deprehenſa eſt a monaſterii antiſtita, quæ eam graviter cæſam cuſtodiæ mancipari præcepit, in qua uſque ad exitum vitæ non ſine multo mærore perduravit.

ANN. CHR. 568.

XXXVI. Radegundis ex Oriente lignum ſanctæ crucis obtinet.

Poſtero anno, ubi Sigibertus, pace cum Chilperico fratre compoſita, civitates ab eo captas, nempe Turonos & Pictavos, recepiſſet, Maroveus Pictavenſis epiſcopus conſenſit, inſtante ad Radegundis preces Sigiberto, ut clerici in orientem, ad petendas a Juſtino imperatore reliquias, in primis vero lignum dominicæ crucis, mitterentur. Radegundis petitioni ac votis non ægre annuit imperator, lignumque ſanctæ crucis, cum evangeliis auro gemmiſque ornatis, eidem tranſmiſit. Hæc vero mox a Maroveo epiſcopo, cui hactenus in omnibus obſequens fuerat, flagitavit, ut hoc vivificum lignum ea, qua decebat, reverentia in monaſterium ſuum deponeret. Maroveus contra, tantæ reginæ petitionem parvi pendens, aſſcenſis equis in villam ſuburbanam ſe contulit.

ANN CHR. 569.

Re ad Sigibertum delata, Euphronius Turonum antiſtes juſſu regis id exſecutus eſt, deducta ſollemni pompa e Turonico virorum, quod olim pia regina condiderat, monaſterio, ubi ſacræ reliquiæ, dum reſponſum a Sigiberto rege exſpectabatur, interim reſederant. Feſtivam hanc pompam Fortunatus verſibus celebravit, qui plerique ad celebranda ſanctæ crucis præconia hactenus in eccleſia concinuntur.

XXXVII. S. Mammetis item reliquias.

S. Georgii brachium.

d Greg. Tur. lib. 1. de gl. mart. c. 6.

Paullo ante venerabilis, non jam regina, ſed monacha, reliquias ſancti Mammetis per Reovalem preſbyterum a Jeroſolymorum patriarcha poſtulaverat, impetraveratque ſancti martyris minorem digitum, qui patriarchæ poſt triduanum jejunium ac miſſas oranti veluti ſponte ceſſerat. Accepto ligno ſanctæ crucis Radegundis miſit, qui gratias imperatori debitas referret, eumdem Reovalem preſbyterum. is in mari graviſſima per quadraginta dies tempeſtate jactatus, beatæ reginæ invocato præſidio, imminens naufragii periculum evaſit. Forte in alterutro hoc itinere allatum ſancti Georgii brachium cum reliquiis beatorum Innocentium, conceſſumque beato Germano Pariſiorum epiſcopo, qui ſacra hæc pignora in baſilica ſanctæ Crucis ſanctique Vincentii apud Pariſios repoſuit. quæ ſane conjectura præferenda eſt fabuloſæ Germani in loca ſacra peregrinationi, qualem commentus eſt Aimoini interpolator. Sane ſimili fere ſorte Gregorius Turonum antiſtes pallam [d] holoſericam, in qua crux Domini involuta fuerat, Jeroſolymis accepit.

XXXVIII. S. Cæſarii regulam Arelati refert.

e Greg. Tur. lib. 9. c. 40.

Poſt hæc cum Radegundis in gratiam cum Maroveo epiſcopo redire fruſtra [e] rentaſſet, neceſſitate compulſa Arelate contendit cum Agnete abbatiſſa, atque inde ſancti Cæſarii regulam retulerunt, ſimulque Sigiberti regis tuitioni, quando ſibi epiſcopalem demereri non poterant, ſe ſe commiſerunt. In hoc itinere ſine

ANN. CHR. 569.

dubio Sigibertum, impetrandæ ejus tutelæ gratia, convenerunt; longeque ipſis conducibilius fuit ad ſtabiliendam monaſterii ſui diſciplinam propriis cernere oculis eam, quæ ad præſcriptum beati Cæſarii in Arelatenſi parthenone ſervabatur, quam rudem ac nudam ejus notitiam ex lectione haurire.

XXXIX. Nunctus Afer abbas floret in Luſitania.

a Paul. diac. Emerit. c. 3.

Per id tempus Nunctus abbas ex Africanis regionibus in Luſitaniam cum aliquot fratribus trajecit temporibus [a] Leovigildi Veſigotthorum regis. Baſilicam ſanctæ Eulaliæ apud Emeritam cum identidem frequentaret, adſpectum mulierum, non ſecus ac vipereum morſum, vitare ſtudebat; non ſexum aſpernatus, ſed metuens tentationis periculum. Hujus rei cauſa, quocumque pergeret, duobus ſemper ibat comitatus monachis, quorum unus ſe præcedebat, alter ſubſequebatur. Quin etiam cum ad nocturnas vigilias in eamdem baſilicam conveniret, ſecretum a Redemto diacono, baſilicæ præpoſito, locum obtinuerat, ne qua mulier in eum oculos conjiceret. Pervicit tamen Euſebia quædam, nobiliſſima & piiſſima vidua, ut eum, in cellam ſuam poſt vigilias revertentem, accenſo de induſtria magno cereorum lumine, eminus proſpiceret. quod ille ubi obſervaſſet, Redemti fraudem conqueſtus eſt, graviterque tulit. Inde in ſolitarium locum paucis cum fratribus ſecedens, viliſſimis ibidem tuguriis constructis, tanta religione claruit, ut ejus fama ad regis aures recurrente, Leovigildus, tametſi Arianus, ejus ſe precibus commendaverit, eidemque prædia quædam ex regio fiſco, conſcripto regio diplomate, tradiderit ad comparanda ſibi ſuiſque fratribus alimenta & indumenta. quam donationem reſpuit primum vir ſanctus, ſed tandem eo, qui a rege directus fuerat, flagitante, nonniſi ægre admiſit. Poſt paucos inde dies, cum loci illius incolæ viliſſimo, ut ſibi videbatur, ac ſordido habitu deformi domino ſubjici non ſuſtinerent, hunc ſolum repertum fractis cervicibus crudeliter necarunt. Comprehenſos deinde homicidas Leovigildus inultos abire ſivit, certus, ſi is vere Dei ſervus eſſet, ejus interfectores divinæ juſtitiæ pœnas cito daturos. id quod brevi effectu comprobatum, dæmonibus in reos ſævientibus, quouſque crudeli morte confecti eſſent.

XL. Donatus abbas item Afer in Hiſpania.

b Supra lib. 3. n 26.

c Hildef. de ſcrip. c. 4.

Eodem fere tempore, eademque forte occaſione Donatus abbas, Servitani in Hiſpania monaſterii auctor, ex Africa item iſtuc appulſus eſt cum monachis fere ſeptuaginta, ob metum ſcilicet barbararum gentium, a quibus Africæ excidium, adeoque ovilis ſui cladem imminere prævidebat, uti fuſius ſupra [b] expoſuimus ex Hildefonſo & Johanne Biclarenſi, qui eum hoc tempore floruiſſe commemorant. Forte hæc barbararum in Africam gentium impreſſio non alia fuerit, quam Maurorum, a quibus Theodorus præfectus Africæ, Theoctiſtus magiſter militiæ Africanæ, itidemque Amabilis ejus ſucceſſor, ſinguli tribus annis conſequentibus « tertio, quarto, & quinto Juſtini imperatoris, interfecti perhibentur in chronico « Johannis Biclarenſis. In annum ſequentem incidit Juſtini quintus: quo anno Donatum in Hiſpania claruiſſe idem auctor ſcribit. An diu poſt hunc annum ſupervixerit, nobis incompertum. Hunc ſignis quibuſdam effulſiſſe, & monumentum ejus ab incolis regionis honoratum tradit Hildefonſus [c], cui ſoli accuratiorem ejus notitiam acceptam referre debemus, nulla ejus ſcriptione commemorata. " Et quidem nullum opus ab eo editum fuiſſe colligere licet ex Iſidoro, qui nullam " ejus mentionem facit, tametſi Eutropium ejus diſcipulum, & in monaſterii Servitani regimine ſucceſſorem laudat. Non eadem ratio de Hildefonſo, qui viros non tantum ſcriptis, ſed etiam virtute claros ſibi laudandos propoſuit: quos inter locum habet Auraſius Toletanus antiſtes, tametſi plus illi ſtudii fuit in defenſione veritatis, quam in ſcribendi exercitio. Sola itaque pietas apud Hildefonſum locum Donato commeruit, cui Miræus perperam tribuit regulam Donati epiſcopi Veſontionenſis ad virgines Juſſanenſes.

XLI. Langobardi Italiam invadunt.

Dum in Africa res imperii in deterius labuntur, recepta non ita pridem ex Gotthis Italia novam Langobardorum dominationem ſubiit Alboino duce. Is, contractis ex popularium ſuorum atque Hunnorum copiis, ex Pannonia in Italiam irruit tanto impetu, ut omnia Venetiæ opida facile redegerit in ſuam ditionem. Liguria haud magno etiam negotio ſubacta. Mediolano, quod erat provinciæ caput, in poteſtatem adducto, Langobardi continuo Alboinum ipſum Italiæ regem lætis acclamationibus ſalutarunt, eique haſtam, inſigne regium, porrexerunt. Atque hic annus regni Langobardorum in Italia principium fuit, & inſti-

AN. CHR. 559.

nitarum cladium origo, a quibus non loca, non urbes, ſed nec ſacræ etiam res & perſonæ immunes fuerunt, non templa, non clerici, non monachi. Langobardi quippe, pars hæreſi Ariana, pars etiam gentilium erroribus infecti, natura præter alios inculti atque aſperi, & militari præter ea conſuetudine efferati, trucem ipſo etiam nomine & habitu ſpeciem præ ſe ferebant, capite a cervice ad occipitium uſque raſo, demiſſis a fronte uſque ad os capillis, ab utraque parte in frontis diſcrimine diviſis: ita ut nulla fere in eis, ne in vultu quidem, humanitatis apparerent indicia. Ex his quanta rei monaſticæ clades acciderit, ſequens narratio ſatis ſuperque declarabit. Qui Langobardos ad hanc ſtragem adduxit Alboinus, Ariana hæreſi imbutus erat, uxorem habens Chlodeſuindam, Chlotharii Francorum regis filiam, quam litteris ſuis Nicetius epiſcopus Trevirenſis magnopere hortatus eſt, ut conjugi ſuo catholicam fidem perſuadere conaretur, eam per tremendum judicii diem obteſtans, ut hanc epiſtolam, in qua Arianorum errores impugnabantur, illi frequenter exponeret. At quam parum hæc profecerit, Alboini infauſtus interitus docet.

ANN. CHR. 570.
XLII.
Simplicius abbas Caſinenſis obit.

HUic Langobardorum tempeſtati magno divinæ providentiæ beneficio ſubductus eſt Simplicius abbas Caſinenſis tertius, vitamqne caducam meliori commutavit, una cum Conſtantino præceſſore ſuo ad pedes ſanctiſſimi patris Benedicti compoſitus. Horum corpora primum a Deſiderio, una cum ſacris cineribus Carolomanni principis ac monachi, ſæculo undecimo inventa; deinde a Johanne cardinale de Aragonia, cui ſacri Caſinenſis monaſterii cura demandata fuerat, ſub finem ſæculi quinti-decimi; poſtremo a Simplicio Caffarello abbate tertium detecta, magnam ſui reverentiam in monachorum animis ingenerarunt. Simplicium Vitalis ex eadem familia excepit, Paulo diacono atteſtante, apud quem nudum Simplicii nomen, uti & Boniti ejus ſucceſſoris, ſub quo Caſinenſis monaſterii deſtructio, prout a beato patre prædicta fuerat, per Langobardos facta eſt.

Vitalis & Bonitus ſucceſſores.

ANN. CHR. 571.
XLIII.
S. Vincentii apud Cenomannos cœnobii primordia.

IN rebus Italicis & Hiſpanicis breviores, quam in Gallicanis, eſſe cogimur ob defectum veterum monumentorum, quorum copia apud noſtrates major nos ſæpius invitat ad Gallicas res pertractandas. Huc nos in præſens denuo revocat Domnoli Cenomannenſis antiſtitis pietas, quem inſignis ſancti Vincentii apud Cenomannos abbatia conditorem ſuum munificentiſſimum agnoſcit. Ea res Odonem abbatem Glannafolienſem forte movit, ut eidem ſancti Mauri ex Italia in Galliam miſſionem tribueret, quæ Innocentio ejus deceſſori tribuenda erat, uti ſuperius [a] obſervavimus. Domnolus tempore Chlotharii ſenioris apud Pariſios in baſilica ſancti Laurentii gregi monaſterii præfuerat. Gregorius [b] Turonenſis antiſtes auctor.

a *Sup. lib. 4. n. 45. & ſequent.*
b *Greg Tur. lib. 6. c. 9.*

XLIV.
Gregorii contextus de Domnolo epiſcopo aſſertus.

Totum boc caput, ubi de Domnolo agitur, interpolatum cauſatur præter alia multa Carolus Cointius, tum quia in veterrimo codice Corbeienſi, uncialibus litteris ſcripto, & in Mettenſi deſideratur: tum quia in libro de geſtis Domnoli nulla mentio abbatialis ejus dignitatis. Hunc vero de Domnolo Gregorii locum integrum præſtare non dubitavit noſter Michaël Germanus in libro de palatiis regum Francorum, atque idipſum ſuperius jam tentavimus. Sed abſtinere hoc loco non poſſum, quin rationem ex codice Corbeienſi, quem nunc præ manibus habeo ex bibliotheca Joliana, in contrarium petitam nunc paucis convellam. Non integrum, ſed mutilum multis in locis hoc exemplar eſſe tria in primis loca inſigniora probant. Primus locus eſt in libro primo, ubi capiti triceſimo, in quo de Valeriani & Gallieni perſecutione agitur, continuo ſubjungitur narratio de ſancto Martino ab his verbis, *Tunc jam & lumen noſtrum exoritur*, &c. quod quidem falſum eſt, ſi media cum exemplari Corbeienſi reſeces, ubi proxime ante hæc verba de Conſtante & ſancto Hilario agitur, cum quibus apprime quadrant ſuperiora verba, *Tunc jam & lumen noſtrum exoritur.* quod in exemplari Corbeienſi caput triceſimum eſt, in editis triceſimum ſextum. Secundus locus eſt in libri ſecundi capite tertio, in quo mentio eſt de Eugenio epiſcopo Carthaginenſi, cujus epiſtola catholica refertur in editis, omittitur in codice Corbeienſi, tametſi hæc verba in eo leguntur, *epiſtolam civibus pro cuſtodienda fide catholica hoc modo tranſmiſit.* quod ſane manifeſtam arguit lacunam. Tertius denique locus eſt in

libro ſexto, ubi caput triceſimum-quartum, in quo de morte filii Chilperici agitur, in prædicto codice deeſt, manifeſto depravationis indicio, uti ſequentis capitis initialia verba probant, *Dum autem hæc agerentur, nuntiatur regina puerum qui mortuus fuerat*, &c. Ex his tribus locis, ut alia taceam, manifeſte conficitur, ad probandam Gregorianæ hiſtoriæ interpolationem non ſufficere unum aut alterum veteres ejuſmodi codices, in quibus multa certa & neceſſaria ſubinde reſecta ſunt pro arbitrio antiquariorum, qui libros ſcribebant : ſed hanc interpolationem ex omnibus, aut certe ex pleriſque ejuſmodi codicibus probandam eſſe. Ceterum, ut ad propoſitum me referam, locus iſte de Domnolo habetur in veteri codice Caſinenſi. Verum hæc fruſtra in præſens perſequor poſt novam Gregorii Turonenſis operum editionem, a noſtro Ruinarto adornatam, in qua hæc aliaque accurate pertractata ſunt.

ANN. CHR. 571.

XLV. Domnolus cœnobii dedicationem curat

Domnolus rei monaſticæ, quo flagrabat, deſiderio, tum amore ſancti Laurentii, cujus baſilicæ apud Pariſios præfuerat, monaſterium juxta urbem Cenomannorum conſtituit in honorem ſancti Vincentii & ſancti Laurentii, atque ad ejus dedicationem eccleſiæ beatum Germanum [a] Pariſiorum epiſcopum, ſuum in primis amicum, invitavit, collocato in ea capite ſancti Vincentii, una cum magna parte craticulæ, ſuper quam ſanctus Laurentius aſſatus eſt. Hæc dedicatio kalendis Novembris facta, anno, ut quidem videtur, ſæculi ſexti ſeptuageſimo-primo. quod ejuſdem Domnoli probant litteræ, pridie nonas Martias anni ſequentis, nempe anno undecimo Chilperici regis, datæ, quibus Germanus ipſe cum aliis [b] ſubſcribit. Exſtant hæ litteræ in actis epiſcoporum Cenomannenſium, tomo tertio veterum Analectorum. Leuſus, ejus loci abbas, ut quidem videtur, primus, laudatur in aliis Domnoli litteris, quibus villam Canonem eidem monaſterio tribuit, Chilperici regis anno viceſimo, ſubſcribente inter alios Audoveo epiſcopo Andecavenſi, quem ad ſancti Victoris epiſcopi ſollemnitatem invitaverat ; itidemque in teſtamento [c] Berthichramni epiſcopi, dicentis, ſe brogilum a fratre ſuo Leuſio abbate, datis quadragiota ſolidis, redemiſſe, & res quaſdam cum eo commutaſſe. In his litteris beatus antiſtes petit, ut poſt obitum ſuum abbas, qui in hoc loco fuerit ordinatus, commemorationem ſuam, id eſt anniverſarium diem, annis ſingulis celebrari procuret. Ad hæc multi nobiles, cum Domnoli tempore, tum poſt eum, ſuas poſſeſſiones eidem eccleſiæ contuliſſe perhibentur. In his omittenda non eſt charta venditionis, a Bethta Deo ſacrata factæ baſilicæ ſancti Vincentii, de quibuſdam locellis apud Soliacum, Bariacum & Briſcinum : quorum legitimam poſſeſſionem, exhibito venditionis inſtrumento, evindicavit *venerabilis frater Patuinus præpoſitus de ipſo monaſterio. Actum Soliaco in anno undecimo regni Domni Theodorici glorioſi regis, quod fecit præſens menſis Octobris dies duodecim.* forte legendum *Chilperici regis*. Huic inſtrumento in appendice referendo ſubſcribunt inter alios Derriceus & Beoraldus abbates.

a *Analect.* to. 3. p 97.

ANN. CHR. 572.

b *ibid.* p. 101.

c *ibid* p. 111.

XLVI. S. Paduini monaſterium.

Non hic ſtetit Domnoli pietas, ſed aliud etiam monaſterium beatæ Mariæ cum xenodochio ultra fluvium Sartæ ædificavit, ubi monachos ſub Paduino abbate quatuordecim inſtituit, *ſub regula degentes*, ut & ipſi pauperes recrearent, & hoſpites omnes condigne ſuſciperent, & ipſi ſancte & regulariter viverent. Ita in actis epiſcoporum : at in vita ipſius Domnoli monachi viginti-quatuor in eo monaſterio conſtituti dicuntur ſub Paduino abbate, qui antea præpoſitus fuerat prædicti ſancti Vincentii monaſterii, ut mox vidimus ex charta venditionis factæ a Bethta Deo ſacrata. Ejus exemplo multi, tam nobiles, quam ignobiles, ſæculo & pompis ejus abrenuntiantes, regulari vitæ ſe ſubmiſerunt, adeo ut amplius quam viginti-quatuor cellæ, id eſt monaſteria, in pago Cenomannico ſint ædificatæ, viriſque ſanctis & religioſis repletæ, quos Paduinus, ſiquidem ejus actis credimus, cæleſtibus informabat documentis.

XLVII. Alia apud Cenomannos.

Idem etiam Domnolus antiquum ſancti Victurii monaſterium prope fluvium Sartæ, in quo ſancti Juliani, primi jam dictæ urbis epiſcopi, corpus requieſcebat, & cenſuum, & monachorum numero auxit, quos ad quinquaginta ibidem aggregavit. Denique ejus tempore quædam cellula, ſeu monaſteriolum, cum ſua eccleſia ſub ſancti Martini titulo intra urbem conſtruitur ab Eulalin preſbytero & Baudomalla Deo ſacrata, ab eiſque dotatur : qua de re præceptum exſtat Theodeberti Francorum regis in actis jam laudatis epiſcoporum Cenomannenſium. Ex

ANN. CHR. 572.

his omnibus monaſteriis unum ſupereſt ſancti Vincentii monaſterium illuſtre, de quo ſubinde recurret dicendi occaſio.

XLVIII. Aredii abbatia facta & teſtamentum.

Hoc eodem anno Aredius, nobiles inter Lemovices nobiliſſimus, cum Pelagia matre ſua teſtamentum condidit in gratiam baſilicæ ſancti Martini apud Turonos, cui Atanenſe monaſterium, paullo ante ab ſe conditum, in primis commendavit anno undecimo regis Sigiberti. Aredius patrem nomine Jocundum habuit, educatus in aula Theodeberti regis; vitamque ſanctius inſtituit monitis Nicetii epiſcopi Trevirenſis, cui omnia ſuæ adoleſcentiæ delicta confeſſus eſt; ejuſdemque geſta Gregorio Turonenſi epiſcopo expoſuit. Rinoſcindum Aredii fratrem laudat idem Gregorius in libro ſecundo de miraculis ſancti Martini, capite triceſimo-nono, ubi mendoſe *pater* ejus in editis antehac appellabatur. Sebaſtianus, abbas Voſidenſis* ſeu Voſienſis, Aredii præceptor fuerat: quo mortuo idem monaſterium vir ſanctus inſtauravit, innumeriſque beneficiis ditavit. Mortuo patre, ex aula Theodeberti regreſſus Aredius, in antrum ſeceſſit, teſte anonymo in libro de ejus vita nuperedito: ſed hortante Pelagia matre, quæ poſt conjugis mortem, mutato ſæculi habitu, ſanctimonialis veſtes induerat, cœnobium Atanenſe conſtruere cœpit, ſitum in finibus pagi Lemovicenſis verſus Petrocorios, nunc ab auctore, ſancti Aredii * appellatum. Iſtic ex familia propria, ut Gregorii [a] verba referam, tonſuratos inſtituit monachos, cœnobiumque fundavit, in quo non modo Caſſiani, verum etiam Baſilii & reliquorum abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ. an etiam ſancti Benedicti? Certe in libro de ejus vita, qui Gregorio Turonenſi epiſcopo in pervetuſto codice ſancti Galli tribuitur, & eſt ſaltem Atanenſis monachi ſubæqualis, quædam phraſes [b] ex ſancti Benedicti regula proferuntur, uti etiam ex Gregorii Magni libro ſecundo, qui totus de ſancto Benedicto eſt. Jam erectum erat Atanenſe monaſterium, cum Aredius teſtamentum ſuum condidit, anno, ut mox dicebam, undecimo Sigiberti, qui Arvernis & Lemovicibus dominabatur. Hoc teſtamento, vivente ac comprobante Pelagia matre, res ſuas omnes contulit cœnobio Atanenſi, quod Turonicæ ſancti Martini baſilicæ, ejuſque præpoſito ſubjectum voluit. Aliud teſtamentum morti jam proximus condidit Childeberti Auſtraſiorum regis anno ſexto-decimo, Chriſti nonageſimo-primo, ut priori teſtamento robur adderet. Poſterioris tantum mentionem Gregorius facit. In priori, quod a nobis [c] editum eſt, heredem conſtituit ſancti Martini baſilicam Turonenſem, ita ut per ejus præpoſitum omnia ordinarentur, præcipue Atanenſe monaſterium, cujus abbatem abſque ejus procuratione ordinari vetat. Idem ſtatuit de cella Exidolienſi, in honorem ſancti Medardi dedicata, quam Atanenſibus monachis ſubjecit. Sub finem adjurat præpoſitum ſancti Martini & monachos Atanenſes PER CORPUS ET SANGUINEM DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI, & merita omnium ſanctorum, ut in oratorio ſancti Hilarii, in cella, inquit, mea, quinta feria omni tempore matutinarius matutina & miſſa ſanctorum domnorum, id eſt Hilarii & Martini, a monachis ibidem revocetur. Sic apud Hieronymum in dialogo adverſus Luciferianos, *conteſtantes corpus Dei*. Sic Auguſtinus in epiſtola quadrageſima-quarta, *hortor & obteſtor per Domini ſanguinem*. Sic in libro tertio Victoris Vitenſis duo germani fratres jurant *ſuper corpus & ſanguinem Domini*, ſe pro Chriſto unanimiter acerba quæque tormenta perpeſſuros. Sic denique ante hos omnes Novatianus ſchiſmaticus ſuos aſſeclas jurare cogebat *ſuper corpus & ſanguinem Chriſti*, quod numquam ad Cornelii pontificis partes tranſirent.

* Vigeois.

* S. Trier de la Perche.

a Greg. Tur. lib. 10. c. 19.

b Analect. to. 4. p. 196.

c Analect. to. 2. p. 48. & ſeq. & in append. Greg. Tur.

XLIX. Vulfilaicus ſtylites.

Inter Aredii diſcipulos cenſendus eſt Wlfilaicus diaconus, genere Langobardus, & ipſe ſancti Martini ab infantia cultor præcipuus, qui cum Aredio in Atanenſi monaſterio aliquamdiu converſatus fuerat. Inde profectus ad diœceſim Trevirenſem, octo paſſuum millibus ab Epoſio * caſtro monachos collocavit, conſtructa inſigni baſilica in honorem beati Martini. Ipſe vero columnam erexit, ſuper quam ſtabat ab aliorum cœtu ſejunctus, & excalceatus. Parum panis & oleris in cibum, modicum aquæ in potum ſumebat. Confluentes ad proximum Dianæ ſimulacrum populos a profano cultu avertit, ſtatua ſuis precibus dejecta, moxque in pulverem comminuta. Epiſcopis hoc vitæ genus improbantibus, e columna deſcendere acquievit ad capiendum cum ſodalibus cibum, & cum eiſdem converſandum. Everſa demum juſſu cujuſdam epiſcopi columna, reliquum vitæ

* Ivois.

cum

ANN. CHR. 572.

cum fratribus in monaſterio exegit. Gregorium Turonenſem epiſcopum, qui hæc aliaque [a] ex ejus ore acceperat, ex Childeberti regis aula redeuntem excepit.

a Greg Tur. lib 8. cap. 15. & 16.

L. Leobardus recluſus in Majori-monaſterio

Conſimili in beatum Martinum pietate flagrabat Leobardus Arvernus, qui parentum juſſu ſponſalia contrahere coactus, dato ſponſæ anulo, (hic ſponſalium [b] ritus erat) porrigit oſculum, præbet calceamentum, celebrat ſponſalium diem feſtum. Non multo poſt, mortuis parentibus, ſtatuit relicto ſæculo ſeſe divino cultui mancipare, hæc apud ſemetipſum recogitans : Quid agis anima? quid in ambiguo « ſuſpenſa teneris? Vanum eſt enim ſæculum, vana ſunt ejus deſideria, vana gloria « mundi ; & quæque in eo continentur, omnia vanitas. Melius itaque eo relicto ſequi « Dominum, quam ejus operibus conſenſum præbere. His dictis tumulum ſancti Martini adire conſtituit : ſed cum circa ejus baſilicam paucis diebus ſubſtitiſſet, ad cellulam Majori-monaſterio proximam, ex qua Alaricus quidam receſſerat, devotus acceſſit, ibique ſuper membranis a ſe aptatis ſcripturas ſanctas, ut eas legendo memoriæ commendaret, ſedulus exaravit. In hac cellula, quam tantiſper e cavata rupe amplificaverat, jejuniis, oratione, lectione maxime delectabatur, & cum a divinis officiis & oratione ceſſaret, ſcribebat interdum, ut noxias a ſe cogitationes excuteret. Cum vero de mutanda cellula cogitaret, id improbavit Gregorius, qui hæc narrat, aſſerens ex dæmonis ſuggeſtione hoc conſilium proficiſci ; eidemque tranſmiſit libros de vitis Patrum & inſtitutionibus monachorum, ut ex eorum lectione diſceret, quales recluſi monachi eſſe debeant, & quanta cum cautela vivere. Erat ei ſollicitudo præcipua Deum precari pro regibus, populis & eccleſiaſticis viris. Vixit in ea cellula per annos viginti-duos, ſub Euſtathio abbate. Morte imminente Gregorium ad ſe venire rogavit, ab eoque *eulogias flagitavit*. quas ubi ſumſiſſet, hauſto mero ait, ſe brevi ex corporeis vinculis, nempe ante diem feſtum paſchæ, liberandum. quod quidem contigit dominica die menſis duodecimi ſeu Februarii, cum id menſe Decembri prædixiſſet. Mortui corpus reliqui fratres ablutum, ac condignis indutum veſtimentis, in ſepulcro, quod ſibi ipſe in ſua cella ſculpſerat, condiderunt.

b id. de vit. Patr. c. 20.

LI. Urſus & Leubatius abbates.

c Greg Tur. de vit. Patr. c. 18.

Paullo extra lineas hic commemorandi ex loci occaſione Urſus & Leubatius abbates, Chlodovei Magni ejuſque filiorum æquales, quorum elogium texuit Gregorius [c] epiſcopus Turonenſis. Urſus ex urbe Cadurcina in Bituricenſem pagum acceſſit, ibique monaſteria in vicis Tauriſiaco, Onia, atque Pontiviaco ædificavit. His cum præpoſitos impoſuiſſet, Turonicum ingreſſus eſt pagum, & in loco Senaparia dicto cœnobium conſtruxit, eique Leubatium præfecit. Poſtremo aliud inſtituit apud Loccias *, ſuper fluvium Angerem * ſitum, cui jam Gregorii ævo caſtrum cognomine ſupereminebat. Iſtic conſiſtere decrevit cum monachis ſuis, qui propriis manibus victum a terra in ſudore vultus ſui exigebant. Quin etiam molam verſabant ad triticum, panis conficiendi gratia, comminuendum. qui labor cum ei gravior videretur, molendinum in ipſo Angeris alveo fabricavit ad relevandum hunc laborem. Inſolitam vero fabricam cum Gotthus quidam, Alarici regis quondam familiaris, Sichlarius nomine, monaſterio inviderer, nec cujuſvis pretii repenſatione ab Urſo poſſet extorquere ; rem vi aggreſſus eſt, ſimilem infra conſtruendo, quæ retinendis aquis ſuperioris motum impediret. At viri Dei fratrumque ejus preces hanc fabricam diſſiparunt. Urſo mortuo, qui in ejus monaſteriis præpoſiti erant, abbatum nomen & officium, epiſcopis concedentibus, ſuſceperunt, uti & Leubatius, qui apud Senapariam in magna ſanctitate ac ſenectute vitam exegit. Hoc monaſterium modo incognitum eſt. Loccenſe autem redactum eſt in prioratum, Bellilocenſi prope Loccas abbatiæ ſubjectum, de qua ſuo loco. De aliis pagi Bituricenſis monaſteriis ab Urſo conditis nulla ſupereſt memoria.

* Loches.
* l'Indre.

LII. Sanctus Euſitius Cellæ patronus.

* Cella.

Exſtat in eodem pago Cella * ſancti Euſitii ad Carum amnem, Urſi & Leubatii æqualis. Is apud Petrocorios ortus, a parentibus ob rei familiaris inopiam vernum datus eſt abbati loci, cui Patriciacus vocabulum erat. Poſt viliora monaſterii miniſteria ad ſacerdotii apicem evectus, ex abbatis fratrumque permiſſu receſſit in Bituricenſis pagi abditiſſimum locum, nemoribus conſitum, Priſciniacum antiquo vocabulo dictum : ubi humili caſa & oratorio exſtructis, pane hordeaceo, modicisque oleribus famem, & aqua profluente ſitim ſedabat. Ad hunc ſenem [d] Childebertus in Hiſpaniam movens cum veniſſet, aureos ei quinquaginta obtulit. at ille : Ad quid mihi, inquit, iſta? hæc in pauperum uſus largire. nam mihi haud ne-

d Greg. Tur. de gl. conf. c. 82.

ANN. CHR. 572.

ceſſaria ſunt. His dictis, regi victoriam prædixit. qui reverſus votivam ibidem ædificavit baſilicam, in qua Euſitius poſt obitum ſepultura donatus eſt. Nunc locus Cellæ vocabulum retinet, pertinetque ad patres Fulienſes.

LIII. Martini Dumienſis libri duo.

Ut ad ordinem revertar, hoc anno duo in Hiſpaniis celebrata ſunt concilia, nempe Bracarenſe tertium, cui Martinus ejus ſedis antiſtes præfuit, & Lucenſe ſecundum. Hic annus erat ſecundus Mironis Suevorum regis catholici, cui tum Martinus librum, hoc titulo, ***Formula vitæ honeſtæ***, nuncupavit. Liber exſtat in Bibliotheca Patrum: at præfatio in Spicilegii tomo decimo. Ad ſynodum Lucenſem miſſa eſt orientalium canonum collectio, quæ ab eodem Martino emendata ad codices græcos, & latinis nonnullis aucta eſt, diſtincta in duas partes, quarum una canones ad epiſcopum & clerum, altera ad laïcos pertinentes complectitur, ut idem auctor præfatur in epiſtola, Nitigeſio epiſcopo & univerſo concilio Lucenſi inſcripta.

ANN. CHR 573.

LIV. S. Baſoli acceſſus Remos.

* *de la Route.*

a *Frodoard. lib. 2. c. 1.*

* *Verzy.*

AD ſequentem prope annum revocamus ſancti Baſoli adventum in cœnobium Viriſiacenſe, quod ad radices montis Remorum infra nemus Rigetii * ſitum erat. Hujus monaſterii primordia Suavegottæ, Theoderici Auſtraſiorum regis conjugi ſecundæ, & Theudechildi eorum filiæ tribuit Albericus in chronico; idque inde colligitur, quod Suavegotta [a] tertiam partem villæ Viriſiaci * eccleſiæ Remenſi teſtamento legaſſe reperitur, Theudechildæ ejus filiæ poſtea per precariam uſu-fructuario conceſſæ. quod argumento eſt, totam villam ad eas pertinuiſſe: cujus antea duas partes monaſterio conſtruendo forſan impenderant. Monachis iſtic duodenis præerat Diomerus abbas, cum Baſolus eo acceſſit ex Aquitaniæ partibus, nempe ex territorio Lemovicino, ubi nobili genere ortus fuerat. Hanc peregrinationem beati Remigii amore aggreſſus eſt, ſimulque patriæ relinquendæ ac deliteſcendi deſiderio. quod cum Ægidius, Remorum tunc antiſtes, cui jam antea notus erat, intellexiſſet, prædictum ei monaſterium ad habitandum conceſſit. Ibidem miros brevi cum in virtute, tum in ſacris litteris progreſſus fecit ſub Comarco præceptore. Nulla ei propenſior cura, quam aut in lectione, aut in ſermone de Deo, aut in oratione loqui cum Deo. Caducis ſæculi rebus penitus deſpectis, ad æterna ſemper anhelabat. In jejuniis aſſiduus, modicam menſæ communis annonam cum egenis communicabat. Sic in vita cœnobitica probatus, ſolitariam expetit vitam, & in montis proximi faſtigio, ubi nunc ejus monaſterium cernitur, cellulam cum oratorio conſtruit, in qua per annos quadraginta ſeorſim vixit. Fontis vena ſalubris ipſo orante ex ſilice producta, hactenus in crypta beatæ Mariæ ſcaturire non ceſſat.

Sindulfus eremita.

* *Auſonce.*

Sub idem tempus Sindulfus, & ipſe Aquitanus, in proximo Remorum vico Alſontia * ſolitatiam vitam agebat, ſolo pane & aqua contentus.

ANN. CHR. 574.

LV. Agaunum direptum.

Hoſpitius reclusus Niciæ.

* *Nice.*

b *Greg. Tur. lib. 6. c. 6.*

POſtero anno Langobardi, facta in Gallias irruptione, Agaunenſi monaſterio multam ſtragem intulerunt: ſed in proximo loco a Guntchramni ducibus omnino cæſi ſunt, vix quadraginta relictis. Erat tum prope urbem Nicenſem * monaſterium, in quo privata cellula recluſus degebat Hoſpitius, [b] ferreis ad cutem catenis, ſuperinduto cilicio, conſtrictus, nihil aliud ad eſum, quam purum panem cum paucis dactylis comedens; diebus autem quadrageſimæ radices herbarum ægyptiarum a negotiatoribus allatas, quibus eremitæ illis in locis utebantur. Hic, revelante Spiritu-ſancto, Langobardorum in Gallias adventum prænuntiavit, monachiſque, uti & vicinis ruſticis auctor fuit, ut ſaluti ſuæ fuga conſulentes, ſe ſuaque omnia intra muros urbis recluderent. Cum vero ipſe e cella egredi noluiſſet, eo veniunt Langobardi, & nullo invento in cellam aditu, duo ex ipſis conſcenſo tecto, ubi hominem catenis cilicioque onuſtum viderunt, hunc facinoroſum & homicidii reum eſſe, quod ille interrogatus non negavit, minime dubitarunt. Mox unus ex illis, in ejus caput gladium vibravit: at ei dextera in ipſo ictu ſuſpenſa diriguit. Tunc ejus ſocii pro ſancto habuere, quem facinoroſum reputaverant, & ab eo veniam errati poſtularunt. Nec mora ſigno crucis temerarius ille miles dexteræ uſum recepit, & facti pænitens, in eodem loco monachi diſtrictiſſimi vitam exegit. Aliis a dæmone arreptis itidem beneficium impenſum. Cum autem vir Dei obitum ſuum jam imminere præſentiret, vocato ad ſe monaſterii præpoſito, cellæ ſuæ

parietem aperiri juſſit, & loci epiſcopum, cui Auſtadio nomen erat, ad ſe ſepeliendum accerſiri rogavit. In ipſo mortis articulo, depoſitis, quibus vinctus erat, catenis, diutiſſime profuſis lacrymis oravit: tum ſe ſe ſuper ſcamnum collocans, extenſis pedibus, manibus in cælum erectis, gratias agens Deo, efflavit animam.

ANN. CHR. 574.

LVI. Liliolæ Ruſticula ſuccedit.

Per idem tempus, mortua Liliola parthenonis Arelatenſis abbatiſſa, ſanctæ iſti congregationi viſum eſt, ut Ruſticulam, quantumvis adoleſcentem, nam octodecim tantum annorum erat, ei ſufficerent. Hæc vero, ætatis & vitiorum ſuorum cauſas obtendens, reluctabatur, ſeque prorſus tanto imparem oneri, honoreque indignam dictitabat. Prævaluit nihilo minus ancillarum Dei fervens devotio, nec Ruſticula valuit a teneris adhuc humeris tantum onus amovere. Hæc vero, quaſi nihil hactenus egiſſet, ſic abſtinentiæ, auſteritati, & vigiliis ſe dedit, ut in tertium diem a cibo abſtineret, cilicio corpus tegeret, & ſororibus quieſcentibus totum fere noctis ſpatium in pſalmis & precibus conſumeret in eccleſia. Dein, creſcente ſupra modum ſanctimonialium numero, loci oratorium amplificavit; aliaque duo de novo erexit, unum ſub titulo ſanctæ Crucis, alterum in honorem ſancti Michaëlis, cum ſeptenis altaribus. Erant ergo in illo parthenone quatuor baſilicæ, una ſancti Petri, in Ruſticulæ [a] actis memorata, quæ princeps videtur fuiſſe: altera beatæ Mariæ in ſepulturam ſanctimonialium: & aliæ duæ, quas modo commemorabam. Tantæ virtuti miracula non defuere: ſed nec virtus, nec miracula Ruſticulam ab invidia & vexatione hominum immunem præſtare potuere. Verum id in aliud tempus reſervandum.

a *Sæcul. 1. Bened pag. 143. n. 17.*

LVII. S. Æmiliani obitus.

Eodem anno contigit obitus Æmiliani Vergegienſis in Hiſpania abbatis. Uno ante obitum anno, cum centenarius eſſet, ad vitam convertitur auſteriorem, ut inceptis finis non remiſſior eſſet, ſed præſtantior. Interim Leovigildus [b] Gotthorum rex Cantabriam, in qua Vergegium exſtat, ingreſſus, provinciæ pervaſores adortus cædit, & provinciam non ſine magna ſtrage in ſuam revocat ditionem. Hanc cladem popularibus ſuis prædixit vir ſanctus, eoſque ad pænitentiam hortari non deſtitit: cujus oraculum cum Abundantius quidam, ut ſenis delirium, irrideret, propria morte a Gotthis multatus, ejus veritatem expertus eſt. Æmilianus morti proximus, Aſellum, ſanctiſſimum preſbyterum, collegam ſuum advocari curavit, atque in ejus conſpectu animam exhalavit. Corpus in oratorio loci humatum, miraculis illuſtratum eſt, præcipue unius puellæ exanimis ſuſcitatione, ob idque ejus encomiaſtes alterum Eliſeum vocat. Librum de ejus vita ſanctus Braulio Cæſarauguſtanus antiſtes Fronimiano preſbytero, haud dubie monaſterii Vergegienſis, nuncupavit, profeſſus ſe ejus *obedientem præceptis* ac juſſis Johannis epiſcopi, fratris atque deceſſoris ſui, hoc opus ſuſcepiſſe *ſub teſtificatione Cytonati abbatis venerabilis, Sophronis & Gerontii presbyterorum, atque ſanctæ memoriæ Potamiæ religioſæ feminæ*: de quibus jam ſupra conjecturas noſtras expoſuimus. Hymnum de ſancto Æmiliano item edidit Braulio, ejuſque baſilicam verſibus ſuis Eugenius Toletanus itidem celebravit, quos ex codice Caſinenſi ad calcem hujuſce voluminis referemus. Uterque ſancti Æmiliani miracula celebrant.

b *Johan. Biclar.*

ANN. CHR. 575.

LVIII. Gregorii Magni prima facta

SUb annum ſequentem Gregorius Magnus, abdicata Romanæ urbis præfectura, monachum induit in ſancti Andreæ monaſterio, quod Romæ ad clivum Scauri prius condiderat. quæ res ad memoriam inſignis, atque Ordini Benedictino cum primis decora, non perfunctorie hoc loco a nobis commemoranda eſt. Gregorius Romæ ex prænobili Aniciorum genere, patre Gordiano, matre Silvia in lucem editus, Felicem ſanctiſſimum pontificem, atavum [c] habuit. quod de Felice tertio intelligendum Baronius probat. Adoleſcenti liberalibus ſtudiis apprime erudito, inerat in prima illa ætate maturum jam ſtudium, „adhærere [d] ſcilicet dictis majorum, „&, ſi quid dignum auditu percepiſſet, tenaci memoriæ commendare. Hinc ortum eſt ejus animo flagrans vitæ religioſæ deſiderium: ſed, cum id perendinando remiſiſſet, ſub ſæculari habitu, ſub quo pietatem retinere ſibi poſſe viſum erat, animum induit pæne ſæcularem. Verum in eo ſubinde refloruit hæc cogitatio, novoſque in ejus pectore ignes excitavit, tum ex conſuetudine & colloquio religioſorum hominum, tum ex commemoratione factorum mirabilium, quæ ſuo tempore per ſanctos viros, præcipue monachos, in Italia patrabantur. Unde mortuis [e] parentibus, aut ſaltem Gordiano patre, cum liberam diſponendarum rerum ſuarum haberet facul-

c *Greg. dial. lib. 4. c. 16.*

d *Paul. Diac. in ejus vita. n. 1.*

e *id. n. 2.*

ANN. CHR. 575.

tatem ; ex ampliſſimo, quod in Sicilia ei obvenerat, patrimonio ſex in ea inſula monaſteria [a] ædificavit ; ſeptimum Romæ in ædibus paternis ad clivum Scauri ſub titulo ſancti Andreæ, quæ omnia congruis ad victum monachorum prædiis ac cenſibus abunde dotavit : quod vero e paterna hereditate reliquum erat, in pauperes erogavit. Sex illa Siciliæ monaſteria Rochus Pirrus [b] ſita fuiſſe omnia in urbe vel diœceſi Panormitana cenſet, nempe unum ſub invocatione ſancti Johannis-Baptiſtæ, virorum : alterum puellarum ſub titulo ſancti Martini, exemplo ſancti patris Benedicti, qui hos patronos Caſinati monaſterio adoptavit : tertium ſanctorum Maximi & Agathæ, dictum Lucuſianum : quartum ſancti Theodori : quintum ſancti Hadriani : ſextum Prætorianum in ædibus maternis : quæ omnia Paulus diaconus apud Rochum [c] Pirrum, ad ſua uſque tempora *ad Dei laudem & beati Benedicti monachorum patris* perſtitiſſe aſſerit. De his omnibus pro nata occaſione in conſequentibus agemus. Interim prætoris urbani officium ſtrenue adminiſtrabat Gregorius ; contigitque ut eo nomine Laurentii Mediolanenſis epiſcopi, recens electi, cautioni ſeu formulæ fidei ſubſcriberet, eamque calculo ſuo comprobaret.

a *Greg. Tur. lib.* 10.

b *Roc. Pirr. lib.* 4. *parte* 2. *p.* 155. *& ſeqq.*

c *ibid. p.* 164.

LIX. Monaſtica ejus profeſſio.

Non multo poſt, mutato repente ſæculi habitu, ſancti Andreæ monaſterium petiit, & ex hujus mundi naufragio nudus evaſit. Ea vero fuit ab ipſo tirocinio Gregorii pietas, is profectus, ut jam tunc in ipſis initiis perfectorum numero haberetur ; ea porro vitæ auſteritas & diſtrictio, tum in jejuniis, tum in vigiliis & precationibus, ut in aſſiduas corporis, præſertim ſtomachi, infirmitates inciderit, & per ſingula pæne horarum momenta, ſpiritu ex viſcerum dolore intercepto, animam agere videretur. Summittebat ei in dies Silvia parens legumina in argentea ſcutella, quam mercatori naufragium paſſo, verius angelo in hominis habitu ſtipem mendicanti, poſtquam monaſterii nummos ad relevandam ejus inopiam expendiſſet, tribui juſſit. Hoc in loco Johannis diaconi ſententiam ſequimur præ Paulo Diacono, qui ambos Gregorii parentes, antequam is monaſteria conderet, monaſticamque vitam ipſe amplecteretur, mortuos fuiſſe exiſtimavit. Si quis vero Pauli auctoritatem, qui hoc factum non retulit, Johannis ſententiæ præferri velit ; quod hic Silviæ tribuit, Gregorii nutrici adſcribendum erit, quam eo adhuc pontifice vixiſſe colligimus ex ejus epiſtola ad Ruſticianam [d] patriciam, e locis ſacris Conſtantinopolim reverſam : ubi *Domnam vero*, inquit, *illam nutricem meam, quam mihi per litteras commendatis, omnino diligo, & gravari in nullo volo.* quæ verba ſi metaphorice non ſumantur, Gregorii nutricem etiam tunc ſuperſtitem fuiſſe aperte probant. Quo animo affectus in monaſterio fuerit idem teſtatur in prologo dialogorum, ubi jam pontifex, non ſine gemitu & lacrymis, meminit, » qualis aliquando » in monaſterio fuiſſet : quomodo ei labentia cuncta ſubter eſſent : quantum rebus, » quæ volvuntur, emineret : quod nulla, niſi cæleſtia, ſoleret cogitare : quod etiam » retentus corpore, ipſa jam carnis clauſtra contemplatione tranſiret : denique quod » mortem quoque ipſam, quæ pæne cunctis pœna eſt, ut ingreſſum vitæ, & laboris » ſui præmium amaret. Ita pontifex ſanctiſſimus juxta & modeſtiſſimus, ſupremæ ſuæ dignitati monaſticam quietem animo præferebat, & monachum ſe fuiſſe adeo non ſuppudebat aut pænitebat, ut etiam gloriaretur. unde agens de Maximo cœnobii ſui monacho, *quem ipſe*, ait [e], *jam monachus monachum vidi.* Rarum ſane exemplum in ſummo viro! Non morabor in hac parte : nimium eſt quod intelligitur.

d *Greg. Magnus lib.* 3. *ep.* 34.

e *id. in hom.* 32. *& lib.* 4. *dial. c.* 38.

LX. Quo anno.

Vix poſt hunc annum rejici poteſt Gregorii in monaſterium ingreſſus, quem illuſtriſſimus Cardinalis Baronius [f] in annum octogeſimum-primum differendum exiſtimavit. Id vero ex eo conficere ſibi viſus eſt eximius annaliſta, quod Gregorius eo anno adhuc prætor ſubſcripſerit cautioni Laurentii epiſcopi Mediolanenſis, initio ejus epiſcopatus ad papam de more miſſæ. atqui Laurentius hanc ſedem tenuit annos, ut cum vulgatis indicibus Baronius cenſet, dumtaxat duodecim ; eique Conſtantius ſucceſſit anno nonageſimo-tertio, ut conſtat ex Gregorianis epiſtolis ad exarchum Italiæ & ad Johannem ſubdiaconum datis indictione ſecunda. Ex quo intelligitur, Laurentium Conſtantii deceſſorem eodem anno e vivis exceſſiſſe. Si ergo Laurentius annos tantum duodecim ſedit, profecto ejus pontificatus initium locari non poteſt ante annum octogeſimum-primum, quo proinde anno Gregorius, adhuc prætor, nondum monachus, Laurentii recens electi cautioni ſubſcripſit. Ergo eo admodum anno factus eſt monachus, qui altero poſt anno, accepta diaconi cardinalis dignitate, Conſtantinopolim directus eſt a Pelagio Romano pontifice. adeo-

f *Baron. an.* 581. *&* 583.

ANN. CHR 575.

que non integro biennio privatus in monaſterio vixit. Verum longe citius in monaſterium ſe recepit Gregorius, diutiuſque in eo perſeveravit ante novam hanc dignitatem & legationem. Admittimus quidem ipſum adhuc prætorem Laurentii cautioni ſubſcripſiſſe; ac Laurentio Conſtantium ſucceſſiſſe anno nonageſimo-tertio. At plures Laurentio pontificatus annos tribuit antiquiſſimus index archiepiſcoporum Mediolanenſium, ex veterrimis illius eccleſiæ tabulis a nobis [a] editus, quam vulgati indices præferant. quippe poſt Frontum ſeu Frontonem *Conſtantius epiſcopus ſedit Annos novemdecim, menſes ſeptem; obiitque duodecimo kalendas Septembris.* quos annos ſi ex nonageſimo-tertio, quo Conſtantius ei ſuffectus eſt, detraxeris; anno ſeptuageſimo-quarto Laurentii creationem, adeoque ejus cautionem ad Romanum pontificem miſſam, cui Gregorius prætor ſubſcripſit, admittas neceſſe eſt. Potuit ergo Gregorius anno ſequenti, hoc eſt ſeptuageſimo-quinto, ingredi monaſterium: in quo uſque ad annum octogeſimum-tertium, quo diaconus cardinalis a Pelagio pontifice, ac legatus creatus eſt, id eſt per octo annos, privatam vitam duxit. Huic ſententiæ, quam ego alias, ante viſos eccleſiæ Mediolanenſis veteres indices, propugnaveram in diſquiſitione de Gregorii [b] monachatu, ſubſcripſere Bollandi continuatores ad vitam ipſius Gregorii: ubi Honorato Mediolanenſi epiſcopo Laurentium, expuncto Frontone intruſo, ſubſtituunt anno ſeptuageſimo; ac paullo poſt Gregorium monaſticam vitam amplexum fuiſſe ſentiunt. Certe Merulus monachus, quem Gregorii in cœnobio ſocium ac diſcipulum fuiſſe teſtatur Johannes [c] diaconus, ante annos quatuordecim, quam Gregorius dialogos ſcriberet, id eſt ante annum hujus ſæculi octogeſimum, e vivis exceſſerat, auctore ipſo [d] Gregorio. Jam vero quoto ætatis anno Gregorius monaſticæ profeſſioni nomen dederit, non facile definierim. quamquam annos minimum triginta fuerat aſſecutus: ſiquidem primos ſancti Benedicti diſcipulos viderat, deque ejus factis interrogaverat: ex quibus Conſtantinus, beati viri ſucceſſor, ante annum currentis ſæculi ſexageſimum vivere deſierat.

a *Muſ. Ital. to. 1. p. 111.*

b *Analect. to. 2. p. 145. & ſeq.*

c *Johan diac. lib. 1. c. 19.*

d *Dial. lib. 4. c. 47.*

LXI. Sub quibus abbatibus.

Sub Hilarione primum, dein ſub Maximiano abbatibus Gregorius monachum induiſſe, ac militaſſe dicitur apud Joannem diaconum: at Hilarionis loco Valentium reponendum eſſe contendit Baronius. Sane Valentium [e] ſibi, ſuoque monaſterio præfuiſſe Gregorius fatetur. tametſi Hilarion præceſſiſſe potuit. Valentio ſucceſſiſſe videtur Maximianus, qui tum, cum Gregorius legatus creatus eſt, Andreani [f] monaſterii pater erat. Denique Petrus poſt annos decem eidem monaſterio præerat, dialogos ſcribente Gregorio, id eſt anno nonageſimo-tertio, certe poſt Gregorium ipſum, qui, ex ſua legatione reverſus, monaſterium ſuum rexit, ut poſtea videbimus.

e *ibid. l. 4. c. 21.*

f *ibid. l. 3. c. 36.*

LXII. Sub qua regula.

Quæ regula in ſancti Andreæ monaſterio tum viguerit, res eſt magnæ inter viros eruditos concertationis. Ante Baronium omnes, uno auctore excepto, quem Paulus Langius Trithemii diſcipulus tribus libris confutavit, Benedictinam ibidem a Gregorio inſtitutam, ipſumque Gregorium eidem regulæ addictum fuiſſe unanimi conſenſu tradiderant, Johannes diaconus, Abbo Floriacenſis, Aimoinus, ſanctus Thomas Aquinas, Antoninus, aliique uno agmine recentiores. Baronius vero Equitianum inſtitutum prætulit, propterea quod Valentius, quem primum Andreani monaſterii abbatem fuiſſe opinatus eſt, non e proximo Benedictinorum Lateranenſi monaſterio, ſed ex Valeriæ cœnobio aſſumtus ſit a Gregorio. quod illuſtriſſimus annaliſta de primario ſancti Equitii monaſterio interpretatur, in Valeria ſito, ubi Equitius multorum monaſteriorum, teſte Gregorio, pater exſtiterat ante ſanctum Benedictum. Verum falſa hæc, ut pace tanti viri dixerim, aut incerta pleraque omnia. Valentius ſeu Valentio, non Valentinus, Andreano quidem monaſterio præfuit, ibidemque Gregorium diſcipulum habuit: an vero primus loci abbas fuerit, incertum; neque id evincunt Gregorii [g] verba. *Vita namque venerabilis Valentius, qui poſt in hac Romana urbe mihi, ſicut noſti, meo quoque monaſterio præfuit, prius in Valeria provincia ſuum monaſterium rexit. Suum*, inquit, monaſterium, nempe ab ipſo, non ab Equitio, conditum, eum ad modum quo Gregorius *meum* dicit Andreanum. Immo vero ſancti Andreæ monaſterium ante Valentii Romam adventum exſtitiſſe, eoque exceptum fuiſſe Valentium, cum Langobardorum furorem declinaret, ex conſequentibus Gregorii verbis ſatis intelligitur. *In quo*, ſcilicet Valentii monaſterio, *dum Langobardi ſævientes veniſſent, ſicut ejus narratione didici, duos ejus monachos in ramis unius arboris ſuſpenderunt, qui ſuſpenſi eodem die defuncti ſunt.* Acceptus in Andreanum monaſterium Valentius, poſtmodum eidem præfe-

non Equitii.

g *ibid. l. 4. c. 21.*

ANN. CHR. 571.

ctus fuit, ac Gregorium monaſticis informavit diſciplinis, haud ſcio an poſt Hilarionem. Hæc prima Langobardorum excurſio anno ſeptuageſimo-ſexto in Italiæ penetralia ſe effudit. nam antea in tranſpadana regione conſederant. Ante hunc annum jam monachus erat Gregorius: certe extabat ſancti Andreæ monaſterium, cujus proinde abbas primus alter a Valentio fuit. In illa prima Langobardorum impreſſione prius obvia fuit Valeria provincia, quam ager Caſinenſis: prius vaſtata Valeriæ monaſteria, quam Caſinenſe: quo a Langobardis poſtea everſo, Caſinates in Lateranenſem baſilicam admiſſi fuere. Equitius multorum in Valeria [a] monaſteriorum pater exſtiterat. Eamdem Valeriæ provinciam Langobardis intrantibus, » ex monaſterio reverentiſſimi Eqnitii in oratorium ad ſepulcrum ejus monachi fuge- » runt. Cumque Langobardi ſævientes in oratorium intraſſent, cœperunt eoſdem » monachos foras trahere, ut eos aut tormentis cruciarent, aut gladiis necarent. Ve- » rum ad monachorum preces protinus ſævientes Langobardos dæmon invaſit, nec » locum ſanctum ulterius temerare auſi ſunt, aut monachos vexare, qui omnes hoc » modo eorum manus effugerunt. Aliud ergo erat Valentii monaſterium, io quo duo ejus monachi, ad ramos arboris a Langobardis ſuſpenſi, exſpirarunt. Quid ſi Valentius monaſterium ſuum informavit ad præſcriptum regulæ Benedictinæ? quæ in vicinis Sublacenſis ſolitudinis vigebat monaſteriis duodecim, a ſancto Benedicto inſtitutis, adeoque Valeriæ conterminis, ut ſub ea Æquicoli, at proinde Sublacus, a Paulo diacono comprehenſi videantur. Deinde, fac Valentii monaſterium unum fuiſſe ex illis, quæ in Valeria condiderat Equitius, cujus viva vox pro regula erat. quid prohibet, mortuo Equitio, ejus monaſteria in Benedictinas leges conceſſiſſe? curante nimirum Simplicio Caſinenſi abbate tertio, qui parentis ſui regulam in alia Italiæ monaſteria, ut ſuperius [b] vidimus, propagavit.

a *ibid. lib.* 2. *c.* 4.

b *Supra n.* 2.

LXIII. Sed ſancti Benedicti.

Neque vero dubitari poteſt, quin hanc regulam noſſet Gregorius ante conditum ſancti Andreæ monaſterium, utpote commemorante Benedicti facta in primis Conſtantino ejus diſcipulo ac ſucceſſore, quem ſub annum ſexageſimum e vivis abiiſſe ſuperius diximus. Hanc autem regulam Gregorius tanti fecit, ut eam prædicaverit *diſcretione præcipuam, ſermone luculentam.* Quis credat, regulam, ſic ei notam & approbatam, eum ceteris non prætuliſſe ad monachos ſuos inſtituendos? Ad hæc Gregorius eam ſine dubio regulam monachis impoſuit ſuis, quam prætulit ceteris, & cujus auctorem præ aliis, quos laudavit, patribus commendavit. Nullam vero aliam quam Benedicti regulam prædicavit ſanctus Doctor, qui in libris dialogorum virtutes & miracula ſanctorum Italiæ ſcribere aggreſſus, nullius tamen vitam integram accurate & ex integro refert, niſi ſolius Benedicti, cujus geſta toto libro ſecundo cumprehendit, eumque iterum data occaſione laudat duobus [c] locis in libro quarto. Non ſic in Equitium affectus fuit, quem uno libri primi capitulo [d] præſtringit, Petrum interlocutorem, plura de Equitio ſcire cupientem, remittens ad Albinum epiſcopum. Poteratne luculentius pontifex ſummus ſuum adverſus beatum Benedictum, præ ſancto Equitio & aliis, declarare ſtudium & amorem vere filialem? Quin etiam non raro in epiſtolis ſuis [e] ipſius regulæ verba in medium adducit, uti & in concilio Lateranenſi, ubi hæc regulæ verba landat, ad reprimendas monachorum evagationes: *quia omnino non expedit animabus eorum.* quæ totidem verba exſtant in regulæ noſtræ capite ſexageſimo-ſexto. Verum hæc fortaſſe fuſius pro hiſtoriæ inſtituto: tametſi argumenti dignitas id poſtulare videbatur. Aliud validiſſimum hanc in rem argumentum inferius adducemus ex propagatione Benedictinæ in Angliam regulæ per Auguſtinum illius gentis apoſtolum, quem Andreani monaſterii ſui regulis inſtitutum dicit Gregorius in reſponſione ad ipſum Auguſtinum.

c *ibid. l.* 4. *c.* 6. & 7.

d *lib.* 1. *c.* 4.

e *Greg. l.* 8. *ep. ſt.* 34. & 39. & *lib.* 9. *ep.* 8.

LXIV. Leander Gregorii amicus.

Non divellendus a Gregorio Leander, domo Hiſpanus, profeſſione monachus; & ex monacho Hiſpalenſis * epiſcopus, quicum Gregorius, apud regiam urbem legatum agens, magnam neceſſitudinem iniit. Is patre Severiano in Carthaginenſi provincia genitus, germanos habuit Fulgentium Aſtigitanum epiſcopum, & Iſidorum, ſuum poſtea in ſede Hiſpalenſi ſucceſſorem; ac Florentinam ſororem ſanctimooialem. Hujus gratia regulam pro ſanctimonialibus ſcripſit, in cujus fine prædictorum fratrum meminit his verbis. Poſtremo cariſſimam te germanam quæſo, ut » mei orando memioeris, nec junioris fratris Iſidori obliviſcaris: quem quia ſub Dei » tuitione & tribus germanis ſuperſtitibus, ipſomet nimirum Leandro, Fulgentio & » Florentina, parentes reliqueruot communes; læti, & de ejus nihil formidantes in-

* *Sevilla.*

Digitized by Google

fantia ad Dominum commearunt. Matrem extra patrium ſolum in monaſterio vitam abſolviſſe intelligimus ex eodem ipſius regulæ capitulo. Denique errorem meum, inquit, ipſe fateor, me communem matrem ſæpe allocutum, noſſe cupiens, ſi vellet reverti ad patriam. Illa autem, quæ ſe noverat Dei voluntate cauſa inde ſalutis exiiſſe, ſub divina obteſtatioue dicebat, nec velle ſe videre, nec umquam viſuram illam patriam eſſe. & cum magnis dicebat fletibus: Peregrinatio me Deum fecit agnoſcere: peregrina moriar, ut ibi ſepulcrum habeam, ubi Dei cognitionem accepi. Teſte Jeſu, hoc in ejus expertum me fuiſſe deſideriis memor ſum, ut, etiam ſi diu viveret, patriam illam non reviſeret. Ex quibus colligas, eam extra patriam in monaſterio vixiſſe, forte Hiſpalenſi, quo cum Leandro & Florentina commigraverit. Ejus nomen tam varie efferunt, ut ipſum ignorare fateamur. Leander *profeſſione monachus* ab Iſidoro fratre dicitur: at cujus monaſterii, nobis latet. tametſi recentioribus placet, eum in Hiſpalenſi primum cœnobio ſancti Benedicti inſtituto nomen dediſſe; deinde in Legionenſi ſancti Claudii aliquamdiu commoratum, ad proprium poſtea monaſterium rediiſſe: unde mortuo Stephano, aliis Davide, Hiſpalenſi * epiſcopo, in illius eccleſiæ regimen ſit cooptatus. Id factum eo tempore, quo Hermenegildus, regni conſors a patre denuntiatus, Hiſpali ſedem fixit, certe ante annum octogeſimum-tertium. quo anno Leander, ait Mariana [a], Conſtantinopolim ad Tiberium auguſtum navigavit, ex monacho Benedictino Hiſpalenſis epiſcopus, ſingulari eruditione, morum probitate eximia, neque minori orationis ſuavitate & elegantia; res eo tempore comparanda miraculo.

AN. CHR. 575.

* Seville.

a Mariana lib. 5. c. 12.

LXV. Florentinæ ſorori inſcribit regulam, cujus compendium refertur.

Quam pia & ſalutaria Florentinæ ſorori monita dederit, ex ejus regula manifeſtum eſt, quæ *pergrata ſibi in Chriſto filia & ſorori* inſcribitur. Principio eam ad contemtum terrenorum omnium hortatur. Aurum quippe & argentum de terra eſſe, & in terram reverti; fundos, & patrimoniorum reditus vilia & tranſitoria eſſe. porro nihil ea dignum, quidquid ſub ſole conſpicitur: ſupra cælos quærendum eſſe, ubi præmium virginitatis inveniat. Deinde ſtudioſe [b] monet, vitandas eſſe laïcas mulieres, uti organum ſatanæ. quippe quod amant, hoc ſuggerunt; & eas res aliorum inſinuant auribus, quæ in ſuis deſideriis verſantur. Vitandos [c] perinde viros, quantumvis ſanctos, ne videndi jugitate aut infametur utriuſque ſanctitas, aut pereat. Lectionem [d] ejus aſſiduam eſſe debere, dividendo tempora & officia, ut, poſtquam legerit, oret; poſtquam oraverit, legat. Si quid vero manibus operandum, aut corpus reficiendum, lectio etiam ne deſit. at vetus teſtamentum non carnaliter legendum, ſed ſpiritali modo interpretandum. Carnium [e] uſum iis competere, qui metalla effodiunt, qui in agone terreno certant, qui conſtruunt celſorum culmina ædificiorum, vel in diverſis opificiis labore corporis deſudant. at virgini tantum *medicinaliter* ſumendas carnes, ſi cogat infirmitas. qui uſus alias ad id unum valet, ut miſerum corpus fæce vitiorum inundet. Ne [f] velit imitari eas virgines, quæ in urbibus per cellulas demorantur: quas multimoda cura conſtringit prius placendi ſæculo, ne fœdo prodeant amictu; & domeſtica oppreſſæ ſollicitudine, dum pro vitæ ſubſidio ſatagunt, minus quæ ad Deum pertinent quærunt. [g] Perſeverandum itaque in monaſterio, ubi ex multarum ſocietate proficiat, & Apoſtolorum teneat vitam; nec dubitet eorum aſſequi merita, quorum imitetur exempla. Denique ſi pactum, quod cum Chriſto pepigit, ſervaverit, bene agenti coronam eſſe repoſitam; &, ſi perſeveraverit, eam ſalvam fore. In eodem indubie parthenone verſata eſt Florentina, in quo ejus mater vitæ ſupremos exegit dies; & quidem extra patrium ſolum. unde eam in fine monet, ne eam umquam ad genitale ſolum reverti ſollicitet cogitatio: ubi eam, ſi Deus habitare voluiſſet, non inde ejiceret. tum, propoſito matris exemplo, quæ in patriam reverti noluit; hortatur ſororem cavere, quod mater timuit; & malum illud prudenter evitare, quod illa experta fugit. Florentinam quippe ea ætate inde abſtractam fuiſſe, ut, vel ſi ibidem nata fuerit, non meminerit. Dolet vero quod illuc communem fratrem tranſmiſerit Fulgentium, cujus pericula jugi formidine pertimeſcit. Poſtremo expertus aſſerit, ſic perdidiſſe ſtatum & ſpeciem illam patriam, ut nec liber quiſquam in ea ſuperſit, nec terra ipſa ſolita ſit ubertate fecunda, nec ſine Dei judicio. Terra enim, cui cives erepti ſunt, & conceſſi extraneo, mox ut dignitatem perdidit, caruit & fecunditate. quod intelligendum de Carthaginenſi provincia, ex qua forte in Bæticam * Florentina cum matre tranſlata fuerat.

b cap. 1.

c cap. 2.

d cap. 6.

e cap. 15.

f cap. 17.

g cap. 18.

* l'Andalouſie.

ANN. CHR. 575. LXVI. Sigiberti regis mors, & ſepultura ad S. Medardum.

Hoc eodem anno ſeptuageſimo-quinto, cum Chilpericus, bello in Sigibertum fratrem redintegrato, Remorum civitatem, regni ejus caput, cepiſſet, ocius Sigibertus cum magno exercitu advolat, &, Guntchramno a Chilperici ſocietate revocato, opidis ac locis, quæ circa urbem Pariſiorum & Rotomagum ſita erant, vaſtatis & occupatis, Tornacum, quo Chilpericus cum uxore ac liberis confugerat, oppugnare aggreditur, fratriſque regnum in ſe transferre. Germanus Pariſiorum antiſtes, mala proſpiciens, quæ ex hoc bello incumberent agro Pariſienſi, iis occurrere ſtatuit, ſcripta ad Brunichildem epiſtola, ut Sigibertum conjugem a propoſito revocaret, vulgi exponens rumorem, quaſi ejus conſilio & inſtigatione Sigibertus hanc vellet perdere regionem. Inhoneſtam eſſe victoriam fratrem vincere, domeſticas domos humiliare, & poſſeſſionem a parentibus conſtructam evertere. Id vero nihil aliud eſſe, quam contra ſemetipſos pugnare, ſuamque felicitatem exterminare. Verum ubi nihil monita precesve obtinuere, Germanus Sigiberto[a] prædixit fore, ut, ſi fratrem ad necem quæreret, in foveam, quam ei paraſſet, ſecundum Salomonis ſententiam ipſe corrueret. quod ita contigit apud Victoriacum * duabus a Duaco leucis: ubi, cum Sigibertus, clypeo de more impoſitus, loco fratris rex acclamatus fuiſſet; a duobus ſicariis, a Fredegunde Chilperici conjuge immiſſis, percuſſus interiit anno regni ſui quarto-decimo, ætatis quadrageſimo. Ejus corpus primum juſſu fratris apud Lambros * vicum prope Duacum verſus Atrebates ſepultum, poſtea in Sueſſionenſem ſancti Medardi baſilicam tranſlatum fuit, atque humatum prope Chlotharium parentem. Sigibertum viventem ob perfectam baſilicam laudat Fortunatus, his verſibus ſanctum Medardum compellans.

a Greg. Tur. lib. 4. c 46

* Vitry.

* Lambres.

En tua templa colit nimio Sigibertus amore,
Inſiſtens operi promtus amore tui.
Culmina cuſtodi, qui templum in culmine duxit.
Protege pro meritis qui tibi tecta dedit.

ANN. CHR. 576. LXVII. S. Germani epiſcopi Pariſienſis obitus.

NOn diu ſuperſtes fuit Germanus, cui non ignotus fuit ſupremus ipſius finis. nam ante aliquot dies vocato ad ſe notario præcepit hæc ſcribere ſupra lectum ſuum: *Quinto kalendas Junias.* quod cum qua de cauſa factum eſſet, omnes ignorarent, mors ejus, quæ ipſomet die accidit, aperte declaravit. Sic mortis diem ob oculos poſitum habens vir ſanctus, obiit fere octogenarius anno Childeberti junioris primo, Chriſti ſupra quingenteſimum ſeptuageſimo-ſexto, ad extremum uſque ſpiritum piis operibus occupatus. Corpus ejus in oratorio ſancti Symphoriani ab ſe ad baſilicam ſanctæ Crucis ac ſancti Vincentii conſtructo, ſepulturæ mandatum eſt. quo cum deferretur, ad portam carceris, in quo rei tenebantur[b] incluſi, ita immotum perſtitit, ut nulla vi amoveri inde potuerit, niſi ſolutis reis, qui ejus exſequias feſtivo comitatu honorarunt. Multa dehinc miracula, teſte[c] Gregorio, ad ejus tumulum patrata: in his paralyticus, *qui in porticu baſilicæ ſancti Vincentii, in qua beatus Germanus requieſcebat in corpore*, ingrediente urbem Chilperico rege, priſtinum membrorum uſum recepit. Ita loquitur Gregorius, propterea quod ſancti Symphoriani ſacellum in porticu ſancti Vincentii baſilicæ ſitum eſt, ubi etiam nunc viſitur beati Germani cenotaphium: quo ex loco amotus eſt noſtris diebus lapis ejus ſepulcralis, & ſub majori altari collocatus. Scriptor libelli de tranſlatione ſancti Germani ait, eum *in porticu eccleſiæ* ſancti Vincentii ſepultum fuiſſe. *Cryptam ſancti Symphoriani* vocat Aimoinus ſub finem libri ſecundi de ejus miraculis; *oratorium* denique *ſancti Symphoriani* Giſlemarus in actis ſancti Droctovei abbatis.

b Greg. Tur. lib. 5. c. 8.

c Id. de gl. conf. c. 90

LXVIII. Donationes ab eo factæ.

In libro cenſuali Irminonis abbatis ſecunda manu adſcriptum legitur, ſanctum Germanum alodum ſuum in villa Vitriaco, cum vicina ſilva Puciolo & vinea a ſe plantata, huic monaſterio contuliſſe[d] *ad luminaria eccleſiæ ſanctæ Crucis, ſanctique Stephani protomartyris, ſeu ſancti Vincentii levitæ & martyris*, ea conditione, ut quolibet anno inde perſolvantur ad ipſam eccleſiam octo ſextarii olei, aut viginti duæ ceræ libræ. Ejuſdem loci colonos vir ſanctus ingenuos eſſe juſſit, nihilque cuiquam pendere ſervitii abſque mandato aut conſenſu abbatis, aut monaſterii. Exſtat *ibidem in confinio* quædam alia poſſeſſio, Valliacus nomine; aliaque procul, dicta Galliacus, quas pater ipſius beati Germani ab Ermenfrido comite comparaverat. Hæc autem

d V. lib. 5. n. 44. & append.

autem ſanctus antiſtes eidem eccleſiæ ad anniverſarium parentum ſuorum conceſſit: *quatenus annis ſingulis in commemoratione natalitii patris, ſeu genitricis ſuæ* ſolvant *ad ſepulcra eorum* cereos duos, unumquemque librarum octo; & ad refectionem fratrum viginti ſolidos, addita interminatione excommunicationis, coram novemdecim epiſcopis latæ in quoſlibet invaſores, ſive eſſet epiſcopus Autiſiodorenſis, *in cujus exſiſtunt diæceſi; ſeu* princeps Nivernenſis, ſub cujus ditione poſita erant. Dies vero depoſitionis patris ejus, nomine Eleutherii, ibidem notatur kalendis Novembris; matris vero Euſebiæ quinto kalendas Januarii. Librum de ejus vita ſcripſit Fortunatus preſbyter, teſte Gregorio Turonenſi epiſcopo, quo in libro, ait idem auctor, ſtrenuas illius virtutes legere licet. Chilpericus rex ejuſdem ſancti præſulis epitaphium compoſuiſſe fertur, ab Aimoino forſan expolitum. Laudatur a Fortunato *venerabilis Flameris abba de Canone* * *Turonico*, qui cum manu beati Germani ſubſcriptam accepiſſet epiſtolam, monacho ſuo, per duos annos decubanti eam porrexit: ea vero accepta, monachus ſubſcriptionis ejus litteras lingua deterſit; moxque ſanatus eſt: ſicque atramenti pictura cuncta vicit unguenta, inquit Fortunatus. Maximus abbas, laudatus a Gregorio [a] Turonenſi, conſtruxerat ſub initia ſæculi quinti monaſterium Cainonenſe, in collegiatam poſtea eccleſiam converſum. De translatione corporis ſancti Germani interiorem in baſilicam ſanctæ Crucis agendum ſæculo Chriſti octavo.

ANN. CHR. 576.

Cainonenſe monaſterium

* *Chinon*

a *Greg. Tur. de gl. Conf. c.* 22.

NOn multo poſt ejus obitum Bertichramnus Cenomannorum epiſcopus, qui ab eo in eccleſiaſticis ritibus inſtitutus, atque ad ſacros ordines provectus fuerat, cellulam ſeu monaſterium apud Cenomannos ultra fluvium Sartæ in honorem magiſtri ſui domni Germani, Pariſiacæ civitatis inſignis præſulis, condidit, dotavitque: ubi *monachos ſub regula degentes conſtituit*, hoſpitali pauperum atque nobilium ibidem inſtituto, ut in actis [b] epiſcoporum Cenomannenſium legitur. Præclara eſt ejuſdem beati Germani commemoratio in teſtamento ipſius Bertichramni, cujus verba [c] huc referre juvat. "Baſilicæ domni & peculiaris patrini mei Germani epiſcopi, qui me "dulciſſime enutrivit, & ſua ſancta oratione, ac ſi indignum, ad ſacerdotii honorem "perduxit, ſi ſuperſiſtit in baſilica domni Vincentii, ubi ſanctum ejus corpuſculum "requieſcit, dono inibi in honore ſepulturæ ſuæ villam Bobanæ, quæ eſt in terraturio "Stampenſe ſuper fluvio Colla *, quam mihi glorioſus domnus Chlotharius rex ſuo "munere contulit: ut ſi ſemper corpus ejus in baſilica nova, quam inclitus Chilpericus "quondam rex conſtruxit, ſi convenerit ut inibi transferatur, villa ipſa, ubi "ſemper ejus corpus fuerit, ſemper ibi deſerviat, & ipſe ſanctus pontifex pro meis "facinoribus deprecari dignetur. Rogo abbatem loci illius, ut nomen meum in libro vitæ recitetur, id eſt in necrologio monaſterii. In conſequentibus [d] Bertichramnus baſilicæ ſancti Germani, quam apud Cenomannos ædificaverat, ubi & monachos inſtituerat, quaſdam villas attribuit. Nunc locus redactus eſt in parœcialem eccleſiam ſuburbanam. Ex ſuperioribus patet, ſancti Vincentii baſilicam a Chilperico rege innovatam fuiſſe, in qua is cum Fredegunde regina humatus eſt; ibique viſuntur hactenus eorum tumuli; Chilperici quidem cum ejus effigie ab annis fere ſexcentis ſculpta; Fredegundis vero primarius, cum ejus itidem effigie, ex teſſellis lapidum & aurichalci ſegminibus adumbrata, coronam in capite geſtantis cum liliis, & ſceptrum in manu, deſinens in florem lilii agreſtis. Ex antiqua illa Chilperici baſilica ſuperſunt forte ſtatuæ illæ bis quaternæ, quæ ad majorem baſilicæ portam hodie quoque cernuntur: quarum quatuor priores, ingredientibus ad lævam, ſanctum Germanum in habitu pontificali, duoſque reges cum regina intermedia repræſentant, omnes cum regia corona: quatuor vero aliæ exhibent tres itidem reges, cum una regina, quæ penultimo loco eſt. Omnes uno excepto dextræ partis reges, circulares habent cælitum coronas, uti & beatus Germanus, præter regiam. Proximus a ſancto Germano rex in manu tenet ſceptrum cum aquila expanſis alis in faſtigio ſceptri: ſecundus vero ex altera parte gerit librum ad pectus. Ille mihi videtur non alius eſſe quam Chlodoveus Magnus: hic Childebertus, primus baſilicæ & monaſterii auctor: cui Ultrogottha ejus uxor adhæret, Chlodoveo autem Chrothildis; utraque cum longis capillorum cirris. Primus e parte dextra, qui ſine circulari corona, forte ipſe eſt Chilpericus baſilicæ inſtaurator, qui, quod adhuc viveret, ſolam habet in fronte coronam regiam, ut ceteri, non cælicam. Denique duo poſtremi ex utraque parte

ANN. CHR. LXIX. 577.

Bertichramnus epiſcopus quid pro S. Germano egerit.

b *Analect. to.* 3. *p.* 109.

c *ibid. p.* 181.

* *Colle.*

d *ib. p.* 153.

ANN. CHR. 577.

reges forſan fuerint Chlodomirus & Chlotharius, Childeberti fratres. Totum id melius ſequens figura explicabit, quam Ruinartus noſter in appendice ad Gregorii Turonenſis epiſcopi opera jam exhibuit.

LXX. Eleutherii abbatis geſta.

a *Greg M. lib. 3. dial. c. 33.*

Redeo ad ſancti Andreæ monaſterium Romanum, in quo Eleutherius, vir ſanctus, diu [a] cum Gregorio converſatus eſt, ibique defunctus. Is pater monaſterii beati Marci evangeliſtæ, quod juxta muros Spoletanæ urbis ſitum erat, vir tantæ pietatis & compunctionis fuit, ut fletuum ſuorum merito mortuum ſuſcitaſſe referatur; Gregorio jejunandi in ſabbato ſancto gratiam cælitus impetraſſe, aliaque multa miracula patraſſe. Cum aliquando iter agendo in quoddam virginum monaſterium perveniſſet, ibique alterius diverſorii defectu fuiſſet hoſpitatus; puer quidam a dæmonio vexatus in ejus lecto, ipſo inſcio, poſitus eſt, atque hoc pacto a dæmonis infeſtatione liberatus. Eo in monaſterium ſecum adducto, Eleutherius, quod de ejus ſalute immodice coram fratribus lætando, tantiſper ſe extuliſſet, dæmonis in puerum infeſtationem denuo accerſivit; ob idque ſummopere dolens, fratres quidquam cibi ſumere non ante permiſit, quam precibus ſuis denuo infeſtum hoſtem effugaſſent. Sic quia pondus miraculi ſolus portare non potuit, diviſum cum fratribus melius portavit. Eidem germanus erat ſanguine ac religione frater, Johannes [b] nomine, qui ſuum fratribus obitum ante dies quatuordecim prænuntiavit, quod quidem ita contigit pſallenti cum fratribus, poſtquam ***dominici corporis & ſanguinis myſterium*** percepiſſet, vocato ſecum Urſo alterius cœnobii monacho. Sævientibus in Spoletanas partes Langobardis, Eleutherius Romam acceſſit, admiſſuſque eſt in ſancti Andreæ monaſterium a Gregorio: qui, cum ex frequenti [c] virium lapſu animam ſingulis pæne momentis agere videretur, ciboque ſæpius refici indigeret; magnopere dolens, quod in ipſo paſchalis ſollemnitatis pervigilio, id eſt ſacratiſſimo ſabbato, quo omnes, etiam ***parvuli*** jejunium ſervare ſolent, ipſe jejunare non poſſet, Eleutherium interpellavit, ut hanc ei gratiam a Deo impetraret. Nec mora, in oratorium una cum Gregorio ingreſſus, cum lacrymis preces fudit, & jejunandi tantam Gregorio facultatem obtinuit, ut facile in craſtinum protrahere jejunium valuiſſet. Ejuſdem Spoletani ſancti Marci monaſterii abbas erat Stephanus, de quo Gregorius Anthemio [d] Neapolitano ſubdiacono ſcribit, ut eidem monaſterio maſſam Veneris, in Campaniæ territorio Minturnenſi ſitam, quam ei Benedictus papa jam reddi præceperat, reſtitui curet. Eidem loco præfuit ſæculo decimo labente ſanctus Maïolus abbas Cluniacenſis: ſed tandem, quæ rerum viciſſitudo eſt, ſub medium ſæculum tertium-decimum abbas & monachi ibidem defecerunt.

b *Id. lib. 4. c. 35.*

c *Id. lib. 3. c. 33.*

d *Id lib. 7. ind. 1. ep. 25.*

LXXI. Anaſtaſius abbas, & Nonnoſus præpoſitus.

e *Id. lib. 1. dial. c. 8.*

Eodem tempore prope Soractem montem Anaſtaſius [e] abbas monaſterii Suppentonienſis florebat. qui cum Romanæ eccleſiæ notarius eſſet, ſoli Deo vacare cupiens, ſcrinio ſuo monaſticam vitam prætulit. Paullo ante obitum ex nomine cælitus vocatus, ſeptem alios fratres itidem poſt ſe brevi morituros intellexit. Porro Anaſtaſio animam agenti quidam ejuſdem monaſterii frater cum lacrymis ſupplicavit, ut ne ſe ultra dies ſeptem in mundo ſuperſtitem relinqueret: obtinuitque quod flagitaverat. Anaſtaſii diſcipulus erat Laurio monachus, cujus relatione Gregorius [f] acceperat, quod de Nonnoſo Soractenſis monaſterii præpoſito narrat. Nonnoſus Anaſtaſio, non magis propinquitate loci, quam morum ac virtutis ſtudiis conjunctus, ſub aſperrimo ſui monaſterii vivens patre, ejus duritiem mira ſemper æquanimitate tolerabat. Is ſaxum ingens, quod horto amplificando impedimentum erat, precibus loco movit, & vitream lampadem in fruſta ſectam refecit, ſancti Gregorii Thaumaturgi ſactum in uno imitatus, in altero virtutem ſancti Donati epiſcopi Aretienſis, qui fractum calicem priſtinæ integritati reſtituit. Forte deficiente oleo, olivarumque in monaſterio meſſe, abbati ejus viſum fuerat, ut fratres ad colligendas extraneorum olivas conducti mitterentur, ut ex labore ſuo aliquid olei ad uſum monaſterii reportarent. Id vero ne fieret Nonnoſus cum magna apud abbatem modeſtia interceſſit: ne egreſſi e monaſterio fratres, dum lucra olei quærerent, ani» marum ſuarum damna paterentur. Paucis vero monaſterii olivis ſub prelum miſſis, » parvum inde vaſculum impletum ad altare afferri juſſit; factaque oratione tantum olei accepit, quantum replendis vacuis vaſis ſatis eſſet. Gregorius in epiſtola [g] ad Maximianum Syracuſanum epiſcopum ait, ſe oblitum eſſe eorum, quæ is ***de domno Nonnoſo abbate, qui juxta domnum Anaſtaſium de Pentumis fuit***, ſibi retulerat; eaque rurſus ex eo reſcire cupit. Hic duplex error, & quod Nonnoſum abbatem vo-

f *Ib. c. 7.*

g *Id. lib. 2. ind. 11. ep. 50.*

170a
2_77 Vol 2
Digitized by Google



Conspectus majoris Portæ Basilicæ

To. I. Annal. Bened. inter. pag. 170. & 171. ad num. LXI.



ſilicæ S.ti Germani à Pratis.

ANN. CHR. 577.

cet, qui tantum præpoſitus fuit; & quod *Pentumis* pro Suppentonia ſcribat. quod utrumque erratum in libro primo dialogorum Gregorius emendavit. Suppentonia nunc Caſtellum-ſancti-Eliæ vocatur, ibique exſtat nobilis & vetus eccleſia, ſub titulo ſancti Eliæ atque ſancti Anaſtaſii abbatis Deo dicata. Soractenſe monaſterium Carolomanni principis ſeceſſu poſtea nobilitatum eſt.

LXXII. Meroveus Aninſulæ tonſus.

Hoc ipſo anno quem præ manibus habemus, Meroveus Chilperici filius, Brunichildem amitam poſt Sigiberti patrui ſui mortem, in matrimonium duxit citra conſenſum patris, qui, ſtimulante Fredegunde, ob id vehementer in eum excandeſcens eum tonderi juſſit, mutataque [a] veſte, qua clericis uti mos eſt, preſbyterum ordinari, atque in Aninſulenſe ſancti Carileſi apud Cenomannos cœnobium recludi, „*ut ibi ſacerdotali erudiretur regula*.„ quod indicio eſt, monachos tum clericalibus muniis aſſuetos, eorumque monaſteria, veluti totidem clericorum ſeminaria fuiſſe. unde Gregorius Turonum antiſtes monachos non raro ſimpliciter clericos vocat; idemque eſt apud ipſum clericum fieri, ac monaſtica donari tonſura. Gallus videtur fuiſſe ad hoc uſque tempus ejus loci abbas: ſed quis ei ſucceſſerit ante Sigrannum, ſancti Siviardi patrem ac deceſſorem, ignoramus. Meroveus, Aninſula fuga [b] elapſus, Turonos ad tumulum ſancti Martini ſe recipere ſtatuit: ſed Chilperici juſſu obſeratis foribus, uno relicto oſtio, per quod clerici, id eſt monachi, ad celebrandum officium ingrederentur; in Campaniam Remenſem ſe ſubduxit, tum a Tarabannenſibus * doloſe de ſua ſalute ſollicitatus ad eos confugit: verum ab eis circumventus, demum necatus eſt, ſive id factum dolo Fredegundis, ſive, quod hæc in vulgus ſpargebat, ſibi necem Meroveus ipſe conſciverit per Gailenum familiarem ſuum, ne in manus adverſariorum incideret. Verum hæ forte trucis ac ſubdolæ reginæ artes erant, quæ pari modo [c] Chlodoveum, Chilperici alterum filium, quem ipſa in carcere cædi præceperat, ſibi manus intuliſſe jactavit in vulgus. Prætextatus epiſcopus Rotomagenſis, cujus ex ſacro fonte ſpiritualis filius erat Meroveus, in judicium coram epiſcopis, quod Meroveum cum Brunichilde copulaſſet, vocatus, ſynodo apud Pariſios in baſilica ſancti Petri, jubente rege, coacta, cum nullum epiſcoporum, præter Gregorium epiſcopum Turonenſem, defenſorem haberet, excogitati in Chilpericum homicidii reum ſe mentitus, id agentibus ejus adverſariis, quaſi ſub humilitatis ſpecie, criminis ſibi falſo imputati pœna hoc pacto ab ipſo eſſet amolienda, cuſtodiæ traditur: ex qua cum ſe proripuiſſet, in inſulam prope Conſtantiam * eſt relegatus, ſubrogato in ejus locum Melanio.

[a] Greg. Tur. lib. 5. c. 14.

[b] ibid. c. 19.

* de Terouane.

[c] Greg. Tur. lib. 5. c. 40.

* Coutance.

ANN. CHR. 578.

LXXIII. Abbates octo in ſynodo Autiſiodorenſi.

Sequenti anno ſynodus Autiſiodori ab Aunachario ſeu Aunario ejus urbis epiſcopo celebrata fuit, cui abbates ſeptem abſque monaſteriorum ſuorum deſignatione ſubſcripſerunt, Winebaudus, Baudovius, Francolus, Cæſarius, Deſideratus, Amandus, & Tegridus. In actis epiſcoporum Autiſiodorenſium, [d] octo recenſentur abbates: nempe Winebaudus, Cæſarius, Deſideratus, Baudoveus, Frannulfus, Tegridius, Gregorius, & Amandus: ut in codicibus emendatioribus legitur. Ibidem etiam recenſentur monaſteria, baſilicæ, & eccleſiæ parœciales, quæ certis diebus ad majorem ſancti Stephani eccleſiam, divini officii celebrandi cauſa, convenire debebant, ex ipſius Aunarii præſcripto: in quibus memorantur monaſteria octo, ſcilicet monaſterium domni Mariani, quod ſanctus Germanus in honorem ſanctorum [e] martyrum Coſmæ & Damiani conſtruxerat, a corpore & tumulo ſancti Mariani, qui ibidem monachus poſtea fuit, nuncupatum: ſecundum monaſterium Wlfini; tertium Decimiacenſe ad ſanctum Cyricum, qui locus eſt in pago Avalonenſi: quartum Fontanetenſe, ſitum ad vicum Fontanetum *, ubi Ludovici auguſti filii de ſumma rerum dimicarunt: quintum Coriacenſe Ad-ſanctos, mendoſe in editis *Coacenſe*, quod ſanctus Germanus, ejuſdem urbis pontifex ſanctiſſimus, apud locum Cotiacum in honorem ſanctorum Priſci, aliorumque martyrum condidiſſe [f] memoratur, ab Hunnis, id eſt Sarracenis, poſtea deſtructum, & in ſolitudinem redactum: ſextum monaſterium Seſſiacenſe *, duodecim ab urbe leucis, nunc prioratus abbatiæ ſancti Germani ſubjectus: ſeptimum Manuacenſe; octavum monaſterium, quod vocabant Varennas. Ad hæc multæ aliæ ibidem memorantur baſilicæ, quarum nonnullæ monachorum erant, ſic dictæ, quod ceteris nobiliores eſſent. qualis erat baſilica domni Germani, ſic etiam ſanctos tunc appellabant; & baſilica domni Juliani, quæ tunc virorum erat, ſed poſtea converſa in uſus ſanctimonialium a Palladio epiſcopo,

[d] Bibl. nova Labbei to. 1. p. 421.

Monaſteria illius diœceſis.

[e] ibid. p. 415.

* Fontenay.

[f] ibid. p. 416.

* Saiſſy les bois.

ANN. CHR. 578.

ut ſuo loco dicturi ſumus. In hoc numero etiam erant, ut quidem puto, baſilica domni Amatoris, nunc eccleſia parœcialis in urbe; & baſilica ſancti Petri apoſtoli, quæ modo canonicorum regularium. Quibus ex his monaſteriis præfecti fuerint octo illi, qui hoc anno ſubſcripſere ſynodo Autiſiodorenſi, abbates, divinare non licet, præter Winebaudum baſilicæ ſancti Germani abbatem: cui videtur ſucceſſiſſe Palladius, poſtmodum factus epiſcopus Autiſiodorenſis. Niginaldus abbas præerat baſilicæ domni Juliani martyris tempore Deſiderii epiſcopi, qui medius ſedit inter Aunacharium & Palladium. His adde baſilicam domni Martini, quod monaſterium puellarum ultra fluvium Icaunæ conſtructum dicitur in actis ipſius Deſiderii. Ad ejuſdem fluminis ripam extra urbem ſitum erat ſancti Mariani cœnobium, nunc ſolo penitus æquatum. Hujus loci cœnobita erat Robertus monachus, cujus chronologia ſub titulo monachi Autiſiodorenſis jam dudum typis vulgata eſt. In his mentio fit de Drogia * vico pagi Autiſiodorenſis, in quo ſitum erat Fontis-rogi monaſterium à ſancto Romano conſtructum: quod tunc forte jam deſtructum erat, ac ſancti Romani abbatis corpus Autiſiodorum delatum: primo quidem in eccleſia [a] ſancti Amatoris honorifice conditum; dein, Heribaldo epiſcopo Autiſiodorenſi eccleſiæ præſidente, in baſilicam ſancti Germani, rogatu monachorum tranſlatum. His præmiſſis, ad majorem eorum illuſtrationem prædictum Aunacharii conſtitutum referre juvat, omiſſis ruralibus eccleſiis, quæ ſingulis diebus, poſt kalendas cujuſque menſis, rogationes cum clero & populo ſuo facere debebant, prima die in civitate inchoandas cum clero item & populo: ſed ita ut per duodecim menſium capita eædem litaniæ ſeorſim celebrarentur hoc ordine, quem nuſquam alibi ante hoc tempus forte reperias, rametſi in antiquioribus martyrologiis ubique initio cujuſque menſis præſcribitur, *Litanias indicendas.* quod longo poſt tempore ſancivit [b] concilium decimum-ſeptimum Toletanum. Aunacharii conſtitutio ſic habet.

* Drouë.

a Sæc. 1. Bened. p. 86. & 87.

b V. infra lib. 13. n. 41. & lib. 18. n. 18.

Kalendis Januarii baſilica domni Germani.
Kalendis Februarii baſilica domni Amatoris.
Kalendis Martii monaſterium domni Mariani.
Kalendis Aprilis baſilica ſancti Petri apoſtoli.
Kalendis Maii baſilica domni Valeriani & monaſterium Vulfini.
Kalendis Junii baſilica domni Martini.
Kalendis Julii baſilica domni Juliani.
Kalendis Auguſti monaſterium Decimiacenſe ad ſanctum Cyricum.
Kalendis Septembris monaſterium Fontanetenſe.
Kalendis Octobris monaſterium Cotiacenſe Ad-ſanctos.
Kalendis Novembris monaſterium Seſſiacenſe.
Kalendis Decembris monaſterium Manuacenſe.

Pari vero conditione inſtituit Aunacharius, *ut omnibus dominicis diebus ab univerſis archipresbyteris & abbatibus vigiliæ in propriis locis fiant, hoc eſt a die ſancto Paſchæ uſque ad kalendas Octobris, a primo ſero uſque ad illuceſcentem diem;* (vide majorum noſtrorum religionem:) *a kalendis vero Octobris uſque ad natalem Domini a gallorum cantu; & a natale Domini uſque in paſcha a media nocte.*

Item conſtituit, a quibus vigiliæ in eccleſia ſancti Stephani in civitate cum abbatibus celebrentur.

Dominica nocte, baſilica domni Germani, ac monaſterium Decimiacenſe.
Secunda feria, baſilica domni Amatoris, & monaſterium Fontanetenſe.
Tertia feria, monaſterium, quod domnus Germanus conſtruxit, ubi ſanctus Marianus requieſcit; ſimulque Seſſiacus.
Quarta feria, baſilica ſancti Petri, & monaſterium Manuacenſe.
Quinta feria, baſilica domni Martini, & monaſterium Vulfini.
Sexta feria, baſilica domni Valeriani, & monaſterium quod dicitur Varennas.

Poſt hæc idem auctor anonymus agit de ſynodo ab Aunachario celebrata, cui poſt ipſum ſubſcripti referuntur octo abbates, videlicet Winebaudus, Deſideratus, Framnulfus, Gregorius, Amandus, Cæſarius, Baudoveus, & Tegridus: tametſi in vulgatis ſynodi actis, ut jam dixi, ſeptem tantum memorantur, omiſſo Gregorio: & loco Framnulfi Francolus ponitur. In hac ſynodo editi ſunt canones quadraginta-quinque,

iu quibus multa ſunt obſervatione digna. Canone XXVI. ſtatuitur, ut ſi quis abbas mulierem in monaſterium ingredi permiſerit, aut feſtivitates aliquas ibi ſpectare; tribus menſibus in alio monaſterin retrudatur, pane & aqua contentus. Canon XXXVI. vetat, ne mulier nuda manu euchariſtiam accipiat, ſed *dominicalem* ſuum habeat in manu, quando communicat, ut canone quadrageſimo-ſecundo præcipitur. Morem hunc antiquiorem eſſe probat Cæſarius Arelatenſis epiſcopus in quodam ſermone, qui exſtat in appendice ſermonum ſancti Auguſtini, [a] novæ editionis. *Omnes viri*, inquit, *quando ad altare acceſſuri ſunt, lavant manus ſuas: & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Chriſti accipiant.*

AN. CHR. 578.

a Appendice ſerm. 229. n. 5.

Aunacharii pontificatu Walaricus Arvernus ex Autumenſi monaſterio Autiſiodorum acceſſit, ibique admiſſus eſt *in monaſterium beati quondam antiſtitis Unacharii*: ut in ipſius Walarici actis legitur, *quod in ſuburbano ipſius civitatis, in quodam eſt viridario conſtructum.* Id intelligendum de monaſterio ſancti Germani, cujus baſilicam Aunacharius, teſte Herrico [b] monacho, *magnificis prædiis locupletavit*, mortuus kalendis Octobris poſt regiminis annos fere quatuor & quadraginta; ibidemque ſepultus ad pedes ſancti Germani. Actum eſt ſuperius * de Autumenſi apud Arvernos monaſterio, ubi Walaricus ſub avunculi ſui diſciplina eductus, inde abduci nulla patris arte potuit. Victus demum abbas adoleſcentis conſtantia, cenſuit non abjiciendum eſſe, quod ſibi a Deo datum fuerat; eumque unanimi fratrum conſenſu *intra monaſterii ſepta, ad clericatus officium admiſit.* Hic vero poſtea parentum conſuetudinem fugere ſatius ducens, ad prædictum ſancti Germani cœnobium ſe recepit, cui tunc Winebaudus abbas præerat. Iſtic cum in artiſſimis jejuniis, vigiliis & precibus cæleſtem ageret vitam, eum convenit vir quidam genere atque opibus præpotens, nomine Bobo, virtutum ejus fama adductus: quem adeo monitis ac colloquiis ſuis ad pietatem & ad ſæculi contemtum animavit, ut illum in Luxovienſe monaſterium, quod tum celebrari cœperat, ſecum pertraxerit.

LXXIV. Walaricus Autiſiodori admiſſus.

b ibid. p. 565.

* libr. 4. n. 57.

Pæne omiſeram obſervare hoc loco decreta, quæ ad rem monaſticam ſancita ſunt in prædicta ſynodo Autiſiodorenſi: nempe [c] abbatem, qui monachi ſui crimina non emendat aut non denuntiat, in aliud monaſterium ad agendam pænitentiam retrudendum. Non licere [d] abbati aut monacho ad nuptias ire; neque [e] filios de baptiſmo habere. Abbatem [f] vero, qui mulierem in monaſterium ſuum ingredi permiſerit, etiam ad ſpectandas aliquas feſtivitates, tribus menſibus in aliud monaſterium retrudendum, pane & aqua contentum. ubi monaſterii nomine baſilica, ut alibi diximus, comprehenditur, utpote cum mulieres ad ſpectandas ſollemnitates, quæ nonniſi in eccleſia celebrantur, admitti prohibentur. Hinc Gregorius Magnus non uno in loco vetat epiſcopis cathedram ſeu ſtationem ſuam inſtituere in monaſteriis, ne in ſervorum Dei receſſibus quies ac ſolitudo interturbentur. Hæc tamen diſciplina generalis non erat, ut inferius [g] videbimus. Obſervatione dignæ ſunt Pelagii papæ epiſtolæ duæ ad Aunarium, qui ab ipſo *ſanctuaria*, id eſt brandea ſeu pannos ex tumulis [h] apoſtolorum petierat pro novis eccleſiis, quæ tum complures in his partibus conſtruebantur. Petenti annuit pontifex: at queritur, quod Aunarius Italiæ calamitatibus non compatiatur, & quod Francorum reges ad opem ei ferendam non excitet.

LXXV. Autiſiodorenſis ſynodi ſtatuta.

c Can. 23.
d Can. 24.
e Can. 25.
f Can. 26.

g infra lib. 8. n. 49.

h V. ſupra lib. 6. n. 6.

POſtero anno Salonius Ebredunenſis, & Sagittarius Vapincenſis epiſcopi, qui pridem in ſynodo Lugdunenſi ob varia crimina damnati fuerant, ſed Johannis papæ tertii interventu ſedibus ſuis poſtmodum reſtituti; cum ad ingenium & priſtina ſcelera rediiſſent, ac læſæ majeſtatis præterea inſimularentur, in concilio [i] Cabilonenſi, juſſu Guntchramni regis convocato, epiſcopatu dejecti, atque in ſuburbanam ſancti Marcelli baſilicam ſub cuſtodia detruſi ſunt, inde poſtea fuga elapſi. Hæc eſt inſignis illa baſilica trans Ararim * in vico Ubiliaco ſita prope * Cabilonum civitatem, ubi Guntchramnus, poſthabitis Aurelianis, regni ſedem fixerat. quæ quidem baſilica ab eodem Guntchramno condita eſt ante hunc annum, ut patet ex hoc loco: tametſi Fredegarius id factum memorat poſt annos ſex, id eſt Guntchramni regis viceſimo-quarto. Verba ejus huc [k] adſcribo. *Anno viceſimoquarto regni, divino amore tactus, eccleſiam beati Marcelli, ubi ipſe pretioſus requieſcit in corpore, quæ in ſuburbano quidem Cabilonenſe, ſed in Sequanorum eſt territorio, mirifice & ſollerter ædificari juſſit; ibique monachos congregans, monaſterium condi-*

ANN. CHR. 579.

LXXVI. S. Marcelli monaſterii Cabilonenſis origo per Guntchramnum.

i Greg. Tur. lib. 5. c. 28.

* la Saone.

* Chalon ſur Saone.

k Fredeg. chron. c. 1.

ANN. CHR. 574.

dit, ipſamque eccleſiam rebus plurimis ditavit. Addit idem auctor, Guntchramnum, quadraginta epiſcoporum coacto concilio, inſtituta monaſterii ſanctorum Agaunenſium, quæ, jubente Sigiſmundo Burgundionum rege, Avitus Viennenſis aliique epiſcopi comprobaverant, confirmanda, & monachis ſancti Marcelli tradenda curaviſſe. quod forte referendum ad Matiſconenſe concilium ſecundum ipſo anno convocatum, in quo epiſcopi amplius quadraginta interfuerunt. Paulus Warnefridi auctor [a] eſt, eumdem regem ciborium ſolidum ex auro, id eſt umbellam, miræ magnitudinis & eximii ponderis feciſſe, multiſque illud pretioſiſſimis gemmis decoraſſe, atque Jeroſolymam in ſepulcrum Domini mittere voluiſſe: quod cum ob itineris pericula & difficultatem facere minime potuiſſet, Cabiloni ſuper corpus beati Marcelli martyris id ponendum curaviſſe: ubi Pauli diaconi ætate adhuc viſebatur, ætate vero Aimoini Floriacenſis monachi non amplius exſtabat. Quo pacto, a quibuſve operis constructæ ſint aliæ monaſterii partes, legitur in veteri inſtrumento apud San-Julianum: ubi ſingulis vicis, qui monaſterio a rege attributi fuerant,
» ſingulæ monaſterii officinæ conſtruendæ aſſignantur: nempe ut ibi manentes ſervi
» hoſpitale conſtruant: ſolarium vero, id eſt ſuperius conclave, cum caminata illi de
» Gergeiaco & de Alciaco faciant: illi autem de Mercureis & de Canopis lobiam
» ædificent, id eſt porticum ſeu deambulatorium. De Floriaco quoque introitus ec-
» cleſiæ & ſecretarii atque theſauri, monachi ibidem demorantes operatores mittant.
» Illi de Vermiaco ad clauſtri introitum præparandum dirigantur. Porticum ſancti
» Petri illi de Roſiaco dimidiam; illi de Berineis, & de Tapariaco, & de Blaïco di-
» midiam partem. Cellarium illi de Areo, & de Ogniaco, & de Liliaco conſtruant.
» Qui vero Frenis & Lingis habitant, refectorium faciant: & de Scociolis, & de
» Oriengiis, & de Aquis cetera peragant neceſſaria. Hactenus vetus inſtrumentum Guntchramno ipſi adſcriptum, idcirco a me relatum, quod ex eo & veteres monaſteriorum officinæ, & ritus in earum conſtructione olim ſervatus intelligatur.

a Paul. diac. Langob. lib. 3. c. 35.

LXXVII. Idem in S. Benignum munificus.

Non ſolum in ſancti Marcelli baſilicam munificus fuit Guntchramnus, ſed anno regni ſui viceſimo-tertio, ut habetur in chronico ſancti Benigni, cum videret nullos ſibi liberos mares ſupereſſe, opes ſuas in egenos impendit, & in monaſteria; atque in primis baſilicæ [b] ſancti Benigni martyris vicum Elariacum * ad Oſcaram * fluvium cum agris & ſervis plurimis ad victum monachorum contulit, ut pro ſua ac futurorum regum ſalute, totiuſque regni ſtatu Deum precarentur. Inſuper decrevit, ut, quemadmodum in monaſterio Agaunenſi fieri ſolebat, die nocteque in hac baſilica ſine intermiſſione Deo pſalleretur. quod inſtitutum ne temporis diuturnitate ſolveretur, pio principi placuiſſe dicitur, ut abbates Agaunenſes monaſterii Benigniani rectores eſſent ac veluti procuratores; eſſetque e duabus una veluti congregatio; unuſque utrobique ordo, id eſt una vivendi norma, ſervaretur. Idem etiam de cœnobio ſancti Marcelli Guntchramnus ſtatuiſſe fertur in eodem chronico. Apollinarem vero ſimul & monaſterii Agaunenſis, & ſancti Benigni abbatem fuiſſe, immo etiam & ſancti Apri apud Tullum-Leucorum. Denique Apollinaris ſucceſſores utriuſque loci diu curam habuiſſe. unde ſancti Benigni monaſterio multæ in illis partibus accreverint prædiorum poſſeſſiones, ut in eundo & redeundo abbates, eorumque domeſtici ea loca ad hoſpitandum obvia haberent. Et quidem donatio Elariaci per Guntchramnum conſtat tum ex perpetua loci poſſeſſione aliiſque documentis, tum ex placito [c] Chlotharii tertii, Elariacum ſancto Benigno confirmantis anno regni ſui octavo, agente Wlfechramno abbate, cujus *anteceſſor* Richimarus ibidem appellatur, Bertoaldo epiſcopo Lingonenſi. Ut vero conſtet quod ait chronographus, Agaunenſis & ſancti Benigni monaſteriorum aliquanto tempore unos & eoſdem fuiſſe abbates, non facile aſſenſerim. Exſtat apud Perardum [d] charta Godini cujuſdam & Lantrudis uxoris ſuæ, quaſdam poſſeſſiones ſuas in vico Albiniaco tradentium ſancto Benigno anno ſeptimo-decimo Chilperici regis, eodem utique Chriſti anno, quem modo præ manibus habemus: qua in charta Boloneus abbas huic monaſterio tum præfuiſſe memoratur, Apollinaris forte ſucceſſor, qui ambo in vulgato Agaunenſium abbatum catalogo locum non habent. Immo neque Gudinus, qui anno quarto-decimo Theoderici regis, Mietio epiſcopo Lingonenſi, hanc abbatiam regebat: neque denique Richimarus aut Wlſechramnus unus poſt alterum ejus ſucceſſores. Falſus eſt itaque chronographus, Guntchramni diplomate forſan male intellecto, qui, ut inter Agaunenſes & Benignianos mona-

b Chron. S. Benigni. to. 1. Spicil. p. 370.
* Laré.
* l'Ouche.

c Perard. monum. Burgund. pag. 6.

d ibid. pag. 5.

chos perpetuum fœdus ſtabiliret, id ſtatuit, ut abbas utriuſvis loci non aliter utrobique haberetur, quam ſi unus idemque eſſet utrobique rector. quod de unico utriuſque loci abbate chronographus perperam interpretatus eſt. Prædictis Godini litteris ſubſcripſit Agilbertus abbas: ſed cujus loci, ignoramus. ANN. CHR. 579.

Ad Elariacum quod attinet, qui locus eſt ad muros urbis Divionis, traditus fuit proceſſu temporis virginibus Deo ſacratis, quæ iſtic ſub ſancti Benigni abbatis juriſdictione degebant pontificatu Gregorii ſeptimi: cujus loci abbatiſſa fuit ſæculo ſequenti uxor Guidonis, ~~primogeniti fratris ſancti Bernardi Abbatis~~ Claræ-vallenſis. Poſtea neſcio quo caſu, denuo rediit in uſum monachorum, exſtititque ad noſtros uſque dies prioratus conventualis. Elariacenſis cella.

LXXVIII. S. Apri monaſterium apud Tullum * S. Evre.

De ſuburbano apud Tullum-Leucorum ſancti Apri * monaſterio antiquam habemus notitiam ex teſtimonio chronographi ſancti Benigni anonymi, qui ait, Apollinarem Benignianum etiam ſancti Apri apud Tullum fuiſſe abbatem, prout hujus loci monachi in antiquis ſe inveniſſe ſcriniis referebant. Certe hoc ſancti Apri cœnobium longe ante ſæculum nonum extabat, quo tempore Frotharius epiſcopus pæne collapſum, & monachis rebuſque omnibus deſtitutum, denuo erexit ac dotavit. In actis epiſcoporum Tullenſium nondum editis, ſanctus Aper ſeptimus illius urbis epiſcopus fuiſſe dicitur, & ſeptem annis hanc ſedem tenuiſſe, ejuſque depoſitionem XVII. kalendas Octobris celebrari in ejuſdem civitatis ſuburbio, humatus in eccleſia, quam ipſe a fundamentis conſtruere cœpit. Hæc eſt eccleſia nunc ejus nomine inſignita cum adjuncto monaſterio, quod multorum Tullenſium epiſcoporum conditorium fuit. Quod vero ſubdit auctor ille anonymus, qui librum de geſtis epiſcoporum Tullenſium ſcripſit, ſanctum Aprum vixiſſe tempore Hadriani imperatoris; longe falſus eſt ex loco male intellecto vitæ ejuſdem ſancti pontificis, ubi legitur eum ad Cabilonenſium urbem profectum repeiſſe in carcere tres reos catenis vinctos, & pro eis interceſſiſſe apud *Hadrianum, qui per id temporis officium judicis* illic exercebat; ſed repulſam paſſum a Deo impetraſſe, ut clauſtra carceris diſſilirent, & vincula, quibus rei conſtricti erant, rumperentur. ubi quod Hadriano judici tribuit antiquus ille vitæ ſcriptor, prædictus anonymus ad Hadrianum imperatorem perperam retulit. In libro de miraculis ſancti Apri, ejuſmodi catena in monaſterio ejus aſſervari traditur, atque furioſis ſeu energumenis impoſita dæmonem fugare. Sancti Apri ſucceſſor Albaudus ſeu Alodius, ſubſcriptus concilio quinto Aurelianenſi, eccleſiam ab eo cœptam perfeciſſe dicitur, ibique fideles viros apoſtolorum exemplo victuros aggregaſſe, id eſt monachos, ac privilegium *de eodem cœnobio* a ſummis pontificibus obtinuiſſe, eamdemque eccleſiam nuncupaſſe ſanctis martyribus Stephano & Fabiano. Idem monaſterium magnopere auxit Autmundus, duodecimus illius ſedis antiſtes, & in ſancti Apri veneratione *nonnulla ſcripta at reſponſoria ad poſterorum recordationem* exaraſſe dicitur. quod de ejus vita interpretari licet. Vivebat Autmundus ſub finem ſæculi ſexti. Hæc de origine cœnobii ſancti Apri, quod a Frothario epiſcopo ſæculo nono inſtauratum eſt, floretque hactenus ſub congregatione ſancti Vitoni, ſed amplius religione, quam ædificiis.

ANN. CHR. 580.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTIMUS.

Ab anno Chriſti 580. *ad annum* 589.

I. Caſinenſis monaſterii deſtructio.

INSCRUTABILI divinæ providentiæ judicio factum eſt, ut ſacra domus Caſinenſis, quæ acceptiſſimi Deo patris Benedicti, ſanctorumque ejus diſcipulorum opere ac ſudore ædificata fuerat, impiis Langobardorum manibus vaſtata ſit, ac penitus everſa. Quippe in ulteriores Italiæ partes progreſſa Zotone, ut perhibent, duce truculenta cohors, humani ſanguinis non minus avida quam prædæ, nocte intempeſta in ſacrum montem involat, univerſa contaminat, diripit, evertit; & quod auferre aut evertere non valet, igne flammiſque corrumpit. Sic una dies, immo unius diei hora, quinquaginta annorum opus, quibus Caſinas monaſterium ſteterat, excidio ac ruinis dedit. Una funeſtæ illi calamitati ſuperfuiſſe dicitur ea turris, quæ hactenus Caſini viſitur, Benedicti quondam habitatione ac miraculis nobilitata. Hanc cladem, quam vir ſanctus divinitus paullo ante obitum præſcierat, nec precibus, nec lacrymis ſuis avertere potuit, idque tantum apud Deum evicit, ut monachi omnes [a] inde ſalvi & incolumes evaderent. Hi in urbem Romam, quæ & ipſa noviſſime vix Langobardorum inſultus vitare potuerat, cum ſanctæ Regulæ autographo & quibuſdam aliis [b] ſcriptis (hæc nimirum digna piorum monachorum cura erat) aliaque modica ſupellectile (libram panis & menſuram vini memorat Paulus Diaconus) perfugii cauſa ſe ſe retulerunt, Pelagio ſecundo pontifice, qui proximum Lateranenſi patriarchio locum [c] eis ad conſtruendum monaſterium conceſſit. Caſino tum præerat Bonitus abbas, ſucceſſorem in regendo apud Lateranum grege Caſinenſi ſortitus Valentinianum, *qui annis multis*, teſte Gregorio [d], *Lateranenſi monaſterio præfuit*. Unus hic locus ſufficit emendandæ communi noſtrorum ſententiæ, qui hanc everſionem anno ſupra quingenteſimum octogeſimo-nono ponunt. Gregorius quippe dialogos ſuos ſcribere aggreſſus eſt anno nonageſimo-tertio. Jam vivere tum deſierat Valentinianus, qui *multis ante annis*, hoc eſt annis minimum decem, Lateranenſi monaſterio præfuerat. Ergo longe ante annos decem everſum fuerat Caſinenſe monaſterium, & monachi inde fugati, quibus Pelagius continentem Lateranenſi baſilicæ locum ad conſtruendum monaſterium conceſſerat, anno utique circiter octogeſimo, qui quartus erat ejus pontificatus annus. Nec refert quod Gregorio ejus ſucceſſori, dialogorum librum ſecundum ſcribenti, nupera dicatur hæc everſio. *Nuper* enim apud Gregorium non ſemel accipitur pro decem, immo & pro viginti annorum ſpatio, ut duo ejus loca manifeſte

a Gregor. M. lib. 2. Dial. c. 17.
b Paul. diac. lib. 4. c. 18.
c Chron. Caſin. lib. 1. c. 2.
d Greg. M. prol. lib. 2.

ANN. CHR. 580

manifeſte probant, a me alias relata in notis ad hunc Gregorii [a] locum.

[a] ibid. c. 17.

II. Menas ſolitarius.

Unum ex his locis eo lubentius huc refero, quod in eo agatur de Mena ſolitario, qui eo tempore, quo contigit clades Caſinenſis, haud longe a Caſino, nempe apud Samnites, quiddam ab ipſis Langobardis paſſus eſt, ſed non impune. *Nuper*, ait [b] Gregorius, in Samnii provincia *quidam venerabilis vir, Menas nomine, ſolitariam vitam ducebat, qui noſtrorum multis cognitus, ante hoc fere eſt decennium defunctus.* Nihil clarius: en vox *nuper* ultra decennium producta. Pergit Gregorius ex Samnitum omnium teſtimonio narrare, Menam hunc nihil ad uſum ſuum aliud, quam pauca alvearia poſſediſſe: quæ cum Langobardus quidam rapere voluiſſet, mox a maligno ſpiritu arreptum ad ejus veſtigia procubuiſſe. unde magna apud barbaram gentem ſancti viri exiſtimatio, uti apud populares omnes, orta fuerit. Mos vero incolis, immo & longe poſitis accolis is erat, ut certis per hebdomadam diebus viro Dei, peculii omnis prorſus experti, oblationes quiſque ſuas tranſmitteret, ut eſſet quod ipſe ad ſe venientibus offerre poſſet. Hic vero ſalutaria ſingulis monita dabat, non parcens increpationibus, ſi cujus culpæ id exigebant. Forte Carterius quidam, cum ſanctimoniali illicito conjunctus matrimonio, cum abſentis reprehenſionem incurriſſet, præſentis correptionem timens, oblationes ſuas cum aliorum munuſculis ei ſubmiſit. Tum vir Dei, omnibus ſingillatim conſideratis, alias ſeorſim poſuit, acceptaſque habuit: at Carterii oblationes, quas divino inſtinctu agnovit, ſprevit abjecitque, eique hæc dici juſſit: Ergone qui oblationem ſuam omnipotenti Deo abſtuliſti, mihi tuas oblationes tranſmittere auſus es? Ego certe oblationem tuam non accipio, cum Deo ſuam ipſe abſtuleris. Hinc factum eſt, ut præſentes quoſque magnus invaderet timor, quod vir Dei abſentium errata ſic noſſet, ſicque dijudicaret.

[b] Id. lib. 3. c. 26.

III. Lateranenſe monaſterium quo tempore conditum.

Itaque, ut ad intermiſſa me referam, Lateranenſe monaſterium ab anno ſaltem octogeſimo inſederunt Caſinates, eoque circiter anno accidit ſacri eorum cœnobii everſio. niſi quis dixerit, jam ante illam everſionem ſtetiſſe ad Lateranum monaſticas ædes, quas annis multis rexerit Valentinianus, ſancti Benedicti diſcipulus, quem ejus facta referentem Gregorius conſuluerat. Sane quod huic nodo opponam, non aliud habeo, quam teſtimonium Leonis Marſicani in chronico Caſinenſi, ſcribentis, Caſinates, direpto, everſoque cœnobio ſuo, Romam confugiſſe, ubi *ex conceſſione Romani pontificis Pelagii, qui tunc ſedi apoſtolicæ præerat, juxta Lateranenſe patriarchium monaſterium conſtruxerunt.* nam Paulus Warnefridi eos tantum dicit Romam petiiſſe: Gregorius neutrum dicit. Verum nec quidquam ſolidi Leonis Marſicani auctoritati opponi poteſt, ut proinde in ea conſiſtere ſatius ſit, quam meras admittere conjecturas. At corrigendus in eo prædictus auctor, quod ſubdit, Caſinates apud Lateranum perſeveraſſe per centum ac decem annos, *quod Caſinenſe monaſterium deſtructum permanſit.* alius codex habet *centum ac triginta annos*: ſed utrobique diminuto temporis intervallo: cum a Pelagio ſecundo, cujus pontificatu hæc everſio contigit, ad Gregorium tertium, quo pontifice ſacri cœnobii a Petronace inſtauratio facta dicitur a Leone, anni fere centum ac quadraginta interceſſerint. Verum Gregorii tertii loco ſubſtituendus eſt Gregorius ſecundus: qui, cum anno ſeptingenteſimo quinto-decimo pontificatum inierit, annis minimum centum ac triginta-quinque Caſinenſis monaſterii ruinæ perſeverarunt, ſed hæc ſuo loco. Monaſterium iſtud Lateranenſe ſub titulo ſanctorum Johannis Baptiſtæ, Johannis Evangeliſtæ & ſancti Pancratii conditum tradunt, nimirum illud ipſum, quod poſtmodum Gregorius tertius inſtauravit.

IV. Martini Dumienſis obitus.

Ad hunc annum, Childeberti regis quintum, Gregorius [c] Turonum antiſtes revocat Martini Gallicienſis epiſcopi obitum, qui magnum illi populo planctum attuliſſe perhibetur. Verſiculos, ait Gregorius, qui ſuper oſtium ſunt a parte meridiana in baſilica ſancti Martini, ipſe compoſuit. Hos verſus cum aliis editos habes apud Sirmundum, & ex eo in bibliotheca patrum, ubi alia ejuſdem Martini opuſcula edita ſunt. Iſidorus, præter librum de differentiis quatuor virtutum, ei tribuit volumen epiſtolarum, quas nobis injuria temporum ſubtractas impenſe dolemus. *Teſtamentum glorioſæ memoriæ ſancti Martini Bracarenſis epiſcopi, qui & Dumienſe monaſterium viſus eſt conſtruxiſſe*, juſſu Receſuinthi regis ſibi tranſmiſſum, reſerarunt, legeruntque patres decimi concilii Toletani: quo teſtamento *idem glorioſæ memoriæ ſanctiſſimus* vir decreverat, ut ſuccedentibus per ordinem regibus, ad comple-

[c] Greg. Tur. lib. 5. c. 38.

ANN. CHR. 580.

mentum ejus ipſius teſtamenti, conſtitutio commendata maneret. Lectum eſt deinde Recimiri ejuſdem eccleſiæ Dumienſis epiſcopi teſtamentum, quo pretia frugum, abſque ulla exceptione, immo etiam quidquid ex ſervorum ejuſdem eccleſiæ labore & opificiis provenire poterat, quotannis pauperibus erogari præcipiebat, nihil relinquens ad uſus prædictæ eccleſiæ. cui teſtamento modum & *temperamentum* imponunt patres ad preces eccleſiæ Dumienſis, ſtatuuntque, ut ſancti Martini epiſcopi teſtamentum deinceps inviolatum habeatur. Sepultus eſt vir ſanctus in monaſterio ſuo Dumienſi cum hoc epitaphio ab ſe compoſito.

Pannoniis genitus, tranſſcendens æquora vaſta,
Gallicia in gremium divinis nutibus actus,
Confeſſor Martine, tua hac dicatur in aula.
Antiſtes cultum inſtituit, ritumque ſacrorum,
Teque, patrone, ſequens famulus Martinus eodem
Nomine, non merito, hic in Chriſti pace quieſco.

V. Leuvigildi perſecutio in Hiſpania. a *ibid. c.* 39.

Relato Martini obitu Gregorius [a] agit de perſecutione in Hiſpaniis per Leuvigildum regem Arianum in Catholicos excitata ob converſionem Hermenegildi ejus filii, quem Ingundis ejus uxor, Sigiberti Francorum regis filia, Childeberti minoris tunc regnantis ſoror, ad orthodoxam fidem pertraxerat. Hiſpani contra ſcriptores produnt, Hermenegildum eodem anno, quo Ingundem uxorem duxerat, cauſa Goiſuinthæ novercæ ſuæ rebellaſſe, & a patre defeciſſe; Hiſpalimque, in qua ſedem regni ſibi a patre conceſſi fixerat, firmis muniiſſe præſidiis, & alia opida atque caſtella in ſocietatem conjurationis adduxiſſe. Gregorius Magnus [b] alteri Gregorio fidem præſtat, ſcribitque, Hermenegildum, a Leandro Hiſpalenſi epiſcopo, quo Ingundis haud dubie prædicatore uſa eſt, ad fidem catholicam fuiſſe converſum: *quem pater Arianus, ut ad eamdem hæreſim rediret, & præmiis ſuadere, & minis terrere conatus eſt.* Hermenegildum vero conſtantiſſime in fide perſiſtentem ab irato patre regno rebuſque omnibus exſpoliatum, deinde in cuſtodiam concluſum, demum capite amputato martyrii gloriam obtinuiſſe. Hujus perſecutionis cauſa miſſus eſt Conſtantinopolim Leander ad Mauricium imperatorem, ut his malis acerbiſſimis & domeſticæ huic rixæ aliquod remedium afferret: eaque occaſione factum eſt, ut Leander magnam neceſſitudinem contraxerit cum Gregorio, qui tum legati officio in eadem urbe pro Pelagio pontifice fungebatur, ut inferius dicturi ſumus.

b *Greg. M. lib.* 3 *dial. c.* 31.

VI. Chlodoveus regius puer ſepultus ad S. Vincentium Pariſiis. c *Greg. Tur. lib.* 5. *c.* 40. * *Noiſy le grand.* d *ibid. c.* 35.

Poſt hæc Gregorius [c] Francus necem deſcribit Chlodovei, Chilperici regis ex Audovera conjuge filii, quem Fredegundis ejus noverca, propterea quod de futura in regnum ſucceſſione, Dagoberto & Chlodoberto Fredegundis liberis ex dyſenteria ſublatis, ſibi blandiretur, cultro percutiendum curavit. Ejus corpus in profluentem Matronam, quippe in villa Nuceto * agri Pariſienſis necatus fuerat, ejuſdem novercæ juſſu dejectum, piſcator repertum ſub cæſpite humavit, donec a Guntchramno Pariſios tranſlatum, in baſilica ſancti Vincentii regia ſepultura honoratum eſt. Præceſſerat, uti mox dicebam, mors [d] regiorum duorum liberorum Dagoberti & Chlodoberti, quos ex Fredegunde ſuſceptos infeſta dyſenteriæ lues apud Brennacum, agri Sueſſionenſis opidum, immaturos abſumſit. Dagoberti corpus in baſilica ſancti Dionyſii prope Pariſios; Chlodoberti vero in baſilica ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani apud Sueſſionas ſepultum eſt. Venantius Fortunatus [e] amborum fratrum mortem epitaphio celebravit.

e *Fortun. lib.* 9. *c.* 4. *&* 5.

VII. S. Criſpini monaſterium Sueſſionenſe.

An hæc ſuburbana ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani baſilica tum a monachis occupata fuerit, non levis eſt difficultas. Eam principio cathedralem fuiſſe, nec ante ſæculum nonum in aliam, quæ nunc epiſcopalis eſt, ſanctorum Gervaſii & Protaſii eccleſiam epiſcopi & cleri ſedem tranſlatam fuiſſe, communis recentiorum perſuaſio eſt, quam nec præſtare velim, nec elevare. Baſilicam ſanctorum Criſpini & Criſpiniani non uno in loco appellat Gregorius, quo nomine monaſteriales paſſim eccleſias, neſcio an umquam epiſcopales appellat, quas ſeniorum eccleſiarum, aut præciſe eccleſiarum nomine inſignire ſolet. Nulla tamen monachorum in hac Criſpiniana baſilica diſerta mentio eſt ante ſæculum nonum: ſub cujus finem Carolus, cognomento Simplex, in quodam pro ea diplomate gregem *monachalis or-*

dinis monaſterii pretioſorum Chriſti martyrum Criſpini & Criſpiniani appellat. Certe in exceptione corporis beati Medardi, quando, pompam deducente rege Chlothario, ex urbe Noviomago Sueſſionas allatum eſt, Rodoinus [a], ſæculi noni Medardenſis monachus, agmina ſacerdotum & clericorum, cum turba populorum nbviam ſacro corporis concurriſſe ſcribit, nulla monachorum mentione facta. Ad hæc Anſegiſus abbas Fontanellenſis Ludovico Pio imperante, teſtamento legat *ad Sueſſionis civitatem libram unam, ad ſanctum Criſpinum ſolidos quindecim, ad ſanctum Medardum monachis libram unam.* dicturus pariter monachis ad ſanctum Criſpinum, ſi monachi tunc in illa baſilica extitiſſent. Denique Eiricus comes eodem fere tempore in charta autographa pro eadem baſilica, mentionem quidem facit *fratrum ibi Deo militantium:* an vero hi clerici fuerint, monachive, non exprimit. quamquam id pro monachis facit, quod loci abbatem nominat, ubi ſub gravi interminatione vetat, ne *quelibet perſona, aut judiciaria poteſtas, vel abba, ſeu quicumque locum tenuerit*, hanc ipſius donationem infringere auſit. Monaſterium tamen vocat ſancti Bandaridi epiſcopi vitæ interpolator, monachoſque iſtic tum fuiſſe non obſcure indicat, cum ait, reverteni ab exſilio Bandarido obviam proceſſiſſe omnem clerum *monaſtici & canonici ordinis.* quod de aliis quam de ſancti Criſpini monachis intelligi non poteſt, cum nulli alii tunc ea in urbe monachi fuerint, ſancti Medardi monaſterio nondum exſiſtente. At iſtius interpolatoris teſtimonium, qui vix ſæculum undecimum excedit, non ſufficit ad tantæ antiquitatis factum legitime adſtruendum. Hæc ut in tanta rerum obſcuritate & temporum diſtantia. Ceterum hæc baſilica Major dicitur comparatione alterius ſancti Criſpini eccleſiæ in Cavea dictæ, item extra urbem ad Axonam ſitæ, ubi ſancti martyres in cuſtodiam a tyranno traditi ſunt. Hæc infra urbem canonicorum regularium eſt ordinis ſancti Auguſtini; illa ſupra urbem, monachorum ſancti Benedicti ſub congregatione ſancti Mauri, uti & proximum ſancti Medardi percelebre monaſterium, quod ſolo Axona fluvio ab hoc ſancti Criſpini cœnobio dirimitur. Major porro baſilica dicta eſt tum ob antiquitatem, tum ob reliquias beatorum martyrum, quas ad patrum noſtrorum ſæculum poſſederunt ejus loci monachi, dum, furente Calviniſtarum rabie, in eccleſia beatæ Mariæ, tamquam in tuto aſylo, depoſitæ ſunt, unde numquam deinceps ex Benedictinis ejus loci ſanctimonialibus recuperari potuerunt.

ANN. CHR. 580.

[a] Spicil. t. 8. p. 403.

Erat in eadem diœceſi Sueſſionica, ſed proxime Compendium * opidum, Cauciacenſe * monaſterium, cujus loci abbas ſequenti ſæculo fuit Bettolenus, qui Anſerico Sueſſionenſi epiſcopo ſucceſſit non ſine ſimoniæ ſuſpicione: quam ut purgaret, abdicato epiſcopatu in ſuum monaſterium denuo ſe recepit. Iſtic, teſte Fredegarii continuatore, id eſt Cauciaci, ſepultus eſt Childebertus tertius in baſilica ſancti Stephani martyris. qui vicus ad Axonam poſitus, haud procul ab hujus fluvii & Iſaræ confluentibus, olim villa regia erat, ponte lapideo inſignis flumini impoſito, uti ejus reliquiæ hodie quoque indicant.

VIII. Cauciacenſe monaſterium.

* Compregne.

* Chaiſy.

Hoc fere tempore Sequanus abbas Segeſtrenſis, cujus ſuperius [b] meminimus, ad ſuperos migravit XII. kalend. Octobris, quo die Uſuardus eum commemorat his verbis: *In territorio Lingonicæ civitatis ſancti Sequani presbyteri.* Ado fuſius eum laudat, & Segonum vocat, cujus verba huc adſcribo. *In territorio Lingonicæ civitatis, monaſterio Segeſtro, depoſitio ſancti Segoni presbyteri & monachi, qui miræ abſtinentiæ & monaſticæ perfectionis atque eremiticæ ſolitudinis ſectator, virtutum & miraculorum gratia illuſtrem converſationem duxit.* Uterque abbatis nomen, tametſi eum abbatem fuiſſe conſtet, pro more illorum temporum reticet, quibus temporibus abbates & monachos preſbyteros paſſim ſolo preſbyteri titulo donari uſus obtinebat. Sancti Sequani vitam & miracula ſcripſit anonymus ejus æqualis. Auctor eſt [c] Gregorius, quod anonymus ille ſilet, Guntchramnum regem cornu venatorio amiſſo, multos illius furti ſuſpectos in vincula conjeciſſe, nonnullos etiam fortunis ſpoliaſſe: ex quibus tres metu ſuppliciorum ad ſancti Sequani ſepulcrum confugiſſe, quos rex vinciri juſſerit: media vero nocte diſſiluiſſe ferreas compedes, & ruptis omnibus catenularum anulis ſolutos eſſe miſeros. quo miraculo regem perterritum ægre incolumes eos ſtatim dimiſiſſe. Hactenus ſancti Sequani reliquiæ aſſervantur in Segeſtrenſi monaſterio, quod ejus nomine jam inſignitum erat, cum eo ſeceſſit Benedictus, ille celebris ordinis monaſtici reformator & abbas Anianenſis, qui locum illum ſæculo octavo maxime illuſtravit.

S. Sequani obitus.

[b] lib. 2. n. 24.

[c] Greg. de gl. conf. c. 88.

ANN. CHR. 581.

IX. S. Eparchii abbatis acta. * S. Cibar. a Greg. Tur. lib. 6. c. 8. * Perigueux.

POſt hunc annum incidit mors Eparchii * abbatis Ecoliſmenſis, nobili genere apud Petrocorios orti, qui ex monaſterio Sedaciaco, ubi anno ætatis quintodecimo in rebus monaſticis inſtitutus fuerat, Ecoliſmam acceſſit, ibique recluſus in cellula cum paucis monachis ad exitum uſque perſeveravit. Libellum de ejus vita, ab auctore æquali ſcriptum, cum Gregorio a Turonenſi epiſcopo tantiſper conferre aliquod operæ pretium fuerit. Eparchius in ipſa urbe Petragorica * genitus, patre Felice, cognomento Oriolo, matre Principia, avum comitem Feliciſſimum habuit. Cum ter quinos ageret annos, ait vitæ ſcriptor, relicta ſæculari militia ſeu converſatione, inſciis omnibus Sedaciacum expetiit monaſterium, & ad pedes Martini abbatis proſtratus, ſe monachum fieri poſtulavit; idque, invitis licet parentibus, obtinuit. Magna mihi ſuſpicio eſt hunc eſſe Martinum abbatem Santonicum, de quo Gregorius b Turonum epiſcopus agit; vicumque illum haud nominatum, in quo monaſterium ejus ſitum erat, Sedaciacum eſſe forte locum illum, qui modo vernacule *S. Martin de Sarſey* vocatur. Apud Gregorium uno verbo, *poſt converſionem clericus factus* dicitur vir ſanctus: ubi clericum perinde eſt ac monachum fieri. Deinde facta quædam ab eo patrata leguntur apud anonymum, tum in Lemoïalo agello monaſterii ſui præſente Victuriano monacho, tum apud Senocellam, quo orationis cauſa cum Manderico monacho properabat *ad occurſum ſancti Aquilini* epiſcopi Petrocorienſis. Hinc conjicias monaſterii Sedaciacenſis ſitum, quem Johannes Puteanus perperam quærit apud Hiſpanos. Notos fugiens Eparchius, cum apud Ecoliſmam * incognitum ſe putaret, Aptonio ejuſdem urbis antiſtiti indicatur. qui eum longius ire non ſinens, locum, etſi non longe ab urbe, ſecretum tamen, ei oſtendit, ex una parte latere montis, unde fons aquæ perennis manabat, ex altera Carantono * fluvio vallatum. Cum locus Eparchio arriſiſſet, noluit tamen inconſultis epiſcopo Sabaude & abbate ſuo iſtic recludi. Si Petrocoriis tum præerat Sabaudis, aut Santonibus, (nam ſedem ejus non exprimit anonymus) in vulgatis indicibus ſupplendus eſt. Hunc adiit Eparchius cum miſſis Aptonii epiſcopi Ecoliſmenſis, Frontonio archidiacono, qui poſtea epiſcopatus in eadem eccleſia meruit dignitatem; Arthemio item archidiacono, & alio Arthemio defenſore. Ægre impetrata facultate, recluſus eſt in prædicto loco, ornatuſque ſacerdotii honore ab Aptonio: qua in recluſione annos triginta-novem explevit. Gregorius quadraginta-quatuor habet, ex eoque colligimus recluſionem hanc fuiſſe *in cellula*, hoc eſt in monaſterio, in qua *collectis paucis monachis* orationi aſſidue vacabat. Ad hæc panis, inquit, in cellula illa, eo vivente, numquam coctus fuit, ſed a devotis, cum neceſſitas exegiſſet, inferebatur. Conſentit anonymus, aſſerens virum ſanctum non diebus, non noctibus a curſu, id eſt officiis divinis, & precibus ſacris umquam ceſſaſſe, neque permiſiſſe, ut monachi ſui labori aut coquendis panibus, ſed tantum orationi inſiſterent: quamquam ipſe in Sedaciaco monaſterio vineam & terram excoluerat. Ubi vero panem ſibi ad veſcendum deeſſe fratres queritabantur, ipſe, collationibus & dictis patrum oppoſitis, eorum querelas reprimebat hoc effato: Fides famem non timet. In ſumma, veſtitus ejus & victus aſperrimus erat, vino numquam uſus, aut alio quovis liquore.

* Angouleſme. * la Charente. b Greg. Tur. de gl. conf. c. 101.

X. Miracula & mors.

Tantæ virtutis viro ſuperna non defuere miracula, præſertim in liberandis reis morti addictis. Unum refert Gregorius de quodam latrone, ad patibulum damnato, cujus ſalutem cum a comite ſeu judice impetrare non potuiſſet, e patibulo depoſitum, atque ad ſe adductum, precationum ſuarum merito adhuc ſpirantem invenit, moxque incolumem reddidit. quod ex ipſius comitis ore Gregorius ait ſe accepiſſe. Chramnulfum appellat comitem anonymus, qui id reſcierat ex Gratiano preſbytero & monacho, quo miniſtro uſus fuerat Eparchius ad ſolvendum reum. Idem aliud factum commemorat de quodam Arthemio, qui cum ſcripturas lectitaret, atque ex ea lectione *ſervus Dei*, id eſt monachus, eſſe cuperet, *nec clericus ordinatus*; in pago Santonico ſe recluſit. Hic cum multis annis in ea recluſione vixiſſet, promiſſoſque capillos haberet, dæmonis inſtinctu demum e cella egreſſus, ad Childebertum regem ire diſpoſuit, ejus regni, aiebat, vires exploraturus. Hominis inſaniam advertentes ejus parentes, equo impoſitum, manibus ac pedibus ligatis, ad Eparchium adduxerunt, plurimum de ſanctitatis gloria ex longiori coma ſibi plaudentem. Id genus monachos Hieronymus alicubi inſectatur. Eparchius ei bene precatus, eum *more laico* tonderi præcepit invitum; ac poſtera die *clericum illum ordinavit*, reciſis ſcilicet ad cutem

ANN. CHR. 581.

capillis. qui poſtea ad ſanam mentem reverſus, diaconuſque factus eſt. Eparchius vero tandem modica febre pulſatus, e vita migravit kalendis Julii, *vir magnificæ ſanctitatis*, ait Gregorius; *protractuſque e cellula*, ſepulturæ mandatus eſt, nempe in baſilica, teſte anonymo, haud dubie monaſterii ſui, ubi ejus reliquiæ aſſervatæ ſunt ad ſæculum patrum noſtrorum, quo tempore a furentibus hæreticis combuſtæ ſunt. *Reclauſum* Gregorius eum ſemper vocat; *cellulam* vero locum, ubi ſimul cum ſuis monachis vivebat. quo nomine monaſteria non raro deſignat idem auctor. Verum peculiari cella in monaſterio ſuo incluſum fuiſſe, in eaque perſeveraſſe Eparchium acta ejus ſatis ſuperque probant.

XI. S. Eparchii monaſterium apud Santones. [a] *Bibl. nov. Labbe to. 2. p. 524.* * *Monty.*

Poſt ejus obitum [a] Waldericus, Santonicæ urbis civis haud ignobilis, monaſterium & domum ad pauperum neceſſitatem in ſuo prædio ſuper Carantoni fluvium, loco quem Montem * appellant, in honorem ſancti Eparchii conſtrui curavit. Eo mortuo Gratharius quidam monaſterii agrum occupare inſtitit. Ruſticus abbas poſtulavit ſupplex, ut pauperibus ager reſtitueretur. Eo pernegante, indictum eſt monachis triduanum jejunium. Ille vero gravi morbo percuſſus, miſſo ad cœnobium argenteo vaſe, villam ſe incunctanter redditurum promiſit, tantum ut convaleſceret. Sed irritæ preces avari & rapacis hominis, qui & villam reddidit, & vitam amiſit. Sic pereunt qui res pauperum malis artibus captant.

XII. Burdegalæ alia eccleſia. [b] *ibid. p. 525.*

Aliam *ſacri ordinis* eccleſiam Burdigalæ conſtituit ſæculo ſexto Nicaſius, *tunc temporis Ecoliſmenſis epiſcopus*, ut legitur apud Labbeum. quæ verba forte innuunt, Nicaſium poſtea tranſlatum fuiſſe in ſedem Burdigalenſem, cujus multi antiſtites poſt Gundegiſilum deſiderantur. Hoc in loco *eccleſia ſacri ordinis* [b] non alia videtur fuiſſe quam monachalis, a Nicaſio forſan erecta in memoriam excitati mortui apud Burdigalenſes. De Ecoliſmenſi ſancti Eparchii monaſterio, variaque ejus fortuna plura in conſequentibus.

XIII. Petrocorienſia monaſteria.

Erant & alia tunc temporis monaſteria apud Petrocorios: Genoliacenſe, ubi Amandus Lemovix cum ſociis in diſciplina monaſtica inſtitutus; Calabrenſe haud longe a Dordonia fluvio, ubi quadraginta monachi degebant ſub Sacerdote abbate, poſtmodum epiſcopo Lemovicenſi, cujus corpus primo quidem in prædicto cœnobio Calabrenſi conditum fuit; deinde tranſlatum in Sarlatenſe, quod proceſſu temporis in epiſcopalem eccleſiam converſum eſt. Ad hæc Temolacenſe, nunc prioratus Ecoliſmenſi ſancti Eparchii monaſterio ſubjectus, ubi olim duodecim monachi reſidebant; Bonalenſe, ubi ſanctus Avitus, poſtea eremita, ſub Licinio abbate vixiſſe dicitur. Præterea cœnobium Albæ-terræ, quod a beato Mauro inſtitutum ferunt. Palnatenſe * ſerius conditum fuit, nempe Carolo-Magno imperante.

* *Paunat.*

XIV. B. Mauri ſeceſſus abdicatâ præfecturâ.

Sub finem hujus anni, qui conditi Glannafolienſis monaſterii duodequadrageſimus erat, beatus Maurus, cum antea jam non facile prodiret extra monaſterium, ſed commiſſa præpoſitis rerum omnium cura, ſoli Deo in oratione & lectionibus piis vacaret; biennio ante mortem, ædificata ſibi juxta oratorium beati Martini cellula, remotam a communi fratrum cœtu vitam ducere inſtituit. Sed quia gregem illum ſanctiſſimum abſque rectore eſſe non decebat, eum de ſucceſſore deligendo commonuit. cum vero omnes ab ejus auctoritate ac ſententia ſe pendere conteſtati eſſent, Bertulfum, nobiliſſimum illum Flori, cujus ſupra meminimus, filium, virum maxima religione præditum, fratribus propoſuit, eique protinus electioni omnes præbuere aſſenſum. Eo itaque in ſuum locum ſubſtituto, Maurus prope oratorium ſancti Martini ſe recepit, duobus tantum ad ſibi cohabitandum & miniſtrandum comitatus fratribus, Primo ſcilicet atque Aniano, ceteris commonefactis, ut Bertulfo obſequentes eſſent, & in tuenda diſciplina regulari coadjutores. Hoc beati Mauri exemplum ſecuti complures e noſtris, abdicata paſtorali cura, uni ſaluti ſuæ procurandæ ſe totos dederunt: rati non alio modo geſtæ præfecturæ ſecuros tremendo Dei judicio ſe poſſe adeſſe, quam ſi prius tanto pondere exonerati, errata ſua in ſeceſſu lacrymis & pœnitentia diluiſſent, atque in humilioris vitæ genere afflatos ex diuturno præſulatu ſpiritus depoſuiſſent. Hinc prudentibus poſterioris ævi hominibus religioſis non paucis viſum eſt, magnum ad tuendam religionem præſidium eſſe, ſi præfecturæ non diuturnæ, multo minus perpetuæ eſſent; & temporis modus imponeretur, quibus juris imponi vix poſſit. quippe neminem melius imperare, quam ſi obſeqoendi difficultatem identidem experiatur. Poſt duos & ſeſqui annos vitæ remotioris, Maurus beati Martini oratorium de more ingreſſus, dæmonem ſibi inſultantem,

ANN. CHR. 582.

fratrumque ſuorum ſtragem ſibi minitantem audivit. quæ quanta inde conſecuta ſit, poſtea exponemus.

XV. Lues apud monachos Uticenſes.

a Greg. Tur. lib. 6. c. 14.

POſtero anno, qui Childeberti junioris ſeptimus a Gregorio [a] notatur, magna lues Galliam afflixit, multoſque e medio ſuſtulit. Huc forte revocanda eſt ſæviſſima illa peſtilentia, qua Uticenſes monachi ad ſeptuaginta-octo confecti ſunt. Non defuit ſuis in tanto diſcrimine Ebrulfi abbatis ſollicitudo ac providentia, qui monitis & officiis omnibus aderat, omnibus ſuccurrebat. Unus tamen ex eis Anſbertus abſque ſacro viatico defunctus eſt. quod ubi vir Dei intellexit, ſeipſum negligentiæ reum confeſſus, afferri ſibi mortuum præcepit. Mox fuſis precibus, elata voce mortuum vocat. Ille ſtatim apertis oculis, caput erigit, ſervatori bene precatur, communionem petit. Nec mora *jubetur afferri ſacrificium.* quo accepto, ſpiritum denuo exhalavit. Nec præterierim, quamquam id ad commemorandum leve apparet, cuidam monaſterii famulo, qui res fratrum diligentiſſime procurabat, redditam item vitam & ſoſpitatem, qui ad funus compoſitus, extra monaſterium, ubi conditorium erat, mox fuerat deportandus. ubi obſervare convenit, alios a monachis rerum temporalium procuratores aliquando adhibitos fuiſſe; & cœmeteria non raro extra monaſteria exſtitiſſe. quod in Sithienſi, Laubienſi, aliiſque non paucis uſu venit. Quamquam apud Uticenſes ea cauſa erat, teſtante Orderico [b] ejus loci monacho, quod, eum in valle, in qua ſitum erat monaſterium, paluſtris humus eſſet, in hieme paſſim, ubi foderetur, mox ſcaturiebat aqua, quæ foveam ſtatim complebat. unde cœmeterium poſitum erat in vicino colle, qui inter rivum Carentonæ & ſilvam conſiſtit: ubi Ultrogottha regina, Childeberti regis uxor, oratorium conſtrui curaverat, beatæ Virgini Deiparæ nuncupatum.

b Orderic. hiſt. lib. 6.

XVI. Gregorius ad Tiberium miſſus.

Non ſerius hoc anno, quidquid contra Baronius ſentiat, Gregorius, ex monaſterii ſui quiete avulſus, a Pelagio pontifice miſſus eſt Conſtantinopolim ad novum imperatorem Tiberium ſalutandum, & res eccleſiæ procurandas, cum ipſum prius diaconi honore pontifex ad id munus obeundum ornaſſet. Nota quippe omnibus erat Gregorii prudentia & dexteritas in rebus gerendis, longo urbanæ præfecturæ uſu comprobata; nec dubitavit Pelagius, quanti momenti eſſet, virum, ea dignitate & virtute præditum, in tanta rerum difficultate apocriſarium creare, tum ut catholicos, ipſumque imperatorem in officio contineret, tum ut ſchiſmaticos hæreticoſque aut coerceret, aut ad fidem & communionem revocaret. Quanto animi dolore a monaſterio avulſus ſit vir piiſſimus, aperit ipſe cum aliis in locis, tum in præfatione ad libros Moralium, Leandro Hiſpalenſi epiſcopo, qui tum in regia
» urbe legatum pro Hermenegildo principe agebat, nuncupatos: ubi ſe repente ſub
» ſpecie eccleſiaſtici ordinis in cauſarum ſæcularium pelago conſtitutum ingemiſcit;
» & quietem monaſterii, quam habendo non fortiter ſe tenuiſſe dicit, quam ſtricte
» tenenda fuerit, perdendo cognoviſſe. Adeo vero ſacri altaris miniſterium, quod alii tam cupide quærunt, non ambierat, ut ſibi ignoranti, immo renitenti onus fuerit impoſitum, &, ſi impune liceret, iterum fugiendo a ſe removeret. At pontifici parendum fuit, ſed ita ut vir ſanctus miro quodam modo, ut Baronius loquitur, ipſum ſecum monaſterium veheret, cum videlicet complures ex ſuo monaſterio ſecum duceret monachos, qui, ubicumque locorum eſſet, monaſterium referrent florentiſſimum monaſticis inſtitutis. unde ipſe in eadem præfatione ad Leandrum:
» Me, inquit, multi ex monaſterio fratres mei germana caritate ſecuti ſunt. quod di-
» vina factum diſpenſatione conſpicio, ut eorum exemplo ad orationis placidum li-
» tus, quaſi anchoræ fune reſtringerer, cum cauſarum ſæcularium inceſſabili impul-
» ſu fluctuarem. Ad illorum quippe conſortium, velut ad tutiſſimi portus ſinum poſt
» terreni actus volumina fluctuſque fugiebam: & licet illud me miniſterium, ex mo-
» naſterio abſtractum, a priſtinæ quietis vita mucrone ſuæ occupationis exſtinxerat;
» inter eos tamen, per ſtudioſæ lectionis alloquium, quotidianæ me adſpiratio com-
» punctionis animabat. Videant qui ſe in tumultum rerum ſæcularium ſponte conjiciunt, quam diſtent a præclariſſimo hoc exemplo, & quam longe abſint a via ſalutis, quam majores noſtri ſanctiſſimi renuerunt.

XVII. Maximianus ejus ſocius.

c Greg. M. dial. lib. 3. c. 36.

In eo fratrum numero erat Maximianus, poſtea Siracuſanus epiſcopus, qui ex urbe regia Romam [c] navigio revertens, oborta ſæviſſima tempeſtate, cum fracto ma-
» lo, veliſque diſſipatis, navis dehiſcens jam proximum exitium minaretur, ad præ-

Digitized by Google

AN. CHR. 582.

ſentem mortem ita ſe cum ſociis comparavit. Omnes quippe ſibi invicem pacem dederunt, corpus & ſanguinem Redemtoris acceperunt, Deo ſe ſinguli commendantes, ut eorum animas benigne ſuſciperet, quorum corpora in tam pavendam mortem tradere videbatur. At ſingulari Dei beneficio contigit, ut navis, quæ ad ſuperiores tabulas aquis oppleta erat, per octo dies incolumis, nono tandem die in portum Cortonenſem enataverit, omnibuſque inde egreſſis in ipſo portu undis ſit ſubmerſa. quo ex loco docemur, ut etiam ex Satyri Ambroſii fratris exemplo, peregrinantes olim euchariſtiam geſtare ſolitos, qua ſeſe in præſentibus periculis munirent.

XVIII. Eutychius patriarcha errorem deponit.

In illa Gregorii apud Tiberium legatione contigit Eutychii Conſtantinopolitani patriarchæ cum Gregorio collatio de reſurrectione carnis, quam Eutychius, vir alias ſanctiſſimus, minime tractabilem fore, Origenis dogma ſecutus, aſſerebat. Hunc vero errorem tam aperte falſi convicit Gregorius, ut patriarcha eodem anno morti proximus, manus ſuæ pellem dextra contingens profeſſus fuerit, ſe indubitanter credere, reſurrectionem in hac ipſa carne futuram. Totam hanc cum Eutychio diſputationem libris moralium ſuorum [a] Gregorius inſeruit, quam huc referre non ſinit inſtitutæ brevitatis conſilium. Peracta diſputatione Tiberius imperator, qui præſens aderat, probatis Gregorii rationibus, Eutychio auctor fuit, ut librum de hoc errore ab ſe conſcriptum combureret: moxque Gregorium & Eutychium graviſſimus invaſit morbus, ex quo ille tandem convaluit, non vero Eutychius: qui cum Dominica prima poſt paſcha, Aprilis die quinta obierit, plane hoc anno, non octogeſimo-ſexto, ut vult Baronius, mors ejus accidiſſe dicenda eſt, adeoque mors Tiberii auguſti, qui, teſte Euſtathio in libro de vita Eutychii patriarchæ, quatuor tantum menſibus ſupervixit, ſucceſſorem ſortitus Mauricium magiſtrum militum, quem paullo ante Cæſarem dixerat.

[a] *id. lib. 14. moral. c. 29.*

XIX. Libri in Job incœpti.

Neque is ſolus Gregorii in regia urbe commorationis fructus fuit. quin etiam quantumvis officii ſui curis occupatus, maxime arduum opus, nempe libros moralium in Job, ibidem aggreſſus eſt, rogatu fratrum ſuorum, ſed flagitante in primis Leandro epiſcopo, quicum ſummam neceſſitudinem & familiaritatem, ob morum affinitatem, in pari legatione contraxit. Hinc illa Gregorii verba in præfatione ad eoſdem libros. Dudum te, frater beatiſſime, in Conſtantinopolitana urbe cognoſcens, cum me illic ſedis apoſtolicæ reſponſa conſtringerent, & te illuc injuncta pro cauſis fidei regis Wiſigotthorum legatio perduxiſſet, omne tuis auribus, quod de me diſplicebat, expoſui. quomodo ſcilicet poſt diu dilatam converſionem ſuam, monaſterii demum portum petiiſſet, & poſtea ex tranquillo illo portu in turbulentiſſimum rerum ſæcularium pelagus denuo abreptus fuiſſet, ut apocriſarii officium Conſtantinopoli obiret. Tunc eiſdem fratribus, quos nimirum Roma ſecum adduxerat, etiam cogente te placuit, ſicut ipſe, inquit, meminiſti, ut librum beati Job exponere importuna me petitione compellerent, & prout veritas vires infunderet, eis myſteria tantæ profunditatis aperirem. Hæ nimirum erant piorum illorum hominum animi agitationes, hæ collationes, ubi tantiſper a rerum ſæcularium, quæ officii ſui erant, tractatione licebat reſpirare. In conſequentibus mira eſt Gregorii modeſtia & humilitas, qui tanto imparem operi ſe reputans, ipſa tamen deſperatione robuſtior & erectior, id impoſſibile non eſſe judicavit, quod de fraternis ſibi cordibus caritas imperabat. Nam quamvis eorum, ait, quibus exponere compellebar, longe me vita tranſſcenderet; injurioſum tamen eſſe non credidi, ſi fluenta uſibus hominum plumbi fiſtula miniſtraret. Immo vero non plumbea, ſed aurea plane fiſtula, quæ tot divinæ ſapientiæ theſauros & arcana in fidelium mentes & corda infundit. Porro cœptum hoc anno eximium opus illud Gregorius integrum & abſolutum primo ſui pontificatus anno ad Leandrum, qui illud ſummopere expetebat, tranſmiſit, ut ipſa præfatio & litteræ tunc ad eum ſcriptæ probant.

XX. Gregorius ad ſuos redit.

Paullo poſt Tiberii obitum, qui menſe Auguſto hujus anni accidit, Gregorius, ſuo munere rite perfunctus, Laurentio diacono, quem Pelagius novo imperatori Mauricio novum apocriſarium deſtinavit, locum fecit, Romamque reditum maturavit, magnis donatus muneribus, in primis reliquiis ſancti Andreæ apoſtoli & beati Lucæ evangeliſtæ, tempore Juſtiniani refoſſis, & honorificentiori loco reconditis in baſilica apoſtolorum, quam idem imperator pro dignitate inſtauraverat. Reliquiæ dono conceſſæ Gregorio, ut in veteri codice bibliothecæ, olim Altaem-

ANN. CHR. 582.

penſis, nunc Ottobonianæ legimus, fuere brachia ſanctorum Andreæ & Lucæ,
(caput beati Lucæ Baronius, aliique præferunt) quæ Pelagius papa intra palatium
» ſuum in eccleſia ſancti Laurentii, ſcholæ baſilica, repoſuiſſe memoratur: ubi quie-
» verunt uſque ad ipſius Gregorii pontificatum, qui anno præſulatus ſui ſecundo ma-
« num ſancti Andreæ venerabili abbati ſancti Andreæ ad clivum Scauri dedit: bra-
« chium vero ſancti Lucæ evangeliſtæ atque brachium ſancti Andreæ apoſtoli, abſque
» manu, præcepit deportari ad eccleſiam beati Andreæ juxta baſilicam principis apoſ-
» tolorum in Vaticano, non longe a ſepultura Julii Cæſaris, quam idem pontifex
» conſecravit. Partem vero brachi ejuſdem ſancti Andreæ dedit religioſo abbati ſanc-
» ti Sabæ, quæ eccleſia poſita eſt prope portam ſancti Pauli apoſtoli, ubi quotidie
» mirabilia fieri dicuntur. Hactenus codex. Verumtamen brachium ſancti Andreæ
Andreano monaſterio conceſſum tradunt; caput vero ſancti Lucæ baſilicæ Vaticanæ: quibus in locis hactenus oſtenduntur. Tunc redditus fratribus ſuis Gregorius, mirum quanta cum animi ſui voluptate priſtina clauſtri officia repetierit, non infra ſe exiſtimans, abbatis munus in ſe ſuſcipere, quod omnes unanimi conſenſu ipſi detulerunt. Neque vero hujus officii reminiſci jam pontifex in Romano concilio tertio dedignatus eſt, ubi, *Quam ſit neceſſarium*, inquit, *monaſteriorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, ante actum nos officium*, QUOD IN REGIMINE CŒNOBII EXHIBUIMUS, *informat.* & in libro tertio dialogorum, ubi receptæ ex Eleutherii abbatis precibus facultatis ad jejunandum in ſabbato ſancto meminit, ait ſe penitus oblitum ægritudinis ſuæ, *cum in diſpoſitione monaſteris* ſui mens occupata fuiſſet. Verum de his plura ſuo loco.

ANN. CHR. 583.

XXI.
Eutropii abbatis apologia pro diſciplina monaſtica.

JOhannes abbas Biclarenſis ſcribit anno ſequenti Eutropium abbatem Servitanum, ſancti Donati Servitani abbatis primi diſcipolum & ſucceſſorem, clarum exſtitiſſe. Tanta vero Eutropii apud Hiſpanos exiſtimatio erat, ut in ſynodo tertia Toletana, in qua totius Hiſpaniæ, Galliæ, nempe Narbonenſis, & Galliciæ epiſcopi convenerant, numero ſeptuaginta-duo, *ſumma ſynodalis negotii penes ſanctum Leandrum Hiſpalenſis eccleſiæ epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium monaſterii Servitani abbatem fuerit.* Erant ejus tempore quidam Servitanorum monachorum cenſores, qui Eutropium immodicæ ſeveritatis tum in arguendo, tum in vivendo culparent, eumque ad quoſvis in ſuorum numerum admittendos plus æquo moroſum ac difficilem eſſe quererentur. Apologeticam hac de re epiſtolam ſcribere coactus eſt Eutropius ad Petrum epiſcopum, ſive quod eum inſtituti ſui patronum ac defenſorem habere cuperet, ſive quod cenſorum ſuorum fautorem aut conſcium exiſtimaret. Exſtat hæc epiſtola in appendice ad Codicem regularum *ad Petrum papam*, ut præfertur, id eſt epiſcopum Irtabicenſem, quod ex Iſidoro diſcimus, & quidem *de diſtrictione monachorum*. Ex hac epiſtola, quæ magni momenti videtur ad res monaſticas illuſtrandas & aſſerendas, huc potiora fragmenta referre juvat.

XXII.
Pro correptionibus.

Principio ſic ait Eutropius, tenendam eſſe in bonos manſuetudinem, ut adver-
» ſus delinquentium vitia erigamur, & iraſcamur. Et, Quid nunc agimus, inquit,
» ſanctiſſime vir? tacebimus, & diſſolutioni conſentiemus, ut manſueti & mitis voca-
» bulum acquiramus? Et quid nobis hoc ante Deum proderit, quando pro noſtro
» ſilentio anima pereuntis de noſtra dicitur manu perquiri? Si autem a Deo nobis
» creditum gregem, & exhortando, & increpando, ſæpius a diaboli laqueis & per-
» verſo voluerimus opere revocare, immites & aſperi multorum ore dicemur: ſed
» quamvis hoc a multis, qui locum officii noſtri non intelligunt, ſæpe dicatur, tenen-
» da eſt tamen diſtrictio, & ſanctæ regulæ inſtitutio: ut, quæ patres inſtituerunt,
» etiam ſucceſſores & filii integra, illibataque cuſtodiant & obſervent. Nam ſi in
» aliquo a ſanctorum patrum inſtitutione & tramite deviandum, nec pro culpæ
» ſuæ quis qualitate & opere increpandus eſt: quis quæſo malorum hoc audit, qui
» nunc ſaltem propter ſupplicia terreatur, qui non quæcumque voluerit agat, &
» præceps feratur ad vitia? Et propterea divinæ potentiæ ordo & ineffabilis diſpoſi-
» tio præcipit, ut ſit in ſæculo princeps, in eccleſia paſtor & pontifex præficiatur,
» & in monaſteriis pater: ut nefario operi, & actibus ſceleſtis & impiis obſiſtere,
» & contra humani generis mores perpetratum facinus diſtrictionis & ſeveritatis poſ-
» ſit gladio vindicare. Iraſci enim delinquenti ut corrigatur, contriſtari pro afflicto
» ut liberetur, timere periclitanti ne pereat, neſcio utrum quiſquam ſana reprehen-
ſione

ſione reprehendere audeat. Hæc Eutropius ad vindicandam ſubditorum per prælatos correptionem.

AN. CHR. 583.

Quid vero ad aſſerendam victûs in monachis frugalitatem? Facultas, inquit, iſtius ſæculi, quam nobis Dominus pro neceſſitate & ſuſtentatione iſtius tranſitoriæ vitæ, & non pro luxuria & ſuperfluitate facienda, ſua miſeratione donare dignatus eſt, etiamſi in toto, quod non eſt, ſufficientes eſſe poſſimus, non tamen ideo affluenter & ſplendide vivere, & ventri & gulæ inſerviendum eſt, etiamſi his omnibus abundemus. Quod ſi non ita eſt, ſine cauſa ergo ſanctorum patrum quotidie vitam legimus: ſi quorum profeſſionem tenere nos dicimus, ſecundum eorum inſtitutionem vivere detrectamus. Ut quid enim & Dominus noſter, ſecundum Iſaïæ vaticinium, præcipit, dicens, *In viam gentium ne abieritis*, niſi, ut quorum ſeparata eſt religio, ſeparetur & vita? Nulla enim erit diſtantia inter profanum & ſanctum, inter ſæcularem & monachum, frugalem & parcum, ſi paſſim voluntati noſtræ & concupiſcentiæ deſervire voluerimus, & ſatisfacere. Aut quid nobis ante Deum proderit in nomine tantum, & non etiam in ſancta & bona vita, & converſatione laudabili profeſſio religionis noſtræ, primo ante Deum, deinde ante homines, ſi voluerimus oſtendere?

pro frugalitate,

Denique quod ſpectat eos, qui ad monaſticam profeſſionem admittendi ſunt, hæc ſubdit. Optamus autem, & hoc ex toto cupimus affectu, mi pater, quod & tu vis, & paratus ſum, ut dicam, [obviis] manibus in domo Dei venientes ſuſcipere, & noſtro in ſinu portare & fovere, dummodo tales ſint, qui & Deo placeant, & profeſſionem ſuam intelligant, & cuſtodiant. quia non deſideramus, quantos, ſed quales habeamus, & cum quibus caſte & ſancte vivamus, ita ut in profeſſione perfectorum Domino placeamus. Non enim in diſſoluto tepidoque vocabulo & numero, ſed in ſanctitate perfectorum Dominus delectatur: ſatiſque melius eſt, cum paucis & ſanctis in vitam ingredi, quam cum plurimis tepide & luxurioſe viventibus a ſanctorum conſortio ſegregari. Nos enim, ſicut fundatores & patres iſtius monaſterii tenuerunt, & nobis tradita dimiſerunt, auxiliante Domino & tenuimus, & tenemus, nec quicquam ſuper aut minus facimus; ut per hæc domnos & patres noſtros, qui regulam hanc ſecundum antiquorum normam, Deo ſibi inſpirante, inſtituerunt, in judicio Dei non adverſarios, ſed patronos habeamus. Nam etſi forte aliquis dicat, nimis diſtricte nos agere, & propterea aliquos a nobis dicat exire; & pace tua loquimur, & ſalvo tuo cariſſimo nobis, & Deo digno honoris privilegio dicimus, quicumque alius hoc dicit, videtur nobis monaſterialem regulam nec noſſe penitus, nec intelligere: & per hoc apparet, eum non nobis detrahere, ſed ſuam imperitiam publicare. Dicat autem ſibi quiſquis ille quod vult: nos autem quod accepimus & didicimus tenemus, & omnes ſancti qui nobiſcum ſunt fratres, in quorum corde divinus amor & caritatis dilectio regnat, tota mentis intentione cuſtodiunt, & in hoc perſeverare, Domino ſe protegente & adjuvante, confidunt. Et in fine. Hæc tibi, beatiſſime pater, propterea ſcribimus, ut ſcias nos nihil abſque ratione gerere, ſed ſecundum conſuetudinem monaſterii hujus, quæ & ſancte, & regulariter inſtituta ſunt, facere. Certe ſi aliquis conſuetudinem regulæ noſtræ ferre non ſuſtinet, non noſtræ diſtrictioni, ſed ſuæ imputet tepidæ voluntati. quia quod Deus bene, ſancte, & perfecte a ſanctis & perfectis viris in hac cella ſua inſtituit, & nunc uſque teneri voluit; nullo modo nunc propter paucos tepidos aut vagos, aut pſeudo-monachos, qui diverſorum quotidie circumeunt domos, & cum Epicuro lætanter dicunt, *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur*; in aliquo tranſgredi poterit, aut immutari aut dimitti.

& pro admiſſione novitiorum.

XXIII. Eutropii alia ſcripta & epiſcopatus.

Hæc tam idonea & opportuna viſa ſunt ad confirmandam contra malevolos, qui numquam deſunt, accuratæ in monachis diſciplinæ obtrectatores, ut eam epiſtolam fere totam huc referre viſum fuerit operæ pretium. Certe Iſidorus [a] hanc non modo *ſalubri ſermone compoſitam*, ſed *& valde monachis neceſſariam* judicavit; ex quo diſcimus, eam ſcriptam fuiſſe *ad Petrum epiſcopum Irtabicenſem*, ſive, ut in Thuaneo codice legitur, *Ircavicenſem*, qui locus erat provinciæ Carthaginis *, in qua ſita erat Sætabis, modo Xativa, vicina monaſterio Servitano. In codice regularum hæc epiſtola dicitur *directa Romæ*. ubi, ſi mendum non eſt, intelligenda videtur Valentia ejuſdem provinciæ civitas, quam Romam ante vocatam ſcribit Beutherus, & Garſias ex eo. Hujus civitatis, teſte Iſidoro, epiſcopus demum fuit Eu-

[a] *Iſidor. de vir. illuſt. c. 31.*

* *de Cartagene.*

ANN. CHR. 583.

tropius, qui *tum adhuc in monaſterio Servitano* ſeu *Sirbitano* (ita enim legit codex Thuaneus) *degeret, & pater eſſet monachorum, ſcripſit ad papam Licinianum valde utilem epiſtolam, in qua petit ab eodem, pro qua re baptizatis infantibus chriſma uncto tribuatur.* Hic eſt Licinianus [a] Carthaginis-Sparthariæ epiſcopus, qui *plurimas ad Eutropium abbatem, poſtea Valentia epiſcopum, epiſtolas* ſcripſiſſe perhibetur. Exſtat in bibliotheca patrum libellus ejuſdem Eutropii abbatis ad Petrum papam, id eſt epiſcopum Irtabicenſem, de octo principalibus vitiis, quoddam veluti compendium collationis quintæ Caſſiani, cujus forte inſtituta in Servitano monaſterio pro regula erant.

[a] *ibid. c. 29.*

ANN. CHR. 584.

XXIV. S. Mauri abbatis & aliorū obitus.

ANnus ſubſequens beati Mauri & centum-viginti ipſius monachorum felici ad Deum tranſitu inſignis fuit. Is cum duos annos ac dimidium remotam a ceterorum contubernio vitam duxiſſet in privata cella juxta beati Martini oratorium, dæmonem ſibi aliquando ſuorum ſtragem minitantem audivit, idque non ad eorum perniciem, ſed ad ſalutem proventurum in oratione intellexit. Tum fratres de inſtanti multorum exitu commonuit, ne eos mors brevi ſecutura imparatos inveniret. Mox omnes, quaſi nullus ex hoc numero excipiendus eſſet, ad exitum ſe pro virili certatim præparare, præteritæ vitæ actus diſtricte revolvere & expiare, in gemitu & lacrymis horam ultimam opperiri: factumque eſt, ut intra quinque menſes mortui ſint centum & ſex-decim fratres, inter quos erant Antonius & Conſtantinianus, beati Mauri ex Caſino comites, remanentibus ex numeroſo illo collegio tantum quatuor & viginti monachis. Nec multo poſt lateris dolor graviſſimus invaſit eximium eorum ſigniferum & ducem, qui, languore ingraveſcente, ante altare beati Martini ſuper cilicium depoſitus, cum ibidem vivifica ſacramenta percepiſſet, feliciter ad Deum migravit decimo-octavo kalendas Februarii, quadrageſimo-primo adventus ſui in eum locum anno; ſepultuſque eſt in eadem baſilica ad dexteram partem altaris.

XXV. Fauſti reditus in Italiam.

Eo mortuo, cum Fauſtus una cum Simplicio Caſinate monacho in Italiam reverti vellet, biennium nihilo minus iſtic ambo remanſerunt, flagitante Bertulfo abbate, qui per id tempus ſupervixit. Bertulfo ſucceſſit Florianus, eximiæ vir religionis, Harderadi filius, ejus qui Maurum & ſocios in Galliam deduxit. quo Floriano nequiquam intercedente, Fauſtus in ſuum monaſterium, hoc eſt Lateranenſe, reverſus eſt; ibidemque, hortante Theodoro, tertio hujuſce monaſterii poſt Valentinianum abbate religioſiſſimo, libellum de vita & miſſione beati Mauri, necnon de conſtructione cœnobii Glannafolienſis ſcripſit, quem Bonifacius papa laudaſſe & approbaſſe dicitur. Hunc locum de Bonifacio tertio interpretatur Leo Marſicanus, alii forte melius de Bonifacio quarto, qui ſingulari monachos ſtudio proſecutus eſt. Hæc retulerim vulgatum Fauſtum ſecutus, cujus narrationem omnis erroris & interpolationis immunem præſtare difficile eſt.

XXVI. Gregorii utriuſque ſilentium de beati Mauri in Gallias miſſione expenditur.

Verum qui eam penitus rejiciunt, & ſancti Mauri in Gallias ex Caſino miſſionem aut pernegant, aut dubiam habent, ſane ulterius progredi, quam par eſſet, mihi videntur. Et afferunt quidem pro argumento utriuſque Gregorii hac de miſſione ſilentium: ſed non ſatis eloquens aut efficax ad rem evincendam. Fac enim non alium quam Odonem abbatem vulgati de beati Mauri vita libelli auctorem eſſe. certe, cum ante annos octingentos hunc ſcripſerit, id eſt annis a Mauri obitu non integris trecentis; omnem ipſi fidem, homini domeſtico, & qui monaſterii ſui originem & auctorem traditione & ſcriptis acceperat, abrogare abſque immodicæ cenſuræ vitio nemo poſſit. At ſanctum Maurum, inquis, non negas Glannafolienſis monaſterii conditorem & abbatem: Caſinatem monachum a ſancto Benedicto in Gallias miſſum negas, repugnante ſcilicet utriuſque Gregorii ſilentio. At recurret nihilo ſecius etiam in ipſum Maurum Glannafolienſem, quiſquis demum ille cenſeatur, Gregorii Turonenſis ſilentium. cur enim illum, ſane virum ſanctum, is prætermiſiſſet? Certe elingue eſt, ut jam dixi, & invalidum utriuſque Gregorii ſilentium adverſus beatum Maurum Caſinatem, ejuſque in Gallias miſſionem. Quot enim provinciæ Turonenſis ſanctos illuſtres prætermiſit Gregorius Turonum antiſtes, tametſi beati Mauri æquales? Samſonem, Maglorium, Maclovium epiſcopos, Gildam abbatem in Armorica; Carileſum Aninſulenſis monaſterii auctorem apud Cenomannos, ut alios taceam, omnes virtute & fama illuſtres? Et Gregorio

ANN. CHR. 584.

necdum nato (neque enim natus eſt [a] ante hujus ſæculi quadrageſimum-quartum) acceſſerat in Galliam beatus Maurus : ut proinde non mirum fuerit, ſi ejus miſſio Gregorium fugerit, aut ad eam memoriæ & ſcriptis commendandam non ſatis attentum reddiderit. Ad Gregorii Magni ſilentium quod attinet, de hac miſſione agere ejus inſtituti non erat, utpote qui nonniſi de rebus in Italia ipſa geſtis ſcribere induxerat animum, ut ipſe diſerte atteſtatur in præfatione dialogorum. Hinc eſt quod licet de beatorum Mauri & Placidi rebus in Italia geſtis agat, utriuſque tamen tum in Galliam, tum in Siciliam miſſionem ſilentio præteriit, ne extra præſcriptos ſibi limites divagaretur. Quamquam ſancti Benedicti exitum [b] narranti, ſi quis attentum ſe præbebit, næ ille de beati Mauri in Galliam tranſitu non obſcure locutum intelliget, ubi viſum de hoc obitu apparuiſſe dicitur duobus ſancti Patris diſcipulis, *uni in cella commoranti, alteri autem longius poſito*. quod de alio, quam de beato Mauro in Galliis tum agente, nemo umquam intellexit. Poſtremo vetera quæque monaſterii Glannafolienſis, quotquot nobis reſtant, ante Odonem monumenta ; diplomata, quæ hanc Caſini coloniam eſſe probant ; reperta in beati Mauri tumulo inſcriptio, litaniæ etiam veteres apud Alcuinum [c] & in pervetuſtis codicibus [d], Nonantulenſi & Vaticano, non alium nobis a Mauro ſancti Benedicti diſcipulo ſuggerunt cœnobii Glannafolienſis conditorem & primum abbatem. quæ ſane quibuſvis æquis rerum æſtimatoribus ſufficere debent amoliendæ dubitationi, quæ ex utriuſque Gregorii ſilentio ſuboriri poteſt. Litaniæ quidem illæ veteres, atque Odone ſuperiores, beatum Maurum ſancti Benedicti tantum diſcipulum indicant, cum eum proxime poſt ſanctum patrem, & quidem Vaticanæ cum ſancto Placido, nominant : at, cum nullus alius ſanctus Maurus Benedicti diſcipulus præter Glannafolienſem agnoſcatur, non duo, ſed unus ubique ſanctus Maurus agnoſcendus eſt, uti & in ſincero Uſuardi martyrologio, qui loco indicato *in territorio Andegavenſi ſancti Mauri abbatis* præciſe meminit octavo-decimo kalendas Februarii. Cetera ſupplent, nempe miſſionem ejus e Caſinenſi monaſterio, vetera diplomata, & inſcriptio paullo poſt in beati Mauri tumulo reperta : quod utrumque ſuis locis referemus : ſed maxime diſſertatio noſtri Ruinarti in appendice hic relata.

[a] *Cointius to. 1. p. 681.*

[b] *Greg. M. lib. 2. dial. c. 37.*

[c] *Alcuin. op. col. 194.*

[d] *Iter Ital. p. 125. & 144.*

XXVII. Vincentii abbatis Legionenſis martyrium.

Circa hoc tempus, tametſi variant [e] ſententiæ, reponendum videtur Vincentii Legionenſis apud Hiſpanos abbatis martyrium, quod hoc modo accidiſſe tradunt. Cum Suevi, Ariana hæreſi infecti, catholicos variis tormentorum generibus a recta fide avertere conarentur ; rex eorum Ricilianus, ſic eum vocant, diram hac de re quæſtionem apud Legionem * haberi juſſit. Exſtabat tum in hujus civitatis ſuburbio inſigne cœnobium, ſanctis martyribus Claudio, Luperco, & Victorico nuncupatum, cui Vincentius abbas, vir orthodoxæ fidei ſtudioſiſſimus, præerat. Hunc in ſui conſpectum adductum tyrannus graviſſima objurgatione increpat, quod regiis de admittendo Arianorum dogmate editis non obtemperaret. Vincentius ad hæc conſtanter reſpondit, præſtare mori, quam deſerere catholicam fidem a Nicænis patribus comprobatam. Hoc reſponſo Ricilianus ira excandeſcens, Vincentium in medio concilio flagris crudeliter cædi jubet, ac fere exſanguem in carcerem ſub fidis cuſtodibus retrudi. Productus poſtridie in concilium ſanctus confeſſor, elata voce coram omnibus ſymbolum Nicænum recitavit. Qua re tyrannus inflammatior, ad ipſius monaſterii fores ei caput amputari præcepit. Sacrum martyris corpus monachi noctu rapuere, & ad occidentalem eccleſiæ parietem ſepeliere. Eamdem ſortem experti ſunt Ramirus præpoſitus & monachi duodecim, Vincentium ducem Ario, mortem pro Chriſto vitæ impiæ præferentes. Alii vero fuga ſibi conſulentes monachi, in Galliciam ſe contulerunt, ibique aliud condiderunt itidem ſancti Claudii cœnobium, a nigris primum monachis, deinde a Ciſtercienſibus, qui illud hodie quoque poſſident, occupatum. Sancti Vincentii corpus, divino poſtea nutu repertum, in urbem Ovetum * deportatum, depoſitumque eſt in eccleſia cathedrali, ubi hactenus aſſervatur. Ramiri vero loculus poſt longæ oblivionis tempora ſæculo undecimo, dum novæ baſilicæ parietes, vetuſtis deſtructis, eriguntur, ſub altari inventus, ſub novo itidem repoſitus fuit : ſacræ vero ejus reliquiæ in theca argentea ſupra ipſum altare collocatæ, ubi ad hunc uſque diem religioſe coluntur. Hæc potius contigerunt ſub Leuvigildo Gotthorum rege Ariano, & quidem vel anno quinto Childeberti regis, quo anno magna in Hiſpaniis Chriſtianorum perſecutio fuit, teſte Gregorio [f] epiſcopo Turonenſi, multique in exſilium acti, facultatibus privati, fame

[e] *Sæcul. 1. act. p. 304.*

* *Leon.*

Ramiri item, & aliorum.

* *Oviedo.*

[f] *Greg. Tur. lib. 5. c. 39.*

AN. CHR. 584. » enecti, conjecti in carceres, affecti verberibus, ac diverſis trucidati ſuppliciis, in» ſtigante iu primis Goiſuintha Leuvigildi uxore, itidem Ariana. vel certe poſt aliquot annos, cum Leuvigildus, in filium Hermenegildum infenſus, atrocem in catholicos vexationem commovit. Certe apud Johannem Biclarenſem invenio, anno tertio Mauricii, qui eſt Leuvigildi ſeptimus-decimus, Chriſti octogeſimus-quartus ſu» pra quingenteſimum, Leuvigildum regem Gallicias vaſtaſſe, Andecam Suevorum » regem comprehenſum regno privaſſe; Suevorum gentem, theſauros, & patriam ſibi « ſubjugaſſe, & Gotthorum feciſſe provinciam; ac demum Hermenegildum in urbe » Tarraconenſi a Siſberto interfectum fuiſſe. Id ſi ita eſt, Ricilianus non Suevorum rex, ſed Leuvigildi miniſter furoris fuerit ad inſectandos catholicos.

XXVIII. Lupentii abbatis interitus. a Id. lib. 6. c. 37. Hoc eodem anno, ſed diverſam ob cauſam, Lupentius [a] abbas baſilicæ ſancti Privati martyris, in urbe Gabalis * ſitæ, ab æmulis cæſus eſt. Hunc Innocentius, Gabalorum comes nocentiſſimus, apud Brunichildem majeſtatis accuſaverat, & de ipſa male locutum affirmaverat. Mox citatus ad curiam ſiſtitur, & cauſa cognita inſons inventus, diſcedere permiſſus eſt. Verum in itinere ab Innocentio comprehenſus, ducitur in villam publicam Ponticonem *, ac multis illic injuriis affectus dimittitur; ſed eo, ut patuit, animo, ut clam & paucis conſciis in itinere necaretur. Id factum ad Axonam * fluvium, ubi reficiendi cauſa ſubſiſtens, a comite de improviſo incautus opprimitur, & obtruncatur. Atque ut ſcelus lateret, caput ejus a cervice deſectum culeo lapidibus oppleto includitur, & cum reliquo corpore ad ſaxum alligato in flumen dejicitur. Utrumque poſtea repertum paſtores ex viſo admoniti ſepeliunt. Locus, ubi capite multatus eſt, in quadam charta Dervenſis monaſterii dicitur eſſe Mediolanenſe * caſtrum diœceſis Catalaunenſis, cui proxima eſt eccleſia ſancti Sepulcri, ſanctæ Mariæ, ſanctique Stepbani protomartyris, quam ſanctus Lupentius ædificaſſe, & incoluiſſe traditur, donec Brunichildis eum decollari fecit, ut legitur in charta Witeri militis Mediolanenſis caſtri, qui hanc eccleſiam Dervenſi monaſterio largitus eſt anno M LXIII. Meliorem ſane exitum merebatur vir ſanctus, Innocentius vero pœnas ſcelere condignas. quod contra accidit. nam hic in locum Theodoſii [b] Rutenorum * epiſcopi ſubſtitutus eſt favore Brunichildis, quæ hoc facto perpetrati criminis particeps fuiſſe non immerito viſa eſt.

* *Javonæ.*
* *Pontion.*
* *l'Aine.*
* *Molain.*
b *Ibid. c. 38.*
* *de Rodez.*

XXIX. Chilperici ſepultura Pariſiis ad S. Vincentium. Periit etiam hoc ipſo anno ſub autumnum Chilpericus rex in Pariſienſis agri villa, nomine Cala *, a ſicariis confoſſus: cujus corpus cruentum Mallulfus ſeu Madalulfus Silvanectenſis epiſcopus lavit, regalibuſque indutum veſtimentis, poſt noctem in precibus actam, navi impoſuit, & una cum Fredegunde regioque comitatu, ſecundo flumine Matrona, tum Sequana, Pariſios deportatum, in ſuburbana baſilica ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii, quam ab ipſo de novo ædificatam diximus, ſepelivit. Ejus monumentum, ſed ab aliquot dumtaxat ſæculis innovatum, hodie quoque hic oſtenditur cum adjuncto Fredegundis ejus uxoris tumulo, prope majus altare, ad latus evangelii; at loco motum ante annos quadraginta, cum baſilica a patribus noſtris inſtauraretur. nam antea regum hic ſepultorum tumuli diſpoſiti erant circum altare matutinale, ut vocant, & loculum beati Germani in abſide baſilicæ, pone majus altare: tametſi neque hanc primam eorum ſedem fuiſſe crediderim. Anno tandem Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio ſupra milleſimum, cum arena e periſtilii ſeu quadriporticus area juxta capitulum egereretur, duo tumuli lapidei reperti ſunt cum ſuo operculo itidem lapideo: in quibus jacebant oſſa humana, ſuo quodque ordine & ſitu diſpoſita; in uno quidem abſque ulla inſcriptione, in altero vero cum duplici, una exteriori, alia interiori, quæ utraque nudum *Ilperici* nomen præferebat, utraque uncialibus litteris, ſed inæqualibus, & ſimul connexis inſculpta, minioque exarata, cum crucibus lapidi inciſis. Sic habebat exterior:

* *Chelle.*

PCOR EGO ILPERICVS NŌ AFERANTVR HINC OSSA MEA

id eſt, *Precor ego Ilpericus, non auferantur hinc oſſa mea.* Sic vero habet exterior:

TEMPORE NVLLO VOLO HINC TOLLANTVR OSSA HILPERICI

quæ ſic legi debet: *Tempore nullo volo hinc tollantur oſſa Hilperici.* His acceptis eru-

Digitized by Google

ANN. CHR. 584.

diti non pauci cenſuerunt hunc eſſe tumulum Chilperici regis, de quo nunc agimus, tametſi regis titulo careret utraque inſcriptio: alterum autem uxoris ejus Fredegundis; idque Hadriano [a] Valeſio, rerum Francicarum ſcriptori clariſſimo, ita viſum eſt. At præter quam quod Chilperici & Fredegundis tumuli in ipſa baſilica exſtabant circa aram beati Germani; parum veri ſimile eſt, Chilperico vel uxori ejus placuiſſe, ut extra baſilicam ſepelirentur; aut abſque regis vocabulo Chilpericus deſignaretur; neque propius verum eſt, harum inſcriptionum auctorem (nam quiſquis ille eſt Hilpericus, eas videtur ſuggeſſiſſe) eſſe Chilpericum regem, qui ex improviſo confoſſus interiit. Itaque alicujus ex regia ſtirpe principis hoc monumentum potius eſſe crediderim, quod indicat nomen Ilperici ſeu Hilperici (ſic enim hic varie ſcribitur) ſolis tum principibus viris uſurpatum. Hic Chilperici regis exitus poſt annos regni viginti-tres, unico ex multis relicto filio Chlothario, necdum quadrimeſtri, quem Fredegundis ſollicite pro ſuis moribus ad regnandum educavit, ad monarchiam regni Francici aliquando tandem perventurum. Filias duas reliquit, Baſinam ex priore conjuge Andovera, & Riguntham ex Fredegunde: hancquidem Reccaredo, Leuvigildi Gotthorum in Hiſpania regis filio, deſponſam, ſed conjugio fruſtratam: illam vero in Pictavenſi parthenone ſanctæ Crucis monacham, quæ multarum turbarum cauſa & auctor fuit.

a Valeſ. lib. 11.

XXX. Ejus pia opera.

Ceterum etſi variis criminum nævis fœdata ſit Chilperici vita, non tamen piorum operum omnino expers fuit. nam præterquam quod eum munificum hactenus prædicat, recolitque quotannis ſollemni ritu Tornacenſis eccleſia; ſane, quod ad res noſtras attinet, ſancti Luciani apud Bellovacos cœnobitæ eum monaſterii ſui inſtauratorem agnoſcunt, ut ne repetam quod jam dixi, ſancti Vincentii ſuburbanam apud Pariſios baſilicam ab eodem in novam formam reſtitutam fuiſſe. Diploma regium pro inſtauratione ſancti Luciani baſilicæ, quamquam mendis aliquot non caret, haud tamen in tanta veterum monumentorum inopia penitus rejiciendum. Ejus ſumma eſt, Dodonem Belvacenſem epiſcopum ſimul cum Ebrulfo abbate, regiam Chilperici ſerenitatem adiiſſe, rogaturos, uti quamdam eccleſiam, quæ ab antiquis in honore beati Petri Apoſtolorum principis, & ſancti Luciani, prope muros Belloacæ urbis fuerat conſtructa, ſed poſtea quorumdam paganorum irruptione vaſtata atque deſtructa, pro ſua munificentia denuo ædificari juberet. id quod exemplo genitorum ſuorum præſtiterit, qui quaſdam poſſeſſiooes eidem loco conceſſerant: nimirum ut locus divino famulatui aptetur, atque cœnobitæ Deo miniſtraturi ibi congregentur. Ad id vero ſe impulſum in primis ait, quod ſuis ipſius diebus ſanctus Lucianus martyr viſo Ebrulfum jam dictum abbatem excitaverit, ut corpus ſancti Maximiani, mendoſe Maxiani, qui cum beato Luciano martyrium paſſus fuerat, adhuc in monte Milio * latens, humo efferret, & una cum beati Luciani in eadem eccleſia reconderet. Actum Rotomagi, Chilperici regis anno viceſimo-ſecundo. Alias chronologicas notas omitto, utpote vitioſas. Hoc diploma Carolus [b] Cointius perperam refert ad Chilpericum, cognomento Danielem. quæ ſententia manifeſte revincitur, tum ex vita ſancti Ebrulfi abbatis, quem Fredegundi, ac proinde Chilperico primo æqualem vixiſſe conſtat. Is a Fredegunde, ut ſuperius diximus, novo ſancti Fuſciani prope Ambianos cœnobio præfectus, in ſomnis monitus a ſancto Maximiano, cujus corpus in monte Milio incognitum jacebat, in proximam ſancti Luciani baſilicam transferret, rem Dodone epiſcopo approbante exſecutus eſt, idemque auctor fuit Chilperico per Fredegundem apud Bellovacos ortam, ut ſancti Luciani baſilica inſtauraretur, monachiſque iſtic inſtitutis forte ad tempus præficeretur. Sepultus eſt nihilo minus in primo ſuo monaſterio, nempe Oratorio *, haud longe a Cæſaromago Bellovacorum: cujus ſepulcrum multis poſt annis matrona quædam nobilis & prædives, nomine Teolana, adornavit: eodemque tempore Chrodobertus Pariſiorum antiſtes, cui Dado ſeu Audoënus libros duos de vita ſancti Eligii epiſcopi nuncupavit, magno in eumdem locum ſtudio affectus, Deo ibidem templum ædificavit, ubi & alia diverſis ſanctorum dicata nominibus ædificia conſtructa ſunt. Vixit in eodem loco ſancta Angadriſma ſub finem ſæculi ſequentis.

* Mons milii. Ebrulfus abbas Bellovacenſis.

b Cointius an. 716. n. 5.

* Orat.

ANN. CHR. 585.

XXXI. Guntchramnus

PRoximo anno habita eſt ſynodus in urbe Valentina ex mandato Guntchramni regis, qui datis ad ſanctam ſynodum litteris injunxit, ut quodcumque tam ipſe, quam bonæ memoriæ Auſtrechildis conjux ſua; vel filiæ ſuæ Deo ſacratæ, bonæ

Digitized by Google

AN. CHR. 581.

aus donationes ſuas pias a ſynodo confirmari petit.

» item memoriæ Chlodebergis aut Chlodechildis, locis ſanctis contuliſſent, auctori-
» tate apoſtolica ſanctæ ſynodi patres præſenti titulo manuum ſuarum ſubſcriptione
» firmarent. Propterea ſancta ſynodus decrevit, ut, ſi quis baſilicæ ſancti Marcelli apud
» Cabilonum, vel ſancti Symphoriani apud Auguſtodunum, vel quibuſcumque locis,
» vel ſervientibus Deo per quaſcumque auctoritates ſeu diplomata, vel ſcripturarum
» epiſtolas dominus rex, vel uxor & filiæ ſuæ, ſive in miniſterio altarium, ſive in
» quibuſcumque ſpeciebus, quæ ad divinum cultum pertinent, contuliſſent, vel in
» poſterum conferre voluerint; neque epiſcopi locorum, neque *poteſtas regia* quo-
» cumque tempore ſucceſſura, de eorum utilitate quidquam minuere, aut auferre
» præſumat. Quod ſi hoc quocumque tempore præſumſerit, veluti necator paupe-
» rum, anathemate perpetui judicii divini plectatur, &, veluti ſacrilegii perpetrator,
» criminis ſui reus, ſupplicii æterni teneatur obnoxius. Hinc refellitur quorumdam criticorum iniqua cenſura, qui regia nonnulla diplomata ob ſimiles clauſulas falſi poſtulant, ubi in illis legunt tum ejuſmodi imprecationes, tum idem interdictum, ne *regia poteſtas* donationes in regiis illis diplomatis contentas violare auſit. Aut ergo ſynodi hujus auctoritatem rejiciant ſi poſſunt: aut, ſi non audent, ſimiles in regiis diplomatis clauſulas admittant. Valentinæ ſynodi actis ſubjicitur apud Sirmundum Verani Cabellicenſis præſulis epiſtola de caſtitate ſacerdotum, ubi ait, *ſub magnorum patrum diſciplina monachorum congregationes eſſe non parvas, unde ad ſupplenda clericorum officia in promtu eſt viros bonos adſumi.*

XXXII.

Furtum in baſilica Mettenſi.

Eodem anno, cum Mettenſis epiſcopus, nimirum Aigulfus, cum primoribus civitatis, kalendis Octobris ad celebrandam ſancti Remigii feſtivitatem extra urbem proceſſiſſent, contigit ut famuli Guntchramni-Boſonis, qui ducis officio in regno Sigiberti præditus erat, in eam baſilicam concurrerent, in qua paucis ante diebus quædam ejus uxoris conſanguinea ſepulta fuerat. Hic mos eo tempore apud Francos obtinebat, ut non in ornandis exterius, ut modo fit, tumulis, ſed in corporibus humandis magnificentiam ſuam occultarent potius, quam oſtentarent. Hunc morem ſecuta prædicta matrona, quæ ſine liberis deceſſerat, omnes opes ſuas & theſauros, omniaque ornamenta in ſuum ſepulcrum conjecerat. Eam jacturam Boſo indigne ferens, quippe qui matronæ liberis orbæ opibus inhiabat, famulos ſuos perpulit ad effodiendum tumulum, theſauroſque in eo latentes inde efferendos. Illi mandatum domini ſui haud impigre exſequuntur, ablatiſque omnibus, celeribus equis fugam arripiunt. Admoniti hac de re iſtius baſilicæ monachi, factum ad urbis epiſcopum & ducem deferunt. At fures veriti, ne brevi comprehenſi meritas tandem luerent pœnas, ad eamdem baſilicam regreſſi ſunt, rebuſque omnibus, quas ſurripuerant, ſuper altare poſitis, id ſe juſſu domini ſui feciſſe cauſantur. Habebat tunc temporis conventum procerum Childebertus apud Belſonancum villam regiam ſilvæ Arduennenſis. Iſtic Boſo de perpetrato ſacrilegio interpellatus, nullo reſponſo dato clam aufugit, ſeque criminis conſcium atque inſtigatorem fuiſſe vel ſilentio ſuo & fuga ipſa ſatis ſuperque patefecit; atque ideo res ſuas fere omnes merito amiſit. Qui hoc factum retulit [a] Gregorius, titulum baſilicæ, in qua ſcelus commiſſum eſt, non exprimit. Mihi vero perſuaſum eſt non aliam eſſe quam ſanctorum Apoſtolorum, quæ tum ad auſtralem urbis portam ſita erat.

[a] *Greg. Tur. lib. 8. c. 21.*

XXXIII.

Quatuor hujus urbis monaſteria.

Quatuor ſunt apud Mettas civitatem antiqua virorum monaſteria, unum ſancti Johannis Evangeliſtæ ſeu ſanctorum Apoſtolorum, cujus baſilicam primus conſtruxit ſanctus Patiens, Mettenſis eccleſiæ epiſcopus quartus, marmoreiſque ornavit columnis: ubi dentem ſancti Johannis Evangeliſtæ cum reliquiis Apoſtolorum poſuit. Hæc baſilica ſæculo quinto ab Hunnis everſa fuit, ſed paullo poſt reſtituta, monachiſque conceſſa, demum ſancti Arnulfi corpore, iſtuc per Goëricum ejus ſucceſſorem delato, ac nomine nobilitata eſt. In hac baſilica multorum imperatorum, regum ac principum, inſigniumque perſonarum monumenta exſtabant ante, quam veteri monaſterio deſtructo, ſæculi ſuperioris anno quinquageſimo-ſecundo, monachi noſtri in eam, quam nunc poſſident, Prædicatorum eccleſiam tranſlati eſſent. In illa priori baſilica ſanctimoniales parthenonis ſanctæ Glodeſindis primitus ſepeliri mos erat, ut in conſequentibus dicturi ſumus. Alterum vetus apud Mettas monaſterium eſt ſancti Clementis, in cujus eccleſia primi ejus urbis plerique epiſcopi ſepulturam habuere. Tertium eſt ſancti Symphoriani, cujus eccleſia ad auſtralem itidem urbis plagam ſæculo ſeptimo ineunte conſtructa fuit a Pappolo, viceſimo-

ANN. CHR. 585.

octavo epiſcopo, ibidem cum aliquot epiſcopis humato. Quartum denique ſancti Vincentii martyris, quod Theodericus ſeu Diedericus epiſcopus quadrageſimus in ſuburbio Mettenſi ædificavit, multiſque ſanctorum reliquiis decoravit. Hæc quatuor monaſteria extra urbem quondam, nunc omnia intra muros a ſuperiori ſæculo reſtituta ſunt ob bellorum procellas; florentque hactenus, novamque non modo regularem diſciplinam, ſed formam etiam ædificiorum, a patribus congregationis ſancti Vitoni acceperunt, accipiuntque in dies. His quintum adde monaſterium ſancti Martini, itidem ſuburbanum, modo exciſum, de quo inferius agendum.

ANN. CHR. 586.

XXXIV. Bertichramnus epiſcopus Cenomanenſis munificus.

POſtero anno Bertichramnus Cenomannenſem eccleſiam, mortuo Baldegiſilo [a] poſt ſancti Domnoli obitum in eam ſedem ante annos quinque intruſo, regendam auſpicato ſuſcepit, vir ſane merito nobis commemorandus, qui tanto ſtudio rem monaſticam ſuo tempore auxit, ut veniabili errore Odo abbas ipſum miſſionis ſancti Mauri auctorem fuiſſe crediderit. Huic quippe originem debet nobile ſancti Petri, quod de Cultura-Dei appellatur, monaſterium, in ſuburbio Cenomannicæ urbis ſitum, quod tanta magnificentia condidit, quanta cuiquam monaſterio, etiam regiæ conditionis, nulla forte major. Nec hoc ſolo contentus, tria alia ædificavit cœnobia; unum in honorem ſancti Germani Pariſiorum epiſcopi, a quo inſignitus ſacerdotio fuerat: alterum puellarum, Stivale nuncupatum: tertium ſancti Martini de Pontileuva, quod principi ſancti Petri monaſterio ſubjectum eſſe voluit. Non minor fuit ejus munificentia in ſanctam matrem eccleſiam Cenomannenſem, quam tot tantiſque prædiis ac donis itidem cumulavit, ut mirum ſit uni epiſcopo tantas fuiſſe facultates. Verum has quidem comparaverat tum ex hereditate parentum, non minus opibus quam genere præſtantium, tum ex munificentia regis Chlotharii ſecundi, cui ſemper fideliſſimum & addictiſſimum ſe præſtitit. Id patet ex ejus teſtamento [b], quod in tomo tertio Analectorum noſtrorum cum actis epiſcoporum Cenomannenſium editum eſt.

[a] Greg. Tur. lib. 8. c. 39.

[b] Analect. to. 3. p. 112.

XXXV. S. Petri de Cultura-Dei monaſterii auctor.

In his actis Bertichramnos, quem vulgus Bertramnum vocat, cum in oratorio ſancti Michaëlis juxta matrem eccleſiam in precibus vigilias dominicæ diei perageret, ad conſtruendum ſanctorum Petri & Pauli monaſterium, angelo ſibi locum extra urbem deſignante, cælitus animatus fuiſſe dicitur; & illud quidem a fundamentis erexiſſe, cum baſilica, clauſtris, & aliis ædificiis, ubi agmen multorum monachorum inſtituerit, cum xenodochio ad excipiendos pauperes, adventantes & peregrinos, atque matricularios. Ad hæc non longe ab eodem monaſterio eccleſiam in honorem ſanctæ Crucis feciſſe, ibique Dei ſervos, id eſt monachos, ad divinum explendum officium inſtituiſſe, & ad ſuſcipiendos ſimiliter hoſpites & peregrinos. Baſilica a ſanctis ſacerdotibus, id eſt epiſcopis, *dupliciter conſecrata* primitus fuit in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli; quorum reliquiæ ibidem tunc poſitæ leguntur in ejus teſtamento. Jam vero longum eſſet ſingulas enumerare poſſeſſiones, quas in dotem conſtructi ab ſe monaſterii liberali manu aſſignavit. In ſumma hanc beatiſſimurum Petri & Pauli baſilicam, una cum ſancta eccleſia Cenomannica, heredem ſuam inſtituit, atque in illa corpus ſuum ſepeliri voluit, inſtituto ibidem anniverſario ſuo, cui amicos & fideles adeſſe jubet cum ſervis ab ipſo manu-miſſis, ita ut ex hoc exemplo cunctis manifeſtum fiat, quam *felix eſt homo ille, qui amicos bonos relinquit.* Ex his adjurat conſanguineum ſuum Chaimoaldum Pictavorum epiſcopum, ut poſt obitum ſuum ſuprema ſibi officia exhibeat, foveatque abbatem & alumnos ſuos monaſterii ſancti Petri. Idem etiam ſummopere efflagitat a ſucceſſoribus ſuis epiſcopis, eos obteſtans, ne quid ex bonis prædictæ baſilicæ ab ſe collatis minuant, aut detrahant, cum ipſe nullum inde eccleſiæ ſuæ diſpendium attulerit. Ita ille in prolixo ſuo teſtamento, quod anno triceſimo-ſecundo Chlotharii regis conditum eſt, ex quo hæc anticipato retulimus, incerti quo primum anno monaſterii ſancti Petri fundamenta jacta ſint. Hinc corrigendus ſcriptor libri de geſtis epiſcoporum Cenomannenſium, qui hoc ſancti Petri monaſterium, aliaque a Bertichramno conſtructa, ex rebus eccleſiæ Cenomannenſis dotata fuiſſe affirmat, laudato in eam rem ipſius teſtamento, in quo omnino oppoſitum legitur. Ceterum quis primus monaſterii ſancti Petri abbas fuerit, quive proximi ejus ſucceſſores, nobis incompertum eſt.

XXXVI. Item Pontileuvenſis.

Monaſterium ſancti Martini de Pontileuva * ſeu Pontileuga, ad Idoniam * am-

* Pontlieuſ.
* l'Huiſne.

ANN. CHR. 586. * *Pontlevoy.* nem, quod cum Pontelevienſi * pagi Bleſenſis confundi non debet, in eodem teſtamento *matricula ſanctorum Petri & Pauli* nuncupatur, propterea quod tam monachi, quam pauperes in loci canone recenſiti, ſub poteſtate abbatis & baſilicæ ſancti Petri conſiſterent ex mandato conditoris. Principio *ſexdecim tantum animolas*, ut loquitur, *Deo devotas, hoc eſt viros pauperes, cæcos aut debiles* ibi collocaverat, ea conditione, ut diebus ſingulis eis victus & neceſſaria quæque ſubminiſtrarentur. Idem vero abbatem prædictum ejuſque ſucceſſores obteſtatur, ut talem habeant curam de curſu, id eſt officio divino, & de nocturno lumine baſilicæ ſancti Martini, qualem de ſanctorum Petri & Pauli; & quod ſuperfuerit, in pauperes & inopes ipſius baſilicæ jubet impendi. Hactenus prioratus eſt ab illo principe monaſterio pendens, baud longe ab urbe.

XXXVII. Item S. Germani. Meminit etiam idem pontifex baſilicæ ſancti ac beatiſſimi Germani Pariſiaci antiſtitis, ab ſe grati animi cauſa conſtructæ, propterea quod ab eo *nutritus* fuerat, & ſacerdotio initiatus. Ibidem monachos inſtituit, eiſque villas in dotem tribuit, ut eo in loco perpetuis temporibus *officium & ſervitium procurent*. Cellulam vocant acta epiſcoporum, atque ultra fluvium Sartæ locant, nempe in ſuburbio civitatis, ubi hodie ſupereſt eccleſia parœcialis ſub titulo ſancti Germani. Hunc nutritorem & alumnum ſuum agnoſcit Bertichramnus, non quod a teneris in eccleſia Pariſienſi ab eo educatus fuerit, (nam Turonis ad ſepulcrum ſancti Martini [a] comam depoſuerat) ſed quod eruditus in ordine clericali, ac demum ad *ſacerdotii* honorem provectus a ſancto Germano. Archidiaconum tamen eccleſiæ Pariſienſis fuiſſe, antequam ſedem Cenomannenſem obtineret, teſtatur Gregorius [b] epiſcopus Turonenſis. Sic urbs Cenomannorum undique monaſteriis ſæpta erat, nempe ſancti Vincentii monaſterio verſus orientem, cujus auctorem ſanctum Domnolum ſuperius laudavimus: abbatia ſancti Petri verſus auſtrum: cœnobio vero ſancti Germani ad aquilonem; quibus demum abbatia de Prato, quæ virginum Benedictinarum eſt, paullo poſt acceſſit ad occidentem.

a *Analect. to. 3. p. 142.*
b *Greg. Tur. lib. 8. cap. 39.*

XXXVIII. & Stivalenſis. * *Eſtival.* Denique monaſterium Stivale * *infra illam quintam*, hoc eſt quinto ab urbe milliari ſeu duabus leucis, a quodam clerico, nomine Bertegiſilo, qui ſemel & iterum Cenomannenſem epiſcopatum [c] „ *tyrannica poteſtate contra canonum auctoritatem invaſerat*", redemit, amplificavit, auxitque, & ſanctimoniales monachas ſub regula degentes ibidem inſtituit. Meminit bujus Bertegiſili Bertichramnus in ſuo teſtamento, ejuſque factione ſe in exſilium [d] actum fuiſſe ſatis innuit, quo tempore idem Bertegiſilus eccleſiam Cenomannenſem diripuit & vaſtavit, nempe dum Chlotharius & Theodebertus de ſumma rerum inter ſe conflictarentur. Hinc patet Bertegiſilum bunc plane diverſum eſſe a Baldegiſilo, quo mortuo Bertichramnus ſedem iniit Cenomannenſem. Illud vero diſcriminis eſt inter ipſum teſtamentum & acta epiſcoporum, quod in his Stivale ſanctimonialibus traditum, & matri eccleſiæ Cenomannicæ ſubjectum fuiſſe dicitur: in teſtamento vero, nulla ſanctimonialium mentione facta, *Eſtivale* cum omnibus ad eum locum pertinentibus ſanctæ baſilicæ domni Pauli legatum, una cum oratorio ſancti Michaëlis ſuperius memorato, quod idem pontifex conſtruxerat. In hoc porro teſtamento tria eccleſiarum genera perpetuo diſtinguit, nempe matrem eccleſiam Cenomannicam, ſanctæ Mariæ & ſancto Gervaſio ſacram, quam eccleſiæ nomine ſemper deſignat: baſilicas, quæ pleræque ſunt monachorum; & oratoria, quæ minores erant eccleſiæ. Id maxime patet ex poſtrema [e] teſtamenti parte, „ ubi ſingulis urbis & pagi circumpoſiti locis ſacris pecuniariam ſtipem legat, in his ſolidos viginti baſilicæ domni Vincentii, ubi ſanctus Domnolus epiſcopus requieſcit." Stivale virginum cœnobium, vulgo in Charnia cognominatum, hactenus perſeverat ſub regula Benedictina.

c *Analect. to. 3. p. 110.*
d *ibid. p. 123.*
e *ibid. p. 142.*

ANN. CHR. 587. XXXIX. Mors S. Radegundis. INſequens annus octogeſimus-ſeptimus magnum terris lumen abſtulit, cæloque invexit, ſcilicet ſanctam Radegundem ex regina monacham Pictavenſis parthenonis ſanctæ Crucis, quem ipſa condiderat. „ Quarta feria, inquit, Baudonivia, ſummo mane, idibus Auguſti, clauſi ſunt ejus oculi, & obſcurati ſunt noſtri." Aberat forte Maroveus loci epiſcopus, cum Radegundis obiit, luſtrandis parochiæ ſuæ eccleſiis occupatus. Triduo exſpectatus cum non veniſſet, miſſo nuntio Gregorius Turonum antiſtes rogatus Pictavos acceſſit, funus curaturus. Stabat circa feretrum, ait [f] ille, multitudo magna ſanctimonialium, numero circiter ducentarum,

f *Greg. Tur. de gl. conf. c. 106.*

quæ

ANN. CHR. 587.

quæ ejus prædicatione & monitis converſæ, ibidem vitam ſanctam agebant, Senatorii generis non paucæ, nonnullæ etiam ex ſtirpe regali. Cum ſacrum corpus, capſa lignea cum aromatibus incluſum, extra monaſterium in beatæ Mariæ baſilicam, ubi cum ceteris ſororibus humari voluerat, efferretur; illæ funus e muro ſpectantes (quippe quibus ex Cæſarii regulæ præſcripto egredi e monaſterio non licebat) pro canticis non niſi ejulatum ac gemitum reddebant. Rogant e muro, ut ſubtus turrim muro adhærentem tantiſper ſiſteretur feretrum, ut ejus adſpectu paullulum recrearentur. Dum illic ſubſiſtit, cæcus lumen jam dudum amiſſum recuperat. Effertur inde corpus: itur ad beatæ Mariæ baſilicam, nondum ſacerdotali benedictione ſacratam: cujus altare Gregorius, rogatu abbatiſſæ, & civium virorumque honoratorum, prius benedixerat, Marovei epiſcopi benevolentiæ & humanitati confiſus. Compoſito intra ſepulcrum loculo, Gregorius facta oratione diſceſſit, ceteris ritibus epiſcopo honoris cauſa reſervatis, ut reverſus Pictavos miſſam iſtic celebraret, & operculum tumulo imponeret. Regreſſo in monaſterium Gregorio, atque in ſecretiores ejus partes admiſſo, abbatiſſa lugens, ſingula oſtendebat loca, in quibus regina ſancta legere, aut orare conſueverat. En, inquiens, cellula beatæ, ſed amplius in ea matrem non videmus. en locus, ubi genua flectere & precari ſolebat: en liber, quem lectitabat: en fuſi, quos nendo per longa jejunia & profluas lacrymas volvebat: ſed hæc omnia orbitatis noſtræ nos admonent. Hæc abbatiſſa lacrymans aiebat: quæ nec ſine lacrymarum profuſione Gregorins audire poterat. An ſuperſtes fuerit ad hunc uſque diem Agnes prima loci abbatiſſa, an Lubovera jam illi ſucceſſerat, non liquet, quamquam poſterior ſententia probabilior videtur.

XL. Epiſcopo ejus monaſteriũ ſubjicitur. a id. hiſt. lib. 9. c. 40.

Radegunde mortua, denuo abbatiſſa [a] poſtulavit, quod pia regina poſtulaverat vivens, a Maroveo loci epiſcopo, ut monaſterium ſanctæ Crocis eſſet ſub ejus poteſtate. quod ille primum quidem abnuit: poſtea tamen, clericorum ſuorum conſilio mutata ſententia, eorum ſe patrem fore pollicitus eſt, & tutorem. Sed quia inconſulto rege, ſive quod regiæ tutelæ ſubjectus a Radegunde fuiſſet locus, ſive quod regiæ conditionis eſſet, hanc poteſtatem exercere integrum ſibi non credebat; a Childeberto ejus rei facultatem litteris petiit, regiumque diploma obtinuit, ut hoc monaſterium, ſicut reliquas parochias ſuas, regulariter gubernare ſibi liceret. Gregorii verba ipſa refero. *Qua migrante, iterum petiit abbatiſſa, ſe ſub ſacerdotis ſui poteſtate degere. quod ille cum primum reſpuere voluiſſet, conſilio ſuorum promiſit ſe patrem earum, ſicut dignum erat, fieri; & , ubi neceſſitas fuiſſet, ſuam præbere defenſionem. Unde factum eſt, ut abſens ad Childebertum regem præceptionem eliceret, ut ei hoc monaſterium, ſicut reliquas parochias, regulariter liceat gubernare.* Quibus ſane verbis ſatis innuit, id ſibi antea non licuiſſe.

XLI. Radegundis teſtamentũ. b ibid. c. 43.

Cum jam præ ſenio ſe deficere ſentiret Radegundis, epiſtolam [b] Gallicanis epiſcopis vice teſtamenti direxerat, in qua ſuum illis monaſterium commendat, ex «
regia munificentia a ſe dotatum, & ad præſcriptum ſancti Cæſarii regulæ inſtitu- «
tum. Commendat etiam domnam & ſororem ſuam Agnetem, quam ab ineunte «
ætate loco filiæ habuerat & eduxerat, electione congregationis ſuæ, conſentienti- «
bus civitatis, aliiſque epiſcopis, creatam abbatiſſam, atque a beatiſſimo Germano, «
præſentibus aliis epiſcopis, benedictam & conſecratam, cujus poſt Deum directio- «
ni ſe ipſa lubens ſubjecerat. In hoc monaſterio apoſtolicæ vitæ formam obſervari, «
tam a ſe quam ab aliis ſororibus, quæ omnes, quidquid terrenæ ſubſtantiæ in ſæcu- «
lo poſſidebant, factis chartis dimiſerant, nihil proprium ſibi reſervantes. Obteſta- «
ri per ſanctiſſimam Trinitatem ac tremendum judicii diem, ut, ſi forte poſt ſuum «
ipſius obitum quiſquam, ſive loci epiſcopus, ſeu princeps, vel quivis alius, hanc «
congregationem perturbare, aut ejus regulam infringere, aliamve, præter Agne- «
tem, inſtituere abbatiſſam, vel novam in hoc monaſterium, reſque ad ipſum per- »
tinentes, dominatiooem exercere tentaverit; aut ejus poſſeſſiones, donationeſque «
a principibus, vel a ſe, ſororibuſve factas, ſibi vindicare; aut ſi qua denique ſancti- «
moøialis e monaſterio umquam egredi voluerit; id ne fieri quoquo pacto ſinant, «
habeanturque illi, quicumque id attentaverint, extra gratiam eccleſiaſticæ com- «
munioois. Ad hæc obſecrare, ut cum Deus prædictam Agnetem abbatiſſam e ſæ- «
culo migrare voluerit, ea in locum ejus abbatiſſa ex eadem congregatione ordine- «
tur, quæ Deo & ipſi congregationi placuerit, nempe quæ regulam cuſtodiat, «

AN. CHR. 587.

„ & nihil de propoſito ſanctitatis imminuat. Denique adjurare loci epiſcopum,
„ alioſque pontifices; obteſtari principes regeſque Francorum, præſentes ac futuros,
„ immo chriſtianos nmnes, ut univerſa hæc invinlata ſervari & compleri procurent,
„ ſacrumque virginum cœtum tueantur ac defendant, condignum recte facti præ-
„ mium a Deo percepturi.

XLII. Quando ſcriptum.

Erunt forte qui exiſtiment, hanc epiſtolam eam eſſe, quam Radegundis patribus in ſecundn Turonenſi concilio congregatis ſcripſit: cui epiſtolæ reſpondeat ea, quam ejuſdem concilii patres ad eam reſcripſerunt, ſuperius [a] a nobis laudatam, ubi de prædicta ſynodo egimus. Verum ſerius haud dubie, & quidem jam adulta virginum congregatione, ut ex ejus contextu patet, hæc Radegundis epiſtola exarata eſt: illa vero Turonenſis concilii patrum reſponſio *in initio hujus congregationis*, teſte Gregorio [b] ſcripta fuit. Ad hæc in prædicta Radegundis epiſtola fit mentio *beatiſſimi Germani*, uti jam mortui: cum is unus ſit epiſcoporum, qui reſponſionem concilii ſubſcripſerunt. Mirum vero eſt, cur ex novem, quibus conſtabat concilium, epiſcopis, ſeptem tantum in reſponſionis inſcriptione memorentur, Euphronius Turonenſis, Prætextatus Rotomagenſis, Germanus Pariſienſis, Felix Namnetenſis, Domitianus Andecavenſis, Victorius Redonenſis, & Domnolus Cenomannenſis, omiſſis Caletrico Carnutenſi, & Leudebaude Sagienſi, qui itidem prædictæ ſynodo ſubſcripſerunt. Sed hæc parvi momenti.

a lib. 6. n. 31.
b ibid. c. 39.

XLIII. S. Juniani obitus.

Eodem anno eodemque die, quo in cælum migravit beata Radegundis, obiit quoque ſanctus Junianus abbas Mariacenſis, quem illa ſummopere colebat. Is, cum in febrim incidiſſet, languore ingraveſcente, diſcipulos ſuos ad ſæculi contemtum & ad rerum divinarum amorem hortatus eſt, atque Auremundo ſucceſſore deſignato, mandatum eis dedit, ut beatæ Radegundi obitum ſuum quam primum nuntiarent, quod illa itidem juſſiſſe dicitur; factumque eſt ut miſſi ex utraque parte nuntii in medio itinere ſibi invicem occurrerent. Juniani corpus ſepultum eſt in cœnobio Mariacenſi, ex quo tranſlatum fuit ſæculo nono in Nobiliacenſe * agri Pictavenſis, ubi hactenus ejus reliquiæ, loco ignoto ob metum Calviniſtarum olim occultatæ, deliteſcunt.

* Noailli.

XLIV. S. Radegundis vitæ ſcriptores.

Beatæ Radegundis res geſtas primus litteris conſignavit Venantius Fortunatus ejus familiaris, Pictavorum poſt ejus obitum epiſcopus: eoque mortuo, res ab eo prætermiſſas Baudonivia monacha proſecuta eſt, librumque ſuum nuncupavit „ dominabus ſanctis Didymiæ abbatiſſæ, totique congregationi glorioſæ dominæ Ra„ degundis, profeſſa ſe minimam omnium minimarum, quam ab ipſis cunabulis hæc enutrierat. Didymia ſucceſſit Leuboveræ abbatiſſæ, cujus tempore ingentes motus & turbæ excitatæ ſunt in eodem parthenone per Baſinam & Chrodieldem regias puellas, uti poſtmodum exponemus. In hoc libello Baudonivia non ſemel utitur *religionis* vocabulo ad ſignificandum monaſticum inſtitutum, quod itidem vocabulum in eamdem ſententiam multi alii, etiam ante illud [c] tempus, uſurparunt.

c Baluzius to. 2. p. 46.

XLV. S. Aniani monaſterium Aurelianis.

Hoc eodem anno [d] Namatius Aurelianenſis epiſcopus, qui cum Bertichramno Cenomannenſi in minorem Britanniam, ad componendas Brittonum factiones, a Guntchramno rege directus fuerat, ex puſularum morbo in territorio Andecavenſi confectus eſt. Corpus ejus ad urbem ſuam revectum, in baſilica ſancti Aniani, ejuſdem urbis quondam epiſcopi, ſepultum eſt. Hanc baſilicam tunc occupabant monachi, eamque forte Namatio ipſe condiderat in ſuburbio tunc Aurelianenſi, & quidem ſub titulo ſancti Petri Ad-sboves, poſtea ſancti Aniani dictam, etiam Gregorio epiſcopo Turonenſi, poſtquam ſcilicet iſtuc ſancti Aniani corpus ex cœnobiali eccleſia ſancti Laurentii de Orgeriis, ubi ante pontificatum abbatis munus obiiſſe dicitur, eodem Namatio curante, tranſlatum fuit. Quantum inde crevit novæ baſilicæ ſplendor, tantum decrevit ſancti Laurentii eccleſia, quæ tandem recidit in prioratum Cluniacenſi monaſterio ſubjectum. Sancti Aniani cœnobio præfuit ſæculo ſequenti Leodebodus abbas, cui Floriacenſe Aurelianenſis pagi monaſterium inſigne originem ſuam refert acceptam. Jam dudum hæc ſancti Aniani baſilica muris urbis incluſa eſt, tranſiitque ante annos octingentos a monaſtico ſtatu ad canonicalem.

d id. lib. 9. c. 18

ANN. CHR. 588. XLVI.

Lues in Gallia. a Greg. Tur. lib. 9. c. 21. & 22.

b Ibid. c. 23. Virgilius epiſcopus Arelatenſis.

PRoximus annus peſtilentiſſima lue infeſtus fuit, quæ Italiam, Hiſpaniam, & partem Galliarum vexavit. Cum vero latius ſerperet in dies, & a locis Maſſiliæ proximis Lugdúnum uſque propagaretur; Guntchramnus [a] rex pro ea, qua pollebat, pietate rogationes & vigilias indixit, nec niſi panem hordeaceum cum aqua pura in victum adhiberi juſſit. Licerio Arelatenſi epiſcopo inter alios e vivis ſublato ſuffectus eſt Virgilius [b] abbas Auguſtodunenſis, an Lirinenſis. Certe Virgilius fuerat monachus Lirinenſis: an etiam ejus loci abbas, dubitare nos facit Gregorii Turonenſis auctoritas, qui eum aſſerit creatum epiſcopum ex abbate Auguſtodunenſi: tametſi auctor antiquus, qui libellum de geſtis ſancti Virgilii ſcripſit, & vetus index Lirinenſis monaſterii eum Lirinenſibus præfuiſſe tradunt. Neque dixeris, erratum irrepſiſſe in textum Gregorii ex librariorum vitio, qui pro Lirinenſi Auguſtodunenſem ſcripſerint: quando quidem Virgilii promotio a Gregorio facta dicitur *opitulante Syagrio epiſcopo* Auguſtodunenſi. Duo tunc exſtabant apud Auguſtodunum monaſteria, unum ſancti Martini, alterum ſancti Symphoriani, quod antiquius erat, abbatemque habuerat ſanctum Germanum, antequam is in ſedem Pariſienſem proveheretur. Sancti Martini monaſterium, itidem ſuburbanum, conditum eſt a Brunichilde regina, quæ neſcio an monachos ex Lirinenſi monaſterio iſtuc induxit, eiſque Virgilium præfecit, jam abbatem Lirinenſem. Poſt Porcarium, cujus in libro primo meminimus, in veteri indice abbates Lirinenſes hoc ordine recenſentur. *Abbo abbas anno* D XXX. *Florianus anno* D L. *Marinus anno* D LXXIX. *qui Agaunenſe cœnobium inſtruxit.* In vulgatis indicibus omiſſi ſunt Porcarius, eo nomine primus; Abbo, & Marinus, quem reſtituendum itidem docet ejus temporis ſcriptor vitæ ſancti Augendi abbatis Jurenſis, qui auctor inſtituta monaſterii Agaunenſis, *ſancto Marino presbytero inſulæ Lirinenſis abbate compellente*, digeſſit. Marinum ſequitur in prædicto indice Stephanus, ad quem ſcripſit Gregorius papa, & poſt eum Virgilius. At, ſi Virgilius ejus loci abbas fuit, certe Stephanum præceſſit. ſiquidem Arelatenſem epiſcopatum iniit ante Gregorii pontificatum, cujus anno ſexto hæc Gregorii ad Stephanum abbatem epiſtola ſcripta eſt. Virgilius domo Aquitanus, inſulam Lirinenſem petiit adoleſcens, *ubi æternas juſtus divitias inveniret.* Epiſcopus factus Arelatenſis, ſancti Stephani eccleſiam in urbe conſtruxit; itemque extra muros baſilicam in honorem Salvatoris & beati Honorati, *atque ibidem ordinem inſtituit monachorum ſervientium Deo*, haud dubie ad exemplum Lirinenſium. Iſtic commune totius urbis conditorium erat, ob idque locum hodie quoque Campos-Elyſios vocant. Hoc monaſterium cum adjuncta baſilica ſæculo undecimo traditum eſt monachis ſancti Victoris Maſſilienſis, poſtmodum annexum Taraſconenſi parthenoni ordinis ſancti Benedicti, donec tandem decimo-ſeptimo ſæculo ineunte in Minimorum religioſam familiam tranſiit. Gregorius Magnus Auguſtinum monachum in Angliam proficiſcentem commendavit eidem Virgilio, qui ipſum Auguſtinum poſtea epiſcopum ordinavit.

Abbates Lirinenſes.

ANN. CHR. 589. XLVII.

Turbæ in Pictavenſi parthenone.

c Greg. Tur. lib. 9. c. 40. & ſeq.

JAm Pictavos reverti cogimur, ubi Chrodieldis & Baſina regiæ monachæ ingentes turbas & factiones adverſus Leuboveram ſanctæ Crucis abbatiſſam excitarunt. Hujus ſeditionis jam quoddam veluti præludium ante Radegundis obitum fecerat ejuſdem parthenonis recluſa [c] quædam, quæ e monaſterio per murum deſiliens, ad baſilicam ſancti Hilarii confugerat, multa in abbatiſſam crimina evomens, quæ pro falſis poſtea comperta ſunt. At regreſſa in monaſterium, immo funibus per eum locum, unde ſe dejecerat, iſtuc reducta, facti in ſpeciem pænitens, petiit ut in cellulam ſecretam pænitentiæ cauſa recluderetur. Ejus exemplum pejus ſecutæ ſunt Chrodieldis & Baſina: quarum illa ſe regis Chariberti filiam ferebat: hæc Chilperici ex Audovera priori conjuge filia erat, matre interfecta in monaſterium Pictavenſe, Fredegunde agente, retruſa. Hanc, inſtantibus aliquando Hiſpanicis legatis, ut pro Rigunthe, altera Chilperici ex Fredegunde filia, Reccaredo principi in conjugium traderet pater; pluſquam muliebri conſtantia reſtitit Radegundis, negans puellam, ſemel immortali Sponſo dicatam, mortali cuiquam poſſe copulari. Chrodieldis parendi impatiens, & dominandi avida, magnos ſpiritus ex regum, uti jactabat, propinquitate gerens, Leuboveram abbatiſſam opprimere decrevit, exactoque a multis ſanctimonialibus ſacramento extorſit, ut compoſitis criminibus circumventam dejicerent, ſeque in ejus locum ſubſtituerent. Mox e monaſterio egreſſa

AN. CHR. 589.

» eſt, dicens adire ſe reges propinquos ſuos, conqueſtura, quod non ut regum, ſed » ut mancipiorum filiæ, ipſa, & Baſina, a Leubovera indigne haberentur. Infelix ac » fatua, inquit Gregorius, non recordabatur, quantam humilitatem Radegundis, quæ » hoc monaſterium inſtituerat, in omnibus exhibuiſſet, & quam ſponte non ſolum » Agneti abbatiſſæ, ſed quibuſvis aliis ſe ſubjeciſſet! Egredientem ſecutæ ſunt monachæ amplius quadraginta, in primis Baſina Chilperici filia, abeuntes retinere fruſtra nitente Maroveo epiſcopo. Itaque Pictavis profectæ omnes kalendis Martiis, Turonos pedibus jejunæ anhelæque, lutulentis ex imbre viis, perveniunt. Chrodieldis, velut omnium dux & anteſignana, Gregorium antiſtitem poſt ſalutationem rogavit, ut has puellas, a Pictavenſi abbatiſſa male habitas & extrema quæque paſſas, cuſtodire atque alere ne gravaretur, dum ipſa reges propinquos ſuos adiiſſet, ſuaſque eis injurias expoſuiſſet. Ad hæc Gregorius reſpondit, ſi abbatiſſa, in aliquo de» liquiſſet, aut minus canonice ſe geſſiſſet, Pictavos ſe acceſſurum, & una cum Ma» roveo epiſcopo eam admoniturum, emendatiſque omnibus, quæ correctione digna » viderentur, ipſas in monaſterium reſtituturum: ne, ſi longius malum ſerpat, luxu » & nimia licentia diſſipetur, quod ſancta Radegundis jejuniis, parſimonia, precibus, » eleemoſyniſque frequentibus congregaverat. Cum vero Chrodieldis nihilo minus in ſua contumacia perſeveraret, timere ſe dixit Gregorius, ne ab epiſcopis cum aſſeclis ſuis communione privaretur; recitavitque epiſtolam, a patribus concilii Turonenſis ad Radegundem ſcriptam, qua ſub excommunicationis interminatione, prout illa petierat, vetabant, ne cuiquam monachæ e monaſterio umquam egredi, aut ad ſæculi vota reverti liceret. Verum Chrodieldis nihilo magis a propoſito deterrita, ſed ad reges quantocius adire velle proteſtata eſt, aliæque ſimul cum ea monachæ Maroveum epiſcopum ſibi ſemper infeſtum, inviſumque fuiſſe cauſatæ ſunt; nihilque præſidii, niſi a regibus ipſis ſibi reliquum eſſe. Verum Gregorio illis ſuadenti, exſpectarent ſaltem tempus itineri magis opportunum; aſſenſere omnes, ac Turonis interim ſubſtitere.

XLVIII. Chrodieldis facinora.

Inſequenti æſtate Chrodieldis cum aliquot virginibus, ceteris apud Turonos cum Baſina relictis, ad Guntchramnum pergit: a quo benigne accepta auditaque, Turonos demum muneribus honorata revertitur, ſponſione a rege ſibi facta de revocando quam primum epiſcoporum conventu, in quo tota hæc controverſia finiretur. Erat in ejus comitatu inter alias Conſtantina Burgoleni filia, quam in monaſterio Auguſtodunenſi reliquerat cum aliis puellis, quarum multæ, a viris libidinoſis ſeductæ, ad nuptias convolarunt, priuſquam Chrodieldis ab aula regis regreſſa fuiſſet. Ubi nullum epiſcopum condicto tempore convenire ſenſit, Pictavos cum aſſeclis ſuis revertit, omneſque ſimul, perditorum hominum manu ſtipatæ, ſancti Hilarii baſilicam occupant. Ibi Chrodieldis & Baſina ſe ad certamen parant, palam dictitantes, reginas ſe eſſe, nec niſi expulſa abbatiſſa in monaſterium reverſuras. Dum hæc agerentur, Gundegiſilus Burdigalenſis epiſcopus, Aquitaniæ ſecundæ, cui Pictavi attribuuntur, metropolitanus, cum Nicaſio Ecoliſmenſi, Saffario Petrocorico & Maroveo Pictavenſi comprovincialibus ſuis, ad baſilicam ſancti Hilarii accedit, ac monachas, pro eo ac debebat objurgatas, in monaſterium reducere conatur. at cum nihil proficeret, excommunicationem eis inflixit. Tum vero perditorum hominum turba, hortante Chrodielde, in epiſcopos irruit, eorumque miniſtros: qui fuſtibus graviter cæſi, cruenti ſanguine, quo baſilica ipſa reſperſa eſt, vix e loco profugere valuerunt. Inde Chrodieldis hoc ſucceſſu, veluti victoria ferox, monaſterii villas invaſit, & quoſcumque ejus famulos aut clientes excipere poterat, plagis ac verberibus ſibi ſubjicere tentabat. Minabatur quoque, ſi monaſterium ingredi poſſet, ſe e muro abatiſſam in præceps dejecturam. His de rebus certior factus Childebertus, ſtatim Macconi comiti mandavit, ut hanc ſicariorum turbam quantocius reprimeret ac coerceret.

XLIX. Æduenſis ſynodus in ſeditioſas.

Interim Guntchramnus epiſcoporum ſynodum Auguſtodunum indicit, cui Ætherius Lugdunenſis, Syagrius Auguſtodunenſis, Aunacharius Autiſſidorenſis, Heſychius Gratianopolitanus, Agricola Nivernenſis, Urbicus Reienſis, Felix Belicenſis, Veranus Cabellicenſis, item Felix Catalaunenſis, & Bertichramnus Cenomannenſis interfuerunt. Ad hos Gundegiſilus Burdigalenſis ſuo & comprovincialium nomine epiſtolam ſcripſit, ut eos ad comprobandam in rebelles monachas prolatam ſententiam hortarentur. Ea probata, reſcripſerunt ſe, in ſynodo, proximis kalendis

Novembribus habenda, ſimul conſilium inituros, quo pacto monacharum Pictavenſium temeritas & audacia poſſet coerceri. Interim monere, ut Pauli apoſtoli ſententiæ memores, eas opportunis, importuniſve correptionibus, atque aſſiduis precibus ad officium revocare conarentur. Præterea Leubovera abbatiſſa ad finitimarum urbium epiſcopos miſit exemplaria epiſtolæ, in qua Radegundis Gallicanis epiſcopis monaſterium ſuum, ejuſque inſtitutum commendaverat, obteſtata, ne a quoquam regulam ſolvi, abbatiſſamve rite electam dejici; neu monaſterium gravari, ejuſque poſſeſſiones indebite imminui aut adimi; aut denique ullam virginem monaſterio egredi paterentur.

ANN. CHR. 589.

L. Poſt hæc Maroveus epiſcopus rebellium monacharum convicia non ferens, Porcarium, ſancti Hilarii baſilicæ abbatem, ad Gundegiſilum metropolitanum, aliosque comprovinciales epiſcopos mittit, oratum, ut, reddita puellis communione, eis in judicium veniendi facultatem concedere dignarentur. quod impetrare non potuit. Interea Childebertus, continuis utriuſque partis querimoniis fatigatus, Teutharium preſbyterum ad dirimendas earum controverſias miſit. Evocatæ ad audientiam Chrodieldis & Baſina cum reliquis puellis, negarunt ſe, niſi prius eccleſiæ reconciliarentur, in judicium venturas. Teutharius Gundegiſilum, alioſque epiſcopos rogat, ut puellis excommunicationem relaxent: ſed illi iterum recuſant, indignum rati, ante pænitentiam & ſatisfactionem rebellibus communionem reddi. Puellæ vero, cum jam propter inopiam ſimul conſiſtere non poſſent, ſeparatæ ab invicem, aliæ ad parentes & propinquos, aliæ ad domos proprias, aliæ ad monaſteria, in quibus prius fuerant, ſunt reverſæ, paucis remanentibus cum Chrodielde & Baſina, quas inter magna excitata eſt diſcordia, propterea quod altera alteri præferri cupiebat.

Judex ſæcularis Pictavis miſſus.

LI. Non diſſimilis & paullo minus atrox diſcordia [a] in Turonico monaſterio eodem tempore exorta eſt inter Ingeltrudem nobilem matronam & filiam ejus Bertegundem. Erat Ingeltrudis, ut Valeſio videtur, ſoror Ingundis & Aregundis reginarum, quas uno eodemque tempore Chlotharius ſenior conjuges habuit, eademque Bertchramni Burdigalenſium epiſcopi ac Bertegundis parens. Hæc, amiſſo viro, veſtem mutaverat, & in atrio baſilicæ ſancti Martini parthenium condiderat, ubi ſe ipſam cum aliis virginibus recluſit, quarum e numero erat Berteſledis, Chariberti regis filia, ac proinde memoratæ Chrodieldis ſoror, ſi verum erat quod hæc de ſe ipſa jactabat. Cum virginum cœtui jam numeroſo abbatiſſa præponenda eſſet, Ingeltrudis filiæ ſuæ Bertegundi ſuadet, ut relicto viro ad ſe veniret, futura parthenii abbatiſſa. Nec mora levitate muliebri Bertegundis cum viro ſuo, rei minime conſcio, Turonos advenit, & monaſterium ingreſſa, conjugem ſuum valere juſſit, liberoſque ac rem domeſticam curare. Tam inexſpectato ſermone perturbatus vir, Gregorium urbis epiſcopum adit, rogatque ut mulierem auctoritate ſacerdotali ad officium & ad ſanam mentem reducat. Gregorius ad monaſterium accedit, decreta canonum Nicænorum, ut ipſe vocat, forte Gangrenſis concilii, Bertegundi oſtendit, quibus uxori virum relinquere ſub anathemate interdicitur. His auditis, mulier verita, ne, ſi in monaſterio permaneret, communione privaretur; matri monaſterioque vale dicit, & cum viro ſuo domum revertit. Perſtat nihilo minus in propoſito mater, & poſt quatuor aut quinque annos filiam denuo in monaſterium revocat. Aberat tum domo Bertegundis maritus, qua uſa occaſione mulier, res tam viri quam ſuas cum uno e filiis imponit navibus, Turonoſque defertur. Ocius vir ejus iſtuc advolat: inſtat ut ſua ſibi uxor reſtituatur. Bertegundis ſuaſu matris ad Bertchramnum Burdigalenſem epiſcopum, germanum ſuum, ſe recipit. Vir profugam perſecutus, ab epiſcopo conjugem repetit, quicum annos triginta vixiſſet. Negat ille conjugem ejus amplius futuram, quam matre & propinquis non conſentientibus duxiſſet. Guntchramnus rex, a viro apud Aurelianos appellatus, uxorem ei reddi jubet. Epiſcopus, ſimulato aſſenſu, ſororem clam monet, *ut veſte mutatâ, ac pænitentia accepta*, baſilicam ſancti Martini expeteret. Nefas quippe tum cenſebatur accepta pænitentiæ veſte, ut ſuperius [b] diximus, ſæculum denuo repetere, quod cum illa exſecuta fuiſſet, ne ſic quidem a perſequendo vir ejus deterritus, Turonos venit cum multis, ut, ſi aliter non poſſet, uxorem e loco ſancto vi abſtraheret. Hæc, oppoſito pænitentiæ voto, id ſibi licere negat. Interea, mortuo Bertchramno fratre, Bertegundem voti pænitere cœpit, quæ ſapientum uſa conſilio ad virum redit. Hinc nova rixæ & diſcordiæ ſeges inter matrem & filiam, Bertegunde res patris ſui ab Ingeltrude

Similis rixa inter Ingeltrudem & Bertegundem apud Turonos.

a Greg. Tur. lib. 9. c. 33.

b lib. 4. n. 51.

ANN. CHR. 589.

repetente: quas Ingeltrudis adeo reſtituere noluit, ut, effracta domo filiæ, res ejus omnes juſſerit diripi, ſimulque auferri donationis litteras, quibus Bertchramnus multa ſorori ſuæ teſtamento legaverat. Childebertus, hinc inde interpellatus, mandat Gregorio Turonico, & Maroveo Pictavenſi epiſcopis, ut tantæ demum rixæ finem imponant, & alteram alteri reconcilient. Ingeltrudis id præfracte recuſat, nec placito regis acquieſcit, quo filiæ quadrantem paternæ hereditatis, retento ſibi dodrante, reſtituere tenebatur. Tandem, cum morti [a] proxima eſſet, ſuam e filio neptem abbatiſſam conſtituit, rogavitque monachas, ut nec in monaſterio ſuo, nec ſuper ſepulcrum filiæ ſuæ, pro ea Deum orarent. Ejus morte cognita, Bertegundis Turonos confeſtim venit: ſed in monaſterium ingredi prohibita, Childebertum regem adiit, poſtulans, ut loco matris ſuæ monaſterium regere ſibi liceret. Childebertus, prioris judicii oblitus, Ingeltrudi res patris & matris omnes dato diplomate conceſſit, eidemque quidquid Ingeltrudis monaſterio ſuo reliquerat, adjudicavit. His freta litteris Bertegundis monaſterii res omnes diripuit, & abbatiſſam, nullo propinquitatis reſpectu, fictis criminibus onerat, tantiſque onuſta ſpoliis ad propria reverſa eſt.

a Greg. l. 10. c. 12.

L I I Pictavenſis rixæ finis.

Non meliorem exitum habuit Chrodieldis factio, quam ſimilis ambitio conflaverat. Hæc moræ impatiens, ſicariis & perditis [b] hominibus, quorum turbam ſemper habebat ſecum, in mandatis dat, ut nocte abbatiſſam comprehendant, & ad ſe adducant. Rem ocius dicto exſequuntur nefarii homines, portiſque monaſterii refractis, iſtuc intrant armati, accenſoque cereo per omnes cellulas & angulos Leuboveram quærunt, eamque tandem inveniunt humi jacentem ante arcam argenteam ſanctæ Crucis, quo hæc podagrica, audito furentium tumultu, ſe deferri juſſerat. Hanc cum quidam gladio vellet percutere, accepto ab alio vulnere prohibitus eſt. Interim Juſtina præpoſita, aliæque virgines, exſtincto cereo, palla altaris, quod ante crucem dominicam erectum erat, abbatiſſam operiunt. Tum ſicarii ſtrictos gladios per cæcas tenebras vibrantes, occurrentes virgines ſauciant, repugnantium manibus vulneratis; ac præpoſitam pro abbatiſſa comprehendunt, excuſſiſque de capite linteis, ſolutis a vertice capillis, foras extrahunt, cuſtodiæ in baſilica ſancti Hilarii mancipandam. Verum dum baſilicæ accedunt, cælo paullulum albeſcente, errorem agnoſcunt, & reducta præpoſita, abbatiſſam rapiunt, & in carcerem paratum conjiciunt. Dein nocte ſubobſcura monaſterium tertio ingreſſi, ad lumen cupæ accenſæ univerſam ſupellectilem diripiunt. Hæc ante ſeptem dies paſchæ cum geſta eſſent, Maroveus epiſcopus tot malis offenſus, miſit qui Chrodieldem rogarent, ut abbatiſſam per hos dies liberam dimitteret: ſin minus, ſe paſcha minime celebraturum, nullumque in urbe catechumenum baptizaturum; aut certe opidanorum ope abbatiſſam e cuſtodia crepturum. Chrodieldis contra minatur, ſi quis vim intulerit, Leuboveram gladio perimendam. Evaſit nihilo minus cuſtodiam abbatiſſa ope Flaviani regii domeſtici, qui tunc Pictavis aderat, & ad beati Hilarii baſilicam confugit; eodemque tempore emiſſarii ante ipſam ſanctæ Crucis arcam, & ad ſepulcrum beatæ Radegundis varias cædes perpetrant. Hinc monaſterium ingreſſa Chrodieldis, efferre ſe ſe quaſi victrix, aliiſque præferre; & Baſinam ipſam deſpicatui habere. Baſina hanc injuriam indignanter ferens, facti pænitentiam agere cœpit, ſeque cum abbatiſſa reconciliavit: ſed non multo poſt, ob necem uni e famulis ſuis a domeſticis abbatiſſæ illatam, relicta Leubovera, denuo ad Chrodieldem rediit. Hæc ubi Childebertus accepit, Guntchramnum patruum ſollicitavit ad cogendum epiſcoporum ex utroque regno conventum, ut tantis malis occurreretur. Juſſus Pictavos adire Gregorius, id ſe facturum negavit, ni emiſſarii Chrodieldis per judicem reprimerentur. Childeberti juſſu rem exſequi tentat Macco Pictavorum comes, cujus id officium erat; & ubi preces apud Chrodieldem nihil proficiunt, armata manu ſicarios, quos illa tradere noluit, aggreditur; & alios quidem vectibus, alios telis, plures gladiis cædi ac transfigi jubet. Chrodieldis hac cæde perterrita, ad crucem dominicam, quam antea deſpicatui habuerat, confugit, & ſignum illud venerandum obviam ferens, orat, ut ne ſibi, quæ regis filia eſſet, vis inferretur; ſecus attentantibus ultionem minatur. At plebs nihili pendens preces ejus ac minas, in ſicarios irruit, in repugnantes injicit manus, abſtractoſque e monaſterio, & ad ſtipites extenſos graviter cædit. Tum aliis capita raſa, aliis præciſæ manus; nonnullis aures cum naribus amputatæ: itaque ſeditio compreſſa.

b ibid. c. 15.

ANN. CHR. 589.

LIII.

Crimina abbatiſſæ objecta.

Eum in modum punitis ſicariis, epiſcopi abbatiſſam & monachas utriuſque partis in judicium vocant. Chrodieldis & Baſina interrogatæ, cur e monaſterio diſceſſiſſent, tantaſque turbas concivilſſent, reſponderunt, omnium ſe rerum neceſſariarum inopia, & abbatiſſæ ſuæ ſævitia coactas huc deveniſſe. Ceterum ea eſſe abbatiſſæ crimina, quæ officio ſuo indignam redderent: nempe quod viri in balneo ſuo lavarent: abbatiſſa ipſa tabula ſæpe luderet: cum ſæcularibus convivia iniret: ſponſalia faceret in monaſterio: nepti ſuæ ex pallis ſacris ornamenta conficeret: *barbatorias intus celebraret*, hoc eſt larvatas perſonas in monaſterio exhiberet. Eidem etiam imputabant, quod clauſtris per has turbas violatis infanda crimina perpetrata ſint. Abbatiſſa ad hæc reſpondit, Chrodieldi & Baſinæ numquam ad victum aut veſtitum neceſſaria defuiſſe. argumento eſſe earum arculas, quæ veſtibus haud neceſſariis refertæ ſint. De balneo juſſiſſe domnam Radegundem, ut, quia calce recenti perlitum erat, a ſervis monaſterii idemtidem frequentaretur a diebus quadrageſimæ in pentecoſten, ne monachabus recens odor noceret. Tabulæ luſum nec canonibus, nec regula prohiberi; &, ſi quidem luſiſſet, id nonniſi vivente domna Radegunde. (ex quo colligitur, Leuboveram Agneti, ſuperſtite Radegunde, ſucceſſiſſe.) Si quid tamen hac in re peccaſſet, ſe judicio epiſcoporum condigne ſatisfacere paratam. Ad convivia quod attinet, nihil ſe novaſſe, ſed morem tenuiſſe uſitatum ſub domna Radegunde. ceterum ſe eulogias quidem chriſtiano more nonnullis dediſſe; convivia nullis exhibuiſſe. Ad ſponſalia neptis ſuæ arras ſe quidem accepiſſe, ſed neutiquam ſponſalia celebraſſe. Denique ad purgandam de pallis ſacris accuſationem teſtes produxit Macconem Pictavorum comitem & Didymiam monacham nobilem, quæ pannum holoſericum dono dederat, ex quo palla facta eſt, panni reliquis tantum inciſuris nepti ſuæ conceſſis. Hæc eſt Didymia, poſtea monaſterii abbatiſſa, cui Baudonivia libellum ſuum de vita beatæ Radegundis nuncupavit. His omnibus, quæ vel levia, vel falſa erant, mature expenſis, epiſcopi abbatiſſam in locum ſuum reſtituerunt: Chrodieldem vero & Baſinam veniam precari, & Leuboveræ ſatisfacere nolentes, immo eam interficere molientes, communione privarunt. Inſuper ambos reges orarunt, ut diplomata & inſtrumenta donationum, quæ monaſterio factæ fuerant, ab iiſdem abſtracta reſtitui juberent, neque eis in locum, quem tam impie violaſſent, redire permitterent. Monachæ tamen, quæ eas ſecutæ fuerant, in monaſterium reverti juſſæ, ubi criminum ſuorum pænitentiam agerent. Hæc uno tenore, tametſi ultra hunc annum protracta ſunt, a nobis relata, fuſius continentur [a] in litteris, quas judices epiſcopi, Ebregeſilus Coloniæ Agrippinæ, Gregorius Turonenſis, Gundegiſilus Burdigalenſis & Maroveus Pictavenſis, aliique comprovinciales, ad reges hac de re ſcripſerunt. Poſt hæc nihilo minus Chrodieldis & Baſina Childebertum adeunt, noviſque criminationibus abbatiſſam infamant: quarum falſitas, teſtibus auditis, comprobata. Ambæ tamen paullo poſt, deprecante pro eis rege, in communionem receptæ ſunt in ſynodo [b] Mettenſi, permiſſumque Baſinæ erratorum pænitenti, ut in monaſterium ſuum reverteretur: Chrodieldi vero, quia cum abbatiſſa commorari nolebat, conceſſum eſt, ut in villa ſibi a rege tradita reſideret.

a *ibid. c.* 16.

b *ibid. c.* 20.

LIV.

Leuboveræ ſuccedit Juſtina.

Quamdiu his turbis Leubovera ſuperſtes fuerit, quæve in ejus locum abbatiſſa proxime ſucceſſerit, indices vulgati non produnt, in quibus poſt Leuboveram nulla uſque ad ſæculum nonum abbatiſſa legitur. Mihi vero perſuaſum eſt ei ſucceſſiſſe Juſtinam, quæ per has rixas præpoſitæ officio fungebatur: idque probare videtur Venantius Fortunatus, Gregorio Turonenſi epiſcopo ſcribens [c] *in cauſa abbatiſſæ*, hoc eſt *in cauſa Juſtinæ*, ut ipſe in ſubjecta carmini epiſtola explicat. Eidem iterum gratias egit [d] *ex nomine Juſtinæ*; quod aviæ neptem reſtituerit; oratque ut in poſterum *inter avam & neptem* mediatorem agat. Hinc ſubintelligitur, nonnihil ſimultatis Juſtinam inter & quamdam ejus neptem interceſſiſſe, & neptem quidem receſſiſſe a Juſtina: ſed poſtmodum opera Gregorii eidem reſtitutam. Juſtinæ ſucceſſit Didymia, cui, ut præmiſſum eſt, Baudonivia monacha librum alterum de vita beatæ Radegundis inſcripſit; eademque nobilis illa monacha Didymia, quæ pannum ſericum ad ornatum altaris Leuboveræ donaverat, ut in litteris epiſcoporum [e] ad Guntchramnum & Childebertum legitur.

c *Fortunat. lib.* 8 *c.* 14.

d *ibid. c.* 15.

Juſtinæ Didymia.

e *Greg. Tur. lib.* 10. *c.* 16.

LV.

S. Hilarii monaſterium.

Priuſquam hinc diſcedamus, operæ pretium eſt obſervare, duo tunc fuiſſe apud Pictavos virorum cœnobia, nempe in baſilica ſanctæ Mariæ, quam Radegundis

ANN. CHR. 589.

pro virginum conditorio exſtruxerat; & in baſilica beati Hilarii epiſcopi, ubi ſancti confeſſoris corpus aſſervabatur. Longe antiquior eſt ſancti Hilarii baſilica, & forte ante ejus obitum in ſuburbio Pictavorum conſtructa, quæ beati pontificis corpore & tumulo magnopere illuſtrata eſt. Chlodoveo adverſus Alaricum dimicaturo lux ex illa baſilica affulgens, certam de rege Ariano victoriam portendit. Teſtis hac de re Venantius Fortunatus, qui de ſancti Hilarii vita & miraculis duos ſcripſit libellos, rogatu Paſcentii epiſcopi Pictavenſis, quem in præfatione libri primi ait, a primis cunabulis ad ſancti Hilarii veſtigia, id eſt ad ejus tumulum, *quaſi peculiarem vernulam*, enutritum fuiſſe. Idem Paſcentius, ante pontificatum, ejuſdem baſilicæ abbas fuerat, teſtante Gregorio [a] epiſcopo Turonenſi, electus epiſcopus circiter annum illius ſæculi ſexageſimum-quartum. An ei proxime ſucceſſerit Porcarius, ejuſdem baſilicæ abbas jam laudatus, haud exploratum. Anno undenonageſimo a Maroveo antiſtite miſſus eſt [b] ad Gundegeſilum Burdigalenſem, & ad comprovinciales epiſcopos, ut Chrodieldi ejuſque ſequacibus communionis reſtitutionem ab eis impetraret. Hunc conditorem fuiſſe putant monaſterii apud Pictavos, quod ſancti Porcarii nomen ab auctore poſtea obtinuit, eſtque prioratus abbatiæ Burgulienſi ante annos ſexcentos ſubjectus. In variis martyrologiis non editis ejus commemoratio fit his verbis: *Pridie kalendas Junii, Pictavis ſancti Porcarii confeſſoris.* Ejus tempore jam mos inoleverat, teſte Baudonivla, ut in feſtivitate beati Hi- » larii vicinorum cœnobiorum monachi uſque ad mediam noctem in ejus baſilica vi- » gilias celebrarent: at poſt mediam noctem quilibet abbas cum ſuis fratribus ad » ſuum reverteretur monaſterium, ſolitum *curſum* divinorum officiorum celebraturus. In eodem monaſterio a teneris beatus Aicadrus abbas Gemeticenſis ad erudiendum traditus fuit nominatiſſimo ejuſdem loci monacho, nomine Ansfrido. Venantium Fortunatum, Pictavorum ſub finem vitæ epiſcopum, in beati Hilarii baſilica ſepultum fuiſſe inde colligimus, quod Aper ejuſdem loci abbas, ejus epitaphium a Paulo Warnefridi componendum curavit.

Paſcentius abbas.

a id. lib. 4. c. 18.

S. Porcarius item abbas.

b id. lib 9. c. 43.

LVI.

B. Radegundis monaſterium virorum.

c Baudon. n. 26.

Beatæ Mariæ baſilicam ſancta Radegundis itidem extra muros Pictavenſes ad ſepulturam ſanctimonialium ſanctæ Crucis conſtrui curaverat, monachiſque, qui virginibus ſacra miniſtrarent pro more illorum temporum, attribui voluerat. Leo quidam vir inluſter centum ſolidos ad baſilicæ fundamenta contuliſſe [c] memoratur. Nondum ſacrata erat baſilica, cum beata Radegundis iſtic humata fuit, brevique poſt tempore hæc nomen loco dedit. Certe apud Baudoniviam monacham laudatur vir venerabilis Arnegiſilus *abbas baſilica beata Regina*, qui cum ſuis monachis ad ſancti Hilarii baſilicam profectus ad celebrandas in ejus feſto vigilias, his finitis » ad ſuam ipſe baſilicam reverſus eſt, *curſum* impleturus. Iſtuc etiam e Burgundia ve- » niſſe memoratur quidam abbas, nomine Abbo, cum viro apoſtolico Leifaſto epiſcopo, nempe Æduenſi: qua in urbe Abbo haud dubie abbas erat, in ſancti Symphoriani, an ſancti Martini monaſterio, quod hoc ipſo tempore Brunichildis regina conſtruxerat in ſuburbio Auguſtodunenſi. Quo ritu, quove habitu in baſilica illa ſanctæ Mariæ ſeu ſanctæ Radegundis ſepelirentur ſanctimoniales, ex Gregorio [d] diſcimus, referente obitum Diſciolæ monachæ: cujus *corpus aquis ablutum* ita candore niveo refulgebat, ut *nullum linteum* reperire abbatiſſa in promtu potuerit, » quod corpore candidius eſſet. *Induta tamen linteis mundis, ſepulturæ mandata eſt.* Ceterum utraque baſilica, nempe ſancti Hilarii, & beatæ Mariæ, tranſiit ad canonicos ſæculares. quod ſerius factum in baſilica ſancti Hilarii, nec ante ſæculum decimum: at in baſilica beatæ Mariæ ſeu ſanctæ Radegundis ſæculo præcedenti, uti colligitur ex capitulari Ludovici Pii pro parthenone ſanctæ Crucis, ubi ſtatuitur, *ut omnino provideatur, ne clericorum numerus pluſquam triginta augeatur*, qui *per omnia ad dictam congregationem ſancta congregationi ſancta Crucis obedientes ſint atque ſubjecti.* Quamquam clericorum vocabulum non raro pro monachis ſumitur. Sed de his alias.

Monachæ quo ritu iſtic ſepultæ.

d Greg. Tur. lib. 8. c. 39.

LVII.

Recluſæ ad ſanctam Crucem.

e id. ibid.

Non licet prætermittere hoc loco, recluſas exſtitiſſe quondam in parthenone ſanctæ Crucis, uti Gregorius [e] tradit, ex quo etiam diſcimus ritum, qui in earum recluſione ſervabatur. Is quippe agens de quadam ſanctimoniali, quæ viſo ad com- » punctionem animata fuerat, ſubdit, eam poſt dies paucos rogaviſſe abbatiſſam, ut » ſibi, in qua recluderetur, cellulam præpararet. Tum cellula quantocius perfecta, » puellam petiiſſe, *ut recludi permitteretur.* quod cum ei permiſſum fuiſſet, *congregatis*

ANN. CHR. 589.

tis virginibus, cum magno pſallentio, accenſis lampadibus, tenente ſibi beata Radegunde manum, ad locum uſque perducitur. Et ſic vale faciens omnibus, & oſculans ſingulas quaſque, recluſa eſt. obſtructoque aditu, per quem ingreſſa fuerat, ibi nunc orationi & lectioni vacat, ait Gregorius. Idem fere ritus legitur apud Grimlaicum [a] in regula Solitariorum. Sic apud eumdem Gregorium de Hoſpitio recluſo apud Niciam legitur, nullum patuiſſe in ejus cellulam aditum, quæ inſtar turris fabricata erat; ſolamque relictam fuiſſe feneſtram, per quam ſcilicet vitæ neceſſaria accipiebat, aut exteris loquebatur. Grimlaicus addit, epiſcopum recluſioni præfuiſſe, & oſtium retruſionis cellulæ apoſphragiſmo, id eſt ſigillo, ſuo ſolitum ſigillare.

a *Reg. Solit. c.* 15. & 16.

LVIII. Monachi proprietarii pœna.

Hoc anno in Romano ſancti Andreæ monaſterio accidit, quod Gregorius Magnus, ejus tunc loci abbas, ante triennium, quam dialogos ſcriberet, contigiſſe [b] narrat. Erat in eo monaſterio quidam monachus, Juſtus nomine, artis medicinæ peritus, qui Gregorio ægrotanti opportuna remedia & obſequia exhibuerat. Is morbo ad extrema redactus, germano fratri ſuo, Copioſo nomine, quo miniſtro ad medicinæ officia utebatur, ſecreto ſignificavit, penes ſe eſſe tres aureos, quos occultatos retinebat. Res ad Gregorium delata ſummopere ipſi diſplicuit: & quia ejuſdem monaſterii regula cautum erat, ut cuncti fratres ita in communi viverent, « ut nulli quidquam habere proprium liceret: tantum facinus illuſtri aliquo pœnæ « exemplo purgare decrevit. Itaque Pretioſo ejuſdem monaſterii præpoſito injunxit, ut nullus ex fratribus morienti aſſiſteret, præter fratrem ejus carnalem: qui cauſam tantæ ſeveritatis percontanti reſponderet, eum propter tres aureos clam reſervatos omnibus fratribus horrori eſſe: ut vel ſic a perpetrato crimine reſipiſceret. Ad hæc imperatum, ut defuncti corpus, non in communi fratrum conditorio humaretur, ſed in ſterquilinium projiceretur, & ſuper eum tres aurei prædicti jactarentur, cunctis inclamantibus: Pecunia tua tecum ſit in perditione: & ſic demum corpus ejus humo operiretur. Profuit hæc ſeveritas non modo viventibus, ſed etiam moribundo: qui ſe ab omnibus deſertum videns in extremis, tantum admiſſi criminis dolorem concepit, ut veniam a Deo impetrare meruerit. quod quidem Copioſo ejus fratri revelatum eſt. Cum enim, elapſis ab ejus obitu triginta diebus, Gregorius ejus animæ compatiens, Pretioſo præpoſito juſſiſſet, ut triginta diebus continuis pro eo ſalutare ſacrificium offerretur: his peractis, Juſtus Copioſo, hujus rei minime conſcio, nocte conſpicuus viſus eſt, ſeque modo bene eſſe, quia hoc primum die communionis particeps fuerat, aſſeruit. Hoc nuntium magnopere exhilaravit fratres, qui quo die hoc viſum contigit, triceſimum oblationis diem fuiſſe compererunt; eiſque perſuaſum fuit, ſalutaris hoſtiæ oblatione fratrem hunc e ſupplicio liberatum fuiſſe. Conſimile religioſæ ſeveritatis exemplum nobis ſuppeditat ſanctus [c] Pachomius, qui pſalmorum cantum in funere fratris minus obedientis ceſſare juſſit, veſtibus ejus in conſpectu omnium crematis. Eodem tempore accidit, ut Johannes ſancti Andreæ ſub Gregorio piiſſimus monachus, cum quidam frater mortuus *in ejuſdem monaſterii cœmeterio* ſepeliretur, ab eodem fratre, qui mortuus fuerat, de ſepulcro vocatus ſit, & poſt dies decem defunctus. Hæc Gregorius in libro quarto Dialogorum capite XLVII. ubi Antonii & Meruli, piiſſimorum ejuſdem loci monachorum, obitum refert: ex quibus Antonius, totus in cæleſtia intentus, cum ſtudioſiſſime ſacra eloquia meditaretur, *non in eis verba ſcientiæ, ſed fletum cumpunctionis inquirebat*. Merulus vero ita pſalmodiæ deditus, ut ex ejus ore pæne numquam ceſſaret. Pios mores conſimilis mors ſubſecuta. Antonius quippe mortis ſuæ tempus cælitus didicit, ſibique peccata ſua dimiſſa eſſe præcognovit; nec tamen trepidare ceſſavit. Merulus vero cæleſtem ex floribus coronam ſibi dari in ſomnis intellexit, paullo poſt cum magna animi hilaritate & ſecuritate defunctus. Aperto poſt annos quatuordecim ad ejus ſepulcrum tumulo, tanta inde fragrantia emanavit, quaſi florum omnium odoramenta illic recondita eſſent. quod Gregorio aſſeruit Petrus, qui ſancti Andreæ monaſterio poſt Gregorium præerat.

b *Gregor. M. lib.* 4. *Dial. c.* 55.

Gregorii diſcipuli pii.

c *Bolland. to.* 3. *Maii p.* 335. & 336.

LIX. Reccaredi regis converſio.

His, quæ ſuperius commemorata ſunt, longe gratius, lætiuſque ſpectaculum nobis exhibet Reccaredi Gotthorum in Hiſpania regis converſio, qui ſollemnem catholicæ fidei profeſſionem in tertio concilio Toletano, Ariana hæreſi ejurata, edidit. Annus is erat ejus regni quartus a morte patris Leuvigildi, qui moriens [d] Leandro epiſcopo Hiſpalenſi, quem prius multum vexaverat, Reccaredum filium ſuum commendavit, ut in ipſo idem efficeret, quod in Hermenegildo altero filio ſuo, quem

d *Greg. M. lib.* 3. *c.* 31.

ANN CHR. 589.

ad rectam fidem adduxerat. Et quidem Reccaredus primn regni ſui anno catholi-
cam [a] religionem amplexus, Arianæ ſectæ ſacerdotibus ratione potius quam imperio
eamdem perſuaſit, gentemque omnium Gotthnrum & Suevorum ad unitatem ca-
tholicæ eccleſiæ revocavit. Hoc vero anno, qui quartus, ut jam dixi, ejus regni
erat, ſynodus epiſcoporum ſeptuaginta-duorum ex tota Hiſpania, Gallicia & Gallia
Narbonenſi Tnletum ejuſdem juſſu convocata eſt, in qua ipſe cnnverſionis ſuæ
ejuſdemque ſectæ ſacerdotum reddita ratione, profeſſionem ſuam coram patribus
edidit, qui eam eccleſiaſticis monumentis inſerendam curarunt. Totius negotii &
concilii ſumma fuit penes ſanctum Leandrum epiſcopum, & beatiſſimum Eutropium
monaſterii Servitani abbatem, cujus tamen ſubſcriptio in vulgatis concilii actis non
comparet: nulluſque abbas Hiſpanicis conciliis ſubſcripſiſſe reperitur ante Criſpinum
abbatem, cujus nomen ſeptimo concilio Tnletano appoſitum eſt: ſive huic primo
re vera is honos delatus eſt, ſive aliorum, qui ſuperioribus ante eum cnnciliis ſub-
ſcripſerint, nomina exciderunt, ut forſan Eutropii abbatis mox laudati, cujus tanta
fuit in tertio concilio Toletano auctoritas, teſte Johanne abbate Biclarenſi. Idem
rex poſt ſollemnem hanc profeſſionem, cui ſimilem edidetunt ejuſdem ſectæ epiſco-
pi, proceres, & omnes Gotthicæ gentis ſeniores, epiſcopis nrthodoxis auctor fuit,
ut ad retinendam fidei puritatem in omnibus eccleſiis, nrientalium more, in publi-
cis miſſæ ſacrificiis ſymbolum Conſtantinopolitanum ante orationem dominicam &
» communionem decantaretur: ut ne ſe quiſquam in poſterum de ignorantia fidei ex-
» cuſaret a culpa, quando univerſorum ore cognoſceret, quid catholica teneat, &
» credat eccleſia. Exſtat egregia oratio a Leandro epiſcopo habita in illo cnncilio,
» in qua de gentis ſuæ converſione gratulatur. Pro qua re, inquit, & nos majori-
» bus gaudiis elevamur: quia repente novos eccleſiam parturiiſſe populos intuemur;
» & quorum aſperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus creduli-
« tate. Ergo materia gaudii noſtri, tribulationis præteritæ occaſio fuit. Gemebamus,
» dum gravaremur: ſed gemitus illi id egerunt, ut hi, qui per infidelitatem nobis
» erant ſarcina, fierent noſtra per ſuam converſionem corona. Præclarum eſt, quod
» idem pontifex in conſequentibus ait de unitate eccleſiæ. Ordo ergo naturalis ex-
» poſcit, ut qui ex uno homine trahunt originem, mutuam teneant caritatem; nec
» diſſentiant a fidei veritate, qui non disjunguntur naturali propagine. Hæreſes vero
» & diviſiones e fonte manant vitiorum. unde quiſquis ad unitatem venit, ex vitio ad
» naturam redit: quia ſicut naturæ eſt fieri ex pluribus unitatem; ſic eſt vitii, frater-
» nitatis declinare dulcedinem.

[a] Johan. Biclar.

Concilium tertium Toletanum.

Leandri oratio in concilio.

L X. Concilii decreta.

» In eo concilio ſtatutum [b] eſt, ut liceat cuilibet epiſcopo, unam de parochitanis
» eccleſiis ſuis monaſterium dicare, id eſt convertere in monaſterium: ut in ea mo-
» nachorum congregatio regulariter vivat; immo etiam ex rebus eccleſiæ aliquid,
» quod ei detrimentum non afferat, eidem loco donare. Prætetea [c] in omni ſacer-
» dotali convivin lectionem ſcripturarum divinarum miſceri concilium jubet. Per
» hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohiben-
» tur. Ad hæc præcipit [d], ut quicumque pænitentiam agere voluerint, ſive ſani,
» ſive infirmi, prius tondeantur, aut habitum mutent. qui ritus poſtea laïcos induxit
ad monaſticum habitum in extremis ſuſcipiendum.

[b] Can. 4.
[c] Can. 7.
[d] Can. 12.

L X I. Scandalum in Caulinianenſi monaſterio.

Sub idem tempus ſcandalum in Caulinianenſi cœnnbio prope Emeritam, Luſita-
niæ quondam metropolim, ſitn, exortum eſt. Tarra quidam uxore orbatus iſtuc ſeceſ-
ſerat, ſollemnemque emiſerat votorum monaſticorum profeſſionem. Proceſſu tem-
poris e monaſterio ejectus eſt, propterea quod in lapſum carnis incidiſſe credere-
tur. Ille innocentiæ ſuæ confiſus, Reccaredo regi porrecta ſchedula ſupplicavit,
ut in priſtinum locum reſtitueretur. Tam ſcabroſus eſt ſchedulæ ſeu epiſtolæ ſti-
lus, tam barbarus & incultus, ut vix quidquam ſani hinc elici poſſit. Inſcriptio ſic
habet, *Suggerendum glorioſe triumphanti, ac invicta fide regnanti piiſſimo domino meo
Reccaredo regi, ſervus tuus Tarra indignus.* Is in hac epiſtola conqueritur, quod
» *in cœtu Caulinianenſi monachorum* obſcœna criminatione fuerit *infamatus*, & tam-
» quam *aborſum projectus indemnatus*. at contra conteſtatur regiæ majeſtati, ſe in
» nullo umquam gradu, ſive laïci, ſeu monachi, ullo ſcelere contaminatum fuiſſe;
» nec eſſe quemquam in urbe Emerita, immo in tota Luſitania, qui ſe ullius crimi-
» nis ſontem poſſit evincere. Se quidem unam nlim in Luſitania habuiſſe uxorem:
» ſed, ea mortua, nihil amplius vel leviſſimæ familiaritatis cum ulla umquam ſemina

habuiſſe. Quid inde conſecutum ſit, ignoramus, nec ſcire multum intereſt. Viſum eſt tamen hujus epiſtolæ facere mentionem, quod ex ea diſcamus antiquitatem monaſterii Caulinianenſis, cujus jam meminimus ex libro Pauli diaconi [a] Emeritenſis de Patribus Emeritenſibus, ubi Caulinianum ſeu Caulinianenſe monaſterium laudat, ſimulque Renovatum ejuſdem loci abbatem, qui poſt Innocentium epiſcopum [b] Emeritenſi eccleſiæ præfuit. Et forte ſub Renovato abbate contigit id, quod de Tarra monacho mox retulimus.

ANN. CHR. 589.

a *Paul. diac.* c. 2.

b *Id. c.* 21.

LXII. Johannes Biclarenſis.

In hoc anno deſinit chronicon Johannis abbatis Biclarenſis, poſtmodum Gerundenſis epiſcopi, cujus elogium texuit Iſidorus [c], & poſt eum Hildefonſus. [d] Hic natione Gotthus, domo Luſitanus, apud Scalabim * natus, cum eſſet adoleſcens, Conſtantinopolim perrexit; ibique Græcis litteris cum Latinis conjunctis, ſeptimo demum anno in Hiſpanias reverſus eſt, eodem tempore, quo, Leuvigildo rege incitante, Ariana fervebat inſania. Cum vero eum veſanus rex ad nefandam hæreſim compellere non valeret, ipſum Barcinonem relegavit: ubi per annos decem multas ab Arianis injurias paſſus eſt. Ibidem poſtea condidit monaſterium, vocabulo Biclarenſe *, modo * exſtinctum, ubi congregata monachorum ſocietate, ſcripſit regulam ſuo non tantum monaſterio, ſed etiam cunctis Deum timentibus profuturam. Hæc regula Benedicto abbati Anianenſi ignota fuit, at nota Trithemio, qui ejus regulæ fragmentum [f] refert. Johannes, jam epiſcopus Gerundenſis, anno undeſexcenteſimo ſubſcripſit concilio Barcinonenſi, ſucceſſoremque in ſua ſede habuit Nonnitum, profeſſione [g] itidem monachum, atque actibus ſanctum, qui beati Felicis martyris Gerundenſis eximius cultor fuit.

c *Iſid. c.* 31.
d *Hildef. c.* 9.
* *Santaren.*
* *Biclara.*
e *V. ſupra lib.* 3 *c.* 35.
f *Trithem. de propr. mon. c.* 5.
g *Hildef. c.* 10.

LXIII. S. Vincentii monaſterium Laudun.

Sub idem tempus Brunichildis regina in Gallia, poſt mortem Sigiberti conjugis ſui, quædam monaſteria erexit, unum apud Lugdunum-clavatum, duo alia cum xenodochio apud Auguſtodunum. Primum in honorem ſancti Vincentii [h] martyris conditum fuit in proſpectu urbis Laudunenſis, quam Lugdunum ſimpliciter veteres nonnumquam appellabant; in ejuſdem montis extrema parte ſitum, ſed ab urbe profunda valle ſecretum: qui ſitus & ad religioſum ſeceſſum, & ad jucundum proſpectum maxime opportunus eſt. Primum loci patronum agnoſcunt beatum Chriſtophorum martyrem: cujus loci tanta olim celebritas erat, hodie quoque paullo impar, ut ſecunda Laudunenſium epiſcoporum ſedes, eorumdemque ac canonicorum, nobiliumque laïcorum conditorium eſſet. Teſtes hac de re litteræ Roriconis epiſcopi, qui monaſterium a Normannis deſtructum inſtauravit, monachiſque reſtituit: teſtes & Lotharii Francorum regis litteræ, quibus hanc reſtitutionem confirmavit. Apud Gregorium Magnum [i] invenio monaſterium ſancti Chriſtophori in Sicilia: ut ne repetamus quæ diximus de nratorio ſancti Chriſtophori apud Remos, ubi ſanctus Remigius primum ſepultus fuit.

h *Aimoin. lib.* 4. *c.* 1.
i *Greg. M. lib.* 8 *ep.* 13.

LXIV. S Martini apud Æduam.

Sancti Martini cœnobium in ſuburbio Auguſtodunenſi, verſus orientem anguſta valle & exiguo amne Taraneto * ab urbe diſparatum, haud procul a ſancti Symphoriani abbatia, conditricem itidem agnoſcit Brunichildem, cujus tumulus & cineres in baſilica ſancti Martini habentur. Primam antiquitatem refert hactenus baſilica, tum elegantia operis, tum columnarum, e marmore fere omnium, magno numero: tametſi alia monaſterii ædificia varias clades pertulerunt, primum quidem a Sarracenis ſæculo octavo, quorum ruinas ſæculo tandem nono Badilo comes reſarcivit. Eo in loco id accidiſſe tradunt, quod Sulpicius [k] Severus *in pago Æduorum* a ſancto Martino Turonenſi antiſtite geſtum ſcribit: ubi dum vir ſanctus templum profanum everteret, furente gentilium ruſticorum in eum irruente multitudine, unus, audacior ceteris, ſtrictum in ejus caput gladium vibravit; ille vero nudam percuſſori cervicem præbuit. At dextera altius elata, reſupinus ruit gentilis; conſternatuſque divino metu, veniam precatus eſt. Addunt Martinum eodem in loco eccleſiam ſub nomine beatorum apoſtolorum Petri & Pauli poſuiſſe, quam poſtmodum in honorem ipſius ſancti Martini Syagrius epiſcopus, volente Brunichilde, dedicaverit. Hunc antiſtitem piorum Brunichildis in urbe Æduenſi operum adjutorem fuiſſe, atque adeo condendo ſancti Martini cœnobio ſuppetias contuliſſe, teſtes ſunt Gregorii M. epiſtolæ ad Luponem preſbyterum & abbatem, quem primum ejus loci rectorem vulgari nobis indices ſuggerunt. Recentiores nullo veterum teſtimonio fulti, Syagrium Brunichildis germanum fratrem [l] fuiſſe exiſtimant.

* *Taron.*
k *Sulpic. lib.* 1. *de vita S. Martini. c.* 13.
l *V. Coint. m.* 1. *p.* 864.

LXV.

Eoſdem conditores itidem habuere tum parthenium ſanctæ Mariæ & ſancti Johan-

ANN. CHR. 589.

S. Mariæ & S. Johannis parthenon.

a Greg. Tur. lib. 9. c. 40.

nis, tum xenodochium ejuſdem urbis, ut patet ex aliis ejuſdem Gregorii litteris, de quibus inferius agemus. Jam exſtabat ante hunc annum prædictum ſanctæ Mariæ cœnobium, ubi Chrodieldis monacha Pictavenſis, ad Guntchramnum regem cum ſuis ſequacibus profectura hoc eodem, ut ſuperius diximus, anno, unam ex his Conſtantinam Burgolini filiam reliquit *in Auguſtodunenſi* [a] *monaſterio*. quod de ſanctæ Mariæ monaſterio interpretandum videtur. Conditum eſt ad muros urbis eo in loco, ubi quondam Berecinthiæ fanum erat: & recte quidem, ut ibi veri Dei mater coleretur, ubi inanium deorum mater profano cultu honorata fuerat. Thalaſſiæ primæ, ut creditur, ejuſdem parthenonis abbatiſſæ inſcripta eſt Gregorii Magni epiſtola, continens privilegium eidem loco indultum: in quo *monaſterium ſancta Mariæ* appellatur, prætermiſſo nomine ſancti Johannis, cujus modo ſolum nomen retinet, vulgo ſancti Johannis-Majoris, ut diſtinguatur ab alia ejuſdem urbis eccleſia, quæ itidem ſancto Johanni Baptiſtæ ſacrata eſt. Monachos in eodem loco etiam exſtitiſſe ad ſacra virginibus miniſtranda, colligimus, tum ex communi aliorum parthenonum uſu, tum ex veteri codice novi teſtamenti, in cujus fine legitur Gundohini antiquarii ſubſcriptio, teſtantis ſe hunc codicem exaraſſe juſſu *almæ matris familiæ Fauſtæ*, quæ *hoc opus in honore ſancti Johannis & ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu-Chriſti fieri rogavit, poſcente Fulculfo monacho*. quod opus à ſe perfectum dicit antiquarius *in menſe Julio, anno tertio regnante domino noſtro Pippino rege*. Fauſta hæc ſine dubio tunc abbatiſſa erat parthenonis ſancti Johannis, cujus nomen ſanctæ Mariæ præponitur, ut præcipui loci patroni. Fulculfus monachus unus erat ex his, qui ſanctimonialibus ſacra miniſtrabant.

LXVI. S. Andochii monaſterium, & xenodochium.

Intra muros urbis ſitum eſt ſancti Andochii olim xenodochium ſimul & monaſterium virorum, nunc virginum cœnobium ab annis amplius octingentis. Xenodochii curam gerebant monachi ab ipſa inſtitutione ſub diſciplina Senatoris abbatis, cui Gregorius Magnus inſigne privilegium conceſſit, uti & duobus ſupra dictis monaſteriis, rogatu Brunichildis reginæ & Syagrii epiſcopi conditorum. Collapſam iſtic diſciplinam regularem Modoïnus epiſcopus reſtituit, eamque novis legibus confirmavit Jonas ejus ſucceſſor, litteris hac de re editis, in quibus notum eſſe teſtatur, quo pacto in ſuæ ſedis urbe *ab antiquo* conſtructum ſit *monaſterium ſacrarum monialium, ſub canonico habitu* degentium, quas ejus deceſſor *in regularem & monaſticum ordinem* reformaverat. Itaque ante medium ſæculum nonum, quo datæ ſunt hæ litteræ, ſancti Andochii monaſterium occupabant ſanctimoniales: immo communis tunc omnium perſuaſio erat, monaſterium *ſacrarum monialium*, non monachorum iſtic a principio exſtitiſſe. Huic tamen ſententiæ aperte repugnat Gregorii Magni privilegium, Senatori presbytero & abbati ejuſdem xenodochii conceſſum, in quo monachorum tantummodo mentio eſt, non etiam ſanctimonialium. Quapropter ſi quæ forte ab initio iſtic fuere virgines, non aliam ob cauſam admiſſæ ſunt, quam ad ſublevandam monachorum curam in pauperes & peregrinos, quibus excipiendis ac reſovendis xenodochium a Syagrio & Brunichilde inſtitutum fuerat. In [b] prædicto

Gregorii M. privilegium.

b Greg. M. lib. 11. ep. 10.

» privilegio, rogatu Brunichildis, ac nepotis ejus Theoderici Burgundiæ regis, pon-
» tifex de xenodochio, quod in civitate Auguſtodunenſi a Syagrio, reverendæ me-
» moriæ epiſcopo, & prædicta excellentiſſima regina conſtructum eſt, ſtatuit in pri-
» mis, ut nullus regum, nullus antiſtitum, nullus denique quacumque præditus digni-
» tate, ex his, quæ prædicto xenodochio conceſſa fuerant, vel in poſterum conce-
» denda forent, quidquam minuere, vel auferre, aut ſuis uſibus applicare auſit. De-
» inde, ut obeunte abbate vel presbytero ſupra dicti *xenodochii atque monaſterii*, non
» alius ibi ordinetur, niſi quem rex ejuſdem provinciæ, *cum conſenſu monachorum*, ſe-
» cundum timorem Dei elegerit, ac præviderit ordinandum, citra ullum pretium pro
» ipſa electione aut ordinatione. Præter ea, ut ejuſdem loci abbas aut presbyter nullo
» modo deponatur, niſi ob manifeſtum crimen, cujus cauſam non ſolus epiſcopus Au-
» guſtodunenſis, ſed præter eum ſex alii epiſcopi prius examinaverint. Ad hæc *juxta*
» *deſiderium conditorum* decernit, ut nullus eorum, qui eidem *xenodochio ac monaſterio*
» abbas aut presbyter in poſterum fuerit ordinatus, ad epiſcopatus umquam officium
» aut accedat, aut aſſumatur, niſi prius abbatis officium abdicaverit, aliuſque in ejus
» locum ſit ſubrogatus: ne quid inde detrimenti res xenodochii ac monaſterii capiat.
» Poſtremo, ut ne quis epiſcopus ullum ex eodem loco monachum ad eccleſiaſticum
» ordinem aut officium, *ſine conſenſu abbatis atque presbyteri*, tollat. Secus attentantibus,

pontifex dignitatis ſuæ privationem, & excommunicationem interminatur. Idem omnino privilegium idem pontifex concedit Thalaſſiæ abbatiſſæ ſanctæ Mariæ, & Luponi ſeu Lupo abbati ſancti Martini; & quidem pænultimo pontificatus ſui anno: ſed hæc anticipato referre viſum eſt ad illuſtrandum prædicti xenodochii ſtatum & originem, quod nuſquam ſanctæ Mariæ, ſed ſancti Andochii xenodochium aut monaſterium apud veteres appellatum invenias.

LXVII. Aſſeritur.

His privilegiis, uti & monaſteriis prædictis, teſtimonium accedit & auctoritas ex alia ejuſdem pontificis indubitata [a] epiſtola; Brunichildæ Francorum reginæ inſcripta, in qua ſe lætari ait, & gratias omnipotenti Deo agere, litteris ejus indicantibus agnoſcens, ipſam in ſuburbano Auguſtodunenſi eccleſiam ſancti Martini, atque monaſterium ancillarum Dei conſtruxiſſe, necnon xenodochium in eadem urbe: quibus locis privilegium pro quiete & munitione illic degentium, ſicut regina voluerat, ſe indulſiſſe dicit, ut ejus benefactorum in aliquo particeps haberetur. Hoc privilegium præ oculis habebat ſæculo nono Pardulus epiſcopus Laudunenſis, cum Oriniacenſi diœceſis ſuæ parthenoni, petente Carolo rege, cognomento Calvo, cum Irmintrude regina, privilegium, non ſuis, ſed ejuſdem Gregorii papæ verbis, compoſuit, teſte [b] Frodoardo, *repetens maledictionis intentationem, quam idem Gregorius contra præſumtorem illius monaſterii jaculatus fuerat.* Certe ſimiles prorſus comminationes in conſimili cauſa reperiuntur in concilio Aurelianenſi tertio, canone quinto-decimo, quo poſſeſſiones Lugdunenſis xenodochii, a Childeberto rege conſtructi, contra invaſores muniuntur. quod pluribus aliis argumentis oſtendimus in libro ſecundo [c] de re diplomatica. His omnibus adde libellum de vita ſancti Hugonis monachi Æduenſis, in quo diſerte fit mentio privilegii Luponi abbati conceſſi.

a Id. ibid. ep. 8.
b Frod. lib. 3. c. 27.
c Diplomat. p. 204.

Hæc ſufficiant in præſens de illis duobus parthenis, quod utrumque hactenus ſupereſt ſub ordine ſancti Benedicti, uti & ſuburbanum ſancti Martini monaſterium virorum ſub congregatione ſancti Mauri. In parthenone ſancti Andochii aſſervantur reliquiæ Syagrii epiſcopi Æduenſis, qui pro ſancto habetur, coliturque in eccleſia Æduenſi VI. kalend. Septembris.

LXVIII. Santonum monaſteria.

Florebat hoc tempore Palladius Santonum antiſtes, qui baſilicam [d] in honorem ſancti Stephani, in illius urbis ſuburbio exſtruxit; tumque ſancti Eutropii, primi illius civitatis epiſcopi & martyris, corpus in locum ab ſe in illa baſilica præparatum ſollemniter tranſtulit. Convocati ad hanc celebritatem abbates: quorum duo, reſerato tumuli operculo, ſanctum corpus contemplati ſunt, & in eo cicatricem capitis, qua parte ſecuris inflicta fuerat. unde populis innotuit, (quod ad id tempus ignoratum fuerat ob defectum ejus paſſionis) eum martyrio conſummatum fuiſſe, quod ſanctus martyr duobus illis abbatibus in ſomnis revelavit. Id etſi extra noſtrum propoſitum videatur, viſum eſt tamen commemorandum hoc loco, quod illa baſilica, ſancti Eutropii poſtmodum nomine nuncupata, in monaſterium noſtri Ordinis converſa ſit. Ex hoc etiam loco intelligitur, complura tunc fuiſſe apud Santones monaſteria, quorum abbates ſancti Eutropii tranſlationi interfuiſſe memorantur. Unus haud dubie abbas fuit monaſterii ſancti Martini abbatis apud Santones, ſuperius [e] laudati, cujus corpus idem Palladius, adſtantibus quinque abbatibus, teſtante Gregorio [f] Turonenſi, loco movit, & in decentiorem locum tranſtulit.

d Greg. Tur. de gl. mart. c. 56.
e lib. 7. n. 9.
f Greg. Tur. de gl. conf. c. 57.

ANN. CHR. 590.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER OCTAVUS.

Ab anno Chriſti 590. *ad annum* 595.

I. S. Columbani acceſſus in Galliam.

OPPORTUNE hunc librum ordiemur a ſancto Columbano abbate, per quem res monaſtica magnum ſæculo ſeptimo incrementum cepit. Duo exſtitere ejuſdem nominis abbates eodem tempore illuſtres, nempe ſenior Columba Hiienſis, Bedæ etiam Columbanus dictus: & junior Columbanus, qui ex Hibernia, regnante apud Burgundiones Guntchramno, apud Auſtraſios Childeberto, (quamquam ad Sigiberti ejus patris principatum id nonnulli referunt) in Galliam acceſſit, atque in regno Burgundiæ Luxovienſe monaſterium condidit, multorum monachorum, immo & cœnobiorum ſeminarium inſigne. Sed antequam qualis, quantuſque fuerit Columbanus iſte, dicere incipio, res paullo altius repetenda eſt, ac de rei publicæ monaſticæ in Britannia inſula & Hibernia ſtatu tantiſper diſſerendum: ut iis quæ tum de Columbano, tum de Auguſtino Anglorum apoſtolo dicenda erunt, neceſſariam lucem afferamus.

II. Fidei & monachiſmi ſtatus in Britannia & Hibernia.

Britannia eſt omnis diviſa in partes duas: quarum una, auſtralis, Britanniæ nomen retinuit: alia, ad ſeptemtrionem, Scotia dicta eſt: cui occidentem verſus, Oceani intermedio freto, Hibernia adjacet. Britanniam medio ſæculo quinto Angli & Saxones invaſerunt, eique Angliæ nomen indiderunt, victis pulſiſque Brittonibus ejus incolis, quorum pars in Wallia Britanniæ provincia conſedit, pars in Armoricam Galliæ ſe recepit. Scotiam eodem tempore inſederunt Picti cum Scottis, quorum magna pars etiam Hiberniam incoluit: ſive hæc prima fuerit Scottorum ſedes, ut Bedæ [a] viſum eſt; ſive ex Scotia in Hiberniam effuſi aut tranſlati, denuo in Scotiam reverſi ſint. Hinc Scotiæ vocabulum pro Hibernia, uti & pro Scotia ipſa, promiſcue uſurpatum apud veteres; & Scotti paſſim dicti etiam Hiberniæ indigenæ, quæ æquivocatio in patria hiſtoria ſæpius confuſionem parit. Ad religionem quod attinet, christianam fidem Brittones ſuſceperunt pontificatu [b] Eleutherii papæ: at Scotti-Hiberni tempore Cæleſtini primi: a quo Palladius primum epiſcopus, ſed exiguo fructu; tum ſanctus Patricius iſtuc miſſus fuit ad confirmandam in ea gente naſcentem religionem. Ceteri, nempe Picti, qui Scotiam ſeptemtrionalem; atque Angli & Saxones, qui Britanniam paullo poſt occuparunt, paganorum ſuperſtitionem ſectati fuere uſque ad finem ſæculi ſexti, quo tempore Columba Hiienſis abbas Pictos

a *Beda lib.* 1. *cap.* 1.

b *Id. ibid. c.* 4.

ANN. CHR. 590.

ad ſeptemtrionem poſitos, (nam auſtrales prius a Niniano epiſcopo converſi fuerant;) Auguſtinus cum ſociis Anglos chriſtianæ fidei myſteriis imbuerunt. Jam vero quinam primi vitæ monaſticæ in illis provinciis auctores ſeu inſtitutores fuerint, haud ſatis exploratum. Certior ſententia eſt, ſancto Patricio apud Hibernos; Niniano abbati & Kentigerno Glaſcuenſi epiſcopo apud Scottos & Pictos; Eltuto apud Brittones, id acceptum referendum eſſe. Quamquam enim Conſtans, Conſtantini in Britannia tyranni filius, & Pelagius Britto hæreticus ante id tempus monaſticen profitebantur: non tamen conſtat, qua in regione hoc inſtitutum ſuſceperint.

III. Monaſticæ rei propagator S. Patricius.

Patricius in Scotia ortus, ſed in Hibernia exſul non ſemel, monaſticos ritus in Gallia, primum quidem in Majori-monaſterio, tum in Lirinenſi didicit. Palladio mortuo, in Hiberniam a Cæleſtino pontifice miſſus, fundatis eccleſiis, monaſteria etiam inſtituit, cum per ſe, tum per diſcipulos ſuos, etiam in epiſcopalibus eccleſiis: quaſi funeſtiſſima iſta ætate, inquit Mareshamus [a], comparatum fuiſſet hoc vivendi inſtitutum, tutiſſimum adverſus humanas miſerias refugium. unde Patricius in confeſſione ſua: *Filii Scottorum*, inquit, *& filiæ regulorum monachi & virgines eſſe videntur: & etiam una benedicta Scotta*, nempe Birgitta, *genitiva nobilis, quam ego baptizavi.* A Scottis tamen nonnullis multa paſſus, cogitabat reverti in Gallias, ut denuo viſitaret *fratres* ſuos, & ut videret *faciem ſanctorum Domini ſui*, ut in eadem confeſſione legitur: ubi fratrum nomine intelligere videtur Gallicanos monachos: ſanctorum vero nomine comprehendit ſanctum Germanum Autiſiodorenſem epiſcopum, quicum aliquamdiu commoratus fuerat. Quin etiam poſt obitum ſuum eiſdem *Gallicis fratribus* relinquere & commendare cupiebat filios, quos in Hibernia Chriſto lucratus fuerat, ne ſcilicet, urgente perſecutione, a fide recens ſuſcepta deficerent. Hæc perſecutio tam acerba fuit, auctore in primis Corotico quodam apoſtata, ut innumeri neophyti poſtera die, quam ſacris eos aquis vir ſanctus abluerat, in veſte candida gladio crudeliter trucidati ac mactati ſint a Scottis & Pictis apoſtatis, ut idem Patricius ait in epiſtola ad eumdem Coroticum, in qua *filios Scottorum & filias regulorum*, qui monaſticen & virginitatem profeſſi fuerant, innumerabiles fuiſſe teſtatur. Romanæ eccleſiæ tonſuram; alioſque ritus, quos in ipſa urbe hauſerat, Hibernicis clericis & monachis impoſuit, ſtatuto edito, ut, ſi non *more Romano* [b] capilli eorum tonſi fuiſſent, ab eccleſiæ communione arcerentur. Pervicere tamen ſubinde alterius ſectæ homines, qui tonſuram exemplo Simonis magi ab aure ad aurem, intonſo occipitio, præferebant; & paſcha non a quinto-decimo lunæ die ad viceſimum-primum, ritu catholico; ſed vel a quarto-decimo ad viceſimum, vel a ſexto-decimo ad viceſimum-tertium, celebrandum contendebant. Eumdem ritum Brittones in Wallia ſectabantur. quæ res gravium poſtea diſcidiorum cauſa fuit, uti ſuo loco videbimus. Cuculla candida ſuper cetera indumenta utebatur Patricius, teſtante Probo in libro de ejus geſtis; & Cummeneus-Albus in vita ſancti Columbæ abbatis Hiienſis tradit, ejuſdem Columbæ tunicam candidam fuiſſe. Ex quo fit veri ſimile id, quod de diſcipulis ſancti Columbani abbatis Luxovienſis ſcribit Ordericus [c] Vitalis, quos a beati Mauri diſcipulis nigredinem veſtium, abjecto ſcilicet albo colore, cum regula ſancti Benedicti accepiſſe memorat.

a Mareſh. præfat. in Monaſt. Angl.

b apud Ventraum pag. 43.

c Orderic. ſub fin. lib. 8.

IV. Bacchiarius monachus Britannus.

Patricii diſcipulis Johannes Pitſeus annumerat Bacchiarium, quem Britannum fuiſſe affirmat. Gennadio *vir chriſtiana philoſophia* vocatur. quo nomine veteres monaſticam ſeu aſceticam vitam deſignabant. Hinc Bacchiarium monachum extitiſſe alias conjectabam: nec me pœnitet, nam idonea huic rei argumenta poſtmodum deprehendi. Is nudus & expeditus vacare Deo diſponens, ait Gennadius, etiam peregrinationem pro conſervanda integritate elegit. qua de re apud Romanum pontificem ab æmulis infamatus, librum de fide ſcripſit, in quo ſatisfacit pontifici urbis adverſus querulos & infamatores peregrinationis ſuæ, indicans ſe non timore hominum, ſed Dei cauſa peregrinationem ſuſcepiſſe, ut exiens de terra ſua & de cognatione ſua, coheres fieret Abrahæ patriarchæ. Nondum in lucem prodiit hic Bacchiarii liber, quem Pitſeus Leoni Magno pontifici miſſum & oblatum fuiſſe opinatur. Sed extat in bibliotheca patrum ejuſdem Bacchiarii epiſtola ad Januarium de recipiendis lapſis, non viſa Gennadio, qui ſuperiorem tantum Bacchiarii librum legerat. In ea cauſam agit cujuſdam monachi levitæ in carnale crimen lap-

Scribit ad Januarium abbatem pro monacho lapſo.

Digitized by Google

ANN. CHR. 590.

ſi, quem Januarius ad pænitentiam admittere abnuebat. Immo is, ſeu quivis alil, lapſo illi ſuadebant, ut crimen ſuum conjugio cum virgine viriata ineundo emendaret, aut ſaltem tegeret, ut ſcilicet offendiculum removeretur hominum ſæcularium, qui ex hoc facto monachis & monaſticæ vitæ inſultabant. Bacchiarius itaque hac epiſtola primo quidem Januarium validis argumentis inducit ad recipiendum lapſum: deinde fratrem illum ad pænitentiam hortatur, ſeque ejus pænitentiæ ſocium ac participem eſſe velle profitetur. Legimus hanc epiſtolam in veteri codice monaſterii Regalis-montis ordinis Ciſtercienſis, ſed initio mutilam, in cujus fine hæc clauſula habetur: *Explicit epiſtola ſancti Bachiarii abbatis conſolatoria ad Januarium abbatem ſcripta de reparatione lapſi.* quem Januarium Italum fuiſſe, aut ſaltem Italici monaſterii abbatem exiſtimo. Hunc beatiſſimum fratrem perpetuo appellat Bacchiarius, patrem dicturus, ſi & ipſe abbas non fuiſſet. *Bachiarius*, uti & *Bachus*, ſcribebant antiqui tertia littera haud geminata, ſecus quam uſus & recta ſcribendi ratio apud nos obtinuit. Sed hæc minutiora ſunt. In hujus epiſtolæ priori parte, ait Bac-
» chiarius, audita militis Chriſti ruina, ſe totum ita commotum fuiſſe, ut omnem par-
» tem corporis ſui ſenſerit eadem plaga torqueri. neque enim ſe reputare, abſque
« damno ſuo hoc accidiſſe malum, ubi membrum corporis ſui diabolica ſagitta per-
» cuſſit. Tum Januarii in fratrem lapſum acerbitatem arguit. *Ubi eſt*, inquit, *miſeri-*
» *cordia chriſtiane religionis, quam Magiſter noſter ſacrificio docuit eſſe meliorem?* Eum
» errare, ſi putet fratri lapſo, quia levita eſt, remedii medicinam conſerri non poſſe.
» Revocandum in monaſterium, ubi nullus eum videat, etiam ex ejus propinquis:
» ut ſic conſortio meliorum erubeſcat, & reſurgat ad vitam. Eos qui lapſo matrimo-
» nium ſuadeant, perinde agere, ac ſi medicus ægrotum, quia non poſſe vivere ſuſ-
» picetur, jubeat occidi. Omnino erratum, quod caſus & ruina fratris in notitiam
» ſæcularium hominum vulgata ſit, ut non ſolum quam incolit civitatem, ſed etiam
» totum orbem, famæ ipſius deſperatione impleverit. Hinc exhilaratos ſæculares ho-
» mines ex ruina militis Chriſti, eam quaſi in ſcelerum ſuorum excuſationem &
» conſolationem ſuam prætendentes. In poſteriori vero parte fratrem illum allo-
quens, ejus culpam plangit, ei commori, ſi neceſſe ſit, optans. Deinde monet, ca-
» veat, ne ſcelus hoc in conjugium vertat. Attollat animos, ne ſe inimica deſperatio
» frangat. Ingrediatur monaſterii ſui carcerem, id eſt monaſterium ipſum; & tene-
» bras ſolitudinis, quibus ad perditam lucem revocetur, exquirat. Horreant mem-
» bra jejunio, & cilicium pro veſte habere conſueſcat. Sed ne more Phariſæorum
» onera importabilia, quæ ipſe geſtare nolit, ei imponere videatur: Ecce, inquit,
» frater, *quia nobis jurandi licentia prohibetur*, ſpondeo ſecundum miſericordiam Do-
» mini, hujus me laboris, quem ſuadeo, velle eſſe participem: conſortium vero meum,
» cupidus ſalutis tuæ, non ſolum ingero, ſed etiam offero. Hæc aliaque Bacchiarius, quæ tam præclara viſa ſunt, ut ea prætermittere duxerim nefas. Ad ordinem revertor.

V. S Finnianus & alii.

Patricii ſtudium in propagando monachorum inſtituto æmulatus eſt ſanctus Finnianus, qui & ipſe apud Turonos aliquando verſatus eſt, ubi cum litterarum ſtudiis religionis cultum conjunxit. Reverſus in patriam, id eſt Hiberniam, quædam ædificavit monaſteria, multoſque habuit celebres diſcipulos, quorum illuſtriores fuere Brendanus, & ipſe complurium monachorum pater; Columba, Hiienſis poſtea monaſterii auctor; atque alter Columba itidem abbas, ſub quo monaſticis diſciplinis informatus eſt Fintanus, multorum itidem monachorum abbas & præceptor. Hos inter præcipuus fuit Comgellus abbas, qui celeberrimum Bancorenſe monaſterium condidit, erudiitque Columbanum, Luxovienſis monaſterii ac Bobienſis, aliorumque parentem.

VI. Eltutus an Bancorenſis in Vvallia monaſterii auctor.

Dum Finnianus apud Hibernos rem monaſticam cum ſuis promovebat, idem apud Brittones faciebat Eltutus, quem alii ſancti Germani Autiſiodorenſis epiſcopi, alii ſancti Dubricii Carleolenſis antiſtitis diſcipulum fuiſſe volunt. Ipſe diſcipulos habuit Samſonem, Maglorium & Paulum epiſcopos, atque Gildam abbatem, qui omnes ex Britannia in Armoricam trajecerunt. An unum vel plura monaſteria in Wallia inſtituerit Eltutus; quove nomine locus, in quo verſari ſolebat, appellaretur, incertum. Facile tamen adducor ut credam, Bancorenſe Walliæ monaſterium ab ipſo inſtitutum fuiſſe, atque ejus converſatione illuſtratum. Duo fuere eo nomine celebria monaſteria, unum apud Hibernos in Ultonia; alterum apud

Brittones

ANN. CHR. 590.

Brittones in Wallia, quod Beda [a] nobiliſſimum Brittonum monaſterium appellat, in quo tantus, inquit, fertur fuiſſe numerus monachorum, ut cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diviſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum vivebant. Huic monaſterio præerat Dinootus abbas, cum Auguſtinus in Angliam acceſſit. Incredibilem illic monachorum olim numerum fuiſſe indicio ſunt, ait Willelmus monachus Malmeſburienſis, tot ſemiruti parietes eccleſiarum, tot anfractus porticuum, tanta turba ruderum, quantum vix alibi cernas; tunc monachorum famoſum receptaculum; nunc mutatum in epiſcopatum. Ejus ſitum deſcribit Johannes Spedus in Theatro Britanniæ, ſtatuitque in auſtrali Flintenſis comitatus parte, in loco qui apud veteres Bovium, hodie *Banchor* ſive *Bangor* appellatus, *Bancornaburg* apud Bedam; urbs primo, ut nomen ipſum indicat, deinde celebris memoriæ monaſterium, jam dudum penitus exciſum: ubi duarum tantum, ait Spedus, portarum nomina reſtant, mille paſſus disjunctarum, quas Deva fluvius nunc interfluit.

a *Beda lib.* 2. *c.* 2.

VII. Comgellus abbas Bancorenſis in Hibernia.

Non minus illuſtre fuit aliud Bancorenſe in Ultonia Hiberniæ provincia monaſterium, quod ſancto Comgello ſeu Comgalln ac Commogello, Fintani, ut diximus, diſcipulo, ſuam debet originem. Situm erat in hodierno comitatu Dunenſi, haud procul a mari orientali, qua breviſſimus in Scotiam trajectus eſt. Tanta iſtuc monachorum confluxit multitudo, nt cum omnes uno in loco non poſſent conſiſtere, eos in diverſas cellas & varia monaſteria dividere coactus ſit Comgellus, adeo ut tria millia ſub ejus diſciplina militarent. Nempe nobiliſſimum, ait ſanctus [b] Bernardus, exſtiterat ante ſanctum Malachiam ejus inſtauratorem hoc cœnobium, ſub primo patre Comgello multa monachorum millia generans, multorum monaſteriorum caput; locus vere ſanctus, fecunduſque ſanctorum, copioſiſſime fructificans Deo, ita ut unus ex filiis ſanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum ſolus monaſteriorum fundator exſtitiſſe feratur. Denique ita Hiberniam, Scotiamque repleverunt genimina ejus, ut ea potiſſimum tempora Davidici illi verſiculi præcinuiſſe videantur: *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam; multiplicaſti locupletare eam*, &c. Nec modo in præfatas, ſed in exteras etiam regiones, quaſi inundatione facta, illa ſe ſanctorum examina effuderunt: e quibus ad has noſtras Gallicanas partes ſanctus Columbanus aſſcendens, Luxovienſe conſtruxit monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Hactenus Bernardus. Mos erat Comgello, ejuſque diſcipulis, ut quocumque irent, chriſmale ſecum deferrent. quo nomine aut capſula reliquiarum collo appendi ſolita, (Græci ἐγκόλπιον vocant,) intelligitur; aut vaſculum oleo benedicto plenum, quo ad ægros conſignandos, morboſque depellendos utebantur. Idem etiam epiſcnpis in uſu erat. unde ſanctus Germanus Pariſiorum antiſtes, ad ſanandum quemdam ægrotum invitatus, eo diaconum *cum chriſmariis ſuis* [c] direxit, quia nimirum ipſi difficilis erat acceſſus. Forte Comgellus in agrum laborandi cauſa profectus, *chriſmale ſuum* ſupra veſtem ſuam poſuit. Iſtuc gentiles latrunculi ex Pictis, ut cuncta diriperent, irruentes, chriſmale illud Comgelli deum eſſe rati, virum ſanctum contingere non auſi ſunt. Huic affine eſt quod legitur in pænitentiali ſancti Columbani, in quo præcipitur, ut, *qui oblitus fuerit chriſmal pergens procul ad opus aliquod, quinis quinquies percuſſionibus* ſubjaceat. Et quidem chriſmal vas quoddam fuiſſe ex eo patet, quod ibidem duodecim percuſſiones infliguntur ei, cui *chriſmal ceciderit*, ſed non fractum. Morte inſtante Comgellus, cum ei diſcipuli ſui quotidie divinam euchariſtiam dare vellent, conteſtatus eſt ſe a nullo alio eam accepturum, quam a ſancto Fiachra abbate in Lagenienſi Hiberniæ provincia. qui ab angelo admonitus, in Bancorenſe monaſterium protinus acceſſit, ſtatimque *communionem dominicam*, id eſt *corpus & ſanguinem Chriſti*, beatiſſimo patri dedit. Poſt obitum ſepultus eſt in ſuo monaſterio; atque inde prædictus Fiachra, poſt aliquot annos, brachium ſancti Comgelli, quemadmodum a vivente petierat, obtinuit, condiditqne in ejus honorem monaſterium in arce, quam ipſi ejuſdem provinciæ dux Ædus tradiderat. Edidit nonnulla npuſcula Comgellus, quorum unum laudat Columbanus, auctoremque alio nomine Fauſtum [d] vocat. Idem cognomentum eidem tribuit Notkerus Balbulus in martyrologio ad diem nonum Junii, ubi mentinnem facit ſancti Columbæ abbatis, cujus inter alios diſcipulos unum Comgellum, latine Fauſti nomine illuſtrem, commemorat. At Comgellum ſancti

b *S. Bern. in vita S. Malach. c.* 6.

Luanus centum monaſteriorum fundator.

c *Fortun. n.* 47.

d *Columban. inſtruct.* 2.

ANN. CHR. 590.

Finrani diſcipulum fuiſſe teſtatur libellus de ejus vita apud Patricium Flemingum; idque longe veri ſimilius eſt ; ſiquidem Columba & Comgellus ætate æquales fuerunt.

VIII. S. Columba abbas Hiienſis

a Beda lib. 3. c. 4.

Ad Comgellum identidem ventitabat ſanctus Columba, ille Hiienſis, ut puto, abbas, qui ſanctum Finnianum in diſciplina monaſtica præceptorem habuerat in Hibernia, ubi Dearmacanum [a] monaſterium conſtruxit. Dein cum duodecim commilitonibus diſcipulis ſuis ex Hibernia in Britanniam acceſſit, id eſt in Scotiam, prædicaturus verbum Dei Scottis, qui erant in Britannia, & provinciis ſeptemtrionalium Pictorum, qui arduis atque horrentibus montium jugis ab auſtralibus Pictis disjuncti erant. Hi vero multo ante tempore chriſtianam fidem, relicto gentilium errore, ſuſceperant, prædicante eis verbum Dei Ninia ſeu Niniano epiſcopo, reverendiſſimo & ſanctiſſimo viro, ex natione Brittonum, qui Romæ rectam fidem edoctus, ſedem epiſcopatus ſui ad Candidam-caſam in eccleſia ſancti Martini ſtatuit, ubi & ipſe corpore una cum multis aliis ſanctis requieſcit. Columbæ adventus ad illos Britanniæ Scottos contigit ſub annum incarnationis dominicæ quingenteſimum ſexageſimum-quintum, Comgalli ſeu Convalli regis ſeptimum: quo ex tempore vir ſanctus per annos amplius triginta verbo & exemplo Chriſtum prædicare non deſtitit. Hinc gens illa tanti beneficii memor, Jovam ſeu Jonam inſulam, quam Hiienſem alii vocant, ad conſtruendum monaſterium ipſi conceſſit. Non ſatis ſibi conſtat Venerabilis Beda, cum ait, Scottos in Britanniam advenientes ad maris ſinus partem ſeptemtrionalem ſibi locum [b] patriæ feciſſe: & tamen Hiienſem inſulam a Pictis, qui *eas Britanniæ plagas incolebant*, ſancto Columbæ [c] donatam fuiſſe tradit. Hæc enim inſula ſita erat in regione Scottorum, octo decim circiter millibus diſſita ab occidentali litore illarum provinciarum, in quibus Scottorum regnum poſitum erat: quos inter & Pictos Dorſi-Britannici montes, ut jam dixi, diſtermini erant, teſte Adamnano Hiienſis cœnobii abbate, qui Beda paullo antiquior, & locorum magis gnarus erat. Exigua hæc inſula vix quinque milliaria in orbem continet, teſte Beda, jacetque in Deucaledonio mari ad occidentem, hactenus *Colmkil* appellata apud Spedum in Scotiæ deſcriptione, tracto vocabulo ab ipſo ſancto Columba, qui a nonullis, ut Beda [d] auctor eſt, compoſito a cella & Columba nomine, Columcelli vocabatur. Certe hoc nomine afficitur in pervetuſtis litaniis [e] Anglicanis. In hac inſula conditum fuit Hiienſe monaſterium, aliorum omnium, quæ a Columba inſtituta ſunt, caput. Habere autem ſolet ipſa inſula, inquit idem [f] auctor, rectorem ſemper abbatem preſbyterum: cujus juri & omnis provincia, & ipſi etiam epiſcopi ordine inuſitato debeant eſſe ſubjecti, juxta exemplum primi doctoris illius, ſcilicet ſancti Columbæ, qui non epiſcopus, ſed preſbyter exſtitit & monachus. Is Aidanum cæleſti monitu Scottorum regem benedixit; & ſancti Brendani obitu cælitus accepto, *ſacra euchariſtiæ myſteria* per Diormetium miniſtrum ſuum, ad celebrandum in ejus natali die miſſæ ſacrificium præparari juſſit. Idem factum in obitu ſancti Columbani epiſcopi Lagenenſis, quo die, cum fratres ad opera manuum exituri eſſent, ſanctus vir contra feriari juſſit, ſacræque oblationis obſequia præparari, & aliquam fieri prandioli adjectionem. Hinc colligitur, nonniſi feſtis feriatiſve diebus miſſam in hoc monaſterio, qui ritus ſine dubio etiam aliorum in illis partibus erat, celebratam fuiſſe. Jam ad Columbanum, cujus maxime cauſa hæc præmiſſa ſunt, revertamur.

b id. lib. 1. c. 1.

c id. lib. 3. c. 4.

d id. lib. 5. c. 10.

e Analect. vet. to. 2. p. 671.

f Bed. lib. 3. c. 4.

IX. Columbani prima geſta.

Columbanus in Lagenia Hiberniæ provincia ortus, poſt liberalium litterarum ſtudia, hortatu religioſæ ac Deo dicatæ feminæ, ad Silenem virum venerabilem, qui eo tempore ſingulari religione & ſacrarum ſcripturarum ſcientia pollebat, ſe contulit, atque ab eo ſacras litteras didicit. Dein Bancorenſe petiit monaſterium, cui tum præerat egregius ille monachorum pater Comgellus, idemque prædicti monaſterii primus auctor. Mox ille jugum Chriſti in ſe ſuſcipere, jugi orationi vacare; dura tolerare jejunia, omnia denique ſubire auſteritatis religioſæ genera, ut qui aliorum doctor futurus erat, ipſe docenda prius factis impleret. Tum multis annis in monaſterio exactis, ſubiit mentem ejus cogitatio exteras adeundi regiones. Ægre tandem aſſentiente Comgello, cum duodecim ſociis, primum quidem in Britanniam, inde in Galliam iter aggreditur. Agebat tunc annum ætatis triceſimum; regnabatque in Burgundia Guntchramnus, in Auſtria Childebertus, qui paullo poſt, mortuo patruo, utrumque regnum obtinuit. Placuit Columbano vaſta Vo-

ſagi ſeu Vogeſi ſolitudo, viſumque eſt conſiſtere in veteri caſtro, quod Anagrates * priſco vocabulo appellabant. In eremo inculta vix aliud novis incolis ad victum, præter herbas & arborum cortices, ſuppetebat. Ægrotanti fratri non aliud ſubſidium allatum eſt, quam aliorum fratrum jejunium & preces. Tertio demum die ſervis Dei cælitus proviſum, adducto panum & pulmentorum ſupplemento per quemdam hominem, qui fratrum orationes pro conjugis ſoſpitate depoſcebat. Iterum ſumma egeſtas; iterumque divina opitulatio adfuit. Novem jam tranſierant dies, quibus vir Dei cum ſuis non alios ſumſerat cibos, quam quos ſponte ſaltus præbebat: cum Caramtoco abbati vicini monaſterii, cui Salicis nomen erat, ſuggeſſit clementiſſimus Deus, ut famulo ſuo Columbano, intra eremi vaſtitatem fame laboranti, neceſſaria deferri curaret. Ilico paruit abbas bonus, præcipiens Marculfo cellerario ſuo, ut quantocius cum onuſtis vehiculis ad virum Dei pergat. Ibat Marculfus per ſaltus invia, ignorans quem quæreret: ſed, præmiſſos abſque duce equos ſecutus, ad Anagrates tandem pervenit, atque allatum Columbano commeatum obtulit. Exſtat tribus ab Anagratibus leucis quidam vicus, *le Saucy* vulgodictus, una tantum leuca diſſitus a Lutra abbatia: quo in loco Salicis monaſterium poſitum fuiſſe, & nominum maxima affinitas, & Luxovienſium traditio ſuadet, ſi non perſuadet. Columbano moris erat, ut in præcipuis Chriſti Domini, aliorumve ſanctorum feſtivitatibus a fratrum ſocietate ſe ſubtraheret, quietius orationi & piis animi exercitationibus vacaturus; degeretque in edita & abrupta rupe, agreſtium pomulorum, quæ bolluccæ * vulgo appellantur, herbarumque eſu contentus, & aqua pura, quæ ex valle ſubjecta non ſine magno labore afferri poterat. Hunc laborem cum Domoalis ejus miniſter gravate ferret, proximam rupem percutere juſſus, mox fontem perennem elicuit.

Anagratenſe monaſterium ab eo conditum.

* *Angray.*

* *Beluas.*

X. Luxovienſis monaſterii primordia.

Hæc, etſi in obſcura ſolitudine patrata, vicina tamen circumquaque loca luce ſua penetrarunt, multoſque iſtuc diſcipulos adduxerunt. Hinc viſum eſt Columbano aliud in eadem ſolitudine monaſterium inſtituere octo ab Anagratenſi paſſuum millibus, in loco, quem veteres Luxovium nuncupabant. Ibi munitiſſimi olim caſtri rudera; ibi thermæ eximio opere conſtructæ etiam tum viſebantur; ibi denique idolorum reliquiæ, quæ profano ritu gens illa quondam coluerat. Hunc locum vir ſanctus in ſacratiorem commutavit religionem, condito iſtic monaſterio, quod celebritate ſui nominis exteras quoque regiones implevit, multiſque aliis formam præbuit & exemplum.

Quo anno Voſagum incolere cœperit Columbanus, quove Luxovienſis monaſterii fundamenta poſuerit, quod diſerte notaſſe convenerat, incertum reliquit Jonas monachus, ejus vitæ ſcriptor, nec alii poſt eum ſatis explicarunt. Qui Jonam ſequi volunt recentiores, Columbani adventum in Galliam ſtatuunt ſub principatu Sigiberti, id eſt ante annum hujus ſæculi ſeptuageſimum-quintum, quo anno Sigibertus Victoriaci prope Duacum necatus eſt. Sed in eo manifeſtus eſt hujus auctoris error, cum ait, Sigibertum *eo tempore duobus regnis Auſtraſiorum, Burgundionumque* imperaſſe, cui Burgundiam numquam paruiſſe conſtat, utpote quæ eo vivente ac mortuo Guntchramnum regem habuit. Alii, Jonæ errore animadverſo, pro Sigiberto Childebertum ejus filium repoſuerunt. Verum nec ſic mendæ expers eſſet hic locus: cum in Galliam acceſſerit Columbanus ante annum nonageſimum, quo tempore Guntchramnus adhuc in vivis erat, qui nonniſi poſt annos tres Burgundiæ regnum Childeberto Auſtraſiorum regi morte ſua reſignavit. Rectius Ordericus Vitalis Columbani in Galliam acceſſum refert ad Childeberti principatum, ſed nulla regni Burgundici facta mentione. Errandi occaſio Jonæ, homini extero, nec in patria noſtra hiſtoria ſatis exercitato, hæc fuit, quod Burgundiæ principatum per Sigibertum ex paterna hereditate in Childeberti poteſtatem veniſſe falſo autumaverit, quem ei ex patrui morte, id eſt Guntchramni, proveniſſe exploratum eſt. Jam vero quo anno Columbanus Voſagum adierit, ex eo colligitur quod inde Brunichildis inſtinctu expulſus ſit *viceſimo anno poſt incolatum eremi illius*, teſte ipſo Jona. Cum vero ex eodem auctore hanc expulſionem triennio poſt ſubſecuta ſit Theodeberti ac Theoderici regum mors, & monarchiæ Francicæ devolutio ad Chlotharium eorum fratrem patruelem, quod utrumque anno poſt ſexcenteſimum tertio-decimo contigiſſe certum eſt: hinc conficitur, Columbanum non niſi anno quingenteſimo nonageſimo Voſagum incolere cœpiſſe; ac paullo ante in Galliam acceſſiſſe, ac primum

ANN. CHR. 590.

quidem tumultuario opere Anagratenſe monaſterium; dein, creſcente diſcipulorum numero, Luxovienſe conſtruxiſſe: cujus proinde primordia circiter annum nonageſimum collocanda ſunt. Hinc Columbani, ejuſque diſcipulorum fama ſupra modum crevit, quæ innumeros undequaque ad novum cœnobium pertraxit. Iſtuc non modo ſervi ac ingenui, ſed nobilium etiam filii, ſpretis ſæculi phaleramentis, concurrebant, ſic ut tantam confluentium turbam unius cœnobii ſæpta capere non poſſent. » Tantam fuiſſe aiunt, ut ſancti Bernardi [a] verbis utar, ut, ſuccedentibus ſibi » viciſſim choris, continuarentur ſollemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem » diei ac noctis vacaret a laudibus.

a Bernard. in vita ſancti Malach. c. 5.

XI. Item Fontanenſe conditur.

Cum itaque novis in dies adventantibus hominibus unus hic non ſufficeret locus, aliud Columbanus monaſterium conſtruxit, Fontanas ab aquis inde ſcaturientibus appellatum: quo nova colonia deducta eſt. Proceſſu temporis Fontanenſium auctus eſt numerus ad ſexaginta fratres, quos aliquando terram ſarculo excolentes vir ſanctus mirifice refecit. Utrique loco, id eſt Fontanenſi & Anagratenſi, præpoſiti ab eo conſtituti, qui hæc cœnobia regerent ſub ipſo Columbano, & ſub principe monaſterio Luxovienſi, quod omnium aliorum veluti caput erat. Hinc prima origo prioratuum, quos modo abbatiolas, modo cellas, cellulaſque aut monaſteria veteres appellant; nempe deductio novarum ſub principe abbatia coloniarum, quas princeps monaſterium commode capere non poterat. Acceſſerunt & aliæ ſubinde cauſæ, in primis fidelium pietas ac devotio, qui cum penes ſe pios habere monachos cuperent, ex celebrioribus monaſteriis ſelectos acceſſebant, quibus domicilia in ſuis prædiis exſtruebant ſub prioris monaſterii regimine ac diſciplina. Ad hæc procuratio poſſeſſionum ac villarum, a fidelibus conceſſarum: quarum ut fructuoſior & fidelior eſſet adminiſtratio, majorum auctoritate & conſilio proviſum eſt, ut cultioribus pinguioribuſque locis monachos aliquot præficerent, atque ad continendos in officio ſervos, & colonos rite gubernandos, inibi eccleſias & regulares officinas exſtruerent. Horum vero prioratuum ea diſciplina erat, ut ad nutum abbatis principis monaſterii iſtuc mitterentur monachi, pro ejuſdem arbitrio itidem revocandi; iiſque ab eodem præficerentur præpoſiti, qui diſciplinam regularem, quatenus in iiſdem locis obſervari poterat, vice abbatis curarent, quamdiu abbati placuiſſet. Hi annuos proventus, qui ex eorum parſimonia reliqui erant, abbatiæ ſuæ pendere tenebantur, & ad comitia generalia accedere in princeps monaſterium, ubi, ſi quid animadverſione aut correctione dignum accidiſſet, emendabatur. Hæc uno conſpectu ob oculos poſita, in conſequentibus data occaſione illuſtranda erunt.

Prioratuum origo.

XII. Luxovienſium diſciplina & regula.

His ergo locis ita, ut diximus, inſtitutis, Columbanus, ut ſummus rector, præerat, atque ut una eademque omnium vivendi norma eſſet ac minime diſſimilis; » regulam quam tenerent, ait Jonas, Spiritu-ſancto repletus condidit: in qua qualis & » quantæ diſciplinæ vir ſanctus fuerit, agnoſcere licet. In hac regula ſumma obedientia, & quidem uſque ad mortem, præſcribitur, quantumvis dura & ardua ſint quæ jubentur. Summum item ſilentium, præterquam de rebus utilibus aut neceſſariis. Ad cibum olera, legumina, & farina aqua conſperſa, cum parvo paximatio conceſſa. Piſces etiam non raro adhibiti, & cerviſia ad potum, ut ex Columbani actis patet. Quotidie jejunandum præcipit, ſicut quotidie orandum, quotidie laborandum, quotidie legendum. Ad laborem, qui corpore exercetur, vir ſanctus vuantis ſeu chirothecis utebatur, teſtante Jona. Cupiditatem in monachis maxime re- » ſecat regula: quippe monachis lepram eſſe cupiditatem, cum non ſolum ſuperflua » eos habere nefas ſit, ſed etiam velle. Hunc porro facultatum contemtum primum eſſe gradum perfectionis monachorum; ſecundum, purgationem vitiorum; tertium, perfectiſſimam ac continuam Dei dilectionem, ac cæleſtium jugem amorem, qui terrenorum oblivioni ſuccedat. Denique mortificationem ait maximam eſſe partem regulæ monachorum, quam in hoc ſitam eſſe dicit, ut ne quid ſine abbatis conſilio fiat.

XIII. Pſalmodiæ ordo ac ritus.

Obſcurum eſt quod de curſu ac ſynaxi pſalmorum, id eſt de officio divino, præſcribit. Sic vero interpretor. Non uniformis debet eſſe pſalmodiæ modus, ſed longior aut brevior pro temporum diverſitate. In vigiliis nocturnis brevior modulatio eſt, ut viginti-quatuor pſalmi cum octo antiphonis decantentur: longior, ut ſeptuaginta-quinque pſalmi cum viginti-quinque antiphonis: media, ut triginta-ſex pſalmi cum duodecim antiphonis: ita ut terni pſalmi ad ſingulas ſemper antiphonas dican-

Digitized by Google

tur. Ab octavo kalendas Julii, id eſt a nativitate ſancti Johannis-Baptiſtæ, ad kalendas Novembris, in nocturnis vigiliis tum ſabbati, tum ſequentis dominicæ, prolixior præſcribitur modulatio, ut totum pſalterium in his duabus noctibus cantetur. Idem etiam ritus ſervatus in tota hieme. quo tempore feriatis diebus media, quam diximus, pſalmorum triginta-ſex modulatio abſolvitur duodecim choris ſeu antiphonis. nam utrumque promiſcue a Columbano uſurpatur. Choras vocat Donatus epiſcopus Veſontionenſis. Hieme tranſacta per ſingulas veris hebdomadas terni minuuntur pſalmi in vigiliis nocturnis, tum ſabbati & dominicæ, tum privatarum feriarum, donec modulatio in primis illis ſabbati & dominicæ vigiliis redigatur ad triginta-ſex pſalmos; & in privatis diebus ad viginti-quatuor. qui modus in feriis per totum ver & totam æſtatem uſque ad autumnale æquinoctium retinetur. In diurnis totius anni officiis, quod labore corporeo interpolari ſolebat, terni pſalmi aſſignantur cum ſtatutis precibus pro peccatis, pro omni populo chriſtiano, pro ſacerdotibus & ſingulis eccleſiæ gradibus, pro eleemoſynas facientibus, pro pace regum, & pro inimicis. Denique ad initium noctis, alii duodecimam vocant, duodecim pſalmi recitabantur. Hæc ſumma eſt regulæ beati Columbani, quæ conſtat novem dumtaxat capitulis in editis; in manu exaratis aliquando quatuordecim ob minutiores ſectiones: ita ut caput ultimum in omnibus libris, cum editis, tum ſcriptis, ſit *de mortificatione*, præterquam in codice Bobienſi, in quo aliud capitulum adjicitur *de perfectione monachi*. Unde mirari ſubit in concordia [a] regularum a Benedicto abbate Anianenſi, itidemque a Smaragdo afferri caput triceſimum-tertium ex regula Columbani, quod neque in Columbani regula, neque in pænitentiali eidem ſubjuncto reperitur.

a *Menard.* p. 1082.

XIV. Pænitentiale Columbani.

Hic pænitentialis liber in quibuſdam vetuſtis codicibus vocatur *regula cænobialis patrum de Hibernia*. quem titulum præfert Auguſtanæ ſancti Udalrici abbatiæ recentior codex, ex antiquo Augienſi tranſſcriptus, cui veterrimus ſancti-Gallenſis omnino ſimilis erat. In hoc pænitentiali qui non ſignaverit cochleare quod lambit, ſex percuſſionibus multatur. qui perdiderit micas, oratione in eccleſia emendatur. Duodecim percuſſiones infliguntur ei, qui domo egreſſurus ad orationem poſcendam non ſe humiliaverit, & poſt acceptam benedictionem non ſe ſignaverit, & crucem non adierit. quas minutias idcirco viſum eſt obſervare, quod ex iis quædam ſanctorum noſtrum obſcura facta illuſtrentur, ut data occaſione videbimus. Ad hæc variæ multæ imponuntur iis, qui accipiendo ſacram communionem, dentibus calicem ſalutaris tetigerint; qui ordinem ſacrificii non cuſtodierint: item ſacerdoti ſacrificium offerenti, qui ungues non reſecuerit; atque diacono, cui barba tonſa non fuerit. At vero præſcribitur, ut ſacrificium, id eſt communionem, accepturus ter ſe humiliet: & novitii, quia indocti & inexperti, *ad calicem non accedant*. quod argumento eſt, jam eo tempore communionem ſub unica ſpecie quandoque in uſu fuiſſe. Interdicitur etiam, ne quis veniat ad ſacrificium cum nocturno cingulo, vel veſte itidem nocturna. Duplices quippe veſtes habebant tum monachi, unas pro nocte; alteras pro die, honeſtiores. Diverſæ etiam pœnæ imponuntur iis, qui ſacrificium, id eſt eucharistiam, perdiderint, vel corrumpi ſiverint. quod argumento eſt, eam a monachis, forte iter agentibus, delatam fuiſſe. Pænitentes fratres non lavabant capita ſua; niſi die dominico. In eodem libro fit etiam mentio de confeſſione facienda ſacerdoti.

Communio ſub unica ſpecie.

XV. Alii ritus præter regulam.

Præter ſuperiorem regulam & librum pænitentialem, erant & quidam alii ritus uſu recepti apud Luxovienſes. quale eſt illud, quod ſæcularibus in adyta monaſterii ingreſſus minime patebat. adeo ut Theodericus rex ingreſſus refectorium, dure a Columbano increpitus ſit. quæ res occaſionem præbuit virum ſanctum criminandi apud regem, quod *intra ſepta ſecretiora* omnibus chriſtianis aditum prohiberet. Ad hæc infantes a Columbano admittebantur in monaſterium, tametſi nulla de eorum ſuſceptione aut educatione mentio in prædicta ejus regula fiat. Sic Donatus, Waldeleni ducis & Flaviæ filius, ab infantia educatus eſt a beato Columbano, cujus precibus parentes eum cælitus obtinuerant. neque id privilegii puero a Deo dato ab interventore conceſſum dici poteſt, quod Agilo, Reſbacenſi poſtmodum abbati, itidem indultum legitur.

XVI. Laus perennis an apud Luxovienſes.

Hoc in loco tres quæſtiones nobis examinandæ occurrunt. Prima eſt, an jugis pſalmodia ſeu laus perennis aliquando in uſu fuerit apud Luxovienſes, quod ſanctus Bernardus in libro de vita ſancti Malachiæ traditione acceptum refert; & quidem

Digitized by Google

ANN. CHR. 590.

an a beato Columbano inſtituta. Hunc ritum a Columbano præſcriptum fuiſſe vix mihi perſuadeam. Nihil quippe hac de re apud Jonam in actis aut Columbani, aut Euſtaſii; nihil in actis Attalæ aut Bertulfi Bobienſium abbatum legitur. Immo vero Luxovienſes monachi, non in turmas diſtincti, ſed ſimul omnes divinis laudibus, ſimul omnes labori corporeo vacabant. unde regii ſatellites, ad comprehendendum Columbanum miſſi, eum *in eccleſia cum pſallentium choro orationi deditum, cum omni congregatione fratrum repererunt*. Certe ſcriptor vitæ ſanctæ Salabergæ, Laudunenſis parthenonis abbatiſſæ, aſſerit, aſſiduam ac perennem pſallendi normam ab ea inſtitutam fuiſſe *ad inſtar Agaunenſium monachorum & Habendenſium* ſanctimonialium: dicturus etiam Luxovienſium, ſi hæc inſtitutio apud Luxovienſes tum obtinuiſſet. Nihil etiam circa perennem pſalmodiam ſtatuit Euſtaſius Columbani ſucceſſor; nihil Waldebertus, qui Euſtaſium excepit. Quæ apud Surium de ſexcentis ſub Euſtaſio abbate monachis leguntur, interpolatoris eſt additamentum, ut patet tum ex codicibus melioris notæ, tum ex libro de vita ſancti Walarici abbatis, in quo monachi tantum ducenti ferme viginti in tribus prædictis Voſagi cœnobiis feruntur exſtitiſſe ſub beato Columbano. Quamquam Euſtaſius in Adonis martyrologio monachorum ferme ſexcentorum pater exſtitiſſe perhibetur: & neceſſe eſt ſub Columbano ipſo numeroſum fuiſſe Luxovienſis monaſterii cœtum, cum in cella Fontanenſi ſexaginta monachi ſub eo exſtiterint, teſte [a] Jona. Denique in fragmento veteris catalogi abbatum Luxovienſium, nonniſi poſt Waldebertum laudis perpetuæ fit mentio uſque ad Mellinum; quo cum fratribus interfecto, ceſſavit laus perpetua. Neque his repugnat regula Columbani, ubi de *choris duodecim*, immo & *viginti-quinque* agitur. Hac enim voce, ut jam dixi, non diſtinctas canentium turmas intelligit, ſed ſingulas antiphonas cum ternis pſalmis, qui una modulatione ſub una antiphona canebantur. *Choras* appellat in regula Juſſanenſi Donatus epiſcopus Veſontionenſis, & ipſe Columbani diſcipulus. *Duodecim* [b] *choræ*, inquit, *in hieme omni nocte cantandæ ſunt*; & alia in huuc modum, quibus nihil clarius eſt ad propoſitum. Hujus vocis æquivocatio fortaſſe nonnullos induxit, ut hos locos de variis concinentium turmis, atque adeo de perenni laude interpretarentur. Hæc porro argumenta huc non affero, ut laudis perpetuæ ritum apud Luxovienſes a Columbano inſtitutum fuiſſe omnino negem; ſed ut conjecturas, quæ me in contrarium movent, ſincere proferam, quas tamen veterum ſententiæ ſubmittere non gravabor.

a Jonas. n. 58.

b Donat. reg. c. 75.

XVII. Columbani regula an diverſa a Benedictina.

Altera quæſtio eſt, an ſancti Columbani regula diverſa omnino cenſenda ſit a Benedictina; an potius quoddam, ut nonnullis recentioribus placet, Benedictinæ ſupplementum, adeo ut numquam una ab altera disjuncta fuerit; denique, ſi principio diſcretæ ab invicem fuerint, quo tempore ſimul coaluerint, quandove Columbani regula Benedictinæ ceſſerit. nam & ſimul eas coaluiſſe, & alteram alteri aliquando tandem ceſſiſſe conſtat. Tria hæc unius quæſtionis capita ſingillatim nobis explicanda ſunt, quatenus ſinunt hiſtoricæ narrationis leges, a diſſertationum forma penitus diverſæ. Primum tantum caput hoc loco expedio, duobus aliis in aliud tempus dilatis. Columbani regulam principio a Benedictina diſparatam fuiſſe mihi dudum viſum eſt. Quippe Columbanus ex Hibernia ſeu ex Bancorenſi monaſterio in Galliam acceſſit, antequam regula ſancti Benedicti in Britanniam majorem, nedum in Hiberniam & Scotiam, penetraviſſet. Deinde, ubi in Galliam advenit Columbanus, in nullo Galliæ ſubſtitit monaſterio, ſed ſtatim cum ſuis ſeceſſit in Voſagi ſolitudinem, ubi Luxovienſe monaſterium, aliaque ædificavit. His vero monaſteriis eamdem vivendi normam præſcripſit, quam in Bancorenſi didicerat, eoſdemque ritus circa tonſuram & paſchæ celebrationem. unde Theodericus rex de eo conquerebatur, *cur a comprovincialium*, nempe Gallorum, *moribus deſciſceret*. quæ etiam Agreſtii monachi querela fuit in ſubſequenti ſynodo Matiſconenſi. Præterea regulam peculiarem Spiritu-ſancto repletus condidit, teſte Jona, eamque diſcipulis ſuis tenendam, ſervandamque præſcripſit: qua in regula nulla de ſancto Benedicto, ejuſve regula fit mentio; neque in pænitentiali eidem regulæ ſubjuncto; nec denique apud Jonam ejus diſcipulum, ac vitæ ipſius, ſubſequentiumque abbatum ſcriptorem.

Qui contrariam tuentur ſententiam, in argumentum afferunt imperfectionem regulæ ſancti Columbani, quæ cum non ſufficiat ad inſtituendam vitæ monaſticæ ac regularis accuratam diſciplinam, alia indigebat ad ſui complementum; ob eamque cauſam, in vetuſtis illorum temporum monumentis cum Benedictina perpetuo con-

junctam reperiri. Et quidem pænitentialem ejus librum eſſe quamdam veluti appendicem regulæ ſancti Benedicti, qui indefinitos reliquit varios pænitentiæ modos quos Columbanus in ſuo pænitentiali ſpeciatim aſſignavit. Sane hic liber Regulæ noſtræ ſubjungitur, ut jam diximus, in veterrimo codice monaſterii ſancti Galli & in Auguſtano ſancti Udalrici recentiori, præmiſſa brevi [a] præfatiuncula, qua ſignificatur id factum ad ſupplendos varios pænitentiæ modos, quos ſanctus Benedictus in regula ſua non ſatis expreſſit. Quod ſi hanc præfatiunculam Columbanus ipſe ſuo pænitentiali apposuiſſet, certe fatendum eſſet regulam ſancti Benedicti ab eo ſervatam fuiſſe, ejuſque pænitentiale eſſe veluti quamdam ejuſdem regulæ appendicem. Verum ejus potius diſcipuli hanc præfatiunculam regulæ Benedictinæ ſubjunxiſſe videntur, quando hanc regulam cum ſancti Columbani regula ſibi ſervandam propoſuere: quod non multo poſt Columbani obitum accidiſſe poſtea videbimus.

At tota hæc controverſia non tanti eſt, ſicuti quibuſdam viſum eſt, momenti ut longiori diſceptatione agitari debeat. Certum quippe eſt, ut jam dixi, ſæpiuſque repetere juvat, unicum fuiſſe, non ſolum Benedicti & Columbani, ſed etiam omnium tunc temporis monachorum ordinem ac inſtitutum, tametſi regulas varias rituſque habuerint nonnihil diverſos. Omnibus quippe idem propoſitus ſcopus erat idemque finis, nempe ſeceſſus a ſæculi tumultu & corruptelis; eadem rerum omnium abdicatio cum aliis monaſticis votis; nec umquam monachorum Ordo vocabatur diverſus, niſi quatenus hoc vocabulum ad majorem vel minorem regulari diſciplinæ obſervationem ſignificandam adhibebatur. Porro hæc regularum diverſitas non magis unius Ordinis unionem violabat, quam variæ nunc commentationes in regulam ſancti Benedicti ſocietatem noſtram dirimunt a Cluniacenſium inſtituto. Neque enim ex regularum diverſitate oriebatur Ordinum, ut modo, diverſitas: cum non raro in uno eodemque monaſterio plures ſimul regulæ tum ſervarentur, quod de Atanenſi diſerte aſſerit Gregorius [b] Turonicus antiſtes, ubi non modo Caſſiani, verum etiam Baſilii, & reliquorum abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, regulæ celebrabantur. Denique in tanta regularum diverſitate, quas varia inter ſe ſe monaſteria ſervabant, maxima erat monachos inter omnes animorum conſenſio, una ſocietas, facilis ac promiſcuus ex uno in aliud monaſterium tranſitus, mutuuſque commeatus. Id vero in cœnobiis etiam a beato Columbano inſtitutis uſu veniſſe probat factum Euſtaſii, poſt Columbanum abbatis Luxovienſis, qui ad eum in Italiam profecturus, ingreſſus in cœnobium Agaunenſe, ubi tum monachi degebant, ſciſcitatus eſt, quis inter primos ſanctitate primus ibidem haberetur. Cognito ipſum eſſe Amatum monachum, qui poſt annos triginta inibi exactos, in excelſiſſima rupe jam fere per triennium duram agebat vitam; ipſe revertens ab Italia, ſanctum hominem ſecum abduxit, perduxitque Luxovium ubi is aliquantum temporis converſatus, ab omnibus amatus effectus eſt, ut ſcribit gravis auctor & æqualis in ejus actis. Quo in facto obſervandum eſt, Agaunenſes ad alius, quam Columbani regulæ præſcriptum vixiſſe; nihilo minus Amatum, ejus loci monachum, nulla habitus aut profeſſionis mutatione facta, inter Luxovienſes admiſſum fuiſſe & cooptatum.

Non tamen diffitear ſecus actum aliquando cum extraneis monachis, quorum mores non ita perſpecti erant, ac probata vita. at ſanctus Benedictus [a] non aliam a peregrinis ejuſmodi monachis probationem ad firmandam ſtabilitatem exigit quam laudabilem eorum tempore hoſpitalitatis converſationem: quæ ſi non fuerit talis, inquit, ut is e monaſterio projici mereatur; non ſolum, ſi petierit, ſuſcipiatur congregationi ſociandus; verum etiam ei ſuadeatur ut ibidem perſtet, ut ejus exemplo alii erudiantur ac diſcant, & quia in omni loco uni Domino ſervitur, & uni Regi militatur. Formulam promittendæ ſtabilitatis a monachis peregrinis & extraneis refert Hildemarus in caput LXI. Regulæ noſtræ in hæc verba. *Ego ill. veniens de longinquis provinciis in hoc monaſterium, quia placuit mihi converſatio fratrum iſtius loci, & illis placuit mea converſatio: ideo ſtabilitatem meam in hoc monaſterio per hanc ſcripturam, manu mea ſcriptam, perpetuo confirmo.* Hæc tota ratio & ceremonia erat admittendi in monaſterium peregrini monachi: niſi quod ſanctus Benedictus exigit litteras commendatitias ſeu conſenſum illius abbatis, ſi monachus ille ex noto & vicino monaſterio veniſſet: ne alias hæc monachi admiſſio ſcandalum

ANN. CHR. 590.

& offendiculum inter duo illa monaſteria generaret. Talis erat monachorum omnium, etiam orientalium in occidentales, & occidentalium in orientales, per id tempus diſciplina, ac mutua communio, quæ nonniſi poſt longa ſæculorum intervalla ſcindi ac dividi cœpit, nec ante ſæculum tertium-decimum omnino violata eſt, variis novarum religionum Ordinibus ſub diverſis ac ſingulis regulis inſtitutis.

XIX. Luxovienſe privilegium.

Jam tertio loco inquirendum, quodnam fuerit Luxovienſe privilegium, & a quo rege, quibuſve pontificibus indultum, ad cujus inſtar aliis ſubinde monaſteriis conceſſa privilegia leguntur. Innumera ſunt ejus rei exempla, adeo ut Marculfus monachus id genus privilegii in formulam redegerit, qualis eſt formula prima, in qua *monaſteria ſanctorum*, verba ipſa refero, *Lirinenſis, Agaunenſis, Luxovienſis, vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum ſub libertatis privilegio conſiſtere* dicuntur. Et de privilegio quidem tum Lirinenſi, tum Agaunenſi ſatis conſtat non aliud eſſe, quam quod Lirinenſibus in ſynodo Forojulienſi, & Agaunenſibus in Epaonenſi conceſſum vidimus; at quodnam fuerit Luxovienſe, a quove conceſſum, vetera ſilent monumenta. In hoc vero conſiſtebat, ut ex Lirinenſi & Agaunenſi, ſed maxime ex Marculfiana formula intelligitur, ut ex conceſſu epiſcopi diœceſani aliorumque jus eſſet penes Luxovienſes, proprium ex ſua congregatione eligendi abbatem, qui ab ipſo epiſcopo abſque ullo præmio benedicatur, ſacroſque ſuſcipiat gradus; & ut idem epiſcopus, præter ordinationem monachorum, altarium benedictionem, ſancti chriſmatis conceſſionem, nullam penitus aliam poteſtatem in res aut perſonas ipſius monaſterii exerceat; &, niſi rogatus ab illa congregatione vel abbate, ad ipſum monaſterium non accedat. Porro ſi quid monachi deliquiſſent, ſecundum eorum regulam a proprio abbate corrigantur: niſi ſi abbas ipſe id facere neglexerit. Fuerit ergo Luxovienſe privilegium hujus vel ſimilis formæ, quod epiſcopus Veſontionenſis, in cujus diœceſi monaſterium ſitum eſt, cum aliis epiſcopis eidem conceſſerit, dein a Romano pontifice indultum & confirmatum. Hæc poſtquam ſcripſeram, incidit in manus meas privilegium Johannis papæ quarti, rogatu Chlodovei junioris conceſſum Luxovienſi monaſterio, cum ei loco Waldebertus abbas præeſſet, ut ſuo loco videbimus.

XX. Pelagio papa peſte ſublato eligitur Gregorius.

Sed Columbano tantiſper dimiſſo, jam ad res Italicas veniendum eſt, quæ ut erant afflictiſſimæ, peritiſſimum virum, qui tantis mederetur malis, id eſt ſapientiſſimum ac ſanctiſſimum pontificem, exigebant. Quippe ad cetera mala, quibus Italia per tot annos tum a Gotthis, tum noviſſime a Langobardis miſere vexabatur, novum hoc anno acceſſit incommodum, nempe gravis peſtilentia, ex qua Pelagius pontifex cum infinitis aliis interiit. Hæc originem accepit ex continuis imbribus, toto ſuperioris anni menſe Octobri cælo effuſis, ex quibus tanta aquarum illuvies Italiam totam invaſit, quantam poſt antiquum diluvium nulla hominum aut litterarum memoria prodidit. Hinc enim exundantibus fluviis non campi ſolum in ſtagna converſi, & viæ confuſæ ſunt, ſed tecta etiam ſubruta, atque homines paſſim, pecudeſque nullo diſcrimine perierunt. Et Veronæ quidem Atheſis amnis ita excrevit, ut aqua uſque ad baſilicæ ſancti Zenonis feneſtras, quæ proximæ tecto erant, pertigerit; nec tamen, apertis licet januis, baſilicam ipſam iniit. Romæ vero exitu Octobris Tiberis adeo intumuit, ut ſuper mœnia effuſus, altiores quoque urbis regiones late omnes obſederit. Tantam aquarum illuviem fœdiſſima peſtilentia, quam inguinariam vocant, excepit. Hæc per Italiam cum maxima humani generis pernicie debacchata, cum innumeram plebis ac nobilium turbam perculit, tum ipſum in primis Pelagium Pontificem, cujus meritis ac precibus ſe ſtare arbitrabantur homines, e medio ſuſtulit VIII. idus Februarias. Illo ſepulto, cum clerus populuſque ad novum creandum pontificem conveniſſent, mira omnium conſenſione electus eſt Gregorins diaconus, qui tum in ſancti Andreæ monaſterio abbatis munus gerebat. quem ille honorem conſtanter recuſans, litteras ad Mauricium Imperatorem extemplo direxit, ſummopere illum orans, ut hanc a ſe electionem ac dignitatem amoliretur. Verum litteris interceptis, Germanus urbis præfectus imperatorem de ingenti cleri ac populi in Gregorium ſtudio commonuit, eidemque indiculum de ejus electione Conſtantinopolim direxit.

XXI. Litaniæ a Gregorio inſtitutæ.

Interim dum ab urbe regia Mauricii aſſenſus ac reſponſum exſpectatur, dum Romæ acrius in dies peſtilentia ſæviret, ac mæſtum ubique ſilentium, triſtiſque luctus paſſim univerſam civitatem teneret, prementium malorum magnitudine

jam

ANN. CHR. 590.

jam prope animum deſpondentem, Gregorius IV. kalendas Septembris populum ad concionem in baſilicam ſanctæ Sabinæ vocavit, & divino repletus Spiritu hortatus eſt, ut flagella Dei, quæ formidari ventura debebant, ſaltem præſentia timerentur, & dolor aditum ad converſionem aperiret, quem indomita cordis durities hactenus præcluſerat. Neque vel tantiſper procraſtinandum, cum ſinguli repente adeo moriantur, ut non languor mortis impetum præveniat, ſed mors ipſa languoris tarditatem præcurrat; ac percuſſus quiſque ante rapiatur, quam ad lamenta pænitentiæ poſſit recurrere. Mutanda proinde incunctanter corda, lacrymis & precibus inſtandum; nec dubium eſſe, quin citius flectendus ſit ſupremus Judex, ſi reus ſceleris ſui correctionem adhibeat. quam ob rem contrito corde ac emendatis moribus ad ſeptiformem, quam ipſe inſtituerat, litaniam ſe accingerent. Hujus vero ſeptiformis litaniæ is ordo erat, ut feria quarta, prima luce clerus egrederetur ab æde ſanctorum Coſmæ & Damiani, cum preſbyteris regionis ſextæ: omnes vero abbates cum monachis ſuis ab æde ſanctorum Gervaſii & Protaſii, cum preſbyteris regionis quartæ: omnes abbatiſſæ cum congregationibus ſuis ab æde ſanctorum martyrum Marcellini & Petri, cum preſbyteris regionis primæ: omnes pueri & puellæ ab æde ſanctorum martyrum Johannis & Pauli, cum preſbyteris regionis ſecundæ: omnes laïci ab æde ſancti protomartyris Stephani, cum preſbyteris regionis ſeptimæ: omnes mulieres viris orbatæ ab æde ſanctæ Euphemiæ, cum preſbyteris regionis quintæ: omnes conjugio ſociatæ ab æde ſancti martyris Clementis, cum preſbyteris regionis tertiæ. Hunc ſeptiformis litaniæ ordinem cum ſermone Gregorii Magni refert Gregorius [a] alter, ſed alio modo Johannes diaconus, forte quod litaniæ illæ, per triduum continuatæ, aliter atque aliter inſtitutæ ſint, tametſi Paulus [b] Warnefridi ſuperiorem ordinem confirmat. Egreſſi omnes ex ſuis quique eccleſiis proceſſerunt ad baſilicam beatæ Mariæ, quæ nunc Major appellatur; factumque eſt, ut, dum ejuſmodi ſupplicationes clerus & populus celebraret, repente octoginta homines in turba exanimes conciderint. quod nequaquam Gregorium ab incœpto deterruit, immo vero is continuo populum admonuit, ut ne ab obſecratione ceſſaret, ſed multo intentius in ſtudium divinæ precationis incumberet. Hinc origo litaniarum, quæ majores vocantur, in feſto ſancti Marci deinceps ad noſtrum uſque tempus celebratæ.

a Greg. Tur. lib. 10. c. 1.
b Paul. de geſt. Lang. lib. 3. c. 21.

XXII. Ejus ordinatio.

Dum hæc Romæ fiunt, ſacra ab imperatore juſſio venit, qua Gregorii pontificis electio comprobata, ejuſque conſecratio permiſſa eſt. quod reſponſum dum exſpectatur, Gregorius, de interceptis litteris ſuis certior factus, timens quod futurum erat, ſub aliena veſte ex urbe fugit, & ſe in ſpeluncam abdidit. Verum indicio igneæ columnæ deprehenſus, quantumvis renitens ac tergiverſans, demum III. nonas Septembris conſecratur. qui dies in tabulis eccleſiaſticis conſignatus eſt. In quibuſdam tamen kalendariis notatur IV. kalendas Aprilis, qui dies forte ejus electionis eſt, certe non ejus ordinationis, ut ex diuturnitate ejus pontificatus ſuo loco videbimus. Fugæ ſuæ & divini ex ignea columna indicii, cui repugnare non valuerit, ipſe Gregorius meminit in duabus epiſtolis, una ad Natalem [c] Salonitanum epiſcopum, altera ad Cyriacum Conſtantinopolitanum. Omnia repente mutavit pontifex novus: alia ſpes, alius animus omnium, fortuna quoque alia urbis videri cœpit. Solus Gregorius ſortem ſuam doluit, in ſuis ad amicos litteris [d] ingemiſcens, quod ſub colore epiſcopatus ad ſæculum eſſet reductus, tantiſque curis implicatus, quantis ne in vita quidem laïca implicatus erat. Alta enim, ait, quietis meæ gaudia perdidi; & intus corruens, aſſcendiſſe exterius videor: unde me a Conditoris mei facie longe expulſum deploro. Conabar namque quotidie, extra mundum, extra carnem fieri; cuncta phantaſmata corporis ab oculis mentis abigere, & ſuperna gaudia incorporaliter videre; & non ſolum vocibus, ſed totis medullis cordis ad Dei ſpeciem anhelans, dicebam: *Tibi dixit cor meum, quæſivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram.* Nihil autem in hoc mundo appetens, nihil pertimeſcens, videbar mihi in quodam rerum vertice ſtare. ſed repente a rerum vertice tentationis hujus turbine impulſus, ad timores, pavoreſque corrui: quia etſi mihi nil timeo, eis tamen, qui mihi commiſſi ſunt, valde formido. Ita ille, & multa in hunc modum ad Theoctiſtam Mauricii imperatoris ſororem, & ad alios. Dein fidei ſuæ profeſſionem [e] Johanni epiſcopo Conſtantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Johanni Jeroſolymitano & Anaſtaſio Antiocheno epiſcopis de more tranſ-

c Greg. M. lib. 1. ep. 20. & lib. 6. ep. 4.
d lib. 1. ep. 5.
e ibid. ep 24.

ANN. CHR. 590.

a *Johan diac. lib. 1. c. 41.*

miſit, in qua iterum de onere paſtorali ſibi impoſito ingemiſcit. Ex his omnibus apparet, quam maligne & ſiniſtre Gregorii mentem interpretati ſint perfidi [a] quidam Langobardi, qui eum ſpecie quidem fugiſſe pontificatum aiebant, ſed revera appetiiſſe. Gregorio in regimine ſancti Andreæ monaſterii ſucceſſit Petrus, ut idem Gregorius ionuit in libro IV. dialogorum capite XLVII.

XXIII. Pontificis recte facta & virtutes.

In hac porro dignitate ut ſe geſſerit pootifex vere magous, ſi perſequi velim, omoes ejus epiſtolas huc referre oporteret, ex quibus nemo non intelligit, quanta eum tenuerit ſollicitudo eccleſiarum, totius cleri, omniumque ordinum, pauperum & egenorum. Nullus pootificum poſt Petrum modeſtius & humilius de ſe ſenſit; nullus patrum de humilitate melius ſcripſit, vere Doctor humilitatis appellandus, uti gratiæ Doctor Auguſtinus. Iocredibilis fuit ejus caritas, in qua hæreas utrum magis mirere, liberalitatem in eleemoſynis erogandis, an diligentiam & ſollicitudinem in perquirendis curandiſque pauperibus & egenis, quorum accuratum numerum & nomina io tabellis deſcripta habebat, non modo unius urbis aut regionis, ſed totius Italiæ, Siciliæ, Galliæ, aliarumque provinciarum. Patrimonia Romanæ eccleſiæ per œconomos diligentiſſime curabat, non ut ex eis locuples fieret, ſed ut ex eis pauperes & egeni recreareotur. Aliis veſtes, aliis vioum & annonam; his pecuniam, iſtis oleum, illis oves vel pullos; omnibus denique neceſſaria procurabat: certus eccleſiæ cenſus ac reditus conceſſos, non nt accumulentur, ſed ut erogentur, & in ſinu pauperum recondantur; paſtoreſque eccleſiæ reos eſſe homicidii, ſi ex eorum negligeotia pauperes præ inopia deficiant, vel intereant. Denique quantum ad effundendum propenſus erat, tantum ab accipiendis muneribus abhorrebat. cujus rei teſtis eſt ejus epiſtola ad Felicem [b] Meſſanæ epiſcopum.

b *Greg Magnus lib. 1. ep. 64.*

Nimius ſim, ſi cetera perſequar. Quatuor generalia concilia, non ſecus ac quatuor evangelia, venerabatur, ſacris canonibus ſic inviolabilem ſervans auctoritatem, ut pravas conſuetudines abrogaret. Epiſcopos bonos ut fratres coluit: male agentes auctoritate ſua coercuit ac repreſſit. Sic dignitatis ſuæ jura vindicabat, ut aliena iotemerata ſervaret. Nullus eo humilior, nullus adverſus vitia erectior. Modeſtiam ejus probat in primis teſtimonium Johannis abbatis Perſæ, qui Romam ad venerandos beatorum Petri & Pauli cineres profectus, prout ipſe Johanni Moſcho [c] narravit, cum Gregorium per urbem incedentem pronus venerari geſtiret, præventus eſt ab ipſo pontifice, qui ſe ad ejus pedes coram omnibus abjecit, nec ante ſe erigere voluit, quam Johannes ipſe ſurrexiſſet. Ad hæc divinorum officiorum ſplendor ac majeſtas, ſinceritas morum, emendatio vitiorum, converſio gentilium, Judæorum & hæreticorum, ejus animum irremiſſe occupabant. Atque nt ſe ipſe cunctis irreprehenſibilem ac probatum exhiberet, remotis a ſuo cubiculo ſæcularibus, clericos ſibi prudentiſſimos conſiliarios, & monachorum ſanctiſſimos ſibi familiares delegit, cum quibus ioterdiu noctuque cooverſatus, nihil [d] monaſticæ perfectioois in palatio, nihil pootificalis officii in eccleſia prætermiſit. Sic in diverſæ profeſſionis ſectatoribus agebatur vita communis, ita ut talis eſſet tunc ſub Gregorio Romana eccleſia, qualem ſub apoſtolis Jeroſolymitanam Lucas, & ſub Marco Alexandrinam exſtitiſſe Philo commemorat. Ex clericis [e] magis familiares ei fuere Petrus diaconus, quem in ſcribendis dialogis interlocutorem adhibuit; Æmilianus notarius, qui quadraginta in evangelium homilias cum ſociis excepit; Paterius itidem notarius ac ſecundicerius, qui ex libris ejus utiliſſima quæque, veluti continuam in ſcripturas omnes expoſitionis catenam, defloravit; Johannes Defenſor, ab eo in Hiſpanias cognitor miſſus, & Januarius epiſcopus Malalitanus, quem ſedi ſuæ reſtituit. Ex monachis fuere Maximianus, monaſterii ſui abbas, poſtea epiſcopus Syracuſanus; Auguſtinus, ejuſdem monaſterii præpoſitus; & Mellitus monachos, per quos Anglorum gentem ad fidem perduxit; Marinianus, ejuſdem cœnobii monachus, quem io Ravennate eccleſia antiſtitem conſecravit; Probus ex laïco ad regendum monaſterium ſuum repente ab ipſo aſſumtus, & ad conſtruendum Jeroſolymis xenodochium directus; & Claudius Claſſitanus abbas, qui ex ore pontificis commentarios in Heptateucum, libros regum, proverbia, cantica canticorum, & prophetas, excepit. Verum ne hæc longius a propoſito nos abducant, ea tantum, quæ ad res monaſticas pertioent, deinceps commemorare ſatius videtur.

c *Prat ſpirit. c. 151.*

d *Johan diac. lib. 2. c. 12.*

e *id. ibid. c. 11.*

XXIV. Gregorii epiſtolæ pro monachis.

f *Greg. lib. 1. epiſt. 9.*

Atque ut ab epiſtolis, indictione nona, a Septembri hujus anni ſcriptis ordiamur; Petro [f] ſubdiacooo, qni negotia eccleſiæ Romanæ in Sicilia curabat, præcepit, ut res

ANN. CHR. 590.

cujuſdam fundi, quas Gregorius ſervus Dei, presbyter & abbas monaſterii ſancti Theodori in Meſſana civitate, contra Romanæ eccleſiæ actores repetebat, reſtitui juberet, ſi eas continuis annis quadraginta quiete poſſediſſet. ubi in gratiam eccleſiæ Romanæ Gregorius terminum præſcriptionis, qui triginta annorum ſpatio definitus erat, ad quadragenarium extendit. Conqueſtus fuerat Agapitus [a] abbas monaſterii ſancti Georgii ex Urbe-veteri * in Etruria, quod Johannes ejus urbis epiſcopus multa monaſterio ſuo gravamina inferret; in his, quod ibidem miſſas celebrari, & mortuos ſepeliri prohiberet. quod pontifex jubet emendari. Eodem tempore accidit, ut, provincia Brutiorum a barbaris devaſtata, monachi quidam Tauri ſeu Taurianæ civitatis apud Brutios, ea tempeſtate diſperſi, per totam Siciliam abſque rectore vagarentur, de animæ ſuæ ſalute parum ſolliciti, & vitam viventes habitui ſuo haud quaquam convenientem. Hac de re a Paulino ejuſdem [b] urbis epiſcopo admonitus Gregorius, ſcripſit ad Felicem epiſcopum Meſſanenſem, & ad Petrum ſubdiaconum mox laudatum, ut vagos illos monachos recludi curarent in monaſterium ſancti Theodori, in Meſſanenſi urbe ſitum, cum hujus loci monachis: quos rectore egere dicit, ſive jam obiiſſet Gregorius abbas, de quo ſupra, ſive is non ſatis curaret ſui monaſterii diſciplinam. Ejuſdem eſt argumenti epiſtola [c] ſequens, qua monachi quidam Surrentinæ diœceſis, conſimili vagandi licentia abrepti, & inſuper peculio ſtudentes, ad officium revocantur. Ad hæc prohibetur iis, qui a clericatu ad monachicam converſionem veniſſent, ne pro arbitrio ad ſuam revertantur eccleſiam, aut alterius curam ſumant, niſi epiſcopus eos ſacerdotio dignos judicaverit. Denique monachos nonnullos, qui uxores publice duxerant, ad priſtina monaſteria quantocius revocari jubet.

[a] Greg. lib. 1. ep. 12. * Orvietto.
[b] ibid. ep 38. & 39.
[c] ibid. ep 40.

Quanta vero ſollicitudine ſuper monaſticum ordinem ſanctiſſimus pontifex invigilaret, liquet ex alia epiſtola ad [d] Anthemium ſubdiaconum, in qua duo præcipit obſervatione in primis digna. Unum eſt, ut mulieres, quæ ad Orphiariam Tyrrheni maris inſulam metu barbarorum confugerant, ibidemque in oratorio beati Petri cum monachis conſiſtebant, ab eo loco amoverentur, & in vicina refugiorum loca migrarent. Alterum, ut, quia illius inſulæ, vicinarumque monachi duriſſimam vitam agebant, pueri in eiſdem monaſteriis ante annorum decem & octo ætatem non ſuſciperentur: &, ſi qui ſuſcepti jam fuiſſent, in Romanam urbem tranſmitterentur, ubi moderatior erat monaſtica diſciplina. quem locum perperam nonnulli detorquent ad monaſticæ profeſſionis tempus abſolute definiendum, quod Gregorius de illis tantum Tyrrheni maris inſulis, Orpbiaria, Palmaria, Pontia, & forte Gorgonia, ubi monachorum greges auſterius vivebant, ad octodecim annos differt.

[d] ibid. ep 48.

Gorgoniæ inſulæ proxima erat Corſica, in qua pia quædam matrona, Albina nomine, monaſterium conſtruxerat, cui inſtituendo Symmachus defenſor monachos a Gregorio petierat. Annuit vir ſanctus [e] eo pacto, ut alter locus ibidem munitus ad alteram monachorum coloniam diſponatur, *quatenus*, ait, *inſula ipſa, quæ monaſterium nunc-uſque non habuit, etiam in hujus converſationis via meliorari debeat.* Hujus rei cauſa Horoſium abbatem iſtuc miſit, cui etiam dedit in mandatis, ut in Gorgoniam inſulam ſe conferret ad corrigendos quoſdam exceſſus illius inſulæ monachorum. Reſtat alia hujus anni ad Petrum [f] ſubdiaconum, Siciliæ procuratorem jam laudatum, epiſtola, cujus hoc argumentum Johannes abbas Gregorio ſuggeſſerat, plurima ſe habere monaſterii ſui negotia, cui citra ſtatus ſui & animæ diſpendium vacare non poſſet; optabatque ſe optimi patris clementia hoc onere relevari. Id vero ad ſe pertinere Gregorius intellexit. nam ſicut ſtudii, inquit, noſtri eſſe condecet, a litigiis foralibus monachos ſubmovere, ut divinis miniſteriis pie ac ſollerter invigilent: ita neceſſe eſt noſtra proviſione, quemadmodum negotia eorum diſponi debeant, ordinare, ne diſtenta mens per varias cauſarum curas defluat, & ad celebrandum opus conſuetum ignava torpeſcat. Proinde Petro ſubdiacono mandat, ut Johannis abbatis negotia cuidam Fauſto, Romani viri magnifici actori, commendet. Expedit enim, inquit, parvo incommodo a ſtrepitu cauſarum ſervos Dei quietos exſiſtere: ut & utilitates cellæ, hoc eſt monaſterii, per negligentiam non pereant, & ſervorum Dei mentes ad opus dominicum liberiores exſiſtant. quæ ſententia utinam ita religioſorum animis infigeretur, ut etiam ſæculares ab eorum infeſtatione cohiberet!

[e] ib. ep 50.
[f] ib. ep 67.

Revertor in Galliam, ubi circiter hunc annum ad cælos migrarunt Launomarus XXV.

ANN. CHR. 590

Launomari abbatis obitus.

abbas Curbionenſis, & Theodulſus Horenſis monaſterii prope Remorum urbem.
Prior mortem ſibi imminere præſenuiens, diſcipulos ſuos, ut magis magiſque in dies
proficerent, ſibique invigilarent, hortabatur. Accerſitus in urbem Carnutum ab
epiſcopo, non Malehardo ſeu Malardo, ut in vulgatis actis legitur, ſed Pappolo,
qui ejus colloquio idemtidem ſe recreari gaudebat, gravi ſebrium vexarione tentari
cœpit. Mox epiſcopus cum inviſere, queri ac flere, quod ſe deſereret. quid ſolatii,
eo amiſſo, inter tot ſæculi miſerias reliquum ſibi futurum? At vir ſanctus: Deſine,
» inquit, immeritum deflere. eam eſſe humanam conditionem; nec terminum a Deo
» conſtitutum poſſe præteriri. Se vero ardenter cupere quantocius eripi ex his mi-
» ſeriis ad meliorem vitam; &, ſi optio hic remanendi daretur, mortem ſibi potiorem
» eſſe, quam imminentem regionis vaſtationem, mortes ac ſupplicia civium, quæ in-
» ſtabant, intueri; &, qui tantorum malorum cumulus eſt, locorum ſanctorum pro-
» fanationem. Ceterum ne pontifex tantopere ex hac prædictione doleret, quippe nec
» excidium provinciæ, nec urbis obſidionem viſurus. Obiit Launomarus ſenex ac ple-
nus dierum, XIV. kalendas Februarii, ſepultus cum beato Leobino epiſcopo in ſub-
urbana baſilica ſancti Martini. Non multo poſt ejus obitum, mortuo item, ut is
prædixerat, epiſcopo, civitas Carnutum [a] ab exercitu Theoderici Burgundiæ regis
obſeſſa eſt anno ſexto Betharii, qui Pappolo ſucceſſerat; ac tandem expugnata, opi-
danis ad deditionem compulſis ex aquæ penuria, utpote cuniculis, quibus ea in
urbem inferebatur, ab hoſtibus interruptis. Launomaro in Curbionenſis monaſterii
regimine ſucceſſit Ragnobertus abbas eximiæ virtutis, qui eccleſiam ſuam tanti pa-
troni corpore orbatam eſſe gravate ferens, quod precibus non poterat, arte obti-
nere molitus eſt. Duo quippe ejus cœnobii monachi, quibus id officii commiſit,
ad prædictum ſancti Martini *monaſterium* acceſſerunt, fingentes ſe cupere ibidem
admitti. Admiſſi quam primum impoſitam ſibi provinciam egregie exſecuti ſunt, ſub-
lato ſancti Launomari corpore, quod ad Curbionenſe monaſterium feſtinato tranſ-
tulerunt.

a Cheſn. t. 2. p. 560.

XXVI. Item, S. Theodulfi abbatis Horenſis.

Eodem fere tempore Theodulſus * abbas Horenſis poſt anonymum Theoderici,
primi ejus loci abbatis, ſucceſſorem, ad ſuperos migravit kalendis Maii, poſtquam
annos ferme quinquaginta monaſterium rexiſſet. Sonnatius [b] Remorum antiſtes ſæ-
» culo ſequente baſilicæ domni Theoderici portionem ſuam de villa Germaniaco cum
» omnibus ad ſe pertinentibus legavit; argentum quoque ad ſepulcrum domni Theo-
» derici fabricandum vel exornandum. Lando etiam paullo poſt quædam contulit mo-
» naſterio ſanctorum Theoderici & Theodulfi. Hunc Thomas Cantipratenſis, Tri-
themius, aliique nonnulli perperam confundunt cum Theodulfo abbate Trevirenſi,
» cujus corpus ipſius Thomæ tempore Treviris inventum eſt. Vidimus, inquit, [c] Tho-
» mas, & corpus cujuſdam ſancti, quod annis ferme ſexcentis integraliter manſerat
» incorruptum. qua autem occaſione hoc factum ſit, breviter enarrabo. In urbe Ger-
» maniæ Trevirenſi, totius Europæ antiquiſſima civitate, ſtructura quædam mira-
» bilis erat, quæ Helenæ Conſtantini matris palatium dicebatur. Hoc ne ab inimicis
» præoccuparetur in periculum civitatis, a civibus eſt deſtructum: in cujus latere, a
» parte aquilonari, oratorium parvum inventum eſt, in quo altare ex alabaſtro candi-
» diſſimum erat, & in latere dextro ſepulcrum. Hæc vero ſcriptura ſuper ſepulcrum
» legebatur:

* S. Theo.

b Frodoard. l. 2. c. 5. & 6. qui alius a Trevirenſi.

c Thomas Cantipr. l. 2. c. 53.

Sancte Theodulfe, noſtri petimus miſerere.

Addit Thomas, fratres Prædicatores iſtuc vocatos fuiſſe, ſeque permiſſu civium
manum ejus dexteram abſcidiſſe, ac fratribus Prædicatoribus apud Lovanium de-
diſſe. Omitto fabuloſa, quæ de beato Theoderico, ſancti Theodulfi, ut credebat,
fratre, ſubdit idem auctor, cujus Theoderici corpus in alia parte prædictæ ſtructuræ
incineratum inventum ſit. ubi Theodericum abbatem Horenſis monaſterii prope
Remos, & Theodulfum ejus diſcipulum, atque anonymo abbate intermedio ſucceſ-
ſorem, Trevirenſibus manifeſto errore attribuit, forte quod Horenſe monaſterium
cum Horreo parthenone ad muros Trevirenſes confuderit, & utrumque apud Tre-
viros ſepultum crediderit: cum conſtet ambos in Horenſi prope Remos cœnobio ſe-
pultos fuiſſe, eorumque reliquias ibidem hodie quoque religioſe aſſervari. Non ne-
gaverim tamen exſtitiſſe Theodulfum abbatem Trevirenſem, ſed alium a Remenſi,

Digitized by Google

haud ſcio an eum, quem ſalutat [a] Gogus, vir potens in aula Sigiberti regis, in epiſtola ad Petrum epiſcopum Metrenſem, his verbis: *Saluto Theodulſum, ſacri Domitiani abbatis ſimilem, de cujus ſepulcro roſarum virgulta prodierunt, moribus inſignem, & vita converſatione ſublimem. Saluto reliquos abbates, ſanctis templorum liminibus converſantes.* Quamquam Theodulfus iſte abbas videtur fuiſſe potius in urbe vel pago Mettenſi, quam Trevirenſi. Sed nihil obſtat, quo minus ejus corpus apud Treviros fuerit aſſervatum rempore Thomæ Cantipratenſis, id eſt medio ſæculo tertio-decimo. Forte is eſt Theodulfus [b] abbas, quem Domnolus Cenomannorum epiſcopus ſibi ſubrogari cupiebat, aſſentiente primum Chilperico rege, ſed poſtea Badegiſilum domus-regiæ majorem præferenre.

In fine ejuſdem epiſtolæ Gogus ſalutat abbatem quemdam, *cujus greſſibus indeſinenter ſanctorum limina viſitantur*, & qui *nunc ſuper Moſellæ litoribus præcelſa templi cernitur conſtruxiſſe jam culmina.* Præter Mettenſis urbis monaſteria, quorum ſuperius [c] mentio facta eſt, duo alia tunc temporis in eadem diœceſi condita ſunt: unum in honorem ſancti Hilarii ad Moſellam, Helera appellatum, cujus auctor & primus abbas exſtitit ſanctus Fridolinus: alterum Glanderiæ, non longe ab Hilariaco vico in monte Longæ-villæ, unde monaſterio nomen hæſit, in honorem ſancti Martini, cujus originem Arnoaldo, Anſberti ducis filio, tribuunt. Non dubito quin ſuperioris epiſtolæ locus de Fridolino abbate, & de Helera ad Moſellam cœoobio ab eodem conſtructo intelligendus ſit. Fridolini acta in veteri codice Helerenſi legit, lectumque ex memoria poſtea in litteras retulit Baltherus clericus Secanienſis ſeu Seckingenſis, duoſque hac de re libellos Notkero ſancti-Gallenſi, præceptori quondam ſuo, nuncupavir. Fridolinus, ſeu, ut in codice Helereoſi legebatur, Fridoldus, natione Scotto-Hibernus, in Galliam appulſus, diu in Pictavenſi ſancti Hilarii monaſterio habitaſſe, ibidemque tandem abbas fuiſſe dicitur. Poſtea in Auſtraſianas partes profectus, poteſtate a rege accepta, mooaſterium in honorem ſancti Hilarii conſtruxit, quod Baltherus aliquando inviſit, & *juxta Moſellæ litus ſitum*, atque *Heleram* dictum fuiſſe teſtatur. Longe ergo aberrant plerique, qui hoc monaſterium idem eſſe putant cum Hilariaco monaſterio ſeu Nova-cella: quod prope Saram fluvium, ſed longe a Moſella ſitum, oon Fridolinum, ſed Sigivaldum epiſcopum Mettenſem conditorem agnoſcit, non ſexto ſæculo, ſed octavo: quod in honorem, non ſancti Hilarii, ſed ſancti Pauli apoſtoli principio conſtructum; dein ſancti Naboris, ob corpus hujus ſancti martyris a Chrodegango epiſcopo iſtuc tranſlatum, nomen accepir. Supereſt in hunc uſque diem hoc ſancti Naboris * monaſterium ſub Benedictina congregatione ſancti Vitoni; uti & Longæ-villenſe *: at Helereoſe jam dudum exſtioctum eſt.

Non diu hic ſubſtitit Fridolinus, ſed inde progreſſus, varias ubique eccleſias omnes in honorem ſancti Hilarii, erga quem impenſe affectus erat, ædificavit; comperpe in Voſago, Argentorati, & Curiæ in Rætia. Præcipuum fuit cœnobium virginum in inſula Rheni dicta Secaoia, nuoc Seckinga, haud procul ab Auguſta * Rauracorum, poſſeſſiones ſuppeditante Urſione, nobili viro, ex urbe Clarona *, quæ caput eſt cognominis pagi Helvetici. Fallitur Balrherus, cum hæc omnia, Chlodovei primi Francorum regis conceſſione, facta commemorat, quæ nonniſi ſub poſteris ejus regibus contigere. Auctor iſte res a beato Fridolino, ante & poſt obitum patratas, duobus libris compreheodit, quos Notkero monacho ſancti Galli ſuo quondam magiſtro, ut jam dixi, nuncupavit. Sex fuere hoc nomine ſancti Galli cœnobitæ. Primus cognomento Balbulus, vir ſanctus, ſcriptis & doctrina clarus qui anno duodecimo ſupra nongenteſimum vivere deſiit. Secundus, ejuſdem loci decanus ſub Ottone primo imperatore. Tertius Ottonis ſecundi ſacellanus & præceptor. Quartus item decanus ſæculo undecimo. Quintus, Junior dictus, qui librum de caſibus monaſterii ſancti Galli ſub medium ſæculum duodecimum compoſuit Sextus denique vitam Notkeri ſenioris, id eſt Balbuli, craſſa minerva ſcripſit pontificatu Innocentii tertii. Baltheri libellos duos, non ſeniori, ut Bollandi continuatoribus viſum eſt, ſed uni e poſterioribus fuiſſe nuncupatos, inde colligitur, quod tum in præfatione, tum in fine libri ſecundi mentio fit de incurſu ſeu impreſſione paganorum *jam olim* facta in Secaniam inſulam, quod Stumphius accidiſſe tradit anno nongenteſimo triceſimo-octavo; atque adeo poſt mortem Notkeri ſenioris: quo anno Hungari hanc inſulam invaſerunt, ſed inde poſtea ſuot repulſi. Certe Leonin

ANN. CHR. 590.

verſus a Balthero relati, poſterioris ævi genium ſapere videntur. Hic auctor exiſtimavit, puellas Secanienſes *canonicam ſanctimonialium vitam* ab initio duxiſſe, nempe habita ratione ſui temporis, quo a monachico habitu & inſtituto ad canonicarum mores deflexerant. Verum tempore Fridolini abbatis nullas in cœnobiis puellas præter monachas exſtitiſſe, nec niſi Caroli Magni principatu hoc vitæ genus inſtitutum fuiſſe ſuo loco demonſtrabimus.

XXVIII. S. Domitianus abbas Bebronnenſis.

Gogus, ſuperius laudatus, in epiſtola ad Petrum epiſcopum Mettenſem, ſalutando Theodulfum abbatem, ait eum ſimilem eſſe *ſacri Domitiani abbatis, de cujus ſepulcro roſarum virgulta prodierunt.* Is mihi videtur eſſe Domitianus abbas & auctor monaſterii Bebronnenſis diœceſis Lugdunenſis, quod poſtea ſancti Ragneberti nuncupatum eſt. In ejus vita, quam Guicheno vulgavit, Romæ natus dicitur ex nobilibus parentibus, Philippo & Marcianilla; atque inde in Lirinenſe monaſterium ſe recepiſſe. Iſtic uno tantum anno converſatus, dein vitæ eremiticæ ſtudio in quemdam locum pagi Lugdunenſis ſeceſſit ad torrentem Bebronnam, haud longe a montibus Jurenſibus: ubi oratoria duo, unum in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ, alterum ſub titulo ſancti Chriſtophori conſtruxit, juſſu Eucherii epiſcopi Lugdunenſis dedicata. Aliud poſtmodum erexit ſecus viam propter frequentiam tranſeuntium, quod ſanctus Eucherius itidem in honorem ſancti Geneſii conſecravit. Erat in illis partibus vir genere & opibus pollens, Latinus nomine, ſectæ Arianæ, cujus conjux Syagria, catholicæ fidei impenſe addicta, virum ſuum ab errore quam maxime cupiebat revocare. quod quidem Domitianus feliciter exſecutus eſt. Accepti beneficii memor Latinus, quaſdam res proprietatis ſuæ, juxta caſtrum Bellicenſe ſitas, *ſervis Dei Domitiano, & ſociis ejus eremitis* conceſſit. Loci fama creſcente, cœperunt nobiles viri non pauci iſtuc confluere, habitum religionis ſuſcepturi. Numerus crevit ad viginti-quinque fratres, quibus Domitianus, jejuniis & vigiliis non minus, quam ſenio attritus, Johannem abbatem ſuffecit. Demum, mortis ſuæ præſcius, juſſit abbatem fratreſque adeſſe, & ſacra miſſarum ſollemnia celebrari; acceptoque ſacroſancto corporis Chriſti viatico, animam Deo commendavit kalendis Julii. Corpus ejus ſepultum eſt non longe ab altari ſancti Geneſii. Hæc carptim ex vitæ ſcriptore anonymo, qui in aſſignanda ejus ætate allucinatus eſt, cum eum Juliani apoſtatæ principatu vixiſſe ſcribit. quod quidem falſum eſſe convincitur, tum ex pontificatu Eucherii epiſcopi Lugdunenſis, haud dubie junioris, tum ex tempore Syagriæ Latini uxoris, qui ſub finem ſæculi quinti & ſexti initium vixere. Hæc eſt illa Syagria, nobilis & pia matrona, laudata in actis ſancti Augendi abbatis Condateſcenſis, ubi *eccleſiarum, monaſteriorumque mater per eleemoſynam* vocatur; & ab Ennodio in libello de vita ſancti Epiphanii epiſcopi Ticinenſis, ubi ſancto pontifici, in Gallias ad redemtionem captivorum miſſo, opes ſuas profudiſſe dicitur, *Theſaurus eccleſiæ Lugdunenſis* appellata. In præmiſſis ſancti Domitiani actis nulla fit mentio de miracolo roſarum, cujus prædicta Gogi epiſtola meminit; neque in martyrologiis Uſuardi & Adonis, quibus honorifice adſcriptus eſt kalendis Julii.

XXIX. Lugdunenſe monaſterium S. Petri.

a *Greg. Tur. lib.* 10. *c.* 8.

Admonemur hoc loco agere de puellari ſancti Petri apud Lugdunum monaſterio, cujus prima hoc anno certa & explorata mentio nobis occurrit apud Gregorium [a] epiſcopum Turonenſem, ubi Eulalius Arvernorum comes, Tetradia conjuge Deſiderio Duci adhærente, puellam, *ex monaſterio Lugdunenſi* raptam, inceſto ſibi connubio junxiſſe perhibetur. quod non de alio, quam de ſancti Petri parthenone interpretandum videtur, cujus obſcuram originem hic inveſtigare nobis incumbit. Sanctæ-Marthani ſatis habuerunt dicere, monaſterium eſſe nobilium feminarum Ordinis ſancti Benedicti: nec plura de tam illuſtri cœnobio. Si genuinum eſſet ſancti Annemundi Lugdunenſis epiſcopi teſtamentum, quod in archivo ſancti Petri ſervatur; hujus parthenonis primus auctor agnoſcendus foret Albertus, vir nobiliſſimus, qui unus ex primis converſis exſtitit non poſt multum tempus paſſionis ſancti Irenæi, ſociorumque ejus: qui Albertus fundum ad conſtruendum monaſterium cum multis prædiis conceſſiſſe; & duas ibi filias ſuas, quarum una Radegundis, altera Aldagundis, conſecraſſe dicitur, uti & Pernetam, fratris ſui Silvini filiam, cognomento Sibyllam. Verum in eodem archivo exſtat vetus inſtrumentum melioris notæ, datum anno Guntchramni regis viceſimo-ſexto, quo Girartus quidam cum uxore ſua Gimbergia, res ſuas eidem parthenoni tradit propter Adaltrudam filiam ſuam, ſponſam Chriſti benedictam in monaſterio, quod eſt dedicatum in honorem ſancti Petri, ſi-

AN. CHR. 590.

tum in Lugdunenſi civitate inter Rhodanum & Ararim, ſubſtructum a rege Gaudikelro (ita legit Stephanotius noſter) & a regina Theudelinda ſponſa ſua piiſſima. Verum quis fuerit iſte Gaudikelrus, corruptum haud dubie vocabulum; cujuſve provinciæ rex fuerit, non minus obſcurum, quam monaſterii origo. An forte is eſt Gundicarius Burgundiæ rex medio ſæculo quinto, qui in prœlio Catalaunico contra Attilam occubuit? Aſt Ariani erant Burgundionum reges. Sed quid ſi uxor ejus Theudelinda catholicæ religioni adhæſerit, condideritque monaſterium ſancti Petri, conſentiente rege, immo etiam favente? At rectius forte exiſtimare licet, hoc loco legendum eſſe Godegeſilum, Gundobadi fratrem, ex parte Burgundionum regem Arianum, ac Theodelindam ejus uxorem, quæ ineunte ſæculo ſexto Genevæ, ubi regnabant, magnificentiſſimam baſilicam ædificaſſe, & ſancti Victoris martyris reliquias in eam Soloduro tranſtuliſſe [a] perhibentur. Favet illius parthenonis traditio, quæ *Godeſilum* (ſic quidam mſſ. nomen contrahunt) primum ejus conditorem agnoſcit. Certe Chilpericus rex Burgundionum, & ipſe Arianus, Lupicino abbati Jurenſi ejuſque fratribus præceptionem ſeu regium diploma dedit *apud Janubam* * *urbem*, ut annis ſingulis trecentos modios tritici, ejuſdemque menſuræ numero vinum acciperent, & centum aureos ad comparanda fratrum indumenta. quod uſque nunc, ait Gregorius [b], a fiſci ditionibus capere referuntur. Ut ut eſt, idem ſancti Petri monaſterium ſæculo ſeptimo inſtauravit Annemundus Lugdunenſis antiſtes, & poſt eum Leydradus epiſcopus labente ſæculo octavo, uti probat ejuſdem Leydradi epiſtola ad Carolum Magnum. Primæ loci abbatiſſæ, ſi quia fides prædicto ſancti Annemundi teſtamento, exſtiterunt, Raymundia & Wandamodia, itemque Radagundis & Animonia, Annemundi temporis æquales: quibus Luciam & Petronillam, ejuſdem ſorores, unam poſt alteram, ſucceſſiſſe tradunt. Leydradus in parthenone ab ſe reſtituto inſtituit triginta-duas ſanctimoniales, quibus Adalaiſiam abbatiſſam præfecit.

[a] Valeſ. rer. Franc. lib. 16. p. 512.

* Genevæ.

[b] Greg. Tur. de vit. Patr. c. 1.

XXX. S. Nicetii abbas Auſtregeſilus.

Per idem fere tempus Auſtregiſilus, Guntchramni mapparius, qui ſcilicet regi manus lavanti mappam ſolebat præbere; cum repetundarum falſo inſimulatus fuiſſet, uſus deprecatore [c] Ætherio, viro inter aulæ proceres præſtantiſſimo, cujus fidei omnia arcana ſua Guntchramnus committebat; a rege impetravit, ut ejus permiſſu ad clerum tranſire ſibi liceret. Annuente principe, acceptiſque ab eo litteris, Autiſiodori ab Aunachario ſeu Aunario epiſcopo clericus factus, & ſubdiaconus ordinatus eſt. Deinde ad Ætherium, jam Lugduni epiſcopum, acceſſit: a quo benigniſſime acceptus, preſbyter & abbas ſancti Nicetii epiſcopi & confeſſoris baſilicæ inſtitutus eſt. Is cum in quadam baſilica prope Genevam miſſas celebrare vellet, atque ad ſacrificium neceſſaria deeſſent; vinum & aquam miraculo impetravit, quæ fruſtra perquiſierat Marculfus eo tempore lector, poſtmodum ejuſdem baſilicæ abbas. Demum mortuo Apollinare Bituricenſi epiſcopo, in ejus locum Auſtregiſilus ſubrogatus eſt, ut ſuo loco dicturi ſumus.

[c] Sæc. 2. Bened. p. 66. & ſeqq.

AN. CHR. 591.

XXXI. Aredii abbatis obitus.

ANno Childeberti regis ſexto-decimo, Guntchramni triceſimo, qui Chriſti Domini nonageſimus-primus ſupra quingenteſimum erat, beatus Aredius abbas Atanenſis in cælum migravit. Is, ut legitur in libro de ejus vita, qui Gregorio Turonenſi tribuitur, nullum tempus elabi ſinebat, quo non aut lectioni, aut orationi vacaret, aut manibus operaretur, maxime ſacros codices deſcribendo, quos in vicinas *diœceſes*, id eſt parœciales eccleſias, diſtribuebat. Turonos profectus ad celebritatem ſancti Martini, quæ IV. nonas Julii celebratur, Gregorio [d] epiſcopo dixit, ſe brevi moriturum. Inde in cellulam ſuam (ſic Gregorius Atanenſe monaſterium vocat) revertit, ordinatiſque omnibus, ſanctos Martinum & Hilarium teſtamento heredes bonorum inſtituit; Atanenſeſque monachos ſub ſancti Martini tutela & patrocinio vivere juſſit. Paucis poſt diebus, nimirum VIII. kalendas Septembris, dyſenteria oppreſſus deceſſit, octogenario major; ejuſque corpus in monaſterii ſui oratorio, quod beato Juliano martyri ſacratum erat, a Ferreolo epiſcopo Lemovicenſi humatum eſt. Succeſſit in monaſterii regimine Aſtedius nepos, ab eo deſignatus abbas, qui e vicino monaſterio Voſienſi, cui præerat, accerſitus, cum venire diſtuliſſet, mortuum reperit. Non multo poſt ejus obitum, quidam monachus Atanenſis, nomine Baudenus, cum inſtrumentis chartarum, quibus monaſterii poſſeſſiones contentæ erant, ad regem Burgundiæ perrexit, ut regio diplomate denuo

[d] Greg. Tur. lib. 10. c. 29.

ANN. CHR. 591. confirmarentur. id quod facile impetravit interventu Syagrii Æduenſis epiſcopi, cujus magna erat in palatio auctoritas. In eo itinere delatum eſt a Baudeno chriſmarium, ſanctorum reliquiis refertum, quod ſanctus Aredius geſtare conſueverat: cujus chriſmarii contactu ægri nonnulli ſanitati reſtituti fuere. Miracula ad ſancti viri tumulum patrata partim deſcripſit Gregorius Turonum antiſtes, partim auctor anonymus, cujus libellus in tomo quarto Analectorum & in appendice Gregorii Turonenſis operum editus eſt. In his mentio fit de Gandomero monacho *de monaſterio Ambacianis*, aliis *Ambiacini*, quod *non longe ab urbe* Lemovicina ſitum erat: qui Gandomerus infeſtatione dæmonis ad ſancti viri tumulum liberatus eſt, diruptis catenis, quibus adſtrictus tenebatur. Hic locus antiquitatem probat Ambaciacenſis * monaſterii, ſiti haud procul a Mureto, jam pridem ſubjecti Benedictinæ abbatiæ ſancti Auguſtini intra muros Lemovicenſes. Plura in conſequentibus de Atanenſi monaſterio; quod proceſſu temporis converſum eſt in collegium triginta-duorum canonicorum ſæcularium, ſubjectum Turonicæ baſilicæ ſancti Martini, ab auctore ſancti Aredii * cum circumpoſito opido appellatum.

* *Ambazac.*

* *S. Trier la Perche.*

XXXII. Gregorii M. epiſtolæ monaſticæ.

Gregorii Magni liber ſecundus epiſtolarum, uti & liber ſeptimus, duas earum claſſes continet: unam epiſtolarum triginta-novem per indictionem decimam, quæ a menſe Septembri hujus anni ducit initium: alteram ſexaginta-ſex per indictionem undecimam, quæ initium ducit a Septembri anni ſequentis, pro more pontificiæ indictionis. In aliis libris, præter ſecundum & ſeptimum, nulla habita eſt ratio duplicis per annos ſingulos indictionis. Inter libri ſecundi epiſtolas primæ claſſis obſervatione digna eſt epiſtola viceſima-quarta: cui adjungendæ ſunt ex libro duodecimo aliæ duæ ejuſdem argumenti, eodemque tempore ſcriptæ, nempe viceſima-ſexta & triceſima, quas loco ſuo motas eſſe conſtat: tum quia Maximianus, cui prior inſcripta eſt, mortuus eſt anno quingenteſimo nonageſimo-ſexto, currente indictione quinta-decima; ac proinde longe ante indictionem ſeptimam ſequentem, qua libri duodecimi epiſtolæ præditæ eſſe debent: tum quia Gregorius in poſteriori epiſtola triceſima Petrum ſubdiaconum Siciliæ procuratorem monet, ut *penſiones nonæ & decimæ indictionis*, id eſt anni nonageſimi & nonageſimi-primi, ſecum afferat. In his tribus epiſtolis agitur de excommunicatione, quam Maximianus, ex abbate ſancti Andreæ Syracuſanus epiſcopus, leviori ex cauſa, & ex animi commotione inflixerat Euſebio abbati, homini ſeni & religioſo, & jam dudum ipſius Maximiani familiari & amico. De eo ita ſcribit [a] Gregorius Maximiano epiſcopo. Frequenter

Excommunicatio fit rara & moderata.

[a] *Greg. M. lib. 12. ep. 26.*

» me admonuiſſe vos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus de-
» beretis. Et nunc ecce cognovi, quia reverendiſſimum virum, abbatem Euſebium,
» commota furore veſtra fraternitas excommunicavit. quod ego valde miratus ſum,
» ut non antiqua ejus converſatio, non ætas longa, non ægritudo diuturna, ab ira
» veſtrum animum flecteret. Quilibet enim in eo fuerit exceſſus, ipſa ægritudinis
» afflictio ei debuit pro flagello ſufficere. Quem enim divina diſciplina conterit, ei
» humana flagella addi ſuperfluum fuit. Sed fortaſſe ideo excedere in tali perſona
» permiſſus es, ut cautior in vilioribus fias; & diu trutines, cum aliquem per ſenten-
» tiam ferire diſponis. Eumdem tamen præfatum virum quanto furore exaſperaſti,
» tanta nunc dulcedine conſolare: quia valde injuſtum eſt, ut qui te plus amave-
» runt, ipſi te ſine cauſa atrociorem contra ſe ſentiant. Sane optandum eſſet, ut hanc moderatiſſimi pontificis admonitionem ob oculos ſemper haberent prælati, ut in ferenda ejuſmodi ſententia nec præcipites, nec faciles eſſent, nec eam umquam ob leviores cauſas, aut ex animi commotione adhiberent, numquam ad ulciſcendas, quod Gregorius alibi improbat, privatas injurias.

XXXIII. Injuſta ut ferenda.

Sed miranda eſt ſummi pontificis prudentia in epiſtola [b] ad Euſebium abbatem, qui redditam ſibi a Maximiano communionem accipere detrectabat. Digna ſane eſt

[b] *Id. lib. 2. ep. 24. indict. 10.*

» hæc epiſtola, ut integra hoc loco etiam exhibeatur. Credat mihi caritas tua, quia
» valde contriſtatus ſum de triſtitia tua, ac ſi in te injuriam ipſe pertuliſſem. Sed
» cum poſtmodum agnovi, quia etiam reddente reverendiſſimo viro fratre & coëpiſ-
» copo noſtro Maximiano, gratiam atque communionem, tua dilectio ab eo com-
» municare nolebat; cognovi & illud prius juſtum fuiſſe quod factum eſt. Servorum
» Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere. Qui vero ſe contra præpoſi-
» tos ſuos erigunt, profecto oſtendunt, quia ſervi Dei eſſe contemnunt. Et quidem
» ab illo hoc, quod factum eſt, minime fieri debuit: a te tamen omnino debuit hu-

militer

Digitized by Google

militer ſuſcipi: & rurſum, cum gratiam reddebat, ad eum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita a te factum non eſt, adhuc cognoſco, quia nobis omnino lacrymarum opus eſt. Non enim grande eſt, iis nos eſſe humiles, a quibus honoramur: quia & hoc ſæculares quilibet faciunt: ſed illis maxime humiles eſſe debemus, a quibus aliqua patimur. nam Pſalmiſta dicit: *Vide humilitatem meam de inimicis meis.* Nos cujus vitæ ſumus, qui humiles eſſe etiam patribus nolumus? Proinde, dilectiſſime fili, rogo, ut omnis amaritudo de corde tuo tranſeat: ne forte taſſe finis vicinus ſit, & antiquus hoſtis, per iniquitatem diſcordiæ, viam regni cæleſtis intercludat. Præter ea centum ſolidos per Petrum ſubdiaconum dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto ut abſque injuria ſui ſuſcipias. Hactenus aurea Gregorii epiſtola, qui ut exaſperatum Euſebii animum permulceret, dato centum ſolidorum munere, eum ad concordiam cum Maximiano reſarciendam invitavit. De hoc munere Petro ſubdiacono ita [a] præcipit: Euſebio autem abbati dare te volumus auri ſolidos centum, quos tuis certum eſt rationibus imputari.

AN. CHR. 591.

[a] id. lib. 12. ep. 30.

Duo tunc erant apud Syracuſas monaſteria: unum ſanctæ Luciæ, extra muros ſitum, eo in loco, ubi beata virgo martyrium paſſa eſt: alterum ſancti Petri ad Baïas: cujus abbas Cæſarius cum Johanne abbate monaſterii ſanctæ Luciæ contentionem habuit, teſte [b] Gregorio, qui in aliis etiam [c] litteris de hoc monaſterio agit. Utri, an alterutri præfuerit Euſebius, ignoramus, uti & cauſam diſcidii, quod cum Maximiano habuit. Ad Cæſarium quod attinet, *abbas venerabilis* appellatur a Gregorio, eumque Johanni Syracuſano commendat, quia olim ſuum, id eſt ſancti Andreæ in urbe Roma, monachum.

[b] id. lib. 6. ep. 36.
[c] ibid. & lib. 8. ep. 5.

XXXIV. Prætorianū in Sicilia monaſterium.

In eadem epiſtola pontifex Petrum ſubdiaconum excitat ad urgendam conſtructionem monaſterii Prætoriani, unius ex illis ſex monaſteriis, quæ in Sicilia ædificavit. Fratre autem Mariniano abbate indicante cognovi, quia fabrica in Prætoriano monaſterio, nec ad medietatem quidem adhuc perducta eſt. Ex qua re quid aliud, quam fervorem experientiæ tuæ collaudemus? Sed vel nunc admonitus excitare, &, quantum potes, in ejuſdem monaſterii conſtructione te exhibe. Deinde Petrum monet, ut talem poſt ſe in Sicilia relinquat ſucceſſorem, qui hanc fabricam quantocius abſolvat. In fine epiſtolæ, codicem heptatici ex ſubſtantiâ Antonini eidem monaſterio dari præcipit. Ad hæc Victori [d] Panormitano epiſcopo ſcribit, ut, quia monachorum congregatio, quæ in monaſterio Prætoriano conſiſtit, pro ſacris miſſarum ſollemniis peragendis preſbyteri indigere probatur officio, atque de ſua ſibi congregatione in hoc ordine poſtulant conſecrandum; ipſe eum ordinet, quem ſibi de congregatione ſua unanimes duxerint eligendum, jugiter illic permanendum. Id regulæ [e] ſancti Benedicti congruit, præcipientis, ut, ſi quis abbas ſibi preſbyterum aut diaconum ordinare petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit ſacerdotio fungi. Ad quem locum Hildemarus obſervat, ejuſmodi ordinandum toti congregationi proponi ſolitum ad ejus mores diſcutiendos, ut ex omnium ac ſingulorum ſuffragiis cognoſceretur, an is dignus eſſet ſacerdotii honore.

[d] id. lib. 7. ep. 23. indict. 2.
[e] S. Bened. c. 62.

XXXV. S. Hermetis abbas Marinianus.

Marinianus, in ſuperiori ad Petrum epiſtola memoratus, abbas erat Panormitani monaſterii ſancti Johannis-Baptiſtæ, alio nomine ſancti Hermetis dicti, ob ædiculam ſancti martyris eidem monaſterio adjunctam. Poſtea ſancti Johannis de Eremitis vocabulum locus obtinuit: quod alterum eſt monaſterium a Gregorio in Sicilia ædificatum: cujus abbas Marinianus itidem aſſumtus fuit ex Romano ſancti Andreæ monaſterio, ubi cum [f] Gregorio converſatus fuerat. Generalem Benedictinorum ſeu Gregorianorum in Sicilia monaſteriorum præpoſitum fuiſſe Marinianum cenſet Rochus Pirrus in libri quarti parte ſecunda, ubi Sicilienſes ordinis ſancti Benedicti abbatias commemorat. Quanti hunc abbatem faceret idem pontifex, teſtatur in primis ejus epiſtola [g] Mariniano abbati de Panormo, & Benenato notario rectori patrimonii Panormitani inſcripta, qua excommunicationis, a Victore epiſcopo in Bonifacium, virum clariſſimum, latæ cognitio eis demandata eſt. Eidem curam committit [h] inſtaurandæ ſancti Georgii eccleſiæ, ſitæ in loco, qui Ad-ſedem dicitur, cui contiguum erat ejus monaſterium. quæ epiſtola, itidem extra ordinem poſita, prior eſt aliâ, Andreæ [i] ſcholaſtico directâ, qua Marinianum, in Ravennenſi eccleſia antiſtitem a ſe ordinatum, ipſius Andreæ colloquiis relevari cupit, *quia ad epiſcopatum venit invitus.* Eidem Mariniano, in ſancti Hermetis monaſterii regimine & præfectura aliorum generali, ſuffectus eſt Urbicus, in cujus monaſterio ut preſ-

[f] Greg. lib. 4. ep. 45.
[g] id. lib. 2. ep. 17. ind. 11.
[h] id. lib. 9. ep. 68.
[i] id. lib. 4. ep. 43.

AN. CHR. 592.

a *Id. lib. 5. ep. 41.*

» byterum ordinaret, Victori epiſcopo [a] ſcripſit in hæc verba. Urbicus abbas monaſ-
» terii ſancti Hermæ, quod Panormi ſitum eſt, a nobis cum congregatione ſua magnopere
» poſtulavit, in eodem monaſterio preſbyterum, qui ſacra miſſarum ſollemnia
» celebrare debeat, ordinari. Et quia ejuſmodi non eſt differenda petitio, fraterni-
» tatem veſtram ſcriptis præſentibus neceſſario duximus adhortandam, ut eum, qui
» ad hoc miniſterium de eadem congregatione electus fuerit; cujus vita, mores, &
» actio tanto poſſit miniſterio convenire, ſine mora, auxiliante Domino, debeat con-
» ſecrari: quatenus nec ille de monaſterio ſuo hac pro cauſa egredi, nec extraneum
» ſibi ad peragendum ſacrum opus cogatur adducere. Qua ex epiſtola, uti & ex alia ejuſdem argumenti ſuperius relata, colligitur, paucos tum in Italicis monaſteriis preſbyteros fuiſſe; ſed longe plures in aliis locis, maxime apud orientales. Quamquam ipſe Urbicus abbas jam preſbyter erat, ſaltem cum Gregorius ſcribebat epiſtolam Venantio [b] Patricio Panormitano, ubi electionem de Urbico factam laudat, nempe ad epiſcopatum Panormitanæ eccleſiæ, in qua Victori epiſcopo ſucceſſit.

b *id. lib. 11. ep. 14.*

ANN. CHR. 592.

XXXVI. Abbatis vitia notata.

c *id. lib. 2. ep. 3. ind. 11.*

d *id. lib. 4. ep. 48.*

PErſequor epiſtolas Gregorianas, quæ ad diſciplinam monaſticam pertinent. Has inter inſignis eſt [c] Johanni abbati inſcripta, in qua eum arguit, quod opinio mo-
» naſterii per ejus negligentiam inquinata ſit: eumdem monens, ut ne frequentius
» foras egrederetur pro cauſis negotiorum, in quibus procurator inſtituendus eſſet,
» ut ipſe lectioni atque orationi vacare poſſet; curaretque fratres ſimiliter lectioni
» vacare. Is videtur eſſe Johannes abbas de Regio, ad quem aliam [d] Gregorius epiſtolam ſcripſit. In monaſterio ſancti Martini quod circa Neapolim ſitum erat, Secundinus abbas ante adeptam dignitatem in carnale crimen lapſus fuerat. Hunc ab officio amoveri; & Theodoſium, quem congregatio ejus loci ſibi ordinari petierat, in ejus locum ſubrogari jubet Gregorius in epiſtola [e] ad Petrum ſubdiaconum Campaniæ: indignum ratus, ut ad abbatis ordinem aſcenderet tanto facinore coinquinatus, quanto magis ſi id in ipſa dignitate perpetraſſet? In alia epiſtola [f] pontifex baptiſterium ab oratorio monaſterii amoveri præcipit *propter inſolentias monachorum*: id forte non facturus, ſi monachi in officio perſeveraſſent. Ad hæc novum parthenonis ſanctæ Mariæ, cui Gaudioſa abbatiſſa præfecta erat, oratorium conſecrari per Fortunatum epiſcopum Neapolitanum vir ſanctus [g] petit: ſed ita ut neque ipſe, neque ejus preſbyteri quidquam ſibi iſtic vindicent *præter diligentiam diſciplinæ.* An ſine pontificis permiſſu in illis partibus oratorium conſecrari ab epiſcopo non licebat? Sane id ſuadere videntur aliæ Gregorii epiſtolæ, quod tamen dubitando potius dictum velim, quam aſſerendo. Poſtremo conqueritur [h] Gregorius de lege injuſta, qua Mauricius auguſtus prohibuerat, ne milites in monaſteriis ſuſciperentur: ſecus de alia lege ſanciente, ut quiſquis publicis adminiſtrationibus fuiſſet implicatus, ei ad eccleſiaſticum officium venire non liceret, quod pontifex probat, niſi [i] prius rationibus publicis eſſet abſolutus. Aliam vero legem hac ratione potiſſimum refellit, quod,
» etſi multi ſint, qui poſſunt reli-
» gioſam vitam eum ſæculari habitu ducere; plerique tamen, niſi omnia reliquerint,
» ſalvari apud Deum nequaquam poſſint. Ceterum ſe ſcire ait multos tempore
» ſuo milites in monaſteriis converſos, qui miracula fecerunt, ſigna & virtutes operati ſunt. «

e *id. lib. 2. ep. 23. ind. 11.*

Baptiſterium in monaſterio.

f *ibid. ep. 17.*

g *ibid. ep. 59.*

Oratorii monaſtici dedicatio.

h *ib. ep. 62.*

Milites monachi.

i *id. lib. 7. ep. 11. ind. 1.*

XXXVII. Claudius abbas Claſſenſis.

k *id. lib. 2 ep. 32. ind. 10.*

Hoc anno Claudius abbas, Gregorii diſcipulus, Claſſenſi prope Ravennam ſanctorum Johannis & Stephani monaſterio jam præerat, ut ex epiſtola Johanni [k] epiſcopo Ravennæ ab ipſo Gregorio ſcripta intelligitur. Johannes inter alia petierat, ut incenſæ civitati Severi ſchiſmatici, nempe Aquileienſis epiſcopi, qui tria capitula recipere detrectabat, eleemoſyna mitteretur. Reſpondet Gregorius, mi-
» ſericordiam prius fidelibus, ac poſtea eccleſiæ hoſtibus eſſe faciendam. Juxta eſſe
« civitatem Fanum, in qua multi captivi detinerentur. Iſtuc mittendum cum aliquan-
« ta pecunia Claudium abbatem ad eos redimendos. Nnn ergo improbabat Gregorius abbatis e monaſterio egreſſum ob pias cauſas. Id etiam in conſequentibus patebit multis aliis exemplis, quod dixerim ob ſuperiorem epiſtolam ad Johannem abbatem Regienſem, cujus frequentiores ob leves cauſas diſcurſus Gregorius carpit. Idem Claudius Romam identidem ab eodem invitatus ventitabat, de rebus ſacris cum eo tractaturus. Hinc in alia ad eumdem epiſtola [l] pontifex ait, ſe fruſtra-

l *lib. 9. ep. 92.*

tum fuiſſe exſpectatione ſperati ejus adventus cum Severo epiſcopo Anconitano, qui ad beati Petri limina venerat: petitque, ut poſt aliquantum temporis iſtuc accedat, ut uſque ad quinque vel ſex menſes ſecum commoretur. quam epiſtolam, extra ordinem itidem poſitam, in hunc locum referre viſum eſt. Huic forte reſpondet alia [a] ad Marinianum epiſcopum Ravennatem, apud quem ſe excuſat pontifex modeſtiſſimus, quod communem filium, Claudium abbatem, longa apud ſe mora retinuerit ob ingens ſui in verbo Dei ſolatium; libenter eum diutius remoraturus, niſi & is ad ſuum monaſterium reverti feſtinaſſet, & Gregorius ipſe congregationi fratrum præſentiam ejus omnino neceſſariam judicaſſet.

ANN. CHR. 592.

[a] lib. 7. ep. 19. ind. 1.

XXXVIII. Hoc anno vel ſubſequente (nam peritiores hiſtoriei noſtrates utroque trahunt) Guntchramnus, nulla virili relicta prole, Burgundiæ regnum Childeberto Auſtraſiorum regi, Sigiberti fratris ſui filio, moriendo reſignavit, prætermiſſo Chlothario, quem Chilperici, germani itidem ſui, ex Fredegunde filium legitimum eſſe pro explorato non habebat. Auctor geſtorum Francorum atque Ado Guntchramno regni annos dumtaxat triginta & unum tribuunt: Fredegarius, ætate, forſan & auctoritate, utroque ſuperior, ait, eum anno tertio ac triceſimo regni ſui anno, quinto kalendas Aprilis obiiſſe. Hinc nata ſcriptorum noſtratium in aſſignando Guntchramni obitus anno diverſitas: quam notaſſe hoc loco juvat, at diſcutere noſtra nihil intereſt. Ejus corpus Cabiloni in ſuburbana ſancti Marcelli martyris baſilica, a ſe, uti diximus, conſtructa, honorifico, ut par erat, funere conditum eſt. Rex fuit, ſi quis alius, religioſiſſimus, pietatis non minus, quam pacis ac tranquillitatis amans, erga eccleſias & monaſteria optime affectus: cujus rei nullum magis idoneum afferre poſſumus teſtimonium, quam concilia epiſcoporum variis in locis ab ipſo indicta, quos inter ſacerdotem agebat, non principem; largiſſimæ donationes eccleſiis & monaſteriis factæ, in primis baſilicæ ſancti Marcelli Cabilonenſi, Divionenſi ſancti Benigni, & Æduenſi ſancti Symphoriani. Gregorius [b] Turonum antiſtes auctor eſt, Guntchramnum ita ſe ſpiritalibus operibus mancipaſſe, ut, relictis ſæculi pompis, theſauros ſuos eccleſiis & pauperibus erogaret; munera etiam monachis Agaunenſibus ex voto tranſmiſiſſe, preſbyteroque, per quem ea mittebat, præcepiſſe, ut inde Thebæorum martyrum reliquias ad ſe referret. Eadem verba Uſuardus tranſſcripſit in ſuum martyrologium, in quo, uti & Ado, aliique poſt eos, Guntchramno locum dedit ad quintum kalendas Apriles. Porro ſuperiora Gregorii verba ſic interpretati ſunt nonnulli veteres, ut piiſſimum regem relictis ſæculi pompis monachum factum fuiſſe crediderint. qua in opinione verſabatur ſanctus Hugo abbas Cluniacenſis, qui Philippo primo Francorum regi, quem ad monaſticam profeſſionem hortabatur, an aliquis umquam ex regibus factus fuiſſet monachus percontanti, reſpondit [c], aliquos fuiſſe: Sed etſi, inquit, de nullo alio certi eſſemus, ſolius ſancti Guntranni Francorum regis exemplum ſufficeret, qui, relictis ſæculi pompis, & vanitatibus, & illecebris, factus eſt monachus, imitans illum, qui, cum dives eſſet, pauper pro nobis factus eſt, ut ſua nos paupertate ditaret. quod ſi verum eſt, (id vero ſuſpectum reddit Jonas in vita Columbani, qui Theodeberto regi, ut monachus fieret, conſulenti, proceribus riſum excitavit, negantibus ſe umquam ſimile quid de ullo Merovingico rege audiſſe aut legiſſe.) ſi, inquam, hoc verum eſt, dicendum Guntchramno id accidiſſe, quod Lothario auguſto, Ludovici Pii filio, qui in pænitentiæ ſignum monaſticas veſtes in extremis, pro more illorum temporum, in Prumienſi monaſterio ſuſcepit; eas non depoſiturus, nec enim id licebat, ſi ex morbo convaluiſſet. Johannes-Robertus epiſcopus Cabilonenſis, pontificatu Eugenii papæ quarti, idemque prior ſancti Marcelli, thecam ſancti martyris plurimum ornavit, & ſacellum ſupra ſancti Guntchramni ſepulcrum exſtruxit. Hactenus piiſſimi regis loculus viſitur in eadem ſancti Marcelli baſilica, quæ ab annis ſexcentis prioratus eſt ordinis Cluniacenſis.

ANN. CHR. 593.

Guntchramni regis obitus & ſepultura.

[b] Greg. Tur. de gl. mart. lib. 1. c. 76.

An fuerit monachus.

[c] Spicil. to. 2. p. 401.

XXXIX. Ad eumdem Guntchramnum referendus eſt ritus, Francis olim, aliiſque Germaniæ populis maxime uſitatus, ad decernendas in rebus civilibus, criminalibuſque dubias contentiones. Solebant quippe judices, immo & ipſi Francorum reges, ſi quando ejuſmodi cauſæ ad eos referebantur, ubi actor aut accuſator nullis teſtibus reum convincere poterat, ut ambo congrederentur decernere, & de controverſia armis inter ſe diſceptare. Qui pugnare ipſe non valebat, propinquum ſuum, aut

Monomachiæ origo apud Francos.

ANN. CHR. 593.

quem alium mercede conductum ſui loco pugilem exhibebat. Clericis & monachis, ne ſe humano ſanguine polluerent, datum erat, ut ex ſuis hominibus (ſic eccleſiarum ſervi & ſubditi nuncupabantur) aliquem ad pugnam ſufficerent. Certamen a loco clauſo, ubi inibatur, campus vocabatur. Dies a judice, locuſque, ubi res agebatur, conſtituti erant. Univerſi ad ſpectaculum conveniebant, reges, principes, non raro etiam ipſi epiſcopi. ubi venit in mentem Johannis de Mellento, epiſcopi Pariſienſis, qui, ejuſmodi certamine ad prata cœnobii ſancti Germani Pariſienſis indicto, cum ipſe vellet e monaſterio certamen proſpicere, monachis ab ejus ſubjectione exemtis litteras [a] cautionis dedit. Accuſator vel actor reum prior impetere conſueverat. Uter victus & proſtratus ab adverſario erat, is cauſa cadebat, &, tamquam divino judicio convictus, ſupplicio aut pecunia multabatur. Forte Guntchramnus, dum in Voſago ſilva [b] venatione ſe exerceret, veſtigia occiſi bubali agnovit. Facti impatiens, cuſtodem ſilvæ interrogat, quis id perpetraſſet. Chundonem regis cubicularium accuſat cuſtos. Chundone rem pernegante, rex ferro ambos decertare jubet. Chundo, quia ſenex & imbecillus erat, fratris aut ſororis filium pro ſe pugilem dedit. Procedunt cuſtos ſilvæ & adoleſcens in campum, qui proximus erat baſilicæ ſancti Marcelli. Congreſſio rege inſpectante facta eſt. Adoleſcens lancea transfigit adverſarii pedem, qui ſupinus adoleſcentem, ad ſe conficiendum accurrentem, gladio ipſe confodit. Chundo itaque pro reo habitus, ad baſilicam ſancti Marcelli confugit: ſed antequam eo perveniret, juſſu regis comprehenſus, alligatuſque ad palum ſaxis obruitur, cujus rei poſtea, at ſerius, regem pænituit. Conſimile certamen eodem in loco indictum a Guntchramno inter Auſtregiſilum, qui poſtea Bituricenſis epiſcopus fuit, & Betellinum [c] in palatio præpotentem, cujus mors repentina certamen prævertit. Adi Valeſium in libro quinto-decimo rerum Francicarum. Hæc ad hiſtoriam noſtram elucidandam non ſupervacanea eſſe rerum dicendarum ſeries demonſtrabit.

a *Quatrem. Paradox. p. 263.*

b *Greg. Tur. lib. 10. c. 10.*

c *Sec. 2. Bened. p. 96.*

XL. *S. Petri monaſterium Cabilonenſe.*

Dum Cabiloni verſamur, agendum eſt de monaſterio ſancti Petri, quod eodem tempore conditum fuit a Flavio epiſcopo, qui Agræculæ ſeu Agricolæ ſucceſſit anno hujus ſæculi octogeſimo, Guntchramni regis decimo-nono, cujus, teſte [d] Gregorio, referendarius fuerat. Idem poſt annos quinque interfuit ſynodis Valentinæ & Matiſconenſi; obiitque ante annum ſexcenteſimum primum. quo anno Gregorius Magnus [e] epiſtolam a paribus, id eſt communem & encyclicam, ad commendandum Auguſtinum monachum, ejuſque ſocios, ſcripſit multis Gallicanis epiſcopis, in his Cabilonenſi Flavii ſucceſſori, ſive is fuerit Lupus, ut epiſtolæ inſcriptio in pleriſque libris, cum editis, tum manu exaratis præfert; ſive Wadelinus, quem viri docti pro Lupo ſubſtituendum volunt. Sancti Petri monaſterium Flavius epiſcopus, opitulante, ut veri ſimile eſt, Guntchramno, condidit extra muros urbis verſus orientem, eo in loco, ubi primum cœmeterium fidelium fuiſſe tradunt: quod cœnobium, multis ſubinde attritum cladibus Girboldus epiſcopus, Caroli Calvi principatu, inſtauravit. Ejus rei teſtes ſunt litteræ Hugonis Lugdunenſis archiepiſcopi & ſanctæ Ro-
» manæ eccleſiæ legati, apud quem Rainaldus abbas ſancti Petri de Galtero epiſcopo
» conqueſtus eſt, quod contra jus & morem fidelium in cathedrali beati Vincentii
» eccleſia unum e primoribus urbis, & unum canonicum ſepeliſſet, prolato Girbaldi
» epiſcopi ſcripto, quo jus communis omnium ſepulturæ aſſertum erat monaſterio
» beati Petri: quod beatus Flavius conſtruxit primus, aliique poſt eum glorioſiſſimi
» præſules ejuſdem urbis propriis tam honoribus, quam facultatibus dotaverunt: ac
» demum Girbaudus everſum reparavit, monachiſque ibidem conſtitutis Aimonem
» doctorem, id eſt abbatem, præfecit. Huic monaſterio ſanctus Lupus præfuiſſe creditur, dein factus epiſcopus Cabilonenſis, & quidem poſt ſanctum Flavium, ut Papebrochius [f] aſſerit ex actis ſancti Gervaſii diaconi & martyris, ſeptimo, ut ipſi videtur, ſæculo ſcriptis. Deinde Lupo ſubſtituit Gilderinum, Gilderino ſanctum Gratum, prætermiſſo Wadelino, quem ex actis epiſcoporum Autiſiodorenſium Carolus [g] Cointius, aliique nonnulli ſupplendum volunt in vulgatis indicibus epiſcoporum Cabilonenſium, & ſancto Flavio proxime ſubſtituunt, ſummoto poſt ſanctum Gratum beati Lupi pontificatu. Hanc ſententiam probat itidem Cointius ex ipſis actis beati Gervaſii martyris, qui ex pago Cenomannico, ubi natus erat, Romam profectus, indeque revertens, cum per ſilvam territorii Cabilonenſis tranſiret, a latronibus interfectus eſt. Eo in loco poſtea beatus Lupus epiſcopus in ejus honorem conſtruxit eccleſiam, quam multis dotatam prædiis *monaſterio beati Petri, ab anteceſſore beato*

d *Greg. Tur. lib. 5. c. 46.*

e *Greg. M. lib. 9. ep. 52.*

Lupus abbas, dein epiſcopus.

f *Papebr. April. to. 2. p. 779.*

g *Cointius to. 2. p. 614.*

ANN. CHR. 593.

Flavio jam dicta civitatis pontifice conſtructo, attribuit, *accepto a Sigiberto, glorioſiſſimo Francorum rege, regali præcepto.* ubi loco Sigiberti, quem Dagoberti filium putat Cointius, reponendum ecnſet, aut Chlodoveum ejuſdem Sigiberti fratrem, aut Chlotharium ipſius Chlodovei filium, quibus paruir Burgundia, in qua ſitum Cabilonum; numquam vero Sigiberto, Chlodovei junioris germano, qui Auſtriæ dominabatur. Addit vir doctus, Flavium Lupi anteceſſorem fuiſſe, non proximum, ut Papebrochio viſum eſt, ſed poſt Wadelinum, Gelionium ſeu Gilderinum, & Gratum. Verum, ſi in verbis mox relatis mutandum eſt Sigiberti nomen, cur ejus loco non reponatur Childebertus, Sigiberti ſenioris filius, aut Theodericus ejuſdem Childeberti filius, ae in regno Burgundiæ ſucceſſor, a quo præceptum ſeu diploma prædictum Lupus obtinuerit? quid? ſi, hoc admiſſo, Lupus Flavii ſucceſſor, ut in vulgatis indicibus, retineatur, & Wadelinus Lupo ſubrogetur? Certe ſatius mihi videtur, ac longe probabilius, Lupi nomen retinere in epiſtolæ Gregorianæ inſcriptione: qua ſemel admiſſa, Lupum Flavio ſucceſſiſſe admittendum eſt. ubi mirari ſubit ſupinam vel ignorantiam, vel negligentiam anonymi [a] auctoris, qui, actis beati Lupi amiſſis, ex veracibus, ut loquitur, relationibus libellum de ejus vita conſarcinavit; nec tamen quis, qualiſve ante epiſcopatum fuerit, cuive ſucceſſerit, memorat. Ei tamen gratiam habemus, quod *corpus ejus ex more compoſitum* ſcribit *in eccleſia beati Petri apoſtoli, quæ in ſuburbio eminet ejuſdem civitatis*, ubi ſe *tumulandum* pius antiſtes mandaverat; & quidem *ad dexteram altaris partem* reconditum fuiſſe. Dum ex urbe funus eo inferretur, corpus adeo grave factum dicitur eo in loco, ubi rei in cuſtodia detinebantur, ut inde moveri, niſi ſolutis vinctis, non potuerit. Hinc diu penes epiſcopos Cabilonenſes perſeveravit jus & facultas liberandi vinctum in feſto ſancti Lupi, quemcumque voluiſſent. Girboldus epiſcopus, monaſterii inſtaurator, ſacras beati Lupi reliquias tumulo efferri, & digniori loco reponi curavit anno poſt octingenteſimum ſeptuageſimo-ſeptimo. Hic mihi dubium occurrit, num is ſit Lupus ille epiſcopus, qui *de ſuperioribus Burgundiæ partibus* [b] Autiſiodorum veniſſe dicitur cum Chrothilde regina, ibique XVI. kalend. Julii die functus ſupremo, ex reginæ placito in ſancti Germani baſilica, quam illa recens conſtruxerat, humatus fuiſſe. Verum multa obſtant, quo minus huic conjecturæ aſſentiar. Lupus enim Cabilonenſis in ipſa urbe ſepultus eſt, coliturque VII. kalend. Februarii: alter Autiſiodori mortuus XVI. kalend. Julii, vivente Chrothilde regina, ſi non falſus eſt Herricus, qui hæc refert; ibidemque religioſe compoſitus requieſcit, *quod Pario impreſſum marmori ſcriptura prodit antiquior*, inquit Herricus noni ſæculi ſcriptor. An forte ejus corpus Autiſiodoro relatum Cabilonum, ejuſque tranſlatio VII. kalend. Februarii, quo die ſanctus Lupus Cabilonenſis celebratur? Alii judicent: ſed tamen non viſa eſt omnino negligenda conjectura. Perſtat etiam nunc Cabiloni ſancti Petri monaſterium, ſed in altero urbis ſuburbio, prima ejus ſede ad conſtruendam arcem ante annos centum converſa.

[a] Bolland. to. 1 Januar. p. 777.

[b] Herric to. 1. biblioth. Labbe p. 542.

XLI. Abbatia B. Mariæ de Latona.

Nolim præterire hoc loco id quod legere memini in quadam notitia ſeu inſtrumento de abbatia beatæ Mariæ apud Lodonam* ſeu Latonam, « quam abbatiam venerabilis memoriæ Theodericus rex Francorum, nempe Childeberti minoris filius, fundaſſe memoratur, & dotaſſe, *ad hoc ut dicta abbatia ſecunda ſedes eſſet eccleſiæ Cabilonenſis*, ad celebrationem ſacrorum ordinum, & ceterorum eccleſiaſtici ordinis officiorum: & quam exemerat ab omni exactione tam regum ejus ſucceſſorum, quam civilis dignitatis principum. quam conceſſionem Rotbertus Francorum rex anno milleſimo triceſimo-ſecundo Remis ſuis litteris confirmavit, uti legitur in charta Galterii epiſcopi Cabilonenſis, hanc abbatiam monaſterio Cluniacenſi concedentis ſub ſpeciali jure eccleſiæ ſeu prioratus Vergiacenſis, anno ſupra milleſimum centeſimo triceſimo-ſexto. » Hoc eſt opidum Latona ad Araris* & Oſcaræ* confluentem, vulgo ſancti Johannis de Latona appellatum, de quo fit mentio in geſtis Dagoberti: ubi beatæ Mariæ eccleſia exſtitit ad noſtros uſque dies, quibus ob rationes politicas penitus exciſa eſt, ejus loci monachis alio tranſlatis.

* Laone.

* la Saone.

* l'Ousche.

XLII. Dialogi a Gregorio Magno ſcripti.

Hoc anno Gregorius Magnus res a viris ſanctis in Italia geſtas dialogico more ſcribere aggreſſus eſt quatuor libris, interlocutore Petro diacono ejus familiari. Qua occaſione id factum ſit, ipſe initio hujus operis narrat. Quippe cum muneris ſui tumultibus fatigatus & preſſus, ad relevandas utcumque moleſtias, ſecretum locum cum Petro petiiſſet, nempe ſancti Andreæ monaſterium, ut vetus [c] inſcriptio docet;

[c] Analect. to. 4. p. 497.

AN. CHR. 593.

» animum ſubiit ante actæ vitæ vehemens cogitatio, qualis ſcilicet aliquando in mo-
» naſterio fuiſſet: ubi rebus mortalibus ſuperior, nonniſi cæleſtia cogitare conſueve-
» rat, & mortem quoque ipſam, quæ pæne omnibus inviſa eſt, velut ingreſſum vitæ,
» & laboris ſui præmium amabat. Perpendens itaque & quod amiſerat, & quod tole-
» rare in pontificatu cogebatur; quaſi poſt tergum converſis oculis, viſo quem reli-
» querat portu, ingemiſcebat, quem ne quidem plene cernere, utpote rerum ſæcu-
» larium tenebris circumfuſus, valebat. Hunc vero dolorem augebat contemplatio
» virorum ſanctorum, qui tunc in Italia, procul a tumultu, uni Deo placere geſtie-
» bant, quorum facta & miracula ſciſcitari ab aliis, & indagare per ſe ſe jam dudum
» amaverat. Ea itaque quæ bonis ac fidelibus viris atteſtantibus noverat, vel quæ per ſe ipſe didicerat, bis quatuor libris complexus eſt, ſingulos viros ſanctos, eorumque facta ſingulis fere capitulis comprehendens, cum integrum librum ſecundum explicandis beatiſſimi patris Benedicti geſtis ac virtutibus impendat. Etſi vero in omnibus factis recenſendis diligentiam ſuam præſtat, commemorando teſtes, a quibus dicta accepit: majorem tamen fidem haberi vult iis, quæ de ſancto Benedicto refert: utpote qui non unum aut duos, ut in aliis, teſtes, ſed quatuor, & quidem viros reli-

Qua fide & diligentia.

» gioſiſſimos, teſteſque oculatos citat, nempe Conſtantinum reverendiſſimum valde
» virum, qui ei in monaſterii Caſinatis regimine ſucceſſit; Valentinianum quoque,
» qui annis multis Lateranenſi monaſterio poſt everſionem Caſinenſis cœnobii præ-
» fuit; Simplicium, qui congregationem illius, hoc eſt Caſinenſem, poſt eum tertius
» rexit; & Honoratum, qui, Gregorio dialogos ſcribente, adhuc cellæ ejus, in qua
» prius converſatus fuerat, nimirum Sublacenſi, præerat. Adeo vero in referendis Benedicti factis, & factorum teſtibus accuratus fuit, ut, cum ejus de Romæ ſubverſione [a] vaticinium Canuſino epiſcopo factum commemoraſſet ſub fide Honorati abbatis, ſubdat, eum fateri, nequaquam ex ore ipſius Benedicti, ſed aliorum fratrum relatu ſe accepiſſe. Porro Marci poëtæ, qui ſanctum Benedictum verſibus cecinit, non meminit Gregorius, ſive is nondum carmen ſuum vulgaverat, ſive ad Gregorii notitiam non pervenerat.

a *Greg. l. 2. dial. c. 15.*

XLIII. *Fratrum hortatu.*

Exſtat ejuſdem pontificis ad Maximianum Syracuſanum epiſcopum, antea ſui monaſterii abbatem, epiſtola, poſtulantis, ut ea quæ ipſe hoc de argumento nove-
» rat, ſibi litteris indicaret. Fratres mei, inquit, qui mecum familiariter vivunt, om-
» ni modo me compellunt aliqua de miraculis patrum, quæ in Italia facta audivimus,
» ſub brevitate ſcribere. ad quam rem ſolatio veſtræ caritatis vehementer indigeo, ut
» ea, quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognoviſſe vos contigit, mihi bre-
» viter indiceris. Non dubito quin eadem epiſtola aliis etiam directa ſit ad petendas huic operi ſuppetias. id quod prædictæ epiſtolæ titulus indicat, in quo ceteri, non expreſſis nominibus, ſatis deſignantur. Hos libros Theodelindæ Langobardorum reginæ tranſmiſit Gregorius, teſte Paulo [b] Warnefridi, ut eam in recta fide & bonis moribus confirmaret. Et quidem aptiſſimi ſunt hanc in rem iſti dialogi, in quibus morales ſententiæ exemplis ita inſertæ ſunt, ut non minus gratam ac jucundam, quam utilem ac fructuoſam lectionem efficiant. quod certe nemo non experiatur, qui aliquem pietatis ſuccum animo imbiberit. Faceſſant ergo moroſi illi critici, qui hos dialogos, forte numquam ſibi lectos, tamquam Gregorio indignos perperam traducunt. quos ſi eo animo, quo ſcripti ſunt, legiſſent, forte in Photii [c] convenirent ſententiam, hominis ſane nec imperiti, nec inſipientis, qui ait, Gregorium multos quidem & utiles in primis libros conſcripſiſſe, ut homilias, & libros quatuor dialogorum, quos Zacharias pontifex in Græcam linguam verterit, in communem totius orbis utilitatem.

Theodelindæ miſſi.

b *Paul. diac. l. 4. de geſt. Langob. c. 5.*

c *Photii bibl. c. 253.*

XLIV. *Auctori ſuo aſſerti.*

Hos dialogos duodecim amplius locis adhibuit Paterius, ipſius Gregorii diſcipulus, in contexenda ex ejus operibus expoſitione ſacrorum librorum; eoſdemque retulit in collectionem ſententiarum Taio ſeu Taius Cæſarauguſtanus ſæculo ſeptimo epiſcopus, quam Quirico Barcinonenſi [d] epiſcopo nuncupavit. Eoſdem laudant Paulus diaconus Emeritenſis, venerabilis Beda, Aldelmus epiſcopus, aliique ſæculo ſeptimo & octavo, ne quid de poſterioribus ac recentioribus dicam; tantique eos fecit Zacharias pontifex, ut in linguam Græcam illos converterit, magno eccleſiæ Græcæ fructu, ut ex Photio mox commemorabam. Hos cum in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis prætermiſiſſet Iſidorus, neque enim in melioris notæ codicibus & editionibus ab eo notati reperiuntur, auctori ſuo aſſeruit Hildefonſus epiſcopus, qui Iſidori

d *Analect. to. 1. p. 68.*

ANN. CHR. 593.

de quibuſdam Gregorii ſcriptis, præſertim de dialogis, ſilentium ſupplere voluit: *quia non tantum de ejus operibus dixit* Iſidorus, *quantum* ipſe poſt eum didicit. Denique aliqua facta in his dialogis relata commemorat Gregorius ipſe in homiliis ſuper evangelia, maxime in prioribus undecim, ubi duodecim miracula recitat, quorum pleraque retulerat in dialogis, in quibus eaſdem homilias [a] citat ut ſuas. Hæc ſatis ſuperque ſufficiunt ad aſſerendos Gregorio dialogos, quos genuinum ejus, ſi quis alius, fetum eſſe nemo ſanus umquam negaverit. Plura qui volent, adeant Guſſanvillei vindicias in hos libros, & Bultelli noſtri itidem præfationem in eorumdem Gallicam verſionem: ubi hos a Gregorio ſcriptos obſervat ad aſſerendum dogma immortalitatis animarum, de quo nonnulli tunc temporis pſeudo-chriſtiani dubitabant. Ad hoc vero comprobandum utitur Gregorius non ſolum ratione & exemplis, ſed etiam viſis: quæ temere in nimiam viri ſancti credulitatem quidam hypercritici rejiciunt, a Baronio [b] merito confutati: quorum ſi admittatur faſtidioſa cenſura, eadem in Cyprianum, Ambroſium, Auguſtinum, Theodoritum, alioſque primi ordinis viros, qui ſimilia ſcribere non dubitarunt, recidat neceſſe eſt.

a *Greg. dial. lib. 4. c. 16. &c.*

b *Baron. in Martyrol ad 23. Decemb.*

Sublacenſis monaſterii abbates & ſtatus.

Honorato Sublacenſi abbati ſuperius laudato munificum ſe præbuit Gregorius, quippe qui cum matre ſua Silvia caſtrum Apollonium eidem loco & multa alia bona contuliſſe traditur Honorato abbate. Hic majorem eccleſiam in honorem ſancti Benedicti & ſanctæ Scholaſticæ exſtruxit, præter eccleſiam ſanctorum Coſmæ & Damiani, quæ in capitulo illius cœnobii jam condita erat. Honorato ſucceſſit Elias, tertius ejus loci a ſancto Benedicto abbas: cujus tempore Agareni monaſterium omnino devaſtaſſe perhibentur, ab eo tempore in ſolitudinem redactum uſque ad Johannis VII. pontificatum, ut in ejuſdem monaſterii chronico haud vulgato legitur.

ANN. CHR. 594.

XLV.

S. Pancratii baſilica tradita monachis.

SUbſequens annus quingenteſimus nonageſimus-quartus nulla alia re magis inſignis fuit, quam admiſſione monachorum in ſancti Pancratii eccleſiam, quæ Romæ via Aurelia etiam nunc exſtat. Hanc prius occupabant ſæculares clerici, ſed ita negligenter rem divinam tractabant, ut ſæpe nec die dominico ſacra miſſarum ſollemnia ibidem celebrarent. Conquerenti hac de re populo, qui iſtuc devotionis cauſa confluere ſolebat, Gregorius fecit ſatis, inſtituendo in eadem eccleſia cœtum monachorum, qui quotidie divinas ibi laudes ſtrenue perſolverent, adhibendo interim preſbyterum extraneum ad celebranda miſſarum ſollemnia, dum aliquis ex illo cœtu monachorum ſacerdotio initiatus fuiſſet. Epiſtolam Mauro abbati hac de re ſcriptam [c] huc referre juvat. « Quoniam eccleſiam ſancti Pancratii, quæ erat commiſſa preſbyteris, frequenter neglectam fuiſſe cognovimus, ita ut, veniente dominico die, populi miſſarum ſollemnia audituri, non invento preſbytero, murmurantes redirent: hoc matura deliberatione noſtro ſedit arbitrio, ut, eis remotis, monachorum congregationem in monaſterio eidem eccleſiæ cohærente conſtituere cum Dei gratia deberemus: quatenus abbas, qui illic præeſſet, curam & ſollicitudinem ante fatæ eccleſiæ habere modis omnibus debuiſſet. In quo etiam monaſterio te Maurum abbatem prævidimus præponendum: ſtatuentes, ut terras præfatæ eccleſiæ, vel quidquid illuc intraverit, ſeu de reditibus ejus acceſſerit, ante dicto monaſterio tuo debeat applicari, atque illic ſine diminutione aliqua pertinere: ita ſane, ut quæcumque in ipſa ſupra ſcripta eccleſia fienda, reparandaque ſunt, per te ſine dubio reparentur. Sed ne remotis preſbytoris, quibus eccleſia ipſa fuerat ante commiſſa, vacare miniſteriis videatur: idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut peregrinum illic debeas adhibere preſbyterum, qui ſacra miſſarum ſollemnia debeat celebrare. quem tamen & in monaſterio tuo habitare, & exinde vitæ ſubſidia habere neceſſe eſt. Sed & hoc præ omnibus curæ tuæ ſit, ut ibidem ad ſacratiſſimum corpus beati Pancratii quotidie opus Dei procul dubio peragatur. » Quis fuerit Maurus ille abbas, quove ex monaſterio accitus, aliunde reſcire non licuit. Ex hac vero epiſtola intelligimus, non incongruum eſſe, immo ad fidelium ædificationem aliquando conducere, ut monachi in locis frequentibus inſtituantur. Deinde extraneos aliquando preſbyteros a monachis adhiberi poſſe ad ea exercenda, quæ a monachis non ſine tumultu & inquietudine exerceri poſſunt. quales fuere multis in monaſteriis clerici, quos *pulſantes* Adelardus abbas Corbeienſis in ſtatutis ſuis vocat. Sunt qui hanc epiſtolam [d] interpretantur de monaſterio ſanctorum Johannis-Baptiſtæ,

c *Greg. l. 3. ep. 18.*

d *Lubin de monaſt. Ital. p. 341.*

ANN. CHR. 594.

Johannis Evangeliſtæ, & Pancratii, prope Lateranum a Caſinatibus conſtructo. Verum huic interpretationi repugnat epiſtolæ ſeries, in qua de eccleſia presbyteris, non monachis, dudum commiſſa agitur. Neque veri ſimile eſt, monachos in illo Lateranenſi, quod Pelagii pontificatu conſtructum fuit, tam cito defeciſſe. Certe nec Maurus abbas Gregorii tempore ei præfuit, ſed Theodorus, qui tertius poſt Valentinianum abbatem primum ac Gregorium ejus ſucceſſorem, prolixiori tempore Lateranenſis monaſterii congregationem rexit. Itaque hæc epiſtola nulli melius convenit, quam ſancti Pancratii eccleſiæ in Janiculo ſitæ, quæ a monachis noſtris juſſu Alexandri quarti tranſlara eſt ad ſanctimoniales Ciſtercienſes; deinde ad fratres ſancti Clementis de urbe ordinis ſancti Ambroſii ad Nemus; ac demum noſtro tempore ad Carmelitas Excalceatos.

XLVI. *Cyriacus abbas in Sardiniã miſſus ad convertendos infideles.*

Hoc eodem anno Cyriacus abbas cum Felice epiſcopo in Sardiniam ad Barbaricinos idololatras ad fidem convertendos miſſus a Gregorio eſt. Cum his Zabarda inſulæ dux pacem facere eo pacto ſtatuerat, ut eoſdem Barbaricinos ad Chriſti obſequium adduceret. Ob id eidem duci [a] gratulatur Gregorius, & ad cœpta perficienda hortatur, ſimulque ad fovendos Felicem & Cyriacum, quos iſtuc ad convertendos illos Barbaricinos tranſmiſerat. Hi Africæ populi erant, qui Wandalorum infeſtatione pulſi e patria, in Sardiniam commigraverant. Cyriacus Romani ſancti Andreæ monaſterii abbas, cum Felice, Portuenſi, ut quidem puto, epiſcopo, miſſus in Sardiniam ad Barbaricinos chriſtianis myſteriis imbuendos, Hoſpitoni [b] eorum duci jam converſo itidem commendatur a Gregorio: ubi dum commorantur, controverſiam, quam Muſicus [c] abbas monaſterii Agilitani cum Juliano epiſcopo Caralitano habebat ob res monaſterii, ab eodem Juliano in oratorii dedicatione ablatas, componere jubentur. Hoc monaſterium recens condiderat Thedoſia pia & illuſtris matrona; aliudque cœnobium virginum in urbe Carali, cui conſtruendo auxilium ab eodem Juliano impendi pontifex [d] rogat. Hic eſt Cyriacus abbas, quem Gregorius tum in Galliam, tum in Hiſpaniam miſit ad mores corrigendos, reſtituendamque eccleſiaſticam diſciplinam, in primis vero ad ſimoniacam labem abolendam, quem abbatem & ſervum Dei, nuſquam presbyterum appellat.

[a] Greg. lib. 9. ep. 25.
[b] ibid. ep. 27.
[c] lib. 4. ep. 26
[d] lib. 3. ep. 10.

XLVII. *Monita pro regimine ſanctimonialiũ.*

Ceterum Juliani Caralitani epiſcopi incuriam erga monaſteria [e], præſertim ancillarum Dei, carpit idem Gregorius, quod nempe res earum non per probatos e
» clero viros, uti a ſuis deceſſoribus diſpoſitum fuerat, procurarentur: ſed a publicis
» actoribus pro tributis, aliiſque muniis & oneribus vexatæ, per villas prædiaque diſ-
» currere, atque virilibus incompetenter negotiis ſe immiſcere cogerentur. quod in-
» commodum ut emendet, hortatur, deputando ſcilicet virum probatum vita moribuſ-
» que, cujus ætas ac locus nihil de ſe pravæ ſuſpicionis injiciat: qui ſic monaſteriis ip-
» ſis curam impendat, ut pro quibuſvis cauſis, ſive publicis, ſeu privatis, ancillæ Dei
» *extra venerabilia loca contra regulam* in poſterum vagari non compellantur, ſed in
» ſuis clauſtris orationi & Dei laudibus vacantes, nullam deinceps pravæ ſuſpicionis
» anſam præbeant. Ejuſmodi procuratores clericos aut monachos in cœnobiis puel-
» larum poſteri præpoſitos appellarunt. Ad hæc juvenculas abbatiſſas [f] fieri omnino prohibet vir ſanctus; & virgines ante ſexaginta ætatis annos velari. Velatio quippe ſanctimonialium non in ipſa religioſa profeſſione ſtatim fiebat, ſed poſt multos probatæ vitæ annos. quod etiam nunc Venetiis obſervatum vidimus.

[e] ibid. ep. 9.
[f] ib. ep. 11.

XLVIII. *Clerici ſæculares ne abbates fiant.*

Idem presbyteros, diaconos, ceteroſque clericos, qui in ſæcularibus eccleſiis
» militabant, abbates [g] in monaſteriis fieri non permittit: ſed, aut admiſſa clericatus
« militia, ad monaſticas prælaturas non admittendos: aut, ſi abbatis officium retine-
» re voluerint, a clericatus militia excludendos. quippe incongruum eſſe, ut utrum-
» que ſervet quis officium: cum ne unum quidem pro ſui magnitudine & difficultate
» vix quiſquam explere poſſit, atque alterum ab altero impediatur. Nemo quippe
» poteſt, ait in alia epiſtola [h] idem pontifex, & eccleſiaſticis obſequiis deſervire, &
« in monachica regula ordinate perſiſtere: ut ipſe monaſterii diſtrictionem teneat,
» qui quotidie in miniſterio eccleſiaſtico cogitur permanere. His, aliiſque ſimilibus locis abutuntur nonnulli, ut probent Gregorium noluiſſe unquam eum, qui eſſet presbyter, abbatem eſſe; vel eum, qui abbas eſſet, presbyterum eſſe. cum conſtet nihil aliud in his litteris præcepiſſe pontificem, quam ut ne titulus abbatis & cura monaſterii deferatur clerico extraneo, qui ſæcularis eccleſiæ titulum habeat, nec monachus ſit: &, ſiquidem talis clericus, relicta eccleſia, cui ſerviebat, jam factus ſit

[g] ibid.
[h] id. lib. 4. ep. 2.

ANN. CHR. 594.

ſit abbas; ut, optione facta, aut abbatiale munus dimittat, ſi eccleſiæ ſuæ titulo renuntiare nolit; aut eccleſiæ ſuæ curam deſerat, ſi in abbatis officio permanere decreverit. In his ergo locis agitur de clericis extraneis ſeu peregrinis, quos ſæculares vocant, qui cum certæ cuidam olim eccleſiæ omnes addicti eſſent, nec monachi, nec monachorum rectores eſſe poterant, niſi prius titulo ſeu beneficio ſuo renuntiaſſent. quæ diſciplina ad hunc uſque diem viget. Unde alibi [a] Gregorius prohibet eos, qui ex clericali ordine ad monaſticam profeſſionem acceſſiſſent, pro arbitrio ad ſuam reverti eccleſiam, aut alterius curam ſuſcipere, niſi epiſcopus id approbaſſet. Adeo vero monachos vel abbates ab ordinibus ſacris & ſacerdotio non arcet Gregorius, ut contra Victorem [b] Panormitanum epiſcopum hortatus ſit, ut unum e monachis cœnobii ſancti Hermæ, rogatu Urbici abbatis, qui etiam ſacerdotio inſignitus erat, preſbyterum quantocius ordinaret. Denique multos reperias, cum apud Gregorium Romanum, tum apud alterum Gregorium Turonicum, aliosque ejuſdem ævi ſcriptores, abbates & monachos ſacerdotio inſignes, ex quibus nonnullos memorat Carolus Cointius in annalium Francorum tomo tertio [c]. Porro Gregorius ideo clericos hac lege arcet a monaſticis prælaturis, non ſolum quod clericorum & monachorum functiones in diverſis ſimul eccleſiis ſociari non poſſint; ſed ut clericorum ambitioni obviaret, qui tunc monaſticis dignitatibus inhiabant: dumque [d] fingunt, inquit vir ſanctus, ſe religioſe vivere, monaſteriis præponi appetunt; & per eorum vitam monaſteria deſtruuntur. Proinde, ſubdit pontifex, Johannem Ravennatem epiſcopum alloquens: Fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum ſit, emendare feſtinet: quia ego nullo modo patiar, ut loca ſacra per clericorum ambitum deſtruantur. Hæc vero lex ante Gregorium jam obtinebat, ut patet exemplo ſancti Germani, qui cum preſbyter eſſet eccleſiæ Æduenſis, non ante abbatialem in ſancti Symphoriani monaſterio curam capeſſivit, quam factis monaſticis votis, eccleſiæ ſuæ titulum dimiſiſſet. quod itidem ſæculo ſeptimo apud Pictones fecit Leodegarius preſbyter, cum in monaſterio ſancti Maxentii abbas renuntiatus fuit.

a id. lib. 1. ep. 40.
b id. lib. 5. ep. 41.
c Coint. an. 574. n. 19 & 64.
d Greg lib. 4 ep. 2.

XLIX. Monachi ne mulieres ad ſe inducant.

Non prætereunda eſt hoc loco alia conſtitutio Gregorii pertinens ad diſciplinam regularem, qua [e] vetat, ne monachi feminas in monaſterium inducant, eaſve ſibi commatres faciant, contra quam Valentinus abbas in monaſterio ſuo fieri ſinebat, ob eam cauſam merito a pontifice increpitus. Utrumque concilii Autiſiodorenſis decreto jam cautum fuerat, ſuperius [f] relato: ubi obſervavimus, vetitum olim fuiſſe ingreſſum mulierum, non ſolum in monachorum interiora ſæpta, ſed etiam in eorum eccleſias. quod an Gregorius etiam hoc loco ſanciverit, non mihi videtur ſatis exploratum. Saltem id nequaquam cenſeri poteſt de Romana eccleſia ſancti Pancratii, quam idem pontifex monachis conceſſit eo pacto, ut peregrinum haberent preſbyterum ad celebranda miſſarum ſollemnia in gratiam promiſcui ſexus, qui eccleſiam illam dominicis diebus frequentabat [g]. Certe de Ariminenſi ſancti Thomæ monaſterio id tantum præcipit Gregorius, ut *frequentior mulieribus introitus* inde arceatur.

e id. lib. 3. ep. 40.
f ſupra lib. 6. n. 75.
g id. lib. 4. p. 43.

L. Walaricus Luxovium adit.

Per hoc fere tempus Walaricus, opinione & fama commotus Columbani abbatis Luxovienſis, ad quem multi undequaque diſcipuli monaſticæ eruditionis cauſa confluebant; relicto ſancti Germani cœnobio Autiſiodorenſi, una cum Bobone viro illuſtri, ad meliorem frugem a ſe converſo, Luxovium ſe recepit: ubi omnium cor unum & anima una; ubi magna rerum omnium comtemtio vigebat; ubi denique omnia omnibus communia, nulluſque quidquam ſibi proprium dicebat, præter diurnos labores nocturnaſque vigilias. Monachos ferme ducentos in cœnobiis eorum locorum, Luxovienſi, Anagratenſi, & Fontanenſi, ſub Columbani diſciplina viguiſſe, atque novitiorum more ac ritu probatum fuiſſe a Columbano Walaricum, tradit Walarici vitæ ſcriptor, habita forte ratione ſui temporis; eique horti excolendi curam commiſſam. quod cum accurate exſecutus fuiſſet, habitum Luxovienſem tandem promeruerit, tanti poſtea factus, eum ut Columbanus, ac deinde Auſtaſius ſeu Euſtaſius dignum judicaverint, qui Luxovienſes aliquando abbatis loco regeret. Quamquam res effectu caruit, divino conſilio Walaricum ad alia vocante. Sed hæc alias.

LI. Gallus obedientiæ meritū expetitur, aliuque.

Florebat inter alios Columbani diſcipulos Gallus, quem ſecum ex Hibernia in Galliam adduxerat. Huic ad Lignonem * amnem piſcatum ire juſſo viſum eſt Bruſ-

* Loignon.

ANN. CHR. 594

cam *, utpote piſcibus magis abundantem, præferre. Sed vana per totam diem piſcario redire vacuum coëgit. Re ad patrem delata, correptus ab eo eſt, ac demum ſimpliciter obediens, ingentem piſcium copiam in Lignone cepit, quam in piſcoſiori amne fruſtra quæſierat. Longe promtior fuit alterius obedientia monachi, cui cura cellarii commiſſa erat. Is, cum ad refectionem cerviſiam e dolio in vas ſubjectum, quod *tybrum* Jonas vocat, educeret; patris juſſu vocatus, nulla mora, oblitus dolii meatum obturare ſeraculo, pernici curſu ad beatum virum pergit, duciculum ſeu obturaculum deferens manu. Accepto patris imperio, confeſtim ille ad cellarium, dolium penitus exhauſtum eſſe non dubitans. At contra nec minima ſtilla ceciderat, ſed tantum ſupra tybrum excreverat cerviſia, quantum cerviſiæ in ipſo vaſe inerat. Idem obedientiæ meritum experti ſunt alii monachi ex morbo decumbentes: qui e lecto ſurgere juſſi ad flagellandam in area meſſem, pars obedientes e morbo prorſus convaluerunt, pars abbatis imperio diffidentes, ægritudine invaleſcente ſic attriti ſunt, ut vix mortem effugere potuerint. Sic languens tepidorum monachorum animus, dum corporis ſui ſaluti ex carnali prudentia nimium conſulit, pejus habet, eoque fruſtrari ſolet, quod facile obtinet ſimplex ac fervens obedientium fides. Sed quanta in ipſo Columbano earum rerum exactore! Tempus meſſis evenerat, tantaque imbrium vehementia continue ingruebat, ut periculum eſſet, ne ſegetes inde corrumperentur. Columbanus Fontanis tum reſidebat, anxius animi quid ageret. Armavit mentem fides, omnibuſque accerſitis, meſſem præcidi jubet. Mirantur illi patris imperium, nec tamen quiſquam contra hiſcere audet. Conveniunt una omnes, falcibuſque inter effuſos imbres ſegetem ſecant, intenti in Columbanum quid ageret. Ille quatuor eximiæ pietatis monachos in quatuor agri angulos diſponit, Comininum, Eunocum, & Equanum ex Scottorum gente; quartumque Gurganum, genere Brittonem. His ordinatis, ipſe cum reliquis ſegetem medius præcidebat. Mira virtus! Fugiebat imber a ſegete, & undique pluvia diffundebatur: medios tantum ſolis ardor torrebat, æſtuſque vehemens, quouſque meſſem conderent, afflavit. Sic fides, inquit idem Jonas, & oratio meruit, ut, pulſa pluvia, æſtum inter imbres haberet. Parva ſunt hæc: ſed parva iſta non contemnendo majores noſtri religionem fundarunt. Nos vero ad majora non attingimus, quod minora illa, ſi minora & parva dicere fas eſt, negligimus.

* le Bruſc.

LII. Columbanus junior.

His quatuor piiſſimis, quos modo commemorabam, Columbani ex Hibernia & Britannia ſociis ſeu diſcipulis adjungendus eſt Columbanus junior, ex eodem genere, atque ex Hibernia ejus itineris comes, qui aliquando febre correptus, & ad extrema redactus, felicem ex hoc mundo exitum lætus præſtolabatur, confiſus de cæleſti mercede, quam longo Dei obſequio meruerat. Verum intellecto hanc optimam ſortem ob patris lacrymas & preces retardari, Columbanum accerſit ab eccleſia, ubi pro ſe orabat. Acceitum blande interpellat, ne ſuis orationibus in hac ærumnoſa vita ſe diutius retineret. Tum religione percuſſus Columbanus, ſigno tacto omnes adeſſe juſſit: corpus Chriſti ex hac vita abeunti viaticum præbuit, & poſt extrema oſcula, totum morientium cantum & officium implevit. Felix qui ſic vixit, ut ita mori mereatur! Columbani junioris memoria kalendario Einſidlenſi conſignatur XI. kalendas Decembris; decimo in Benedictino.

LIII. Columbanus ſenior Donatū cælitus impetrat.

Tanta Luxovienſium religio cum ad aures perveniſſet Waldelini ducis Tranſjurani, qui quidquid Alpium ſeptis & Jurenſibus locis continetur adminiſtrabat; cum conjuge ſua Flavia, æque nobili ac pia femina, Columbanum adit, rogaturus, ut ſibi ſobolem (nam expers liberorum erat) precibus a Deo impetraret. Annuit ſanctus pater, modo ut primam prolem Deo conſecrarent, ſibique *ex lavacro ſuſcipiendam*, id eſt ſacris aquis abluendam, traderent. Promittunt illi ſe ejus dictis læto animo parituros. Poſt paullum gravida mulier maſculum parit, editum mox ad ſanctum virum defert, ejus orationum fructum; grates referens Conditori, qui petitiones ſervorum ſuorum tam facile admittit, rataſque habet. Tum vir ſanctus in manus acceptum *ſacravit, ſacroque lavacro ablutum ipſe ſuſcepit*, ſeu, ut Frodoardus reddit, *expiat undis*, baptiſta ſimul & patrinus; eique Donati nomen, ob ipſius doni monumentum, impoſuit, & matri ad nutriendum reddidit. qui poſt in Luxovienſi monaſterio a puero alitus, eos in virtute & ſapientia progreſſus fecit, ut Veſontionenſis eccleſiæ pontifex eſſe meruerit. Quin etiam alios liberos, ſecundum viri ſancti vaticinium, Flavia edidit, nempe Ramelenum, geminaſque filias,

in ſæculo nobiles, & in Dei timore perfectas: ex quibus Ramelenus, non minus prudentia quam genere pollens, poſt patris obitum in ejus honorem ſeu dignitatem ſuffectus eſt, & in habitu ſæculari Chriſti amorem ſollicite curavit. id quod teſtarum fecit monaſterium, ab ipſo ſub beati Columbani regula ſuper Noviſanam fluviolum in ſaltu Jurenſi conſtructum, cui Syagrium abbatem præfecit. Ubi in tranſcurſu obſervare licet, jam tum duces ſeu præfectos provinciarum nonnumquam perpetuos fuiſſe, & in patrum locum filios regum beneficio aliquandu ſucceſſiſſe. Ceterum Flavia, pientiſſima mulier, poſt mariti ſui obitum, & ipſa monaſterium puellarum Veſontione conſtruxit, ibidemque reliquum vitæ exegit.

ANN. CHR. 594.

LIV. Agilus ejus exemplo oblatus Deo.

Donati exemplo oblatus eſt Columbano Agilus puer in monaſterio Luxovienſi, futurus poſtea Reſbacenſis abbas. Erat is nobilis Burgundus, ex primis regii palatii optimatibus, Portenſi territorio ad Ararim, nobiliſſimis natalibus oriundus; patre Chagnoaldo ſeu Agnoaldo, qui ejuſdem regis conviva & conſiliarius fuiſſe dicitur, & matre Deuteria, catholicæ fidei cum primis addicta. Chagnoaldi merito Columbanus in regis notitiam & benevolentiam veniſſe fertur, & ab eodem Luxovium condendi cœnobii gratia impetraſſe. Forte diverterat in Chagnoaldi ædes vir ſanctus in villa Honoriſiaco, ubi Agilum parentes ei benedicendum offerunt. Ille puerum Deo conſecrari, ſibique monaſticis diſciplinis erudiendum tradi poſtulat. Conſenſere parentes pii, & quem ſibi ſuperſtitem, ſuique nominis heredem ac propagatorem habere cupiebant, Chriſti ſervum & coheredem habere maluerunt. Caram itaque ſobolem ſacris altaribus ſollemoi ritu applicant, Deoque offerunt cum donatione variæ ſupellectilis, multorumque prædiorum ac numeroſæ ſervorum familiæ. Sic oblatus puer committitur Euſtaſio, probatæ religionis monacbo, erudiendus cum aliis nobilium virorum filiis, Chagnoaldo videlicet, qui poſtea Lugduni-clavati epiſcopus fuit; Waldeberto, facto demum Luxovienſi poſt Euſtaſium abbate; Achario, Viromandenſi poſtmodum & Noviomenſi ac Tornacenſi; Ragnachario, Auguſtæ-Rauracorum & Baſileæ; Audomaro, Boloniæ & Teruannæ epiſcopis, aliiſque. Hoc magiſtro, talibuſque condiſcipulis, mirum eſt quantum in virtutum palæſtra ingenuus adoleſcens profecerit.

ANN. CHR. 595.

LV. Maximiani epiſcopi Syrac. obitus.

POſtero anno ad ſuperos abiit Maximianus Syracuſanus antiſtes, is qui Gregorii Magni in cœnobio Andreano inſtitutor fuerat & abbas, ejuſdemque vices jam epiſcopus [a] in tota Sicilia obierat. Eum *ad præmia deſiderata* perveniſſe aſſerit Gregorius in epiſtola [b] ad Cyprianum diaconum; tantique fecit, ut quem civitati illi epiſcopum ſufficeret, *Maximiano reverendiſſimo* [c] *ſimilem* non habere ſe confiteatur. Poſt varias de ſucceſſore deligendo controverſias, eidem ſuffectus eſt Johannes archidiaconus eccleſiæ Catanenſis, & quidem monachus, ſi Rocho Pirro hac in re fides, Benedictinus: qui Zozimum & Eliam, Johannis poſt Germanum, unum poſt alterum ſucceſſores, ejuſdem fuiſſe inſtituti putat. Floruit ſub Johanne epiſcopo Fauſtus abbas monaſterii ſanctæ Luciæ prope Syracuſas, cujus dies feſtus in quibuſdam loci kalendariis conſignatur VIII. idus Septembris.

a Greg. M. lib. 2. ep. 4. ind. 10.
b id. l. 4. ep. 19.
c ep. 47.

LVI. Marinianus epiſcopus Ravennas.

Eodem anno Ravennenſem eccleſiam morte ſua viduatam reliquit Johannes epiſcopus, qui monaſterium ad ſancti Apollinaris baſilicam in Claſſenſi opido conſtruxit. In teſtamento ab ſe condito a Gregorio expetiit, ut ea quæ prædicto monaſterio contulerat, ſua auctoritate firmaret. quod cum recepiſſet Gregorius, Marinianum ejus ſucceſſorem litteris [d] convenit, ut nihil de his, quæ ejus præceſſor illic contulerat, aliquo modo imminui pateretur, ſed omnia firma ſtabilitate firmari ſtuderet; non quia ita Jobannis teſtamento conſtitutum fuerat, ſed quia viventi id promiſerat Gregorius. Cetera Jobannis teſtamentum reſcindit pontifex, propterea quod non ex propriis, ſed ex eccleſiæ rebus donationes feciſſet. Diſſidentibus de futuro ſucceſſore Ravennatibus, tandem omnium vota, probante Gregorio [e], in Marinianum conſpirarunt, *virum venerabilem, presbyterumque*, qui diu cum ipſo Gregorio converſatus in monaſterio fuerat Romæ apud ſanctum Andream; poſtmodum abbas monaſterii ſancti Hermetis apud Panormum. Huic epiſcopatum refugienti, ait vir magnus, diverſis modis vix aliquando potuit ſuaderi, ut Ravennatium petitioni conſenſum præberet. Sed quia pontifici vita ejus probe cognita erat, eumque in lucrandis animabus ſollicitum noverat; nullam in ejus ordinatione moram afferre ſuſtinuit, immo ipſum Andreæ ſcbolaſtico præcipue commendavit. Nam omnibus, inquit,

d. Id. lib. 5. ep. 1.
e Id. lib. 4. ep. 45.

[AN. CHR. 595.] » ſicut noſtis, cujuſlibet officii valde oneroſa eſt novitas. Ego autem magnam confiden-
» tiam habeo, quia omnipotens Deus, qui eum dignatus eſt gregi ſuo præponere, & ad
» interiora illum curanda exacuet, & ad exteriora gerenda gratiæ ſuæ pietate conforta-
» bit. Sed quia poſt longa quietis otia, ejus, ut prædiximus, novitas proculdubio pertur-
» batur; peto, ut, cum venerit tempeſtates ſæculares fugiens, ſemper apud veſtram
» mentem portum quietis inveniat, & de veſtræ bono caritatis hilareſcat. Ejuſdem contra
[a Id. l. 5. ep. 2.] obloquentium querelas fidem Gregorius [a] approbat clero & plebi eccleſiæ Ravennæ,
» conteſtatus, eum, a cunabulis in ſanctæ univerſalis eccleſiæ gremio nutritum, ſem-
» per rectam fidei prædicationem cum probis moribus tenuiſſe, atque in primis ſyno-
» di Chalcedonenſis, contra quam nonnulli muſſitabant, auctoritatem venerari.

Is tametſi monachus, Claudio abbati Claſſenſi litem movit, quam Romæ definiri
[b Ibid. ep. 24. Privilegium monaſterii Claſſenſis.] a pontifice cum anxie timeret, eum certiorem fecit [b] Gregorius, fore ut id citra
eccleſiæ ejus diſpendium fieret. Hujus controverſiæ cauſa & origo nata videtur ex
quibuſdam juribus, quæ Marinianus in Claſſenſe ſanctorum Johannis & Pauli mo-
naſterium, cui præerat Claudius, ſibi præter jus vindicabat. qua de re ſententiam
[c Ib. ep. 28.] tandem tulit pontifex, ſuo loco referendam. Ejuſdem pontificis aliquanto gravior [c]
exſtitit in eumdem epiſcopum querela, quod Claſſenſe itidem ſancti Apollinaris mo-
» naſterium, a ſuo conſtructum præceſſore, vexaret: cum e contrario eum deceret
» monaſteria defendere ac tueri, & multos in illis *religioſos* ſeu monachos congregare,
» ut lucrum ſibi ex ejuſmodi congregatione compararet. Eumdem in fine arguit, quod
» monaſteria, ſub ipſius ditione conſtituta, clericorum moleſtiis & vexationibus gra-
» varentur. quod ne in poſterum fiat, prohiberi ab ipſo cupit. Idem itidem vehementius
[d Id. lib. 6. ep. 40.] inculcat in alia [d] ad eumdem Marinianum epiſtola, eumque modeſte hortatur, quod
ſane jubere poterat, ut, qualibet mora & excuſatione ſubmota, monaſteria ipſa ab
» hujuſmodi gravamine relevare ſtuderet, ita ut nullam deinceps in eis clerici, minores
» aut majores, niſi orandi tantum aut miſſas ibidem, ſiquidem invitati fuiſſent, cele-
» brandi cauſa, iſtuc accedendi facultatem haberent. In ſumma, ſi quiſquam abbatum
» aut monachorum ex quocumque monaſterio ad clericatus officium vel ordinem ſacrum
» aſſumatur, nullam illic habeat ulterius poteſtatem. Quia vero ex peregrinis quibuſ-
dam vigilantiſſimus pontifex compererat, eumdem Marinianum in dandis eleemoſynis
[e Id. lib. 5. ep. 29.] » parciorem eſſe; eidem per Secundinum ſervum Dei ſuggeri [e] juſſit, ut cum loco mu-
» taret & mentem. Ne crederet ſibi ſolam lectionem & orationem ſufficere: ut remo-
» tus a ſtrepitu ſederet, & manu atque opere minime fructificaret: ſed largam haberet
» manum, neceſſitatem patientibus occurreret, opitulareturque; alienam inopiam cre-
» deret ſuam: quia ſi hæc non haberet, vacuum epiſcopi nomen teneret. Caveret pro-
» inde, ne per præſentem negligentiam, vitam, quod abſit, priorem amitteret. Et ta-
men mirum eſt quanto amore Marinianum proſequeretur Gregorius, quanti eum
faceret: idque ex ſubſequentibus manifeſtum fiet. Sed nimirum hæc indicia erant ca-
ritatis veræ paternæ, amicum pungentis, ubi res poſtulabat, non vitia palpantis.

[LVII. Luminoſi abbatis privilegium.] Non defuerunt etiam aliis in locis haud abſimiles ſuperioribus rixæ epiſcopos in-
ter & abbates. Conſimilis quippe cauſa Luminoſum, ſancti Andreæ & ſancti Tho-
mæ de Arimino abbatem, agente Caſtorio epiſcopo, exagitavit, coëgitque, ut ad
apoſtolicam ſedem recurreret. Hanc Luminoſi, ejuſque congregationis petitionem,
ſecundum ſtatuta patrum, juriſque formam, benigne admiſit Gregorius; interdixit-
[f Id. lib. 4. ep. 41.] que [f] Caſtorio Ariminenſi epiſcopo, ne ullum in poſterum gravamen monaſterio in-
ferret, ſive in rerum deſcriptione & recenſione, quæ mortuo abbate fieri ſolebat,
ſive in publica iſtuc proceſſione indicenda; contentus ordinatione abbatis, quem
ſibi concors monaſterii congregatio elegiſſet. Sic ad Luminoſum ſcribebat Grego-
rius, monachos in fine exhortans, ut in Dei opere (ſic divinum officium cum ſan-
» cto Benedicto vocat) ſolliciti eſſent, orationi operam aſſidue dantes, ne non tam
» videretur ab ipſis quæſita mentis ad orationem ſecuritas & quies, quam male agen-
« tibus epiſcopalis evitata diſtrictio & cenſura. Hoc vero privilegium ſignantius ex-
[g Ib. ep. 43.] plicat pontifex in epiſtola [g] Caſtorio directa: quem hortatur, ut obeunte monaſterii
» abbate, nullus eccleſiæ Ariminenſis nomine in deſcribendis monaſterii rebus quo-
» quo pacto ſe immiſceat; abbatem vero non alium, quam quem moribus & monaſ-
» ticæ diſciplinæ ſtudio dignum unanimi conſenſu tota congregatio elegiſſet, epiſ-
» copus ordinaret. Ad hæc miſſas illic publicas ab epiſcopo fieri prohibet, ne in ſer-
» vorum Dei ſeceſſibus ulla popularibus conventibus occaſio præbeatur, & ſimpli-

Google

AN. CHR. 595.

ciores ex hoc animas in ſcandalum trahat. Poſtremo ut frequentior quoque mulierum introitus inde arceatur. Hanc porro conſtitutionem omni tempore illibatam ſervari jubet, ut & Ariminenſis eccleſia ſuo jure contenta ſit, quod in ordinando abbate ſitum erat; & monaſterium illud *nulli* ulterius *generali, canonicæve jurisdictioni deſerviens*, remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum ſumma animi devotione perficiat. Quo tempore monachi hanc ſanctorum Andreæ & Thomæ eccleſiam occupare deſierint, incertum. Fuit & antiquitus in eadem urbe ſancti Gaudentii abbatia Benedictina inſignis, ſed ab ordine noſtro non ita pridem itidem abſtracta. Fuit & tertia, ſancti Gregorii nomine inſignita. Sed de his alias. Cuinam ex illis præfuerit Aguellus abbas [a] de Arimino, cui Gregorius de inſtituendo præpoſito & de cura monaſterii ipſius ſollicite agenda ſcribit, divinare non licet.

a *Id. lib.* 6. *ep.* 10.

LVIII. Abbatum dejectio & reſtitutio.

Hoc ipſo anno de abbatum dejectione & reſtitutione nonnulla præcipit Gregorius, quæ aliena non ſunt ab hoc loco. Gregorius preſbyter & abbas monaſterii ſancti Theodori in urbe Panormo, auctore, ut tradunt, Gregorio Magno, cum monaſticam diſciplinam penitus luxari ſiviſſet, regimine ſibi conceſſo dejectus eſt, Romamque a ſummo pontifice agendæ pœnitentiæ cauſa accerſitus. Pœnitentem miſeratus pater optimus, eumdem ad monaſterium ſuum remiſit, datis [b] ei commendatitiis ad Victorem epiſcopum litteris, eum ut in priſtinum locum reſtitueret. Epiſtolæ verba ipſa huc adſcribere juvat. Latorem præſentium Gregorium, abbatem atque preſbyterum monaſterii ſancti Theodori, nulla quidem ratio permittebat, ut poſt lapſum cellæ, id eſt monaſterii, ipſius pæne generalem, ei ultra præponi debuiſſet. Qui enim tot diſcipulos per ſuam negligentiam ad infernum duxit, reliquis umquam præponi non debuit. Sed quia longe hic eſt apud nos pœnitentia afflictus, fraternitatem tuam neceſſe eſt eum in monaſterium ſuum recipere, locoque ſuo conſtituere; ita tamen, ut Urbicus, monaſterii mei præpoſitus, dare aliquem de ſervis Dei debeat; qui ei præpoſitus fiat: ut quod iſtius incuria negligitur, illius ſollicitudine ſervetur.

b *Id. lib.* 4. *ep.* 4.

LIX. Urbicus abbas S. Hermetis.

Hic eſt Urbicus, monaſterii ſancti Hermetis a Gregorio conſtructi apud Panormum præpoſitus primum, dein abbas poſt Mariniani ejuſdem loci rectoris promotionem in ſedem Ravennenſem: qui Urbicus, uti & præceſſor, generalem [c] in alia Siciliæ monaſteria ſollicitudinem gerebat. Idem a Gregorio Magno poſtulavit, obtinuitque unum e ſuis preſbyterum [d], qui ſacra miſſarum ſollemnia ibidem celebrare debeat, ordinari: ut nec ille e monaſterio ſuo hac de cauſa egredi, nec extraneum ſibi ad peragendum ſacrum opus adducere cogeretur. Eum vero quiad hoc miniſterium ex eadem congregatione electus fuiſſet, talem eſſe voluit Gregorius, & velle certe debent omnes, ut ejus *vita, mores & actio tanto poſſint miniſterio convenire*. Ad eumdem Urbicum idem pontifex direxit [e] Agathonem quemdam conjugatum, qui monaſticam vitam amplecti cupiebat, hortatus, ut eum cum omni humanitate & caritate ſuſciperet, atque ad æternam vitam ejus deſideria accenderet aſſidua adhortatione, ut & illi prodeſſet ſæculum reliquiſſe, & Urbico ipſi ejus converſio ad mercedem proficeret. Sed tamen ita ſuſcipiendum monet, ſi & uxor ipſius ſimiliter converti voluerit. Incongruum quippe eſſe cum unum amborum corpus conjugii copulatione factum ſit, partem unam converti, alteram in ſæculo remanere. Defuncto interim Victore Panormitano epiſcopo, Venantius patricius apud Gregorium ſatis egit, ut in ejus locum Urbicus ſubſtitueretur, ut ſuo loco dicturi ſumus: ſed effectu caruit poſtulatio.

c *Roch Pirrus p.* 156.
d *Greg. M. lib.* 5. *ep.* 41.
e *Ib. ep.* 49.

LX. Abbatum, preſbyterorum & diaconorum lapſorum pœna.

Jam vero ut ſe geſſerit ſanctiſſimus pontifex in abbates ſacerdotio vel diaconatu inſignes, operæ pretium eſt ex nonnullis hujus anni epiſtolis obſervare. Amandinus preſbyter & abbas cujuſdam monaſterii ſub diœceſi vel metropoli Mediolanenſi, itidemque Jobinus diaconus & abbas monaſterii de Portu-Veneris in diœceſi Lunenſi, in ordinem, immo extra ordinem redacti fuerant. Quæſivit a Gregorio Conſtantius Mediolanenſis antiſtes, utrum in ordinem reſtitui poſſent. Reſpondit [f] Gregorius, nec licere, nec aliqua ratione fieri poſſe. Quippe ſi lapſis ad ſuum ordinem revertendi licentia concedatur, canonicæ diſciplinæ vigorem frangi, dum pro reverſionis ſpe pravæ actionis deſideria concipere non pudet. Eos tamen, ſi quidem id eorum converſio meruerit, in monaſteriis ante alios conſtitui poſſe concedit, id eſt ſuum ſupra alios monachos, qui ſacrorum ordinum expertes erant, ordinem retinere. Hæc diſciplinæ ſeveritas tenuit ab exordio eccleſiæ ad ſæculum nonum. *Ut enim conſtitueretur in eccleſia*, teſte Auguſtino [g], *ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat;*

f *Id. lib.* 4. *ep.* 16. *&* 17.
g *Auguſtin. ep.* 185. *n.* 45.

ANN. CHR. 555.

non deſperatione indulgentia, ſed rigore factum eſt diſciplina. alioquin contra claves datas eccleſia diſputabitur, de quibus dictum eſt: QUÆ *ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in calo. Sed, ne forſitan, etiam detectis criminibus, ſpe honoris eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbe ageret panitentiam; ſeveriſſime placuit, ut poſt actam de crimine damnabili panitentiam, nemo ſit clericus, ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major & verior eſſet humilitatis.* Verum poſtmodum laxata eſt illa ſeveritas; conceſſuſque eſt vel reſtitutus honos poſt pænitentiam: ſicque detractum eſt aliquid ſeveritati, *ut majoribus malis ſanandis caritas ſincera ſubveniret.*

LXI. Romanæ ſynodi ſtatuta de monachis. a Greg. lib. 4. ep. 44. De ſervis.

Hoc inſuper anno habita eſt Romæ [a] ſynodus ab eodem Gregorio, in qua inter alia decretum fuit, ut quidam ex clericis, vel etiam ex monachis electi, miniſterio cubiculi pontificalis, laicorum & ſæcularium domeſticorum vice, obſequantur: nimirum ut is qui in regiminis loco eſt, tales habeat teſtes, qui vitam ejus in ſecreta converſatione videant, & ex viſione ſedula exemplum profectus ſumant. Quoniam vero multi ex eccleſiaſtica vel ſæculari familia ſervi ad monaſteria Deo ſe mancipaturi accedebant, ut ab humana ſervitute liberi, in divino ſervitio familiarius converſarentur; verebaturque prudentiſſimus pontifex, ne, ſi ii paſſim admitterentur, omnibus fugiendi eccleſiaſtici juris dominium occaſionem præberet; ſi vero eos ab omnipotentis Dei obſequio prohiberet, ei qui dedit omnia, quædam negare ac ſubtrahere videretur: conſtituit, ut quiſquis ex juris eccleſiaſtici vel ſæcularis militiæ ſervitute ad Dei ſervitium converti vellet, prius in laico habitu conſtitutus probaretur; &, ſi quidem mores ejus & converſatio bono ejus deſiderio concordarent, nemine obſtante, Deo in monaſterio ſervire permitteretur: ut ab humano ſervitio liber recedat, qui in divino obſequio diſtrictiorem appetit ſervitutem. Hoc privilegio excidere meruit quidam Cicero [b] monachus Miſenas, qui, cum a Petro diacono, patrimonii eccleſiaſtici illis in partibus rectore, pænitentiæ ob lapſum neſcio quem ſuppoſitus fuiſſet; eum ſibi ſuæque eccleſiæ, cujus ſervus erat, cum rebus ſuis reddi poſtulabat Benenatus epiſcopus. Annuit pontifex, ſi modo ejus ſervum fuiſſe conſtaret: nempe ut, poſtquam a monachica converſatione culpæ lapſu ſe ſubduxerat, domini ſui jugum, quod in propoſito ſuo permanens evadere poterat, eidem tandem reſtitutus recognoſcat. Nonnihil ſeverius actum in mancipium cujuſdam naucleri, nomine Galli, qui ſervum ſuum, in monaſterio Miſenati monachum ſe inſciente factum, ſibi reſtitui [c] a pontifice obtinuit, *licet jam monachi habitum ſumſiſſet.* Libellum manu-miſſionis ad vitam monaſticam ineundam facile obtinebant ejuſmodi ſervi, qualem Gregorius [d] ipſe conceſſit cuidam Montanæ, quæ ad converſionem monachicam, in monaſterio quodam ſancti Laurentii, cui præerat Conſtantina abbatiſſa, animum appulerat.

b ibid. ep. 27. c Id. lib. 10. ep. 3. d Id. lib. 5. ep. 12.

LXII. Gregorii epiſcopi Turon. obitus.

Ad res Gallicanas quod attinet, hoc anno e vivis exceſſit Gregorius Turonicæ eccleſiæ antiſtes eximiæ ſanctitatis, cum poſt ſcriptam hiſtoriam biennio ſupervixiſſet; auctor gravis, & pro ſui temporis captu eruditus, ſine quo in hiſtoria patria, eccleſiaſtica, monaſtica & civili, plane hoſpites & elingues eſſemus. quod idcirco viſum eſt commemorare, non quod eum noſtris accenſere cum Trithemio velim, (nam monachum haud exſtitiſſe conſtat) ſed ne auctori numquam ſatis laudato aliquid meritæ laudis rependamus. Neque vero ejus recte facta in rem monaſticam deſunt, tum piorum ſui temporis monachorum geſtis referendis, tum etiam exornanda baſilica ſancti Juliani martyris, quæ noſtrorum hactenus nobile apud Turonos cœnobium eſt, olim extra urbis muros ad Ligerim, nunc muris ipſis contenta: quam primum beatæ Mariæ de Scalariis, tum ſancti Mauricii, ac demum ſancti Juliani appellatam fuiſſe tradunt; primamque ejus originem referunt ad Chlodoveum M. qui ex pugna Vogladenſi redux, inſignis victoriæ tropæa iſtic depoſuerit. Gregorius ait [e] monachos ipſos fuiſſe ejus baſilicæ conditores, quam ipſe dedicavit tertio kalendas menſis quinti ſeu Julii: allatiſque ex Brivatenſi eccleſia reliquiis decoravit. Idem quædam miracula in illa Turonenſi baſilica facta commemorat, meminitque pauperum, qui in illius matricula deſcripti erant. Hoc monaſterium tum a Sarracenis Caroli Tuditis ſeu Martelli principatu, tum ſequenti ſæculo a Normannis everſum legitur. Tunc ſanctorum, quæ illic aſſervabantur reliquiæ, humo reconditæ, demum inſtaurato per Theotolonem antiſtitem monaſterio refoſſæ & inventæ leguntur in veteribus membranis, quæ ſi non laceræ, ſed integræ eſſent, majorem iſtius monaſterii notitiam haberemus. Undecimi quippe ſæculi auctor res ibi geſtas, tametſi rudi ſtilo, comprehenderat duobus libris: in quorum primo, ut ipſe ſecundi

S. Juliani monaſterium Turonis. e Greg. Tur. lib. 1. de gl. mart. c. 34. & ſeq.

AN. CHR. 595.

Reliquiæ iſtic quorum.

libri initio loquitur, hujus abbatiæ prima inſtiturio, inſtitutionis impia deſtructio ; „ deſtructionis pia reſtauratio continebatur : in ſecundo res a reſtauratione ad ſuum „ tempus, id eſt duodecimi ſæculi initia, factæ. Ex primo libro quarumdam tantum reliquiarum, quæ ibi detectæ ſunt, commemorationem exprimere licuit ; nempe corporum ſanctorum Blevilegueti epiſcopi Venetenſis, Lauri abbatis & Antonii monachi, de quibus nonnulla ex majorum traditione refert ; ad hæc ſancti Albini, cujus altari ollam ejus reliquiis plenam ait contineri.

LXIII. S. Blevilegueti epiſcopi Venetenſis.

De Blevilegueto nonnulla narrat auctor, quæ ſibi a Morvanno, ejuſdem Venetenſis eccleſiæ epiſcopo, relata aſſerit, videlicet præſulem fuiſſe ſanctiſſimum, qui ranis in villa epiſcopii ſui importune ſtrepentibus ſilentium impoſuerit ; deinde obſequentibus britannice intulerit, *ranchant ſingulariter*, id eſt cantent ſinguLæ, non omnes ſimul, quam ſilentii legem ranæ ab eo tempore ibi ſervaverint ; idque omnibus indigenis notum eſſe. Ad hæc in Luſdi-caſtro dæmonem effugaſſe ab homine, famuli obſequia ei præſtantem, ſed parantem in craſtinum aquis ipſum ſuffocare. Denique ſanctum virum ex divite pauperem, ex præſule monachum factum fuiſſe. Quo vero tempore vixerit, inde colligitur, quod Morvannus horum relator, qui undecimo ſæculo deſinente florebat, ſe a Blevilegueto ſeptimum eſſe epiſcopum dicit. Unde corrigas vulgatum epiſcoporum Venetenſium indicem, in quo longe plures inter utrumque epiſcopi numerantur. quæ omnia idcirco referre, tametſi forte leviora, viſum eſt, quod nudum Blevilegueti nomen, & ipſum quidem corruptum, in vulgatis indicibus reperiatur.

LXIV. S. Lauri abbatis.

De Lauro abbate hæc idem auctor. eumdem itidem origine & domo Britannum, ſtatim a puero omnia pro cæleſti gloria ſpreviſſe, opes, delicias, honores ; & demum pro Chriſto patriam, parenteſque reliquiſſe : at Deum ipſi rependiſſe amicum, qui ſibi parentum & patriæ loco eſſet. ſiquidem Judicaël, Brittonum dux optimus, a Deo adjutor in omnibus ei datus ſit, cujus adjutorio monaſterium condiderit, in quo cum ſibi ſubiectis, in omni ſanctitate floruit. Denique vitam ejus in conſpectu hominum religioſiſſimam exſtitiſſe, mortem coram Deo pretioſam : cujus ſanctitatem miraculorum gloria cumulare non deſinit, maxime in loco illo, ubi a ſæculo in cælum migravit, uti liber de ejus vita docet. Excidit hic liber, nec Lauri quidem nomen in Gallicano martyrologio, nedum in aliis locum habet. Ceterum Judicaël ſancti Johannis de Gaëlo monaſterium, quod poſtea ſancti Mevennii * a ſancto ejus nominis abbate dictum eſt, in diœceſi Aletenſi, nunc Macloviana, ſtruxit, forte illud ipſum, quod in Lauri gratiam ab eo conditum præmiſſus auctor commemorat. Sancti Mevennii virtus maxime elucet in ſanandis pſoris & furfuribus, qui morbus ſancti Mevennii vulgo appellatur ; ejuſque nomen invocatur in perveruſtis[a] litaniis Anglicanis poſt ſanctum Judicaëlem, cujus tempore eum vixiſſe exiſtimo, tametſi beati Samſonis epiſcopi diſcipulus fuiſſe dicitur. Ejus monaſterium noſtro ævo ad Miſſionarios clericos tranſlatum eſt.

S. Mevennii monaſterium.

* S. Meen de Gael.

a Analect. to. 2. p. 671.

LXV. S. Antonius monachus Turonenſis.

Nec Antonius monachus his duobus notior eſt. quamquam celebre eſt oratorium, receſſu ejus ac prioratu illius nomine inſigne. Auctor ſupra memoratus ait incertum eſſe, indigena, an advena fuerit : at certum fuiſſe hominem ſanctum, qui ſolitariæ vitæ deſiderio locum a turba remotum petierit, pulcrum utique & quietum, undique ſilvis cinctum, ubi in rupe exciſa ſculpta ſit capella, duo altaria habens, unde Antonio cognomen de Rupe. Eumdem ibidem mortuum, ſepultumque fuiſſe : ſed poſtea corpus ejus porcarii indicio in baſilicam ſancti Juliani, cujus forte monachus fuerat, proceſſu temporis tranſlatum. Addit idem auctor, in una ex his capellis fontem eſſe, quo nulli feminæ pateat acceſſus. Hæc autor ille ante annos ſexcentos. Recentiores nonnulli exiſtimant, hunc eſſe Antonium Caſinatem monachum, qui, referente Odone in vita beati Mauri, una cum ſancto Mauro in Galliam acceſſit, eumdemque ex monaſterio Glannafolienſi arcerſitum ad regendam abbatiam ſancti Juliani : qui demum abdicato regimine in ſolitudinem ſeceſſerit. Verum hæc repugnant tum libello de vita ſancti Mauri, in quo Antonius apud Glannafolium vixiſſe ac deviviſſe, atque adeo ſepultus fuiſſe perhibetur, tum chronico[b] Caſinenſi, ubi ſancti Antonii corpus a Calliſto papa ſecundo in Glannafolienſi eccleſia a ſe conſecrata depoſitum ſcribitur. Ceterum exſtat etiam nunc ſexto ab urbe Turonica lapide prædicti Antonii ſpeleum in rupe exciſum, atque oratorium prioratu inſigne, monaſterii ſancti Juliani hactenus ſubjectum.

b Chron. Caſin. lib. 4. c. 64.

Digitized by Google

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 596.

LIBER NONUS.

Ab anno Chriſti 596. *ad annum* 600.

I. Auguſtini miſſio in Angliam.

ANNUS ſupra quingenteſimum nonageſimus-ſextus, indictione quarta-decima notatus, Auguſtini Romani monachi, ejuſque ſociorum in majorem Britanniam miſſione maxime inſignis fuit. Hujus miſſionis auctor Gregorius Magnus, vir vere apoſtolicus, cui ante pontificatum ea cogitatio alte animo inſederat. Is cum in foro Romano pueros Anglicæ nationis vænum expoſitos aliquando vidiſſet, formæ elegantia pæne angelis ſimiles; ſeiſcitatus, ecquinam eſſent, cujuſve provinciæ ac religionis; comperto Anglos eſſe, & quidem paganiſmo addictos; corporatos ejuſmodi angelos dæmonis imperio ſubjacere ſummopere doluit, ſtatimque de adeunda illa regione, ut illos infideles chriſtianæ religionis fideique myſteriis imbueret, conſilium cepit. Verum cum id Romani, qui eum qua par erat reverentia colebant, intellexiſſent, ipſum a pio propoſito averterunt, invitumque retinuerunt. Cum vero id conſilii alta ſemper mente repoſitum haberet, anno pontificatus ſui ſexto rem per Auguſtinum monaſterii ſui præpoſitum, alioſque monachos & clericos exſequi & perficere, & Anglos, qui ex Germania in Britanniam inſulam ante annos circiter ducentos quadraginta-ſeptem tranſierant, ibique conſederant, ad chriſtianam fidem adducere conſtituit. Tanti operis cura demandata eſt Auguſtino monacho, Romani ſancti Andreæ monaſterii præpoſito, nec minus ſacrorum noſtrorum ſcientia, quam monaſterii ſui regulis erudito, viro probatæ pietatis, eique aliquot adjutores dati, in primis Laurentius preſbyter & Petrus monachus. Hi piiſſimi pontificis & magiſtri mandata exſequi geſtientes, illud iter abſque ulla cunctatione aggrediuntur. Verum, cum aliquantum progreſſi eſſent, operis difficultate deterriti cœperunt ſe ipſi accuſare, quod parum conſulto rem tantopere arduam & difficilem ſuſcepiſſent: ſtatueruntque communi conſilio potius reverti domum, quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cujus ne linguam quidem noſſent, adire nullo fructu, immo cum ludibrio ejus gentis & aliarum. Sed ne temere conſilium retractaſſe viderentur, Auguſtinum Romam remittunt, qui a pontifice humili ac ſupplici prece obtineret, ut ne tam incertam peregrinationem, aleæ periculi & laboris plenam, adire cogerentur.

II. Epiſtolæ hac de re a Gregorio ſcriptæ.

Eorum inconſtantiam improbavit pontifex, datiſque Auguſtino litteris eos ad perſequendum iter animavit, ac bono animo eſſe juſſit. Harum litterarum ſumma erat, melius fuiſſe bonum non incipere, quam inceptum ſtatim deſerere, & relin-

quere infectum. Irent fidentes ac certi, Deum, quo auctore hoc opus ſuſceperant, piis cœptis non defuturum, & pro tam arduo labore congruam in cælo gloriæ mercedem repenſurum. Proinde ne operis ac laboris difficultate deterrerentur, nec maledicorum hominum lingua; Auguſtino præpoſito, quem & abbatem ipſis præfecerat, in omnibus humiliter obedirent, ſcientes, id eorum ſaluti profuturum, quidquid ex ejus mandato compleverint. Ceterum optare, ut in cæleſti patria eorum laboris fructum coram ſpectare, ejuſque portionem aliquam adipiſci ſibi contingat, quippe qui, etſi cum eis laborare ſibi non datum eſſet, collaborare tamen magnopere cuperet. Data die decima kalendarum Auguſtarum, imperante domino noſtro Mauricio-Tiberio, piiſſimo auguſto, anno decimo-quarto, poſt conſulatum ejuſdem anno decimo-tertio, indictione decima-quarta. Has chronologicas notas ſolus refert Venerabilis Beda, harum rerum auctor accuratus, in libro primo hiſtoriæ gentis Anglorum, ex quo hæc epiſtola in regiſtrum Gregorii relata eſt in fine libri quarti, ſed ſine chronologicis notis. Eædem ſunt apud Bedam aliarum litterarum ad Gallicanos epiſcopos, quibus Gregorius Auguſtinum ejuſque ſocios commendavit. Ex quo intelligitur, eas Auguſtino, cum rediret ad ſuos, primum traditas fuiſſe, ut in propoſito confirmarentur, oblata commendatione non modo ad Gallicanos epiſcopos, ſed etiam ad reges Francorum. Exſtant [a] hodie quoque litteræ, a paribus, quibus Gregorius Palladio Santonenſi, Pelagio Turonico & Sereno Maſſilienſi epiſcopis Auguſtinum ejuſque ſocios commendat, rogans, ut religioſos viros, nullius apud ſacerdotes, id eſt epiſcopos, commendationis egentes, omnibus rebus neceſſariis adjuvent; & quæ ultro facere ipſos deceat, libentius ac promtius faciant ſuis litteris incitati. Eadem epiſtola [b] inſcripta eſt Ætherio Lugdunenſi epiſcopo, apud Bedam, qui eum Arelatenſem epiſcopum perperam vocat. Ejuſdem argumenti eſt epiſtola ad Virgilium Arelatenſem, metropolitanum Galliæ, itemque alia ad Deſiderium Viennenſem, & ad Syagrium Auguſtodunenſem.

a Greg. lib. 5. ep. 12.

b ibid. ep. 53. 54. & ſeqq.

Non dubito quin priores ex his litteris, quæ encyclicæ & communes erant, aliis etiam Galliarum epiſcopis directæ ſint. Quamquam ii, quos modo commemoravi, præcipuæ erant inter ceteros auctoritatis: ex quibus Syagrius Auguſtodunenſis & Palladius Santonenſis magna in regio palatio gratia pollebant, iidemque Gregorio ob accepta beneficia obſtricti erant. Scripſit quoque Gregorius non ſolum ad Arigium patricium Galliarum, ſed & ad Theodericum & Theodebertum Francorum reges, de quibus multa ſe & magna ſperare ait, quod regnum recta fide ornatum, & integritate chriſtianæ religionis inter alia aliarum gentium regna præcipuum obtinerent, ſibique ſubjectos ad eam, quam ipſi ſequerentur, fidem adduci cuperent. Compertum ſibi eſſe gentem Anglorum ad fidem chriſtianam converti flagrantiſſime optare; ſed a ſacerdotibus Galliarum inſulæ Britanniæ proximis negligi. Quare Auguſtinum ſe monachum, cujus ſtudium moreſque optime noſſet, cum aliquot aliis monachis eo mittere: quibus etiam mandaverit, ut aliquot ex ora Galliæ, eidem inſulæ adverſa, preſbyteros ſecum ducerent, tanti operis ac laboris futuros adjutores. Demum rogare, ut eorum permiſſu ac voluntate id facere liceat, utque homines a ſe miſſos regia poteſtate tueantur & adjuvent. Eadem fere hac de re epiſtola itidem ſcripta eſt ad Brunichildem reginam.

Quo ex loco Romam ad Gregorium reverſus ſit Auguſtinus, colligere licet ex Gregoriana epiſtola [c], quam in Auguſtini reditu ſanctiſſimus pontifex ſcripſit ad Stephanum Lirinenſem abbatem, in qua lætum ſe factum fuiſſe dicit ex relatione *Auguſtini ſervi Dei*, id eſt monachi, teſtificantis, Stephanum abbatem vigilantem eſſe, ejuſque congregationem unanimem vivere. Unde conjicere datur, Gallorum, & forte Lirinenſium ſermonibus deterritum fuiſſe Auguſtinum ejuſque ſocios, quos Stephano forſan ob hanc cauſam non commendat, ut vir doctiſſimus [d] obſervavit.

c ibid. ep. 56.

d Fleury Hiſt. eccl. l. 8. p. 119.

Ex his omnibus epiſtolis, quas Auguſtinus iis, ad quos ſcriptæ erant, reddere debebat, colligere licet ſeriem itineris, quo ipſe ex Italia per Galliam cum ſociis in Britanniam majorem profectus eſt. Primo quippe adeunda Maſſilia fuit, tum Arelate, & forte ante monaſterium Lirinenſe, cujus religionem Auguſtinus ſervus Dei Gregorio [e] approbavit; deinde Vienna, Lugdunum, Cabilonum, ubi Theodericus Burgundiæ rex cum Brunichilde reſidere ſolebat; poſtea Auguſtodunum, Divodurum-Mediomatricum, aut certe Durocortorum-Remorum, Theodeberti Auſtraſiæ regis ſedes; inde Mediolanum-Santonum & Cæſarodunum-Turonum:

111. Itineris ſeries.

e Greg. lib. 5. ep. 56.

ANN. CHR. 596.

ubi ſine dubio ſancti Martini tumulum ac cineres venerati ſunt. His perluſtratis id forte contigit, quod Goſcelinus monachus in libro de vita ſancti Auguſtini narrat. Nempe Auguſtinum cum ſociis, cum Andecavos peterent, *Ponte-Sai*, quem imperiti Pontem-cæſaris vocant, pertranſito, in adjacentem villam pernoctandi cauſa veniſſe; ibique indigna paſſos a mulierculis, qui tantam peregrinorum turbam irridebant, & ludibrio habebant, ſub divo noctem traduxiſſe: ubi & fontem, defixo in terram baculo, elicuerit Auguſtinus, & proceſſu temporis ædificata ſit eccleſia, ejus nomine decorata, in quam feminis, ob injuriam eidem factam, negatus ſit ingreſſus. Certe eo loci hactenus eccleſia cum fonte viſitur, modo parœcialis, titulusque prioratus, ſub nomine ſancti Auguſtini *, olim Benedictinis, nunc canonicis regularibus abbatiæ omnium Sanctorum apud Andecavos ſitæ ſubjectus, quæ olim & ipſa prioratus erat, ante quam in abbatiam ineunte ſæculo tertio-decimo converteretur. Poſt hæc Andecavos adiit vir ſanctus cum commilitonibus ſuis, atque inde in inſulam Britanniam trajecit.

* S. Outin.

IV. Angliam ingrediuntur.

Regnabat tum in Cantio, regione inſulæ Galliis objecta, Ethelbertus Anglorum rex, & uſque ad Humbrum fluvium, quo meridiani Angli a ſeptemtrionalibus dirimebantur, imperium protulerat; habebatque in conjugio Bertam, Adilbergam Gregorius Magnus vocat, chriſtianam ac pientiſſimam feminam, Chariberti quondam Francorum regis filiam, quam ea conditione [a] a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis ſuæ cum Liudhardo epiſcopo Gallo, quem ſecum adduxerat, inviolatum ſervare poſſet. Appulſi in Tanetum inſulam, quæ ad orientalem Cantii plagam ſita eſt, Auguſtinus & ſocii ferme quadraginta, comitantibus interpretibus, quos ex Gallia acceperant, Ethelberto ſignificarunt, ſe Roma iſtuc veniſſe a Pontifice miſſos, ut optimum ei nuntium afferrent, ſpem nimirum indubitatam potiundi æternis in cælo gaudiis, & regno ſine fine permanſuro, ſi modo ſuis monitis obtemperare vellet. His auditis rex, qui jam a conjuge ſua de religione chriſtiana audierat, manere eos in Taneto inſula juſſit, dum ipſe, quid huc facto opus eſſet, animo ſtatueret. Poſt non multos dies venit ad inſulam rex, & ſub divo reſidens (nam in domo magicæ incantationis periculum ſuſpicabatur) Auguſtinum cum ſociis in colloquium admiſit. Hi vero non alia quam divina virtute freti, crucis argenteæ vexillo cum picta Salvatoris imagine prælato, litanias concinentes acceſſerunt, & verbum vitæ regi omnibuſque qui aderant, cum tanta gratia prædicarunt, ut eis humaniſſime reſponderit his omnino verbis. „ Pulcra quidem ſunt verba & promiſſa, quæ affertis: ſed quia nova ſunt & incerta, his aſſentiri in præſens non poſſum relictis ritibus, quos tanto tempore cum tota Anglorum gente ſervavi. Verum, quia huc e longinquo peregrini veniſtis, ut nobis, ſicuti exiſtimo, quæ vera & optima creditis, communicetis; vobis moleſti eſſe nolumus: quin potius hoſpitio vos benigne excipere, & quæ ad victum vobis neceſſaria erunt, miniſtrari curabimus. Interim in urbe Doroverno, regni ſui capite atque metropoli, eos collocavit, ſumtuque publico ali juſſit. Memoriæ proditum eſt, appropinquantes prædictæ civitati, crucem & imaginem Salvatoris more ſuo præferentes, hanc litaniam ſeu precationem conſona voce modulatos fuiſſe: *Deprecamur te, Domine, in omni miſericordia tua, ut auferatur furor tuus & ira tua a civitate iſta, & de domo ſancta tua, quoniam peccavimus, halleluia.* Illic vero apoſtolicam vitam imitati ſunt, in orationibus videlicet, vigiliis ac jejuniis, & in prædicatione verbi divini aſſidui: quibus primum nonnullos ad chriſtianam fidem adduxerunt, admirantes innocentis ipſorum vitæ ſimplicitatem ac dulcedinem doctrinæ cæleſtis. Erat autem prope ipſam civitatem ad orientem eccleſia in honorem ſancti Martini, antiquitus, dum Romani Britanniam incolerent, conſtructa, ubi Berta regina orare conſueverat. In hac ergo & ipſi primo convenire, pſallere, orare, miſſas facere, prædicare & baptizare cœperunt, donec, rege ad fidem converſo, majorem ubique prædicandi, eccleſias erigendi vel inſtaurandi facultatem obtinuiſſent.

[a] Beda lib. 1. c. 25.

Profectus eorumdem.

V. Gregorii caritas ad redimendos pueros Anglos.

Ea vero Gregorii in Anglos caritas erat, ut Candido [b] preſbytero in Galliam eunti ad regendum eccleſiæ Romanæ his in partibus patrimonium mandaverit, „ ut ex ſolidis, quos accepturus erat, veſtimenta pauperum vel pueros Anglos, qui eſſent ab annis decem & ſeptem, vel decem-octo compararet, ut in monaſteriis dati Deo proficerent. qui locus confirmat id quod jam ſuperius diximus, pueros & catechumenos per hæc tempora in monaſteriis inſtitui conſueſſe: immo & non raro

[b] Greg. lib. 5. ep. 10.

Digitized by Google

ANN. CHR. 596.

baptiſmum accipere. Sed quia pagani erant ejuſmodi adoleſcentes, jubet providus pater, ut cum eis preſbyter tranſmittatur, ne quid ægritudinis in via ipſis contingat: ut quos morituros perſpexerit, baptizare debeat. Patrimonium eccleſiæ Romanæ in Galliis potiſſimum in Provincia ſitum erat, conſtabatque ex reditibus & locatione quorumdam prædiorum, quæ fideles nonnulli pietatis cauſa beato Petro contulerant. Acceſſit proceſſu temporis penſio ex quibuſdam monaſteriis, ſedi apoſtolicæ immediate ſubjectis, quæ annuum cenſum eccleſiæ Romanæ in ſignum ſubjectionis & acceptæ libertatis pendebant. quale fuit in primis Cluniacenſe monaſterium, aliaque non pauca. Hujus ergo patrimonii cura in Galliis Candido preſbytero commiſſa erat, quod ad nutum pontificis ipſis in locis, ubi colligebatur, in pias eleemoſynas, in veſtes & ſubſidia pauperum, pupillorum, viduarum, monaſteriorum, expendi ſolebat. Unde Gregorius ſolidos Galliarum *apud locum proprium* expendi jubet, *qui in terra*, inquit, *noſtra expendi non poſſunt*, id eſt non debent. Mirum eſt ejuſmodi patrimonii curam preſbytero demandatam fuiſſe, quam paſſim diaconis committi mos erat.

S. Petri patrimonium.

VI. Stephano abbati Lirinenſi ſcribit Gregorius.

a Greg. lib. 5. ep. 56.

Sic in omnes orbis chriſtiani partes intentus erat Gregorii animus, immenſus quodam modo & infinitus, ita majoribus intentus, ut nec minora ipſum præterirent. Cochleares & circulos in uſus pauperum aliquando miſerat Stephanus abbas Lirinenſis, qui Auguſtinum ſervum Dei Lirini exceperat. Patri optimo res in ſpeciem parva tanti viſa eſt, ut eum litteris [a] dignaretur, ſimul gratias acturus pro munere, ſimul ſollicitum redditurus erga congregationem ei commiſſam. Lætos, inquit, nos relatio Auguſtini ſervi Dei, præſentium portitoris, effecit, quod dilectionem tuam, ut oportet, vigilantem eſſe narravit. Denique & preſbyteros, & diaconos, cunctamque congregationem unanimes vivere ac concordes affirmat. Et quoniam præpoſitorum bonitas ſubjectorum ſalubris eſt regula; omnipotentem Dominum deprecamur, ut in omnibus te ſemper operibus gratia ſuæ pietatis accendat, & commiſſos tibi ab omni diabolicæ fraudis tentatione cuſtodiat, & tecum in caritate & placita ſibi vivere converſatione concedat. Ita ille, & plura in hunc modum. Auguſtinus ille ſervus Dei non alius eſt ab Auguſtino ad Anglos miſſo; adeoque conſequens eſt, quod jam dixi, eum adeundo inſulam Britanniam Lirinum appuliſſe cum ſociis; eoſque operis difficultate perterritos, inde Auguſtinum Romam, ad obtinendum a pontifice regreſſum, direxiſſe, dum interim ſocii ipſi Lirini ſubſiſterent; eumdemque eſſe portitorem illum, cujus ſuperior epiſtola meminit. Neque vero poſthac, excepta illa occaſione, Auguſtinus Romam amplius reverſus eſt. Ubi obſervare convenit, preſbyteros & diaconos complures Lirini jam tunc exſtitiſſe, ut ex relatis epiſtolæ verbis intelligitur. Stephanum abbatem in vulgatis Lirinenſium abbatum indicibus ſubſequitur Cono, ad quem exſtat Gregorii [b] itidem epiſtola, de ſollicita monaſterii procuratione ejus ſe lætari teſtantis, ſicut *audita deceſſoris* ejus *incauta remiſſio* ipſum contriſtaverat. Fuerit ergo ſuperior illa ad Stephanum epiſtola exhortantis potius quam laudantis. niſi ſi Stephanus non ſatis Gregorio tunc notus fuerit, aut ſubinde mores mutaverit, tantumque doloris Gregorio attulerit ex factis extremis, quantum forte lætitiæ ex primis attulerat. Porro hujus epiſtolæ vitioſa in editis inſcriptio ex codice Colbertino recte emendatur hoc modo: *Stephano abbati de monaſterio, quod eſt Lirino Galliæ*: cum in excuſis mendoſe legatur, *de monaſterio Quirilino Galliæ*, ubi corrigenda etiam novi editoris nota, falſo aſſerentis, nullum tunc temporis haberi Stephanum in indicibus abbatum Lirinenſium. ad quod refellendum unus ſufficit Galliæ-chriſtianæ fuſioris index. Proferri poſſent etiam indices ſcripti: ſed in re minime neceſſaria diutius immorari non licet.

b Id. lib. 9. ep. 8.

VII. Preſbyteri ex monaſteriis aſſumti.

* Orvieto.

c Id. lib. 5. ep. 27.

Candidus epiſcopus Urbis-veteris * in Etruria ſancto pontifici ſcribens monuerat, ſe raritate preſbyterorum in parochia ſeu diœceſi ſua laborare; ſed eſſe in quibuſdam parochiæ ſuæ monaſteriis quoſdam monachos, qui ad id muneris apti eſſent, ſi modo ſibi eos ordinari liceret. Reſcripſit [c] Gregorius id ſibi probari, modo id fieret cum conſenſu abbatis; (nam renitente abbate hoc non licebat, ut ſuperius obſervatum:) eſſetque ſollicitus epiſcopus, ut vitam actuſque eorum, qui in hoc officio conſtituendi eſſent, accurate inquireret, ut nonniſi dignos ad hunc ordinem quoquo pacto proveheret. Ex quo intelligitur, complura tum monaſteria in ea diœceſi exſtitiſſe.

d Ib. ep. 46.

Idem pontifex Felicem [d] Piſaurenſem * epiſcopum reprehendit, quod monaſte-

AN. CHR. 596.

Epiſcopi cathedra ex monaſterio ſublata.

» rium, cujus auctor & abbas erat Johannes, cum miſſis publicis, contra quam Pela-
» gius papa juſſerat, dedicaſſet, & cathedra poſita, ſacra illic miſſarum ſollemnia pu-
» blice celebraret: jubetque, ut omni excuſatione ceſſante, cathedram ſuam exinde
» amoveri curet, (cathedræ quippe epiſcoporum ad eccleſias, ubi miſſæ celebrari debe-
» bant, deſerebantur, atque adeo mobiles erant) nec denuo [a] ibidem miſſas publicas per-
» agat, ſed preſbyter, quem forte monachi petierint ad miſſas ſibi celebrandas. Ad hæc
» ut calicem, quem ex illo monaſterio abſtulerat, quantocius reſtitueret. ubi vides mo-
» naſterii nomine etiam oratorium ſeu eccleſiam monaſterii comprehendi & ſignificari.

[a] Peſaro

[a] V. infra n. 14.

VIII. S. Cyriaci monaſterium Romæ.

In urbe Roma Johannes preſbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ in domo juris ſui juxta thermas Agrippinas oratorium conſtruxerat, in quo ſervorum Dei ſeu monachorum congregationem eſſe conſtituerat, edito teſtamento, cujus exſecutionem Pelagius papa in ſe receperat. Re infecta obiit pontifex, & domus ipſa cum horto ſuo ab actoribus eccleſiæ Romanæ occupata & detenta fuit. Non tulit hanc pii teſtamenti fruſtrationem Gregorius: & quia *pro difficultate temporis* nova illic ſervorum Dei congregatio inſtitui non potuit, feminarum ſaltem cœtum ibidem conſtituendum decrevit; atque ideo & locum ipſum *ſollemniter*, id eſt cum miſſa publica, dedicare. Huic vero parthenoni præfecit Bonam [b] abbatiſſam, quam ex alio monaſte-

[b] *lib. ep.* 44.

Bona abbatiſſa.

» rio, ruinæ proximo, iſtuc accerſiit; eamque diſtricte monuit, ut & Dei laudes de-
» vote, ut moris eſt, ibidem celebrarentur, & res ipſius monaſterii ex ejus negligen-
» tia nullo modo deperirent. Hoc eſt monaſterium ſancti Cyriaci ad thermas, cujus loci antiquiſſimum kalendarium in Vallicellana Romæ bibliotheca aſſervatum legimus: in quo notatur XVIII. kalendas Maii obitus Bonæ abbatiſſæ ſancti Cyriaci, eadem ſine dubio, cui hæc, de qua agimus, Gregorii epiſtola inſcripta eſt. Inter alias abbatiſſas domina Petruſſa, humilis, ſed nobilis abbatiſſa, monaſterium reformaſſe atque etiam exaltaſſe dicitur. Porro in eodem kalendario adſcribitur *quinto idus Februarii ædificatio beati Benedicti abbatis.* præter ejus natale XII. kalendas Aprilis, & depoſitionem, ſcilicet in monaſterio Floriacenſi, quæ notatur quinto idus Julii. quo in loco quid ædificatio ſancti Benedicti indicet, non video: niſi forte his verbis ſignata eſt reſtitutio monaſterii Caſinenſis per Petronacem. In eodem porro kalendario conſignatur etiam die ſequenti, hoc eſt IV. idus Februarii, memoria ſanctæ Scholaſticæ virginis. quæ omnia ſatis ſuperque probant, monachas illas ad præſcriptum regulæ noſtræ vixiſſe. Nec omittere licet, quod *depoſitio ſanctæ Mariæ virginis, matris domini noſtri Jeſu-Chriſti* notatur XV. *kalendas Februarii.* quod arguit prima illa tempora, quibus hoc feſtum ea die celebrabatur, uti in Liturgia Gallicana docuimus, non vero, ut modo, XVIII. kalendas Septembris. Præter Bonam abbatiſſæ ibidem adſcribuntur Maria, Pretia, Jacoba, Theodoræ plures, Comitiſſa, Lavinia, Agatha, Petruſſa reformatrix jam laudata, Boniza, quæ & Dultiza, Andrea, Angelica, Adilaza, item Labinia, Eugenia & Sergia: ſed quem inter ſe ſe ordinem tenuerint, omnino incertum. Jam dudum hoc ſancti Cyriaci monaſterium occupare deſierunt ſanctimoniales noſtræ, illudque tenent in præſens patres Cartuſiani.

IX. S. Agnelli abbatis obitus.

Hoc ipſo anno Agnellus Neapolitanus, & Ebrulfus Uticenſis in Gallia, notæ ſanctitatis abbates, in cælum migrarunt. Agnellus Neapoli natus dicitur piis honeſtiſque parentibus, qui, cum ſteriles eſſent, a beata Dei genitrice precibus illum obtinuerunt. Anno ætatis quinto decimo vitam amplexus monaſticam, ſacellum in quodam ſpecu exſtruxit, eidemque continens xenodochium, in quo ægrotos excipiebat, atque ipſe refovebat. Dein nominis ſui celebritatem fugiens, ſeceſſit in altiſſimos Samnii montes, ibidemque in ſpecu ignotus aliquamdiu latuit: ſed divino monitu ad xenodochii ſui curam revocatus, tandem ſancti Gaudioſi monaſterium ſuſcepit regendum ſub regula ſancti Benedicti, ut in Ferrarii catalogo legitur. Ejus corpus Fortunatus epiſcopus, accitis finitimis quatuor epiſcopis, in æde ſacra beatæ Mariæ, quæ poſtea ſancti Agnelli dicta eſt, honorifice condidit. Sancti Gaudioſi monaſterium eo in loco exſtitit, ubi poſtea Dominicani eccleſiam ſemirutam in honorem beatæ Mariæ de Sanitate, ut vocant, erexerunt. Fuit & aliud in eadem urbe virginum cœnobium ſancti Gaudioſi confeſſoris & epiſcopi Africani, quod Stephanus Neapolitanus epiſcopus, ordine quadrageſimus, præter alia duo, nempe ſancti Feſti, & ſancti Pantaleonis martyrum, exſtruxit, addita baſilica ſanctæ Fortunatæ virginis & martyris, cujus corpus e Patrienſi allatum eccleſia ibidem recondidit,

teſtante Paulo diacono in libro nondum edito de epiſcopis Neapolitanis.

ANN. CHR. 596

X

S. Ebrulſi item abbatis Uticenſis.

Ebrulſus, Uticenſis in Neuſtria abbas, eodem anno, eodemque menſe, nempe Decembri, in cælum receptus eſt. Per dies quadraginta, quibus febris incommoda ſuſtinuit, nullum alium cibum percepit, quam identidem *Domini Jeſu corporis Sacramentum*; nec perſuaderi ſe paſſus eſt, ut aliquid refrigerii admitteret. Neque vero terrenis epulis ac ſubſidiis egebat, quem Spiritus-ſanctus interius alebat, recreabatque. Inſtante extrema hora, fratres convocavit, paucíſque, ſed efficacibus verbis eos ad ſobrietatem, caſtitatem, & humilitatem cohortatus eſt, eoſdem ſedulo admonens, ut quod Deo promiſerant, ſtuderent implere. Migravit a ſæculo octogenarius quarto kalendas Januarii, Chlotharii regis anno duodecimo. Corpus ejus, poſt tres in eccleſia dies in hymnis & precibus exactos, in marmoreo loculo conditum eſt in baſilica ſancti Petri apoſtolorum principis, quam ipſe ædificaverat. Res ab eo geſtas litteris mandavit monachus Uticenſis anonymus, & quidem perantiquus: cujus libellum Ordericus Vitalis, ejuſdem loci cœnobita, hiſtoriæ ſuæ inſeruit cum nonnullis additamentis, quæ in Actis noſtris videre licet. Eamdem vitam metrice reddidit Johannes ex ſcholaſtico Remenſi monachus Uticenſis, teſte eodem [a] Orderico, carmenque hac de re ſuum Radulfo metropolitæ Remenſi nuncupavit. Librum de ejus miraculis ſcripſerat Natalis monachus, quem librum incendio periiſſe idem Ordericus tradit, confeſſus ſe ignorare, qui vel quot Ebrulſi in Uticenſi monaſterio ſucceſſores fuerint per quadringentos annos, nimirum uſque ad monaſterii inſtaurationem medio ſæculo undecimo factam. Unum invenio Ragingarium abbatem de Utico, qui ſynodo Attiniacenſi ſubſcripſit anno ſeptingenteſimo ſexageſimo-quinto apud Labbeum.

a Orderic. lib. 5. p. 586.

XI.

Albertus abbas Gambrenſis.

Eadem omnino facta tribuuntur Alberto cuidam abbati monaſterii Gambrenſis, quod ipſe ad Oldam fluvium conſtruxiſſe fertur. Oldam * hunc invenimus in pago Andecavenſi, ſed Gambrum illic deſideramus. Albertus natus dicitur in urbe Sagienſi nobilibus parentibus, atque in aula regis educatus; dimiſſa dehinc quam duxerat uxore, tonſura ſuſcepta, ad fluvium Oldam ſeceſſiſſe. Abhinc omnia cum Ebrulfo communia. Primo tres ſocii, quibuſcum monaſterium Gambrum conſtruxit. Deinde latrones utrobique converſi; panis in ſumma inopia pauperibus datus, ſed alimonia deinde divinitus ſuppeditata; corvi multata rapacitas; monaſteria quindecim conſtructa; monachus abſque viatico mortuus ad vitam revocatus; item alius famulus excitatus, ex peſte exſtincti monachi ſeptuaginta-quinque; mors eodem die, ſcilicet quarto kalendas Januarii, quam obitus monachi diaconi ſubſecutus. Sic ſola fere nomina propria diſcrepant, cetera communia: ita ut non dubitem, quin ſcriptor ille qualiſcumque vitæ ſancti Alberti libellum de geſtis beati Ebrulſi præ oculis habuerit: tametſi ait ſe uſum *veteri exemplari*. Id tantum in Albertina proprium, quod is ſanctorum patrum Benedicti & Columbani, ſed & Romanum curſum ſeu officium quotidie expleret. quod de ſancto Serenico itidem legitur. deinde quod omni die dominico coram eo tres miſſæ canerentur. ad hæc quod ter tantum in anno comam tonderet. Ceterum nullæ in hac vita chronologicæ notæ: niſi quod nonagenarius obiiſſe dicitur. unde non minus tempus quo vixit ignotum eſt, quam locus ubi habitavit, conſtruxitque monaſterium Gambrum, cujus baſilica, in qua ſepultus fuit, in honorem beatæ Mariæ ſacrata erat. Haud ſcio an idem ſit monaſterium *de Gambron*, cui Jacobus [b] Aragoniæ rex ducentos morabitinos legavit anno M CC LXXII. Ex his patet nullius eſſe auctoritatis hunc vitæ conſarcinatorem, qui paſſim laudat vitam & regulam ſancti Benedicti. Willelmus abbas Romæ in monaſterio ſancti Pauli mentionem facit *Alberti abbatis* tertio kalendas Januarii in kalendario ſanctorum, quod compoſuit anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo. Tantum de hoc Alberto.

* l'Oudon.

b Spicil. to. 9. p. 251.

ANN. CHR. 597.

XII.

Ethelberti regis converſio aliorumque.

INterim apud Anglos res chriſtiana per Auguſtinum, ejuſque ſocios mirifice promovetur. Rex ipſe Ethelbertus [c] præconum evangelicorum hortationibus, exemplíſque commotus, ſimul etiam divinis promiſſis, quæ miraculorum oſtenſione confirmabant, ſacro demum fonte ablutus eſt. Ejus exemplo multi quotidie ad audiendum Dei verbum confluere cœperunt, atque ejurata gentilium ſuperſtitione, Chriſto & eccleſiæ catholicæ nomen dederunt. Eorum vero fidei & converſioni ſic congratulatus eſt rex, ut credentes quidem artiori amore, utpote regni cæleſtis

c Beda lib. 1. c. 26. & 27.

ANN. CHR. 597.

concives futuros, complecteretur: ſed tamen neminem invitum ad chriſtianiſmum cogeret. Didicerat quippe a doctoribus ſuis, obſequium Chriſti voluntarium ac ſpontaneum eſſe debere, non extortum & coactitium. Sub hæc ipſis doctoribus ſuis in Dorovernia metropoli ſua, quæ Cantuaria poſtea dicta eſt, locum ſedis donavit; ſimulque multas contulit poſſeſſiones, & omnia neceſſaria abunde ſuppeditari juſſit. Pentecoſtes diem [a] regis baptiſmo adſcribunt recentiores quidam ſcriptores Anglicani.

a *Th. Sprottus in hiſt. monaſt. S. Auguſtini.*

XIII. Auguſtini ordinatio.

Cum res tam proſpere ſuccederent, Auguſtinus ordinationis cauſa in Galliam acceſſit, & prætermiſſis metropolitanis & epiſcopis proximis, Arelate profectus eſt ad Virgilium Arelatenſem antiſtitem, cui vices ſuas Romanus pontifex per Gallias dato pallio demandaverat. Auguſtinus, ſi Sprotto & Thorno fides eſt, ordinatus fuit epiſcopus XVI. kalendas Decembris. Nec ſane id male convenit cum ſequentium rerum ſerie. ſiquidem Arelati ſtatim reverſus in Britanniam inſulam, Anglos decies mille ſacris aquis luſtravit in ſollemnitate nativitatis Domini. quo præclaro facto epiſcopatus ſui primitias egregie illuſtravit. Teſtes ea de re Gregorii [b] litteræ ad Eulogium epiſcopum Alexandrinum, in quibus tum de Auguſtini
» miſſione, tum de hac converſione Anglorum ita diſſerit. Data a me licentia, a
» Germaniarum (lege Galliarum) epiſcopis epiſcopus factus, cum eorum quoque ſo-
» latiis ad prædictam gentem in fine mundi perductus eſt: & jam nunc de ejus ſalu-
» te & opere ad nos ſcripta pervenerunt, quia tantis miraculis vel ipſe, vel hi qui cum
» eo tranſmiſſi ſunt, in gente eadem coruſcant, ut apoſtolorum virtutes in ſignis, quæ
» exhibent, imitari videantur. In ſollemnitate autem dominicæ nativitatis, quæ hac
» prima indictione tranſacta eſt, (indictione ſcilicet a Septembri inchoata) pluſquam
» decem millia Angli ab eodem nuntiati ſunt fratre & coepiſcopo noſtro baptizati.
Ita Gregorius in orientem lætitiam hac de re ſuam amico explicabat. Verum has aliaſque Auguſtini ad Gregorium litteras excidiſſe, nobis magnopere dolendum eſt.

b *Greg. lib. 7 ep. 30. ind. 1.*

XIV. Reſpectæ abbatiſſæ Maſſilienſis privilegium.

Præerat hoc tempore Reſpecta abbatiſſa monaſterio Maſſilienſi, quod in honorem ſancti Caſſiani conſecratum erat, teſte [c] Gregorio: cui parthenoni domum ſuam conjunxerat ac donaverat Dynamius, cum Aurelio ſeu Aureliano germano ſuo; eidemque privilegium eorum rogatu conceſſit Gregorius, conſtituens, ut, obeunte
„ ejuſdem loci abbatiſſa, non extranea, ſed quam ipſa congregatio ex ſuis ſibi elegiſ-
„ ſet, ordinetur. Deinde ut in res & diſpoſitionem monaſterii nec epiſcopus, nec
„ quiſquam eccleſiaſticorum, ſed ſola abbatiſſa habeat poteſtatem. Ad hæc, ut in die
„ natalis vel dedicationis monaſterii ita epiſcopus Miſſarum ſollemnia celebrare poſ-
„ ſit, ut cathedra [d] ejus ex eodem oratorio, peractis ſacris, auſerri debeat: ceteris
„ vero diebus per preſbyterum, qui ibidem ab epiſcopo fuerit deputatus, miſſarum
„ officia celebrentur. At vero erga vitam & actus ancillarum Dei ſive abbatiſſæ epiſ-
„ copus ſollicitudinem adhibeat: ut, ſi qua ex his exigente culpa puniri debuerit, ipſe
„ juxta ſacrorum canonum vigorem culpam vindicet atque emendet.
Hunc eſſe Dynamium patricium Galliarum eruditi viri exiſtimant, qui amiſſa uxore Encheria ſe totum piis actibus dediderit cum Aureliano fratre ſuo, quos Gregorius, ut ad meliora [e] in dies proficiant, hortatur. Aurelianum vero de morte fratris ſui, quæ anno ſexcenteſimo-primo accidit, litteris [f] ſuis conſolatur. Ceterum hoc ſancti Caſſiani monaſterium virginum non aliud eſſe credimus, quam cœnobium ſancti Salvatoris, quod Maſſiliæ hactenus ſubſiſtit ſub regula & ordine ſancti Benedicti, auctoremque ſuum Caſſianum agnoſcit. Quod attinet ad monaſterium ſancti Victoris ab eodem conſtructum, illud per id tempus regebat Anaſtaſius abbas, is qui adverſus Theodorum epiſcopum cum Dynamio patricio inſurrexit, ut apud Gregorium [g] Turonenſem epiſcopum legitur. quod facinus piis factis Dynamius poſtea expiavit. an etiam Anaſtaſius, nobis incompertum.

c *id. lib. 6. ep. 12.*
d *V. ſupra num. 7.*
e *Greg. ibid. ep. 33.*
f *id. lib. 9. ep. 70.*
g *Greg. Tur. lib. 6 c. 11.*

XV. Deſponſata fit monacha.

Non ab re erit hoc loco referre, id quod Gregorius noſter ſtatuit [h] de ſorore cujuſdam Catelli civis Neapolitani, quæ cum Stephano cuidam fuiſſet deſponſata, divino inſtinctu in Neapolitanum monaſterium convolavit, ibique converſa eſt. Hinc Stephanus ſponſus ejus domum & res illius protinus invaſit, atque indebite retinuit. Reſtitutionem juſſit pontifex, propterea quod decreta legalia deſponſatam, ſi converti voluerit, nullo omnino damno multandam cenſuerunt. quæ lex in codice [i] Juſtiniano reperitur. Aliter egit pontifex [k] cum Agathoſa muliere Panormitana, cui maritum ſuum, etiamſi jam tonſuratus eſſet in monaſterio, reſtitui juſſit:

h *Greg. Magnus lib. 6. ep. 20.*
i *Cod. de epiſc. & cleric. l. 36*
k *Greg. lib. 9 ep. 44.*

ANN CHR. 597

quia etſi mundaua lex præcipit, converſionis gratia utrolibet invito poſſe ſolvi conjugium, divina hoc tamen lex fieri nou permittit.

XVI. Andream ad ſæculi contemtū hortatur Gregorius.

Noo minoris momenti eſt alia epiſtola [a] ad Andream ſcholaſticum Ravennatem, cui gratulatur, quod domna Conſtantina, clariſſima puella, forte ipſius Andreæ filia aut ſoror, nuptiis nuntium remiſiſſet, ut ab hujus mundi laqueis ſe expediret. Et forte hæc ipſa eſt Conſtantina mooaſterii ſancti Laurentii abbatiſſa, de qua Gregorius alibi loquitur [b]. Ejus exemplo Andreas ſcholaſticus, magnæ tum dignitatis, utpote qui exarcho a conſiliis erat, in eamdem Chriſti militiam ingredi ſe velle Gregorio ſignificaverat: ſed tamen ſereniſſimo domino imperatori ab eo commendari cupierat, ut operam illi ſuam offerret. Hac poſtrema petitione pontifex ſe mærore affectum dicit, quod Andream alio tendere exiſtimaverit. Multos novi, inquit, qui in ſervitio rei publicæ poſiti vehementer affliguntur: quia eis non licet vacare, & peccata ſua plangere: & vos, ait, qua re neſcio occupari deſideratis. Cur enim, magnifice fili, non conſideras, quia mundus in fine eſt? Omnia urgentur quotidie: ad reddendas ratiunes æterno & tremendo Judici ducimur. Quid ergo aliud, niſi de adventu illius cogitare debemus? Vita enim noſtra naviganti eſt ſimilis. Is namque qui navigat, ſtat, ſedet, jacet, vadit, quia impulſu navis ducitur. Ita ergo & nos ſumus, qui ſive vigilantes, ſive dormientes; ſive tacentes, ſive loquentes; ſive ambulantes, ſive volentes, ſive nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cum igitur finis noſtri dies advenerit, ubi nobis erit omne, quod modo cum tanta cura quæritur, & cum ſollicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ ſunt, quæ dimittuntur: ſed ſi bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus. Si autem mala pertimeſcimus, illa timeamus, quæ a reprobis ſine fine tolerantur. Hoc ipſum vero, eſſe in obſequio piiſſimi principis, quanta eſt mentis occupatio io appetitu terrenæ gratiæ; & quaotus eſt timor, ne hæc eadem gratia perdatur, ſi adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna ſit, aut proſperitatis deſiderio fatigari, aut adverſitatis timore paveſcere. Unde magis ſuadeo, ut magnitudo veſtra in ſuo propoſito quondam, in pauco tempore, delectabili receptaculo peregrinationis vivere ſtudeat, & quietam ac tranquillam vitam ducere, ſacris lectionibus vacare, cæleſtia verba meditari, in æternitatis amore ſe accendere, de terrenis rebus ſecundum vires bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione ſperare. Sic autem vivere, jam in æternitatis vita partem habere eſt. Hæc, magnifice fili, loquor, quia multum te diligo. Sic loquebatur piiſſimus pontifex ad Andream, ut monaſticæ vitæ propoſitum in ejus aoimo denuo excitaret. quæ utinam alte mentibus monachorum omnium infixa hæreant, tum ad retioendam cæleſtium ſtudiorum, ubi viget, intentionem, tum ad avertendum animum a ſæcularium occupationum tractatione & commercio, quæ monachos ſanctiſſimæ vitæ fructu privant & ſpoliant, in magnis agitationibus requiem quærentes, & in rebus ioquietis, fluxis, & non permaneotibus beatitatem ſuam miſere collocantes.

[a] Id. lib. 6. ep. 26.
[b] Id. lib. 5. ep. 12.

XVII. Monaſteriorū preces reipublicæ præſidiū.

Alius videtur fuiſſe Andreas, regiorum liberorum inſtitutor, cui hoc anno Gregorius itidem epiſtolam [c] direxit, *Theoctiſtæ patriciæ & Andreæ* inſcriptam, in qua de duobus compunctionis generibus agit, ſimulque gratias refert ob pecuniam io redemtionem captivorum collatam: cujus mediam partem in ancillas Dei, quas illi græca lingua *monaſtrias* vocabant, ſe expendere velle ait, ad lectiſternia illis emenda, quibus rigidiſſimæ illius hiemis tempore deſtitutæ erant. Eas ad *tria millia* tunc in urbe exſtitiſſe teſtatur ſanctiſſimus pootifex. *Harum vero*, inquit, *talis vita eſt, atque in tantum lacrymis & abſtinentia diſtricta, ut credamus, quia, ſi ipſæ non eſſent, nullus noſtrum jam per tot annos in loco hoc ſubſiſtere inter Langobardorum gladios potuiſſet.* Hoc loco relato, vir eximiæ eruditionis ac pietatis Thomaſſinus [d] præclare ſubdit, procul abeſſe ab hac Gregorii doctrina & religione illos, quibus videntur utriuſque generis clauſtra, otioſorum & inutilium latibula eſſe, nec ulla parte ad publicas utilitates quidpiam conferentium. *Fædiſſimus hinc manat error*, inquit, *quod non ſatis intelligant, divinis melius quam humanis præſidiis muniri & ſtare rempublicam, & precibus magis quam armis.*

[c] Id. lib. 6. ep. 24.
[d] Thomaſſ. Diſcipl. parte 1. lib. 3. c. 48. n. 4.

XVIII. Fredegundis reginæ mors & tumulus.

Mortua eſt hoc anno Fredegundis regina, Chilperici regis olim conjux, cujus laudes poetice, utinam vere, celebravit Fortunatus [e], digna certe imperio femina, niſi grande ingenium crudelibus & impiis factis dehoneſtaſſet. Sepulta eſt ad virum

[e] Fortunat. lib. 9 carm. 1. & ſeqq.



Tumulus Fredegundis Reginæ.

ſuum

ANN. CHR. 597.

ſuum in baſilica ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii, modo ſancti Germani a Pratis: ubi hactenus tumulus ejus opere teſſellato cernitur, quo nullum antiquius regum noſtrorum monumentum. In illo exhibetur Fredegundis effigies, liliatam in capite coronam gerentis, manu ſceptrum regale in lilium agreſte deſinens, veſtibus amplis cingulo ad renes præcinctis viduæ inſtar indutæ. Nulla ejus vultus lineamenta, nulla forma; niſi quod vultus, uti & manuum & pedum loco, planus lapis relictus eſt. Tota vero tumuli area variis marmoris, jaſpidis, ſimiliumque lapidum ſegmentis filis æreis muſivo opere colligatis reſperſa eſt. Hujus tumuli tabellam in æs inciſam exhibuit noſter Theodericus Ruinartus in appendice ad opera Gregorii epiſcopi Turonenſis, quam hic denuo in adverſa pagella repræſentare viſum eſt.

ANN. CHR. 598.

XIX Columbæ abbatis Hiienſis mors.

INſequens annus Columbam Hiienſem in Scotia abbatem, & Ebrulfum apud Bellovacos in Gallia itidem abbatem e vivis ſuſtulit. Ille triceſimo ſuæ apud ſeptemtrionales Pictos ſeu Scottos commorationis anno, cum in inſula Jova verſaretur, aliquando plurimum lætitiæ præ ſe tulit. Cauſam ſciſcitantibus duobus fratribus, negavit ſe dicturum, niſi ſilentio rem ſe tecturos promitterent. Promittunt. Quibus ille: Uſque in præſentem, inquit, diem meæ in Britannia peregrinationis (nam in Scotiam ex Hibernia patria ſua venerat) ter-deni completi ſunt anni. Ego vero petivi a Domino, ut in fine anni triceſimi diſſolverer, & cum ipſo eſſem. Et hæc ſane cogitatio immenſo gaudio animum replet meum. Quamquam id gaudium meum nonnihil perturbat, quod multarum eccleſiarum orationibus in quatuor annos retardor. Mortis diem præſcius, monte conſcenſo cum Diormetio miniſtro, monaſterium protenſis manibus benedixit. Inde reverſus in monaſterium, (ſabbatum erat) in cella ſua ſedit pſalterium ſcripturus. Cum ad triceſimi-tertii verſiculum perveniſſet, in quo legitur, *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*, a ſcribendo ceſſavit: cetera Barthaneo perſcribenda reliquit, qui ei non ſolum ſcribendo, ſed etiam in regimine monaſterii laborando ſucceſſit. Dein celebrata miſſa, in lecto pernox reſedit. tum ad diſcipulos, qui circumſtabant: Inter vos, inquit, mutuam & non fictam caritatem cum pace ſemper habetote. Id ſi feceritis, Dominus vobis aderit opportunus adjutor: & ego eum interpellabo, ut vobis temporalia & æterna bona proveniant. His dictis paulliſper conticuit. Media nocte, pulſante ad matutinas vigilias campana, ſubito e lecto ſurgit, ad eccleſiam pergit ocius ceteris, & ad altare flexis genibus ad orandum procumbit. Diormetius mox accurrens, eminus totam eccleſiam cælеſti luce circumfuſam vidit, quæ eo appropinquante evanuit. Tum ille ſanctum paullulum erigens, eique aſſidens, ejus caput gremio impoſuit ſuo. Ceteri vero fratres mox concurrentes, morientem patrem haud modice plangebant. Hic, monente Diormetio, elevata, ut potuit, dextera fratres ſignavit, & continuo ſpiritum exhalavit. Poſt egreſſum ſanctæ animæ, finitis matutinalibus hymnis, ſacrum corpus ab eccleſia ad hoſpitium cum canora fratrum pſalmodia reportatur: ubi ternis diebus, totidemque noctibus honorabiles exſequiæ rite explentur. Tandem ſanctum corpus mundis involutum ſindonibus cum debita veneratione humatur. Ejus vitam primus in litteras retulit Cummeneus-Albus ejus diſcipulus, & poſt eum Adamnanus Scottus in tres libros digeſſit. Cummeneus-Albus is eſſe videtur, qui epiſtolam ſcripſit ad Segienum Hiienſem abbatem, apud Uſſerium in Hibernicis epiſtolis undecimam. De ſancto Columba lege Notkeri martyrologium ad quintum idus Junii, ubi agit de Hiienſi monaſterio, quod Margarita [a] Scottorum regina ſub finem ſæculi undecimi magnis ſumtibus reſtituit.

Præter Hiienſe Columba, priuſquam in Scotiam [b] veniret, nobile in Hibernia monaſterium conſtruxerat, a copia roborum Dearmachenſe appellatum. Ex utroque monaſterio plurima deinde monaſteria per diſcipulos ejus, tum in Britannia, tum in Hibernia, propagata ſunt: in quibus Hiienſe principatum tenebat, ſolebatque rectorem ſemper abbatem preſbyterum habere, cujus juri & poteſtati tota provincia, & ipſi etiam epiſcopi, inuſitato more, ſubjecti eſſe debebant, ad exemplum primi illius doctoris, qui non epiſcopus, ſed preſbyter & monachus exſtitit. Nec defuere poſt eum ſucceſſores, magna continentia ac pietate regularique diſciplina inſignes: tametſi canonico ritu paſcha non celebrabant. Ex illa ſchola prodiit, Segenio preſbytero & abbate, Aidanus epiſcopali inſignitus honore, qui ex Hiienſi inſula miſſus

a Orderic lib. 8. p. 701. & 702.

b Beda lib 3. cap 5.

ANN. CHR. 598

a *ibid. c.* 3. b *V. ſupra lib.* 8 *n* 3.

eſt ad converſionem Anglorum, ut ſuo locn dicemus. Ceterum, quod Hiienſem inſulam Columba Britanniam vocat, id in cauſa eſt, quod inſula hæc, teſtante [a] Beda, ad jus Britanniæ pertinebat, non magno freto ab ea diſcreta; ſed donatione, non Pictorum [b], ſed Scottorum, qui illas Britanniæ plagas incolebant, monachis Scottis ex Hibernia iſtuc profectis tradita, propterea quod eorum prædicatione fidem Chriſti percepiſſent.

XX. Item S. Ebrulfi abbatis Bellovacenſis.

c *Supra n* 10.

* *Orter.*

Ebrulfus, non ille Uticenſis, de quo [c] ſuperius, ſed Bellovacenſis abbas, cum jam plenus dierum præſentis vitæ finem ſibi imminere ſentiret, advocatis fratribus ſignificat ſe brevi ad aliam vitam migraturum. Omnes pariter ex tam triſti nuntio repentinus dolor invaſit, pro tanti paſtoris diſceſſu immoderato dolore affectos. Poſt aliquot dies inter verba orationis animam efflavit VIII. kalendas Auguſti, an in monaſterio ſancti Luciani, incertum. Eo quo par erat honore ſepulturæ mandatus eſt haud procul a Bellovacorum urbe in Oratorio*, ubi prius habitaverat, quod ab ipſo poſtea nomen accepit. Dein tranſactis aliquot annis matrona quædam, nobilis & religioſa, Theolana nomine, ſepulcrum ejus magnifice adornavit. Iſtic Chrodobertus Pariſiorum antiſtes, vir ſapiens & illuſtris, qui ipſi loco magnam impendebat reverentiam, templum Domino ædificavit; ibidemque poſteri alia aliorum ſanctorum oratoria addiderunt: unde loco Oratorii vocabulum acceſſit. Eumdem locum beata Angadriſma, de qua inferius, poſtmodum valde illuſtravit. Hic eſt Chrodobertus ſeu Rodobertus, cui Audoënus libros duos de vita beati Eligii dedicavit.

XXI. Andecavis monaſterium S. Johannis.

d *Cointius to.* 2. *p.* 456.

Per id tempus Licinius Andecavorum epiſcopus in ejuſdem civitatis ſuburbio baſilicam in honorem ſancti Johannis-Baptiſtæ conſtruxit. Hanc conſecraturus, Roma reliquias a ſummo [d] pontifice expetiit per Magnobodum preſbyterum, futurum ipſius in epiſcopatu ſucceſſorem. Dedicata baſilica, ibidem collegium monachorum *juxta normam ſanctæ profeſſionis* viventium inſtituit, multis prædiis in eorum uſus aſſignatis. Suburbanam hanc ſancti Johannis baſilicam modo occupant canonici ſæculares. Licinius Bertichramnum Cenomannorum epiſcopum etiam juvit in conſtruendo monaſterio ſancti Petri, quod de Cultura-Dei appellatur; idemque Magnobodum mox laudatum præfecit cœnobio Colonetenſi, cujus ſitus modo, uti & fortuna, ignoratur. Quidam tamen ſubdubitant eo in loco poſitum fuiſſe, ubi nunc Chalonnæ præfectura, vetuſque caſtellum ad Ligerim fluvium, quatuor leucis infra urbem Andecavorum, via Namnetenſi, ad epiſcopum Andecavenſem pertinens. Licinii vitam ſcripſit ſæculo undecimo Marbodus epiſcopus Redonenſis.

XXII. Claſſenſis monaſterii privilegium.

Interea nova jurgia in Claſſenſi ſanctorum Johannis & Pauli, cui Claudius abbas præerat, monaſterio excitata, novam concedendi privilegii occaſionem, ut fit, Gregorio præbuerunt. Quippe Johannes epiſcopus Ravennas, & poſt eum Marinianus, jura quædam in eum locum ſibi vindicare volebant: quæ cum Claudius abbas cum ſuis monachis gravate ferret, rem ad pontificem retulit. Gregorius vero,
» cui in primis curæ erat monaſteriorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſe-
» curitate tractare, id quod experientia in regimine monaſterii ſui didicerat, idem

e *Greg lib.* 7. *ep.* 18. *ind* 1.

Mariniano, qui & ipſe monachus & monachorum rector fuerat, initio ſcriptæ ad
eum epiſtolæ [e] inculcat; eidemque mandat, ut gravamina, quæ a deceſſoribus ſuis
» Claſſenſes monachi pertulerant, emendaret, eorumque deinceps quietem non in-
» terturbaret. Quapropter interdicit, ne ullus epiſcoporum aut ſæcularium ulterius
» audeat de reditibus, locis, vel chartis ejuſdem monaſterii quoquo pacto quidquam
» minuere; neu quidquam in illud vi aut dolo attentare: ſed, ſi qua forte controver-
» ſia inter Ravennatem eccleſiam & prædictum monaſterium in poſterum eveniſſet;
» quæ pacifice componi non potuerit, a delectis Deum timentibus arbitris abſque mora,
» interpoſitis ſacro-ſanctis evangeliis, finiretur. Defuncto vero abbate, non extraneus,
» ſed ex eadem congregatione, aut, ſi idonea illic perſona deſit, ex aliis monaſteriis,
» quem ſibi concors fratrum ſocietas elegerit, ſine ullo dolo, pretiove ordinetur:
» cujus loco nullus alius præponi poſſit, niſi forte ob crimina deponi mereatur. Ad
» hæc, ut ne invito ejuſdem monaſterii abbate quiſquam ex ipſius monachis ad re-
» genda alia monaſteria, aut ad ſacros ordines, clericatumve aſſumi poſſit: ſed, ſi
» monachi illic plures fuerint, quam qui ad celebrandas Deo laudes, vel ad procu-
» randas monaſterii utilitates ſuffecerint, abbas ex his qui ſuperfuerint, ex devo-
» tione offerat, quos coram Deo dignos reputaverit. Quod ſi hos ultro dare no-
» luerit; tunc Ravennas epiſcopus eos ad alia monaſteria ordinanda & gubernanda

AN. CHR. 598.

tollere, etiam invito abbate, poſſit; non autem ad eccleſiaſticum officium, niſi quem abbas ejuſdem loci rogatus propria voluntate obtulerit. Quiſquis vero ex illis ad eccleſiaſticum officium ſic aſſumtus fuiſſet, nullam iſtic poteſtatem, nequidem habitandi, ulterius haberet. Deinde ut deſcriptio ſeu recenſio rerum & chartarum ejuſdem monaſterii, ſi quando res exigit, ne fiat per alios, quam per abbatem loci cum aliis abbatibus ad hoc ab eo delectis. Quoties porro abbas pro monaſterii ſui utilitate ad Romanum pontificem venire, aut quemlibet tranſmittere voluerit, ei omnino liceat. Denique ne hoſpitandi occaſione prædictum monaſterium, uti acciderat, prægravaretur; ſic caritatis officium impleat epiſcopus, qui viſitandi, exhortandique cauſa iſtuc acceſſerit, ut abbas ejus adventum non modo non refugiat, ſed contra flagranter cupiat, certus ex ejus præſentia nullum monaſterio incommodum aut gravamen inferendum.

XXIII. Lis de hereditate monachi.

Alia quoque in Romano ſancti Andreæ ad clivum-Scauri monaſterio, cujus auctor Gregorius, controverſia nata eſt inter Candidum proabbatem [a] & Maurentium militiæ magiſtrum. Litis occaſio & cauſa hæc erat. Johannes, frater conſanguineus, ut Gregorius [b] loquitur, prædicti viri, in illo monaſterio converſus ſeu ex adulto monachus, ibidemque defunctus fuerat. Ex legis conceſſu ejus ſucceſſio & hereditas ad monaſterium pertinebat. ſi quidem id permittebant Juſtiniani leges. Cum dubium ortum eſſet, ne quid Maurentius ex ea hereditate occultaret, dato corporaliter ſacramento aſſeruit, nihil ſe in fraude verſatum, aut quidquam occultaſſe, ſed omnia bona fide prodidiſſe. Sic res ex partium compoſito deciſa, Gregorii etiam præcepto ſeu diplomate ſancita eſt. Maurentium alibi [c] laudat Gregorius, quod humana conventicula caveret: nimirum quia ſæpe animus, qui renovari in Deo per compunctionis gratiam deſiderat, per prava colloquia atque verba iterum veteraſcit.

a V. infra n. 33.
b ibid. ep. 13.
c id. l. 12. ep. 25.

XXIV. Monacha ad habitum & monaſterium revocata.

At nihil magis pontificis zelum inflammavit, quam Vitaliani Sipontini epiſcopi incuria adverſus quamdam ſanctimonialem, Tulliani militiæ magiſtri filiam, quæ, projectis veſtibus religioſis, in ſæculum redierat. qua in re cum ſegnius ageret Vitalianus, dure, ſi umquam alias, eum increpuit [d] Gregorius. Hunc enim nimiæ deſidiæ & torporis arguit, quod res illicita impune commiſſa eſſet. nam ſi ſollicitus, pro eo ac debuit, exſtitiſſet, prius ad ſe ultio mulieris praviſſimæ, quam culpa pervenire debuiſſet. Quia vero adeo hebes & negligens eſſet, ut niſi canonicam fuiſſet coerctionem expertus, in aliis diſtrictionem & diſciplinam neſciat cuſtodire: quo pacto ſollicitus eſſe debeat, ſe congruo tempore oſtenſurum. Evigilaret proinde, & excitatus ſaltem exſequeretur, quod preſſus ignavia nunc uſque diſtulerat; id eſt, ut una cum Sergio defenſore, cui hac de re etiam graviter [e] ſcribit, prædictam mulierem ſtatim, non ſolum ad male contemtum habitum ſine aliqua excuſatione revocet, ſed etiam in monaſterium retrudat, ubi omnino diſtricte cuſtodiri poſſit; & ita omnem circa illam ſollicitudinem exhibeat, ut quam ſit nefarium quod commiſit, ex epiſcopali demum diſtrictione intelligat. Hæc indictione prima contigerunt. Ejuſdem argumenti eſt alia [f] ejuſdem pontificis ad Virgilium Arelatenſem & Syagrium Auguſtodunenſem epiſcopos epiſtola de quadam Syagria, quæ, cum mutatis veſtibus vitam religioſam ſeu devotam profeſſa fuiſſet, poſtea viro copulata liberos genuerat, epiſcopis non reclamantibus. Hinc patres concilii Barcinonenſis canonem quartum contra ejuſmodi fœdifragas, ſive ſanctimoniales, ſeu devotas, condiderunt.

d id lib. 7. ep. 9. ind. 1.
e ib. ep. 10
f ib. ep. 114. ind. 2.

XXV. Auguſtinus ad Gregorium nuntios mittit.

Eodem anno Auguſtinus Laurentium preſbyterum, qui & idem monachus erat, & Petrum itidem monachum Romam mittit, tum ad dubia quædam de initiis naſcentis eccleſiæ Anglicanæ proponenda, tum ad ſignificandos miſſionis ſuæ felices ſucceſſus. Hi vero iter quantocius maturantes, beato pontifici gentem Anglorum cum rege eorum Ethelberto fidem accepiſſe, & Auguſtinum ordinatum eſſe epiſcopum nuntiarunt. Quanto hinc gaudio affectus fuerit optimus pater, res ipſa ſatis ſuperque loquitur, & Gregorius ipſe in ſuis epiſtolis, maxime ad Eulogium epiſcopum Alexandrinum, diſerte explicat. Hinc gratias agere omnibus, qui opem ac gratiam Auguſtino, ejuſque ſociis contulerant; in primis Brunichildi [g] reginæ & Syagrio [h] epiſcopo Auguſtodunenſi, ut litteræ ad eos ſcriptæ teſtantur. Quid ex hac legatione conſecutum ſit, initio ſæculi ſequentis aperiemus.

g ibid. ep. 5. ind. 1.
h ib. ep. 113. ind. 2.

ANN. CHR. 599.

XXVI. Pax cum Langobardis facta per Probum abbatem.

POſtero anno pax, tam diu optata, inter Romanos & Langobardos, inter Mauricium imperaturem & regem Agilulfum, tandem utcumque ſancita eſt, ſed non multum duratura. Hanc pro virili dudum conciliare ſtuduerat Gregorius : ſed repugnante Romano exarcho, nonniſi eo mortuo componi potuit, tametſi Roma ipſa per id tempus ſemel & iterum obſeſſa, primum quidem ab Ariulfo duce Spoleti, tum ab ipſo Agilulfo Langobardorum rege in ſummas anguſtias redacta fuiſſet. In his ultimis anguſtiis pontifex piiſſimus, de ſalute civitatis ſollicitus, ab expoſitione Ezechielis deſtitit, & ſacro miſſarum in canone verba illa, *dieſque noſtros in tua pace diſponas*, adjecit. In tanta tamen trepidatione urbs ſingulari Gregorii & Caſtorii magiſtri militum, nec minore Romanorum induſtria, acriter defenſa eſt adverſus varios Agilulfi inſultus : qui pactis demum induciis obſidionem ſolvit : ſed captivos Romanos ſecum abducens, quaſi canes funibus collo implicitis traxit, atque inde in Franciam vendendi cauſa tranſmiſit. Hanc tamen urbis & Italiæ liberationem Gregorius non ſuis curis aut officiis, ſed piarum, quæ plurimæ in urbe vivebant, ſanctimonialium precibus tribuebat. Harum vero, inquit[a], talis vita eſt, » atque in tantum lacrymis & abſtinentia diſtricta, ut credamus, quia, ſi ipſæ non » eſſent, nullus noſtrum jam per tot annos in loco hoc ſubſiſtere inter Langobar- » dorum gladios potuiſſet. Longe alia ſane a ſæculi noſtri hominum perſuaſione, qui monachos & monachas, quaſi inutilia rei publicæ pondera, exiſtimant.

a Idem lib. 6. ep. 42. V. ſupr. n. 17.

Quanta per has tempeſtates incommoda pertulerit Gregorius, paucis explicat in » epiſtola[b] ad Sebaſtianum epiſcopum Riziniensem. Uno, inquit, tempore curam » epiſcoporum atque clericorum, monaſteriorum quoque & populi gerere, contra » hoſtium inſidias vigilare, contra ducum fallacias atque malitias ſuſpectum ſemper » exſiſtere, cujus laboris, cujus doloris ſit, veſtra fraternitas tanto verius penſat, » quanto me, qui hæc patior, verius amat. Sed Romano tandem mortuo, Callinicus exarchus pontifici obſequentior pacem confecit, Probo abbate in primis agente, quem ad Agilulfum ante multum[c] jam tempus tranſmiſerat, ſimul cooperante præ ceteris Theodoro curatore Ravennæ, cujus hac in parte ſtudium magnopere[d] laudat ex relatu Probi abbatis. Hunc Probum Baronius eumdem eſſe putat, quem Gregorius ad regendum ſanctorum Andreæ & Luciæ monaſterium ex laïco repente abbatem ordinari juſſerat. quod quidem omnes de ſancti Andreæ ad clivum-Scauri monaſterio interpretantur. Neutrum tamen mihi ſatis exploratum habetur. Eodem quippe tempore, quo Probus iſte cum Agilulfo de pace agebat, Cyriacus abbas, hujuſce monaſterii pater a Gregorio[e] dictus, in Gallias directus fuerat ; & Candidus, qui ejus vices in monaſterio[f] interim gerebat, cum Maurentio magiſtro militiæ pactus eſt, ut diximus, de hereditate Johannis monachi. Non ergo veri ſimile eſt, Probum tunc temporis Andreani ad clivum-Scauri monaſterii fuiſſe abbatem. Neque etiam mihi perſuaſum eſt, eumdem aliquando iſti monaſterio præfuiſſe. Illud enim, ad quod regendum de improviſo Probus aſſumtus eſt, ſanctorum Andreæ & Luciæ monaſterium appellatur. hoc vero præciſe ſancti Andreæ, nuſquam alias ſanctæ Luciæ dictum. Ad hæc Gregorius paſſim hoc ſancti Andreæ monaſterium appellat *meum* : contra in epiſtola ad Probum abbatem, aut ſimpliciter monaſterium, vel Probi monaſterium vocat. Neque vero probabile eſt, Probo jam provectæ ætatis, & qui ad regendum ſanctorum Andreæ & Luciæ monaſterium tantopere neceſſarius Gregorio viſus eſt, ſtatim alienam ac difficilem pacis componendæ provinciam impoſitam fuiſſe : ut proinde alius pacis ſequeſter fuiſſe mihi videatur. An autem ſit Probus ille, Renati in urbe Roma cœnobii abbas, quem Gregorius in libro quarto[g] dialogorum laudat, aliis divinandum permitto.

b id. lib. 4. ep. 35.

c id. lib. 7. ep. 2. ind. 2.

d ib. ep. 103.

e ib. ep. 125.

f V. infra n. 31.

g Dial. lib. 4. c. 12 & 19.

XXVII. Secundinus ejuſdem cooperator.

Eidem etiam cooperator in procuranda pace exſtitit Secundinus ſervus Dei, recluſus Ravennæ : cujus proinde recluſionis tanta diſtrictio non erat, ut aliquando, non tantum de rebus magni momenti tractare, ſed etiam e cella egredi ipſi non liceret. Quale etiam exemplum habemus Sigoberti recluſi apud ſanctum Dionyſium in agro Pariſiaco, qui una cum Grimone abbate Corbeienſi ad Gregorium papam, eo nomine quartum, a Carolo Francorum principe miſſus eſt. Certe Secundinum in variis a Gregorio negotiis adhibitum legimus, maxime in tractanda pace cum Agilulfo, quem ſine dubio hujus rei cauſa convenire debuit. Exſtat hoc de argumento Gregorii[h] epiſtola, *Secundino ſervo Dei non a paribus* inſcripta, in

h id. lib. 3. ep. 29.

qua eum pontifex monet ſollicitum eſſe, & quibuſvis modis tentare, *ut pax iſta debeat ordinari*: ſimul etiam eidem mandat, ut Marinianum Ravennæ epiſcopum inducat ad eleemoſynas pro ſua dignitate pauperibus & peregrinis erogandas, in quibus eum parciorem eſſe ex relatu quorumdam didicerat.

ANN CHR. 159.

Eſt & alia ejuſdem ad eumdem epiſtola [a] hac ſecunda indictione ſcripta, de tribus capitulis concilii Chalcedonenſis, de ſacerdotali officio poſt lapſum, de parvulorum animabus ſine baptiſmo decedentium, & de imaginibus tranſmiſſis: cujus epiſtolæ ea pars, quæ reſtitutionem ſacerdotum poſt lapſum, peracta pœnitentia, continet, adeo contraria eſt conſtanti aliis in epiſtolis [b] Gregorii doctrinæ, ut viris eruditis merito aſſuta videatur: tametſi in veterrimis codicibus nonnullis reperitur, puta in Corbeienſi, qui ſancto Adelhardo abbati a Paulo diacono & monacho Caſinate ſub finem ſæculi octavi tranſmiſſus eſt; eamque habeant non modo canonum collectores plerique, ſed etiam Hincmarus [c] Remorum antiſtes & ſanctus Anſelmus [d] Cantuarienſis.

Gregorii ad eum epiſtola interpolata

a *id. lib.* 7. *ep.* 54. *ind.* 2.

b *V. ſupra lib.* 8. *n.* 60.

c *Hincmar. capitul.* 2. *art. ult.*

d *Anſelm lib.* 1. *ep.* 56.

Dubia item eſt alia pars de imaginibus Salvatoris eidem tranſmiſſis, & de cultu earumdem imaginum, etſi nihil continet, quod a genuina ſancti pontificis doctrina abhorreat. nempe eo ſpectat, ut, dum picturam Salvatoris videmus, ad illum animo inardeſcamus, cujus animum videre deſideramus. Et nos quidem, inquit, non quaſi ante divinitatem ante illam proſternimur: ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur: & dum nobis ipſa pictura, quaſi ſcriptura, ad memoriam Filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet. Pictura itaque & imago monitoris loco nobis eſt, ad cujus præſentiam dum procumbit corpus, internum cultum ad prototypum dirigit animus.

Gregorii doctrina de cultu imaginum

Eamdem doctrinam tradit Gregorius in duabus ad Serenum epiſcopum Maſſilienſem epiſtolis, quarum prior hac ſecunda indictione [e] ſcripta eſt, poſterior [f] indictione quarta. In utraque Serenum graviter reprehendit, quod imagines, ne a rudi vulgo adorarentur, confregiſſet. Eas enim idcirco in ecclesiis adhiberi, non quidem ut adorentur, ſed ut hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus legere non valent. Servandas proinde eſſe, ſed ab earum adoratione populum prohibendum. Hac reprehenſione commotus Sereni animus, Cyriaco abbati litterarum delatori eas imputare ſe finxit, ut majori cum licentia ſtomachum ſuum effunderet. At Gregorius in poſteriori epiſtola priorem agnoſcit ut ſuam, eamdemque amplius inculcat, aggerendo querelas in factum Sereni, quod maxime improbabat. Et quidem, quia eas adorari vetuiſſet, ſe omnino laudare: quod vero eas confregiſſet, indignanter ferre. A quo ſacerdote id factum eſſe? an vero ceteris omnibus fratribus ſeu coëpiſcopis ſuis deſpectis, ſolum ſe ſanctum & ſapientem ſibi videri, qui id commiſerit, quod nullus umquam auſus ſit? Enimvero aliud eſſe picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum, addiſcere. nam quod legentibus picturam, hoc idiotis præſtare picturæ adſpectum. Frangi ergo non debuiſſe, quod in eccleſiis non ad adorandum, ſed ad inſtruendas ſolum imperiti vulgi mentes fuit inſtitutum. Sane in venerabilibus ſanctorum locis hiſtorias depingi ſolitas, idque non ſine ratione admiſiſſe vetuſtatem. Proinde hortari, ut factum quantocius emendet, eoſque quos a ſua communione immodicus zelus avulſit, paterna dulcedine ad ſe revocare ne differat. Ubi nemo non videt, non aliam in his duabus epiſtolis, quam quæ in illa ad Secundinum epiſtola, doctrinam contineri. Quod ſane dixerim non ad præſtandam hujus epiſtolæ in omnibus auctoritatem, ſed ad illuſtrandam in anteceſſum controverſiam de cultu imaginum, quæ ſæculo nono & ſequenti magnos tumultus excivit. Secundinum hunc Baronius confundit cum Secundo ſervo Chriſti ſeu monacho, quem Gregorius [g] abbatem vocat, qui de Langobardorum geſtis [h] ſcripſiſſe, Adaloaldum Agilulfi regis filium e ſacro fonte ſuſcepiſſe, ac tandem Tridenti obiiſſe a Paulo Warnefridi memoratur. Ubi notare convenit, e ſacro fonte aliquem ſuſcipere, non raro perinde eſſe ac baptizare, ut ex ſancti Remigii teſtamento, ſexcentiſque aliis locis probari poteſt; non autem ſemper ſuſceptoris ſeu patrini officio fungi, ut quibuſdam viris eruditis viſum eſt.

e *Greg. lib.* 7. *ep.* 110. *ind.* 2.

f *id. lib.* 9. *ep.* 9.

Secundus abbas Tridenti.

g *id. lib.* 1. *ep.* 7.

h *Paul. de geſt. Langob. lib.* 3. *c.* 30. & *lib.* 4. *c.* 42.

XXVIII. Arelatenſis monaſterii privilegium confirmatum.

Hoc eodem anno ſanctiſſimus pontifex Arelatenſis monaſterii privilegium, quod Vigilius papa Childeberti regis rogatu eidem indulſerat, auctoritate apoſtolica de-

ANN. CHR. 599.

nuo confirmavit, litteris ſcriptis ad Virgilium ejuſdem civitatis epiſcopum, cuj privilegii a Vigilio conceſſi exemplum litteris ſuis ſubjunxit. Excidit hoc privilegium, at ex hac Gregoriana epiſtola intelligimus illud conſtitiſſe, *tam in diſpoſitione rerum, quam in ordinatione abbatis.* cujus rei effectum & regia voluntas, & res valde deſiderata poſcebat: quia difficultatem pati non potuit hujuſmodi res petita.

XXIX. Monaſterium S. Petri in Campania dedicatum.

a *id. lib.* 7 *ep.* 15. *ind.* 2.

Preſbyteri monaſteriorum.

Tunc etiam Theodoſius abbas monaſterii ſancti Martini, a Liberio quondam Patricio in Campaniæ Neapolitanæ partibus conſtructi, ab eodem pontifice facultatem petiit, ut dedicaretur monaſterium in honorem beati Petri apoſtolorum principis & ſancti Michaëlis archangeli, quod Andreas ipſius deceſſor in domo cujuſdam Martini conſtruxerat. Annuit pontifex, ſcriptis litteris [a] ad Fortunatum epiſcopum Neapolitanum, ut ad prædictum locum abſque ullo gravamine rogatus accederet, ſollemnia dedicationis facturus. Quoties vero neceſſe fuerit, ut a preſbyteris eccleſiæ ſuæ ibidem celebrentur ſacrificia veneranda miſſarum, id ita fiat, ut nihil moleſtiarum loco ſancto inferant, nec ipſe etiam epiſcopus quidquam illic ſibi vindicet, *præter diligentiam diſciplinæ:* cum monachis in eodem loco deſervientibus debeat proficere, quidquid a fidelibus offerri contigerit.

b *ibid. ep.* 93.

c *id. lib.* 10. *ep.* 54.

d S. *Bened. reg. c.* 62.

e *ibid. c.* 3.

f *Allat. Symm. p.* 309.

Ex hac epiſtola aliiſque colligimus, adventitios nonnumquam preſbyteros, ſicubi ſcilicet proprii & domeſtici ex monachis deerant, in monaſteria veniſſe rogatos, celebrandi ſacrificii cauſa: non vero monachos in parœciales eccleſias acceſſiſſe, ut ſacris intereſſent. Porro in abbatis poteſtate erat, ut ex ſuis preſbyteros & miniſtros ſacros ordinari curaret, id quod ſancti Benedicti regula permittit, conceſſitque Gregorius, quoties abbates id ab ipſo poſtularent. Teſtis hac de re in multis epiſtola, hac ſecunda indictione [b] ſcripta Victori epiſcopo Panormitano, quem hortatur, ut in monaſterio Prætoritano ex monachis preſbyterum ordinet, eum ſcilicet, quem ſibi ex congregatione ſua unanimes duxerint eligendum. Teſtis & alia ejuſdem epiſtola [c] ad Lucidum epiſcopum Leontinum. Ordinandos itaque ex monachis a tota congregatione ad id officii eligi mos erat. quod etſi ſanctus Benedictus reponat [d] in abbatis arbitrio, non tamen monachorum ſuffragia excludit. quandoquidem hæc res inter præcipuas cenſenda eſt, quarum gratia totius congregationis conſilium [e] alibi expetendum præſcribit. Addit in eadem ad Fortunatum epiſtola Gregorius, ejuſmodi preſbyteros ſic ordinatos in ſuo monaſterio permanere debere, non in alia eccleſia munus ſuum exercere: ut & ille, dum alibi non fuerit occupatus, in officio ſuo aſſiduus eſſe poſſit; & congregatio, quæ ſibi eum poſtulavit ordinari, præſentem & opportunum ſemper habeat ad ſacrificium, quoties neceſſe fuerit, celebrandum. quod ſane ſacrificium non quotidianum paſſim, ut modo, erat, ſed rarius, ubi ſcilicet feſti aut dominici diei, aut quævis alia neceſſitas exigeret. In quibuſdam tamen etiam antiquioribus, puta ſancti Euthymii abbatis, *quotidie* [f] *ſacra peragebantur myſteria.* Quales vero ad ſacerdotium conditiones exegerit Gregorius, ſuperius vidimus.

XXX. Abbas eſto humilis.

g *Gregor. lib.* 7. *ep.* 92. *ind.* 2.

Abbatum & abbatiſſarum ordinatio ſollemnis.

Idem in alia ejuſdem indictionis epiſtola [g] ad Fortunatum Neapolitanum antiſtitem mox laudatum, maxime humilitatem ac modeſtiam poſtulat in eligendo abbate. Hinc, cum in locum abbatis apud Neapolim defuncti alium ſuffici neceſſe eſſet, Barbatianum monachum eo direxit, ut præpoſitus interim ibidem fieret: ut, ſi ejus vita epiſcopo probata hoc in munere fuiſſet, poſt aliquantum temporis eum monaſterii patrem ſeu abbatem ordinare poſſet. Eſſe quidem in eo bona, quæ ſibi placeant: ſed hoc eſſe in illo vehemens vitium, quod *ſibi ipſi valde ſapiens eſſe videatur:* qua ex radice multi rami peccati prodire ſoleant. Invigilaret ergo ſuper eum Fortunatus, & ſi hunc & cautum in regimine, & humilem in ſuo ſenſu fieri animadverteret, tunc eum ad abbatis honorem proveheret: ſi vero minus in humilitate proficeret (uti factum eventus probavit) ejus ordinationem differret. Ejuſmodi ordinationem ſollemni more jam tum ab epiſcopo fieri ſolitam ſatis innuunt Gregorii epiſtolæ, his aliiſque verbis. Conſentit Pænitentiale Theodori epiſcopi Cantuarienſis, teſtantis, in ordinatione abbatis miſſam ab epiſcopo celebrandam; atque ordinandum pedules ab eodem cum baculo paſtorali, uti Ordo Romanus præſcribit, accipere debere. Porro abbatiſſas ſimiliter *ſollemni more ab epiſcopo* etiam tum ordinatas fuiſſe, patet ex Gregoriana itidem epiſtola [h] ad Januarium epiſcopum Caralitanum, hac ſecunda indictione ſcripta, de qua modo agendum eſt.

h *ibid. ep.* 7.

XXXI. Abbatiſſæ ſeſ-

Gravinia abbatiſſa monaſterii ſanctorum Gravini atque Luxorii apud Caralim in

ANN. CHR 599

tamentum an validum. *V. infra lib.* 10 *n.* 6

a *Novell.* 123. *c.* 38. & *Gratian. cauſ.* 19. *q.* 3. *c.* 9.

Sardinia Gregorio inſinuavit, Siricam, monaſterii ſui olim abbatiſſam, poſtquam regendi ſuſcepiſſet officium, condito teſtamento legata quibuſdam reliquiſſe. Et quidem id erat in detrimentum monaſterii ſui, ſiquidem, teſte Gregorio, ingredientibus monaſterium converſionis gratia, ulterius nulla eſt teſtandi licentia; ſed res eorum ejuſdem monaſterii juris fieri, prout aperta legis [a] definitione decretum eſt. Interroganti vero ſuper hoc pontifici, cur epiſcopus res monaſterio competentes ab aliis detineri pertulerit; Epiphanius ejus archipreſbyter, qui præſens aderat, reſpondit, memoratam abbatiſſam, nempe Siricam, uſque ad diem obitus ſui monachica veſte indui ſe noluiſſe, ſed in veſtibus, quibus illius loci utuntur preſbyteræ, permanſiſſe. quo nomine ſignificat feminas ætatis provectæ, quæ devotarum habitum gerebant. Ad hæc reponebat ipſa Gravinia, quæ Siricæ facto ſuffragari videbatur, hoc pæne ex conſuetudine in monaſterio ſuo, ſaltem abbatiſſis, licuiſſe: adeo ut abbatiſſa, quæ Siricam præceſſerat, ejuſmodi veſtibus uſa fuerit. Hæc res tanti viſa eſt Gregorio, ut cum conſiliariis ſuis & cum aliis Romanæ urbis doctis viris, quid agendum foret, deliberaverit. Omnium ſententia fuit, poſtquam abbatiſſa *ſollemni more ab epiſcopo ordinata eſt*, & in monaſterii regimine per annos plurimos uſque ad vitæ ſuæ tranſitum præfuit, veſtis qualitatem ad culpam forte epiſcopi reſpicere, qui eam ſic eſſe permiſerit; non tamen potuiſſe monaſterio præjudicium irrogare, ſed res ipſius eidem loco, ex eo quo illuc ingreſſa, & abbatiſſa conſtituta eſt, manifeſto jure competere. Reſtituendam proinde monaſterio poſſeſſionem illam, quam Sirica xenodochio legaverat, ſi poſſeſſio illa ex nullo præcedenti contractu profecta erat. Proceſſu temporis quiddam amplius ſibi licere exiſtimarunt abbates nonnulli, etiam pietate inſignes, qui legata pia, ſed pecuniaria, quibuſdam eccleſiis & monaſteriis, ad demerenda eorum ſuffragia, conferre non dubitarunt. Huc ſpectat conſtitutio Anſegiſi Fontanellenſis, de qua ſuo loco. Qoin etiam teſtamenta confecerunt quidam abbates & nonnullæ abbatiſſæ, quibus teſtamentis non tam novas donationes faciebant, quam initio converſionis ſuæ factas confirmabant. Hoc in genere eſt teſtamentum ſanctæ Faræ abbatiſſæ.

XXXII. Excommunicatio monachi per abbatem an ſolvenda ab epiſcopis.

b *Greg. lib.* 7. *ep.* 36. *ind.* 2.

Supereſt alia magni momenti epiſtola, quæ hac ſecunda indictione ſcripta [b] eſt Chryſanto epiſcopo Spoletano, rogatu Valentini preſbyteri, haud dubie & abbatis monaſterii ejuſdem urbis aut diœceſis, qui apud Gregorium conqueſtus eſt, quod ſi quando monachus ipſius monaſterii, exigente culpa, communione privatus fuiſſet, ubi ad epiſcopi loca ſe contuliſſet, mox communionem ſine aliqua reſervatione perciperet. Reſpondit pontifex, ſi res ita ſe haberet, quoniam ex hoc non ſolum regularis ordo diſſolvitur, ſed etiam perditionis materia miniſtratur; neceſſe eſſe, ut omnibus juris ſui preſbyteris interdicat epiſcopus, ne hoc facere de cetero auſint. Sed ſi forte quis injuſte ſe excommunicatum fuiſſe cauſetur, ipſe ejus cauſam accurate diſcutiat, atque ita, cauſa cognita, ſententiam ferat, ut nec injuſtitia diu inſontis afflictione prævaleat, nec diſciplinæ vigor aut frangi, aut indiſcreta præſumtione diſſolvi poſſit.

Servi manumiſſi ad monachatum.

Huic querelæ aliam addebat Valentinus, nempe diaconum quemdam duo juris ſui mancipia ſub hac conditione manu-miſiſſe, ut monachi fierent in ſuo monaſterio, ibidemque permanerent, alias ſervitutis jugo denuo mancipatum iri. Unum vero e duobus, hac conditione inſuper habita, monaſterium temerario auſu deſeruiſſe, atque ſe inter clericos ſociaſſe. Id etiam epiſcopo diſcutiendum committit Gregorius: &, ſi ita rem eſſe compererit, ſic ſacerdotalem zelum exhibeat, ut nec ſervo illi monaſterium deſerendi facultas ſit, & ſic manu-mittentis voluntas hoc modo conſervetur. Cujus monaſterii fuerit Valentinus, nobis obſcurum eſt. Certe abbas non erat monaſterii ſancti Marci in Spoletanæ urbis pomeriis ſiti, cujus pater ſeu rector ante id tempus exſtiterat ſanctus Eleutherius, quem in Romano ſancti Andreæ monaſterio defunctum fuiſſe Gregorius [c] teſtatur. Huic ſucceſſit Stephanus, qui hoc cœnobium regebat eodem anno, quo Valentinus Gregorii epiſtolam ad Chryſanthum Spoletanum epiſcopum obtinuit, hoc eſt indictione ſecunda, qua Stephanus abbas prædicti monaſterii ſancti Marci maſſam [d] Veneris, in Campania ſitam, ſibi ſuoque monaſterio reſtitui curavit.

c *Id lib* 3. *dial. c.* 33.

d *Id. lib.* 7. *ep.* 29. *ind.* 2.

ANN. CHR. 600.

XXXIII. Gallicanum concilium post Barcinonense.

VAriis Gregorius epiſtolis, tum ad reges Francorum, & ad Brunichildem reginam, tum ad Virgilium Arelatenſem, alioſque Gallicanos epiſcopos, tum denique ad Hiſpanos, maxime ad Claudium ducem, tentaverat, ut concilia epiſcoporum utrobique convocarentur, præſente Cyriaco abbate harum litterarum bajulo, in quibus vitia tunc graſſantia, maxime ſimonia & neophytorum ordinatio, exſtirparentur. Et quidem unum habetur Barcinonenſe concilium kalendis Novembris, æra ſexcenteſima triceſima-ſeptima, anno quarto-decimo Reccaredi regis, Chriſti undeſexcenteſimo, celebratum: cujus quatuor cum exſtent canones, duo adverſus ſimoniacam labem ſanciti ſunt, tertius vero adverſus ordinationes neophytorum ſeu laïcorum, qui, prætermiſſo tempore ab antiquis canonibus præſcripto, ſubito ad ſacros ordines, & ad ipſum etiam epiſcopatum, promovebantur. Nulla vero ſynodus Gallicanorum epiſcoporum hoc tempore occurrit in editis, quæ his ſummi pontificis votis monitiſque reſpondeat. At prope fidem non eſt, Gallos, ſedi apoſtolicæ ſemper addictiſſimos, Hiſpanis minus obſequentes hac in re fuiſſe.

XXXIV. Judicium de paſchæ celebratione contra Columbanum.

Et certe in ſancti Columbani epiſtola ſecunda diſerte probat, anno poſt ejus in Voſagi ſolitudinem acceſſum duodecimo, qui anno ſexcenteſimo reſpondere mihi videtur, congregatos fuiſſe in unum Gallicanos epiſcopos ipſius Columbani cauſa, *de fidei, & bonorum operum veritate tractaturos.* qua de re hic gratias Deo agit initio prædictæ epiſtolæ ſecundæ, quæ *dominis ſanctis in Chriſto patribus vel fratribus epiſcopis, presbyteris, ceteriſque ſanctæ eccleſiæ ordinibus* inſcribitur, quibus *Columba peccator*, ita ſe ipſe vocat, ſalutem in Chriſto præmittit. Principio gratiis Deo, ut mox dicebam, ob convocatum concilium actis, optare ſe magnopere ait, ut id ſæpius
» fieret; &, licet juxta canones, ſemel aut bis in anno pro tumultuoſis ejus ævi diſ-
« ſenſionibus accurate convocari non poſſint; quam frequentius ſaltem ac celerius id
» fiat, ut & negligentes quique ad timorem, & ſtudioſi ad majorem provocentur
» profectum. Tum occaſionem cogendæ prædictæ ſynodi aperit, nempe paſchalis feſti celebritatem, quam Columbanus cum ſuis a quarta-decima die lunæ æquinoctialis, ſiquidem hæc dies in dominicam incidiſſet, Scottorum more celebrabat: cum Romani, atque adeo Galli & ceteri occidentales, feſtum in dominicam ſequentem differ-
» rent. Ecce, inquit, Deo gratias, quod vel pro me de paſchate diſcutiendo occaſio vo-
» bis ſanctæ effecta eſt ſynodi. Pergit vero aſſerendo ſuam traditionem, præfatus *tres tomos* hac de re ſcripſiſſe papæ, ſcilicet Gregorio, & *libellum* ſancto eorum fratri Arigio. quod de Arigio Vapincenſi tunc temporis illuſtri epiſcopo interpretor. Dein
» poſcit ab eorum ſanctitate, ut cum pace & caritate ipſius comportent inſipientiam,
» quam neceſſitas extorſit. Saltem ut ſibi liceat cum eorum pace & caritate in his ſil-
» vis ſilere & vivere juxta oſſa fratrum ſuorum ſeptem-decim defunctorum, ſicut huc-
» uſque licuit inter eos annis duodecim vixiſſe: ſin minus, ut ſolus inde expellatur,
» ut commotio hæc quieſcat. Porro ſe ad eos ire non auſum fuiſſe, ne forte contende-
» ret præſens contra Apoſtoli edictum. De cetero, inquit, Patres orate pro nobis, ſi-
» cut & nos facimus, viles licet, pro vobis; & nolite nos a vobis alienos reputare.
» Unius enim ſumus corporis commembra, ſive Galli, ſive Britanni, ſive Iberi, ſive
» quæque gentes. In hac epiſtola Columbanus Anatolii atque orientalium paſchale
» compntum longe præfert cyclo Victorii, quem Romani & Galli ſectabantur, utpo-
* ſ. Domni » te nuperi ſcriptoris, qui poſt tempora D*. Martini & D*. Hieronymi & papæ
» Damaſi *poſt centum & tres annos* ſub Hilaro ſcripſit. Et quidem Victorius cyclum ſuum compoſuit hortatu Hilari, tunc archidiaconi eccleſiæ Romanæ, dein ſummi pontificis ab anno ſæculi quinti ſexageſimo-primo ad ſeptimum, quibus annis ſi centum & tres annos addideris, tantum annum ſæculi ſexti ſeptuageſimum invenies. quo tempore Columbanus needum in Galliam, nedum in Voſagum acceſſerat. Legendum itaque videtur in textu ſuperiori, *poſt centum & triginta-tres annos.* cui reſtitutioni conveniet altera prædictæ epiſtolæ chronologica nota, ubi Columbanus ait, ſe jam tum in ea ſolitudine vixiſſe *duodecim annis.* qui calculus anno ſexcenteſimo prope reſpondet, uti & reſtitutio notæ ſuperioris.

Cyriacus abbas.

Non dubito quin Cyriacus abbas huic ſynodo interfuerit, quemadmodum conſtituerat Gregorius in ſuis ad Gallicanos epiſcopos litteris, quibus eos ad convocandum concilium hortabatur. Hic eſt Cyriacus abbas, ut jam [a] dixi, monaſterii ſancti Andreæ in clivo-Scauri poſt Petrum [b], primo quidem in Sardiniam miſſus ad convertendos Barbaricinos, deinde in Galliam & Hiſpaniam ad res eccleſiaſticas procurandas.

a Supra num. 26.
b Greg. dial. lib. 3. c. 47.

ed by Google

ANN. CHR. 600.

curandas. Ejus loco, dum his negotiis vacaret, ſuffectum fuiſſe Candidum ſatis innuit concordia, inter ipſum Candidum abbatem & Maurentium magiſtrum militum ante biennium inita, quo tempore Cyriacus abbas in Gallia verſabatur. Mortuus videtur anno ſequenti. ſiquidem in epiſtola poſteriori [a] ad Serenum epiſcopum Maſſilienſem, Cyriacum *quondam* abbatem, ac proinde jam mortuum, Gregorius laudat.

[a] id lib. 9. ep. 9.

XXXV. Columbani epiſtolæ ad Gregorium.

Ex tribus *tomis* ſeu epiſtolis a Columbano, uti ipſe aſſerit, papæ, id eſt Gregorio, ſcriptis, unica ſupereſt de paſchæ celebratione: atque adeo aliæ duæ, ſicut & libellus ad Arigium Vapincenſem epiſcopum miſſus, exciderunt. In bac quæ reſtat epiſtola, in editis numero quinta, Columbanus rejecto Victorii cyclo, Scottorum morem propugnat Anatolii in primis auctoritate, atque etiam Hieronymi Anatolium laudantis. Proinde ſi Victorius præferatur, Gregorio futurum eſſe negotium cum Hieronymo, cujus auctoritati quiſquis fuerit contrarius, apud occidentis eccleſias uti hæreticus reſpuendus erit. Deinde conqueritur de epiſcopis, qui per ſimoniam tum ordinabantur; & de diaconis, qui poſt lapſum eligebantur ad epiſcoporum gradum: quales nonnullos ſe noſſe ait, qui cum clientelis, id eſt uxoribus, quondam ſuis ante ordinationem ductis, *abſconſum adulterium* commiſerant. quod apud magiſtros, inquit, non minoris cenſetur eſſe facinoris. Unde Gregorius ipſe poſt mortem Fortunati epiſcopi Neapolitani, quæ hoc anno accidit, Jobannem diaconum ab epiſcopatu hac ratione excluſit, quod filiam, haud dubie ex uxore, parvulam haberet. nam [b] qua præſumtione, inquit, ad epiſcopatum audet accedere, qui adhuc longam ſui corporis cuſtodiam, filiola teſte, convincitur non habere? Ad hæc, inquirit Columbanus, quid faciendum ſit de monacbis illis, qui pro Dei intuitu, & vitæ perfectioris deſiderio accenſi, contra vota, nimirum ſtabilitatis, venientes, primæ converſionis loca relinquunt; & invitis abbatibus, fervore intempeſtivo abrepti, aut laxantur ſeu dimittuntur, aut ad deſerta confugiunt. Poſtremo ſe magnopere cupere videre, non Romam, *ſalva ſanctorum reverentia cinerum*, ſed ipſum pontificem, ſi occaſio daretur; laudatque Paſtoralem ejus librum, & ſcripta in Ezechielem cum expoſitione in Cantica canticorum. In fine ſe ſuoſque eidem commendat, ſperatque ſibi a pontifice reſponſum iri, ut audivi, ait, a ſancto Candido tuo. qui Candidus is eſt, qui in Gallias a Gregorio ante annos quinque miſſus fuit, eccleſiæ Romanæ patrimonium poſt Dynamium curaturus. His aliiſve Columbani litteris reſponſum dediſſe Gregorium tradit ſanctæ Salabergæ vitæ ſcriptor perantiquus. quamquam Columbanus ipſe in epiſtola ad Bonifacium papam quartum, prima in editis, ſcribit, ſatanam *ſemel & bis* impediviſſe, quo minus portitores ſcriptorum ſuorum ad beatæ memoriæ Gregorium papam pervenerint. Verum cum epiſtolas tres ad eum ſcripſerit Columbanus, forte ad unam reſpondit Gregorius, tametſi nulla inter Gregorianas epiſtolas Columbano inſcripta modo invenitur.

[b] idem lib. 8. ep. 40.

XXXVI. Fortunati epiſcopi Pictavenſis obitus.

Hunc annum non videtur exceſſiſſe Venantius Fortunatus epiſcopus Pictavenſis. ſiquidem hoc tempore Baudonivia, ſanctæ Crucis in eadem urbe monacha, librum alterum de vita beatæ Radegundis ſcripſit, eumque dominabus ſanctis Didymiæ abbatiſſæ, totique ejus congregationi nuncupavit poſt Fortunatum, quem virum apoſtolicum & epiſcopum vocat. Conſentit Paulus [c] Warnefridi, apud quem Fortunatus, relicta ob ſancti Martini amorem ac reverentiam patria ſua, id eſt Italia, Turonos primum, deinde Pictavos acceſſiſſe; noviſſime in eadem civitate primum preſbyter, deinde epiſcopus ordinatus fuiſſe memoratur, atque in eodem loco cum debito honore, & quidem in ſuburbana baſilica ſancti Hilarii humatus. Ad cujus tumulum cum Paulus ipſe orationis gratia adveniſſet, ejus epitaphium, quod ipſe in hiſtoria ſua refert, rogatus ab Apro ejuſdem loci abbate compoſuit. Paucis annis Pictavenſem eccleſiam rexit Fortunatus, nec niſi poſt mortem Gregorii epiſcopi Turonenſis in eam ſedem ſucceſſit Platoni, qui Placidus a nonnullis appellatur, deceptis mendoſo contextu ejuſdem [d] Gregorii, apud quem, ubi in editis legitur Placidus, in omnibus ſcriptis recte habetur Plato. Fortunati epitaphium, a Paulo diacono, ut mox dicebam, compoſitum, hic referre non gravabor.

[c] Paul. de geſt. Langob. lib. 2. c. 13.

[d] Greg. Tur. de mirac. S. Mart. lib. 4. c. 32.

Ingenio clarus, ſenſu celer, ore ſuavis,
Cujus dulce melos pagina multa canit:

ANN. CHR. 600.

Fortunatus apex vatum, venerabilis actu,
Auſonia genitus, hac tumulatur humo.
Cujus ab ore ſacro ſanctorum geſta priorum
Diſcimus: hæc monſtrant carpere lucis iter.
Felix, quæ tantis decoraris, Gallia, gemmis,
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicos promſi plebeio carmine verſus,
Ne tuus in populis, ſancte, lateret honor.
Redde vicem miſero, ne Judice ſpernar ab æquo,
Eximie meritis, poſce, beate, precor.

Tum bis ſubdit Paulus: *Hæc paucis de tanto viro, ne ejus vitam ſui cives funditus ignorarent, delibavimus.* Mirum eſt talem virum, qui tot ſanctorum & piorum virorum facta celebraverat, tot epitaphia condiderat, uſque ad Pauli tempus, id eſt annis poſt ſuum obitum fere ducentis, epitaphio caruiſſe; & quis fuerit, fere tunc a Pictavenſibus ignoratum fuiſſe, quem Paulus *ſanctum* & *beatum* vocat, ejuſdemque civitatis epiſcopum, quod hodie quoque nonnulli nonniſi dubitanter dicunt. tametſi Baudonivia, ejus æqualis, id diſerte adſtruit. Hanc commemorationem debebamus viro eruditione ac pietate clariſſimo, cujus operâ complures ſanctorum noſtrorum vitas e vetuſtatis & oblivionis tenebris erutas habemus, nempe ſanctorum Albini Andecavenſis, Paterni Abrincatenſis, Germani Pariſienſis epiſcoporum; atque ſanctæ Radegundis reginæ: ne quid dicam de ſanctis Marcello Pariſienſi, Remigio Remenſi & Medardo Noviomenſi epiſcopis. Sed præclarum eſt in primis ejus poëma de ſancto Martino Turonenſi epiſcopo, quod quatuor libris compoſuit ob receptam ejus meritis oculorum ſanitatem, ut in fine libri quarti diſerte explicat, ubi ſuam ipſius patriam & conſanguineos commemorat.

XXXVII. Item S. Martini abbatis Vertavenſis.

Eodem tempore ad cæleſtem gloriam tranſivit beatus Martinus abbas Vertavenſis in pago Venetenſi Britanniæ Armoricanæ, quod accidit IX. kalendas Novembris apud Durivum, ubi cœnobium duplex condiderat. Cum talis nuntius ad Vertavenſes delatus fuiſſet, mox illi Durivum concurrunt, ut ſibi, qua fieri liceret, ſacrum ejus corpus vindicarent. Contra repugnavere Durivenſes, & res fere in ſeditionem abiit. Controverſiam diremit Durivenſium ſomnus, quo Vertavenſes ad oculum vigiles dextre uſi ſunt ad ſacrum pignus inde efferendum. Nec mora iter cum feretro accelerant: cum Durivenſes e ſopore exciti, ſacroque theſauro ſe privatos videntes, Vertavenſes perſequi aggreſſi ſunt contentiore fugientes curſu, qui ad oram fluvii Separis, qui tunc Laudoſa dicebatur, tantiſper ſubſtiterant. Hi ad conſpectum turbæ armatæ diffidere animis, ad preces converti, ſupplicare Deo, ut ne ſe proprio fruſtrari patrono pateretur. Mox fluvius viam Vertavenſibus feciſſe traditur, eamque inſequentibus occluſiſſe. unde ab eventu rei Separis * vocabulum accepiſſe fertur. quæ reticere in re vulgatiſſima non putavimus, fide apud auctores relicta. Tanto exemti periculo Vertavenſes, Deo gratias cum ingenti gaudio perſolvunt, ſacrumque corpus deponunt in baſilicam ſancti Johannis-Baptiſtæ, quam Martinus ipſe in eminentiori montis parte erexerat, ibidemque ſuperfuit uſque ad tempeſtatem Nortmannorum, qui locum in vaſtam redegerunt ſolitudinem, & Vertavenſes alio ſacrum corpus transferre coëgerunt. Durivenſe monaſterium, ſic dictum a duobus rivis in unum confluentibus, redactum eſt in ſimplicem, ut vocant, prioratum, ſancti Georgii de Monte-acuto appellatum, ſubditumque Enſionenſi ſancti Jovini de Marnis abbatiæ, uti & Vertavenſe monaſterium, nunc prioratus conventualis e noſtris.

* *la Sevre.*

XXXVIII. Novitii rite probandi.

Eodem anno, quod de Barbaciano monacho, Neapolim ad regendum monaſterium a ſe miſſo, Gregorius præſagierat, id evenit. nempe hominem ſibi ipſi ſapientem, minus aptum videri ad alios regendos, niſi prius in præpoſiti officio debite probaretur. Eum nihilo minus haud ſatis probatum Fortunatus, ejuſdem urbis antiſtes, abbatem creavit. quod præmature factum fuiſſe res oſtendit. Is abbas Mauricium quemdam, ſæcularem hominem, non ante probatum, *temere tonſuravit*. Non multo poſt contigit, ut idem Mauricius, abductis ſecum ex eodem cœnobio aliis monachis, fuga inde ſe proripuerit. Re ad ſe delata Gregorius, qui monaſteriorum diſ-

AN. CHR. 600.

ciplinæ ſtrenue invigilabat, Fortunatum epiſcopum litteris [a] increpuit, quod Barbacianum, non ſatis probatum, præpropere abbatem feciſſet. De eo proinde ſollicite curam ageret, quippe cujus culpa in ipſum redundaret. Propterea monaſteriis omnibus interdiceret, ne quemquam ex his, quos ad converſionem ſuſcepiſſent, ante biennii probationem ullo modo auderent tonſurare. quo temporis ſpatio mores eorum ſollicite comprobarentur, ne quis eorum aut non ſit contentus eo quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit. nam ſi grave ſit inexpertos hominum obſequiis ſociari: quanto gravius ad Dei ſervitium improbatos applicari? Militem vero ullum abſque ſuo permiſſu pontifex admitti vetat.

a Greg. lib. 8. epiſt. 23.

Tonſura in profeſſione.

Hac in epiſtola obſervandum eſt, tonſuram inſigne monaſticæ profeſſionis fuiſſe, (quod etiam docet ſanctus Benedictus [b] in regula ſua, ubi monachos propoſiti ſui immemores *mentiri Deo per tonſuram* dicit,) eamque proinde nonniſi peracto tirocinio collatam fuiſſe. Hujus tirocinii ſpatium ubique non uniforme & æquale fuit, ſed varium in oriente & occidente. Pachomius novitios nonniſi poſt triennii probationem admittebat. Annuam dumtaxat exigebant Caſſianus, Cæſarius, Ferreolus, Regula Ternatenſis; eamdemque præſcripſit ſanctus Benedictus. Ejus tempore Juſtinianus auguſtus in novella ſecunda novitium per triennium totum, ſive liber, ſive ſervus ſit, probari decernit. Hoc ſancitum Gregorius [c] *normam regularem* vocat: ubi Mauricio ægre ferenti, quod contra ejus interdictum milites in monaſteria admitterentur, hoc pacto condeſcendit, ut nonniſi poſt triennii probationem reciperentur. Prædictæ novellæ tantiſper derogavit Juſtinianus novella centeſima viceſima-tertia, notante Contio, cum homines ignotos nonniſi poſt triennium admitti vetat; notos vero incontinenti, ut notat gloſſa, & ſchemate monaſtico indui, & ad profeſſionem admitti permittit. In occidente licebat abbatibus ob fervorem novitiorum profeſſionis tempus, quod uno anno definitum erat, pro judicio ac prudentia ſua contrahere, ut patet ex Cæſarii ac Ferreoli regulis. Hinc factum eſt, ut quidam abbates occidentales, qui tum ex regula propria, tum ex poſteriori Juſtiniani novella, contrahendi probationis ſpatii poteſtatem habebant, converſos, id eſt homines ex vita ſæculari ad monaſterium accedentes, abſque legitima probatione admitterent. cui malo ut aliquod remedium adhiberetur, Gregorius temperando normam orientalem ſeu Juſtinianeam, & occidentalem, prudentiſſime ſtatuit, ut nonniſi poſt biennium tonſura monaſtica donarentur. quod decretum utrum univerſale pro toto occidente, an particulare pro Neapolitanis monaſteriis fuerit, incertum eſt.

b S. Bened. reg. c. 1.

c Greg. lib. 7. ep. 11. ind. 1.

XXXIX. Abbatem tuetur Gregorius.

Non prætereunda hoc loco alia nonnulla, quæ in eadem provincia per id tempus contigerunt. In monaſterio ſancti Michaëlis archangeli, quod Macaris dicebatur, an eodem ipſo, cujus dedicationem Theodoſius abbas anno ſuperiore fieri petierat, monachus quidam fuga lapſus eſt ad hoſtes, haud dubie Langobardos. Godeſcalcus dux Campaniæ hoc facinus in Fuſcum abbatem vertit, quaſi monachus ejus permiſſu ac voluntate fugiſſet; atque eo uſque ira excanduit, ut non ſolum monaſterii januas effregerit, ſed etiam quidquid ibidem inventum eſt, diripuerit; nec leve diſcrimen incurriſſet abbas ipſe, niſi ſe occultaſſet. Hoc comperto, ad Godeſcalcum [d] ſcripſit pontifex, reſtringendam ſub ratione poteſtatem, nec quidquam agendum, priuſquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Monachi culpam ante legitimam diſcuſſionem abbati non fuiſſe imputandam. Quod ſi nemo contra eum teſtimonium ferat, a prædicti monaſterii abbatiſque vexatione temperaret, & potius tuitionem illis propter Deum & caritatem impenderet; &, ſi quid offenſionis ab eis pertuliſſet, pro ſua eiſdem interventione remitteret.

d Id. lib. 8. ep. 11.

XL. Eidem codices & vela reſtitui jubet.

Idem Fuſcus abbas monaſterio ſanctorum Eraſmi, Maximi ac Julianæ, quod Neapoli ab Alexandra clariſſimæ memoriæ femina fundatum eſt, etiam præerat. Urgente bellorum iniquitate Conſtantinus, ejus cellæ ſeu monaſterii preſbyter, in Siciliam confugerat, codices monaſterii ſui atque vela ſecum pariter deportans. Eo defuncto Fuſcus poſtulavit, ut omnia ſibi & cellæ ſuæ reſtituerentur. Hac de re Fantino defenſori Neapolitano ſcripſit [e] Gregorius, eaque, ſi res ita haberet, reſtitui juſſit. nam contra rationem eſſe, ut quod de monaſterio pro temporis qualitate ſublatum eſt, ab ejus debeat jure ſeparari. quam æquitatis regulam ſi ſer-

e Ib. ep. 25.

ANN. CHR. 600. vaſſent multæ eccleſiæ in locis munitis conſtitutæ, ſanctorum reliqnias, quæ apud
eas ingruentibus bell's ſecuritatis cauſa depoſitæ ſunt, bona fide reſtituiſſent. Ob-
ſervanda hanc in rem alia Gregorii epiſtola ad Alcyſonum Corcyræ epiſcopum de
corpore ſancti Donati apud Caſſiopi caſtrum ob bella depoſito, quod eccleſiæ Iſau-
riæ, facta pace, reſtitui pontifex jubet.

XLI. Qno ritu fieret tum unio monaſteriorum, diſcimus ex Gregoriana [a] epiſtola, in-
Monaſteriorum unio. ſcripta Adeodato abbati ſancti Sebaſtiani monaſterii, quod Neapoli in domo quon-
a *ib. ep.* 39. dam Romani conſtructum erat. Huic monaſterio monachi Gazarenſis cœnobii, in
Plagia ſiti, ſe ſuumque monaſterium uniri magnopere optabant. adeo ut omnes
chartas ſeu inſtrumenta monaſterii ſui jam eo præmiſiſſent. Verum quia ditioni Nea-
politanæ eccleſiæ, tunc paſtore orbatæ, ſubjecti erant; id quidem ad tempus con-
ceſſit pontifex: ſed abſolutam hujus negotii executionem futuro epiſcopo reſer-
* *Pouzolles.* vavit. Idem Falcidis monaſterium apud Puteolos*, quod ita monachis deſtitutum
erat, ut *opus Dei* pæne omnino intermitteretur, eidem ſancti Sebaſtiani cœnobio
attribuit, cum eo, ut in utroque illo monaſterio inſtituerentur monachi, qui diſci-
plinam regularem ſollicite curarent, ſed maxime *opus Dei* accutate perſolverent. Idem
b *id. lib.* 11. *ep.* 4. factum de Craterenſi [b] ſancti Marcellini. Tanta erat religio Adeodati abbatis. Sic
vero eadem monaſteria Adeodato abbati ſubjiciuntur, ut, ſi qua inde bona ſeu poſ-
ſeſſiones diſtractæ fuiſſent, is repetendi, ſuoque monaſterio vindicandi haberet fa-
cultatem. quippe dignum eſſe, ut quorum ſollicitudinem & curam gereret, eorum
c *id. lib.* 9. *ep.* 67. rebus ac poſſeſſionibus nequaquam defraudaretur. Similem unionem fieri voluit [c]
idem Gregorius monaſterii Marciani, in Campania ſiti ſub Nucerina diœceſi, cum
» Surrentino monaſterio Agapiti abbatis, cujus ſtudii eſſet monachos illic deputare,
» qui, ubi per hoſtes licuerit, *opus Dei* ibidem celebrarent, & decenter deſervirent:
» ſic tamen ut juriſdictionem illic, non epiſcopus Surrentinus, in cujus civitate ſitum
erat Agapiti monaſterium, ſed loci epiſcopus, ſcilicet Nucerinus, haberet. Ita ergo
tunc fiebat ejuſmodi unio, ut in ſubjectis monaſteriis non intermitteretur divinum
officium, ſed ut diſciplina regularis in illis, & *opus Dei* (ſic fere perpetuo divinum
officium cum ſancto Benedicto vocat) reſtituerentur per abbatem principis mona-
ſterii, cui ſubjiciebantur.

XLII. Hoc loco præterire non poſſum inſigne aliud paternæ Gregorii in monaſteria
Immunitas a portoriis conceſſa. ſollicitudinis & caritatis argumentum. Haud ſcio cujus monaſterii abbatiſſa fuerit
Adeodata, multarum virginum mater, quibus neceſſaria navigio abſque portorio
devehenda præcipit ſanctiſſimus pontifex, Hilario notario ſcribens in hunc mo-
» dum. Navem in qua Vitalis præſentium portitor navigat, ad dilectiſſimam filiam
» noſtram Adeodatam abbatiſſam pro ſuſtentatione monaſterii ſui emiſſam cognoſcas.
» Qua illuc veniente, hac tibi auctoritate præcipimus, ut ita eam in cunctis tuea-
» ris, atque ab omni angaria vel onere exuere, excuſareque feſtines, ac ſi ſpecialiter
» noſtra ſit. Nam noſtri cauſa in eodem monaſterio tanta congregatio, Deo propi-
» tio, degere comprobatur, ut plus illi ſolatiari atque concurrere, quam noſtræ in
» omnibus feſtinemus eccleſiæ. Hæc aliaque paſtor munificentiſſimus: cujus exem-
plum imitati Francorum reges plerique, maxime ſecundæ ſtirpis, monaſteriis non
paucis immunitatem ab ejuſmodi portoriis liberaliter conceſſerunt, ut in conſe-
quentibus videbimus.

XLIII. Ad hoc tempus revocare licet factum illud nobilis matronæ Romanæ, quæ, re-
Miraculum de ſacra euchariſtia. ferente Paulo diacono, cum quadam die dominica ex more communionem de ma-
nu pontificis acciperet, ad hæc verba, quæ porrigendâ euchariſtiâ Gregorius profe-
rebat, ***Corpus Domini noſtri Jeſu-Chriſti proſit tibi in remiſſionem peccatorum omnium
& vitam æternam***, ſubriſiſſe fertur. quod cum pontifex animadvertiſſet, ſacram
illi communionem dare diſtulit, &, myſteriis peractis, facti adeo indecori ratio-
nem ab ea quæſivit. At illa, quæ oblationes ſuas ipſa facere & offerre conſueverat,
reſpondit, ſe agnoviſſe particulam illam, quam pontifex corpus Chriſti diceret, ex
ea oblatione fuiſſe, quam ipſa manibus propriis confecerat; ob idque riſiſſe, quod
eamdem corpus Chriſti pontifex appellaſſet. Tum vir ſanctus mulieris increduli-
tatem miſeratus, frequentem populum hortatus eſt, ut preces ad Deum pro ea ef-
funderet, ſcilicet ut ad multorum fidem corroborandam aliquo inſigni oſtento pro-
baret, quod mulier incredula mentis oculis & fidei lumine ſuſpicere debuiſſet. Ora-
tum eſt: & pallam corporalem, qua euchariſtiæ ſacram particulam obvolverat, re-

velat pontifex, & univerſo populo, ipſaque muliere contuente, carnem Chriſti conſpicuam oſtendit, partemque digiti auricularis ſanguine cruentam advertit. Tum mulieri (verba ipſa ex Paulo refero) dixit Gregorius : Diſce Veritati vel modo jam credere, conteſtanti, *Panis, quem ego do, caro mea eſt, & ſanguis meus vere eſt potus*. Sed præſcius Conditor noſter infirmitatis noſtræ, ea poteſtate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus ſibi ex carne ſemper virginis, operante ſancto Spiritu, fabricavit; panem & vinum aqua miſtum, manente propria ſpecie, in carnem & ſanguinem ſuum ad catholicam precem ob reparationem noſtram Spiritus-ſancti operatione convertit. quæ quidem verba, ſive Gregorii ſint, ſive Pauli diaconi, catholicam de euchariſtia fidem ante Paſchaſii Radberti tempus mirifice probant. Poſt hæc, fuſis denuo precibus, vir ſanctus ſacram particulam in ſpeciem ſolitam reſtituit, eamque mulieri jam credenti & pænitenti communicandam præbuit. Ex quo inſuper intelligas, fideles non ex ſolido & integro pane, ſed ex particula, ex integro pane decerpta, tunc temporis communionem accepiſſe. Locum hunc verſibus reddidit Frodoardus in vita metrica Gregorii Magni in hunc modum.

ANN. CHR. 600.

——— Ridentes myſtica vultus
Perculit, atque oculis myſteria ſanguine pandit
Roſea, carnalique refert ſacra carnea cordi,
Triticeamque docet mutari in carne farinam,
Ac ligno eretum converti in ſanguine vinum.
Hac carnis promens oculis ubi pectora firmat,
In priſcam reparat divina libamina formam.

Sic vir ſanctus factis, non ſolum dictis, catholicam fidem aſſerebat. Non prætereundum hoc loco id, quod legitur in veteri codice bibliothecæ, olim ſancti Andreæ, nunc Vaticanæ, de *virgula argentea perforata*, qua idem ſanctiſſimus pontifex ſanguinem Domini in celebratione miſſarum hauriebat.

XLIV. Angliæ priſcus ſtatus cum præſenti comparatus.

Antequam hoc ſæculum claudamus, mirari licet ingentes fructus, quos vir ille vere magnus in eccleſia protulit, magnaque eccleſiæ incrementa ſub tanto Doctore, cujus ſtudio & opera chriſtiana religio in Angliam propagata eſt tanto cum ſucceſſu, ut naſcens illa eccleſia primitivæ formam æmulari videretur. Verum, cum præſentem illius inſulæ ſtatum cum Gregoriano illo tempore confero, non poſſum non vehementer lugere miſerabilem illam converſionem, quæ a duobus circiter ſæculis in ampliſſimo illo regno facta eſt. Quis enim vere chriſtianus non doleat, florentiſſimam quondam illam eccleſiam, catholicæ fidei & ſedi apoſtolicæ tantopere olim addictam, nunc omnibus ſectis, quantumvis a catholica religione alienis, ſoli catholicæ fidei præcluſo aditu, admiſſis, in apertum ſchiſma prorupiſſe, & in illo perſiſtere, omni cura & diligentia reformandæ unitatis abjecta? An non id unum ſchiſmatici & acatholici animi manifeſtum indicium eſt? Ah ſi modo in illas terras redivivi venirent Gregorius & Auguſtinus! quibus oculis intuerentur laborum ſuorum fructus diſſipatos, diſperſos lapides ſanctuarii, & domos orationis factas domos deſolationis! Neque vero lugemus amiſſas illic eccleſiæ ampliſſimas opes; neque nos Benedictini jam dolemus monaſteria noſtra direpta & everſa: ſed ingemiſcimus, quod fratres noſtros a gremio catholicæ eccleſiæ avulſos, & in ſchiſmate obſirmatos videamus. Utinam ceſſione omnium rerum, olim noſtrarum, eorum ad nos reditum comparare nobis liceret! Quidni Eccleſia, quidni Ordo noſter ultro cederet bonis, olim ſuis, ad lucrandos fratres noſtros, cum Chriſtus Dominus propter nos egenus factus ſit, ut nos ejus inopia ditaremur? *Quid enim dubitemus*, ut cum magno Auguſtino [a] loquar, *Redemtori noſtro ſacrificium iſtud offerre? An vero ille de cælis in membra humana deſcendit, ut membra ejus eſſemus: & nos, ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur*, bonis olim noſtris cedere *formidabimus? Si ſervi utiles ſumus, cur Domini æternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Qua fronte in futuro ſæculo promiſſum a Chriſto ſperabimus honorem, ſi chriſtianam in hoc ſæculo noſter honos impedit unitatem?* Sic loquebatur, ſic ſentiebat maximus epiſcopus & Doctor [b] Auguſtinus: nec dubito quin ita locuturi ſint, ſentiantque modo boni quique catholici, maxime pontifices

a *Auguſtin. ep. 128. n. 3.*

b *V. ejuſdem ep. 185. n. 44. & ſeq.*

ANN. CHR. 600.

ac præſules, ſi hæc ceſſio reconciliandis fratribus noſtris poſſet conducere. Sed hæc de meo forte illi dicta cauſabuntur, atque hanc in rem fidejuſſore meliori opus eſſe. Fateor me ad id omnino imparem eſſe. Verum, ſi id experiri volent, quod utinam velint, meliores haud dubie ſponſores aderunt, qui rem ipſam præſtent. Et certe jam Benedictina Anglorum congregatio ex animo id e publico ſuggeſtu, præſente piæ memoriæ Jacobo II. rege, in ipſa Anglia profiteri per unum e ſuis curavit. Quod ſi hæc, quæ dico, nihil efficient, ſtudium ſaltem in Anglos meum, atque mea pro eorum reconciliatione vota teſtabuntur.

Digitized by Google

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 601.

SÆCULUM CHRISTI VII. ORDINIS II.

LIBER DECIMUS.

Ab anno Chriſti 601. *ad annum* 612.

ANNUS Chriſti ſexcenteſimus primus, a quo æræ chriſtianæ ſæculum ſeptimum incipit, ſæculum ſecundum Benedictinum aperiet. Etſi enim ſanctus Benedictus anno Chriſti octogeſimo ſupra quadringenteſimum natus creditur; non tamen ab ejus cunabulis deſumendum eſt Ordinis noſtri exordium, ſed ab ineunte ſæculo ſexto, quo tempore virilem ætatem ingreſſus eſt, efformando ſacro inſtituto tum primum habilem & convenientem. Hinc ſæculorum ordinis noſtri facilior erit comparatio cum ſæculis chriſtianis, quorum ſextum concurret cum primo Benedictino, ſeptimum cum ſecundo, & ſic conſequenter de aliis. quod ſemel expoſitum deinceps repetere haud neceſſarium fuerit. In hoc vero ſæculo neſcio quid prius aut amplius mirer, felicitatem illius ætatis tot ſanctiſſimos ferentis viros; an pietatem regum ac principum, tot ubique baſilicas, tot & tanta, apud Gallos præſertim & Anglos, monaſteria conſtruentium, ornantium, & ditantium auro, argento ac gemmis; tam multa denique ſervis Dei prædia conferentium: ut eorum opibus poſteri, moribus plane diſſimiles, inviderent, atque indignarentur. Hæc ex rerum conſequentium ſerie illuſtrabuntur, majori copia & luce, quam quæ in primo libro retulimus, res ſcilicet, cum vetuſtate nimia obſcuræ, veluti quæ longo ex intervallo vix cerni poſſunt; tum ſepultæ oblivione ob inopiam & raritatem ſcriptorum, quorum etiam pleraque temporum injuria perierunt. Clariora deinceps certioraque ab ſecunda origine, velut ab ſtirpibus lætius feraciuſque propagati Ordinis, geſta per totam fere Europam, Deo favente, exponentur. I. Sæculi ſecundi initium.

Anno itaque hujus ſæculi primo Laurentius preſbyter & Petrus monachus, quos Auguſtinus Dorovernenſis antiſtes Romam ad Gregorium ante triennium direxerat, in Britanniam majorem ad Auguſtinum regreſſi ſunt, muniti Gregorii litteris ad reges Francorum & Brunichildem reginam, ad multos Galliarum epiſcopos, & ad ipſum Auguſtinum, necnon ad regem, reginamque Anglorum; comitati etiam ſubſidiariis præconibus evangelicis, quales Auguſtinus ab optimo pontifice petierat, operariorum paucitatem cauſatus ad tantam meſſem. In his, teſte [a] Beda, primi & præcipui fuere Mellitus, Juſtus, Rufinianus. Omnes Gregorius monachos vocat, quibus Mellitum abbatem atque itineris ducem præfecit. Laurentii & Petri reditus in Angliam.

[a] Beda lib. 1. c. 29.

ANN. CHR. 601.

11\.

Gregorii munera & epiſtolæ.

Per hos bonus pater univerſa, quæ ad cultum naſcentis eccleſiæ neceſſaria videbantur, vaſa ſacra, altarium ornamenta & eccleſiarum, ſacerdotalia & clericalia indumenta, reliquias item ſanctorum apoſtolorum ac martyrum, necnon codices plurimos tranſmiſit, ſimulque pallium ad Auguſtinum archiepiſcopum, jam ante annos aliquot ordinatum. His Roma digreſſis, cum nullum de eorum progreſſione nuntium pontifex accepiſſet, animi anxius, quæ paterna ejus caritas & ſollicitudo
» erat, dilectiſſimo filio Mellito [a] abbati omnium inſtar litteras ſcripſit, quibus ſuam
de eorum ſalute, itineriſque proſperitate anxietatem teſtabatur; jubetque Auguſti-
» num commoneant, ut ne fana idolorum apud Anglos deſtruat, ſed ea in veri Dei
» templa everſis ſimulacris, convertat, ea luſtrando aqua benedicta, erigendis alta-
» ribus, ſacriſque reliquiis ibidem collocandis: ut dum ea gens fana ſua non deſtrui,
» ſed a cultu dæmonum in veri Dei obſequia commutari viderit, facilius errorem ex
» animo & corde deponat, & ad loca conſueta familiarius concurrat. Et quoniam
» boves in eorum ſacrificiis cædi & immolari mos erat; hunc ritum in melius com-
» mutandum, nempe ut in die dedicationis eccleſiæ vel natalitiis ſanctorum marty-
» rum, quorum iſtic reliquiæ colerentur, tabernacula ſibi ex ramis arborum prope
» eccleſias conſtruerent, ubi religioſis conviviis ſollemnitatem celebrarent. Duris quip-
» pe mentibus omnia ſimul abſcindere nec fieri poſſe, nec debere. Hæc epiſtola apud
» Bedam [b] data dicitur *decima-quinta kalendarum Juliarum*, imperii Tiberii Auguſti anno decimo-nono, indictione quarta: cum tamen aliæ omnes, quæ præcedere debuerunt, *decima kalendarum Juliarum* ſcriptæ legantur apud eumdem auctorem. quod ita conciliari poterit, ſi hæ ſcriptæ dicantur decima die poſt pronuntiationem kalendarum Juliarum, hoc eſt viceſima-tertia die Junii: illa vero quinta-decima die a prununtiatione earumdem kalendarum, nempe Junii die viceſima-octava. Eoſdem Laurentium preſbyterum, Mellitum abbatem, alioſque divini verbi miniſtros commendavit pontifex variis præſulibus [c] Gallicanis, regibus Francorum & reginæ Brunichildi. Exſtant novem hac de re epiſtolæ in regiſtri libro nono, nempe duodequinquageſima & octo ſequentes. Gregorius in ſingulis epiſtolis ſocios, quos Laurentio preſbytero & Petro monacho in Angliam redeuntibus adjunxit, monachos vocat, nec aliorum quemquam ſuo nomine appellat præter Mellitum abbatem: cui ſemper Laurentium preſbyterum præponit, propterea quod Mellitus abbas ſacerdotali honore præditus non erat. Theodeberto, Theoderico, ac Chlotario regibus, necnon Brunichildi reginæ gratias agit ob ſingulare ſtudium, quo Auguſtinum in Britanniam proficiſcentem proſecuti fuerant, prout a monachis, qui inde Romam redierant, ſe accepiſſe dicit. In encyclica epiſtola, quæ Mennæ Tolonenſi, non Toloſano, Sereno Maſſilienſi, Lupo Cabilonenſi, Agilfo ſeu Agilulfo Mettenſi, Simplicio Pariſiorum, Melantio Rotomagenſi, & Licinio Andecavenſi epiſcopis inſcripta eſt, prætermiſſo Syagrio Æduenſi, qui paullo ante e
» vivis exceſſerat, tantam Anglorum multitudinem ab idolorum cultu ad fidem chriſ-
» tianam converti ait, ut Auguſtinus negaret eos, quos ſecum habebat, miniſtros huic
» operi poſſe ſufficere. quare ſe aliquot ad eum monachos mittere cum Laurentio
» preſbytero & Mellito abbate, quos ut omnibus rebus neceſſariis juvent rogat, ne
» in Galliis morari cogantur. Ejuſdem argumenti ſunt aliæ litteræ ad Deſiderium Viennenſem, Virgilium Arelatenſem, Ætherium Lugdunenſem, & Arigium Vapincenſem, quos etiam ad evellendam e Galliis ſimoniam, aliaſque labes inde eliminandas hortatur.

a Greg. lib. 9. ep. 71.

b Beda lib. 1. c. 30.

c Greg. lib. 9. ep. 49. & ſeqq.

Profanorum ſtudia epiſcopis indigna.

In primis Deſiderium objurgat [d], quod grammaticam ipſe epiſcopus doceret, cui ſane ſacras litteras docere longe melius conveniſſet. Id vero ſe moleſtiſſime ferre ait ſanctus pontifex: *quia in uno ſe ore cum Jovis laudibus Chriſti laudes non capiunt;*
» & grave nefandumque eſſe epiſcopo, quod nec laïco quidem religioſo conveniat. Præclara eſt hanc in rem Gregorii Nazianzeni [e] epiſtola ad Gregorium Nyſſenum, quem acriter reprehendit, quod, ſtudiis ſacrarum litterarum abjectis, ad rhetori-
» cen profitendam ſe contuliſſet; hortaturque ne diutius animo ita affectus ſit; ſed
» tandem aliquando reſipiſcat, ſeque & piis hominibus purget, & Deo ſacriſque
» myſteriis, a quibus procul ſe ſubmoviſſet. Deſineret alios, hoc eſt eos, qui ex
» ſe ſe ad malum procliviores ſunt, offendere ac vulnerare, atque occaſionem iis
» præbere de ipſo tum ſuſpicandi, tum loquendi. Falſo ſane & inique id faciant.
» at quid neceſſe ſit, hanc illis occaſionem ſuppeditari? Neque enim ſibi ipſi quem-

d ibid. ep. 48.

e Greg. Naz. ep. 30.

quam

AN. CHR. 601.

quam tantum vivere, ſed & proximo; nec ſibi ipſi fidem facere ſatis eſſe, niſi aliis quoque fides fiat. Hæc tantorum virorum doctrina eo ſpectat, non ut profanorum auctorum univerſim ſtudium damnetur; ſed ut intelligant epiſcopi & rebus ſacris mancipati, nequaquam eos decere, ut ſe ſe ejuſmodi ſtudiis immergant, quæ pueris quidem & adoleſcentibus ad expoliendos animos conceduntur, at nequaquam ab iis repetenda, qui ſacris rebus ac litteris ſemel ſe ſe addixerint. Ineſt enim profanis ejuſmodi libris blandiens quidam ſapor, quo paſſim infectus animus, ad repetenda ſacrarum litterarum ſtudia inhabilis & male affectus redditur. Unde Auguſtinus [a] magni beneficii loco ducit, quod ante lectionem ſacrorum librorum profanis auctoribus nuntium remiſiſſet. *Nam ſi primo*, inquit Deum alloquens, *ſanctis tuis litteris informatus eſſem, & in earum familiaritate obdulcuiſſes mihi, & poſtea in illa volumina incidiſſem; fortaſſe aut abripuiſſent me a ſolidamento pietatis; aut, ſi in affectu, quem ſalubrem imbiberam, perſtitiſſem, putarem etiam ex illis libris eum poſſe concipi, ſi eos ſolos quiſquam didiciſſet.* Hanc digreſſionem poſtulare videbatur iſte locus: ad ordinem revertor.

a Aug Conf. lib 7. c. 20.

III.
Aliæ epiſtolæ ad Anglorũ regem & reginam.

Præmiſſis Gregorii Magni epiſtolis ſubjunctæ ſunt aliæ ad Adilbergam Anglorum reginam, & ad Ethelbertum regem ejus conjugem epiſtolæ: quarum in priori Ethilbergam ſeu Bertam, quam Adilbergam vocat, plurimum laudat, quod ejus ſtudio rex ad chriſtianam fidem acceſſerit, « quemadmodum Conſtantinus auguſtus Helenæ matris adhortatione; eamque rogat, ut eum in chriſtianæ religionis amore roborare pergat: ut ſicut Romanis, omnibuſque uſque Conſtantinopolim chriſtianis de ejuſmodi converſione lætitia facta eſt, ita quoque de perfectione operis Angelis fiat gaudium in cælis. In poſteriori vero ad Ethelbertum ſeu Adilbertum epiſtola eidem de ſua, gentiſque Anglorum converſione gratulatur, eumque hortatur, ut eam, quam divinitus acceperat, gratiam ſollicite ſervet, & chriſtianam fidem in populos ſibi ſubditos extendere pergat; zelum rectitudinis in eorum converſione exerceat, fana evertat, & ſubditorum reformet mores, exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monſtrando: ut illum in cælo remuneratorem inveniat, cujus nomen atque cognitionem in terra dilataverit. Quamobrem libenter audiat, devote peragat, & ſtudioſe in memoria conſervet, quæcumque reverendiſſimus frater Auguſtinus, in monaſterii regula doctus, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletus, bonis operibus præditus, ipſum admonuerit: certus, ipſum ab omnipotente Deo facile exauditum iri, ſi eum pro Deo & de Deo loquentem, uti par eſt, audierit. In fine addit, ſe parva eidem regi munuſcula tranſmittere, quæ ob ſancti Petri benedictionem ipſe non parvi facturus ſit. «

IV.
Item ad Auguſtinum.

Duplices etiam litteras Gregorius Auguſtino direxit. In primis geſtientis animi gaudium exprimit, gratiis Deo referendis, « quod gens Anglorum, operante omnipotentis Dei gratia, & Auguſtino laborante, expulſis errorum tenebris, ſanctæ fidei luce perfuſa ſit: quod mente & devotione integerrima jam conculcet idola, quibus prius veſano timore ſubjacebat: quod omnipotenti Deo ſubjecta, præceptis divinis ex animo obtemperet, & feroces animos ad orationem in terram abjiciat: quod denique mira & fortia facta per infirmos Deus operetur. Sed videat Auguſtinus, ne hæc miracula in ſuam ipſius perniciem gloriando convertat. Proinde neceſſe eſſe, ut de hoc dono cæleſti & timendo gaudeat, & gaudendo pertimeſcat; & quidquid de faciendis ſignis acceperit, hæc non ſibi, ſed illis data reputet, pro quorum ſalute ipſi collata ſunt. Hæc vero ideo a ſe dici, ut ejus animum in humilitatem flectat, ex qua certam habeat fiduciam, ejus peccata ipſi condonata eſſe; & idcirco electum, ut per eum remittantur aliena. »

Reſponſa ad conſulta Auguſtini.

Sed longe prolixior eſt alia ad eumdem epiſtola, qua pontifex ad varia dubia, de quibus ab eo conſultus fuerat, abunde reſpondet. Primum erat de vitæ genere, quod apud Anglos inſtitui deceret inter clericos, an ſingulis ſingulæ diſtribuendæ eſſent portiones ex his, quæ a fidelibus oblata eſſent. Reſpondet Gregorius ſatius eſſe, ut Auguſtinus, monaſterii regulis eruditus, ſeorſum a clericis ſuis non vivat, ſed communem cum eis inſtituat vitam juxta formam naſcentis eccleſiæ, in qua omnibus omnia communia erant. Secunda quæſtio erat, qualem ritum in celebratione miſſarum ſervare deberet, Romanum an Gallicanum, in quibus varia conſuetudo erat. Reſpondet Gregorius placere id aſſumi, quod Deo magis placere poſſit, & novæ Anglicanæ eccleſiæ amplius convenire. Tertia quæſtio eſt de pœna furti,

ANN. CHR. 605.

quam pontifex ait cum caritate & prudentia moderandam. Quarta & quinta eſt de matrimonio cum conſanguineis & affinibus ineundo: quod Gregorius inter ſorores fieri vetat: aliis permittit intra tertium vel quartum conſanguinitatis gradum. Ad ſextam, quæ eſt de numero epiſcoporum ad alterius epiſcopi ordinationem requiſito, ait hanc ſine tribus vel quatuor epiſcopis fieri non debere. Septima interrogatione quærit Auguſtinus, quo pacto cum Galliarum & Britanniarum epiſcopis ſibi agendum ſit. Gregorius vero nullam in Galliarum epiſcopos auctoritatem ei tribuit ob pallium acceptum, ne epiſcopo Arelatenſi, cui pariter pallium cum hac auctoritate conceſſerat, derogare videretur. Si qua vero in Galliarum epiſcopis animadverſione digna deprehenderit, cum eodem Arelatenſi epiſcopo, cui hac de re ſcribit, ei hac de re agendum eſſe: at vero Britanniarum epiſcopos omnes Auguſtino ſubjectos eſſe debere. Quæ duo reſtant de menſtruatis mulieribus & de illuſionibus nocturnis, prætermitto. Scripſit inſuper epiſtolam Gregorius ad Virgilium [a] epiſcopum Arelatenſem, quæ ſeptimæ reſponſioni conſentanea eſt: nempe ut Auguſtinum, ſi forte ad ipſum venerit, amanter, ſicuti decet, excipiat; &, ſi qua in Gallicanis epiſcopis vel aliis reprehenſione digna expoſuerit, una cum eo reſidens cuncta diligenter diſcutiat, atque reos quidem puniat, innocentes vero abſolvat, nec ſuſpectos eſſe patiatur.

a Greg lib. 9. ep. 63.

V. Venantii ex monacho cancellarii lapſus.

Hoc eodem anno Venantius Italiæ cancellarius, in graviſſimo conſtitutus morbo, Gregorii caritatem magnopere ſollicitavit. Is patricio genere in Sicilia, ut videtur, ortus, monaſticam vitam ibidem primum quidem amplexus eſt: ſed poſtmodum abjecto monaſtico habitu in ſæculum relapſus, etiam cancellarii munus exercuit, haud ſcio an etiam nuptiis denuo alligatus. nam ante monaſticam profeſſionem conjugatum fuiſſe, & liberos habuiſſe conſtat. Italica patricia, ad quam non una Gregorii [b] epiſtola, ejus parens videtur fuiſſe. Hic Venantii lapſus contigit ante Gregorii pontificatum: qui pontifex factus mox eum litteris convenit, contra quam multi falſo ſibi perſuaſerant, atque ad officium & ad monaſterium revocare modis omnibus inſtitit. Principio ait [c] multos perperam exiſtimaſſe ſe, ſi ad epiſcopatum promoveretur, nihil litterarum Venantio ſcribere dignaturum. at eos
» longe falſos fuiſſe: quippe qui adeo dignitate ſua id indignum non judicat, ut e
» contrario ipſa dignitatis neceſſitate ad ei ſcribendum compellatur: quia ſi paſtor de-
» linquentes increpare noluerit, eos procul dubio occidit tacendo. Neceſſario itaque
» ſibi loquendum, ut aut Venantii animam ſervet, aut ſuam ipſius a mortis periculo
» eripiat. Tum Venantio in memoriam revocat, quo in habitu fuerit, & unde &
» quo delapſus ſit. Culpæ gravitatem, dum vacat & juvat, ſibi ob oculos ponat, &
» diſtrictionem futuri judicii ſerio expendat, ne tunc illam amaram ſentiat, cum eam
» jam nullis fletibus aut lacrymis evadere licebit. Ananiæ factum cum ſuo comparet,
» & ex ejus ſupplicio ſuum metiatur, ni reſipiſcat. nam ſi ille mortis pœna multatus
» fuit, quia nummos pauculos Deo ſubduxit: quid mereatur iſte, qui non nummos,
» ſed ſemetipſum Deo omnipotenti, cui ſe ſub monachali habitu devoverat, ſubtraxit?
» Ceterum ſe ægre talia Venantio commemorare, utpote ingrata ei haud dubie futura:
» ſed culpam ejus diſſimulare non potuiſſe. Se ipſi conſulentem audiat, non falſos ami-
» cos, qui non quæ amico, ſed quæ ſibi proſunt & placent, loqui ſolent. Cum amicis
» quidem omnia tractanda eſſe, quæ verba ſunt ſæcularis auctoris; ſed prius de ipſis.

b id. lib. 7. ep. 128. ind. 2. V. lib. 2. ep. 58. ind. 11.

c id. lib. 1. ep 33.

Permirum videtur nonnullis, Gregorium non alias Venantio intentaſſe minas, quam futuri judicii, nec eum cenſuris ac pœnis eccleſiaſticis ad officium reduxiſſe. Et quidem hunc locum cum alio beati Auguſtini ſancto Bernardo quondam objecerunt monachi Carnutenſes; nec reſponſum [d] aliud acceperunt, niſi quod ita ſancti antiſtites, ſive ſuo ſenſu, ſive Dei ſpiritu, ſapuerunt. Verum ſatius Gregorio viſum eſt virum præpotentem, & ſummo loco natum, monitis, hortationibus & honeſtis officiis, quam vi aut minis revocare ad ſanam mentem; immo in ſuo lapſu perſeverantem, cum epiſtolas ſæpe variis de rebus ad eum ſcripſerit, non ulterius eum repetitis increpationibus fatigavit, ſed ſuæ permiſit conſcientiæ. adeo ut graviſſimo morbo, non tamen extremo decumbenti cum ſcriberet, id quod hac quarta indictione [e] contigit, ſat habuerit eum generatim ſalutis ſuæ commonefacere, eoque morbo uti ad expianda ante actæ vitæ peccata: ſed tamen Johanni [f] Syracuſano antiſtiti mandat, ipſum conveniat, eumque exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo compellat, *ut ad habitum ſuum redire vel in extremis debeat, ne ei*

d Bernard. de præc. & diſp. c. 17.

e Greg. lib. 9. ep. 25.

f ibid. ep. 31.

ANN. CHR. 601.

tantæ culpæ reatus in æterno judicio obſiſtat. Verum quid inde conſecutum ſit, ignoramus.

Litteris etiam ſuis [a] pontifex conſolatus eſt Barbaram & Antoninam Venantii filias, quæ patris morbum ei nuntiaverant; eaſque monet, ne de Redemtoris miſericordia diffidant, ſed ſpem ſuam in manu omnipotentis Dei conſtituant. Has dulciſſimas filias ſuas vocat Gregorius, eaſque honorifice ſalutat in fine epiſtolæ ad Venantium patrem; eiſque ipſis protectionem ſuam poſt patris obitum pollicetur, longe aliter cum eis acturus, ſi ex iniquis nuptiis ſuſceptæ fuiſſent. Certe ſi poſt patris lapſum genitæ eſſent, non ejus fuiſſent ætatis, quæ & Gregorio ſcribere, & ejus opem implorare per ſe ipſæ potuiſſent. quandoquidem paullo ante Gregorii pontificatum, hoc eſt annis admodum novem, Venantius habitum monaſticum abjecerat. Hic eſt Venantius, qui ante extremum morbum reliquias ſancti Severini confeſſoris ad conſtruendum oratorium expetiit a Gregorio, cujus hac de re litteræ [b] exſtant ad Paſchaſium epiſcopum Neapolitanum. Eum porro ex hoc morbo convaluiſſe, colligitur ex litteris [c] eidem ſexta indictione ſcriptis de electione Urbici abbatis. Mihi tamen ſecus ſuadebat poſtrema quartæ hujus indictionis epiſtola, ſed fortaſſe loco mota, ad Venantii filias Barbaram & Antoninam, quibus Gregorius ait optare ſe, ut Romam, uti cupiebant, accederent, & *ſanctam ſcripturam legere amarent:* ut ex hac lectione diſcant, qualiter vivere, & domum ſuam diſponere debeant.

a Greg. l. 9. ep. 30.

b Ib. ep. 26.

c Id. lib. 11. ep. 14.

VI Probi abbatis teſtamentum probatum.

Ipſo anno, cum Italiæ epiſcopi quinque, & preſbyteri ſanctæ Romanæ eccleſiæ fere omnes, coram pontifice ſimul conveniſſent, adfuit Probus abbas monaſterii ſanctorum Andreæ & Luciæ, ſupplici libello poſtulans, ut ſibi teſtamentum condendi facultas tribueretur. Gregorii juſſu Paterius notarius libellum recitavit, in quo Probus exponebat, ſe ante hos annos ex laico ad religioſum migraſſe officium, eo animo, ut in privata cella ſolitarius reliquum vitæ tranſigeret; nec quidquam de ſubſtantia ſeu poſſeſſione ſua ſtatuiſſe, quippe tam ab inteſtato, quam ex teſtamento filium ſuum ſibi heredem futurum. Interim dum aliquando pontificem adiiſſet, ſubito atque inopinato juſſum fuiſſe introire in monaſterium, ac ſuſcipere onus abbatis, nullo ſpatio ſibi conceſſo ad condendum teſtamentum. Ideo magnopere ſupplicare eam facultatem modo ſibi concedi, ut obedientia ſua nec ſibi officiat, nec filio pauperi damnoſa eſſe poſſit. nam cunctis notum eſſe, quod illos legalis ſanctio quidquam de ſubſtantia ſua, poſtquam monaſterium ingreſſi fuerint, prohibet ordinare, quibus diſponendarum rerum ſuarum ſuppetit ante licentia; non autem eos, « quos ad id, quod numquam tractaverant, præpoſitorum ſuorum parere cogit in- « ſtantia. Poſt hanc lectionem, ſpatio ad deliberandum accepto, Gregorius ex communi adſtantium ſententia edixit, rebus ita, ut ipſe recte meminerat, ſe habentibus, « eam facultatem Probo non ægre tribui, eamdem ſcilicet, quam habere poterat, « antequam monaſterium introiret; nec quidquam ipſi abbatis officium, quod repen- « te atque invitus ſuſcipere coactus fuerat, ſive monaſticæ converſionis ſtatum obſiſ- « tere, quo minus de univerſis rebus ſuis pro arbitrio ſtatueret. « Ejuſdem fere argumenti eſt alia Gregorii [d] epiſtola ad Adeodatum ſervum Dei ſeu monachum, qui priuſquam in ſancti Hadriani monaſterium, ubi converſus erat, intraret, donationem quamdam fecerat, quam pontifex ratam eſſe jubet.

d Id. lib. 11. ep. 1.

Probus inter alia quamdam pecuniæ ſummam legavit ad conſtruendum Jeroſolymis xenodochium, ut patet ex alia [e] Gregorii epiſtola: ſed an eo profectus ſit, quamquam ita Johanni diacono, Baronio, aliiſque viſum eſt, non facile dixerim. Sane vix crediderim, ut jam ſuperius dixi, hominem jam ætatis provectæ, & monaſterio ſuo tantopere neceſſarium, Jeroſolymam a Gregorio miſſum fuiſſe; nec id prædictæ epiſtolæ verba evincunt: *De ſolidis vero, qui pro faciendo xenodochio a filio noſtro Probo abbate Jeroſolymis relicti ſunt, hoc quod deliberatum fuerat, ut fieri debuiſſet, immutari non potuit.* Fucum fecit *relicti* vocabulum, quod hoc loco idem eſt ac *legati & conceſſi.* De his ergo ſolidis, quos Andreas preſbyter, cui epiſtola hæc inſcripta eſt, forte ſibi in alios uſus concedi petierat, negat pontifex immutari poſſe quod deliberatum fuerat, nempe in præmiſſo cœtu Romano: ideoque alios quinquaginta ſolidos pontifex eidem Andreæ mittit. Mihi etiam perquam veri ſimile eſſe jam [f] dixi, aliud fuiſſe monaſterium ſanctorum Andreæ & Luciæ, cui Probus præfectus fuerat, a monaſterio ſancti Andreæ in clivo-Scauri, quod præciſe ſancto Andreæ nuncupatum erat, nulla umquam ſanctæ Luciæ mentione facta. Non licet itaque abbatibus, nedum monachis, condere teſtamentum, non modo ex

e ibid. ep. 28.

f Supra l. 9. n. 26.

ANN. CHR. 601.

rebus propriis, (nam proprias habere non debent) ſed neque ex rebus monaſterii, quarum diſpenſationem œconomicam habent, nequaquam vero dominium. Unde Gregorius cujuſdam terræ ad Caſtellienſe monaſterium pertinentis donationem, Johanni epiſcopo Schillitano a Caſtellienſi abbate ſub prætextu fabricandæ eccleſiæ » factam, reſcindit: quia nec mundanarum, inquit, legum, nec ſacrorum canonum » ſtatuta permittunt, res monaſterii de jure ejus quolibet titulo ſegregari; atque ideo hanc donationem, quæ contra rationem facta eſt, eidem monaſterio ſine aliqua dilatione reſtitui jubet. Quid vero de quibuſdam piiſſimorum abbatum & abbatiſſarum [a] teſtamentis ſentiendum ſit, in ſubſequentibus, Deo dante, expendemus.

a V. ſupra lib. 9 n. 31.

VII. Miracula in S. Andreæ monaſterio.

Lubet attexere hoc loco id, quod de monaſterio ſancti Andreæ ad clivum-Sçauri narrat Gregorius in epiſtola [b] hoc anno ſcripta ad Ruſticianam patriciam, cui gratias agit ob eleemoſynam eidem monaſterio factam, ſimul commemorans, tanta illic miracula patrari, tantam ejuſdem apoſtoli in monachos protectionem & cuſtodiam vigere, quanta major eſſe non poſſet, ſi ipſe ſanctus Andreas ſpeciatim abbas monaſterii eſſet. id quod aliquot exemplis Gregorius probat, quæ abbate ac præpoſito narrantibus reſcierat. Unum eſt de duobus monachis, qui inde miſſi fuerant, ut aliquid emerent pro monaſterii utilitate: unus junior, qui prudentior videbatur, nempe in rerum temporalium uſu: alter ſenior, *qui cuſtos junioris eſſet.* Lex quippe regularis diſciplinæ inviolabilis erat, ut nullus umquam monachus abſque ſocio foras procederet. Unde Gregorius monachum quemdam, ut prædictum eſt, electum abbatem rejecit, quod incomitatus aliquando iter feciſſet. Ambo itaque ad deſtinatum locum profecti commiſſum obierunt officium: at ſenior, qui ad junioris cuſtodiam deputatus fuerat, ignorante ſocio quiddam de pecunia ſibi credita ſuffuratus, mox ut monaſterii limen attigit, a dæmone correptus vexari cœpit. Poſt paullo tantiſper ſolutum ac dimiſſum interrogarunt fratres, num aliquid de acceptis nummis penes ſe retinuiſſet. Is vero factum negat, rurſuſque a dæmone arripitur. Dimiſſus, atque iterum interrogatus rem pernegat, atque iterum vexatur. Octies interrogatio eadem; totieſque repetita negatione, repetita item vexatio. Sed poſt octavam demum negationem humi proſtratus furtum confeſſus eſt, nec ulterius dæmon ad eum acceſſit.

b Greg. lib. 9. ep. 38.

Alio quoque tempore in die natalitio ejuſdem apoſtoli, cum fratres meridianis horis quieſcerent, unus ex illis ſubita oculorum caligine cæcatus tremere cœpit, ac vociferari, intolerabili ſe dolore cruciari. Concurrentes fratres eum, a ſenſibus alienatum, ante altare ſancti Andreæ deferunt, ibique proſtrati pro eo preces fundunt. qui ſtatim ad ſe reverſus, ſibi quemdam ſenem apparuiſſe confeſſus eſt, canem ad ſe dilaniandum emittentem, propterea quod animum deſerendi monaſterii habuiſſet; ſed ad fratrum preces eumdem canem ab eo revocatum: ſtatimque ſui compotem redditum fuiſſe.

Aliud alterius monachi omnino conſimile factum ſubjungit Gregorius: quartum de duobus aliis ejuſdem loci monachis fugitivis, qui, ne ab inſequentibus deprehendi ac comprehendi poſſent, in cryptas, Flamineæ portæ vicinas, occluſo aditu ſe ſe interim abdiderunt. Veſpere quæſitos a fratribus, nec inventos, mox quidam fratres conſcenſis equis eos per Metroni portam, (nam illac ſe tranſituros finxerant, quaſi Jeroſolymam ituri,) inſecuti ſunt, ut eos per Appiam viam aſſequerentur. Sed, mutato neſcio cujus inſtinctu conſilio, eos primo per viam Salariam, ac demum per Flamineam perquirentes, mox ut ad cryptas illas pervenerunt, ſubſiſtentibus & hærentibus equis quantumvis a ſe concitatis, rem talem ſine myſterio eſſe non poſſe intellexerunt. Ergo revulſis, qui cryptarum aditum præcludebant, lapidibus, eo introierunt, ac fugitivos comprehenſos in monaſterium reduxerunt. qui hoc miraculo ſic in melius converſi ſunt, ut eis profuerit ad breve tempus e monaſterio fugiſſe. Hæc, tametſi forte minutiora, huc referre viſum eſt, quando Gregorius ipſe, quæ Ruſticianæ patriciæ perſcriberentur, eadem haud indigna duxit.

VIII. Turbæ de electione Lucuſiani abbatis.

Majoris forte momenti eſt alia ejuſdem epiſtola [c] ad Urbicum abbatem jam laudatum monaſterii ſancti Hermetis apud Panormum in Sicilia, de electione abbatis in cœnobio Lucuſiano, quod ſanctorum Maximi & Agathæ titulo inſignitum erat. Hujus loci abbate mortuo, eum novæ electioni Urbicus abbas, veluti generalis aliorum monaſteriorum præpoſitus, ex inſtituto Gregorii præſideret, primo quidem mane Domitium preſbyterum & monachum, deinde veſpere Bonum ſervum Dei,

c id lib. 9. ep. 42.

ANN. CHR. 601.

alterius cœnobii monachum eligi paſſus eſt, diverſarum partium arbitrio facilius obſecutus. Re ad Gregorium delata per Bonum, ſanctiſſimus pontifex Urbicum abbatem acriter increpuit, conqueſtus de diſſoluta monaſterii regula, dum nec monachi ejuſdem monaſterii ei ad obediendum parati exſtiterint, nec ipſe conſtanter res ordinare valuerit. nam ſi tantiſper conſtantiæ habuiſſet, ipſa ejus maturitas haberi potuiſſet in reverentia, & diſciplinæ ordo in monaſterio ſervari. Tum, improbata Boni, utpote alterius loci monachi, electione, jubet Domitium preſbyterum Lucuſiani monaſterii abbatem inſtitui; & Victorem Panormitanum epiſcopum iſtuc invitari, ut ipſe illic miſſarum ſollemnia celebrare, & prædictum Domitium abbatem ordinare poſſit. Ad hæc Luciferum ex-cellerario ejuſdem monaſterii præpoſitum inſtitui præcipit præ Catello monacho juniori; quem vere monachum eſſe negat, propterea quod ex parva eulogia ſeu munuſculo, quod Bonus monachus acceperat, partem exigendo contentionem non timuit facere in itinere. nam Bonum Romam ad pontificem euntem comitatus fuerat. quod ex quanta amaritudine, ſubdit Gregorius, cordis deſcenderit, tua poterat dilectio ſcire, *ſi regulam monachorum noſſe voluiſſet*, id eſt regulam ſancti Benedicti, quam monachorum regulam itidem vocat in fine libri ſecundi dialogorum: cujus regulæ caput ſeptuageſimum-quartum eſt de eulogiis non accipiendis, aut ſibi vindicandis ſine juſſu abbatis; tertium vero contentiones monachis prorſus interdicit. Neque tamen Luciferum Catello meliorem reputabat Gregorius. *Sed tolerabilius eſt*, inquit, *antiquiorem fratrem, quam novum & puerum tolerare.* Porro in alia epiſtola [a] idem comprobat concordiam factam inter Dometianum abbatem & preſbyterum prædicti monaſterii Lucuſiani, & adminiſtratores xenodochii Romani ſuper quibuſdam poſſeſſionibus, de quibus inter ſe ſe diſceptabant. ac proinde hæc epiſtola ſuperiori poſterior cenſenda eſt.

[a] Greg. lib. 7. ep. 17. ind. 2.

IX. Gregorii cura de valetudine Mariniani epiſcopi.

Sic in omnia intentus erat Gregorii animus, quod maxime probat [b] ejus ſollicitudo de valetudine Mariniani epiſcopi Ravennatis, cujus audito morbo, etſi ipſe gravi articulorum dolore decumberet, ſtatim peritos urbis medicos conſuluit ſuper vomitu ſanguinis, quem is patiebatur; eidemque quietem & ſilentium ob id præ ceteris neceſſaria eſſe ſcripſit. Sed quia utrumque, dum in eccleſia ſua maneret, ægre ſervari a Mariniano poſſe perſpectum habebat pontifex; eumdem hortatur, ut Romam ad ſe ante æſtivum tempus, ordinatis eccleſiæ ſuæ rebus, veniat, & quidem cum paucis: quia cum pontifice manens *in epiſcopio* ſeu palatio apoſtolico, quotidiana obſequia ab ejus miniſtris ac domeſticis eſſet habiturus. De cetero non jam hortatur, ſed diſtricte præcipit, ut Marinianus a jejunio ex medicorum conſilio prorſus abſtineat, niſi forte ſi magna ſollemnitas jejunium exigat. quod quinque tantum per annum vicibus ei permittit. Sed & a vigiliis quoque ipſum temperare jubet, & a ſollemnibus illis precibus, quæ *ſuper cereum*, forte paſchalem, in Ravennate eccleſia tum dici ſolebant; immo etiam ab expoſitionibus evangelii, quæ circa paſchalem ſollemnitatem a ſacerdotibus ſeu epiſcopis fiebant, nempe in ſcrutiniis baptizandorum, quas per alios fieri mandat. Quænam fuerint quinque illæ ſollemnitates, quibus jejunium a Mariniano præmitti concedit Gregorius, non facile eſt divinare omnes. Mihi vero perquam veri ſimile eſt, fuiſſe natale Domini, epiphaniam, paſcha, nativitatem S. Johannis, & forte natale apoſtolorum Petri & Pauli. Eſt & alia ejuſdem fere argumenti ad eumdem, ſed brevior [c] epiſtola, qua eum optimus pater denuo hortatur ad temperanda jejunia, quippe cum eruptionem ſanguinis patientibus jejunia omnino contraria eſſe medici aſſerant; nec de eo erubeſcendum, quod infirmitas exigit ac neceſſitas. Quod ſi proceſſu temporis vires reſumat, *ſemel aut bis in hebdomada* jejunare permittit. Ex quo intelligitur, Marinianum alias tenuiſſe morem diſciplinæ monaſticæ, quæ quotidiana per octo anni menſes jejunia præſcribit. quod in ſancti Benedicti regula notum eſt ab Idibus ſeptembris ad paſcha inſtitutum. Pervenit Marinianus ad annum ſexcenteſimum-ſextum, cujus epitaphium Rubeus, Baronius, aliique retulere.

[b] Id. lib. 9. ep. 29.

[c] Id. lib. 11. ep. 34.

X. Item de monaſterio Lucuſiano.

Cum Gregorius Marinianum ad ſe accitum de ordinanda prius eccleſia ſua admonuit, quatuor potiſſimum eidem inculcavit, nempe miſſarum celebrationem per miniſtros idoneos, epiſcopii procurationem, hoſpitalitatis curam, & ſollicitudinem monaſteriorum. Et quidem, quod ad poſtremum attinet, id de Gregorio aſſerere poſſumus, quod ipſe de ſancti Andreæ apoſtoli erga monaſterium ſuum providentia ſcripſit in epiſtola mox relata ad Ruſticianam patriciam, eam ſcilicet Gregorii ſol-

ANN. CHR. 601.

licitudinem in omnia monaſteria fuiſſe, quaſi omnium eſſet abbas. Id potiſſimum
patet de monaſteriis Italiæ ac Siciliæ, adjacentiumque inſularum: ſed aliis etiam
ejus providentia non defuit. Teſtis hac de re hujus indictionis quartæ epiſtola [a] ad
Cononem abbatem monaſterii Lirinenſis, cujus ſollertiam in regendo monaſterio, &
vigilantiam laudat, prout a reverendiſſimo fratre & coepiſcopo ſuo Menna, nempe
Tolonenſi, ſe didiciſſe ait; eumdemque ad perſequenda bona cœpta, & ad reſar-
ciendam, quæ ob ejus deceſſoris ſocordiam remiſſa & luxata fuerat, diſciplinam ſe-
dulum ſe præſtaret. Hæc reprehenſio cadit in Stephanum Cononis deceſſorem,
cujus ſtudium aliis litteris, ſuperius [b] commemoratis, probavit primum Gregorius,
forte quod meliora de ipſo accepiſſet: ſed poſtea ex ejus remiſſione ſæpius ſe con-
» triſtatum fuiſſe in hac epiſtola ſcribit. Cum vero pontifex Cononem contra dæmonis
» inſidias vigilantiſſimum eſſe cupit, tum præcipue cavendum monet a gula, a ſuper-
» bia, ab avaritia, a vaniloquio, & ab omni immunditie: quæ forte Lirinenſium vitia
» tunc erant. Ad hæc boni te dulcem, inquit, pravi ſentiant correctorem. in qua vide-
» licet correctione hunc eſſe ordinem noveris obſervandum, ut perſonas diligas, & vitia
» perſequaris. quæ fere verba ſunt ſancti Benedicti in regulæ capite ſexageſimo-quar-
to de ordinando abbate: *Oderit vitia, diligat fratres.* Nec multum Gregorii ſequen-
» tia verba ab aliis ſancti Benedicti verbis diſtant, ubi in correptionibus modum ſer-
» vandum docet, ſic vulnus abſcindendo, ut ne ulceretur quod ſanum eſt: ne, ſi plus,
» quam res exigit, ferrum impreſſeris, noceas cui prodeſſe feſtinas. Itaque ipſa, in-
» quit, dulcedo ſit cauta, non remiſſa; correctio vero diligens ſit, non ſevera: ſed ſic
« alterum condiatur ab altero, ut & boni habeant amando quod caveant, & pravi
» metuendo quod diligant. Hæc Gregorius in prædicta epiſtola ad Stephanum, cui
» Columbum preſbyterum, jam meritis ſuis ſatis ſuperque commendatum, iterum in
» fine commendat, qui Columbus fortaſſe epiſtolæ delator erat. An vero Cono ipſe
ex talibus Gregorii monitis pro eo ac par erat, profecerit, ex eo dubitare licet,
quod paullo poſt multum labefactata ſit monaſterii Lirinenſis regularis diſciplina:
quod ex actis tum ſancti Amati abbatis Habendenſis, tum ſancti Aigulfi Lirinenſis
inferius nimiſquam apparebit.

a Greg. lib. 9. ep. 8.

b Supra lib. 9. n. 6.

AAN. CHR. 602. XI.

Cantuarienſis eccleſiæ conſtructio.

POſtero anno, quam Laurentius preſbyter cum Mellito & ſociis ejus ex urbe
Roma in Britanniam reverſus eſt; acceptis a Gregorio ſubſidiariis in opus evan-
gelicum miniſtris, Auguſtinus de conſtruenda Cantuarienſi eccleſia ſerio cogitare
cœpit, & de inſtituendo monaſterio, quod continuandæ miſſioni & religioni pro-
pagandæ præſidium eſſet ſimul ac ſeminarium. Sane venerabilis [c] Beda utrumque re-
fert poſt reditum legatorum ex urbe, nec ante id tempus hoc conſilium exſequi po-
tuit Auguſtinus, tametſi jam ab anno duodeſexcenteſimo locum conſtruendæ ba-
ſilicæ ab Ethelberto rege acceperat, nempe veterem eccleſiam, quam ibi, id eſt in
regia civitate Dorovernenſi, Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuiſſe
didicerat. Hanc itaque eccleſiam in auguſtiorem formam reſtituit, eamque in ho-
norem ſalvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſacravit, atque eidem adhærentem ſibi
ſucceſſoribuſque ſuis habitationem ſtatuit. Quia vero Gregorius in prælaudata ad
Auguſtinum epiſtola præceperat, ad formam naſcentis eccleſiæ Anglicanum cle-
rum componi; Auguſtinus in metropolitana totius regni eccleſiæ non alios miniſtros
inſtituit, quam monachos. quod Melliti epiſcopi inſtinctu, rogante Ethelberto rege,
a Bonifacio papa quarto comprobatum fuiſſe, ipſius Bonifacii apud Spelmannum [d]
„ epiſtola docet his verbis. Quapropter, glorioſe fili, quod ab apoſtolica ſede per co-
» epiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſtis, libenti animo concedimus, id eſt, ut veſtra
» benignitas in monaſterio in Dorovernenſi civitate conſtituto, quod ſanctus doctor
» veſter Auguſtinus, beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus, ſancti Salvatoris nomini con-
» ſecravit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus frater noſter Laurentius,
» licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat; apoſ-
» tolica auctoritate decernentes, ut ipſi veſtræ ſalutis prædicatores monachi mona-
„ chorum gregem ſibi adſocient, & eorum vitam ſanctitatis moribus exornent. Id Spel-
mannus refert ad annum Chriſti ſexcenteſimum-decimum, qui quartus ab Auguſtini
obitu erat. Ea vero diſciplina principio in illa eccleſia ſervabatur, ut epiſcopus cum
clericis-monachis ſuum haberet diverſorium ſeorſim a grege monachorum, qui ſub
iiſdem tectis officia, cum divina, tum regularia exercebant ſub diſciplina abbatis.

c Beda lib. 1. c. 33.

Ubi monachi inſtituti.

d Spelman. tom. 1. p. 130.

quod luculenter Beda venerabilis probat in libro de vita ſancti Cuthberti epiſcopi Lindisfarnenſis, ubi Aidanus eamdem normam inſtituit. Ipſa ejus verba [a] huc adſcribere juvat. Neque aliquis miretur, quod in eadem inſula Lindisfarnea, cum permodica ſit, & ſupra epiſcopi, & nunc abbatis & monachorum eſſe locum diximus: re vera enim ita eſt. Namque una eademque ſervorum Dei habitatio utroſque ſimul tenet, immo omnes monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus ejuſdem loci epiſcopus fuit, monachus erat, & monachicam cum ſuis omnibus vitam ſemper agere ſolebat. unde ab illo omnes loci ipſius antiſtites uſque hodie ſic epiſcopale exercent officium, ut, regente monaſterium abbate, quem ipſi cum conſilio fratrum elegerint, omnes preſbyteri, diacones, cantores, lectores, ceterique gradus eccleſiaſtici, monachicam per omnia cum epiſcopo ipſo regulam ſervent. quam vivendi normam multum ſe diligere probavit beatus papa Gregorius, cum ſciſcitanti per litteras Auguſtino, quem primum genti Anglorum epiſcopum miſerat, qualiter epiſcopi cum ſuis clericis converſari debeant, reſpondit inter alia. *Sed quia tua fraternitas, monaſterii regulis erudita, ſeorſum non debet fieri a clericis ſuis; in eccleſia Anglorum, quæ Deo auctore nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet converſationem inſtituere, quæ in initio naſcentis eccleſiæ fuit patribus noſtris: in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Hactenus Beda cum Gregorio: ex quibus intelligitur, quænam tunc temporis fuerit in aliis cathedralibus Angliæ eccleſiis, quæ principio monachorum erant omnes, diſciplina.

ANN. CHR. 602.

a Beda de Cuthb. cap. 16.

XII. Ibidem perſtiterunt ad Henricū VIII.

Monachos in eccleſia Dorovernenſi uſque ad tempus Henrici octavi, excepto brevi ſpatio, perſeveraſſe adeo manifeſtum eſt, ut mirum ſit exſtitiſſe hoc tempore nonnullos, qui id in dubium revocare, aut negare auſi ſint. Per totum illud intervallum temporis, quod ab Auguſtino primo epiſcopo ad ſæculum decimum effluxit, numquam intermiſſa eſt monachorum in illa eccleſia ſtatio ac poſſeſſio. Id evincit liber evidentiarum iſtius eccleſiæ, ubi in pleriſque inſtrumentis mentio fit de monachis illic reſidentibus per ſæculum octavum & nonum ad annum uſque undenongenteſimum, quo Elvredus ſeu Elfredus rex agrum quemdam memoratur tradidiſſe Plegmundo Doroberniæ archiepiſcopo *ad opus monachorum.* Sub finem ſæculi decimi monachis ſuffectos fuiſſe clericos ſæculares, iiſque paullo poſt amotis a rege Ethelredo reſtitutos in perpenium fuiſſe monachos conſtat ex ejus privilegio apud Spelmannum [b] relato, quo Ethelredus ejuſdem archiepiſcopi rogatu, *monachos ejuſdem ordinis, quem huc attulit ſanctus Auguſtinus, & in Chriſti eccleſia poſuit*, ſe reſtituiſſe teſtatur ineunte ſæculo undecimo. Hos iterum amovere poſt annos ſexaginta moliti ſunt quidam clerici monachis infeſti: ſed obviam itum ab Alexandro papa ſecundo, ſcripta epiſtola ad Lanfrancum, tunc ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopum, inter Lanfranci epiſtolas quarta, cujus exordium referre juvat. Accepimus a quibuſdam venientibus de partibus veſtris ad limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quod quidam clerici, aſſociato ſibi terrenæ poteſtatis, laïcorum videlicet, auxilio, diabolico ſpiritu repleti, moliuntur de eccleſia ſancti Salvatoris in Dorobernia, quæ eſt metropolis totius Britanniæ, monachos expellere, & clericos inibi conſtituere: cui nefario operi molitionis ſuæ hoc adjicere conantur, ut in omni ſede epiſcopali ordo monachorum exſtirpetur, quaſi in eis non vigeat auctoritas religionis. Qua de re zelo Dei compulſi, ſcrutinium de privilegiis eccleſiarum fieri præcepimus, & venit ad manus ſtatutum prædeceſſoris noſtri beatæ memoriæ Gregorii majoris de eccleſiis Angliæ, quomodo ſcilicet præcepit Auguſtino gentis veſtræ apoſtolo, ut ejuſdem ordinis viros, cujus & ipſe noſcitur eſſe, poneret in præfata ſede metropolitana. Tum refert hac de re fragmenta ex litteris ſancti Gregorii ad Auguſtinum, & Bonifacii papæ quarti, quas modo commemorabam. Deinceps monachos ibidem, nulla interruptione facta, uſque ad Henrici octavi defectionem perſtitiſſe manifeſte probant omnia illorum temporum monumenta, liber de vita ſancti Anſelmi archiepiſcopi, ſcriptio Gervaſii monachi de diſcordia inter Baldewinum archiepiſcopum & monachos Dorovernenſes, epiſtola Odonis ejuſdem eccleſiæ monachi ac prioris ad fratrem ſuum Adamum novitium Igniacenſem, quadrilogium de vita ſancti Thomæ archiepiſcopi & martyris, Petri Bleſenſis epiſtola viceſima-ſeptima, in qua *fratres noſtri monachi cathedrales* appellantur; plures Johannis Sariſberienſis epiſtolæ a ducenteſima viceſima-ſeptima ad

b Spelm p. 505.

ANN. CHR. 602.

trecenteſimam-tertiam, in quibus de electione archiepiſcopi poſt necem ſancti Thomæ agitur; Antonius de Culancurte in hiſtoria nondum excuſa monaſterii Corbeienſis, ubi ad annum milleſimum quingenteſimum viceſimum-tertium in Cantuarienſi eccleſia *archiepiſcopus-abbas*, *centum quinquaginta monachi nigri* exſtitiſſe perhibentur. nam longe ante id tempus archepiſcopus abbatis officium & nomen ſibi vindicaverat, ut mox videbimus. denique id ipſum demonſtrat inſignis Eraſ-
» mi locus in dialogo de peregrinatione, ubi de Anglia agens: Hujus, inquit, me-
» tropolis eſt Cantuaria. In ea ſunt duo monaſteria pæne contigua. *utrumque Bene-*
» *dictinos habet.* Id quod habet divi Auguſtini titulum, videtur antiquius: hoc quod
» nunc appellatur divi Thomæ, ſedes archiepiſcopi fuiſſe videtur, ubi cum paucis
» electis monachis vitam ageret, quemadmodum & hodie præſules habent ædes ec-
» cleſiæ contiguas, ſed ab ædibus reliquorum canonicorum ſemotas. Olim enim fere
» tum epiſcopi, tum canonici monachi erant. Id arguunt manifeſta rerum veſtigia.
» Et inferius de illius eccleſiæ abbate interroganti reſpondet hoc modo. Mitram
» habet, cenſus habet abbaticos. ſolo nomine caret, & prior dicitur, ob id quod
» archiepiſcopus abbatis loco eſt. nam antiquitus quiſquis erat hujus ditionis archi-
» epiſcopus, idem erat & monachus. Hæc Eraſmus, ex cujus teſtimonio colligimus, monachos ad ſuam uſque ætatem, id eſt ad tempus Henrici octavi, perſeveraſſe in eccleſia Cantuarienſi, quæ primitus ſancti Salvatoris, tunc ſancti Thomæ nomine inſignita erat: deinde priores tunc abbatis loco fuiſſe in capitulo monachorum, ſoli archiepiſcopo abbatis nomine reſervato: cum abbas principio alius ab archiepiſcopo eſſet, ſubſequenti tempore decanus teſte Gervaſio monacho, ac demum prior. Ad hæc archiepiſcopum ex monachis electum fuiſſe. quod facile ex antiquis auctoribus comprobari poteſt.

XIII. Archiepiſcopi ex monachis.

Mortuo ſancto Anſelmo Cantuarienſi præſule ex monacho & abbate Beccenſi, poſt vacationis quinquennium, cum demum ad electionem ventum eſſet, eligentium vota in Faricium Abendoniæ abbatem, favente Heinrico rege, conſpirabant. at
» epiſcopi & quidam magnates quemlibet epiſcopum de ordine clericali, aut cleri-
» cum aliquem de capella regis, in opus illud adſciſci volebant. Verum, ut refert Eadmerus in hiſtoria novorum, teſtis rerum oculatus, ubi eis objectum eſt, *nullum a beato Auguſtino, niſi de monachico ordine, umquam pontificatui Cantuarienſi præſe-*
» *diſſe*, uno dumtaxat excepto, qui & ob hanc præſumtionem, & alia quædam ab eo
» perverſe commiſſa, depoſitus per Romanum pontificem fuit; ideoque tam anti-
» quam & authenticam conſuetudinem, cum nulla ratio vel neceſſitas exigeret, ſub-
» verti non oportere: deſiſtere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant,
» compulſi ſunt. Ergo tandem electus eſt Radulfus, Roffenſis ex abbate Sagienſi antiſtes: cui Guillelmus Curbulienſis, canonicus regularis, poſt aliquot annos ſucceſ-
» ſit, ex Orderico [a] Vitali, qui hæc ſubdit. Ecce antiquus mos pro invidia, qua cle-
» rici contra monachos urebantur, depravatus fuit. Auguſtinus enim monachus, qui
» primus in Anglia Chriſtum prædicavit, ac Edelbertum regem & Sarbertum nepo-
» tem ejus, cum populis Cantiæ & Lundoniæ, ad fidem Chriſti convertit, juſſu
» Gregorii papæ primas metropolitanus totius Britanniæ floruit. *Omnes exinde uſque*
» *ad Radulfum Dorobernia archiepiſcopum, præter Frigeardum & Odam atque Stigan-*
» *dum fuerunt monachi.* Et quidem Ordericus addit, Frigeardum, qui Lotherii regis capellanus fuerat, *ſine præſulatus unctione* exhalaſſe ſpiritum; Odam vero ſeu Odonem electum, audito omnes deceſſores ſuos fuiſſe monachos, mutaſſe habitum, nempe in cœnobio Floriacenſi, ac religioſum monachum & archipræſulem uſque ad mortem Deo militaſſe: Stigandum porro, Emmæ reginæ capellanum, a Romano pontifice numquam pallium accepiſſe; immo ab Alexandro ſecundo interdictum, quod Haraldo nihilo minus regiam benedictionem conferre auſus eſſet, poſtea, Guillelmo primo in regnum confirmato, ſynodi ſanctione fuiſſe exauctoratum. Ex
» quibus ita concludit Ordericus illorum temporum auctor. Angli monachos, quia
» per eos ad Deum converſi ſunt, indeſinenter diligentes honoraverunt, ipſique cle-
» rici reverenter & benigne ſibi monachos præferri gaviſi ſunt. Nunc autem mores
» & leges mutatæ ſunt; & clerici, ut monachos conculcent & confutent, clericos extollunt. Guillelmo tamen mortuo ſuffectus eſt Theobaldus, ante Beccenſis abbas: ſed poſt eum ecce nova rurſus mutatio, cum in illam ſedem, volente Henrico ejus nominis ſecundo, poſtulatus eſt ex cancellario regis Thomas: qui, ut veterem quo-

dam

[a] Orderic. p. 873.

ANN. CHR. 602.

dam modo retineret morem, habitum monaſticum ſuſcepit, geſtavitque cum clericali, ut in quadrilogio non ſemel legitur, monachorum capitulis præſidere ſolitus, collationibus intereſſe, in clauſtro cum ipſis lectioni intendere, teſte Gervaſio ejuſdem loci monacho in libello de diſcordia inter monachos Cantuarienſes & Baldewinum, qui Richardum archiepiſcopum Thomæ ſucceſſorem excepit, prius monachus Ciſtercienſis. *Res nova & inaudita*, inquit Gervaſius. Sicut enim inuſitatum eſt, ordinis Ciſtercienſis monachum Anglicanæ eccleſiæ præeſſe: ita Cantuarienſi eccleſiæ inexpertum eſt, ut aliquis archiepiſcoporum conventui ſuo tot inſerret injurias. Poſt id tempus primam illam cathedram promiſcue inſederunt Benedictini, Dominicani, Franciſcani, ac clerici ſæculares: at Benedictinorum conventus nihilo ſecius in majori eccleſia, ut jam dixi, uſque ad funeſtiſſimi ſchiſmatis tempus perſeveravit: ſed tamen archiepiſcopis ab eo tempore adhæſerunt clerici ſæculares loco monachorum, qui antea ab epiſcopi contubernio & latere non diſcedebant.

XIV. Quando primum ſæculares clerici cum archiepiſcopo.

Hujus novationis originem Gervaſius refert ad Theobaldum, qui, quamquam monachus & abbas Beccenſis fuerat; cum eſſet natura ſimplex, & aliquantum, id eſt parum, litteratus, adſcivit clericos ſæculares, quorum conſilio, ſuo impetu, quolibet ferebatur. quæ res magnarum diſcordiarum fomes & ſeminarium exſtitit. Abbatibus ſublatis, monachorum primus poſt archiepiſcopum rector decanus erat, quem poſtea priorem appellarunt. Abbatis loco, ut præmiſſum eſt, archiepiſcopus cenſebatur. Omnes autem donationes, quæ medio tempore, nempe inter Auguſtini & Baldewini ætatem, monaſterio factæ ſunt; non archiepiſcopis, non decanis, qui nunc, ait [a] Gervaſius, priores vocantur, non alicui perſonæ ſingulariter factæ ſunt, ſed ipſi Deo, & per eum toti monachorum congregationi: nec uſpiam, ut reor, addit idem auctor, aliquo in ſcripto, ſimplici vel bullato, inveniri poterit aliter vel alteri omnia illa eſſe collata. Eodem ritu antiquitus fiebant in ceteris monaſteriis donationes; nec cuiquam umquam venit in mentem, ut quidam monachorum oſores jactitant, ut eas abbatibus ſpeciatim ac nominatim, nec niſi per eos monachorum gregi conferret. Verum, pergit poſt aliqua Gervaſius, ut pacis & concordiæ vinculum partis utriuſque, capitis videlicet & corporis, futuris temporibus inviolabiliter ſervaretur; archiepiſcopus, monachis ſuis in novam ordinis formam redactis, priori & conventui rerum ſuarum omnimodam conceſſit adminiſtrationem. Poſtea vero ſub Theobaldo ad archiepiſcopum hæc adminiſtratio ex conventus decreto tranſlata fuit: qua de re non ſera fuit monachorum pœnitentia. Hæc fere diſciplina viguit penes monachos majoris eccleſiæ Cantuarienſis. quæ omnia uno conſpectu ob oculos poſita, ſuis locis illuſtranda & fuſius explicanda erunt. Eadem fere diſciplina ſervata eſt in pleriſque cathedralibus Angliæ eccleſiis, quæ monachorum conventum principio habuerunt, quales fuere Eboracenſis, Wintonienſis, Schireburnenſis, Roffenſis, Norwicenſis, Theotfordenſis, Lindisfarnenſis ac Dunelmenſis, Conventrienſis, Wigornienſis & Elienſis: de quibus opportunius ſuo loco diſſeremus. Certe Robertus [b] de Monte in appendice ad Sigebertum teſtatur, ſuo tempore, id eſt ſub finem ſæculi duodecimi, fuiſſe in Anglia epiſcopatus ſeptem-decim, ex quibus octo poſſidebant monachi; totidemque canonici ſæculares; & unum canonici regulares.

Monaſterii qualis tunc diſciplina.

[a] Gervaſ. col. 1310.

Cathedrales eccleſiæ monachorum in Anglia.

[b] Robert. pag. 769. poſt Guibert.

XV. Auguſtinus S. Petri monaſterium condit.

Præter majorem ſancti Salvatoris eccleſiam, Auguſtinus monaſterium non longe ab ipſa civitate ad orientem inſtituit, in quo Ethelbertus ejus hortatu eccleſiam beatorum apoſtolorum Petri & Pauli a fundamentis conſtruxit, variiſque donis locupletavit: ubi & ipſius Auguſtini, & omnium epiſcoporum Dorovernenſium ſimul & Cantii regum corpora condi poſſent. ſic hujus monaſterii originem compendio retulit venerabilis [c] Beda, qui & addit, ejus eccleſiam, non ab ipſo Auguſtino, ſed a ſucceſſore ejus Laurentio conſecratam fuiſſe. Paullo fuſius rem explicat Monaſticum Anglicanum. quippe non longe ab ipſa Cantuariæ civitate ad orientalem plagam, quaſi medio itinere inter veterem ſancti Martini eccleſiam, cujus ſuperius meminimus, & muros civitatis, fanum erat, in quo Ethelbertus rex cum ſuis, ante ſuſceptam fidem, profana ſacra exercere ſolebat. Illud Auguſtinus, ubi primum epiſcopus ordinatus eſt, a ſordibus & inquinamentis gentilium repurgavit, & confracto quod in eo erat ſimulacro, ſynagogam ſatanæ mutavit in eccleſiam, eamque ſub ſancti Pancratii martyris nomine dedicavit. quæ prima eccleſiæ dedicatio ab Auguſtino in Britannia facta eſt. Tum eamdem ſancti Pancratii eccleſiam Auguſtinus

[c] Beda lib. 1. c. 33.

ANN. CHR. 602.

una cum terra adjacente a rege obtinuit, in cujus fundo idem Ethelbertus eccleſiam in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli a fundamentis conſtruxit, ibidemque monachi, perpetuis temporibus Deo ſervituri, ab eodem inſtituti, variiſque donis & poſſeſſionibus dotati: ubi & ſuam ipſius ac ſucceſſorum ſepulturam elegit, itidemque Auguſtinus ſuum ac ſubſequentium Cantuarienſium pontificum conditorium eſſe juſſit, variis ſanctorum apoſtolorum ac martyrum reliquiis & ornamentis eccleſiaſticis, ab apoſtolica ſede tranſmiſſis, a ſe exornatum. Hinc eccleſiæ, adjunctoque monaſterio ab Auguſtini corpore & tumulo appellatio & celebritas poſtmodum acceſſit. Ex hoc præcipue loco vivendi formam & exemplum acceperunt alia ejuſdem inſulæ monaſteria, cum nova, tum antiqua, quæ ante Auguſtini iſtuc adventum condita fuerant. Primus [a] ejuſdem monaſterii abbas Petrus preſbyter fuit, Laurentii & Melliti in Romana ad Gregorium legatione ſocius: qui in Galliam, forte ab Auguſtino, miſſus, oceani undis abſorptus eſt. Magna inrer utrumque monaſterium, nempe ſancti Salvatoris & ſancti Petri, communio & affinitas erat: commune [b] utrique congregationi capitulum, ac refectorium, ceteraque loca communia, ſic tamen ut majoris eccleſiæ Salvatoris monachis primas cederent ſancti Petri cœnobitæ. Hic tamen archiepiſcopis reſidere propter liberiorem & ſalubriorem auram mos erat, maxime ab eo tempore, quo eorum conditorium ibidem eſſe deſiit. Id factum per Cuthbertum [c] archiepiſcopum ab Auguſtino undecimum, qui Romam ad accipiendum pallium de more profectus, cum multos in ipſa urbe pontifices, aliosque apud Lateranum humatos obſervaſſet; & ipſe, conſulto prius pontifice, cœmeterium intra muros Cantuariæ prope majorem eccleſiam fieri conſtituit, ubi deinceps præſules ac monachi cathedrales, aliique fideles ſepulti ſunt.

a *Beda ibid.*
b *Monaſt. Anglic. pag.* 26.
c *ibid. p.* 25

XVI. Chorepiſcopus in eccleſia S. Martini.

. Non longe a loco, ubi ſtetit ſancti Petri monaſterium extra civitatem, in parte itidem orientali, exſtabat, ut jam dixi, vetus ſancti Martini eccleſia, ubi Auguſtinus ſedem ſuam primitus fixerat. Iſtic epiſcopus, verius chorepiſcopus, inſtitutus fuit, qui vices [d] archiepiſcopi abſentis in omnibus gerebat, & monachos ſibi ex majori eccleſia, monachus ipſe, in obſequium aſſumebat. Idem ſollemnitates in ſede metropolitana celebrare ſolitus, archidiaconi etiam officium agebat, clericos archiepiſcopo ſubjectos corripiens & emendans: cum prior ſeu decanus majoris eccleſiæ eos, qui in eccleſiis ſibi ſubditis degebant, corrigeret.

d *ibid. p.* 26.

XVII. Raculfenſe monaſterium & S. Mildrithæ.

Præter ea Ethelbertus rex aliud cœnobium conſtruxiſſe dicitur [e] apud Raculfum, ubi ſedem regni ſibi præparaverat: cujus loci abbas ultimus fuit Wenredos. Certe hoc monaſterium antiquiſſimum eſſe patet ex Beda [f], quo referente Bertwaldus, ejus loci abbas, Theodoro in ſedem Cantuarienſem ſucceſſit anno dominicæ incarnationis ſexcenteſimo nonageſſimo-ſecundo. Situm erat, teſte eodem auctore, hoc monaſterium juxta oſtium aquilonale fluminis Genladi; conceſſumque eſt ab Eadredo rege [g] Cantuarienſi eccleſiæ ſancti Salvatoris medio ſæculo decimo. His addunt [h] beatæ Mildrithæ abbatiam, eodem tempore intra Cantuariæ muros in auſtrali parte conſtructam, cujus ultimus abbas Alfwicus. Hæ gentis primitiæ erant, hoc ſtudium in chriſtianam religionem, quod poſteri ad funeſtiſſimum uſque ſuperiorum temporum ſchiſma æmulati ſunt.

e *ibid.*
f *Beda lib.* 5. *c.* 9.
g *Monaſt. Ang. pag.* 86.
h *id. pag.* 26.

XVIII. S. Benedicti regula in illis monaſteriis.

Regulam ſancti Benedicti in primis illis monaſteriis ab Auguſtino inſtitutam fuiſſe manifeſta demonſtrant argumenta. Poſt annos ab Auguſtini obitu admodum quinquaginta Wilfridus, ex abbate Ripenſi Eboracenſis antiſtes, id in Britanniæ parte trans-Humbrana perfecit, quod Auguſtinus in parte cis-Humbrana paullo ante præſtiterat, nempe ut Romani ritus a Scottis, qui trans Humbrum fluvium degebant, ſuſciperentur, videlicet paſchæ celebratio, cantus, & tonſura ad morem Romanorum. Idem regulam ſancti Benedicti primus in illarum partium monaſteria invexit, qua de re apud Willelmum Malmeſburienſem gloriatur. At unde hanc regulam acceperit, diſcimus ex locupletiſſimo hujus rei teſte Eddio-Stephano, Wilfridi diſcipulo ac ſocio, qui, poſtquam Wilfridi ordinationem & Ceaddæ in ejus locum ſubſtitutionem retulit, eumdem ab Egberto Cantuariorum rege accerſitum fuiſſe, ibique mortuo Deuſdedit archiepiſcopo miniſtros haud paucos ordinaſſe tradit, atqoe inde in regionem ſuam trans Humbrum revertiſſe *cum Regula ſancti Benedicti*, cujus ſubſidio *inſtituta eccleſiarum*, id eſt monaſteriorum, *melioravit*. Id contigit anno hujus ſæculi ſexageſimo-quarto, qui Deuſdedit archiepiſcopi ſupremus fuit, teſte venerabili [i] Beda. Itaque ex ipſa urbe Cantuaria, quo arceſſitus

i *Beda lib.* 4. *c.* 1.

ANN. CHR. 601.

a rege Wilfridus fuerat, ſancti Benedicti regulam ſecum retulit, nec eam aliunde ſine dubio, quam ex ipſis Cantuariæ monaſteriis, ubi ſervabatur, accepit: qua ex urbe cum cantoribus Ædde (forte is Eddius noſter) & Æona, aliiſque artificibus Romanæ ſtructuræ peritis, in regionem ſuam reverſus *eam regula ſancti Benedicti*, inſtituta monaſteriorum in melius commutavit. Eamdem ergo regulam Cantuarienſibus monaſteriis, unde eam Wilfridus accepit, beatus Auguſtinus inſtituerat: cum nulla tam brevi tempore facta ſit mutatio, id nimirum vetante poſt Gregorium Bonifacio quarto. Certe nulla hujuſce mutationis cauſa ſeu occaſio afferri poteſt, nec ullum ejus apparet veſtigium. Eodem tempore Benedictus, cognomento Biſcopus, priuſquam Wiremuthenſe monaſterium cum Girwenſi conderet, in Cantuarienſi ſancti Petri monaſterio abbatis officium geſſit, atque inde illa duo monaſteria *juxta Regulam* inſtituit; præcepitque, ut abbatis electio fieret, *juxta quod Regula magni quondam abbatis Benedicti continet.* quod totidem fere verbis Ceolfridus ejus ſucceſſor inculcavit, nempe ut *juxta Regulam ſancti abbatis Benedicti* monachi ex ſuis ipſi patrem, qui aptior ad regendum eſſet, eligerent. Non aliam utique regulam ab ea, quam in Cantuarienſi ſancti Petri monaſterio Biſcopus obſervaverat; ſuoque monaſterio impoſuerat. Id teſtatur venerabilis Beda, ipſius Biſcopi alumnus, in duobus libellis de origine & primis abbatibus monaſterii Wiremuthenſis, in quo una eccleſia erat *beati patris Benedicti*, ut ipſe loquitur in fine libri ſecundi. Idem in libro de vita S. Cuthberti non ſemel *beatiſſimi patris Benedicti* meminit, iis ſane verbis, quæ monachum S. Benedicti regulæ addictiſſimum probant. Paullo ante id tempus venerabilis Eata preſbyter & abbas in Lindisfarnenſi monaſterio docuit *Regulam monachica perfectionis*, quæ Bedæ verba ſunt in libro de vita ejuſdem Cuthberti: quod aliis verbis exprimens anonymus, qui eamdem vitam in litteras retulit ante ipſum Bedam, ſic de hoc Eatæ facto loquitur: *Vivens quoque ibi ſecundum ſacram ſcripturam, contemplativam vitam in actuali agens, & nobis regularem vitam componens conſtituit, quam uſque hodie*, inquit, *cum Regula Benedicti obſervamus.* Hæc itaque tunc temporis princeps regula erat, quæ omnibus monaſteriis, cum novis, tum antiquis, imponebatur: nec proinde mirum, quod in veterrimis litaniis [a] Anglicanis, quæ ab annis fere mille conditæ ſunt, unus ex omnibus monaſticæ vitæ inſtitutoribus invocatur ſanctus Benedictus; non Antonius, non Pachomius, non Baſilius, non Cæſarius, non Aurelianus, non ipſe etiam Equitius, non denique Columbanus. Nec vulgari quolibet modo appellatur ſanctus Benedictus, ſed ejus nomen bis repetendum præſcribitur, magna ſane ſingularis honoris ac venerationis prærogativa, quæ nulli alteri ſancto iu his litaniis, præterquam beatiſſimæ virgini Mariæ ibidem ter laudatæ, & ſancto Stephano loci patrono iterata vice repetendo conceditur. Hic vero tam ſingularis ſancti Benedicti apud Anglos cultus ſine dubio propagatus eſt ex commendatione tum Gregorii Magni, tum Auguſtini ejuſque diſcipulorum, qui ambo ſanctum Benedictum, ſuum in rebus monaſticis præceptorem ac inſtitutorem, venerantes, eumdem ſibi ſubditis affectum inſpiraverunt. Eodem ſtudio, eademque perſuaſione affectus erat ſanctus Aldhelmus, ex abbate Meldunenſi epiſcopus Schireburnenſis, qui in libro metrico de virginitate ſanctum Benedictum hac de re laudat.

a Analect. to. 2. p. 669.

Primus qui noſtra ſtatuit certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia normam.

Primus, inquit, non quidem abſolute. ſi quidem Benedictum præceſſit Baſilius monaſticæ vitæ inſtitutor: ſed primus, a quo Angli hoc inſtitutum acceperunt per Auguſtinum. Idem auctor in proſa ejuſdem argumenti iterum S. Benedictum extollit, laudaturus Equitium, ſi hunc monaſtici illis in partibus inſtituti patrem ac patronum agnoviſſet. Non levis momenti hac in re eſt profeſſionis formula, qua monachi Anglicani ante Dunſtanum, id eſt ante ſæculum decimum, utebantur, relata in codice perantiquo, olim eccleſiæ Cantuarienſis, modo Pariſienſis: in quo prima oratio ad initiandos profeſſos eo tendit, *quatenus eam ſanctis patribus noſtris, Paulo, Antonio, Macario, ceteriſque innumerabilibus, necnon & beato Benedicto, vitæ bravium percipere mereamur.* Profeſſionis vero formula, qua haud dubie utebantur Cantuarienſes noſtri etiam ante Dunſtanum, eſt ipſamet, quæ in toto ſancti Benedicti Ordine ab antiquis temporibus recepta eſt, ad regulæ mentem, & fere ex ejus verbis

ANN. CHR. 602.

contexta. Hanc profeſſus eſt ſanctus Bonifacius epiſcopus & martyr in Nutſcellenſi apud Anglos monaſterio, eamdemque Fuldenſi monaſterio, aliiſque in Germania a ſe inſtitutis præſcripſit, ut conſtat ex ejus actis. Hanc commendarunt patres concilii Cloveshovienſis ſub medium ſæculum octavum congregati, præcipientes capitulo viceſimo-quarto, ut in vitæ monaſticæ candidatis *ſecundum monaſtica regulæ definitionem probentur ſpiritus, an ex Deo ſint*, nempe ſecundum regulam Benedictinam, cujus hoc ex Apoſtolo præceptum eſt in capite quinquageſimo-octavo. Unde Alcuinus in epiſtola quadrageſima-nona Wirenſes & Girwenſes monachos, quos a Benedicto Biſcopo ad regulæ noſtræ amuſſim inſtitutos fuiſſe diximus, magnopere hortatur, *ut regularis vitæ obſervationem, a Benedicto & Ceolfrido ſtatutam, diligenter cuſtodiant*: atque ejus rei cauſa, *Regula*, inquit, *ſancti Benedicti in conventu fratrum propria exponatur lingua, ut intelligi poſſit ab omnibus*. Quæ cum ita ſint, nemo in poſterum, opinor, nobis obtendet cum Johanne Mareshamo Bedæ venerabilis & concilii Cloveshovienſis de regula Benedictina ſilentium, quorum tam luculenta teſtimonia retulimus: nec quiſquam ejus opinationi adhærebit, exiſtimantis, hanc regulam non ante regis Eadgari principatum, id eſt non ante medium ſæculum decimum, ab omnibus in Anglia receptam fuiſſe. quod etſi ex præmiſſis non penitus everſum eſſet, unus refellendo huic commento ſufficeret Johannes diaconus, qui uno ante Eadgarum ſæculo, cum Gregorium Magnum Benedictini fuiſſe inſtituti probare vellet, hoc inter alia argumentum adducit. *Quod vero monachi, qui a Gregorio in Saxoniam*, id eſt in Britanniam inſulam a Saxonibus ſubactam, *miſſi ſunt, ſancti Benedicti regulæ fuerint mancipati; inter alia etiam illud oſtendit, quod ex ipſius diſcipulis vix poteſt in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non obſervetur tam in propoſito, quam in habitu regula Benedicti.* Is ergo rerum noſtrarum in Anglia ſtatus erat uno ſæculo ante Eadgarum: qui, ut ſancti Benedicti regula in omnibus monaſteriis modo uniformi ſervaretur, generalem conſtitutionem, ſuadente in primis Dunſtano, edidit. quæ conſtitutio Mareshamum in Monaſtici Anglicani propyleo induxit in errorem, quaſi tunc primum regula noſtra ab Anglis recepta fuiſſet. Longe alia fuit ſententia Ethelredi Anglorum regis, qui in privilegio, eccleſiæ Cantuarienſi ſub undecimi ſæculi initium conceſſo, rationem exponens, cur in eam eccleſiam Benedictinos monachos reſtituerit: *Hoc ideo*, inquit, *feci, & monachos ejuſdem Ordinis, quem huc attulit ſanctus Auguſtinus, in eccleſia poſui, Ordinis ſcilicet, quem ille ex præcepto ſancti Gregorii, & ex magni regis Ethelberti conſtitutione & auxilio in terram hanc intulit.* Non immerito proinde Benedictini omnes cum Ambroſio Autperto abbate, qui ſub medium octavi ſæculi commentarios in apocalypſim ſcribebat, *Gregorium noſtrum* appellamus, itidemque noſtros Auguſtinum ejus in Andreano monaſterio diſcipulum, primoſque omnes Anglicanæ miſſionis monachos & alumnos; nec ſine legitimo fundamento Aimoïnus Floriacenſis monachus in prologo de miraculis ſancti Benedicti aſſerit, eumdem Gregorium ejus *regulæ ſubditum diſciplinis* fuiſſe. Ex his omnibus cum Johanne [a] Seldeno, viro longe doctiſſimo,
„ inferre licet, cœnobii ſancti Salvatoris Cantuariæ incolas, atque adeo ſuburbani
„ ſancti Petri, Benedictinæ familiæ, etiam ab ipſis incunabulis, ſemper fuiſſe habitos;
„ nihil contra occurrere in vetuſtis monumentis, in quibus nullum novationis veſti-
„ gium; immo diſerte conſpirare omnia, ad probandam regulæ noſtræ in Anglicanis
„ illis monaſteriis antiquitatem. Hanc digreſſionem, prolixam quidem, ſed inſtituto noſtro convenientem & opportunam, mihi facile condonabunt benigni lectores; nec mihi, ut ſpero, ſuccenſebunt, quod pleraque argumenta, alibi a me non uno in loco relata, huc ſimul conjecerim, uſus ut meis ad rem, magni ſane nobis momenti, conficiendam.

a *Selden in notis ad Ead. ſub fin.*

XIX. Claudii abbatis Claſſenſis mors.

Venio ad monaſticas Gregorii epiſtolas per hujus anni quintam indictionem ſcriptas: in quibus ea, quæ poſt mortem Claudii Claſſenſis abbatis [b] exarata eſt, in primis obſervanda occurrit. Erat is, ut ſuperius diximus, Gregorii diſcipulus & familiaris, idemtidem ad eum venire ſolitus ad relevandas pontificis moleſtias, & ad agendum cum eo de rebus ſacris. Idem quaſdam extemporaneas Gregorii expoſitiones in Proverbia, Cantica canticorum, Prophetas, libros regum & Heptateuchum, quas pontifex ſcripto tradere præ infirmitate non valuerat, ex ore loquentis audierat, & ſuo ſtilo & ſenſu, ne perirent, reddiderat, ut opportuno tempore hæc eadem a pontifice emendatius ederentur. Claudio mortuo, Johanni Ravennæ ſub-

b *Greg. M. lib. 10. ep. 22.*

Gregorii modeſtia de ſuis ſcriptis.

ANN. CHR. 601.

diacono ſcripſit Gregorius, ea ſcripta ut ad ſe tranſmitteret, in quibus aliqua, a ſuo ſenſu prorſus aliena, deprehenderat. In eadem epiſtola etiam non probat, ſua in Jobum commentaria publice ad vigilias legi juſſu Mariniani epiſcopi: quippe opus populare non eſſe, & rudibus auditoribus magis impedimento, quam profectui futura. Magis expedire, ut ad vigilias legantur pſalmorum commenta, quæ mentes ſecularium ad bonos mores præcipue informant. Nolle ſe, dum in hoc corpore verſaretur, ut opera ſua in publicum facile prodirent; ac graviter ferre, quod Anatolius diaconus imperatori poſtulanti librum regulæ paſtoralis dediſſet; multo minus, quod eum Anaſtaſius Antiochenus epiſcopus (quæ ſanctiſſimi pontificis modeſtia erat) in Græcam linguam tranſtuliſſet.

Abbatis rejecta electio.

Poſt Claudii mortem monachi ejus cœnobii, ſcilicet Claſſenſis ſanctorum Johannis & Pauli, Conſtantium monachum in ejus locum elegerunt, & miſſis Romam nuntiis eumdem ſibi abbatem inſtitui petierunt. Horum petitionem *deteſtatus eſt* Gregorius, immo petitores ipſos, utpote terrenæ mentis homines, quippe qui terrenum nimis hominem ſibi abbatem præfici voluerant. *Cognovi enim*, ait vir ſanctus, *quod idem Conſtantius peculiaritati ſtudeat. quæ res maxime teſtatur, eum cor monachi non habere.* O quam pauci ergo vere monachi! quam pauci cor monachi habent! En prima rejiciendi Conſtantii cauſa: alteram audiamus. Deinde cognovi, quod ad monaſterium, quod in Piceni provincia ſitum eſt, *ſolus pergere ſine aliquo fratrum ſuorum præſumſit.* Ex qua ejus actione cognoſcimus, quia *qui ſine teſte ambulat, recte non vivat.* Utinam id attenderent, qui tam facile foras abſque ſocio pergunt! Conſtantio itaque rejecto, Maurum cellerarium, a Claudio abbate ſibi quondam laudatum, præferri jubet, eumque a Mariniano epiſcopo, ſi ejus vita ad locum regiminis digna ſit, ordinari: ſin minus, alium vel ex ipſa ejuſdem loci congregatione, ſi dignus adſit; vel ex alia, ſi deſit, eligendum. Ubi obiter obſervare licet, Gregotium hoc loco & alibi, (quod etiam de aliis dictum puta) cum de aſſumendo ex alia congregatione abbate loquitur, nullum diſcrimen feciſſe Ordinum: propterea quod tunc monachi omnes, ut ſuperius [a] expoſui, ejuſdem inſtituti & ordinis cenſerentur. Præterea Gregorius Mariniano antiſtiti præcipit ſignificari, ut peculiaritatis vitium a quatuor aut quinque ejuſdem cœnobii monachis, in quibus corrigi hactenus minime potuerat, ſtudioſiſſime compeſcat; & hoc ipſum monaſterium ab ejuſmodi peſte mundare feſtinet: quia, ſi illic peculiaritas a monachis habetur, neque concordia, neque caritas in congregatione eadem poterit permanere. *Quid eſt autem*, inquit, *habitus monachi, niſi deſpectus mundi? Quomodo igitur mundum deſpiciunt, qui in monaſterio poſiti aurum quærunt?* Tum ſubdit Johannem alloquens: Ita igitur tua experientia faciat, ut neque loci ordinatio differatur, neque ad nos ulterius hac de re querela perveniat.

Peculiaritas in monacho quantum malum.

a lib. 2. n. 18.

XX. Monachatus pro ſubdiaconatu.

Monachatum ſubdiaconatus loco aliquando fuiſſe colligit Thomaſſinus [b] ex hujus anni epiſtola tertia-decima ad Paſſivum epiſcopum Firmanum. quippe, Apputii caſtro Firmenſis territorii paſtorali ſollicitudine omnino deſtituto, Paſſivum monuit pontifex, Opportunum quemdam, moribus apprime, uti acceperat, compoſitum, in pſalmodiæ ſtudio, in amore orationis valde laudatum, religioſam plane vitam agere. Eum proinde hortetur epiſcopus, ut in bis bonis ſtudiis creſcat; &, ſi nulla ei crimina, quæ per legis ſacræ regulam morte multanda ſint, obviare deprehenderit; tunc hortandum eſſe, ut *vel monachus, vel* ab ipſo Paſſivo *ſubdiaconus fiat*; & poſt aliquantulum temporis, ſi Deo placuerit, ipſe ad paſtoralem curam debeat promoveri. Certe ſanctus Benedictus in regula ſua concedit abbati, ut, ſi voluerit, aliquos e ſuis preſbyteros aut diaconos ordinari curet, nulla ſubdiaconatus mentione facta. Nec certe ſit in epiſtola ſancti Epiphanii [c] ad Johannem epiſcopum Jeroſolymitanum, qui de ordinatione monachi ab Epiphanio facta conquerebatur, ubi Epiphanius: *Ordinavimus*, ait, *diaconum; &, poſtquam miniſtravit, rurſum presbyterum.* Et ſcimus, monaſticam profeſſionem minorum Ordinum loco quandoque habitam fuiſſe. quo minus mirandum eſt, abbatibus quibuſdam, non modo tonſuram, ſed etiam minores ordines, immo & ſubdiaconatum conferendi poteſtatem conceſſam fuiſſe a pontifice Romano. Quamquam Siricius [d] volebat monaehos *per gradus ſingulos* ad ſacerdotium promoveri; idemque nonnullos carpit [e] epiſcopos, qui, ut ne monachos diutius penes ſe probandos retinere, & alere cogerentur, eos ſtatim diaconos ac preſbyteros ordinabant; *carius.* reputantes *dare ſumtum tranſeunti, quam ſacerdotium non retento.* Quamquam id forte pro inferioribus Ordinibus

b Thomaſſin. parte 2. l. 1. c. 34.

c inter Hier. ep. 60.

d Siric. ep. 1.

e Id. ep. 5.

ANN. CHR. 601.

a Gelaſ. ep. 9. c. 4.

non ita improbaturus fuiſſet Siricius, ſi ordinandorum mores epiſcopo probati ac perſpecti fuiſſent. Porro Gelaſius papa [a] primus, etſi monachos itidem per ſingulos ordinum gradus promoveri vult, in eorum tamen gratiam, qui in monaſtico inſtituto præcellerent, ſingulorum graduum inſterſtitia relaxari concedit, *quibus quod annorum interſtitia fuerant collatura, ſancti propoſiti ſponte ſuſcepta doceatur præſtitiſſe devotio.* In ſequente epiſtola Gregorius [b] eximium dat paternæ benignitatis exemplum, cum eumdem Opportunum, quem forte aſperius objurgaverat, lenibus litteris mitigare & recreare ſategit, conteſtatus, illa verba non ex aſperitate cordis, ſed ex amore ejus animæ ſe fuiſſe locutum. Interim vero eum ad meliora hortatur.

b Greg. M. lib. 10 ep. 14.

XXI. Clerici non prohibendi ne monachi fiant.

c Ibid ep. 30.

Pancratius, Viennenſis eccleſiæ clericus, divina commotus inſpiratione monaſterium petierat, ibique monaſticum ſumſerat habitum, & ejuſdem monaſterii diaconus factus fuerat. Eum Deſiderius Viennenſis antiſtes ſibi ſuæque eccleſiæ, cui in clericatus officio mancipatus fuerat, reſtitui poſtulabat, non quidem *impedimentum* facti cauſatus, *ſed affectu benevolentiæ.* Epiſcopum vero Gregorius [c] hortatur, ut tam promtæ Pancratii in ſancto propoſito devotioni minime obſiſtat; immo quibus valet adhortationibus hujus deſiderii fervorem in eo excitet: ne, qui a turbulento curarum ſæcularium tumultu ſe ſegregans, portum monaſterii appetiit, rurſum eccleſiaſticarum curarum perturbationibus implicetur. Nullum ergo huic facto *impedimentum* opponebat Deſiderius, ſed ſolum benevolentiæ ſuæ affectum. Alia mens erat Guenilonis ſeu Wenilonis epiſcopi Senonenſis, qui duobus ſuæ parochiæ preſbyteris ſuos relinquendi titulos, ut liberius & diſtrictius inſtitutionem beati Benedicti ſequerentur, copiam negabat; idque impediturus fuiſſet, niſi Lupus abbas Ferrarienſis monaſterii, quo ſe ſe recipere volebant, auctoritate probaſſet, id abſque vitio poſſe fieri. Ad hæc Lupus, qui id numquam in controverſiam vocatum vel audierat, vel legerat, affert [d] auctoritatem ex regula ſancti Benedicti, a beato Gregorio probata & laudata, quæ ſacerdotes in monaſterium ſuſcipi præcipit. quod ſane nulli canones prohibeant. Inſuper Lupus afferre poterat auctoritatem concilii quarti Toletani, canone quinquageſimo ſancientis, ut clericis, qui monachorum propoſitum appetunt, *quia meliorem vitam ſequi cupiunt*, liberi eis ab epiſcopo in monaſteria permittantur ingreſſus; nec interdicatur propoſitum eorum, qui ad contemplationem tranſire nituntur. Et hanc quidem in clericis libertatem agnoſcit concilium Chalcedonenſe canone ſeptimo, cum prohibet eos, *qui ſemel clero cooptati ſunt, & monaſticam vitam expetiverunt*, denuo in ſæculum reverti: cum alias eos, ut in clerum reverterentur, compellere ac cogere debuiſſet, niſi hanc adeundæ monaſticæ vitæ facultatem permiſiſſet.

d Lup ep. 29.

ANN. CHR. 603.

XXII. S. Leander epiſcopus obit.

ANno ſubſequente, hujus ſæculi tertio, Leander Hiſpalenſis antiſtes ſupremum diem obiit, ſi qua fides epitaphio, quod ipſius regulæ in Codice regularum ſubjunctum eſt. Sub cruce, forſan tranſverſa eccleſiæ parte, ut ex ſalebroſis epitaphii verſibus undecim intelligimus, ſimul jacuere ſanctorum tria corpora germanorum, hinc Leandri, inde Florentinæ ſororis, atque Iſidori in medio ſepulti. Pictura in adjuncto pariete expreſſa eorum effigies & merita repræſentabat. *Obiit felicis memoria Leander epiſcopus die* III. *kal. Martii, æra ſexcenteſima quadrageſima-prima.* Hæc ibi conceptis verbis, tametſi æræ deſignatio difficultate non caret, maxime propter Iſidori ejus fratris ac ſucceſſoris auctoritatem, ſcribentis, Leandrum *Reccaredi* regis *temporibus floruiſſe, ac terminum vitæ clauſiſſe.* qui Reccaredus vitam cum regno amiſit anno ſalutis ſexcenteſimo-primo. Verum Iſidori verba non ita rigide forſan accipienda ſunt, ut epitaphii auctoritatem elevare debeant. Pontifex fuit ſuo tempore, tum virtute, tum facundia inter paucos illuſtris, cui reges catholicos Hiſpania refert acceptos. Modeſtiam ipſe ſuam prodit in regulæ præfatione ad ſororem. Senti fratris animum, inquit, tuos deſiderare profectus: Senti fratris concupiſcentiam velle te eſſe cum Chriſto. qui etſi in me non habeo quod in te perficere volo, perdidiſſe me doleam quod te tenere deſidero. Erit mihi interim quædam portio remiſſionis, ſi tu, quæ pars melior noſtri es corporis, in via peccatorum non ſteteris; ſi quod tenes, firmiſſime teneas. Heu mihi, ſi alius accipiat coronam tuam! Tu apud Chriſtum tutamen meum; tu, cariſſima, meum pignus; tu hoſtia mea ſacratiſſima, qua expiari a peccati colluvione non dubito. Tot verba, tot ſcintillæ divini amoris, & eximiæ humilitatis ac modeſtiæ. Leandri obitum an ſubſecuta ſit mors ſororis, incertum, tametſi

ANN. CHR. 603.

id vero propius videatur. Eam in urbe Aſtigitana, cujus Fulgentius eorum germanus ſedem epiſcopalem obtinebat, vitam exegiſſe [a] tradunt, & quadraginta virginum collegio præfectam, ubi & domus, in qua vixerit, monſtratur; & præcipui virginum collegii veſtigia ad Singilis ſeu Xeuilis fluvii ripam: quo loco ſancti Hieronymi nomine monaſterium extat. Viderint qui hæc tradunt, quo pacto cum prædicto conciliari epitaphio poſſint. Sane longe veri ſimilius eſt, eam in urbe Hiſpalenſi cum duobus germanis, loci epiſcopis, ſepultam fuiſſe. De Fulgentio Aſtigitano epiſcopo hæret aqua. Johannes [b] Mariana, nominis ſimilitudine deceptus, ei perperam tribuit librum de incarnatione., quem Fulgentii Ruſpenſis eſſe non dubito. De Iſidoro infra.

a *Marian. lib. 6. c. 1.*

b *ibid.*

XXIII. Urbici abbatis electio in ſedem Panormitanam irrita.

Eodem anno Panormitanâ eccleſia itidem paſtore orbata eſt poſt mortem Victoris epiſcopi: in cujus locum Venantius patricius Urbicum, monaſterii ſancti Hermetis abbatem, ſubſtituendum ſuggeſſit Gregorio, aut ſaltem Creſcentem diaconum, ſi Urbici electio pontifici non placeret. Acceptis Venantii litteris reſcripſit [c] Gregorius, ſibi quidem hanc Urbici electionem valde placere; laudatque Venantium, quod ad eccleſiæ gubernationem virum quæſierit vigilantem atque ſollicitum, *& divinæ ſcripturæ ſcientia, quod maxime in ſacerdotibus eligendum eſt*, probe inſtitutum. Sed quia, inquit, ceteris ſic eſt aliquis præponendus, ut, dum ipſe exterius proficit, interius non decreſcat, quietem ipſius turbare non poſſumus: ne, cum eum ad altiora producimus, minorem illum ſeipſo fieri miſſum in fluctibus compellamus. Tum ſubdit de Creſcente diacono, qui xenodochio Panormitano præerat, diligenter inquirendum eſſe, an recte ſe geſſerit in xenodochii ſui adminiſtratione; ſitque iis præditus moribus & dotibus, quæ ad paſtoralem curam ſunt neceſſariæ. Neutrius tandem electio ſucceſſit, ſed ea dignitas Johanni collata fuit, cui Gregorius pallium [d] hoc eodem anno conceſſit.

c *Greg. M. lib. 11. ep. 124.*

d *ibid. ep. 44.*

XXIV. Luponis abbatis Æduenſis obitus

Ad idem etiam tempus refertur privilegium Luponi abbati Auguſtodunenſis monaſterii ſancti Martini conceſſum, uti & alia duo a paribus in gratiam xenodochii ejuſdem urbis, & monaſterii ſanctæ Mariæ, de quibus ſuperius [e] actum eſt. Hæc privilegia data ſunt poſt mortem Syagrii, reverendæ memoriæ dicti epiſcopi, qui ſuam in his conſtruendis operam opeſque Brunichildis reginæ munificentiæ adjunxerat. Neque diu ſupervixit Lupo ſeu Lupus abbas, cujus obitus in necrologio Martiniano conſignatur his verbis: *Idibus Octobris depoſitio domni Lupi abbatis.* Ei videtur ſucceſſiſſe Abbo ille abbas, quem Baudonivia in fine libelli de vita ſanctæ Radegundis ait e Burgundia Pictavos veniſſe cum viro apoſtolico Leifaſto epiſcopo, quem Syagrii ſucceſſorem fuiſſe veri ſimillimum eſt. Pictavis cum ambo morarentur, dentium vehementiſſimo dolore per ſeptem dies vexatus Abbo, rogavit ſe duci ad ſanctæ Radegundis baſilicam, ibique apprehenſa palla ejus ſepulcri, omni prorſus dolore caruit.

e *Supra lib. 7. n. 64. & 65.*

ANN. CHR. 604.

XXV. Anglicana ſynodus contra Brittones.

CUm apud Anglos res chriſtiana ex ſententia procederet, Brittones etiam ad officium & ad ritus Romanos revocare operæ pretium Auguſtino [f] viſum eſt. Ejus rei cauſa vir ſanctus, Ethelberto rege favente, epiſcopos ſive doctores proximæ Brittonum provinciæ in confinio Wicciorum & occidentalium Saxonum convenire curavit, ut amico eos colloquio ad unitatem cum Romana eccleſia ineundam adduceret. His congregatis, fraterna admonitione ſuadere cœpit, ut, pace & communione catholica ſecum inita, communem prædicandi gentibus evangelii laborem una ſuſciperent. Illi vero, poſt longam diſputationem, nec Auguſtini ejuſve ſociorum precibus, hortamentiſve, nec increpationibus ceſſerunt, ſed ſuas traditiones obfirmatis animis tueri ac retinere perſeverarunt. Tum Auguſtinus longæ ac moleſtæ concertationi finem imponere volens: Oremus, inquit, Deum, qui in domo Patris ſui unanimes habitare facit, ut, e duabus traditionibus utra ſequenda ſit, aliquo cæleſti ſigno nobis oſtendat. Æger quivis obvius huc adducatur, &, ſi quis alterutrius partis eum ſanaverit, hujus communioni omnes accedant. Conditionem, licet ægre, admiſere Brittones. Mox e gente Anglorum quidam oculorum luce privatus adducitur. Orant pro eo Brittones, ſed nihil a Deo impetratum. Succedit Auguſtinus, flectit genua, Deumque obnixe rogat, ut cæco lumen reſtituatur: quo per unius hominis illuminationem corpoream, plurimi ſpiritalem gratiæ lucem conſequerentur. Nec mora, cæco lux redit; nec miraculum Brittones infitiari poſ-

f *Beda lib. 2. c. 2.*

ANN. CHR. 604.

ſunt. Et veram quidem Auguſtini doctrinam eſſe confitentur : ſed abſque ſuorum conſenſu ac facultate priſcos ritus ac mores abdicare ſibi minime licere cauſantur.

Alterum proinde conventum fieri poſtulant, in quo majori ſuorum numero res finiretur. Annuit Auguſtinus, & ad locum condictum Brittonum epiſcopi ſeptem acceſſerunt cum pluribus viris ſuæ gentis doctiſſimis, maxime ex Walliæ monaſterio Bancorenſi, cui tunc Dinootus abbas præerat. Hi, priuſquam eo convenirent, quemdam ſuæ ſectæ anachoretam, magnæ apud ſe opinionis, conſuluerant, an pro Auguſtini ſententia ſuas abjicere traditiones deberent. Ille vero ſi homo Dei eſſet, ei obſequendum eſſe reſpondit. Et quo pacto, inquiunt, id probemus? Ad hæc ille: Si mitis ſit & humilis corde Auguſtinus. Tum percontantibus illis, quo demum indicio id agnoſcerent, adjecit: Curate ut ille prior cum ſuis ad ſynodum veniat, &, ſiquidem vobis adventantibus aſſurrexerit, ei protinus obtemperantes eſtote, certi ipſum eſſe famulum Dei: ſin contra, quaſi vos deſpectui habens, nullam vobis, qui plures eſtis, reverentiam exhibuerit; & ipſe ſpernatur a vobis. Factum ut dixerat; contigitque ut illis accedentibus Auguſtinus, qui in ſella ſedebat, non aſſurrexerit. Illi vero indignatione commoti, eum ſuperbiæ inſimularunt, ejuſque doctrinæ modis omnibus repugnare non deſtiterunt. Inſtabat nihilominus Auguſtinus, ut ritus ſuos deponerent; &, quamquam in multis ab univerſalis eccleſiæ conſuetudine
» diſſentirent, ſe manus daturum, ſi modo in tribus obſequentes forent : nempe ut
» paſcha catholico ritu obſervarent: ut miniſterium baptiſmi ſecundum morem Roma-
» næ & apoſtolicæ eccleſiæ complerent : & ut genti Anglorum una ſecum verbum
» Domini prædicarent. cetera ſe facile relaxaturum. At illi nihil horum ſe facturos, neque illum umquam pro archiepiſcopo habituros eſſe præfracte reſponderunt. Ad hæc Auguſtinus prædixiſſe fertur, ſi pacem a fratribus accipere nollent, bellum eos ab hoſtibus accepturos; daturoſque pœnas Anglis ipſis, quibus viam vitæ prædicare noluiſſent. quod ita divino judicio contigit.

XXVI. Saxonum orientalium converſio.

Brittonibus in ſua contumacia obfirmatis, orientales Saxones evangelii lucem acceperunt. quod hoc modo accidit. Auguſtinus pro ea, quam a Gregorio acceperat, poteſtate duos hoc anno epiſcopos ordinavit, Mellitum ſcilicet ac Juſtum, quorum alterum Londoniæ, alterum Roffenſi civitati præfecit. Ita vero Gregorius[a]

Epiſcopi duo ordinati.

a id. lib. 2. c. 29.

» præceperat mittendo pallium ad Auguſtinum, ut per loca ſingula duodecim epiſco-
» pos ordinaret, qui ſuæ ditioni ſubjacerent; eique metropolitani ad Londoniam ho-
» norem, qui tamen Cantuatiæ ceſſit, contulit : cujus civitatis epiſcopus ſemper in
» poſterum a propria deberet ſynodo conſecrari, atque honoris pallium ab apoſtolica
» ſede percipere: epiſcopum vero Eboraci ordinaret, qui & ipſe duodecim epiſcopos,
» ſi eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei recepiſſet, ordinare, adeoque me-
» tropolitani honore perfrui poſſet. qui metropolitani hunc inter ſe ordinem ſerva-
» rent, ut Eboracenſis nequaquam Londonienſis poteſtati poſt Auguſtini obitum ſub-
» jectus foret, ſed inter eos ea eſſet honoris diſtinctio, ut ipſe prior haberetur, qui prius
» fuiſſet ordinatus. Ceterum omnes Britanniæ ſacerdotes Auguſtino ſubjacerent. Mellitum itaque, ubi ordinatus fuit, Auguſtinus miſit[b] ad prædicandum provinciæ orientalium Saxonum, qui Tameſi fluvio dirimebantur a Cantia, orientali mari contigui, quorum caput & metropolis erat Londonia, emporium jam tum celeberrimum ad Tameſim. Hanc gentem regia poteſtate ab Ethelberto mutuata gubernabat Sebertus, ejus ex ſorore nepos: qui Ethelbertus univerſis Anglorum gentibus uſque ad fluvium Humbri imperabat. Melliti prædicationi mox ſe ſubdidit hæc provincia; ſtatimque rex Ethelbertus in civitate Londonia conſtruxit eccleſiam ſancti Pauli apoſtoli, in qua Mellitus ſedem epiſcopalem, ejuſque ſucceſſores haberent. Juſtus ab Auguſtino directus eſt ad Roffenſem, ab urbe Doroverno ſeu Cantuaria diſtantem millibus paſſuum ferme viginti-quatuor ad occidentem. Iſtic etiam Ethelbertus rex epiſcopalem ſancti Andreæ apoſtoli eccleſiam ædificavit, eique multa dona, uti & Londonienſi, necnon prædia & poſſeſſiones ad alendos eccleſiæ miniſtros liberaliter contulit. Miſſus eſt longe poſt eos Paulinus ad populos, qui trans Humbrum degebant, primuſque Eboracenſem eccleſiam fundavit, ut in conſequentibus dicturi ſumus.

b id. lib. 2. c. 3.

XXVII. Gregorii in extremis doloribus ſollicitudo pro eccleſia.

Dum hæc in Britannia geruntur, Gregorius extremo laborans podagræ morbo, nihil interim de paſtorali ſollicitudine remittebat, ſcribendis litteris ad retinendam, revocandamque, ſicubi defecerat, pietatem, & ad ſarciendam eccleſiæ, monaſterio-

rumque

ANN. CHR. 604.

rumque diſciplinam: ut mirum ſit, inter continuos morbi graviſſimi cruciatus & dolores eum potuiſſe tot ac tantis rebus applicare animum. Quanta vis ejus dolorum fuerit, ipſe explicat variis in epiſtolis, præſertim ad Ruſticianam patriciam, quæ eodem morbi genere afflicta erat. Ubi caro deeſt, inquit [a], quæ virtus eſſe poterit doloribus reſiſtens? Me etenim (quem, qualis fuerim, noſtis) ita amaritudo animi & aſſidua exacerbatio, atque præter hoc podagræ moleſtia affecit, ut corpus meum, tamquam in ſepultura, ita ſiccatum ſit, unde fit, ut jam de lectulo raro ſurgere valeam. Si ergo mei molem corporis in tantam podagræ dolor ariditatem redegit: quid de veſtro corpore ſentiam, quod nimis ſiccum ante dolores fuit? Et in alia [b] ad eamdem epiſtola: Ego autem in tanto gemitu & occupationibus vivo, ut ad dies, quos ago, me perveniſſe pæniteat, ſolaque conſolatio ſit mortis exſpectatio. Denique in epiſtola [c] ad Theodelindam hoc anno ſcripta: Tanta nos, inquit, podagræ infirmitas tenuit, ut non ſolum non dictare, ſed etiam nec ad loquendum poſſimus aſſurgere, ſicut & præſentium portitores, legati veſtri, cognoverunt, qui nos & venientes infirmos invenerunt, & diſcedentes in ſummo vitæ periculo atque diſcrimine reliquerunt. Inter hæc non extrema illi cura fuit dotandi baſilicam ſancti Pauli, ut ſumtus ad luminaria ſufficeret, largiendo maſſam ſeu agrum ad Aquas-Salvias, tanti apoſtoli paſſione illuſtrem: incongruum exiſtimans, ut illa ei ſpecialiter poſſeſſio non ſerviret, in qua palmam ſumens martyrii, capite truncatus eſt. Ita ille in litteris [d] hac de re confectis. Cuncta itaque ad eum locum pertinentia prædictæ ſancti Pauli baſilicæ contribuit, ut ſervientes ibi præpoſiti, omni poſthac carentes excuſatione, luminaria ſuppeditare non negligant. Erat prope hanc baſilicam ſancti Stephani monaſterium ancillarum Dei, in prædictis litteris memoratum. Sed utrum monachi baſilicam ſancti Pauli tunc inſederint, ex eis non liquet, quamquam id veri ſimillimum reddit liber de geſtis pontificum Romanorum: ubi Gregorius ſecundus monaſteria, quæ ſecus baſilicam ſancti Pauli erant, ad ſolitudinem redacta, innovaſſe perhibetur, atque ordinatis ſervis Dei monachis congregationem poſt longum tempus reſtituiſſe, ut ibidem die noctuque Deo laudes redderent. Hæc monaſteria ſine dubio regebant præpoſiti illi, de quibus Gregorius Magnus in ſuis litteris agit. Advena erat impoſtor ille [e] Andreas homo Græcus, qui ſub monachali habitu ad ſanctum Panlum incluſus degebat. Ibidem monaſticum ordinem reſtituit ſæculo decimo ſanctus Odo abbas Cluniacenſis.

Pro baſilica S. Pauli.

a Greg. M. lib. 9. ep. 38.
b id. lib. 11. ep. 26.
c id. lib. 12. ep. 7.
d ibid. ep. 9.
e id. lib. 9. ep. 69.

XXVIII. pro Fortunato abbate Cæſenate.

Ut Gregorius crimina punire non prætermittebat, ſic etiam innocentes tueri ac purgare in primis ſatagebat. Exſtabat apud Cæſenas Flaminiæ urbem monaſterium ſanctorum Laurentii & Zenonis, cui Natalis loci epiſcopus Fortunatum abbatem præfecerat. Hunc, nulla exſiſtente cauſa vel culpa, inde removerat Concordius Natalis ſucceſſor, atque alium in ejus locum ordinaverat. Cauſa diſcuſſa, Gregorius non ante nihilo minus Fortunatum reſtitui Mariniano [f] Ravennæ epiſcopo metropolitano injunxit, quam in illis partibus, ubi res acta fuerat, examinata cauſa fuiſſet, uti *canonicus ordo* expoſceret, id eſt canonum leges. ſic *canonieus ordo* ſumitur in alia itidem Gregoriana [g] epiſtola, in qua Johanni defenſori ſignificat, monachos in Capricana inſula perverſe agere; eidemque præcipit ad eorum monaſterium accedere, & quæ correctione digna invenerit corrigere, *ſicut canonicus ordo deſiderat*. ſic denique, ut alia loca præteream, eadem loquendi formula uſus eſt Reccaredus rex in oratione ad patres concilii tertii Toletani. quæ omnia referre viſum eſt ad illuſtrandum ſimilem locum, quo nonnulli abutuntur, ex ſynodo Auguſtodunenſi [h] ſub ſancto Leodegario habita, ubi præcipitur, ut abbates & monachi ſtudeant implere, *quicquid canonicus ordo vel regula ſancti Benedicti edocet*. Quod attinet ad prædictum ſanctorum Laurentii & Zenonis monaſterium, quod olim Ordinis Benedictini fuiſſe teſtatur codex taxarum, nt vocant, apoſtolicarum; jam inde a ſæculo undecimo unitum eſt [i] cathedrali eccleſiæ Cæſenatenſi per Johannem, ejuſdem urbis e noſtris epiſcopum, ad inſtituendam in ſua eccleſia communem vitam regularem.

Canonicus ordo.

f id. lib. 12. ep. 1.
g id. lib. 11. ep. 54.
h v. lib. 16. num. 37.
i Ughell. to. 2. col. 458.

XXIX. pro duobus monachis fugitivis.

Ita vero in univerſos intentus erat Gregorii animus, ut etiam ſingulorum ſaluti ſedulo proſpiceret. Teſtis ea de re epiſtola [k] ad Stephanum chartularium, quem hortatur ad revocandos duos monachos fugitivos ex monaſterio ſancti Georgii, in maſſa ſeu agro Marato ſito, quorum unus jam conjugem acceperat, alter *laicus effectus*

k Greg. lib. 12. ep. 20.

AN. CHR. 604.

» (non ergo monachi inter laicos) ſæculariter vivebat. quippe contra Deum eſſe, ut,
» poſt adeptum divini officii cultum, *ad ſæcularem vitam atque habitum remearent.*
» Itaque monachos illos ſine dilatione retrudendos eſſe, ne eorum exemplo, cetero-
» rum monaſteriorum diſtrictio diſſipetur, ſed potius ut aliis monachis ſpes gerendi talia ſubmoveatur. Addit pontifex reprimendum eſſe prædictæ maſſæ preſbyterum, qui novas eidem monaſterio conſuetudines imponere volebat, portionem ſcilicet uſurpando ex oblationibus, quæ eidem monaſterio factæ fuerant. ſiquidem
» ex tempore conditi monaſterii per tricennale tempus id uſitatum non fuerat. tum
» quia ſi hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus imponi non debuit: tum
» quia maxime exiguæ ſubſtantiæ, & monaſterium pauperum erat, & abbas ipſe om-
» nino hoſpitalis. quod multorum teſtimonio Gregorius reſcierat.

XXX. Gregorii obitus.

Hæc ſtudia, hæ mentis agitationes Gregorii erant, cum eum Deus eccleſiæ & orbi ſubtraxit, ad immortalem vitam transferendum. Hunc finem jam dudum optaverat vir ſanctus, ut ex præmiſſis intelligitur, & ex epiſtola ad Anaſtaſium [a] epiſ-
» copum Antiochenum, quem rogat, ut pro ſui cordis infirmitate enixius oret, longe
» minus ſcilicet de corpore ſollicitus: quatenus omnipotens Deus mentem, inquit,
» meam a malis omnibus pro veſtra interceſſione tueatur, & citius me de tot pro-
» cellis hujus tempeſtatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducat. Ejus vota & deſideria tandem aliquando exaudivit Deus, tantiſque malis, doloribus & anxietatibus finem impoſuit, poſtquam Romanam eccleſiam ſumma prudentia & ſanctitate rexiſſet annis tredecim, menſibus ſex, & diebus decem, uti Johannes diaconus computat, initio ducto a menſe Septembri anni quingenteſimi nonageſimi, quo anno pontifex ordinatus fuerat, & quidem tertio nonas ejuſdem menſis. Deceſſit IV. idus Martias, anno Phocæ imperatoris ſecundo, indictione ſeptima, æræ chriſtianæ anno ſexcenteſimo quarto; ſepultus in extrema porticu baſilicæ beati Petri apoſtoli ante vetus ſecretarium, ubi ſanctus Leo, Simplicius, Gelaſius & Symmachus humati erant. Ejus tamen obitum venerabilis Beda anno ſequenti, eumque ſecutus Paulus diaconus indictioni octavæ conſignat. Sancti Doctoris epitaphium refert poſt Bedam Johannes diaconus, & ex eis Baronius, aliique. Idem teſtatur pallium ejus, phylacteria reliquiarum, quas e collo geſtare ſolebat, & baltheum ſeu cingulum in baſilica ſancti Petri ſuo tempore aſſervata fuiſſe, & fidelium devotioni ad oſculandum expoſita; atque ex balthei exilitate, quæ unius pollicis menſuram non excedebat, ſpeciem propoſiti regularis a ſancto Benedicto ſtatuti, cujus ipſe vitam deſcribens, regulam quoque laudaverat, eum ſervaſſe luce clarius eſſe aſſerit: præſertim, inquit [b], cum idem venerabilis doctor Gregorius græcam lin-
» guam neſcierit, & ſui monaſterii monachos, Benedicti utique regulis mancipatos,
» in Saxoniam ſeu Britanniam deſtinarit.

XXXI. Corporis ejus forma.

Erat Gregorius ſtatura corporis juſta & bene compoſita, facie oblonga & mediocriter rotunda, barba ſubfulva & modica, capillis ſubnigris, in medio frontis raris, & ſub auriculas medias protenſis, corona rotunda & prolixa, fronte ſpecioſa, elatis & longis, ſed exilibus ſuperciliis; oculis pupilla fulvis, non quidem magnis, ſed patulis; ſubocularibus plenis; naſo a radice vergentium ſuperciliorum ſubtiliter directo, circa medium latiore, deinde paullulum recurvo, & in extremo patulis naribus eminente; ore rubeo, craſſis & ſubdividuis labiis, genis compoſitis, mento a confinio maxillarum decenter prominente; colore aquilino & livido; vultu benigno, manibus pulcris, teretibus digitis, & habilibus ad ſcribendum. Ita formam ejus corporis deſcribit Johannes [c] diaconus ex rota gypſea, in qua vir ſanctus ſe ipſe pingi curaverat, eamque picturam in parva ſancti Andreæ monaſterii abſide, poſt fratrum cellarium ſtatui juſſerat. Eamdem æri inciſam, Baronius, aliique repræſentarunt, cum iconibus Gordiani & Silviæ Gregorii parentum, ejus juſſu itidem depictis, quas ob tanti viri merita in adverſa pagella exhibere viſum eſt.

XXXII. Animi dotes.

Verum præſtantiſſimi ejus animi ſtatum quis explicet? Vir fuit, ſi quis alius, eximia humanitate & manſuetudine præditus, ingenio facilis & copioſus; ſui ipſius victor & compos, ad miſericordiam & commiſerationem in peccantes, quam ad ſeveritatem pronior; humilis ac modeſtus, ſed, ubi res exigebat, magnanimus & fortis; juſtitiæ & æquitatis in primis amans, numquam paſſus ſuam dignitatem creſcere ex aliorum detrimento; cleri diſciplinam, & honeſtatem ubique fovens, nihil boni prætermittens, nullum vitium ſinens inultum; in correptionibus moderatus, ſed

a Ad lib. 7 ep. 3. ind. 1.

b Johan. diac. l. 4. c. 80.

c ibid. c. 84.



Gordianus Gregorij pater. *Gregorius.* *Silvia Gregorij mater.*

fortis ; exceſſum corrigere & purgare, quam defendere paratior ; miſerorum omnium refugium, egenorum ac pauperum pater ; ceterum dignitatis pontificiæ ſtudioſus, ſed æquiſſimus propugnator ; iis quæ ad Dei cultum pertinent, addictiſſimus ; rebus cæleſtibus, ubi tantiſper ſibi a tumultu negotiorum licebat reſpirare, aut meditandis, aut ſcribendis dictandiſve, aut viva voce explicandis aſſidue occupatus ; ſummis doloribus, morbiſque graviſſimis æque patiens & actuoſus ; denique inter aſſiduas bellorum procellas ſemper quietus & tranquillus, nec a ſcripturis meditandis ac commentandis deterritus ; prudentia tanta, ut inter partes omnino ſejunctas & contrarias, imperatoris & Langobardorum ſemper gratiam & dignitatem retinuerit.

Quod ſi quis unam ejus virtutem attentius conſiderare velit, nempe caritatem ac liberalitatem ; omnibus omnino ſingulorum menſium kalendis [a] neceſſaria quæque pauperibus generatim erogabat, frumentum, vinum, legumina, lardum, aliorumque animalium carnes, piſces & oleum pro ſuo quæque tempore diſtribuens. Pig-

Caritas ejus & liberalitas.

[a] *Joban. diac. lib. 2. c. 25. & ſeq.*

ANN. CHR. 604. menta vero, aliaque delicatiora poculenta & eſculenta primoribus offerebat, adeo
ut omnium commune reconditorium eccleſia cenſeretur. Ad hæc omnibus ordini-
bus eccleſiaſticis vel palatinis, eccleſiis, monaſteriis, diaconiis, cœmeteriis, xeno-
dochiis urbanis ac ſuburbanis, certæ erogationes quater per ſingulos annos ab eo
fiebant, in paſchate ſcilicet, natali apoſtolorum, natali ſancti Andreæ, natalitio-
que ſuo. Quin etiam tribus millibus ancillarum Dei, quæ Romæ in monaſteriis
degebant, quindecim auri libras ſemel pro lectiſterniis dedit, eiſque pro quotidianis
a Greg. l. 6. ep. 23. ſtipendiis octoginta libras quotannis conferebat: profeſſus, nullum [a] per tot annos
abſque eaſum precibus lacrymis, & diſtrictiſſima vita, inter Langobardorum gla-
dios ſubſiſtere potuiſſe. Denique ſingulis diebus per umnium regionum vicos & com-
pita infirmis ac debilibus quibuſque certa ſtipendia per conſtitutos veredarios mit-
tebat: verecundioribus vero, antequam ipſe cibum caperet, cibaria e menſa ſua
oſtiatim deferri curabat: ita ut nullum ejus miſericordia præteriret; ſibique impu-
taverit, quod quidam pauper ex inopia mortuus aliquando inventus ſit; ob idque a
miſſarum celebratione per aliquot dies abſtinuerit, quaſi eum propria manu pere-
miſſet. Atque ut ne temporaria & caduca eſſet tanta caritas, non tantum qua-
draginta pauperes ſemel in anno in perpetuum refici procuravit per monachos mo-
naſterii ſui, ubi & duodecim pauperibus ſingulis annis in die depoſitionis ipſius
prandium parari mos erat; ſed etiam hoſpitale pauperum in porticu baſilicæ beati
Petri inſtituit, æternum tantæ miſericordiæ monumentum. Porro in eodem mona-
ſterio libræ pondus, ſextarium, modium, ceteraſque menſuras, ad quarum nor-
b Johan. diac. lib. 4. c. 98. mam ſingula diſtribui voluit, aſſervari præcepit; & modius quidem ejus erat [b] men-
ſuræ, ut triginta & quinque panes ex eo fierent, ſinguli trium librarum.

De cetero, ſi quis volet maximi pontificis mores ac virtutes perfecte cognoſcere,
legat ejus epiſtolas: quas qui legerit, non modo ſanctiorem eccleſiæ diſciplinam ex
eis addiſcet, ſed etiam hiſtoriam illorum temporum non multum deſiderabit. Eas
in tot libros, quot annos vixit, id eſt in tredecim libros, ab eo diſtinctas fuiſſe
auctor eſt Johannes diaconus; ex quibus tertium-decimum ſeptimæ indictionis li-
brum imperfectum reliquit, quoniam ad ejuſdem indictionis terminum non per-
tigit. quamquam Hildefonſus libros dumtaxat duodecim agnoſcit. Selectiores epiſ-
c ib. c. 71. tolas ab Hadriano primo in decretalium libros duos redactas fuiſſe Johannes [c] tra-
dit. In rebus moralibus ac ſpiritalibus quam exercitatus fuerit, teſtantur maxime
ejus in Jobum commentarii, in quibus ita præclare in primis de humilitate agit, ut
nemo veterum melius. quod argumento eſt, hanc virtutem ejus animo alte in-
fixam fuiſſe.

Sunt qui ſanctiſſimum & integerrimum pontificem adulationis inſimulent, eoque
trahunt ejus epiſtolas, tum ad Phocam imperatorem, cujus promotioni gratulatur,
tametſi parricidiis viam ad imperium ſibi feciſſet; tum ad Brunichildem reginam,
d Greg. l. 11. ep. 38. quam laudat. Verum ex Gregorii ad Phocam [d] epiſtola id tantum colligitur, cor-
ruptiſſimum fuiſſe ante eum rei publicæ ſtatum, quem a Phoca emendatum iri ſpe-
rat; etſi vero ejus promotioni gratuletur, non tamen probat parricidia, quibus
viam ſibi ad imperium ſtraverat. Qualis fuerit ſub Mauricio rerum ſtatus, ex his
Gregorii verbis intelligitur: *Quieſcat feliciſſimis temporibus veſtris univerſa res pu-
blica, prolata ſub cauſarum imagine præda pacis. Ceſſent teſtamentorum inſidiæ, do-
nationum gratia violenter exacta. Redeat cunctis in rebus propriis ſecura poſſeſſio, ut
ſine timore habere ſe gaudeant, quæ non ſunt eis fraudibus acquiſita. Reformetur jam
ſingulis ſub jugo imperii pii libertas ſua.* Hæc itaque omnia in imperio reformanda
erant, quæ Gregorius a Phoca reformanda ſperat, optatque, & ad id eum horta-
tur. Ad Brunichildem quo l attinet, pia ejus upera laudat quidem Gregorius: ſed
non præviderat poſteriora illius facinora, quibus hæc extrema vitæ ſuæ tempora
dehoneſtavit.

XXXIII. Vitæ ejus ſcriptores. Gregorii res geſtas litteris primus mandavit venerabilis Beda in hiſtoria gentis ſuæ,
& poſt eum Paulus Warnefridi, diaconus ac monachus Caſinenſis. Hæc ipſa vita in
primo volumine Actorum noſtrorum cum quatuor libris Johannis diaconi edita eſt;
eamque genuinum Pauli diaconi fetum eſſe teſtantur veteres codices, in primis
Caſinenſis & Conchenſis, in quibus hæc vita *a Paulo Caſinenſi monacho edita* in fron-
e Johan diac. lib. 4. c. 99. te legitur. Hunc ipſum viderat Johannes diaconus, ex eoque quaſdam ſententias [e]
refert, quæ in ediiis noſtris leguntur. Hæc obiter dixerim adverſus Guſſanvillei

ANN. CHR. 604.

falſam conjecturam, qui hunc libellum Paulo diacono abjudicare voluerat, alias ſingulari diſquiſitione a me refutati in tomo primo Analectorum. Johannes diaconus poſt Bedam & Paulum ejuſdem Gregorii facta fuſius in quatuor libros digeſſit juſſu Johannis octavi, eoſque majori parte ex epiſtolis Gregorianis ſcite contexuit.

XXXIV. Sabinianus ejus ſucceſſor avarus.

Gregorio ſucceſſit in ſedem beati Petri Sabinianus, quem piiſſimi deceſſoris ſui famæ infeſtiſſimum fuiſſe, & de libris ejus comburendis conſilium iniiſſe Johannes [a] diaconus a majoribus traditum refert. Invidiæ cauſam fuiſſe, quod Gregorium, uti prodigum, & rei eccleſiaſticæ dilapidatorem calumniaretur. Sed quo minus ejus libri comburerentur, interceſſiſſe Petrum diaconum, ejus, dum viveret, notarium & familiarem, qui id perperam tentari dixit, quippe eorumdem librorum exemplaribus ubique locorum diſperſis; atque immane ſacrilegium eſſe, tanti doctoris libros exurere, ſuper cujus caput Spiritum-ſanctum in columbæ ſpecie eidem ſcribenti adſtitiſſe, ſe vidente, affirmavit; in cujus rei teſtimonium prædixit, ſe protinus moriturum. quod re ipſa contigerit. Hanc narrationem, ſcriptoribus Johanne antiquioribus ignotam, rejicit cardinalis Baronius, nec immerito ſane: maxime cum Paulus diaconus de columba Gregorio aſſiſtente agens, ubi opportuna hujus rei commemorandæ occaſio erat, nihil ſimile de Petro diacono referat. Secus forte ſentiendum de calumnia, quam Sabinianus in Gregorii liberalitatem vulgaſſe fertur. nam Sabinianum avaritiæ deditum fuiſſe ex eo intelligitur, quod ingruente fame horrea eccleſiæ aperiri juſſit, non ut Gregorii exemplo frumenta pauperibus gratuito erogaret, ſed ut vænum daret populo Romano, cui ob eam cauſam maxime inviſus fuit. Hinc accidit, ut mortui cadaver, non per medium civitatis, ut moris erat, deferretur cum funebri pompa ad baſilicam ſancti Petri; ſed ejiceretur per portam ſancti Johannis, ut loquitur Anaſtaſius, atque extra muros per pontem Milvium in Vaticanum deduceretur. Non diu pontificatum tenuit Sabinianus, ſed poſt ſedis annum unum & menſes quinque cum aliquot diebus, locum fecit Bonifacio tertio: quem etiam brevi poſt defunctum excepit Bonifacius quartus, cujus commemoratio nobis non ſemel inferius facienda erit.

[a] ib. c. 69.

ANN. CHR. 605.

XXXV. Weſtmonaſterii primordia.

PAullo poſt quam Mellitus apud orientales Saxones evangelium prædicare cœperat, chriſtianam fidem, Deo cooperante, Ethelberti fultus adminiculo, egregie in illa provincia propagavit. Acceſſit in laboris conſortium Seberthus rex, cujus munificentia Mellitus monaſterium beati Petri, Auguſtini haud dubie exemplo non minus, quam ipſius apoſtoli inductus monito, conſtruxit in occidentali Londoniæ urbis parte, unde Weſtmonaſterio indita appellatio, cum beati Pauli cathedralem eccleſiam ad orientalem rex Ethelbertus paullo ante conſtruxiſſet. Weſtmonaſterii eccleſiam ab ipſo Petro apoſtolo dedicatam fuiſſe tradunt Britannici ſcriptores plerique ab annis ſexcentis, tanto conſenſu, ut rem difficilis perſuaſionis probabilem redderent, ſi antiquiorum accederet auctoritas. Mirum eſt Bedam venerabilem de hujus monaſterii conſtructione, uti & de hac dedicatione, penitus ſiluiſſe. Multum celebritatis eidem loco poſt Dunſtanum epiſcopum attulit Edwardus rex ſanctus, qui, ampliori monachorum conventu ibidem adunato, eccleſiam novo ædificationis genere excitavit. Multa eidem prædia conceſſit Willelmus rex, quod illic regni ſuſcepiſſet inſignia. Hinc conſuetudo apud poſteros invaluit, ut ibidem propter ſancti Edwardi iſtic ſepulti memoriam, reges Anglorum inaugurarentur, ibique inſignia regalia reconderentur. Novam ſpecioſæ ſtructuræ baſilicam Henricus tertius multiplici marmorearum columnarum ordine, tecto laminis plumbeis conveſtito, intra quinquaginta annos magnis ſumtibus exædificavit, regalique illuſtravit palatio. Henricus ſeptimus in ſuam ſuorumque ſepulturam admirandæ elegantiæ ædificium adjecit. Piget anticipato commemorare indignam loci fortunam poſt defectionem Henrici octavi, a ſuperiori heu! quam diſſimilem. An monachos etiam in cathedrali beati Pauli eccleſia Mellitus, uti Auguſtinus in Cantuarienſi, primitus inſtituerit, vetera monumenta non produnt, tametſi monaſterium paſſim appellant. Exſtat in appendice hiſtoriæ ejuſdem eccleſiæ diploma [b] Ethelberti regis, quoddam prædium Mellito epiſcopo largientis ad monaſterii ſui, id eſt ſancti Pauli, ſolatium, ut in perpetuum in monaſterii utilitate permaneat: cui diplomati Melliti rogatu Hunfridus & Lotherius epiſcopi ſubſcripſere. Hic eſt Lotherius Bedæ [c] Liud-

[b] *Dugdale p. 181.*

[c] *Beda lib. 2. cap. 25.*

ANN. CHR. 605.

hardus, epiſcopus Gallus, quem Berta Ethelberti ſponſa e Gallia in Britanniam accedens ſecum adduxerat, ut ritum fidei chriſtianæ eo duce inviolatum retineret.

ANN. CHR. 606.

XXXVI. Columbani epiſtola ad Papam.

ANno ſubſequente, cum Bonifacius tertius ad clavum Petri ſederet, Columbanus Luxovienſis abbas epiſtolam ſcripſit *domino ſancto & in Chriſto apoſtolico patri Papæ;* quem, quia propter tumultuoſas interjacentium gentium ſeditiones, id eſt ob bella, quæ Gallos inter ac Langobardos paſſim graſſabantur, viſitare, & coram conſulere non poterat, litteris ſaltem ſuis convenire cogebatur ad ſedandam contentionem, contra ſe a Gallicanis epiſcopis de paſchæ celebratione excitatam. Binas hac de re litteras ad beatum Gregorium jam ſcripſerat ſanctus abbas: ſed, cum ad pontificem pervenire non valuiſſent ejus nuntii, earum exempla Gregorii
» ſucceſſori cum peculiari epiſtola direxit, apoſtolicum patrem enixe rogans, ut ſibi
» peregrinis laborantibus piæ ſententiæ præſtaret ſolatium, quo, ſi non contra fidem
» eſt, ſuorum traditionem ſeniorum roboraret; ut ritum paſchæ, ſicut acceperant,
» per pontificis judicium poſſent in ſua peregrinatione obſervare; utpote in deſertis
» locis viventes, nulli moleſti; id maxime habentes in votis, ut inter Gallos ſibi lice-
» ret vivere cum eccleſiaſticæ pace unitatis, ſicuti ſancti patres Polycarpus & Ani-
» cetus papa eam inter ſe ſe ſervaverant. In fine pontificem obſecrat, ut ſui in ſanctis
» orationibus juxta ſanctorum cineres memor, ſibi eamdem facultatem largiatur,
» quam Conſtantinopolitanæ ſynodi patres olim conceſſerant, ſtatuentes, eccleſias
» Dei, in barbaricis nationibus conſtitutas, adminiſtrari oportere ſecundum eam,
» quæ obtinuit, & in uſu habetur, conſuetudinem patrum. An reſponſum a pontifice obtinuerit Columbanus, ignoramus: at eum retinuiſſe patrium ſuum ritum in paſchatis celebratione conſtat ex ejus epiſtola ad ſuos Luxovienſes Namnetis ſcripta, cum in procinctu eſſet ad trajiciendum in Hiberniam. Verum hanc traditionem depoſuiſſe videtur ſaltem cum in Italiam acceſſit; idque ſuadet tum ejus epiſtola ad Bonifacium quartum, e Bobienſi monaſterio ſcripta; tum ſynodus Matiſconenſis Gallicanorum antiſtitum, inſtinctu Agreſtii monachi convocata adverſus ſingulares quoſdam ritus Luxovienſium monachorum, in quibus nulla amplius de paſchate fit mentio.

XXXVII. Fauſtus librum de vita ſancti Mauri offert Bonifacio papæ.

Inter ea Bonifacio tertio apoſtolicæ ſedi præſidente, ut tradit Leo [a] Marſicanus, Fauſtus monachus, qui cum beato Mauro in Gallias acceſſerat, ad Caſinates ſuos, in monaſterio Lateranenſi tum degentes, rediit, atque a beato Theodoro, qui tunc poſt ſanctæ memoriæ Valentinianum, intermedio Gregorio, tertius eamdem congregationem regebat, rogatus atque compulſus, hiſtoriam de vita beati Mauri *ſignata veritate* conſcripſit: quam idem Bonifacius auctoritate ſua comprobaſſe traditur. Alii Bonifacio quarto id tribuendum malunt. Reverſus eſt in Italiam Fauſtus una cum Simplicio monacho, qui ſolus ex beati Mauri commilitonibus Italis cum Fauſto ſuperſtes erat, Conſtantiniano & Antonio apud Glannafolium mortuis & humatis. Hoc monaſterium tum regebat poſt Bertulfum beati Mauri ſucceſſorem Florianus, *vir totius religionis*, qui Fauſtum & Simplicium ægre a ſe avelli paſſus eſt. Simplicium hunc male confundunt nonnulli cum Simplicio abbate Caſinenſi tertio, quem Gregorius unum e quatuor teſtibus adhibet ad ea confirmanda, quæ de ſancto Benedicto retulit. Non immoror excutiendis mendis, quæ in vulgatam Fauſti de beato Mauro hiſtoriam irrepſerunt, ſatis ſuperque a nobis ſuperius animadverſa. Hanc ſolam ejus auctoris lucubrationem memorat Petrus diaconus in libello de viris illuſtribus Caſinenſibus, ubi ait Fauſtum ſepultum fuiſſe in monaſterio Lateranenſi.

a *Chron. Caſin. lib. 1. c 3.*

ANN. CHR. 607.

XXXVIII. Auguſtini obitus.

ANnum inſequentem non videtur exceſſiſſe Auguſtinus, nec aſſentiri poſſum Willelmo Malmeſburienſi monacho, annos epiſcopatus quindecim aut ſexdecim eidem aſſignanti. Deceſſit VII. kalendas Junii, quem diem toti Anglicanæ eccleſiæ ejus memoria ſollemnem eſſe ſanxit concilium Cloveshovienſe. Sepultus eſt in ſuburbano monaſterio ſancti Petri juxta eccleſiam nondum perfectam: quo ex loco ejus corpus in interiorem eccleſiam tranſlatum eſt, humatumque in porticu aquilonari anno ſexcenteſimo tertio-decimo, cum in priori loco per ſeptem annos jacuiſſet, ut habet vetus inſcriptio, relata in Monaſtico [b] Anglicano. Ex quo conficitur, ejus obitum hoc anno contigiſſe. Certe anno Phocatis imperii octavo, teſte

b *Monaſt. Anglic. to. 1. p. 25.*

ANN. CHR. 607.

Beda [a], hoc eſt anno Chriſti decimo poſt ſexcenteſimum, Bonifacius papa, eo nomine quartus, epiſtolas direxit archiepiſcopo Laurentio, quem proinde jam tum Auguſtino ſucceſſiſſe intellexerat. Auguſtini ſepulcro adſcriptum epitaphium idem [b] auctor refert in hæc verba. Hic requieſcit domnus Auguſtinus, Dorowernenſis archiepiſcopus primus, qui olim huc a beato Gregorio Romanæ urbis pontifice directus, & a Deo operatione miraculorum ſuffultus, Ethelbertum regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit; & completis in pace diebus officii ſui, defunctus eſt VII. kalendas Junias, eodem rege regnante.

a Beda lib. 2. c. 4.
b ibid. c. 3.

XXXIX. Laurentius ei ſuccedit.

c ibid. c. 4.

Laurentium adhuc vivens ſucceſſorem [c] ordinaverat Auguſtinus, ne, ſe defuncto, ſtatus novellæ ac rudis eccleſiæ, vel ad horam paſtore deſtitutus, tantiſper vacillaret. qua in re exemplum ſecutus eſt beati Petri apoſtolorum principis, qui, fundata Romæ eccleſia Chriſti, Clementem ſibi adjutorem ſimul & ſucceſſorem conſecraſſe perhibetur. Auguſtino mortuo, Laurentius Anglicanæ eccleſiæ fundamenta, quæ a ſanctiſſimo deceſſore ſuo nobiliter jacta fuerant, augere, atque ad debiti culminis profectum, & crebris exhortationibus, & continuis piæ operationis exemplis, provehere curavit. Non ſolum vero novæ, quæ ex Anglis collecta erat, eccleſiæ curam gerebat, ſed & veterum Brittonum ac Scottorum populis, quos a Romana eccleſia in multis, præſertim in paſchæ celebratione diſſidere compererat, paſtoralem ſollicitudinem impendere ſategit. Quapropter exhortatoriam primum ad Scottos epiſtolam cum Mellito & Juſto coëpiſcopis ſcripſit, obſecrans eos & conteſtans, ut catholicæ pacis unitatem cum ea, quæ toto orbe diffuſa eſt, eccleſia tenerent. Epiſtola inſcripta eſt *dominis cariſſimis fratribus*, (ſic eos vocare non dedignantur) *epiſcopis vel abbatibus per univerſam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Juſtus epiſcopi, ſervi ſervorum Dei.* Pergunt ſcribere, ſe a ſede apoſtolica in has occiduas partes ad prædicandum paganis Chriſti evangelium directos in Britanniam, tam Brittones & Scottos fideles, quos juxta morem univerſalis eccleſiæ vivere exiſtimarent, in magna ſanctitatis opinione ac reverentia habuiſſe; at cognitis Brittonibus Scottos reputaſſe meliores: ſed demum etiam tam per Daganum Scottorum epiſcopum, cum in Britanniam, quam per Columbanum, cum in Gallias acceſſiſſet, didiciſſe, Scottos ipſos nihil a Brittonum converſatione & ritu diſcrepare. id argumento eſſe, quod Daganus epiſcopus ad nos, inquiunt, veniens, non ſolum cibum nobiſcum, ſed nec in eodem hoſpitio, quo veſcebamur, ſumere voluerit. Conſimilem etiam Brittonibus Laurentius cum iiſdem coëpiſcopis ſuis epiſtolam ſcripſit: ſed apud utroſque non multum profecit. Quamquam non penitus fructu caruit ſaltem apud Scottos. Siquidem, ut ex vitæ ſancti Laurentii per Goſcelinum ſcriptæ fragmento Uſſerius notat, ſanctus Terenanus archipontifex Hiberniæ, qui tres mortuos ſuſcitaſſe perhibetur, ad Laurentium acceſſit, deditque manus veritati; ſuoſque diſcipulos, primo quidem indigne ferentes, ad ſuas demum partes itidem cum ſua gente pertraxiſſe dicitur. Verum tamen pleroſque Scottorum uti, & Brittones, in ſua ſecta præfracte perſtitiſſe, nec niſi per ſanctum Wilfridum, alioſque ejus æquales, a contumacia receſſiſſe inferius videbimus.

Scottis epiſtolam ſcribit.

XL. Brittonum cædes.

Superior ad Brittones epiſtola procul dubio ſcripta fuit ante cladem, quæ ipſis, ſecundum Auguſtini vaticinium, inflicta eſt. nam intempeſtiva fuiſſet apud eos Laurentii ad catholicam unitatem adhortatio poſt illam ſtragem, quæ eoſdem Brittones, jam ante averſos, Romanis prædicatoribus infenſiſſimos reddidit. Et quidem multo poſt Auguſtini deceſſum tempore prædictum ejus de Brittonum excidio vaticinium impletum fuiſſe teſtatur Venerabilis Beda [d], qui factum in hanc ſententiam commemorat. Ethelfridus rex ſeptemtrionalium Anglorum, qui circa Humbrum fluvium habitabant, Brittonibus [e] in primis infeſtus, non religionis cauſa, quippe qui gentilium adhuc ſuperſtitione tenebatur, ſed forte ob odium gentis, & gloriæ bellicæ cupiditatem, pleraſque eorum terras Anglis aut tributarias fecit, aut habitabiles. Unde commotus ejus profectibus Aidanus rex Scottorum eorum, qui tum Britanniam incolebant, cum immenſo exercitu contra eum pugnaturus proceſſit; ſed commiſſo prælio victus fuſuſque cum paucis ſuorum vix mortem effugit. Hoc ſucceſſu elatus Ethelfridus Brittones laceſſere non ceſſabat; & collectis demum infinitis copiis, ad Legionum civitatem, quæ Anglis tum *Legaceſter*, Brittonibus *Carlegion* dicebatur, modo Ceſtra, expugnandam contendit. Opidani, qui omnia perpeti, quam obſidionem mallent, virtute ſimul & numero confiſi, effuſe in bellum ruunt; diſpoſi-

d ibid. c. 2.
e idem lib. 1. c. 34.

ANN. CHR. 607. tis in tutiori proximo loco e Banchorenſi Walliæ monaſterio monachis, qui, præmiſſo triduano jejunio, pro ſalute popularium ſuorum Deo ſupplicaturi frequentes convenerant, defenſorem habentes cum militum manu Brocmaïlum quemdam, qui eos precibus intentos a barbarorum gladiis protegeret. Ubi Ethelfridus in conſpectum venit, ecquinam ii eſſent ſciſcitatur. Cognito cujus rei cauſa iſtuc acceſſiſſent: Ergo, inquit, ſi adverſum nos ad Deum ſuum clamant, profecto & ipſi, etſi inermes, contra nos imprecationibus pugnant. Itaque in eos primum arma verti jubet; moxque ceteras adverſi exercitus copias, non ſine magno ſuorum damno, penitus delevit. Exſtinctos in ea pugna ferunt ex monachis circiter mille ducentos, quinquaginta dumtaxat fuga elapſis cum ſuo duce Brocmailo, qui ad primum hoſtium adventum cum ſuis terga vertens, quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladiis expoſitos reliquit. Sic completum eſt, ait Beda, ſancti pontificis Auguſtini præſagium, qui Brittonibus in ſuo errore obſirmatis hoc excidium prædixerat, propterea quod oblata ſibi reconciliandæ unitatis conſilia ſpreviſſent. Hanc ſtragem in Auguſtini calumniam vertunt novatores, quaſi eo vivente & incentore patrata ſit: quem conſtat ejus tantum vatem ac prænuntium exſtitiſſe, non auctorem, utpote qui *multo ante tempore*, uti Beda diſerte teſtatur, e vivis exceſſerat. Verſant ſe in omnes partes ejus adverſarii, ut hæc verba in textum Bedæ intruſa fuiſſe perſuadeant. Sed ita legebatur etiam ante Alfredi verſionem, ſæculo nono factam; idque fatetur Abrahamus Whelocus, Auguſtino quantumvis iniquus, qui ea verba antiquitatem ſapere non diffitetur, uti codices manuſcripti omnes, quos conſuluit, teſtantur. Certe ſi ſuperſtite Auguſtino, eodemque incentore facta fuiſſet hæc Brittonum cædes, non Ethelfridum regem, a chriſtianis ſacris alienum; ſed Ethelbertum regem, chriſtianæ fidei ſibique addictum, ad id facinus impuliſſet. Non alia ergo hujus ſtragis cauſa, nec alius auctor quærendus eſt, quam Ethelfridus, quo nullus e regibus infeſtior Brittonibus fuit, teſte [a] Beda, nullus ad eos expugnandos ac conterendos propenſior. Chronologia Saxonica hanc cladem refert ad præſentem annum, atque adeo paullo poſt Auguſtini obitum, quod Bedæ ſententiæ non convenit. Verum hæc chronologia non ita eſt accurata, ut Bedæ auctoritati prævalere debeat, nec tam perſpicua eſt Bedæ ſententia, ut certum ejus facti annum defigere poſſimus. Sed cum rem ipſam accidentibus ſuis circumſcriptam habeamus, tempus accurate noſſe parum intereſt, modo conſtet, ut certe conſtare debet, de Auguſtini hac in parte innocentia.

a id lib. 1. c. 34.

ANN. CHR. 609. XLI. Columbanus a Brunichilde exagitatus.

PEr idem fere tempus, hoc eſt anno ejus ſæculi octavo, vel potius nono, ſimili in ſpeciem de cauſa, ſed re longe diſpari, Columbanus, & ipſe Scottus, & Scotticæ gentis ritibus perquam addictus, a Theoderico Burgundiæ rege, conſilio potiſſimum Brunichildis aviæ, varie exagitatur. Jam per univerſas Galliæ ac Germaniæ provincias piiſſimi abbatis fama ſanctitatis vulgata erat, idemque laudabatur ab omnibus, & colebatur. Quin etiam Theodericus ipſe abbatem ſanctum magnæ venerationi habebat; gaudebatque, quod tantum virum intra fines regni ſui haberet; eumque non raro conveniebat, & ut in precationibus ſui recordaretur, demiſſe poſcebat. Occaſione bene uſus Columbanus, non in ſuum ipſius commodum, ut fit, ſed in regis ſalutem, libere eum admonere cœpit, & hortari, ut, dimiſſis quas penes ſe habebat concubinis, juſtum iniret matrimonium, ex eoque ſobolem regiam potius, quam ex infami contubernio nothos procrearet. Sancti viri conſilium approbare primum, ac velle ſequi rex viſus eſt: at Brunichildis ejus mentem evertit, verita, ne, ſi Theodericus, expulſis concubinis, reginam aulæ præfeciſſet, plurimum de ſua auctoritate & potentia detraheretur. Forte per id tempus Columbanus ad Brunichildem venit, in villa publica Brocariaco tunc commorantem. cujus adventu cognito, ei quatuor Theoderici ex concubinis filios offert, ut eis vir ſanctus bene precaretur. Ille vero hos rejecit, negans regia ſceptra geſturos, utpote qui ex ſcortis prodiiſſent. Tum Brunichildis furens cum pronepotibus ſuis receſſit, ac nomine regis vicinis monaſteriis mandat, ut Luxovienſibus monachis omnes ad ſe aditus præcludant, nec eorum quemquam tecto recipiant, neu cibo aut ulla alia re juvent. Hoc comperto Columbanus ad regem in villam Spiſſiam * properat, ſi quo modo regii edicti ſeveritatem coërcere monitis ſuis poſſet. Sub veſperam regi nuntiatur adeſſe Columbanum, nec regiam intrare velle. Ilico Theodericus

* Eſpoiſſe.

ANN. CHR. 609.

dericus ei cœnam apparari, & ad eum ferri jubet, præfatus ſatius eſſe, virum Dei honorifice excipere ac reficere, quam eumdem vexando Deum ad iracundiam provocare. Verum regias dapes plane reſpuens Columbanus, ait, Deum munera impiorum averſari, nec decere famulos Dei ora polluere cibis ejus, qui non ſolum eis in regiam, ſed in ſervorum Dei domicilia aditum interdixiſſet. Ad hoc reſponſum vaſcula omnia in fruſta diſrupta, vinum ac ſicera effuſa; cetera hinc inde disjecta. Attoniti miniſtri quid factum ſit ſtatim regi nuntiant. Ille vero itidem pavore perculſus, poſtridie cum avia ſua diluculo Columbanum adit: precantur ambo factorum veniam, emendationem in poſterum pollicentur. His placatus Luxovium ad ſuos redit Columbanus: ſed non diu pax illa & promiſſa tenuerunt.

XLII. S. Benigni abbates & donationes ei factæ.

Tunc temporis, præſidente Lingonenſi eccleſiæ Mietio epiſcopo, cujus ex ſorore nepos erat Euſtaſius, Columbani diſcipulus, ejuſdemque in Luxovienſi regimine ſucceſſor; Divionenſem ſancti Benigni [a] abbatiam rexiſſe dicitur venerabilis abbas Godinus ſeu Gudinus: cujus tempore, id eſt anno quarto-decimo Theoderici regis, quædam nobilis femina, Goyla nomine, cum conſenſu & laude viri ſui, nomine Bonevaſi; ſancto Benigno dedit quidquid in villa Longo-vico poſſidebat. Verum hæc donatio potius referenda videtur ad principatum Theoderici Calenſis, quo tempore de Godino abbate acturi ſumus. Defuncto Mietio epiſcopo ſucceſſit Dodoaldus, qui villam Maſſiacum, a ſe ex commutatione comparatam, ſancto Benigno largitus eſt, cum Bobolenus abbatis officio ibidem fungeretur. Hunc Richimarus abbas excepit, cujus opera Elariacus * vicus, ſancto Benigno dudum conceſſus a Guntchramno rege, contra vicinorum moleſtias & rixas eidem monaſterio aſſertus eſt. Eumdem locum poſtea rexerunt Ætherius, Widradus, Hugo, Odeleus, & Maurinus abbates, de quibus nihil ad nos pervenit præter nomina, quæ in antiquis martyrologiis, teſte chronographo Benigniano, conſignata fuerunt.

[a] *Spicil. t. 1. p. 376.*

* *Lat.*

ANN. CHR. 610.

XLIII. Romana ſynodus de poteſtate monachorum.

PRoximo anno Romæ convocata eſt ſynodus epiſcoporum menſe Februario, cui Bonifacius quartus præfuit. Cauſam celebrandæ ſynodi diſcimus [b] ex venerabili Beda. Is quippe refert, Mellitum Londonienſem epiſcopum his temporibus Romam profectum eſſe, ut de neceſſariis Anglorum eccleſiæ cauſis cum apoſtolico papa Bonifacio tractaret. Has cauſas Baronius cenſet fuiſſe occaſione monaſterii ſancti Petri, Londoniæ recens conſtructi, pro cujus regulari obſervantia Mellitus ſollicitus ſe Romam contulerit: utpote quod illud ipſum fore ſciret, ſi bene cuſtodiretur, amplum ſeminarium, ex quo omnes Anglicanæ eccleſiæ ſibi adſciſcerent antiſtites. Addit & aliam cauſam, quæ & potiſſima videri poterat, de ejuſdem monaſterii dedicatione eccleſiæ a beato Petro facta, num rata cenſeri deberet. an potius ad obtinendum pallium a pontifice Romano, & privilegium pro ſuburbano Cantuariæ monaſterio ſancti Petri, inferius memorando. Ut ut ſit de illis cauſis, cum idem Mellitus Romam perveniſſet, forte idem Bonifacius convocarat ſynodum Italiæ epiſcoporum, *de vita & quiete monachorum ordinaturus*; juſſitque ut Mellitus inter eos aſſideret; & quæcumque regulariter decreta fuerant, ſua auctoritate ac ſubſcriptione firmaret. Id factum anno imperii Phocatis octavo, indictione tertia-decima; tertia die kalendarum Martiarum. quæ notæ chronologicæ huic anno conveniunt, prout eidem aſſignavit Sigebertus. Hujus ſynodi decretum ab Ivone integrum relatum eſt, uti & apud Petrum Damiani ad calcem opuſculi viceſimi-octavi: ubi ſacramentorum adminiſtrationem monachis, uti & aliis clericis, licitam eſſe probat ex hoc decreto Bonifacii papæ, quod partim retulit Urbanus ſecundus in concilio Nemauſenſi, & poſt omnes Gratianus. Itaque hoc tempore nonnulli exſtitere ſæculares clerici, *zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati*; qui monachos arcere volebant ab adminiſtratione ſacramentorum, *aſſerentes monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotalis officii potentia indignos, neque pænitentiam, neque chriſtianitatem*, id eſt baptiſmum, *largiri poſſe, neque abſolvere per ſacerdotalis officii divinitus ſibi injunctam poteſtatem.* ſic enim ejuſmodi clericorum ſententiam exponit ſynodus. *ſed omnino labuntur*, ait decretum. nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, apoſtolicæ ſedis compar beatiſſimus Gregorius, monachico cultu pollens, ad ſummum nullatenus apicem conſcenderet. Auguſtinus quoque, ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus, Anglorum prædicator egregius; & Pannonienſis Martinus beatiſſimus, cujus ſanctitatis

[b] *Beda lib. 2. c. 4.*

AN. CHR. 610.

» famam longe lateque diffuſam, totus perſonat mundus; alii quoque quam plurimi
» viri ſanctiſſimi, pretioſiſſimo monachorum habitu fulgentes, nequaquam anulo pon-
» tificali ſubarrharentur; ſed quia monachi fuerunt, prædictis uti prohiberentur.
Hæc exempla præ aliis adducuntur, utpote nova & cuivis tunc temporis nota:
ſiquidem Martinus Pannonienſis, de quo hic agitur, ipſe eſt abbas & epiſcopus Du-
mienſis, ut ſuperius diximus, qui Suevos nuper ad catholicam fidem perduxerat,
uti Anglos ad chriſtianam Auguſtinus. Ab exemplis ad alias rationes procedunt
patres hujuſce decreti auctores, probantque monachis id licere per regulam ſancti
Benedicti. *Neque enim*, inquiunt, *Beatus Benedictus, monachorum preceptor almifi-*
cus, hujus rei aliquo modo fuit interdictor, ſed eos ſæcularium negotiorum edixit exper-
» *tes fore tantummodo.* quod quidem apoſtolicis documentis, & omnium ſanctorum
» patrum inſtitutis, non ſolum monachis, ſed etiam canonicis maximopere impera-
» tur. Hinc ita inferunt. *Nos vero tantorum patrum inſtituti exemplis, quibus eſt*
periculoſiſſimum refragari, credimus a ſacerdotibus monachis ligandi, ſolvendique offi-
cium, Deo operante, digne adminiſtrari, ſi eos digne contigerit hoc miniſterio ſubli-
mari. Et aptato eis angelorum vocabulo ex cucullæ ſymbolo, quæ ſex alas Che-
rubim quodam modo exprimit, ita concludunt. *Decertantes igitur monaſticæ pro-*
feſſionis presbyteros ſacerdotalis potentiæ arceri officio, omni modo præcipimus, ut ab hu-
juſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum: quia quanto quiſque eſt celſior,
tanto eſt & in his potentior. Huc uſque ſynodi decretum. Nam quæ apud Petrum
Damiani adduntur, ad id non pertinent. Hoc vero decretum apprime convenit ſy-
nodo a Beda laudatæ, quam Bonifacius quartus hoc ipſo anno coëgit, *de vita mo-*
nachorum & quiete ordinaturus. quod decretum ſi accurate ſervaretur, infinitis ri-
xis & controverſiis, quæ ſubinde clericos inter & monachos excitari ſolent, mo-
dus facile imponeretur. quod ſane magnopere optandum eſſet, ut ex mutuo utro-
rumque conſenſu & laboris conſortione fideles ædificationem haurirent & profec-
tum: cum e contrario ſæpius accidat, ut ex ejuſmodi ſimultatibus gravia ſcandala
patiantur. Ceſſet cupiditas & ambitio: honore ſe invicem præveniant clerici ſæcu-
lares & religioſi; & tunc demum omnia eccleſiæ membra erunt in pace, & in
ædificationem corporis Chriſti feliciter proficient. Addit eodem loco Beda, Mel-
litum Roma in Britanniam revertentem, ſecum Anglorum eccleſiis hæc decreta
» atque mandata detuliſſe, una cum epiſtolis, quas idem pontifex Bonifacius Deo
» dilecto archiepiſcopo Laurentio & clero univerſo, pariterque Ethelberto regi at-
» que genti Anglorum direxit.

XLIV. Bonifacii litteræ ad Ethelbertum pro monaſterio S. Petri.

a Reyner. pag. 60.

Bonifacii ad Ethelbertum litteras refert Clemens Reynerus [a] in apoſtolatu Be-
nedictinorum in Anglia, quibus pontifex ſignificat, ſe omnia eidem regi libenter con-
» ceſſiſſe, quæ per coepiſcopum ſuum Mellitum a ſe petierat, nempe ut eccleſia beato-
» rum apoſtolorum Petri & Pauli, ad orientem civitatis Doroberniæ ſita, (quam
» catholicæ religionis amore & ſanctiſſimorum patrum Gregorii & Auguſtini hor-
» tatu, in propriam ipſius ſucceſſorumque ejus, atque etiam ejuſdem urbis præſulum
» ſepulturam a fundamentis conſtruxerat, diverſiſque donis ad divini cultus honorem
» & inhabitantium uſum ditaverat, in qua & monachorum religioſorum congrega-
» tionem ſub abbate Johanne ab apoſtolica ſede iſtuc directo collocaverat, ubi & ipſe
» Deo dilectus pater Auguſtinus jam requieſcebat;) apoſtolicis privilegiis munita, per-
» petua libertate donaretur. Se proinde ſtatuere, & perpetua auctoritate decernere,
» ut prædictum monaſterium, quod chriſtianæ religionis in ejus regno, & monaſtici
» ordinis primum erat, cum omnibus ad ſe pertinentibus, ab omni ſervitio ſit libe-
» rum, & à quibuſlibet obſequiis & exactionibus eccleſiaſticis & ſæcularibus; nulluſ-
» que præſulum, ſæculariumve in dominium hujus eccleſiæ aliquo modo ſe ingerere
» auſit, vel quamlibet ei moleſtiam inferre, conſuetudinemve imponere; nec, niſi
» rogatu abbatis & fratrum, ibi miſſas facere; ſed abbas Johannes omnia libere te-
» neat, poſſideat, diſponatque, cum conſilio fratrum Deum timentium; & ſic, omni
» remota vexatione & gravamine, divinum ſervitium cum tota animi devotione per-
» agant. Abbate vero mortuo, non extraneus, ſed ex eadem congregatione, quem
» ſibi propria voluntate concors fratrum ſocietas elegerit, aut certe, ſi apta & idonea
» ibidem perſona deſit, ex aliis monaſteriis aſſumatur; electus autem ſine dolo aut
» venalitate qualibet ordinetur. Hæc itaque noſtræ, inquit, inſtitutionis decreta in
» ſynodo epiſcoporum Italiæ, cui & interfuit tuæ dilectionis legatus Mellitus co-

AN. CHR. 610.

epiſcopus noſter, recitari & roborari fecimus, tibique & eccleſiæ tuæ ſupra ſcriptæ, Johanni abbati, & cunctis ſucceſſoribus ſuis cuſtodienda atque perpetualiter obſervanda, tibi & genti tuæ per manum ipſius direximus. Secus attentare auſis pontifex diras imprecatur. Data die tertia kalendas Martias, imperante piiſſimo auguſto Phoca, anno octavo imperii ejuſdem principis, indictione tertia-decima, ut eſt apud Bedam, male tertia apud Reynerum. Hic eſt Bonifacius quartus, qui a Phoca principe obtinuit, ut celebre illud templum omnium deorum, pantheon ob id appellatum, quod Marcus Agrippa ter-conſul, Auguſto imperante, mirando opere erexerat, in chriſtianæ religionis cultum, eliminata profanorum ſimulacrorum ſpurcitia, converteretur, & ſanctæ Dei genitricis omniumque martyrum nomine conſecraretur. Idem etiam pontifex domum ſuam in monaſterium convertit, teſte Anaſtaſio. Ex quo intelligitur, eum in monaſticum ordinem impenſe affectum fuiſſe. quod certe ſatis ſuperque probat ſuperius decretum ab ipſo conditum de poteſtate monachorum in rebus ſacris.

XLV. Johannis abbatis deceſſor Petrus vir ſanctus.

Johannes abbas, in præmiſſo diplomate memoratus, Petro ejuſdem monaſterii rectori primo ſucceſſerat. Itali ambo, ambo Roma cum Auguſtino in Britanniam miſſi. Et Petrus quidem cum Laurentio preſbytero & monacho Romam denuo ab Auguſtino directus fuerat, ut pontificem de rebus neceſſariis conſuleret; poſt ſuum in Britanniam reditum monaſterii ſancti Petri regimini admotus, & quidem primus, teſtante [a] Beda, qui eumdem preſbyterum vocat. Non multo poſt legatus in Galliam miſſus, forte ab Ethelberto rege, vel certe a Mellito Cantuarienſi antiſtite, demerſus eſt in ſinum maris, Bedæ *Amfleat* dictum, (recentiores *Ambleteuſe* appellant, opidum Bononiæ portum obtendens) & ab loci incolis ignobili traditur ſepulturæ. At tumulus, ſingulis noctibus cæleſti luce illuſtratus, ejus ſanctitatem illis declaravit incolis, qui, agnito Petri nomine ac merito, ejus corpus inde ſublatum in eccleſia Bononienſi eo quo par erat honore poſuerunt. Goſelinus monachus in libello de tranſlatione ſancti Auguſtini hanc eccleſiam canonicorum fuiſſe dicit; additque prodigium ſuo tempore factum in æditium loci, qui, cum ſacrum corpus, quaſi eo honore indignum, in cœmeterium intuliſſet, a viro ſancto in ſomnis increpitus, & paſtorali, quam manu ferebat, virga percuſſus, poſtridie animam exhalavit, elatus ipſe in cœmeterium, ex quo Petri reliquiæ in eccleſiam denuo condigna cum reverentia relatæ ſunt.

[a] *Beda lib. 1. c. 33.*

XLVI. Columbanus e Gallia migrare juſſus.

Interea Theodericus Burgundiæ rex, inſtigante Brunichilde, Columbanum abbatem Luxovienſem vexare pergit. Is quippe, promiſſi viro ſancto facti haud memor, in priora ſtupra, Brunichildis ſolita in facinora relabitur. Hoc comperto, Columbanus litteris regem objurgat, eique excommunicationem, ni concubinas abigat, minatur. Sic Theodorus Studita Conſtantino juniori imperatori, ob repudiatam Mariam uxorem & Theodoten ſuperductam, anathema imprecatus eſt, tametſi ejus memoriam in ſacris facere perſeverabat. Sic, ut e multis unum addam, Macarius preſbyter alios preſbyteros excommunicaſſe dicitur apud Euſebium. quod genus excommunicationis, non publicæ, ſed privatæ erat, uti Valeſius [b] in hunc locum docet. Lecta epiſtola, Brunichildis furere, & regem adverſus Columbanum incitare, hortari proceres aulicos & optimates, ut idem faciant; epiſcopos denique ſollicitare, ut de ejus inſtituto ac regula palam detrahant. Obſequuntur reginæ aulici, impelluntque regem, ut virum Dei, aut loco cedere, aut inſtitutum ſuum ceteris conformare curet. Tot ac tantis machinationibus rex tandem cedit vel invitus. Luxovium adit: queritur expoſtulatque cum eo, quod a provincialium moribus ritibuſque deſciſceret, & omnes chriſtianos in monaſterii ſæpta interiora introire minime pateretur. Ad hæc Columbanus, ut erat igneo ac fervido ſpiritu, reſpondit: ſe quidem ſæculares homines in adyta monaſterii non admittere; ſed opportuna & apta ad eos excipiendos loca ſeorſim habere. Tum rex ait, ſi gratiam ac munificentiam ſuam deinceps experiri vellet Columbanus, ſingula & univerſa loca omnibus patere oportere. Ille vero ſe muneribus ejus & ſubſidiis carere malle ait, ſi regularis diſciplinæ puritatem violare in animo habeat; & ſi ſervorum Dei cœnobia deſtrueret, regnum ejus funditus everſum iri, ipſumque cum omni propagine regia periturum. His territus dictis Theodericus, e refectorio, quo jam ingreſſus erat, pedem retulit, Columbano ſic locutus: Martyrii coronam te a me accepturum forte ſperas: aſt eo dementiæ me non deveniſſe ſcias, ut tantum facinus

[b] *Valeſ. in Euſeb. p. 136.*

ANN. CHR. 610.

committam. Mihi ſat fuerit, ſi tu, qui ab omnium ſæcularium convictu abhorres, eadem qua veniſti via in patriam redeas. Regis dictis applaudunt aulici, & una voce profitentur, ſe in his locis hominem pati nolle, qui a ceteris ſeceſſionem faciat. At Columbanus ſe monaſterii ſæptis egreſſurum negat, niſi per vim inde abſtrahatur.

XLVII. Veſontionem ducitur.

Diſceſſit ergo rex, & unum quemdam e proceribus, nomine Baudulfum, ibi relinquit, dato mandato, ut virum Dei Luxovio eductum Veſontionem adducat, dum regalis de eo ſententia decerneret. Ibi vir Dei reos morti addictos, carcere patefacto, vinculis ſolvit, ſpondentes ſe vitam emendaturos, & de commiſſis criminibus pænitentiam acturos. Tum illi, jubente patre, eccleſiam petunt, ut lacrymis ſcelera diluant. Mox tribunus reos a tergo cum ſatellitibus inſequitur. Illi vero fores eccleſiæ obſeratas cernentes, virum Dei, ut ſibi ſuccurrat, inclamant. Nec mora ad ejus preces reſerantur eccleſiæ fores: ſtatimque reis introgreſſis, ſponte ſua recluduntur. Accitus eccleſiæ cuſtos, clavibus eas fruſtra tentat reſerare; nec quiſquam deinceps reis vim inferre auſus eſt, quos divina virtus ſic eruiſſet. Poſt hæc vir Dei, cum a nemine aſſervaretur, aut prohiberetur ire quo luberet, die dominico per mediam urbem cum ſuis ad monaſterium revertitur. Hinc Brunichildis & Theodericus majores iras concipiunt, & militum cohortem eo mittunt cum tribuno, ut ſanctum abbatem inde vi abſtractum in exſilium reducant. Forte in atrio baſilicæ vir ſanctus librum legebat: ſed militum oculis, qui iſtac ibant ac redibant, & tantum-non pedibus in eum offendebant, minime conſpicuus fuit. Tandem intuitus per feneſtram tribunus, ipſum inter milites lætum ac ſecurum vidit, reſidentem ac legentem; agnitaque Dei virtute, milites ab inutili perquiſitione revocavit, regique nuntiavit, ſe Columbanum minime reperiſſe. Rex furore incitatior, Bertarium comitem & Baudulfum ad eum attentius perquirendum cum militum manu Luxovium ire jubet. qui cum eo veniſſent, Columbanum in eccleſia cum omni fratrum cœtu pſallentem reperiunt; precanturque, ut regiis parens præceptis in patriam regrediatur. At ille: Non puto, ait, Deo placere, ut natale ſolum, quod ſemel ob ejus amorem reliquimus, denuo repetamus. Itaque illo non acquieſcente, Bertarius, rem per ſe exſequi veritus, ferociſſimis ſuorum quibuſque, qui id perficiant, relictis, abſceſſit. Illi, feritate poſita, virum Dei multis precibus rogant, ut ipſorum miſereretur: qui ſi eum e monaſterio non abſtraherent, mortis periculum incurrerent. Illo autem exire, niſi vis fieret, pernegante, alii ejus pallium apprehendunt, alii genibus provoluti cum lacrymis obſecrant, tanti ut ſceleris noxam ſibi condonaret, utpote qui non ſua ſponte, ſed regiis præceptis adacti id committerent. Tandem eorum periculum miſeratus cedit Columbanus, & cum multo omnium mærore & ejulatu monaſterio egreditur, ſimulque cum eo qui eum ex Hibernia ac Britannia inſulis ſecuti fuerant: ceteri, qui in Gallia nati erant, Franci, Burgundiones, Galli, juſſu regis in monaſterio remanſerunt inviti; in primis Euſtaſius ſeu Auſtaſius, Mietii Lingonenſis epiſcopi, ut jam dixi, ſororis filius, qui poſtea Luxovienſi monaſterio abbas præfuit, a magiſtro diſcipulus, ac velut a patre filius avellitur. Dati Columbano ejuſque ſociis cuſtodes, qui eum extra regnum Theoderici deducerent, & navi impoſitos in patriam avehendos curarent. Ragamundus iis præfectus Namnetas uſque perduxit Columbanum, univerſis fratribus mærore plenis velut funus extra monaſterium ſubſequentibus. Mæſtus & ipſe pa-

Luxovium reverſus, iterum inde abſtrahitur.

» ter ſuorum membrorum avulſione, cælos ſuſpiciens: Æterne, inquit, rerum con-
» ditor, tu illos opportunis fove cibariis ac ſubſidiis, ut debitum majeſtati tuæ cul-
» tum impendere valeant. Tum eos ſpem ſuam in Deum defigere jubet; id non in ſui ſuorumque diſpendium redundaturum, ſed in profectum. hanc enim occaſionem eſſe multiplicandi propagandique monaſtici ſui inſtituti. quod quidem eventus probavit.

XLVIII. Iter ejus uſque Namnetas.

Egreſſus ergo vir ſanctus cum ſuis anno viceſimo poſt ſuum in Voſago incolatum, per urbem Veſontionem & Auguſtodunum in caſtrum Avallonem pervenit, ſanato in via regiorum equorum cuſtode, qui virum Dei lancea transfigere voluerat. Dein per Choram vicum, ubi in domo Theodemandæ nobilis ac piæ feminæ hoſpitatus, duodecim dæmoniacos curavit, Autiſiodorum acceſſit, Ragamundo conteſtatus, Chlotharium, quem tunc ſpernebant, intra triennium habituros dominum. Dein Autiſiodoro Nivernum adductus eſt, ut ſcaphæ impoſitus, ſecundo fluvio Ligere in ſinum Britannicum deferretur. Cum ſcapham lentius, quam cuſtodibus videretur,

conſcenderent, unus eorum arrepto remo Luam monachum percuſſit. quem, non ſecus ac propria membra, ſic atrociter cæſum Columbanus non ferens: Cur, inquit, crudelis, dolorem auges meum? non ſufficit ad veſtram ruinam ſcelus jam commiſſum? Certus ſis, te hoc ipſo loco debitam aliquando ultionem recepturum. quod quidem probavit pœna paullo poſt ſubſecuta, cuſtode ibidem poſtmodum aquis ſubmerſo. Forte is fuerit Luanus monachus, quem ſanctus Bernardus centum monaſteriorum patrem fuiſſe ſcribit, *& quem virum ſanctiſſimum ac religioni cum primis deditum fuiſſe* Jonas teſtatur. Cum Aurelianos attigiſſet Columbanus, ad ripas Ligeris extra urbem ſub tentorio reſidere coactus eſt: ubi cum nemo ex civitate neceſſaria ſibi ſuiſque ſuppeditare auderet, id officii præſtitit mulier quædam ex Syria orta, cujus conjugi oculis orbato vir ſanctus lumen in accepti beneficii vicem reſtituit. Turonos accedenti Columbano ſancti Martini ſepulcrum adire nonniſi ægre permiſſum: ubi a Leopario ejus urbis epiſcopo invitatus ad prandium, & cur in patriam rediret interrogatus: Canis me Theodericus, infit, a meis fratribus abegit. Tum unus e convivis Chrodovaldus, qui etſi Theodeberti regis materteram in matrimonio haberet, nihilo minus Theoderico fidelis addictuſque erat, id in principis contumeliam dictum graviter ferens, in Columbani aurem dixit, ſibi ſatius eſſe lac, quam abſinthium bibere. Ad hæc Columbanus Theoderici interitum poſt triennium Chrodovaldo denuo prædixit. Leuparius virum ſanctum viatico proſecutus eſt, diſcedentem Namnetas. Hîc Suffronius ſeu Sophronius urbis epiſcopus, & Theodoaldus comes, ut ſibi a rege mandatum erat, navim parant ad devehendum in Hiberniam Columbanum. Cum aliquamdiu ibidem moraretur, a Procula & Doda piis feminis pro modio farinæ, quem ipſe pauperi de ſuo largiri præceperat, commeatum accepit, ad verecundiam Suffronii epiſcopi, a quo nihil impetrare potuerat. Parata navi Scotica, cœpta navigatio: ſed, adverſante vento, immo Deo, navim ad litus redire coëgit undarum moles, atque arenæ defixam reliquit. Manente per triduum abſque undis carina, dominus navis ob reſpectum viri Dei cælitus hoc fieri intellexit, ſtaruitque iis omnibus, quæ ad eum pertinebant, navim exonerare; nec mora fluctus maris magno impetu fluminis alveum exundantes, carinam ad alta provexere. Rem mirati omnes, voluntati Dei cedendum rati, viro Dei, quocumque ire vellet, permiſere.

ANN. CHR. 610.

XLIX. Ad Chlotharium accedit.

Moratus ibi paullulum Columbanus, demum ad Chlotharium Chilperici filium, Neuſtraſiis Francis, extrema Gallia ad oceanum poſitis, imperantem, proficiſcitur. qui eorum, quæ vir ſanctus a Brunichilde & Theoderico paſſus eſſet, non ignarus, eum, veluti munus cælo delapſum, lætus excepit; rogavitque, ut intra fines regni ſui ſubſiſteret, ab ipſo colendus, & quibuſcumque egeret rebus juvandus. Columbanus, gratiis regi actis, in ejus regno conſiſtere noluit, ne aliquam belli inter eum ac Theodericum materiam præberet. Eumdem nihilo minus ob quædam peccata, quorum vix ulla expers aula eſt, caſtigavit. Rex ſe pro ejus voluntate omnia emendaturum promiſit; ac deinde per Theodeberti regnum in Italiam contendere cupienti comites dedit duceſque viæ, qui eum ad Theodebertum tuto perducerent. (Dein ad Theodebertum.) Itaque Columbanus per Luteciam Pariſiorum, cujus ad portam dæmoniacum curaviſſe dicitur, Meldos * pervenit: (* Meaux.) ubi a Chagnerico Franco, Theodeberti conviva & conſiliario, viro nobili ac ſapiente, atque ab ejus uxore Leudegunda, piiſſima femina, honorifice exceptus eſt, forte in villa Pipimiſio, ubi illi Euſtaſium poſtea excepere, duobus circiter paſſuum millibus ſupra Meldorum urbem ad Matronam ſita. Ambos conjuges cum univerſa familia vir Dei benedixit, in primis Burgundoſaram eorum filiam tum infantem, quam etiam Deo vovit, uti Chagnoaldum eorumdem filium, qui poſtea Lugduni-clavati epiſcopus factus eſt. Inde paullum progreſſus, apud Vultiacum * villam, itidem ad Matronam poſitam, (* Uſſy.) non minus benigne acceptus ab Authario Franco, pietate juxta ac genere illuſtri, ejus filiis impuberibus, Dadoni & Adoni, fauſta precatus eſt. qui cum ad virilem ætatem perveniſſent, Chlothario, dein Dagoberto acceptiſſimi fuere; eorumque prior in ſaltu Jotrenſi (Juranum vocat Jonas) cœnobium virginum; poſterior in ſaltu pagoque Briegenſi ad fluviolum ſeu torrentem Reſbacem virorum monaſterium, nomine Jeruſalem, utrumque ſancti Columbani regulæ ſubjectum, exſtruxerunt. His tertium adjungunt veteres Radonem Autharii filium, Dadonis & Adonis germanum, cui Radolienſis ad Matronam prope Jotrum monaſterii principia tri-

ANN. CHR. 610.

buunt.* Tandem Divodurum-Mediomatricorum, quo multi e Luxovio fratres obviam ei præceſſerant, ad Theodebertum Auſtraſiorum regem venit Columbanus, ab eoque humaniſſime excipitur, optione ſibi conceſſa, ut in quocumque vellet regni ſui loco cum ſuis conſiſteret. Electum ab eo Brigantium opidum ad lacum Conſtantienſem, cujus loci vicinos incolas, gentilium profanis ritibus ad id tempus addictos, ad Chriſti fidem convertit.

L. *Luxovienſibus ſcribit.*

Dum Namnetis per triduum moraretur, epiſtolam ad ſuos Luxovienſes ſcripſit, in editis tertiam, cujus hæc inſcriptio: *Dulciſſimis ſuis filiis, diſcentibuſque cariſſimis, fratribus frugalibus, cunctis ſimul monachis ſuis, Columba peccator.* Principio pacem, ſalutem, & ſempiternam caritatem eis imprecatus, ſuum de eorum profectu
» deſiderium eis aperit; tum hortatur eos ad patientiam, ut ne *temporales* ſint; & ad
» orationem cum fide & unanimitate faciendam; certos ſe, quidquid petierint, a
» Deo accepturos, ſi cor unum ſint, & anima una. alioquin, ſi unum velle & unum
» nolle non habeant, melius eſſe ut non ſimul habitent. jubere, ut quicumque ſibi
» adhærere & conſentire velint, Attalæ adhæreant & obediant, cui optionem dat,
» aut Luxovii reſidere, aut ſe ſequi. Si ille venire ad ſe voluerit, Waldolenus ſit præ-
» poſitus. Tum Attalam alloquitur, monetque, ut qui ſecum unanimes non fuerint,
» eos continuo valere jubeat, tantum ut cum pace eos dimittat; Libranum honoret,
» & Waldolenum penes ſe retineat, modo ut humilis ſit; ſuumque oſculum, quod a
» diſceſſuro non accepit, ei tradat. Id ſe habere in votis, ut, ſi Attala ibi animarum
» profectum viderit, iſtic maneat; ſin pericula, maxime diſcordiæ, ad ſe accedat.
» timere enim, ne & iſtic ſit diſcordia propter paſcha: ne forte Galli eos a ſe alie-
» nare & ſeparare velint, ſi cum ipſis in paſchæ celebratione non conſentiant. Paci
» maxime provideat, paci repugnantes ſecum non retineat, prudentior ſe futurus,
» qui dum omnes ad pacem & unanimitatem revocare voluit, pæne inſipiens factus ſit,
» & perperam ſudaverit. Sit quodam modo multiplex ad curam eorum, qui ſibi cum
» fide & amore ubedierint; ſed eorum erga ſe amorem timeat, utpote ipſi periculo-
» ſum. Anguſtias proinde eſſe undique: periculum, ſi ipſum fratres oderint; pericu-
» lum, ſi amaverint. Dein hortatur omnes ad regulæ diſciplinam firmiter & con-
» ſtanter retinendam. Quicumque rebelles fuerint, foras exeant; quicumque obe-
» dientes, ipſi ſint heredes, & ad eum, qui juxta altare, quod ſanctus Aidus epiſco-
» pus benedixit, Deo ſervierit, omnes adſpiciant, eique adhæreant. Ceterum ſe ha-
» buiſſe in votis, gentes adire, eiſque prædicare evangelium; ſed hoc votum tantiſ-
» per in animo remiſiſſe, quod illæ tardiores ſint ad id ſuſcipiendum. Se cum lacry-
» mis hæc ſcribere, quamquam fortem militem in bello plorare non decet. Non eſſe
» novum quod ſibi contigit: beatum eſſe qui cum Chriſto aliquid patiatur; omnia pro
» veritate ſuſtinenda, ut ſimus Domini paſſionum, tandemque regni ejus participes.
» His omnibus addendam perſeverantiam; quam ut quis obtineat, auxilium Dei ju-
» giter imploret cum omni mentis humilitate. Non enim dignos eſſe miſericordia,
» niſi qui ſe miſeros coram Deo confitentur & agnoſcunt. In fine addit, nunc ſibi
» ſcribenti nuntium ſupervenire, monentem, ſibi navem parari, qua invitus in re-
» gionem ſuam revehatur. Sed, ſi fugere velit, obſtare neminem; idque cuſtodes ſuos
» velle videri. Denique, ſi ad fratrum gubernationem Attala non ſufficiat, fratres
» ſuos Brittones in vicinia eſſe, nempe in Armorica: una ſimul omnes conveniant, in
» unum locum, ubi facilius contra vitia & diaboli dimicent inſidias. Tum, orate, inquit, pro me, viſcera mea, ut vivam. His litteris acceptis, Attala Columbanum ſequi maluit, quam Luxovii permanere: & forte unus eorum fuerit, qui apud Divodurum-Mediomatricorum Columbanum adierint; Columbani in Bobienſis monaſterii regimine ſucceſſor futurus. Waldolenus etiam Luxovio diſceſſit, Walaricum ſequi malens, quam Luxovienſibus præeſſe. His itaque præfectus Euſtaſius, ex nobili Burgundionum genere procreatus, Mietii Lingonenſis epiſcopi ex ſorore nepos.

LI. *Monachi ejus exſilii ſocii.*

Columbanum Luxovio diſcedentem ſecuti ſunt Scotti omnes, in primis Gallus, Luanus, Potentinus, unus e duobus, qui apud Aurelianos, annonæ quærendæ cauſa, in urbem a Columbano miſſi ſunt; & Domoalis ejus miniſter. nam abbatibus miniſtrare quemdam ex monachis[a] moris erat. quo munere etiam Chagnoaldus[b] functus eſt. His quatuor totidem alii etiam adjungendi, Commininus, Eunocus, forte etiam Equanacus, Scotti; & Gurganus Britto, religione præſtantes monachi: quibus adjutoribus uſus fuit Columbanus ad pluviam a meſſe depellendam. Certe

a *Jonas* n. 16. & 34.
b *id.* n. 30.

ex illis tres invenio, Columbani litteris pro Bobienſi monaſterio ſubcripſiſſe [a] apud Ughellum, una cum Domitiale diacono Scotto, quem non alium eſſe a Domoale perſuaſum habeo. Ex his Potentinus in Neuſtria conſtitit, & in ſuburbio [b] Conſtantiæ urbis monachorum cœtum congregavit.

ANN. CHR. 610.

[a] Ital. ſac. to. 7. col. 1321.
[b] Jonas n. 41.

LII. Gallus apud Alemannos cū eo ſe ſiſtit.

Gallus, Columbani in Bancorenſi Hiberniæ monaſterio diſcipulus, & peregrinationis collega, eamdem cum eo fortunam ſubiit, & relicta Mettenſium urbe, ambo Moguntiam profecti, ubi a Leoniſio epiſcopo neceſſaria ſubſidia accepere; deinde, ſi Walafrido Straboni fides, per fluvium Lindimacum, quem recentiores Limagum * vocant, & per lacum Turicinum ſeu Tigurinum *, ad laci ipſius caput pervenerunt, in locum, qui Walafrido Tucconia, hodie Tuggium * dicitur. Cum vero hujus loci incolas paganos a cultu idolorum revocare tentarent, inde coacti diſcedere, ad caſtrum Arbonam accedunt, excepti a Willimaro preſbytero; eodemque duce Brigantium veniunt, ubi, reconciliato ſanctæ Aureliæ templo, Columbanus per tres annos ſubſtitiſſe dicitur, multoſque circumquaque infideles ad chriſtianam religionem adduxiſſe. Certe Jonas auctor eſt, Columbanum ſolo flatu diſſipaſſe vas ingens *ſeu cupam*, quod viginti-ſex modios cerviſiæ capiebat, quodque loci incolæ deo ſuo Vodano (ſic Mercurium vocabant) afferre ac litare volebant; eoque facto multis ad Chriſti fidem & doctrinam converſis baptiſmum contuliſſe; alios jam lavacro ablutos, ſed in ſuperſtitionem relapſos, ad cultum evangelicæ doctrinæ monitis ſuis revocaſſe.

* Limat.
* de Zuric.
* Zug

ANN. CHR. 621.

LIII. Vvalaricus condit monaſterium.

WAldolenus Luxovio videtur abfuiſſe, cum inde receſſit Columbanus. Hue enim refero verba ejus epiſtolæ ad Luxovienſes. *Tantum Libranum honora, & ſemper Vvaldolenum tene, ſi illic ſit cum congregatione. Bene illi Deus faciat: humilis fiat, & meum illi da oſculum, quod tunc feſtinans non habuit.* His verbis lucem affert libellus de vita ſancti Walarici, quem Waldolenus a beato Columbano ſocium ad prædicandum inter gentes Chriſti evangelium & adjutorem obtinuiſſe perhibetur. Hac obtenta facultate, ambo in Neuſtriam profecti, ad Chlotharium acceſſerunt, ab eoque locum a turba remotum impetrarunt, ad conſtruendum ſcilicet monaſterium, in quo poſt evangelicæ prædicationis labores tantiſper quieſcerent. Cum adveniſſent in pagum Ambianenſem, ubi Sigobardus comes *mallum* ſeu publica judicia faciebat, Walaricus quemdam reum equulei ſuſpendio defunctum excitaſſe memoratur. Nuper in ipſa urbe Ambianorum oratorium adhuc exſtabat, in facti memoriam eodem in loco erectum. Inde Walaricus, aliis Walericus, Gualaricuſve, ad locum perrexit ſibi a rege conceſſum, qui Leucanaus ſeu Leuconaus antiquo vocabulo dicebatur, ſitum in pago Vinemacenſi * ad Somenæ ſeu Suminæ fluminis oſtia in oceanum: ubi nunc ſancti Walarici monaſterium cum oppido cognomini viſitur. Iſtic Leuconaenſis cœnobii fundamenta jecit vir ſanctus, annuente Berchundo Ambianenſi antiſtite, qui iſtuc diebus quadrageſimæ ſecedere ſolitus erat. Ibidem Walaricus in privatam cellulam, ſegregatus a fratribus, ſe recluſit, ut, omni ſæculi cura poſtpoſita, uni rerum divinarum contemplationi vacaret: cum ceteri fratres, qui ex munificentia regis alebantur, conſtruendo monaſterio inſtarent. Situs ejus loci monachis percommodus & opportunus erat, tum ob viciniam maris & Somenæ piſcoſi amnis, tum ob terræ circumjacentis ubertatem. Eo ex Iſaræ * fluvii confinio adductus ad Walaricum contractus quidam, vocabulo Blitmundus, alio nomine Gogus, manibus ejus ſuper infirmum cum oratione impoſitis, membrorum uſum facultatemque recepit; idemque ob tanti beneficii memoriam monachus ibi factus, proceſſu temporis dignus habitus eſt, qui viro Dei in loci regimine ſuccederet. Forte duo germani ad eum in feſtivitate ſancti Martini ſumto potu advenerant, quibus ille increpando dixit: Miror, cur ante miſſarum ſollemnia potum præſumſiſtis. Ea quippe tum ſacrorum myſteriorum reverentia erat, quæ paucis hactenus hæret. Illi culpam confeſſi, veniam petunt, & in poſterum ſe culpam emendaturos pollicentur. Idem alteri etiam in dominica die accidit, quem facti illicite commiſſi itidem pœnituit. Redeunti aliquando ex domo cujuſdam principis viro ſancto occurrit ad fluvium Auvæ, haud procul a vico Auguſta *, ſtipes ingens cum variis idolorum figuris eidem impreſſis: ad quem ruſticorum inſana multitudo impia ſacra faciebat, quod etiam diſcimus ex actis ſancti Lupi epiſcopi Senonenſis. Rei indignitate commotus Walaricus, aſino inſi-

* le Vimeu.

Alia ipſius facta.

* l'Oiſe.

* Ouſt.

ANN. CHR. 611. dens, monacho ſe comitanti imperavit, ut ſtipitem in terram proſterneret. Ille vero ſtatim manu leviter contactum obedientiæ merito in terram dejecit, quem vix magna hominum mulitudo evellere potuiſſet. Concurrentes ad hunc caſum cum armis & fuſtibus vicinos incolas, ut injuriam deo ſcilicet ſuo factam vindicareot, Walaricus divino ſpiritu afflatus ab idolorum cultu reſipiſcere docuit, iidemqne eodem in loco poſtea baſilicam io honorem ſancti Walarici conſtruxerunt juxta quemdam fontem, in quo vir ſanctus laviſſe fertur, cujus aquæ hactenus potantibus ſaluberrimæ ſuot. Pontem * vicum appellant, paſſibus admodum centum diſſitum ab Auguſta, paullo ſupra Augum * opidum, hic Auvam dictum: unde fluvius Auvæ, quod Augum præterfluat, Breſla vulgo appellatus. Ad Waldolenum quod attinet, cum Walarico apud Leuconaum remanſit, videturque ex illo pago fuiſſe oriundus; (iſtuc eoim fratres ejus ad eum acceſſiſſe dicuntur annonæ petendæ gratia) ob idque conſilium cepiſſe iis in locis evellendi paganiſmi reliqnias.

* Pont.
* la ville d'Eu.

ANN. CHR. 612. LIV. Theodebertus a fratre victus, cæſuſque.

PEr id tempus Theodericus Burgundiæ rex, belli faces præferente Brunichilde, Theodeberto fratri excidium parat, coactiique ex toto regno copiis, in Auſtriæ regnum irrumpit. Naſio * caſtro Leucorum ac Tullo expugnatis, occurrit Theodebertus in campis Tullenſibus. Ibidem inſtructæ acies, commiſſum prœlium, pugnatumqne eo furore, quo in bellis civilibus pugnari ſolet. Magna utrimque cæde facta, fuſus tandem fugatuſque Theodebertus. Fugientem ſecutus eſt Theodericus ad caſtrum uſque Tolbiacum *, Chlodovei ſenioris quondam victoria nobile, quod abeſt a Colonia-Agrippina millibus paſſuum viginti-quatuor. Ibi redintegratum prœlium majori quam prius mole, ſed non diſpari Theodeberti fortuna: cui denuo victo, & fuga ſalutem quærenti, intra Coloniam caput abſciſſum a ſuis, qui hoc facto victoris gratiam mercati ſunt. Jonas auctor eſt Columbanum, quo tempore ad Tolbiacum pugna fervebat, inter legendum putris quercus trunco inſidentem, obdormiſſe, & viſo quæ inter fratres gerebaotur cognoviſſe; ſuadentique Chagnoaldo, ut ſuis precibus Theodebertum adverſus communem hoſtem juvaret, reſtitiſſe virum ſanctum, ac reſpondiſſe, ſtolidum id conſilium eſſe, religionique ac præcepto Domini contrarium, qui nos pro inimicis orare jubet; ſatius eſſe pugnæ eventum juſti Judicis arbitrio permittere.

* Nas.
* Zulpich.

LV. Columbanus Bobienſe monaſterium condit.

Cum vero victoriam penes Theodericum ſteriſſe intellexiſſet, & ſub unius dominium Galliam atque Germaniam, id eſt Burgundiæ & Auſtriæ regna, eſſe redacta; relicto apud Alemaonos Gallo tunc ægrotante, in Italiam ſe recepit, atque Arianis apud Mediolanum qua voce, qua ſcripto, confutatis, ab Agilulfo Langobardorum rege honorifice ſuſceptus eſt, data optione, ut intra Italiam, ubicumque vellet, ſibi ſedem eligeret. Tum Jocundus quidam aptum ad id locum regi indicavit in alpibus Apenninis ſeu Cottiis, ab urbe Ticino * diſſitum millibus paſſuum quadraginta, vocabulo Bobium, ad rivum cognominem, & ad alium amnem Treviam appellatum, ſuper quem olim Hannibal hiemans, homioum, equorum, & elephantorum atrociſſima damna ſenſit. Illic ſupereſſe vererem baſilicam ſancti Petri apoſtolorum principis, in qua ſupernas virtutes factas ſe vidiſſe conteſtatus eſt. Eo profectus Columbanus, baſilicam ſemirutam reperit, eamque priſtino decori brevi reſtituit, immenſas trabes per ardua & aſpera loca cum ſuis comportans tam facili negotio, ut divinam operi virtutem adeſſe non dubitaverit, Dei voluotatem eſſe affirmans, ut in ea eremo conſiſteret. Baſilica inſtaurata, conſtructæ monachorum ædes, & cætera omnia, quæ ad eorum uſum ac neceſſitatem pertinent, quatenus loci & inſtituti monaſtici conditio patiebatur. Apud Ughellum [b] litteræ Agilulfi nomine referuntur, baſilicam beati Petri Columbano largientis cum loco Bobio ad quatuor millia per circuitum: ſed vitioſa eſt in his litteris indictio quinta, ſiquidem Columbanus obiit anno ejus ſæculi quioto-decimo, qui indictione tertia præditus erat. Mendum etiam irrepſit io alias [b] litteras, quibus vir ſanctus Bobienſe monaſterium ſedi apoſtolicæ ſubjicit, beato Gregorio papæ inſcriptas: quem anno ante conditum iſtud monaſterium ſaltem octavo e vivis exceſſiſſe conſtat. De cetero hæ litteræ videntur eſſe bonæ notæ, nihilque in earum contextu, neque in ſubſcriptionibus occurrit, quod illi tempori non conveniat. Harum duo exemplaria Columbanus fieri juſſit, quorum unum in Romana beati Petri eccleſia, alterum penes ſe in Bobienſi archivo aſſervari voluit.

* Pavia.

a Ital. ſac. to. 7. col. 1312.

b ibid. col. 1310.

Præter

ANN. CHR. 612.

Præter baſilicam ſancti Petri, oratorium in honorem beatiſſimæ Virginis Deiparæ in proxima rupe cum ſpelunca ad ſuam ipſius menſuram conſtruxit, eoque per totam quadrageſimam ſecedere conſueverat, jejuniis & precibus vacaturus; aliis vero temporibus ſubinde ſolitariam ibidem agebat vitam, tantumque ſabbato vel diebus feſtis ad monaſterium revertebatur. Prope hoc oratorium defixit etiam crucem, ad quam ſæpiſſime genua flectebat. Conſuetudo quippe illius gentis piorum hominum eſt; ut minimum centies per unumquemque diem genu flectant, uti legitur in libello de miraculis beati Columbani. Omnes ejus diſcipuli, qui e Gallia recedentem ſecuti fuerant, eumdem in Italiam comitati ſunt: quorum plerique præmiſſis ad pontificem Romanum litteris ſubſcripſiſſe reperiuntur, exceptis Gallo, qui in Alemannia remanſit, & Chagnoaldo, qui in Galliam ex Alemannia reverſus eſt. Hæc ſubſequenti biennio facta continenter ob rerum conſequentiam retuliſſe viſum eſt.

LVI. Auſtreg. ſilus fit epiſcopus Bituricenſis.

Hoc anno poſt mortem Apollinaris epiſcopi Bituricenſis, Auſtregiſilus abbas ſancti Nicetii Lugdunenſis monaſterii in ejus locum, communi omnium ſuffragio, cum regis Theoderici conſenſu ſubrogatur, eamque eccleſiam rexit per annos duodecim, quemadmodum ſibi divinitus revelatum fuiſſe, Sulpicio futuro ejus ſucceſſori, & Deſiderio diaconis ſignificavit. Ejus pontificatu nobilis & pia matrona, Bertoara nomine, cœnobium virginum prope Bituricas ædificavit, ubi laudabili converſatione tum vixit Friovala recluſa, quam Auſtregiſilus epiſcopus dæmonis vexatione liberavit, poſtquam ſpiritales Domino hoſtias pro ea obtuliſſet, confecto Chriſti myſtico corpore, quod ipſe prius percepit, deditque puellæ, ei præcipiens, ut religioſas veſtes cum velo acciperet, & a vino carnibuſque (quod S. Benedictus Aquinenſi clerico, ſimili dæmone infeſtato, præceperat) in poſterum abſtineret. Hæc auctor anonymus in libello de geſtis S. Auſtregiſili ſcribebat eo tempore, quo Friovala in monaſterio beatæ Bertoaræ recluſa inter reliquas Dei famulas adhuc degebat. Hæc eſt Bertoara, nobilis genere & religione femina, quæ, referente Jona in actis Euſtaſii abbatis, in Bituricenſi urbe puellarum monaſterium ex beati Columbani regula conſtruxit, quod modo collegium eſt canonicorum ſæcularium ad muros urbis, beatæ Mariæ de Salis nuncupatum. Ad hæc in Bituricenſis urbis *ſuburbano* ſeu pago, ut ſubdit Jonas, vir venerabilis Theodulfus, cognomento Bobolenus, tria alia monaſteria ſub eadem regula condidit, religione florentia; primum in inſula ſupra fluvium Milmandram *, ubi religioſorum congregationem adunavit: alterum, Gaudiacum nomine, haud procul a fluvio Albeta *: tertium Chriſti virginum apud Caramtomum, ſupra fluvium jam dictum Milmandram. Inſuper quartum itidem virginum juxta Nivernenſe opidum ſub eadem regula conſtruxit. Ex his quatuor monaſteriis duo tantum ſuperſunt, Caramtomenſe * & Nivernenſe ſub titulo beatæ Mariæ, Ordini ſancti Benedicti etiam nunc ſubjecta.

Bituricenſia monaſteria.

* *la Marmande.*

* *l'Anbois.*

* *Charenton.*

LVII. Amandus fit monachus & reclulus.

Eodem fere tempore Amandus, is qui poſtea Trajectenſem ad Moſam epiſcopatum adeptus eſt, divino ſe ſe cultui mancipavit, primum quidem in Ogia inſula, deinde in Turonico ſancti Martini monaſterio, nbi tum monachi ſub abbate verſabantur; poſtmodum privata cellula incluſus apud Bituricas, Auſtregiſili mox laudati pontificatu. Ortus eſt in pago Herbatilico * propre Namnetas, & quidem chriſtianis & claris genere parentibus, Amantio & Serena. Vir tantus, ut ejus nativitas, quæ circiter annum ſuperioris ſæculi octogeſimum-nonum contigit, in pervetuſtis quibuſdam martyrologiis, puta monaſterii ſancti Martini Tornacenſis, nonis Maii conſignetur. Vix pueritiam egreſſus erat, cum in Oiæ ſeu Ogiæ * inſulæ monaſterium, cujus nomen haud proditur, perfectioris vitæ deſiderio ſe recepit, monachis collætantibus, patre vero gravate ferente, qui eum a propoſito, paternæ hereditatis obtentu, revocare conatus eſt. At terrenam hereditatem parvi pendens generoſus adoleſcens, ut ſe a parentum moleſtiis liberum præſtaret, ad ſancti Martini tumulum adiit, &, capillis penitus reciſis, clericatus honorem adeptus, ceteris ejuſdem loci monachis prælucebat. Sed cum locus tam celebris piiſſimo adoleſcenti, latebras cupienti, non bene conveniret; abbatis & fratrum, quibus magnum ſui deſiderium reliquit, permiſſu & benedictione, Bituricas acceſſit ad Auſtregiſilum epiſcopum, a quo benigniſſime acceptus eſt, itidemque a Sulpicio archidiacono, qui Auſtregiſilo poſtea ſucceſſit, re & cognomine Pio. Hinc eorum juſſu Amando juxta eccleſiam, in ſuperiori civitatis muro conſtructa cellula: in qua tribus fere militans luſtris, cilicio tectus & cinere, attrituſque jejuniis & inedia, ſolo pane hordeaceo & aqua contentus perduravit, nempe uſque ad Romanam peregrinationem, de qua in conſequentibus acturi ſumus.

* *Herbauge.*

* *d'Oye*

ANN. CHR. 613.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER UNDECIMUS.

Ab anno Chriſti 613. *ad annum* 627.

I. Theoderici & Brunichildis interitus.

INTEREA Theodericus fratris interitu & parto Auſtriæ regno ferocior, ut eſt ambitio conſortis impatiens, Chlothario regni Francici partem, quæ ad Neuſtriam pertinet, invidebat; & Dentéleni ducatu, quem ei reſtituturum pollicitus fuerat, modo re Theodeberto faveret, repetito, reddere negantem opprimere, regnoque penitus exuere maturabat. Jamque exercitus ipſius, ex Auſtria & Burgundia collectus, in Chlotharii regnum properabat, cum Theodericus ipſe in urbe Mettis ex profluvio ventris interiit inter flagrantis ignis incendia, inquit Jonas, qui eum divinitus percuſſum fuiſſe dicit, ut Chlothario totius regni Francici principatus, quemadmodum Columbanus prædixerat, obveniret. Morte regis comperta, exercitus ſtatim domum revertitur: nec mora Chlotharius Auſtriæ & Burgundiæ regnis, nullo fere negotio, potitur, frendente nequiquam Brunichilde, quæ Sigibertum, ex Theoderici filiis natu maximum, paterno ſolio imponere conabatur. Jonas auctor eſt, Sigibertum collectis copiis obviam Chlothario proceſſiſſe: quem Chlotharius captum peremerit, fratreſque ejus quinque cum proavia Brunichilde, quam primo dedecoroſe camelo impoſitam toti exercitui oſtentaverit, & poſt indomitorum equorum caudis alligatam miſere perire juſſerit. Nec hoc ſupplicio contenti Burgundiones, quibus inviſa jam dudum ejus dominatio erat, oſſa ejus igni cremaſſe dicuntur: quæ poſt modum a quibuſdam collecta, apud Auguſtodunum in baſilica monaſterii ſancti Martini, quam ipſa conſtruxerat, cum cineribus illata ſunt: ubi hactenus ejus ſepulcrum marmoreum viſitur cum loculo plumbeo, in quo ejus cineres cum ſemi-ambuſtis oſſibus aſſervantur. Ejus obitus IV. kalendas Maii in necrologio loci notatur. Regiam magnificentiam indicat etiam præſens baſilicæ ſtatus, cujus fabrica columnis marmoreis fulcitur. Ex quatuor aut quinque filiis, quos Theodericus ex concubinis ſuſceperat, Sigibertus, Corbus, Meroveuſque capti, Chlotharii juſſu interemti ſunt. quartus, nomine Childebertus, annum agens undecimum, concitato equo ſalutem fuga quæſivit, nec uſquam poſtea repertus eſt.

Brunichildis apud S. Martinum ſepulta.

II. Ruſticula abbatiſſa falſo accuſata.

Huc refert Valeſius quod de Ruſticula, parthenonis ſancti Cæſarii Arelatenſis abbatiſſa, Florentius preſbyter eccleſiæ Tricaſtinæ in ejus vita ſcripſit: nempe eam a Maximo epiſcopo, ſcilicet Avenionenſi, & Riccimiro nobili principe apud Chlotharium falſo accuſatam fuiſſe, tamquam occulte regem nutriret, nempe prædic-

tum Childebertum; Riccimirumque Arelare profectum, facta cum epiſcopis Chlotharii juſſu inquiſitione, e ſuis ad regem miſiſſe, qui affirmarent, Ruſticulam manifeſto crimine convictam fuiſſe. Hinc Chlotharius majori furore accenſus, Faraulfo uni de optimatibus ſuis mandavit, eam ut ad ſe adduceret. Hæc vero ſancti Cæſarii præceptum regulæ obtendens, ſanctimonialium e monaſterio egreſſum interdicentis, aiebat mori ſe malle, quam pii patris interdictum violare. Tum Nymphidio civitatis principi nomine regis a Faraulfo imperatum, ut eam e monaſterio per vim abſtraheret. Ille vero, qui virginem ſanctam magnopere venerabatur, eam cum lacrymis obteſtari cœpit, ut ſe hinc educi pateretur, ne capitis periculum in ſe ambos accerſeret. Hæc itaque obteſtationi cedens, ab ovili ſancto abſtrahitur, & in cella monaſterii, quod in eadem civitate ſitum erat, cuſtodiæ mancipatur, poſt ſeptem dies inde educta, ut ad regem perduceretur. Hanc injuriam dolens ſanctus ejuſdem civitatis antiſtes Domnulus, ad regem feſtinato acceſſit, eumque reprehendit, quod piiſſimam & innocentiſſimam abbatiſſam falſo crimine damnaviſſet. Mox duo comites a rege miſſi, qui reverenter eam ad ſe perducerent, & in via rebus neceſſariis inſtruendam curarent. Cum in regis conſpectum veniſſet, quærente rege coram optimatibus ſuis, an vera eſſent, quæ ſibi de ea nuntiata fuerant; Deum innocentiæ ſuæ teſtem appellavit, & tantum ſe facinus ne cogitaſſe quidem, nedum feciſſe jurejurando affirmavit. At rege nihilo minus hæſitante, Ruſticula filii ejus mortem prædixit, quem hiſtorici noſtri omnes ignotum habent. Abſoluta demum abbatiſſa dimittitur, & in ſuum monaſterium honorifice reducitur, omnibus in gaudia effuſis, ſed maxime puellis ſacris, quæ piam matrem ſibi ereptam inconſolabiliter lugebant.

III. Chlotharius ad ſe invitat Columbanum.

Adepta regni Francici monarchia, Chlotharius, Columbani vaticinium in ſe completum videns, venerabilem Euſtaſium, qui Luxovienſe monaſterium ejus loco regebat, ad ſe accerſit, eumque cum ſupplemento publico & nobilium virorum comitatu in Italiam mittit ad Columbanum, ut ei reditum in Galliam perſuaderet. Viſo Euſtaſio ſummopere recreatus Columbanus, poſt aliquot dies, commendata regulæ accurata diſciplina, eum a ſe dimiſit, regique ob ſummam ejus dignationem quam maximas gratias agere juſſit, ſeque apud eum excuſare, quod ejus invitatu in Galliam non rediret. id unum orare, ut filios ſodaleſque ſuos, qui Luxovium incolebant, regali favore ac præſidio foveret. Eidem etiam litteras ſcripſit caſtigatorias, quas rex, veluti benevolentiæ & amicitiæ pignus, reverenter accepit. Dein omni præſidio ac ſubſidio Luxovienſes fovit, annuis cenſibus d'tavit, monaſterii terminos pro nntu Euſtaſii auxit, & pro regia munificentia neceſſaria quæque fratribus in Columbani gratiam ſuppeditavit.

IV. Columbanus Bonifacio PP. ſcribit de tribus capitulis.

Fervebat ad hoc uſque tempus controverſia de tribus capitulis, quæ pleroſque Hiſtriæ, quoſdam etiam Galliæ Ciſalpinæ epiſcopos afflaverat. Hi Theodelindam primo reginam Langobardorum, dein ipſum Agilulfum regem, poſtquam ab Ariana hæreſi ad catholicam fidem converſus fuerat, in partes ſuas pertraxerant, conqueſti, Theodori Mopſueſteni, Theodoreti Cyri epiſcopi ſcriptorum, & Ibæ Edeſſeni epiſtolæ, quæ tria capitula erant, damnatione, in quinta ſynodo generali ſub Juſtiniano facta, tentatam fuiſſe auctoritatem concilii Chalcedonenſis, in quo tres illi epiſcopi laudati fuerant. Vigilius pontifex principio anxius animi, primo ſynodum quintam rejecerat, tamquam Chalcedonenſi contrariam: deinde approbaverat, quod in ea non de doctrina fidei, ſed tantum de perſonis actum eſſet. Catholici epiſcopi in diverſas abiere partes, aliis timentibus, ne ſynodo Chalcedonenſi hinc fraus fieret; aliis exiſtimantibus hoc compendio eam ſtabiliri, ſi, damnatis tribus capitulis, quæ hæreticis maxime diſplicebant, errantes ad fidem ſynodi Chalcedonenſis revocarentur. Hæc quæſtio an etiam ad Hiberniam permanaverit, non ita liquet. nam quæ hac de re legitur Gregorii Magni [a] epiſtola ad Hiberniæ epiſcopos, Hiſtriæ epiſcopis potius inſcribenda videtur, quibus magis competit querela de perſecutione ſibi ob hanc controverſiam illata. Nihil enim ejuſmodi actum legitur adverſus Hiberniæ epiſcopos: cum Hiſtriæ epiſcopi, tamquam ſchiſmatici, ab eccleſia Romana rejecti ſint. Theodelindam reginam Gregorius ab hac ſecta revocare conatus fuerat, ſcriptis litteris tum ad ipſam, tum ad Conſtantium Mediolanenſem epiſcopum ſynodi quintæ approbatorem, a cujus communione ob eam cauſam hæc ſe removerat. Miſſi ad Theodelindam Johannes abbas cum apoſtolicis

[a] *Greg. M. lib. 2. ep. 36. ind. 10.*

ANN. CHR. 613.

litteris [a], & Hippolytus notarius, ut eam ad catholicam communionem reducerent. Eamdem vero in ſua ſententia, etiam Gregorio mortuo, perſtitiſſe diſcimus ex epiſtola, quam Columbanus abbas ex cœnobio Bobienſi ad Bonifacium papam quartum hoc anno ſcripſit, inſtinctu Agilulfi regis & Theodelindæ, pro damnatione trium capitulorum. In hac epiſtola ſub Palumbi nomine vir ſanctus pontificem om-
„ nium totius Europæ eccleſiarum caput, & paſtorum paſtorem præfatus, ait non eſſe
„ præſumtionis, quod Bonifacio ſcribere audeat, ſed neceſſitatis, ad eccleſiæ ædifica-
„ tionem. quippe dolere ſe de infamia, quæ cathedræ ſancti Petri inuritur, quaſi fi-
„ dem Chalcedonenſis ſynodi deſeruerit. Papæ vigilandum eſſe, ut hanc a ſe propul-
„ ſet infamiam. Non bene vigilaſſe Vigilium papam, quem ſcandali caput eſſe multi
„ aſſerunt. Grande eccleſiæ periculum impendere ex cæcæ proſperitatis ſecuritate.
„ Pontificis eſſe periculum propulſare, ut qui poteſtatem omnia ordinandi habeat,
„ bellum excitandi, duces inſtituendi, & certaminis inſtruendi. Se a rege interpel-
„ latum, ut pontificis auribus ſuggerat, quanto dolore afficiatur ob ſchiſma populi,
„ tum ipſe rex, tum regina, eorumque filius; & dolendum reverà eſſe ac deflendum,
„ ſi in ſede apoſtoſtolica fidei puritas, ut ejus inimici improperant, non teneatur.
„ Precari pro Chriſto, ſubveniat famæ ſuæ, quæ laceratur inter gentes, ne perfidiæ
„ ipſius deputetur ab æmulis, ſi amplius taceat. Hæreticorum receptionem, nempe
„ Eutychis, Neſtorii, Dioſcori, Vigilio, adeoque cathedræ ſancti Petri imputari.
„ quod ſi ita ſit, cur Vigilii cum hac labe defuncti nomen in ſacris recitetur? Jam Bo-
„ nifacii culpam eſſe, ſi id ulterius fieri patiatur. Rogare ſibi indulgeri, quod tam li-
„ bere loquatur. quippe non perſonam apud ſe, ſed rationem valere, & amorem pacis
„ evangelicæ. Se ſuoſque devinctos eſſe cathedræ ſancti Petri; ejuſque tantum ca-
„ thedræ nomine Romam apud ſe magnam & claram cenſeri. Et ideo, inquit,
„ ſicut magnus honor veſter eſt pro dignitate cathedræ, ita magna cura vobis ne-
„ ceſſaria eſt, ut non perdatis veſtram dignitatem propter aliquam perverſitatem.
„ Tamdiu enim poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit. Neſcire ne-
„ minem, ſancto Petro regni cælorum claves traditas: ſed ſi forte ſuperciliosſum, ait,
„ neſcio quid, aut majoris præ ceteris auctoritatis ac in divinis rebus poteſtatis vobis
„ vindicatis; noveritis, minorem fore poteſtatem veſtram apud Deum: quia unitas
„ fidei in toto orbe unitatem fecit poteſtatis & prærogativæ, ita ut libertas veritati
„ ubique ab omnibus detur, & aditus errori ab omnibus ſimiliter abnegetur. Deni-
„ que rogare, ut, quia multi dubitant de fidei ejus puritate, cito tollat hunc nævum
„ de ſanctæ cathedræ claritate. Non enim decere Romanæ eccleſiæ gravitatem hac
„ infeſtari levitatis fama, ut qualibet vi poſſit moveri a ſoliditate veræ fidei, pro qua
„ tot martyres ſuum ſanguinem fuderunt, malentes mori, quam convelli. Hæc ſe ſcri-
„ bere juſſione Agilulfi; eum rogare, rogare reginam, rogare denique omnes, ut,
„ quam celerrime poſſit fieri, fiant omnia unum; fiat ut in patria pax, pax fiat mox
„ fidei, ut omnes deinceps grex fiat unus Chriſti; pontifex Petrum, ac demum pon-
„ tificem tota ſequatur Italia. De cetero ſanctiſſimum papam & fratres rogat, ut orent
„ pro ſe viliſſimo peccatore & ſuis comperegrinis juxta loca ſancta & ſanctorum ci-
„ neres, & præcipue juxta Petrum & Paulum. Hæc ſumma eſt epiſtolæ Columbani abbatis ad Bonifacium papam quartum, paullo quidem pro noſtris moribus liberioris, ſed ex magno ejus in apoſtolicam ſedem ſtudio profecta, in qua meminit alterius epiſtolæ contra Agrippinum neſcio quem ſcriptæ de eodem argumento.

V. Theodelindæ olea Roma miſſa

Ex hac porro epiſtola nemo non videt, Gregorium apud Theodelindam reginam non omnino evicisſe, ut in trium capitulorum damnatione cum Romana eccleſia conſentiret; nec id obtinuiſſe Johannem abbatem & Hippolytum notarium, quos ejus rei cauſa ad eam direxerat. Hic eſt ſine dubio Johannes ille, qui de oleis ſanctorum martyrum, quorum Romæ corpora requieſcunt, tempore, & forte juſſu Gregorii eidem Theodelindæ detulit: cujus rei indicem authenticum, in papyro ægyptiaca ſcriptum, legimus in muſeo illuſtriſſimi Franciſci Settalæ canonici Mediolanenſis, qui eum ex Modoëtiæ baſilica a Theodelinda conſtructa acceperat. Hunc indicem nuperrime typis vulgavit doctiſſimus Muratorius in tomo ſecundo Anecdotorum, cujus initio edidit librum de fide, a me ſuperius [b] deſideratum, auctore Bacchiario, quem monachum fuiſſe in prolegomenis ſuis probat, uti ego, cum necdum ejus tomus prodiiſſet in lucem. Porro prædicta *olea*, vel ex ſanctorum corporibus profluentia, vel ex lampadibus ad eorum reliquias ardentibus accepta erant. Poſterius mihi proba-

a *Greg. M. lib.* 3. *ep.* 4.

b *Anecd. to.* 2. *p.* 191.

[c] *lib.* 8. *n.* 4.

ANN. CHR. 613.

bilius videtur. neque enim veri ſimile, oleum ex tot ſanctorum martyrum corporibus, quot Romæ colebantur, promanaſſe. Ceterum apud Gregorium Turonum epiſcopum legimus, ejuſmodi oleum ex lampade ad tumulum ſancti Martini ardente, immo etiam pulverem ex ejus ſepulcro collectum, pro reliquiis ſacris habitum, acceptumque fuiſſe. Et ipſe Gregorius Magnus gratias [a] agit Leoni exconſuli, ob ſuſceptum ab eo *oleum ſanctæ crucis*. Non alia ergo erant olea illa Theodelindæ reginæ tranſmiſſa, *quæ olea ſancta*, ut in fine indicis legitur, *temporibus domni Gregorii papæ adduxit Johannes indignus & peccator domnæ Theodelindæ reginæ de Roma*, in baſilica ſancti Johannis-Baptiſtæ, quam ipſa Modoëtiæ conſtruxerat, forte repoſita. Sed hæc extra ordinem. Quamquam nonnulla mihi ſuſpicio injicitur, num illa baſilica monachorum ab exordio fuerit, tametſi Paulus Warnefridi, qui ejus originem refert, nullam de monachis mentionem faciat. Illuſtriſſimus cardinalis Baronius [b] ejuſdem Pauli locum refert ex editione Aſcenſiana, multo ampliorem, quam in aliis vulgatis, ubi Theodelindæ ordinatio ejuſmodi legitur: *De rebus ſancti Johannis nullo modo ſe debet aliquis intromittere, niſi tantum ſacerdotes, qui ibi ſerviunt die ac nocte; tantumque famuli & famulæ, qui ibi ſubjecti ſunt, communiter debeant vivere*. quæ verba monachis, an clericis ſæcularibus aptanda ſint, aliorum judicio permittimus.

a *Greg. M. lib. 7. ep. 34. ind. 2.*

Modoëtiæ an monachi.

b *Baron. an. 616. n. 1.*

VI. S. Petri Cantuar. dedicatio.

Ad hunc annum revocanda eſt dedicatio baſilicæ monaſterii ſancti Petri in ſuburbio Cantuarienſi, de qua vetus hæc inſcriptio legitur in Monaſtico Anglicano, æri inciſa: *Antiqua eccleſia præſentis monaſterii dedicata fuit a ſancto Laurentio archiepiſcopo anno Domini ſexcenteſimo tertio-decimo, anno ſexto-decimo ab adventu ſancti Auguſtini in Angliam: quo anno tranſlatum fuit corpus ſancti Auguſtini a loco, quo prius jacuit per ſeptem annos foras, juxta eccleſiam nondum perfectam, in eamdem jam confectam, ac reverenter in porticu aquilonari, ubi modo eſt eccleſia ſanctæ Mariæ, tumulatum fuit: ubi jacuit per quadringentos ſeptuaginta-octo annos, uſque ad annum Domini milleſimum nonageſimum-primum*. quo ſcilicet anno in novam baſilicam cum aliis ſanctis tranſlatum fuit, ut ſuo loco dicemus. Proceſſu temporis hæc baſilica ſancti Auguſtini nuncupata eſt.

VII. Ethelberti & Seberthi regum obitus.

c *Beda lib. 2. c. 5.*

Hoc ipſo anno, teſtante [c] Beda, Ethelbertus rex Cantuariorum poſt regnum temporale, quod quinquaginta & ſex annis glorioſe tenuerat, ad cæleſtis regni gaudia migravit die viceſima-quarta menſis Februarii, poſt viginti & unum annos acceptæ fidei; atque in porticu ſancti Martini intra eccleſiam beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ſepultus, ubi & Berta regina condita eſt. Succeſſit in ejus regnum filius Eadbaldus magno novellæ eccleſiæ detrimento. Siquidem non ſolum Chriſti fidem recipere noluerat, ſed & inceſto nefando pollutus eſt, qualem nec inter gentes auditum Apoſtolus teſtatur, ita ut uxorem patris in thorum ſuum adſciſceret. quo utroque ſcelere occaſionem ad priorem vomitum revertendi dedit eis, qui ſub imperio patris ſui, vel favore, vel timore, fidei & caſtimoniæ leges ſuſceperant. Sed divinam ultionem brevi ſenſit Eadbaldus, qui in amentiam verſus, etiam immundi ſpiritus poteſtati mancipatus eſt. Acceſſit ad ejus infortunii cumulum mors itidem Seberthi [d] orientalium Saxonum regis vere chriſtiani, qui tres filios regni temporalis, ſed non fidei heredes reliquit. Illi enim mox idololatriæ, quam vivente patre aliquantulum intermiſiſſe videbantur, denuo ſe ſe manciparunt, ſubjectiſque populis idola colendi dederunt licentiam. Cumque viderent Mellitum pontificem in miſſarum ſollemniis euchariſtiam populo dare; barbara inflati inſania, ei dixiſſe feruntur: Cur non & nobis porrigis *panem illum nitidum*, (ſic euchariſtiam vocabant) quem & patri noſtro dabas, & populo in eccleſia porro dare pergis? Quibus Mellitus: Si vultis, inquit, fonte illo ſalutari ablui, quo pater veſter ablutus eſt, poteſtis etiam panis ſancti, ſicut ille; fieri participes: ſin minus, nequaquam vobis eum percipere licet. Illi vero nec fonte illo ſibi opus eſſe, ſed pane illo refici ſe velle. Negante epiſcopo id fieri poſſe; ut abſque purgatione ſalutaris lavacri quis oblationi ſacroſanctæ communicet; illi demum furore perciti dixerunt, ſi nollet in re tam facili ſibi aſſentire, nec ſe etiam velle, ut is in ſua deinceps provincia demoraretur: abiret proinde quantocius cum ſuis e toto regno.

Anglorum infauſta mutatio.

d *Id. ibid.*

Mellitus & Juſtus ex Anglia pulſi.

Expulſus hoc modo epiſcopus in Cantiam venit, cum Laurentio & Juſto epiſcopis tractaturus, quid in tam lubrica & difficili occaſione agendum eſſet; viſumque eſt illis communi conſilio, ſatius eſſe, ut omnes in patriam redirent, libera Deo mente ſervituri, quam inter barbaros fidei rebelles ſine fructu reſidere. Diſceſſere

ANN. CHR. 613.

itaque primo Mellitus ac Juſtus, atque in partes Galliarum ſeceſſere, iſtic rerum eventum ac finem præſtolaturi. Quantum inde ceperit detrimenti chriſtiana religio, quivis facile æſtimare poteſt. Principes rejecto veritatis præcone, in apertam idololatriam prolapſi, etiam populos, qui regis ad exemplum ſe fingere ſolent, in defectionem, aut in ſceleratos mores traxerunt. Mox ruere in pejus omnia, & ipſi etiam principes in excidium ire præcipites. nam egreſſi contra gentem Geviſſorum in prœlium, omnes pariter cum ſuis copiis corruerunt: ſed nec tamen, licet auctoribus e medio ſublatis, excitatum ad crimina vulgus emendari potuit, nec ad puritatem fidei chriſtianæ revocari.

Laurentius diſceſſurus prohibetur

[a] Beda ibid. c. 6.

Interim Laurentius[a] Mellitum & Juſtum ſequi, ac Britanniam deſerere conſtituit; juſſitque pridie quam diſcederet, in ſuburbana beatorum apoſtolorum Petri & Pauli eccleſia ſibi ſtratum parari. Ibi in quiete beatiſſimi Apoſtolorum principis ſpecies ei viſa dicitur, multis illum flagellis corripientis, eccur gregem, quem ſibi ipſe crediderat, ſic relinqueret; vel cui oves Chriſti, in medio luporum expoſitas, fugiens ipſe dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro iis, quos mihi Chriſtus in ſui amoris ſignum commiſerat, vincula, verbera, carceres, mortem denique ipſam, & quidem mortem crucis perpeſſus ſum? His tum verbis, tum verberibus correptus Laurentius, diluculo venit ad regem, & retecta veſte verberum plagas ei oſtendit. qui, cauſa intellecta, magnopere timuit, & ejurato idolorum cultu, abdicatoque illegitimo connubio, Chriſti fidem ſuſcepit; ſacriſque undis purgatus, eccleſiæ rebus, quantum valuit, in omnibus conſulere ac favere curavit.

Eadbaldus rex Mellitum & Juſtum revocat.

Miſit etiam in Gallias, qui Mellitum & Juſtum ad ſuas eccleſias revocarent; iique poſt annum, quam diſceſſerant, incunctanter ad regis imperium reverſi ſunt. Et Juſtus quidem reverſus ad ſuam Roffenſem eccleſiam, in eamque acceptus eſt: Mellitum vero epiſcopum Londonienſes recipere noluerunt, idololatris pontificibus obſequi malentes. Neque eos ad officium reducere valuit Eadbaldus, cui tanta non erat, quanta patri in eos auctoritas. Perſtitit ille nihilo minus in fide chriſtiana & in accurata divinorum præceptorum obſervatione. Denique in monaſterio ſancti Petri conſtruxit ſanctæ Dei genitricis oratorium, quod Mellitus conſecravit; idemque quaſdam eidem monaſterio fecit donationes, quarum mentio fit in Monaſtico[b] Anglicano.

[b] Monaſt. Anglic. to. 1. p. 18.

VIII. S. Gallus ſanatus cellam condit.

Interim Gallus, quem a ſancto Columbano infirmum apud Alamannos dimiſſum diximus, conſtruendæ dabat operam cellæ, quæ poſtmodum celeberrimum ſui nominis monaſterium evaſit. Huic Columbanus, ab eo in Italiam diſceſſurus, ſacris celebrandis, quamdiu ipſe viveret, interdixiſſe dicitur, quod eum non vero, ſed ficto morbo, & amore illius regionis ibidem retineri exiſtimaret. Columbano inde profecto, Willimarus, pius loci preſbyter, Galli curandæ valetudinis officium commiſit duobus clericis ſuis, Magno ſeu Magnoaldo & Theodoro, quorum opera, ſed maxime Dei ope, perfecte convaluit. Tum, Hiltiboldo ejuſdem preſbyteri diacono indice ac duce, locum in illa eremo invenit ſolitariæ vitæ aptiſſimum, & humanis neceſſitatibus opportunum. Oratione facta, ex virga colurnea crucem fecit, atque in terram defixit: ad quam ſuſpendit capſellam reliquiarum, quam in collo ſolebat geſtare, reliquias beatæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum martyrum Mauricii & Deſiderii continentem. Walafridus Strabo abbas Augienſis auctor eſt, Gunzonis illius provinciæ ducis filiam, nomine Frideburgam, forma excellentem, Sigiberto Theoderici regis filio deſponſatam, in villa Iburningis*, quæ in dextro latere Potamici lacus ſita eſt, a dæmone fuiſſe correptam.

Frideburgam ſanat

* Oberlingen.

qua re ſibi nuntiata, Sigibertum confeſtim duos epiſcopos cum donis regiis ad puellam Deo commendandam, ſanandamque miſiſſe; at re infecta, ad Sigibertum reverſos. Dein Gunzonem, miſſis ad Willimarum litteris, Gallum ut ad ſe adduceret, præcepiſſe; Gallum vero reſtitantem in interiora deſerti uſque ad Rætiam Curienſem penetraſſe, ubi a Johanne diacono, viro juſto & Deum timente, humaniſſime acceptus ſit; ſed demum a Willimaro repertum, atque ad Gunzonem adductum: qui, manu capiti virginis impoſita, fuſis precibus dæmonem ejecerit, & Conſtantienſem epiſcopatum, morte Gaudentii vacantem, ob id ſibi a duce oblatum recuſaverit, interdictum ſibi a Columbano altaris officium obtendens. Verum Gunzonem interim Arbonenſi præpoſito juſſiſſe, nt omnia conſtruendæ viri Dei cellæ neceſſaria ſuppeditaret. Poſt hæc, comperta Frideburgæ ſanitate, Sigibertum mandaviſſe Gunzoni, puellam ut ad ſe perduceret. qui cum ingenti ornamentorum mole & congruo comitatu

ANN. CHR. 613.

uſque ad ripam Rheni eam deduxerit, atque inde per comites ad regem, apud urbem Mediomatricum reſidentem, direxerit. Et Frideburgam quidem eo, quo ſponſum decebat, gaudio & amore exceptam eſſe; Gallo autem, qui in ſaltu publico, inter alpes Ræticas & lacum Brigantinum poſito, prope Arbonam commorabatur, locum ubi habitare cœperat, ob redditam ſponſæ ſanitatem a rege donatum, cum regio diplomate & auri libris duabus, totidemque argenti; dato Gunzoni præcepto, ut, ſi Gallus hanc ſolitudinem cum diſcipulis ſuis vellet incolere, ad ædificandam cellam neceſſaria ei præberet. Dein convocati dicuntur ad nuptias ſacerdotes & principes, omniaque parata. Frideburga die nuptiis deſtinato, cum duobus viris totidemque puellis, majorem ſancti Stephani eccleſiam ingreſſa; & poſt januas templi ſecedens, depoſita veſte regia, habitum propoſiti ſanctioris, id eſt monaſticum, ſumſiſſe; & ante altare prona, ſanctum Stephanum in ſui voti teſtimonium invocaſſe. Denique regi hac de re admonito, & epiſcoporum conſilium ſciſcitanti, Cyprianus Arelatenſis ſuaſiſſe fertur, ne puellæ votum irritum faceret. Itaque Sigibertus, ut erat religioſus & Deum timens, beati Stephani eccleſiam ingreſſus, puellam ad ſe accedere, ac bono animo eſſe juſſiſſe; inhærentemque cornibus altaris, ne vi ſcilicet ab eccleſia abſtraheretur, epiſcopis præcepiſſe, ut eam ad ſe adducerent. tum veſte regia injecta, ſacroque velamine impoſito, ſic eam affatus: Ego quidem te, licet connubio meo deſtinatam, tamen quia ſic animo tuo inſedit, ſponſo cæleſti domino Jeſu-Chriſto lubens trado. His dictis, dexteram ejus apprehendens in altari depoſuiſſe, regreſſuſque non ſine lacrymis in palatium, eamque iſtuc vocatam juxta ſe ſedere juſſiſſe, ac demum donis ingentibus oneratam Mettenſi beati Petri parthenoni eam præfeciſſe. Tota hæc Walafridi narratio eruditis viris non immerito ſuſpecta, Valeſio omnino ſabuloſa videtur. nam, ut alias rationes mittam, Sigibertus exſtincto Theoderico patre vix duodennis, potius de fuga & ſalute ſua, ut ſcilicet Chlotharii manus effugeret, quam de nuptiis cogitare potuit. Et quidem ſtatim a morte patris in Germaniam ad Toringos, aliaſque gentes tranſrhenanas profectus, inde in Burgundiam reverſus ad cogendas copias, poſtremo in campis Catalaunicis a ſuis deſertus & proditus; demum a Chlothario captus, cæſuſque eſt. Ad hæc nullus per ea tempora legitur Cyprianus epiſcopus Arelatenſis; nec Frideburga tunc ſancti Petri parthenonis, ſed Waldrada abbatiſſa. Neque hæc narratio tribui poteſt Sigiberto Dagoberti filio, qui ineundo conjugio habilis non fuit vivente Gallo. Viderint alii, an Sigiberto orientalium Anglorum regi convenire poſſit, homini bono ac religioſo, qui dudum in Gallia, teſte Beda [a], dum inimicitias Redwaldi fugiens exſularet, lavacrum baptiſmi percepit, regnante Dagoberto. Ceterum Johannes diaconus ſupra laudatus beato Gallo adhæſiſſe, & ſub ejus diſciplina vixiſſe memoratur; donec, ipſo Gallo Conſtantienſem epiſcopatum recuſante, ejus loco electus eſt.

[a] Beda lib. 3. c. 18.

ANN. CHR. 614.
IX.
Euſtaſius Amatum adducit Luxovium.

EUſtaſius e Bobienſi monaſterio, quo Chlotharii juſſu profectus fuerat, in Galliam rediens, Amatum Agaunenſem monachum ſecum in Luxovienſe monaſterium adduxit. Amatus nobilibus parentibus ex Romana ſeu Gallica ſtirpe, patre Heliodoro ſummæ religionis viro, exortus *in ſuburbano* ſeu pago Gratianopolitano, jam inde a prima ætate Deo in Agaunenſi ſancti Mauricii monaſterio a patre oblatus eſt, ibidemque inter ſcholares cum litteris, tum virtute imbutus, primus in bonis habebatur. Poſtquam per annos triginta monaſticis regulis ſe totum dediſſet, majoris ſolitudinis ſtudio clam e ſæptis monaſterii egreſſus, haud procul in devexam excelſiſſimi montis rupem ſe abdidit. Tum anxie a fratribus abbatis juſſu quæſitus, obſervatis inter periculoſos ſcopulos ipſius veſtigiis, vix tandem repertus fuit. Abbati & fratribus cauſam inopinatæ diſceſſionis ſciſcitantibus, & ut ad ſuum monaſterium rediret flagitantibus: Sinite me, inquit, fratres, in hoc arto locello commiſſa peccata deflere, ac Redemtori meo ſedulo deſervire obſequio. Manſit itaque illo in loco, pane hordeaceo & aqua contentus, quæ ipſi per Birinum monachum poſt quodlibet triduum deferebantur. At miniſtri moleſtiæ compaſſus Amatus, fontem e ſilice baculi percuſſione elicuit, & proprio deinceps labore agellum ad ferendum hordeum in ſuos uſus excoluit, panem ex farina, quam mola terebat, ſibi ipſe parans. Huic veſtis erat ex vervecinis pellibus. Tempore quadrageſimæ quinque nuclei nucum cum parvo aquæ poculo ad quotidianam poſt veſperas refectionem ſufficiebant: interdum ad triduum

ANN. CHR. 614.

producta jejunia. Balneis bis tantum ſingulis annis utebatur, nempe in natali Domini, & in die paſchæ. Cum vero Euſtaſius, ex Italia revertens, Agaunum perveniſſet, quis inter loci illius monachos perfectior, ſanctiorque haberetur, ſciſcitatur. Amatum præferunt omnes, duram hanc vitam in excelſiſſima rupe jam a triennio agentem. Nec mora ad ejus cellam ſubiit Euſtaſius, eique ut ſecum in Luxovienſe monaſterium veniret, perſuaſit.

Burgundoſaram ſanat.

Relicto apud Luxovium Amato, vir ſanctus ad Chlotharium, a quo miſſus fuerat, tunc in ultimis Galliæ ſeu Neuſtriæ ad oceanum finibus degentem, iter perſequitur. Forte arrepti itineris via per ſaltum pagumque Briegium tendebat, ducebatque ad villam Chagnerici nobilis viri, vocabulo Pipimiſium *, ab urbe Meldorum circiter duobus paſſuum millibus diſtantem. Ibi tum Chagnericus cum conjuge ſua Leudegunde commorabatur, filiumque ſuum Chagnoaldum Luxovienſem monachum, qui a Columbano ex Alamannia dimiſſus fuerat, penes ſe habebant, cum filia Burgundofara, quam Columbanus ante quatuor annos Deo ſacraverat. Hæc cum præter ſuam voluntatem juſſu patris jam deſponſata, ac brevi nuptiis alliganda foret, tanto dolore oculorum & febrium igne correpta erat, ut de ejus vita pæne actum videretur. Euſtaſius patrem facti arguit, aitque ejus noxæ eſſe, quod puella in tantum diſcrimen adducta eſſet. At ille factum diſſimulans: O utinam, inquit, ſoſpitati reddatur, ut divino cultui mancipetur! Abſit vero ut ejus votis obſtare velim. Verum Euſtaſius rem propius examinaturus, ad lectum puellæ accedit, & an ſuæ fuerit voluntatis, quod contra beati Columbani interdictum a cæleſtibus votis ad terrena reſilierit, ſciſcitatur. At puella proteſtatur, ſe terrenis votis ex animo nuntium remiſiſſe, paratamque beati viri parere conſiliis. quin etiam virum in ipſa Columbani ſpecie ſe præterita nocte vidiſſe, qui ſanitatem ſibi ab Euſtaſio redditum iri pollicitus ſit. Mox humi ſupplex procumbens Euſtaſius, Deum precatur, ut promiſſum puellæ lumen cum ſalute reſtituat; factoque ſigno crucis ſuper ejus oculos, protinus ei lumen redditur, febriumque ignis exſtinguitur. Tum ſoſpitem & incolumem matri commendat, ut cum ipſe a Chlotharii aula redierit, eam religioſis induat veſtibus; & poſt hæc ad Chlotharium pergit.

X. Hæc nuptias fugit.

Jam vero pater filiam ſoſpitati redditam cernens, promiſſionem Euſtaſio factam parum curans, eam ſponſo tradere conſtituit. quo puella cognito, cum una ſodalium de fuga cogitat, eaque aſſentiente & comitante, ad baſilicam beato Petro apoſtolorum principi nuncupatam confugit. Hinc furens pater eo ſatellites dirigit, qui filiam aut inde abſtrahant, aut reluctantem perimant. Miniſtri lentius patris mandatum, dum ejus ira tantiſper deferveſceret, exſequentes, mortem minitari ſat habuere. At illa: Mortem me, inquit, timere putatis? hic in ipſo eccleſiæ pavimento probate, an re ita ſit. certe nihil mihi optatius fuerit, quam pro hac cauſa vitam ei rependere meam, qui mihi ſuam impendit. Interim Euſtaſius ex aula reverſus, puellam in libertatem aſſerit, &, patre dure increpito, per pontificem illius urbis, nomine Gundoaldum, *religionis veſte* indui, Deoque ſalutaribus votis ac ſacramentis conſecrari curavit. His pater, Euſtaſium reveritus, repugnare auſus non eſt: quin etiam, eo conſentiente, Burgundofara in agro paterno, nomine Eboriaco ſeu Evoriaco, inter fluviolos Mucram * & Albam, in pago Briegio, inſigne monaſterium virginum ædificavit, ſuadente Euſtaſio, qui ſtructuræ monaſterii, ſimulque inſtituendarum ad regulam virginum curam *fratribus*, ſcilicet Chagnoaldo germano puellæ, & Walberto ſeu Waldeberto, qui ipſi poſtea ſucceſſit, delegaſſe a Jona monacho perhibetur. quem locum tranſſcribens Hildegarius in libello de vita ſancti Faronis epiſcopi, deceptus vocabulo fratrum, quo Jonas monachos deſignaverat, temere aſſeruit, Gundoaldum epiſcopum cœnobii ſtructuræ procuratores deputaſſe fratres Faræ, Chagnoaldum & Waldebertum, qui poſt Gundoaldo ipſi ſucceſſerit:

Monaſterium ædificat.

* *le Morin.*

* Pipimiſium nonnulli putant eſſe vicum *Poiſſy*, ſupra Meldos ſitum ad Matronam, una fere leuca diſtantem a Meldica urbe, cui vico adjacet, fluvio intermedio, Trajecti portûs parœcialis eccleſia, ſancto Petro dicata. Aſt Gallicus vitæ ſanctæ Faræ interpres ex veteri traditione Pipimiſium reddit *Opigny*, qui locus, nunc redactus in ſimplex prædium ruſticanum, pertinet ad monaſterium ſanctæ Faræ. Hinc non longe abeſt eccleſia ſancti Petri, in loco *Bregy* vulgo appellato, cum prioratu abbatiæ Reſbacenſi ſubjecto: quæ forte illa ſit ſancti Petri baſilica, ad quam ſancta Fara confugiſſe dicitur, infra. Priori loco melius convenit & analogia Gallica Pipimiſii nominis, & diſtantia ab urbe. At Jonas, homo extraneus, facile errare potuit in aſſignanda loci accurata diſtantia; & pleraque prædia, poſteriori loco vicina, ad Meldenſem eccleſiam pertinent, ex dono ſcilicet ſancti Faronis, beatæ Faræ germani. Forte Pipimiſium olim vernacule dicebatur, *Am-Pimy*, quod deinde *Opigny* corrupte vocatum ſit.

ANN. CHR. 614.

rit : cum e contrario certum ſit, non Gundoaldum, ſed Euſtaſium ejus rei curam Chagnoaldo & Waldeberto impoſuiſſe ; & Waldebertum nec Faræ germanum, nec epiſcopum umquam, ſed monachum primo, deinde, mortuo Euſtaſio, Luxovienſis monaſterii abbatem ad obitum uſque fuiſſe conſtet. In martyrologio Farenſi, ab annis circiter quingentis ſcripto, notatur VII. *kalendas Novembris, Eboriacas monaſterio, quod dicitur Brige, abrenuntiatio militiæ ſæcularis beatiſſimæ Faræ virginis, & conſecratio ejus a Gundoaldo Meldenſi epiſcopo.* Hoc porro monaſterium, quod beatiſſimæ Virginis & ſancti Petri apoſtoli patrocinio nuncupatum eſt, a loco Eboriacenſe, a pago Brige ſeu Brigenſe apud Bedam, poſtmodum ab auctore Faræ-monaſterium * appellatum eſt, tantæ ab initio, uti etiam nunc, celebritatis, ut Angli filias ſuas in illo, uti & in Calenſi & Andilego monaſteriis, inſtituendas, Deoque conſecrandas tradiderint : quas inter Saëtrudis, Annæ Anglorum occidentalium regis privigna, & ejuſdem filia Æthilburga, ob eximias virtutes, altera poſt alteram, ejuſdem monaſterii abbatiſſæ exſtitere : ne quid dicam de Earcongota, Earconberti Cantiorum regis filia, quam Beda in monaſterio Brigenſi, quod Fara condiderat, monacham fuiſſe tradit. In vulgato ſuo teſtamento, quod nonnulli abſque legitimo fundamento rejiciunt, Burgundofara fratres ſuos Chagnoaldum & Burgundofaronem agnoſcit, alterum ex monacho poſtea Laudunenſem, alterum ex laïco Meldenſem epiſcopos : atque ut Burgundofara Fara, ſic etiam Burgundofaro dictus eſt Faro, quem quia Jonas de Chagnerici parentis familia differens prætermiſit, quidam Chagnerici filium, & Chagnoaldi atque Faræ germanum fuiſſe in dubium, ſed immerito, revocarunt. Faranam & Afaranam vocat Eccardus comes in ſuo ipſius teſtamento [a] apud Perardum : in quo quædam prædia legat in « baſilica, quæ dicitur Alba, Deo & ſanctæ Mariæ & ſancto Stephano & ſanctæ Fa- « ranæ, ad faciendum in ipſo Afaranæ monaſterio anniverſarium, tum ipſius Eccar- « di, tum Albegundis & Adanæ, atque Bertradanæ abbatiſſæ : ex quibus Albegundis « ejus uxor fuerat, Adana ejus germana monacha in *Afrano*, ut ipſe vocat, monaſterio ; itidemque Bertradana, ut quidem conjicio, ejuſdem loci abbatiſſa, de quibus alias. Eccardus Albam vocat baſilicam monaſterii, quod ad fluviolum Albam ſitum erat ; patroniſque beatæ Mariæ & ſancto Petro in beatæ Faræ teſtamento memoratis adjungit ſanctum Stephanum, cujus eo in loco peculiaris baſilica erat. In hac ſepulta fuit Earcongota virgo, ut ſuo loco [b] videbimus. Monachos canonicorum loco, qui modo ejuſdem monaſterii virginibus inſerviunt in rebus ſacris, ibidem, ſicut & in aliis ſanctimonialium cœnobiis, exſtitiſſe colligitur ex venerabili Beda, laudante *fratres ejuſdem monaſterii, qui aliis erant in ædibus*, a virginum ſcilicet habitatione ſeparatis. Collegiata ejus loci eccleſia canonicorum ſancto Sulpicio epiſcopo conſecrata eſt, forte olim ſancto Stephano ſacra.

* Faremoutier.

a Perard. monum. Burgund. p. 23.

b lib. 13 n. 6.

XI. Euſtaſius Vuaraſcis & Boiis fidem prædicat.

Redeo ad Euſtaſium, qui Luxovium reverſus, ex Columbani præcepto gentes vicinas fidei chriſtianæ elementis imbuere & alere curavit. Waraſci populi erant Sequanorum, ad utramque Dubis * fluvii ripam incolentes, partim ſuperſtitionibus paganicis adhuc imbuti, partim errore Photini Sirmienſis quondam & Bonoſi Narſitani in Dacia epiſcoporum, qui Chriſtum ante Mariam exſtitiſſe negabant, eumdemque nonniſi purum hominem eſſe impie aſſerebant. Hugo Veſontionenſis antiſtes, eo nomine primus, in litteris [c] pro majori eccleſia ſancti Stephani, meminit pagi Waraſci, eique Terceniacum villam attribuit. Iiſdem erroribus infecti erant Bajoarii Germaniæ populi, qui in Norico conſedere multo poſt Boios, quos Jonas & ſcriptor vitæ ſanctæ Salabergæ cum Bajoariis [d] perperam confundunt. Utroſque populos, Waraſcos nimirum & Bajoarios, Chriſto lucrari tentavit Euſtaſius : & Waraſcos quidem, utpote viciniores, primum aggreſſus, comitante Agilo monacho, eos facili negotio ad rectam de Chriſto fidem convertit : at Bajoarios non ſine multo labore ab inolito revocavit errore ; ſed plurimis demum ex illis chriſtianæ fidei myſteria, in primis æternam Chriſti Domini generationem perſuaſit ; ceteros ſagacibus viris a ſe delectis erudiendos dimiſit, Luxovium reverſurus.

* le Doux.

c Chifflet Tournu p. 355.

d V. Valeſ. lib. 24. rer. Franc.

XII. Salabergæ lumen reddit.

Cum vero inde pedem referret, forte divertit in domum cujuſdam prænobilis ac locupletis viri, nomine Gundoini, illuſtri Francorum genere progeniti, qui tunc in vico Moſa una cum Saretrude, paris nobilitatis uxore, & cum univerſa familia ſua commorabatur. Moſa vicus, a fonte fluvii cognominis ſic dictus, inter Lingonas & Tullum-Leucorum poſitus eſt, in confinio ſcilicet Burgundiæ & Auſtriæ

ANN. CHR. 614. regnorum, quorum alteri Lingones, alteri Leuci, adeoque Tullum-Leucorum attribuebantur. Eo in vico, qui a Luxovienſi monaſterio aberat millibus paſſuum fere quadraginta, Euſtaſius a Gundoino, veluti cæleſte munus, gratiſſime acceptus, de liberis ejus percontatur, rogatque ut omnes ad ſe adduci jubeat. Mox ille duos bonæ indolis adoleſcentulos, nempe Leuduinum natu majorem, qui proceſſu temporis monachus primum, dein Tullenſis epiſcopus fuit; & minorem, nomine Fulculfum, quibus Bodo cognomen erat, ad virum Dei accerſit; interrogatuſque, num alia ſibi proles adhuc ſupereſſet, præter hos ſe puellam habere dicit, ſed dudum luminibus orbatam. Et Euſtaſius: Veniat, inquit, & illa. quam cum vidiſſet, an ad cultum divini timoris adſpiraret ſciſcitatur. Hæc vero, quatenus juvenilis ferebat ætas, ſe ad divinum cultum pro modulo paratam eſſe reſpondit. Tum ille, triduano præmiſſo jejunio, ſuper oculos puellæ benedictionem infundit, eique priſtinum oculorum uſum incunctanter reſtituit. Hæc eſt Salaberga, Jonæ Adalberga, piiſſima femina, primo nuptiis ſemel & iterum alligata, nempe cum Richramno, poſtea cum Blandino, cognomento Baſone, viris nobilitate clariſſimis, ex quorum poſteriori quinque liberos ſuſcepit; dein conſilio Waldeberti Luxovienſis abbatis monaſtica veſte induta, cœnobium virginum condidit in confinio duorum Burgundiæ & Auſtriæ regnorum, ut inferius dicturi ſumus.

XIII. Agilum ſanat. Euſtaſius inde progreſſus, cum Luxovium verſus iter perſequeretur, Agilo monacho, vehementi febre pulſato, fuſis pro eo precibus, priſtinam ſtatim ſoſpitatem reddidit. Is eſt Agilus ſeu Agilis, nobiliſſimis natalibus ex primis palatii Burgundici optimatibus, Portenſi ad Ararim territorio, & quidem in vico Honoriſiaco exortus, patre Chagnoaldo, Childeberti regis conviva & conſiliario, & Deuteria ejus conjuge ex præclara Burgundionum proſapia: qui filium ſuum Agilum beato Columbano benedicendum obtulerunt, ejuſque hortatu puerum Deo conſecrarunt in monaſterio Luxovienſi. Hunc autem abbas ſanctus Euſtaſio commiſit erudiendum cum aliis nobilium virorum filiis, in primis Chagnoaldo, Ragnachario, Achario & Audomaro: qui omnes monachi pietate inſignes, & præſtantiſſimi antiſtites fuerunt, ſcilicet Chagnoaldus Lugduni-clavati, Ragnacharius Auguſtanæ prope Baſileam urbis tum epiſcopalis, Acharius Veromandenſis & Noviomagenſis, Audomarus Teruanenſis & Bolonienſis. Eumdem Agilum Columbanus ad Brunichildem & Theodericum in palatio, quod Brocariacum vocabant, tum reſidentes, miſiſſe dicitur, ut Brunichildem placaret, Luxovienſibus ob negatum feminis in monaſterium ingreſſum maxime infeſtam; idemque Agilus Wandaleni ducis nepoti, cui ob diſtrictum in ipſum enſem manus diriguiſſe fertur, dextram reſolviſſe, ob idque cum favore ac muneribus regiis revertiſſe in munaſterium, in quo juvenis ille facti pænitens, & miraculi in ſe ipſo facti admirator & præco, monaſticam vitam amplexus ſit. Id vero ſancti Agili vitæ ſcriptor ait, ſe didiciſſe ab ipſo Donato Wandaleni ducis filio, qui ex monacho Veſontionenſis poſtea epiſcopus factus eſt. Redditus itaque ſuis Euſtaſius, non modo monachos ad accuratam regulæ obſervationem, & religioſum fervorem, ſed etiam vicinos populos ad ſinceram ac ſolidam pietatem commovere & adhortari ſtuduit; curavitque, ut multos ſua facundia erudiret, ex quibus nonnulli, nempe quos modo laudabamus, *eccleſiarum præſules*, exſtiterunt, uti Jonas loquitur, quo hæc ſcribente Agilis (ſic cum vocat) *Resbacenſi cœnobio præſul* exſiſtebat. Ubi vides, Præſulis nomen epiſcopis & abbatibus tum fuiſſe commune.

XIV. Leudemundo epiſcopo mortem deprecatur. Eodem anno Chlotharius Herponem, natione Francum, ſummoto Eudila, Burgundiæ Transjurenſis ducem [a] conſtituit, quem, ut erat juris & æqui amantiſſimus, ferre non potuerunt Aletheus patricius, Leudemundus Sedunenſis epiſcopus, & Herpinus comes, qui malis erant præſidio, & licentia temporum hucuſque abuſi fuerant. Eorum itaque conſilio ab incolis interemtus eſt Herpo, cujus necem rex vindicaturus, cum Bertetrude conjuge Aleſatiam petiit, & in villa regia Marilegio * de cæde Herponis quæſtionem habuit. In multos facinoris participes gladio animadverſum. Interim Aletheus patricius, ſive meritam pravo conſilio pœnam metuens, ſive Burgundiæ regnum affectans, in necem regis conſpirat cum Leudemundo Sedunenſi epiſcopo, quem ad Bertetrudem reginam miſit, ſuadendi cauſa, ut hæc, quando ipſe Chlotharium eo anno ſine dubitatione moriturum ſciret, Sedunos in urbem ſuam, natura loci munitiſſimam, cum regiis gazis ſe reci-

a *Fredegar. capp.* 43. 44.
* *Marleim.*

ANN. CHR. 614.

peret ; Aletheum patricium, ipſam in matrimonio accipere, dimiſſa uxore ſua, paratum eſſe, qui, quoniam regio Burgundionum genere ortus erat, poſt Chlotharii mortem facile regnum occupare poſſet. Hoc audito, regina, viri ſui amantiſſima, id quaſi a vate dictum exiſtimans, profuſis lacrymis ſe ipſa conficiens, regi doloris ſui cauſam prodere nolebat ; ſed is tandem ab ea extorſit. Leudemundus vero de ſe actum eſſe non dubitans, Luxovium ad Euſtaſium abbatem, quem Chlothario acceptiſſimum eſſe ſciebat, confugit, eoque deprecatore a rege clementiſſimo veniam impetravit, Aletheo capitis damnato.

XV. Vuinebaudus abbas Lupi epiſcopi reditum ab exſilio impetrat.

Quod Euſtaſius pro reo & nocente, hoc Winebaudus abbas fecit in gratiam ſancti & innocentis epiſcopi Lupi Senonenſis, cujus ab exſilio regreſſum ab eodem rege obtinuit. Ubi primum Burgundiæ regno potitus eſt Chlotharius, mox Farulſum quondam ducem ad pagum Senonenſem, aliaſque ordinandas provincias a latere ſuo direxit. Is ubi Senonas advenit, indigne tulit, quod Lupus epiſcopus ſibi cum muneribus non occurriſſet. Reponente epiſcopo, ſacerdotis eſſe alios regere, & proceres ad epiſcopum accedere debere, divinis ab eo præceptis inſtruendos ; amplius inde exacerbatus Farulſus, ſanctum antiſtitem fictis apud regem criminibus inſimulat, adjuncto ſibi Madegiſilo ſuburbani ſancti Remigii monaſterii abbate, qui pii epiſcopi ſedem occupare moliebatur. Utriuſque criminationibus commotus Chlotharius, ſanctum antiſtitem in Vinemacum * Neuſtriæ pagum relegari juſſit ſub cuſtodia Boſonis Landegiſili ducis pagani, qui eum in vico Andeſagina *, ſito ad flumen Auciam ſeu Augum, in actis ſancti Walarici Auvam, (quod modo Breſlam * appellant, veteri nomine in opidum Augum * tranſlato) ſtricte obſervari curavit. Erant adhuc eo in loco profana delubra, quæ a decurionibus colebantur, haud dubie ipſius Boſonis juſſu : quem vir ſanctus, reddita cæco homini luce, a paganiſmi tenebris ad veram Chriſti lucem adduxit, & eum multis aliis baptizavit. Interea Senonenſes, gravate ferentes paſtoris ſui abſentiam, in baſilica ſancti Remigii Madegiſilum abbatem, tanti ſacinoris reum, trucidant. Florebat tunc temporis apud Tricaſſes Winebaudus, baſilicæ ſancti Lupi ejuſdem urbis quondam epiſcopi abbas, quem ob eximiam ſanctitatem apud Chlotharium regem plurimum auctoritate valiturum Senonenſes non dubitabant. Hunc eorum impulſu & propria ſponte adiit Ragneſilus Senonenſis eccleſiæ archidiaconus ; rogavitque ſuo & Senonenſium civium nomine, ut inſontem epiſcopum Chlothario reconciliaret. Fecit vir ſanctus quod rogatus erat. Regem adiit in villa regali Alento non longe ab urbe Rotomagenſi. Rex facile a ſancto abbate ſe exorari paſſus eſt, ſanctumque antiſtitem eccleſiæ ſuæ reſtitui juſſit, data etiam ad Winebaudi preces reis libertate, qui in carceribus tenebantur. Winebaudus abbas loco Auderici abbatis ſucceſſerat in regimine baſilicæ ſancti Lupi epiſcopi ad muros Trecenſes, quæ baſilica jam dudum canonicis regularibus ceſſit. Suburbanum ſancti Remigii apud Senonas cœnobium, ſanctis Mauricio, ejuſque ſociis primitus nuncupatum, incertæ nobis eſt originis. Inſtauratum fuit a Ludovico Auguſto ; inde in vicum Wallilias *, paſſuum millibus circiter viginti ab urbe diſſitum, tranſlatum ab Aldrico epiſcopo, poſtea denuo ad priorem ſedem, demum a Calviniſtis everſum : cujus menſa, ut vocant, abbatialis miſſionariis clericis, conventualis Senonenſi ſancti Petri abbatiæ unita eſt.

* le Vimeux. * Auſene. * la Breſle. * la ville d'Eu. * Varilles.

XVI. Concilii Pariſienſis decreta pro monachis.

In concilio ſexto Pariſienſi, quod eodem anno Chlotharii regis ſollicitudine convocatum fuit ad reſtituendam in Francorum regno eccleſiaſticam diſciplinam, quæ per ſuperiores bellorum procellas aliquantum labefactata fuerat, ſtatutum eſt canone octavo, ut decedente abbate vel preſbytero, ceteriſque, qui per titulos deſer- «
viunt, bona ab eis relicta nequaquam ab epiſcopo aut archidiacono diripiantur, ſed «
ut cedant in uſum eccleſiæ, cui mancipati erant. Deinde canone duodecimo præ- «
ſcribitur, ut, ſi quis e monachis (quod etiam de ſanctimonialibus decernitur) e «
congregatione ſe ſubtraxerit ad parentes aut ad propriam poſſeſſionem ; ſi ab epiſco- «
po admoniti ad monaſterii ſæpta non redierint, uſque ad exitum vitæ a commu- «
nione ſuſpenſi remaneant ; nec prius ad euchariſtiæ gratiam admittantur, quam ad «
proprium ovile cum ſumma humilitate & condigna pænitentia reverſi fuerint. Sy- «
nodi decreta peculiari conſtitutione Chlotharius promulgavit, explicatis nonnullis, quæ ad civiles cauſas pertinebant. Sic promulgando canonem tertium-decimum, in quo ſancitum erat de viduis & puellis, quæ *in habitu religionis* in propriis domibus

ANN. CHR. 614.

accepto, poſtea ſe conjugio copulaverint, ut ſuſpenſæ remaneant uſque ad emendationem: ita decretum explicat regia conſtitutio. *Puellas aut viduas religioſas, aut ſanctimoniales, quæ ſe Deo devoverunt, tam quæ in propriis domibus reſident, quam quæ in monaſteriis poſitæ ſunt, nullus nec per præceptum noſtrum competat, nec trahere, nec ſibi in conjugio ſociare penitus præſumat.* Ejuſdem ſynodi decreta confirmata ſunt in ſubſequenti ſynodo incerti loci & temporis, additis quibuſdam ſtatutis, quorum

Item alterius ſynodi.

» unum eſt canone quarto, *ut monachi juxta regulam vivant*, nec ſequeſtrati per cel-
» las habitent vel convivant; & peculiare nullum babeant, ſed, juxta Apoſtolum,
» ſint eis omnia communia, ſicut abbatis vel præpoſiti diſpenſatio juſta perpenderit.
ubi Regulæ nomine intelligi videtur vel regula S. Benedicti, quæ non raro ſimpliciter Regula dicta eſt, vel norma monaſtica, id eſt forma vivendi apud probatos monachos uſitata, ſive ex una, ſive ex pluribus regulis concinnata fuerit. Canon
» quintus præcipit, ut intra ſæpta monaſterii non baptizetur, nec miſſæ defunctorum
» ſæcularium celebrentur, nec ſæcularium corpora ibidem ſepeliantur, niſi forſitan
» permiſſu pontificis. Canon undecimus, ut abbates vel archipreſbyteri abſque culpa
» de eccleſiaſtico miniſterio removeri non debeant, nec præmio ullus abbas vel ar-
» chipreſbyter ponatur.

ANN. CHR. 615. XVII. Columbani obitus.

Poſtero anno Columbanus, poſtquam annum unum in monaſterio Bobienſi jam perfecto explevisset, mortalem vitam immortali commutavit, ibidem mortuus XI. kalendas Novembris, ut ſcribit Jonas, qui nullas ejus mortis circumſtantias refert. Hinc corrigenda Suriana editio & vetera quædam martyrologia, in quibus ejus obitus nono eaſdem kalendas aſſignatur, ut in ſincero Uſuardo, & Adone, quibus præferendus Wandelbertus, qui cum Jona conſentit. Apud Adonem Columbanus multorum cœnobiorum fundator, & innumerabilium pater monachorum exſtitiſſe perbibetur, & quieviſſe *in ſenectute bona.* In carmine ad Fedolium Columbanus ipſe de ſe ipſo ita canit.

Hæc tibi dictaram morbis oppreſſus amaris,
Corpore quos fragili patior, triſtique ſenecta.
Nam dum præcipiti labuntur tempora curſu,
Nunc ad olympiadis ter ſena venimus annos.

ubi ſi olympias pro annis quinque ſumitur, ut quidem ſumi ſolet, annos nonaginta tunc attigerat Columbanus, cum prædictos verſus ſcribebat. Neque hoc inſolens apud Scottos, ut ex ſancti Galli ætate liquet, atque etiam Cummiani epiſcopi, qui natus annos amplius nonaginta-quinque in Bobienſi monaſterio vitam abſolvit tempore Liutprandi regis. Quod attinet ad monaſteria ab ipſo condita Columbano, præcipua fuere Luxovienſe, Anagratenſe & Fontanenſe in Gallia; & in Italia Bobienſe, ubi & ſepultus fuit, & reliquiæ ejus multis pollent virtutibus, ut Jonas tradit; hactenus in arca lapidea ibidem aſſervatæ ſuper altare præcipuum cryptæ ſubterraneæ, cui ad ſiniſtram aræ partem adhæret arca item lapidea, continens reliquias ſancti Cummiani epiſcopi cum epitaphio, in quo tumbam hanc juſſu Liutprandi regis fabricatam fuiſſe legitur. Duæ hinc inde aræ continent reliquias ſanctorum Attalæ & Bertulfi abbatum. Præcipui Columbani diſcipuli fuere Gallus, Euſtaſius, Walaricus, de quibus jam ſæpius egimus, agemuſque deinceps; & præter eos Attala, ejus in Bobienſi regimine ſucceſſor; itemque Deicolus, Leobardus, & Sigiſbertus abbates. nam monachos omnes & ſingulos commemorare non licet. Fallitur, multoſque fefellit perſonatus ille Theodorus, qui Magnoaldum ſeu Magnum Fuſſenſem abbatem ſancti Columbani diſcipulis adjungit, quem ſancti Galli diſcipulum fuiſſe conſtat, Columbano fortaſſe numquam viſum. Probabilior eſt ſententia Hariulfi chronographi Centulenſis, qui Frichorium & Caïdocum, primos ſancti Richarii in vita monaſtica inſtitutores, beati Columbani diſcipulis annumerat.

Monaſteria ejus & diſcipuli.

Jonas primus ejus vitæ ſcriptor.

Librum de vita ejus primus ſcripſit Jonas ſub Attala & Bertulfo abbatibus monachus Bobienſis, quem nonnulli Scotto-Hibernum fuiſſe perperam fingunt, cum, ex ipſo Jona, natalis ejus locus Siguſia * fuerit, urbs nobilis, quondam Taurinatium colonia, a Bobio diſtans centum quadraginta millibus: ubi Attalæ permiſſu, datis co-

* *Suſa.*

mitibus Blidulſo preſbytero & Hermenoaldo diacono, jam monachus genitricem invisit. qui & ſe in Galliam veniſſe, & in Eboriacenſi Faræ monaſterio, atque etiam in Elnonenſi hoſpitatum fuiſſe alibi teſtatur. Abbatem hunc vocat Walarici vitæ ſcriptor, nec fortaſſe alius ſit Jonas abbas ille, qui de vita & miraculis ſancti Johannis abbatis Reomaenſis libros duos compoſuit. Jonas libro de vita ſancti Columbani alterum addit de diſcipulis ejus Attala & Euſtaſio, tum de miraculis in Eboriacenſi parthenone geſtis, quibus acta item Bertolfi ſeu Bertulfi abbatis Bobienſis adjungit. Binos hoſce libros, quos in ternos dividunt quidam veteres codices, nuncupat *Dominis eximiis, & ſacri culminis religione decoratis, religionisque copia fultis, Boboleno & Waldeberto, Jonas peccator.* ubi in præfatione ait ſe meminiſſe, cum ante hoc triennium in Ebobienſi cœnobio moraretur, rogatu fratrum, & Bertulfi abbatis imperio pollicitum fuiſſe, ut almi patris Columbani geſta ſuo ſtilo contexeret, quæ quidem ab iis, qui ea viderant vel audierant, in primis ab Attala & Euſtaſio, venerabilibus viris, ipſe didicerat. Hos ergo libros ſcribere cœpit poſt annum hujus ſæculi quadrageſimum-tertium, qui tertius erat a morte Bertulfi abbatis, cujus mandato hoc opus aggreſſus fuerat. quod in Gallia videtur ſcripſiſſe, certe abſens a monaſterio Bobienſi, ut ipſa ejus verba initio præfationis indicant. Et quidem de Euſtaſio agens ipſe affirmat, ſe hæc ſcribere vivente Eligio Noviomagenſi epiſcopo, qui Chlodoveo juniori non diu ſupervixit. ANN. CHR. 615.

Columbani obitum, etſi longius abeſſet, cæleſti monitu didicit Gallus monachus, qui tum apud Alamannos degebat cum duodenis monachis, quibus manſiunculas circa oratorium a ſe conſtructum diſpoſuerat. Ad eum Columbanus morti proximus baculum ſuum deferri juſſerat, ut hoc ſigno eum ab interdicto celebrandæ miſſæ abſolveret. Ipſo die, quo Columbanus e vivis exceſſit, Gallus, cum fratres abſoluto matutinorum officio quieſcendi gratia lectos repeterent, præcepit Magnoaldo diacono, ut omnia ad ſacræ oblationis myſterium neceſſaria præpararet. nam patrem Columbanum ex hujus vitæ ærumnis ad cæli gaudia migraſſe. Nec mora, paratis omnibus cœperunt miſſas celebrare, & precibus inſiſtere pro commemoratione beati Columbani. Tum miſſo in Bobienſe monaſterium Magnoaldo, intellexit Gallus, ea ipſa hora, qua ipſi revelatum fuerat, ſanctum virum obiiſſe; accepitque a Bobienſibus hujus rei indicem epiſtolam cum cambutta ſeu baculo, quem ipſi Columbanus in pignus abſolutionis & paternæ benevolentiæ cum epiſtola legaviſſe a Walafrido Strabone perhibetur. Gallus Columbani obitum cælitus diſcit.

Si vera ſunt quæ de ſancto Deicolo litteris mandavit ſæculo decimo monachus Lutrenſis anonymus; jam provectioris ætatis erat Deicolus monachus, cum Columbanus e Gallia diſcedere Theoderici & Brunichildis juſſu coactus eſt: adeo ut pedibus debilitatus a Columbano petierit ſupplex, ut ſibi in loco, quem Vepras appellant, haud longe a Luxovio, liceret remanere. Deinde ſecretiora eremi penetrans, ad locum, cui Lutra * vocabulum eſt, veniſſe dicitur: ubi in oratorio ſancti Martini iſtic reperto aliquamdiu conſedit. Mortuo Werſario loci domino, qui viro Dei maxime infeſtus fuerat, Bertildis ejus uxor locum ipſum Deicolo cum adjacentibus prædiis conceſſit, modo ut pro ſalute mariti apud Deum interceſſor exſiſteret; ibidemque vir ſanctus oratoria duo conſtruxit, unum ſub patrocinio beati Petri apoſtolorum principis, alterum ſub nomine ſancti Pauli doctoris gentium. Hanc vero donationem Chlotharius regia auctoritate confirmaſſe, & de ſuo quædam etiam adjeciſſe memoratur. quæ omnia apoſtolico privilegio a Romano pontifice roborari Deicolus Romam profectus obtinuerit. XVIII. S. Deicoli quædam geſta. * Lure.

Deicolo æqualis fuit Leobardus abbas, qui cœnobium Cellenſe, cui nomen a poſteris inditum Cella-Leobardi, tertio a Tabernis * Alſaticis lapide, conſtruxit regnante Childeberto, & anno poſt viceſimo-tertio ſub Chlothario ejus filio ſanctiſſime vitam clauſit. Jodocus Coccius, qui ejus cœnobii monumenta inſpexit, ejus originem non recte refert ad Childebertum ſeniorem, qui numquam Auſtraſiis imperavit: rectius ad Childebertum ſecundum Carolus Cointius, qui Leobardum ſancti Columbani diſcipulis accenſet, nullo tamen certo fundamento. In actis ſancti Bertulfi abbatis Bobienſis mentio quidem fit de Leopardo monacho, ſed qui medio tantum ſeptimo ſæculo Bobii vixit. Theodericus rex, cognomento Calenſis, in regio præcepto pro eodem monaſterio tradit, illud a fundamentis conſtructum fuiſſe a domno Leobardo quondam abbate in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli XIX. Leobardus Cellam conſtruit. * Saverne.

ANN. CHR. 615.

& ſancti Martini, & a Childeberto rege conceſſam terram illam deſertam, quam Leobardus ad excolendum, vel commanendum, præoccupaverat: cujus fines Theodericus rex in ſuis litteris deſcribit. Leobardus in martyrologio Benedictino colitur quinto kalendas Martias. Poſt eum Anaſtaſius monaſterium rexit annis quadraginta: Anaſtaſium excepit Godefridus, Godefridum Leobardus ſecundus, eique ſubrogatus eſt Maurus, cujus rogatu Theodericus Calenſis prædictum diploma conceſſit. quo ex tempore Leobardi-cella Mauri-monaſterium * appellata eſt.

* *Maurmunſter.*

XX. Sigiſbertus auctor monaſterii Deſertinenſis. * *Diſentis.*

Deſertinenſe * in Rætia Curienſi monaſterium inſigne ſancto Sigiſberto abbati originem ſuam refert acceptam, quem Scotto-Hibernum, & ſancti Columbani in Bancorenſi aſceterio primum, tum in Gallicana peregrinatione & expulſione ſocium fuiſſe tradunt. Columbano e Suevia in Italiam digreſſo, Sigiſbertus contra orientalem plagam per excelſa Criſpaltæ montis juga conſcendens, & uſque ad Rheni caput progreſſus, in planitiem quamdam vaſtæ ſolitudinis, quæ ob hoc Deſertina dicta eſt, deſcendit; & ibidem ad radicem montis, (nunc Vaccareciam vocant) unde fons limpidiſſimus emanabat, cellulam ex rudi truncorum & ramuſculorum materia ipſe conſtruxit, adjuncto Deiparæ virginis oratorio. Erant ad id uſque tempus in proximis locis incolæ plerique paganicis ſuperſtitionibus addicti: quos ad veri Dei cultum vir ſanctus exemplo & prædicatione pertrahere non ceſſabat. Hinc profani luci ſuccisi, everſa delubra, & ad ejus preces dejecta proceræ altitudinis arbor, quæ ſacrilegis paganorum ritibus dicata erat. quæ res exitium ei attuliſſet, niſi ſecurim in ipſius caput vibratam, oppoſito crucis ſigno, avertiſſet. Cum his & ejuſmodi operibus ejus fama clarior ac celebrior fieret in dies, vir quidam in illis partibus dives ac præpotens, Placidus nomine, qui in caſtro Tremiſii haud procul ab ejus cella habitabat, audita viri Dei prædicatione, ad ejus pedes ſe abjecit, profuſis lacrymis rogans, ut chriſtianæ fidei ſe participem faceret. quem ipſe amanter ſuſcipiens, ſacrorum myſteriorum doctrina congrue eruditum ſpiritali vitæ lavacro expiavit, ac demum ad perfectiora anhelantem, poſtquam univerſas facultates ac poſſeſſiones ſuas Deo & beatæ Mariæ obtuliſſet, religioſa veſte induit. Creſcente in dies diſcipulorum multitudine, aliud oratorium in honorem beati Martini ædificare viſum eſt, adjunctis circumquaque in cœnobii ſimilitudinem caſulis ad habitationem monachorum, quibus Sigiſbertus virtutibus amplius quam verbo prælucebat. Non tulit tam præclara initia humani generis hoſtis, ſed concitato in ſervos Dei Victore, illius regionis comite ſeu judice, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur, varias eis vexationes arceſſivit. Is enim Diſertinenſes implacabili odio perſequi inſtitit, & omnia illa terrenæ facultatis ſubſidia, quæ Placidus eiſdem contulerat, vi aperta invadere & occupare non dubitavit. Miſſus ad eum Placidus in caſtrum Villingam *, quod trans Rhenum fluvium non longe a monaſterio poſitum erat, nunc dirutum, tyrannum ob injuſtum facinus acri arguit increpatione; & veluti alter Johannes, obſcœni cum femina quadam contubernii crimen ei objecit. Ille vero, ut alter Herodes, in Placidum furere, dato ſatellitibus ſuis mandato, ut eum a ſe diſcedentem in itinere e medio tollerent, amputata cervice, ne quid Johannis-Baptiſtæ ſimilitudini hac in re deeſſet. Non diu tantum nefas impune tulit tyrannus, qui, cum Rhenum ponte pertranſire vellet, delapſus eſt in flumen cum equo & ſervis ſuis, qui omnes voluminibus aquarum decurrentium abſorpti dicuntur. Non multo poſt mitiori mortis genere ad cælum quoque migravit beatus Sigiſbertus, ſepultuſque eſt in tumulo beati Placidi martyris, ut quorum in Domino una mens fuerat, uno etiam amborum corpora loculo tegerentur. Ad eorum vero cineres tot & tanta poſtmodum ſigna facta referuntur, ut magna loco reverentia & religio ex peregrinorum undequaque adventantium frequentia ſubinde acceſſerit. Hæc ex vetuſtis membranis monaſterii Deſertinenſis nobis tranſmiſſa ſunt cum obſervationibus reverendiſſimi domni Adalberti Funſi, ejuſdem loci tunc cœnobitæ, poſtea decani, ac demum abbatis: qui obſervat, in loco, ubi ſanctus Placidus capite truncatus eſt, magnificam olim baſilicam poſitam fuiſſe, quæ ſteterit ad noſtra uſque tempora, quibus magna coacervatæ nivis moles, e vicinæ vallis faucibus erumpens, memoriam martyris cum villa villaniſque miſerabiliter obruit. Ceterum ſubmerſi Victoris cadaver, quem Victorem primum Rætiæ Curienſis comitem a Francorum regibus conſtitutum fuiſſe vir doctus putat; Rheno extractum, Curiæ in monaſte-

Placidus ei adjungitur.

* *Fallingia.*

rio ſancti Lucii poſtea ſepultum ait, epitaphio, barbare, ut ea ferebant tempora, juſſu Victoris nepotis adſcripto in hunc modum. ANN. CHR. 615.

HIC SUB ISTA LAPIDE
MARMOREA QUEM VECTOR
VIR INLUSTER PRESES OR-
DINABIT VENIRE DE TRIDEN-
TO. HIC REQUIESCIT CLA-
RESIMUS VECTOR PROAVUS
DOMNI VECTORIS EPISCOPI.

Plura io conſequentibus de hoc monaſterio, deque Victore & Tellone Curienſibus epiſcopis, qui in eum locum valde munifici exſtiterunt.

XXI. Attala ſancti Columbani ſucceſſor apud Bobium.

Mortuo, uti diximus, ſancto Columbano ſuffectus eſt in regimine cœnobii Bobienſis Attala, dignus tanto patre filius ac diſcipulus. Is ex nobili Burgundionum genere procreatus, Arigio Vapincenſi epiſcopo liberalibus ſtudiis imbuendus traditur. Dein ſubiit ejus animum pia cogitatio, ut abjectis ſæculi phaleramentis, monaſticum inſtitutum amplecteretur. Mox duobus famulis comitatus, Lirinenſe monaſterium petiit, cui tunc Cono abbas præerat, ſuperius landatus. Verum cum eo in loco regularis diſciplina tum laxior eſſet, quod ex Gregorii Magni epiſtola Cononi ſcripta vidimus; ad ſtrictioris propoſiti monaſterium Luxovienſe pius adoleſcens ſe contulit, ubi ſub Columbano præceptore miros in ſeveriori virtutis palæſtra progreſſus fecit. Pulſo inde Columbano, ſucceſſor ab eo ibidem deſignatus, non tamen acquievit, ſed amantiſſimum patrem adire maluit ad Bobienſe monaſterium, quod eo mortuo regendum ſuſcepit. Verum cum ejus loci monachi jam ſolutiores ſeveriorem, ut ipſis videbatur, ejus diſciplinam ferre non poſſent, nec ipſe ſalutaribus quibuſque monitis ac remediis eorum animos emollire ac retinere valuiſſet; cum jam ſe nihil proficere animadverteret, pertinaces abire ſivit, ut ceteros ab eorum labe præſtaret immunes. At illi non diu inulti, alii maris fluctibus abſorpti ſunt; alii in eremum profecti, cum Attalæ detrahere perſeverarent, meritas brevi dedere pœnas: ex quibus unus, Roccolenus nomine, qui jurgiorum fomenta miniſtrare credebatur, ſubito febrium igne correptus, inter ardentes morbi æſtus clamare cœpit, ſe, ſi revaluiſſet, ad beatum Attalam redire velle, ut commiſſi criminis noxam medicamento pænitentiæ ſanaret. Verum hæc dicentem halitus defecit. Hac ultione qui aderant commoti plurimi, ad virum Dei reverſi ſunt, emendationem pollicentes. quos vir ſanctus, tamquam oves e luporum faucibus ereptas, miro gaudio recepit, eoſque culpam agnoſcentes ſuam in priſtinum locum reſtituit. Qui vero vel præ verecundia, vel arrogantia obſiſtenre, ad officium redire noluerunt, vario mortis genere divinitus puniti ſunt: quos inter Theodemundus ſecuri percuſſus interiit: alius, dum exigui amnis alveum tranſiret, irretitis poplitibus in undam lapſus, ſuffocatuſque: tertius, qui Theutarius dicebatur, cum mare trajiceret, undis itidem ſubmerſus eſt. Forte Bobius fluviolus eo uſque aquis exundantibus excreverat, ut molendini fabricam jam prope ſubvertere minaretur. Admonitus hac de re abbas ſanctus, accito Sinoaldo diacono: Vade, inquit, ad Bobium, & impoſito ripæ baculo hoc quo ſuſtentor, facto ſigno crucis, tumentis fluvii aquas in diverſa latera fluere præcipe. Mox ad viri Dei imperium diſcipulus obediens, baculum ad ripam defixit, ſignoque crucis impreſſo, ut aquæ pro jubentis imperio diverterent, juſſit: ſtatimque amnis imperio parens, relicto alveo, in ſuperiora collis larera aquas ſubrexit, ſibique alveum, quo flueret, obluctante natura, aperuit. quod miraculum vir Dei, quamdiu ſuperſtes fuit, nemini propalari paſſus eſt. Alio tempore Fraimeticus monachus, cum ad ferenda frumenta vomere tellurem excoleret, ſtivamque confractam reſarcire vellet, ferrameoto ſibi pollicem præcidit. qui ſtatim relicto vomere ad monaſterium reverſus, factum patri ſupplex confeſſus eſt. Tum vir Dei abſciſſi digiti particulam ad ſe afferri juſſit, & ſaliva illitam manui denuo aptavit. Hæc Jonas gravis auctor, ipſius

ANN. CHR. 615. XXII.

Bertichramni episcopi Cenomannensis testamentum.

beati viri miniſterio deputatus, omnium fere oculatus, auritusſve teſtis.

Ad hunc annum revocare licet inſigne teſtamentum Berticbramni Cenomannorum epiſcopi, quod anno Cblotharii regis triceſimo-ſecundo, apud quoſdam non recte viceſimo-ſecundo, VI. kalendas Aprilis conditum eſt. Hoc teſtamento Bertichramnus ampliſſimarum facultatum, quas in diverſis Francici regni provinciis, cum ex paterna hereditate & ex proprio comparatu, tum ex regia Chlotharii liberalitate poſſidebat, heredes conſtituit matrem Cenomannicam eccleſiam, & baſilicam ſuburbanam ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, ubi ſepeliri voluit, ſeu monaſterium de Cultura-Dei, quod a fundamentis conſtruxerat. Multæ etiam aliis monaſteriis & eccleſiis donationes ab eo ſactæ ſunt, ſuperius [a] a nobis, quantum inſtituti noſtri erat, commemoratæ, quas hoc loco repetere ſuperfluum fuerit. Sub
» finem teſtamenti adjurat Cbaimoaldum epiſcopum, ſcilicet Pictavenſem, conſangui-
» neum ſuum, quando eum divina pietas ad ſacerdotale culmen perduxit, ut ſemper
» ſit memor *nutriture*, id eſt educationis ſuæ, & patrocinii ſancti Petri, *unde ad ipſum*
» *onus, Chriſto preſule, ambulavit.* quibus verbis innuere videtur, Cbaimoaldum a ſe
educatum & inſtitutum fuiſſe in monaſterio ſancti Petri, unde ad epiſcopale onus
» aſſumtus ſit. tum eumdem obteſtatur, ut idonea ſepultura, quando ſe Deus ab hac
» luce migrare juſſerit, ſuis manibus cum reliquis domnis & fratribus ſuis coepiſco-
» pis corpuſculum ſuum ſepeliat; & quamdiu in hoc ſæculo ſuperſtes fuerit idem
» Chaimoaldus, ad anniverſariam commemorationem itidem ipſius venire dignetur;
» & domnus abbas & congregatio ſanctorum Petri & Pauli condignum ei honorem
» impendant. Jubet etiam, ut omnes, quos ex ſervis liberos liberaſve conſtituerat,
» in die depoſitionis ſuæ iſtuc conveniant, & oblata nominis ſui ante ſanctum altare
» offerant; & miniſterii, quod olim geſſerunt, univerſi ipſa die meminerint; & ab-
» bati loci illius ſolatinm & obſequium præbeant: quibus in craſtinum uſque abbas
» ipſe ampliſſimam refectionem præbeat. Ceterum ita idem abbas omni tempore
» ad anniverſariam ipſius depoſitionem lumen ſingulis annis provideat, ut alios de-
» lectet loca ſancta pariter maximis rebus ditare. Hæc ex prolixo, ſed præclaro & indubitatæ fidei teſtamento, quod alibi [b] integrum retulimus, obſervaſſe ſufficiat. Pervenit Bertichramnus ad annum ejus ſæculi viceſimum-tertium, ſepultuſque eſt, uti juſſerat, in baſiliea ſancti Petri monaſterii, quod hactenus ſub congregatione ſancti Mauri florentiſſimum eſt, uti & monaſterium ſancti Vincentii, quod a ſancto Domnolo epiſcopo prope muros ejuſdem urbis conditum fuiſſe alias diximus.

[a] *ſupra lib. 7. n. 34. & 35.*

[b] *Analect. to. 3. p. 112.*

ANN. CHR. 616. XXIII.

Virgilius epiſcopus Arelatenſis obit.

SUb idem tempus Virgilius antiſtes Arelatenſis, obitu ſuo præcognito & prænunciato, ex bac vita migravit, magno ſui deſiderio Arelatenſibus relicto. Nempe cum in ſtratu proprio, quaſi ſopori tantiſper indulturus, recubaſſet; dum divinum impleret officium, inter ſacra cantica exſpiravit anno, ſi non fallit vitæ ſcriptor vel exſcriptor, centeſimo viceſimo-ſeptimo ætatis ſuæ. Id ſi admittamus, dicendus eſt ad epiſcopale officium electus jam centenarius, & nihilo minus in illa ætate ea omnia geſſiſſe quæ ab ipſo geſta fuiſſe conſtat: quod ſane parum veri ſimile eſt. Quis vero putet Gregorio Magno, prudentiſſimo pontifici, veniſſe in mentem, ut homini decrepito ſuas vices in Galliis commiſerit? quod quidem munus virum ſtrenuum & actuoſum, non ſilicernium exigebat. Tunica cilicina ad cutem ſemper uſus fuiſſe dicitur, ſeque cum ea ſepeliri voluiſſe; numquam balneas, pro more illius ætatis, frequentaſſe. Singulis noctibos ſolus baſilicas circuibat. quod dum quadam vice faceret, cæco ſibi occurrenti lumen reſtituit. Cum funus per urbem veheretur, mortua puella ipſius feretri contactu revixit. Sepultus eſt in baſilica Salvatoris, quam ipſe conſtruxerat extra muros Arelatenſes, inſtituto ibidem ordine monachorum: quæ baſilica ſæculo undecimo Maſſilienſi abbatiæ ſancti Victoris, poſtea parthenoni Taraſconenſi Benedictinarum virginum tradita, demum religioſæ patrum Minimorum familiæ obvenit: in cujus crypta ſubterranea ipſius ſancti Virgilii, aliorumque Sanctorum, quorum reliquiæ in urbem illatæ ſunt, monumenta cernuntur. Campos Elyſios vocant ob promiſcuam multitudinem ſepulcrorum, qnæ ibidem exſtant.

ANN. CHR. 617. XXIV.

Romarici

POſtquam Amatus, quem ex Agaunenſi monaſterio ſecum Euſtaſius abbas Luxovium adduxerat, aliquantum temporis iſtic exegiſſet, ad Auſtraſios ea qua pollebat prædicationis gratia erudiendos profectus eſt, eo directus a fratribus, ait vitæ ſcriptor

ſcriptor, id eſt a Luxovienſibus monachis, quibus prædicandi ſtudium a majoribus inſitum erat, ut Columbani, Galli, Euſtaſii, Waldoleni, Walarici, aliorumque exempla, jam a nobis adducta, probant. Florebat tunc temporis apud Auſtraſios Romaricus, parentibus in palatio claris, & ipſe non minus pietate illuſtris, ſollicitus Deo quæ Dei ſunt, & quæ regis regi reddere; ſic in monaſteria, in baſilicas ſanctorum, & in pauperes affectus, ut illum diem ſe perdidiſſe crederet, quo aliquod pietatis opus non exercuiſſet. Cum vero Theodericus rex Theodebertum fratrem ſuum, Auſtraſiorum regem, debellaſſet, atque e medio ſuſtuliſſet; Romarici etiam genitorem, quem ipſius Romarici vitæ interpolator Romulfum vocat, eadem ſtrage involvit, atque univerſa ejus bona in fiſci ditionem redegit, excluſo a paterna hereditate Romarico, quod Theodeberto regi fidem ſervaſſet. Romaricus perſequentes fugiens, in urbem Mediomatricum ſe recepit, adiitque ſupplex Aridium Lugdunenſem epiſcopum, cujus ſumma erat in palatio penes Brunichildem auctoritas. Is Romarici precibus, qui eum apud reginam gratiæ conciliatorem habere cupiebat, adeo flexus non eſt, ut ad ſuos pedes proſtratum etiam calce repuliſſe memoretur. At Romaricus ad meliorem efficacioremque converſus patronum, ſancti Martini baſilicam petiit, ſuaſque ad ſanctum confeſſorem preces & querelas depoſuit, ut tandem miſero, qui ſe ei commendaverat, opportunam opem afferret. Mox in urbem remeavit, certus, tamquam accepto cælitus oraculo, de eventu; & poſtera die illuceſcente Theoderici regis interitum accepit; ſtatimque accitus a regina, univerſis bonis ſibi reſtitutis, eidem auxilium ad Chlotharium effugiendum præbuit. Cum vero etiam apud Chlotharium ipſum, ad quem totius regni Francici tum devoluta monarchia erat, plurimum gratia valeret, & ſub laico habitu religioſum gereret animum; ſorte Amatus, ab Euſtaſio prædicandi verbi Dei cauſa ad Auſtraſios miſſus, ad ejus ædes divertit, & cum multa reverentia & condigno honore ab eo ſuſceptus eſt. Huic porro inter epulas flagitanti, ut vir ſanctus de rebus divinis ac ſalutaribus aliquid diceret, captata ex rebus præſentibus occaſione: Cernis, inquit, hunc diſcum argenteum, quot dudum poſſeſſores habuit, ſervos potius dixerim quam dominos; quotque deinceps habiturus ſit. Id vero te admonet, ut ad rationem de rebus tuis reddendam te compares: ne aurum & argentum tuum, quod tandem ſecundum ſcripturam ærugine inficietur, ipſaque utriuſque ærugo contra te ferant teſtimonium. Tum Romaricus Amatum apud ſe aliquot dies remorari petiit, ut de rebus ad ſalutem ſuam pertinentibus ſimul colloquerentur; & audito, unum ſibi ſupereſſe, ut omnibus venditis & in pauperes erogatis Chriſtum ſequeretur; poſt paucos inde dies, Luxovienſe monaſterium cum multarum ſubſtantia rerum, una ſibi villa reſervata, iniit, ſervis ſuis in libertatem aſſertis, quorum pleroſque ſecum adduxit, & vitæ monaſticæ ſocios adſcivit, eiſdem ſubditus, quos dudum miniſtros habuerat. Ita enim humilitatis & pænitentiæ officiis ſe addixit, ut quidquid in monaſterio abjectius agendum eſſet, ſibi aſſumeret. Idem hortos excolendi curam præ ceteris fratribus in ſe ſuſcepit, pſalmis diſcendis reliquum temporis impendens.

ANN. CHR. 617. converſio per S. Amatum.

Si hæc ſancti Martini baſilica, ad quam Romaricus adiit, eadem eſt cum ſuburbana ad Moſellam ſancti Martini baſilica, in qua Sigibertus Auſtraſiorum rex ſanctus, Dagoberti majoris filius, poſtea ſepultus fuit, auctorem non habet illa Sigibertum, ſed ad ſummum inſtauratorem & amplificatorem; cum hoc Romarici factum, ab æquali relatum vitæ ſcriptore, ante natum Sigibertum contigerit. Ceterum baſilicæ vocabulum, quo uſus eſt auctor ille, ſatis innuit jam tum eidem baſilicæ adjunctum fuiſſe monaſterium: cujus primordia ſi quis Sigiberto tribuere malit, per me licet.

S. Martini Metenſe monaſterium.

ANnus ſexcenteſimus decimus-octavus nulla re, quæ quidem ad noſtram notitiam pervenerit, memorabilis fuit. Proximo Laurentius Dorovernenſis a niſtes, regnante adhuc Eadbaldo, regnum cæleſte conſcendit; atque in eccleſia & monaſterio, ſic Beda [a] loquitur, ſancti Petri apoſtoli juxta deceſſorem ſuum Auguſtinum ſepultus eſt die quarta nonarum Februariarum. Librum de ejus geſtis ſcripſit Goſſelinus monachus, necdum a nobis repertum, qui Goſſelinus in hiſtoria tranſlationis ſancti Auguſtini quædam ejus facta præſtringit his verbis. De beato Laurentio dulce eſſet memorare, quomodo mortuum ſuſcitaverit, ſuper undas maris

ANN. CHR. 618. & 619.
XXV.
Laurentii epiſcopi Cantuar. mors.
[a] Beda lib. 2. c. 7.

AN. CHR. 618. & 619.

» pedibus cucurrerit, igne de cælo evocato virtute Eliæ impios conflagraverit, quo-
» modo fontem aridis in locis productum in perpetuum rivum effuderit: qua pœna ar-
» ceatur omnis feminarum acceſſus ab eccleſia, quæ ejus apoſtolatui exſtructa &
» conſecrata eſt in Scotia, ut nuper regina Scotiæ inclyta Margarita, cum oblatio-
» nibus aditum tentare auſa, ſubito ſit perculſa atque repulſa, ſed clericorum prece
» reſtituta. Hæc ille, qui hæc facta alibi fuſius retexenda pollicetur. quod opus, ut jam dixi, necdum in lucem prodiit, nec aliud etiam de Mellito Laurentii ſucceſſore ab eodem auctore exaratum.

Mellitus ejus ſucceſſor.

Mellitus Romanus monachus, novæque coloniæ abbas, quam Gregorius in ſupplementum prioris in Britanniam miſerat, vivente Auguſtino Londinenſis creatus epiſcopus, mortuo Laurentio Auguſtini ſucceſſore, ad ſedem Cantuarienſem tranſlatus eſt, tertius ejuſdem eccleſiæ antiſtes: cum Juſtus Roffenſem eccleſiam adminiſtraret. Præerat tunc Romanæ eccleſiæ Bonifacius quintus, qui anno ſuperiore Deusdedit pontifici ſucceſſerat: idemque *ſcripta exhortatoria*, inquit Beda [a], id eſt epiſtolam Mellito & Juſto, qui magna tunc cura & ſollicitudine Anglorum eccleſiam regebant, direxit, ne ſciſicet inceptum inſtitutum ob incolarum inconſtantiam & protervos mores, uti jam paullo ante tentaverant, desererent. Hæc Bonifacii epiſtola excidit, remque nobis opportunam feciſſet Beda, ſi hanc, uti & aliam ejuſdem pontificis ad Juſtum jam Cantuarienſem antiſtitem, epiſtolam retuliſſet.

a *Beda ibid.*

XXVI. Hiſpalenſis concilii decreta, de monaſteriis non convellendis.

Celebratum eſt eodem anno concilium Hiſpalenſe ſecundum, in quo duo canones magni momenti pro monaſteriis conditi leguntur, decimus & undecimus. In
» priori, poſcentibus monaſteriorum patribus, pari ſententia ſtatutum eſt, ut cœnobia
» nuper condita in provincia Bætica *, ſicut & illa quæ ſunt antiqua, immobili &
» inconcuſſa ſtabilitate permaneant ſolidata. Si quis autem, inquiunt patres, quod
» abſit, noſtrûm, vel nobis ſuccedentium ſacerdotum, quodlibet monaſterium, aut
« vi cupiditatis ſpoliandum, aut ſimulatione aliqua fraudis convellendum, vel diſſol-
« vendum tentaverit, anathema effectus, maneat a regno Dei extraneus: nec profi-
» ciat illi bonum fidei vel operis ad ſalutem, qui *tanta & tam ſalutaris vitæ* deſtru-
» xerit tramitem. Super hoc etiam univerſi Bæticæ provinciæ epiſcopi congregati,
» eumdem ſacri cœtus everſorem a communione ſuſpendant; convulſum monaſterium
» cum rebus ſuis reſtaurent, & quod impie unus ſubverterit, omnes pie reforment. quod ſacroſanctum decretum utinam ii adverterent, qui tam facile manus in loca ſacra injiciunt, atque a monaſtico ſtatu ad ſæcularem pro arbitrio transferunt. Obſervandæ etiam in prædicto canone imprecationes ſollemnes adhiberi ſolitæ in vetuſtis inſtrumentis: quæ temere nonnulli ob ejuſmodi anathemata falſi poſtulant: qualia certe leguntur in quinto concilio Aurelianenſi pro xenodochio Lugdunenſi a Childeberto rege conſtructo. Ceterum ex hoc canone intelligitur, quoſdam Bæticæ provinciæ epiſcopos monaſteriis infeſtos fuiſſe. quæ res eondendo huic canoni occaſionem præbuerit.

* *l'Andalouſie.*

XXVII. Virginum monaſteria a monachis regenda.

» Undecimo canone decretum communi itidem conſenſu, ut monaſteria virginum,
» in provincia Bætica condita, monachorum adminiſtratione ac præſidio gubernentur, nimirum in ſpiritualibus ac temporalibus procurandis, ut inferius explicatur. Tunc
» enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus providemus, quando eis patres epiſcopi
» tales eligimus, quorum non ſolum gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari
» poſſint: ea tamen circa monachos diſciplinæ cautela ſervata, ut remoti ab earum
» peculiaritate, nec uſque ad veſtibulum habeant accedendi familiare permiſſum; ſed
» nec abbati vel ei qui præficitur, extra eam quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti
» aliquid, quod ad inſtitutionem morum pertinet, licebit. Nec cum ſola quæ præeſt,
» frequenter eis loqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum aut trium ſororum; ita ut
» rara ſit acceſſio, & brevis omnino locutio. Abſit enim, ut monachos (quod etiam
» dictu nefas eſt) Chriſti virginibus familiares eſſe velimus: ſed, juxta quod juſſa re-
» gularum vel canonum admonent, longe diſcretos atque ſejunctos, eorum tantum
» eaſdem gubernaculis deputamus: conſtituentes, ut unus monachorum probatiſſimus
» eligatur, cujus curæ ſit, prædia earum ruſtica vel urbana intendere, fabricas
» exſtruere, vel ſi quid ad neceſſitatem monaſterii providere: ut Chriſti famulæ,
» pro animæ ſuæ tantum utilitate ſollicitæ, ſolis divinis cultibus vivant, operibuſque
» ſuis inſerviant: ſic tamen ut is qui ab abbate præponitur, judicio ſui epiſcopi com-
» probetur. Ceterum virgines illæ veſtes iiſdem cœnobiis faciant, a quibus tuitionem

AN. CHR. 619.

exſpectant, ab eiſdem denuo, ut prædictum eſt, laborum fructus & procurationis ſuffragium recepturæ. Si autem monaſteriorum hanc ordinationem aut contemſerint, aut qualibet inertiæ diſſolutione neglexerint, ſciant, quod eorum tepor atque ſuperbia excommunicationis ſit plectenda cenſura. Hæc omnino conſentanea ſunt iis, quæ de ſancto Pachomio leguntur in ejus vita. Is quippe in gratiam ſororis ſuæ, quæ cum fratrem videre non potuiſſet, monaſticen & ipſa profeſſa eſt, monaſterium conſtrui curavit, Nilo flumine a ſuo diſparatum: cujus curam Petro, probatæ vitæ monacho, commiſit. Petrus autem identidem ad eas ventitabat, ut eis de ſanctis ſcripturis & de eis, quæ ad ſalutem pertinent, rebus loqueretur. Pachomius vero eis deſcripſit regulas, quibus converſationis ſuæ momenta dirigerent. Si quando vero aliquis e fratribus, propinquam aliquam vel ſororem in illo parthenone habens, eam viſitare & alloqui voluiſſet; mittebatur cum eo unus e ſenioribus probatæ vitæ; & viſa prius antiſtita, deinde ſub ejus præſentia & aliarum, quæ erant provectioris ætatis, conſanguineam ſuam frater cum eo quo par erat pudore cernebat, alloquebaturque, nihil ei afferens, nec ab ea quidquam accipiens. Quod ſi aliquando vel ad ſtructuram aliquam, vel ad aliam rem monaſterio neceſſariam puellæ monachorum opera indigerent; eligebantur ex illis viri graves & virtute inſignes, qui fratribus ad quæſita præeſſent officia. Præpoſiti lapſu temporis appellati ſunt. Ubi vero defuncta eſſet aliqua virgo, reliquæ funus ejus curabant, deferebantque uſque ad ripam fluminis, quod ambo monaſteria ſeparabat, pſalmos de more canentes. Tunc monachi cum ramis palmarum & olivarum frondibus fluvium tranſeuntes, mortuæ cadaver pſallentes tranſvehebant, & in cœmeterio ſuo condebant. Hi ritus erant apud Pachomienſes. Nec longe aberat ab hoc inſtituto ſanctus Benedictus, qui diſcipulos ſuos identidem ad ſanctimoniales Caſino proximas inſtituendas mittebat, & ſororem ſuam Scholaſticam in proprio ſepulcro humari voluit. Hæc occaſione concilii ſecundi Hiſpalenſis, cui primo loco ſubſcripſit Iſidorus Hiſpalenſis Bæticæ metropolitanus, & quarto loco ejus frater Fulgentius Aſtigitanus, Leandri Iſidori deceſſoris ambo germani.

Diſciplina monaſteriorum duplicium.

ANN. CHR. 620.

XXVIII.

OB eam, quam mox diximus, cauſam cœnobia virginum paſſim, præſertim in Gallia & Britannia inſula, duplicia erant, utpote quibus adjuncta in diſparatis ædibus virorum habitacula, qui ſequiori ſexui cum in ſpiritualibus, tum in temporalibus rebus ſubſervirent. Hujus generis fuit Habendenſe monaſterium, quod Romaricus, adjuvante ſancto Amato, conſtruxit in villa ſua Habendi ſeu Habundi, quam, ceteris rebus abdicatis, unam ſibi ad pium opus in monaſticæ vitæ profeſſione reſervaverat. Sanctimonialium baſilica in honorem beati Petri apoſtoli constructa. Locus eſt in Voſago ad Moſellam, eo quidem tempore vaſta ſolitudo, nunc vero pro ſitu longe amœnior: ubi ſanctus magiſter Amatus & diſcipulus ejus Romaricus ſub magna ſanctitate, ut verbis utar ſcriptoris vitæ ſancti Amati, atque ſummæ perfectionis religioſiſſima intentione monaſterium puellarum condunt. Iſtic ergo, ut præfert ſancti Romarici vita, multis adunatis puellis in eremo ſanctum inſtituunt opus, pauperes quidem ſubſtantia in ſæculo, ſed fide divites in Chriſto. Et primo quidem in monte conſtructum eſt monaſterium duplex, unum puellarum, alterum virorum pro Amato & Romarico: ſed proceſſu temporis puellare in ſubjectam vallem ultra Moſellam tranſlatum eſt, relictis viris in priori loco, quem Sanctum-montem appellant. Primas ejus parthenonis virgines prædlcti ſcriptores duo ſanctimoniales & ſorores paſſim nuncupant: nec canonicarum nomen apud eas auditum eſt, niſi longe poſterioribus ſæculis, cum videlicet, tepeſcente religione, alios mores induerunt. Tanta vero principio earum religio, tantus fervor erat, ut, cum plurimæ iſtuc virgines confluxiſſent, eas in ſeptem turmas, duodenis puellis per ſingulas deputatis, diſtinxerit Amatus, ut die nocteque jugem ac perennem pſalmodiam continuarent. Suum ſingulis turmis fuiſſe oratorium conjicere licet ex illis quæ ſuperſunt, numero ſex: quæ omnia, præter illud quod modo ſacri montis occupant monachi, aliis amplius & majus, anguſtiſſima ſunt, vixque capiendis duodecim aut viginti hominibus apta.

Habendenſis monaſterii primordia.

Laus perennis.

Prima ceteris prælata eſt Macteſledis abbatiſſa, virtute ac religione præcipua, quam ad exemplum ſummæ ſanctitatis Amatus aliis imitandam propoſuit: ſed illa, vix peracto in regimine biennio, naturæ conceſſit. Cum in extremo vitæ articulo

Macteſledis prima abbatiſſa & ſequentes.

ANN. CHR. 610.

ciacus * dicitur. Ad hæc immunitatem quoque monachis, ſub Perrone abbate Deo ibidem ſervientibus, conceſſit, ut nullus eccleſiaſticorum judicum ullam eis moleſtiam injuſte inferret, ſed eis pacate *ſub ſancta regula* vivere liceret. quod indubie intelligendum eſt de regulis ſancti Benedicti & ſancti Columbani, quas idem antiſtes Altivillarenſi monaſterio a ſe conſtructo impoſuit, ut ſuo loco dicemus. Sancti Baſoli geſta litteris mandavit poſt anonymum Adſo abbas Dervenſis, rogatu alterius Adſonis abbatis ſancti Baſoli monaſterii, deſinente ſæculo decimo.

* *Vel.*

XXXI. Bertetrudis regina ſepulta ad S. Vincentium.

Fuit hic annus Chlothario regi, nedum Francis omnibus, maxime acerbus ac luctuoſus, amiſſa Bertetrude ſeu Bertrude regina, optima atque pudiciſſima femina, quam rex unice dilexerat, & omnes Franci ob bonitatem ſuavitatemque morum, cum pietate conjunctam, magnopere amaverant. Sepulta eſt in baſilica, non ſancti Petri Rotomagenſi, ut fallit Audoëni vitæ ſcriptor parum accuratus; ſed ſancti Vincentii ſeu ſancti Germani in ſuburbio Pariſienſi, ubi Chlotharius ipſe poſtea humari voluit. Charibertum ex Bertrude ſuſcepit Chlotharius; an etiam Dagobertum, apud hiſtoricos noſtros haud conſtat, quem Hadrianus Valeſius, uti & Meroveum, filiorum natu-maximum, ex alia priori conjuge procreatum fuiſſe exiſtimat. Eidem ſubſcribit Carolus Cointius. An forte Ingundis vocaretur, inferius diſcutiemus. Mortua Bertrude Chlotharius Sichildem uxorem duxit.

ANN. CHR. 621.

XXXII. Agreſtius monachus turbas ciet.

NOn ſerius anno ſubſequente Agreſtius, Theoderici quondam regis notarius, qui paullo ante ſe ſuaque omnia Euſtaſio abbati, monachum Luxovii profeſſus, tradiderat, ab eodem petiit, ſibi ut liceret verbum Dei gentibus prædicare. Hunc increpat vir ſanctus, quod rudis adhuc in religione tiro id officii ſibi arrogare vellet, quod nonniſi perfectis & in rebus ſacris verſatiſſimis competeret. Sed cum temerarium ac præfidentem tironem a propoſito revocare non poſſet, ac retinere invitum nollet, eum arbitrio ſuo abire paſſus eſt. Is ubi ad Bajaorios venit Bonoſiaca hæreſi infectos, nullo operæ pretio relato, deinde Aquileïam proficiſcitur. Deſciverant tum Aquileïenſes a ſede apoſtolica, & tria capitula, ſynodi quintæ decreto rejecta, tueri perſeverabant. His ſe adjunxit homo imprudens, & eccleſiaſticorum dogmatum imperitus, ſeque a Romanæ ſedis communione ſejunxit. quo ſchiſmate imbutus, litteras felle & conviciis plenas ad Attalam abbatem Bobienſem per Aurelium, Adalvaldi Langobardorum regis notarium, dirigit, virum ſanctiſſimum auſus increpare, & erroris arguere, quod in communione ſanctæ ſedis perſiſtens, damnationi trium capitulorum conſentiret. Et fortaſſe Agreſtius ei objiciebat communis magiſtri ſui ſententiam, cujus alia fuerat de capitulis illis doctrina, ut ex ejus epiſtola ad Boniſacium papam ſuperius [a] vidimus. Poſt hæc Luxovium repetit Agreſtius, & Euſtaſium abbatem ad ſuam ſententiam allicere conatur. Sed contra vir ſapiens & ſanctus paternis eum monitis ad ſanam mentem revocare tentat: at cum ſe nihil proficere vidit, a ſuo eum ſuorumque contubernio ſummovit.

[a] *ſupra n* 4.

ANN. CHR. 622.

PUlſus Luxovio Agreſtius, per varia Galliæ loca errabundus vagatur, ſi quos poſſet veſaniæ ſuæ fautores ſibi adjungere. Sed cum operam perderet, adverſus Columbani regulam & inſtitutum, quod profeſſus erat, inſurrexit, & multa convicia effudit. Favebat in primis homini Abellenus Genevenſis antiſtes, eidem conſanguinitate conjunctus, qui finitimarum urbium epiſcopos ad propinqui ſui partes pertrahere ſummopere nitebatur. Quin etiam ambo Chlotharium regem adire auſi ſunt, ac tentare, an ſuis partibus eſſet aſſenſurus. Sed rex prudentiſſimus, cui Columbani ſanctitas ſpectata erat, & probata diſcipulorum ejus doctrina, primo graviter eos redarguit: deinde, ubi ſe nihil proficere animadvertiſſet, epiſcoporum judicio ſynodali rem diſcuti juſſit, minime dubitans, quin Euſtaſius ea qua pollebat auctoritate, doctrina & facundia, Columbani regulæ adverſarios facile revinceret.

XXXIII. S. Walaricus moritur.

Interim ſub finem hujus anni Walaricus, Leuconaenſis in pago Vinemaco ſeu Vimnacenſi abbas, extremos decurrebat dies, & mortis præſcius, ſepulturæ ſuæ locum deſignavit in vertice montis, ad quamdam arborem vepribus undique circumſæptam, ubi ſeorſim orare conſueverat. Octavo poſt die dominico, ſæculi ac ſui victor, ad cæleſte regnum migravit pridie idus Decembris, quo die ejus memoria in ſinceris Uſuardi & Adonis martyrologiis celebratur, in quibus Walericus

ANN. CHR. 622.

appellatur. Preſbyterum appellat Uſuardus: Ado eum eremiticam ad Somnam fluvium vitam duxiſſe, ibidemque miraculis fulſiſſe ſcribit. Sepultus eſt, uti juſſerat, ad prædictam arborem, ubi Berchundus epiſcopus Ambianenſis ſecedere ſolebat. Quædam illuſtris & Deo devota femina, Bertila nomine, a Walarico petierat, ut, ſi ipſa ei ſuperſtes eſſet, corpus ſuum ſepelire mereretur. quod officium an ſancto confeſſori impenderit, vitæ ſcriptor non prodit. Ad ejus virtutes quod attinet, virginitatem ab utero matris illibatam ſervaſſe perhibetur. Nullum tempus elabi ſinebat, quo vel lectioni, vel orationi aut labori non vacaret. Lectulus ex virgis contextus vili tantum ſtragulo tegebatur. Huic tunica cum capello ſeu capitio pro veſte erat. Tantæ abſtinentiæ fuiſſe dicitur, ut frequenter tota hebdomada, nonniſi dominico die, cibum ſumeret, vino & ſicera abſtinere ſolitus. Curſum tam monaſticum, quam Gallicanum quotidie perſolvebat. Eo mortuo, cum ejus cœnobium quibuſdam infeſtationibus premeretur, locum deſeruere monachi, & palabundi in diverſa loca ſe receperunt: ex quibus Blitmundus in Bobienſe monaſterium ad Attalam abbatem confugit. Interea Berchundus epiſcopus corpus ſacrum Ambianos transferre tentat: aſt effoſſo ſepulcro numquam ejus loculum movere aut efferre valuit.

Ejus geſta primus in litteras retulit Raimbertus abbas pius & eruditus, cujus ſcriptionem anonymus quidam expolivit, & Theodino abbati Leuconaënſi, & toti ſanctæ ejus congregationi dedicavit; Hugonis archiepiſcopi juſſu id ſe ſuſcepiſſe præfatus. Poſt beati Walarici mortem, cum monaſterium ejus per annos quinque deſertum fuiſſet, Blitmundus locum reſtituit ac rexit. Quinam ei abbates ante monaſterii everſionem ſæculo decimo factam ſucceſſerint, nobis incompertum. Reſtituto per Hugonem magnum monaſterio, quod ſancti Walarici * ab eo tempore dictum eſt, præfuerunt unus poſt alium abbates Reſtoldus, Fulcradus, Adhelmus, & Theodinus, mortuus ante annum milleſimum quinquageſimum-ſecundum, quo anno Walo, ſancti Walarici abbas, ſancti Bertini corporis elevationi interfuit Si aliis ante hunc Theodinus ejus loci abbas non exſtitit, prædictus anonymus vitæ ſancti Walarici expolitor dicendus eſt vixiſſe paullo ante medium ſæculum undecimum: quo tempore nullus in Gallia Hugo archiepiſcopus erat præter Hugonem Veſontionenſem, genere & cognomento Salinenſem. Ejus juſſu ſi hæc vita expolita eſt, haud fere ambigam, quamquam pro certo affirmare nolim, expolitorem illum fuiſſe monachum proximi cœnobii Luxovienſis. Sed quando ille nomen ſuum reticere voluit, per nos licet ut ignoretur. De cetero non confundendus Walaricus ſeu Walericus noſter cum Valerico * Lemovicenſi anachoreta, cujus obitus contigit quarto idus Januarii: quo die colitur maxime in eccleſia nominis ſui, triginta fere paſſuum millibus a civitate Lemovicarum diſſita: ubi prioratus eſt ſancti Martialis abbatiæ ſubjectus.

* S. Valery.

* S. Vaury.

XXXIV. Deſiderii epiſcopi Autiſiod. munificentia.

Ad hunc annum vix pervenire potuit Deſiderius epiſcopus Autiſiodorenſis, ſi ſucceſſor fuit Aunacharii ſeu Aunarii, ejus qui Walaricum in monaſterium S. Germani ejuſdem urbis admiſit. Brunichildem reginam ejuſque filios, Burgundionum & Francorum reges, propinquitate attinuiſſe dicitur, quorum munificentia ingentes habuit facultates & poſſeſſiones, quas in eccleſias & monaſteria liberali manu effuderit. In primis munificus exſtitit in baſilicam ſancti Germani, cui multa prædia largitus eſt, & centum ſolidos auri puriſſimi ad ſuam ipſius ſepulturam, ibidem exornandam. Eidem baſilicæ, ipſo ſuggerente, agrum Seſſiacum *, ſitum in territorio

* Seſſy.

Ingundis etiam reginæ.

» Autiſiodorenſi, contulit domina Ingundis regina, reſervato ſibi vitæ ſuæ tempore
» uſu-fructuario; & Chlotharius rex, ſimulque ejus nobiliſſima [a] conjux domina In-
» gundis regina, per manus ejuſdem Deſiderii epiſcopi eamdem baſilicam magnis &
» eximiis ornaverunt donariis. Ad hæc fredam ſeu ædiculam, quæ ſacratiſſimo cor-
» pori beati Germani ejuſdem urbis epiſcopi ſuperpoſita erat, rex auro argentoque
» mirifice decoravit: regina vero calice ſimulque patena, ex auro puriſſimo, gemmis
» pretioſiſſimis exornato, devotiſſime honoravit. Ita legitur in pervetuſta hiſtoria
» epiſcoporum Autiſiodorenſium, quam ſæculo nono compoſuerunt [b] Rainogala & A-
» lagus, collaborante Herico theoſopho & monacho. Hic libros item duos ſcripſit de
» miraculis ſancti Germani, ubi Ingundis [c] Chlotharii conjux, cum religione famo-
» ſiſſima, tum etiam largitatis & diligentiæ ſingularis, ſepulcro beati Germani pluri-
» ma vaſorum, palliorumqne ornamenta obtuliſſe memoratur,: inter quæ calicem

a Labbe to. 1. Bibl. nova p. 425.

b Ib. 434.

c Ibid 542.

AN. CHR. 622.

egregium, auro ſplendidiſſimo, gemmiſque compactum, inquir auctor, vidimus pretioſis, reginæ memoriam inſertis litreris præferentem; quæ munus hoc per manus ſupra nominati Deſiderii pontificis beato Germano devota contulerat. Quæ omnia cum attente expenderem, vix animum inducere poteram, quin Chlotharius ſecundus, ſiquidem ejus principatu floruir Deſiderius, conjugem habuerit nomine Ingundem, uti & Chlotharius ſenior: tametſi Hericus priori Ingundi artribuit, quod poſteriori tribuendum eſſe Deſiderii tempus & pontificatus exigere videbatur. Certe præter Bertrudem & Sichildem, Chlotharius ſecundus primam conjugem, ex qua natus Dagobertus, videtur habuiſſe, tametſi nomen ejus ignoremus; eaque ſententia eſt Hadriani Valeſii, & poſt eum Caroli Cointii, eruditorum virorum. Quid ſi ea eſſet Ingundis, quæ ſuperiora omnia ſancto Germano contulerir? Accedit quod monaſterium Varziacenſe * a bonæ memoriæ Ingunde regina olim itidem ſancto Germano datum legitur in geſtis [a] abbatum ejoſdem monaſterii, quod de prædio tantum interpretandum eſt, uti & de Seſſiaco, in quibus poſtea monaſteria ædificata ſunt. Ex his intelligitur, Ingundem hanc in Burgundiæ regno, cui Autiſiodorum civitas, paguſque Autiſiodorenſis, in quo Seſſiacum & Varziacum ſita ſunt, tribuebatur, rerum ſumma potitam fuiſſe. quod utri melius poſſit competere, Chlotharii ſenioris an minoris uxori, ſtatuere difficile eſt in tanta rerum obſcuritate. Illud certum & exploratum, Deſiderium Autiſiodorenſem epiſcopum [b] ſediſſe annos decem & octo, dies viginti quinque, & quidem temporibus Chlotharii glorioſi regis; & ſi prædictis auctoribus fides, ſub Romanis pontificibus Gregorio, Sabiniano, Bonifacio ſecundo, & Bonifacio tertio, imperantibus Phoca & Heraclio; ac proinde nonniſi poſt annos a Chlothario ſeniore quadraginta: cui Chlothario etſi Ingundis ejus uxor ſupervixiſſet, certe vitam ad Deſiderii epiſcopatum non produxiſſet. Verum Deſiderium Gregorii Magni pontificatu epiſcopum fuiſſe prædictis auctoribus perſuaſiſſe videtur ipſius Gregorii epiſtola [c] ab eis relata, & *Deſiderio epiſcopo Autiſiodorenſi* inſcripta, in qua legitur, Deſiderium a pontifice pallium petiiſſe: quod quidem jam olim ab apoſtolica ſede eidem eccleſiæ conceſſum fuiſſe aſſerebat: cujus rei nullas chartas in Romanæ eccleſiæ ſcrinio reperiri Gregorius reſpondit. Verum hæc Gregorii epiſtola [d] Deſiderio *epiſcopo Galliarum* in regiſtro inſcripta eſt, id eſt Viennenſi, quo fere titulo alia [e] ejuſdem Gregorii epiſtola directa eſt *Deſiderio epiſcopo Galliæ*. quod indubie de Viennenſi intelligendum eſt. Unde manifeſtum videtur, Deſiderium Autiſiodorenſem non ſediſſe pontificatu Gregorii Magni, ſed tempore Chlotharii ſenioris, & Ingundis ejus uxoris.

Chlotharii ſecundi an uxor.

* Varzy.

[a] ibid. p. 371.

[b] ibid. p. 422.

[c] ibid. p. 423.

[d] Greg. M. lib. 7. ep. 114. ind. 2.

[e] id. lib. 9. ep. 48. V. lib. 10 ep. 39.

Præter jam dictas donationes monaſterio ſancti Germani ab eo factas, dedit [f] etiam eidem baſilicæ agellum Feriolas *, ſitum in pago Autiſiodorenſi ſuper fluviolum Lupæ * cum omnibus ad eum pertinentibus ad xenodochium pauperum; item Orgyacum & Marciacum, aliaque prædia per manus Palladii tunc preſbyteri & baſilicæ domni Germani abbatis, poſtmodum vero ſui in epiſcopatu ſucceſſoris. Multa inſuper alia largitus eſt monaſterio, quod domnus Germanus pontifex ſuper ripam fluminis Icaunæ * conſtruxit in ſuburbio Autiſiodorenſi, ubi bonæ recordationis domnus Marianus confeſſor corpore requieſcit; & baſilicæ domni Juliani martyris, ubi Nigivaldus abbas præerat; ad hæc monaſterio puellarum, quod in honore domni Martini ſuper fluvium Icaunæ eſt conſtructum. Idem antiſtes his ſupra ſcriptis monaſteriis, unicuique baſilicæ *ſingula vaſa argentea largiri præcepit.* quæ verba in editis deſunt, ex veteri codice reſtituta. Item dedit baſilicis ſanctæ Columbæ & ſancti Leonis, quæ ſunt conſtructæ juxta Senonicam urbem, agellum Viſclam, ea ratione, ut rectores harum baſilicarum eamdem villam æqua ſorte inter ſe dividerent. Denique quædam etiam conceſſit baſilicæ ſancti Amantii, quæ eſt extructa in pago Cadurcino, ad ſtipendium monachorum ibidem Deo deſervientium, ubi & genitrix ipſius Nectaria ſeu Nectaria corpore requieſcit. Hericus [g] eadem habet, niſi quod ſancti Amantii monaſterium in pago Petragorico non recte locat. De hoc monaſterio prope Cadurcorum urbem ſito, quod modo ſancti Deſiderii * nomine inſignitum eſt, inferius agemus. Sepultus eſt Deſiderius in baſilica ſancti Germani juxta beatum Aunarium, idemque ſanctus habitus apud Autiſiodorenſes. Ejus corpus, aut ſaltem magna ejus pars, monaſterio Melerenſi, qui prioratus eſt ſancti Germani, præciſe nunc Monaſterium * appellatus, labente ſæculo decimo ab Heldrico abbate [h] conceſſa eſt. Nevelo, Corbeienſis ſequente ſæculo

[f] ibid. p. 425 & ſeq.

* Feriolos.

* le Loin.

* l'Yonne.

[g] ibid. p. 366.

* S. Gery.

* Moutiers.

[h] ibid. p. 450.

ANN. CHR. 622. XXXV.

Palladius abbas Desiderii ſucceſſor.

a ibid. p. 426.

monachus, eum martyrologio ſuo adſcripſit VI. kalendas Novembris, eumque novem-decim annos, nempe inchoatos, ſediſſe dicit.

Tunc florebat in ſede Autiſiodorenſi Palladius monaſterii ſancti Germani abbas, vir [a] ſtrenuus, ſapiens, largus & miſericors: qui accepto ſacerdotio totum ſe eccleſiaſticis tradidit diſciplinis. Ejus tempore magnopere ſanctitate floruit ſancti Germani monaſterium, quo vix ullum in tota Burgundiæ provincia etiam nunc auguſtius eſt, maxime ob magnum numerum ſanctorum ejus urbis epiſcoporum, qui ibidem cum eximio illo ſancto Germano Autiſiodorenſi epiſcopo ſepulti ſunt. Multi etiam in illo cœnobio ſanctitate & doctrina illuſtres viri floruerunt, ubi celeberrima litterarum academia, maxime ſæculo nono floruit. Erat ibidem baptiſterium, ſancti Germani baſilicæ adjunctum ſub titulo, ut fit, ſancti Johannis-Baptiſtæ, cum ſancti Johannis Evangeliſtæ reliquiis. De hoc baptiſterio ſic habet Nevelo monachus ad ſextum-decimum kalendas Maii: *In Autiſiodoro Galliæ dedicatio baptiſteris, quod eſt juxta baſilicam ſancti Germani confeſſoris, ubi ſunt condita reliquiæ ſancti Johannis Evangeliſtæ.* Ibi ſepultus fuit ſæculo decimo Gualdricus epiſcopus; atque adeo vel hujus baptiſterii uſus jam tum deſierat, vel certe obſoleverat canon quartus-decimus ſynodi Autiſiodorenſis ſub Aunachario celebratæ, vetantis, ne in baptiſterio corpora mortuorum ſepeliantur. quamquam pro epiſcopis exceptioni locus eſt. Vigebat inſuper eo in loco, uti & in aliis Ordinis noſtri monaſteriis, ſollicita hoſpitum, peregrinorum & pauperum cura. Xenodochio pauperum Ingundis regina, ut mox vidimus, prædia quædam aſſignavit. Diſtincta erant hoſpitia divitum & pauperum, immo etiam monachorum adventantium & familiarium, qui ad portam excipiebantur, ut in vetuſtis ejuſdem loci inſtrumentis legitur. Monachis ad hæc aliaque officia & ad curam eccleſiæ ſubſerviebant matricularii, quos *nonnones* alio nomine appellabant. cujus generis erant clerici pulſantes in monaſterio Corbeienſi tempore ſancti Adelhardi abbatis. Reliqua Palladii opera inferius proſequemur.

S. Germani monaſterii prærogativæ & diſciplina.

ANN. CHR. 623. XXXVI.

Matiſconenſis ſynodus in cauſa Agreſtii monachi.

SUb finem anni ſequentis, indicta Matiſconem ſynodo, Gallicani e Burgundia epiſcopi juſſu Chlotharii iſtuc in ſuburbano loco frequentes convenerunt ad finiendam Agreſtii cum Luxovienſibus monachis controverſiam, quale ferme negotium ſancto Pachomio quondam acciderat in ſynodo Latopolitana. Hujus rixæ poſt Agreſtium incentor erat quidam Warnacharius, maximus hæreticus, idemque infenſiſſimus Euſtaſii adverſarius: qui ſtatuto die, quo cum Euſtaſio altercaturus erat, repente interiit. Alius ergo a Warnachario majore domus regiæ, qui nonniſi poſt Euſtaſium mortuus eſt, nimirum anno Chlotharii regis quadrageſimo-tertio, teſte Fredegario. Fractis Warnacharii morte Agreſtianæ partis viribus, turbantur omnes, ſciſcitanturque Agreſtium, quid contra regulam beati Columbani dicere, quid objicere vellet Euſtaſio. At ille trementibus labiis, cum nihil ſani aut ſolidi afferre poſſet, ſuperflua quædam & canonicæ inſtitutioni contraria in Lu-
» xovienſium ritibus haberi cauſatur, nempe quod cochleare cum lamberent, vaſaque
» & pocula ſigno crucis crebro ſignarent: quod ingredientes egredienteſque quam-
» libet monaſterii cellulam benedictionem poſtularent: in ſumma quod a cetero-
» rum ritu ac norma deſciſcerent, & ſacra miſſarum ſollemnia orationum & collecta-
» rum multiplici varietate celebrarent. Hæ decantatæ erant æmulorum querelæ tempore Theoderici regis, cujus notarius fuerat Agreſtius, Euſtaſius ad hæc: Veſtrum
» eſt, inquit, o Patres, diſcernere, utrum hæc objecta quidquam contineant, quod re-
« ligioni, ſcripturarumve auctoritati adverſetur. An vero religioni contrarium, ſi co-
« chleare, quod lambit chriſtianus, vel quodcumque vas aut poculum ſignetur ſigno
» crucis, per quam humani generis hoſtis victus, ejuſque peſtis depulſa eſt? Quid au-
» tem contra rectos mores, immo quid magis Pſalmiſtæ votis conſentaneum, quam
» unumquemque monachum, ſive cellulam ingreditur, ſive egreditur, ſeu quovis pro-
» greditur, ſigno crucis muniri, vel benedictione ſodalium roborari? Orationum porro
» multiplicationem in ſacris officiis multum prodeſſe quis neget? cum & orationi ſine
» intermiſſione vacare nobis ex divino præcepto incumbat, & quo plus Dominus quæ-
» ritur, plus inveniatur, nihilque cuivis chriſtiano, & maxime pænitentibus, ſalubrius
» ſit, quam Deum multiplicatione precum & orationum aſſiduitate pulſare. His reſponſis confutatus & turbatus Agreſtius, nihil habuit quo dicta refelleret: tantum adjecit garrulus calumniator, Luxovienſes a ceterorum norma deſciſcere, qui comam

nova

ANN. CHR. 613.

nova ratione tondeant, novam coronæ formam exprimant, ſcilicet ab aure in au-
rem per frontem in dimidiatæ coronæ modum cæſo capillo; ſed ab aure ad aurem
per occipitium, intonſo, quæ Hibernorum ſeu Scottorum tonſura erat. Talia effu-
tienti homini indignatus Euſtaſius: Ego, inquit, ejus diſcipulus & ſucceſſor, cu- «
jus tu diſciplinam & inſtituta carpis, in præſentia tantorum ſacerdotum, intra fi- «
nem anni vertentis te ad divinum voco judicium, acturum cum ipſo, experturum- «
que ejus ſententiam & ultionem, cujus famulum tuis conviciis & calumniis lace- «
rare & infamare audes. Ad hæc quidam ex Agreſtianis metu perculſi ſunt: omnes «
vero hortantur ambos, ut, offenſa depoſita, alter alteri reconciliaretur; & Agreſtius
quidem conceptæ temeritatis audaciam abjiceret; Euſtaſius vero paterno affectu
lapſum reciperet, & piis ad emendationem correptionibus provocaret. quibus Euſ-
taſius ſe eorum precibus ex animo acquieſcere paratum eſſe reſpondit, niſi Agreſtii
obfirmata contumacia omne correctionis remedium excluderet. Inſtantibus nihilo
minus cunctis, cum pacem, quamvis ficte & ſimulate, petiiſſet Agreſtius, petenti
Euſtaſius indulget, oſculumque porrigit.

XXXVII. Agreſtius Romaricenſes ad ſe trahit.

Hinc Agreſtius, tametſi apertam machinationem præ pudore quodam ac vere-
cundia perſequi non auderet, non tamen omnem fraudem exuit. Monaſteria quip-
pe Columbani inſtitutis addicta pertentare inſtitit, & ſub ementita diſcipuli ſpecie
furtim proditionem moliri. Et primo quidem ad Romarici monaſterium pergit,
venerabilis viri, qui primus inter palatinos nobiles fuerat apud Theodebertum
habitus, priuſquam beati Columbani exemplis ac Euſtaſii hortatu animatus, mo-
naſticæ Luxovienſium inſtitutioni ſe ſubjeciſſet. Is, ut ſuperius a nobis commemo-
ratum, poſt aliquantam apud Luxovienſes moram, Euſtaſio annuente, puellarum
monaſterium in proprio fundo conſtruxerat, cooperante Amato, quem ibi Euſta-
ſius ad docendam Columbani regulam præfecerat. Forte ob quædam negligentiæ
errata Amatus & Romaricus ab Euſtaſio correpti, ob idque nonnihil commoti
fuerant. Læſos ergo ut ſenſit Agreſtius, primo quidem in eorum animos ſenſim
influere, ſe ſeque eis ſubditum atque obedientem ſimulare: tum eoſdem mollibus
ſugillationibus tentare, & venenata verba in exaſperatos jam animos paullatim inſ-
tillare in contemtum regulæ beati Columbani. Denique tantum valuit virulenta
& doloſa hominis lingua, ut letifera perſuaſione eos induxerit ad abjicienda priſti-
na inſtituta, ut nova & rudia amplecterentur. Ubi res Agreſtio tam belle ceſſit, ad
Burgundofaram in Eboriacenſe monaſterium pergit, ut virginem ſanctam ſuis etiam
partibus adjungere conaretur. At repulſam paſſus, iterum ad Romaricum & Ama-
tum redit, ut cœptam machinationem perficiat. Verum eos jam prorſus mutatos,
& ad Columbani inſtituta denuo converſos invenit. Multi tamen ex eorum mona-
chis (nam & virorum cœnobium ibi etiam conditum fuerat) Agreſtio adhæſerunt.
Verum brevi eos divina ultio ſubſecuta eſt, aliis ex luporum morſu in rabiem actis
& exanimatis, aliis a dæmone correptis, quos inter Plaurelius quidam, Agreſtii
præcipuus fautor & aſſentator, laqueo ſe ipſe ſuſpendit; aliis denique ad viginti
fulmine tactis, quod terribili fragore locum perculit, & monaſterii tegumenta
ſubvertit. Reliquos pavore conſternatos paullatim mors rapit: ita ut monachi am-
plius quinquaginta hac ultione oppreſſi ſint, auctore criminis ad pænitentiam reſer-
vato. Sed cum nec ſic reſipiſceret, tandem prævalente Euſtaſii ad divinum judi-
cium appellatione, ante tringita dies, quam vertentis anni meta compleretur, a ſer-
vo ſuo, quem ipſe redemerat, ſecuri percuſſus interiit. Amatus & Romaricus mor-
te ejus territi, cum Euſtaſio abbate in gratiam redeunt, ejuſque communione dein-
ceps fruuntur. Abellenus vero ceterique Gallicani epiſcopi, qui prius Agreſtii par-
tium fautores fuerant, Columbani regulam & inſtituta probare & commendare
cœperunt, multique ejus amore monaſteria exſtruxerunt: quos inter Eligius, vir
tunc in palatio inluſter, poſtmodum Viromandenſis ſeu Noviomagenſis epiſcopus,
juxta Lemovicarum urbem nobile cœnobium, Sollemniacum nomine, erexit, alia-
que multa iiſdem in locis; ſed & Luteciæ-Pariſiorum in loco, quem regio dono ac-
ceperat, monaſterium ædificavit puellarum, quibus Auream Chriſti virginem præ-
fecit. Sic ex parvis initiis magna perſæpe ſcandala & crimina oriuntur. Temere
uſurpata prædicandi licentia Agreſtio inſpiravit audaciam, audacia contemtum ma-
jorum, tum ipſius regulæ, quam profeſſus erat; & ex illo contemtu aperta erupit

ANN. CHR. 623. a fratribus & ab inſtituto defectio, quæ multos alios, ea mali contagio, in eamdem perniciem ac ruinam traxit.

XXXVIII. Dagobertus in Auſtria regnat. Poſt decem admodum annos, quam Chlotharius, victis exſtinctiſque Theodeberto & Theoderico Auſtriæ & Burgundiæ regibus, utrumque regnum Neuſtraſiano adjecerat; tantam imperii molem commode ſuſtinere ſe non poſſe intelligens, Dagobertum filium, pro ætate ſtrenuum ac ſollertem, Auſtriæ ſolio imponere; eumdemque Arnulfo Mettenſi epiſcopo, viro ſancto, ac Pippino duci integerrimo commendare conſtituit anno regni ſui triceſimo-nono, qui chriſtianæ æræ ſexcenteſimo

Arnulfus & Pippinus ejus conſiliarii. viceſimo ſecundo aut inſequenti reſpondet. Arnulfus nobili & opulenta Francorum familia ortus, ſed quibus parentibus non ſatis exploratum, domeſtici officium ſub Theodeberto rege Auſtriæ geſſit, procurando ſex villas regias, quas poſt eum ſinguli domeſtici adminiſtrarunt. Conjugio inito, ex Doda uxore nobili & bene morata duos ſuſcepit filios, Chlodulfum & Anſigiſilum, quorum prior quartus ab Arnulfo, qui poſt epiſcopus fuit, Mettenſem eccleſiam rexit annis quadraginta, atque nonagenarius deceſſit: poſterior Anſigiſilus Beggam in matrimonio habuit, Pippini ſenioris, majoris-domus in Auſtria, filiam; Grimoaldi ſimiliter majoris-domus apud Auſtraſios, & Gertrudis Deo devotæ virginis ſororem; ex eaque Pippinum juniorem, Francorum principem procreavit, Caroli Francorum itidem principis, cognomento Tuditis ſeu Martelli patrem, avumque Pippini, qui rex a Francis conſalutatus eſt. Pippinum illum ſeniorem, cui Dagobertus a patre commendatus, a pago Haſbanienſi, ubi multas poſſeſſiones habebat, Haſbanienſem appellant; juniorem vero, qui ex Begga filia nepos erat, ob ſimilem cauſam Landinenſem dixere. Tales Dagobertus habuit adoleſcentiæ ſuæ in Auſtriæ regno moderatores, viros ſapientia & pietate inſignes, Arnulfum dico & Pippinum ſeniorem, ambos ſacris faſtis adſcriptos, quorum quamdiu conſiliis uſus eſt, regnum feliciter prudenterque adminiſtravit.

XXXIX. Theolegienſe monaſterium conditur. Primum pietatis in Auſtriæ regno ſpecimen dediſſe creditur Dagobertus, ſuppetias conferendo in conditionem monaſterii, quod Theolegienſe ſeu Doleienſe *, aliis Tabuleienſe placuit appellare. Situm eſt ad Saravum * fluvium in finibus diœceſis Trevirenſis & Lotharingiæ, haud procul ab opido ſancti Wandelini, ſic dicto a Wandelino, quem primum Theolegii abbatem nonnulli exiſtimant. Is origine

* *Tholei*

* *la Sare.*

Vvandelinus abbas. Scottus, & quidem ſtirpe, ut tradunt, regali, poſtquam apud Trevirenſes aliquamdiu delituit, adſcitus eſt ad regendum Theolegienſe monaſterium. Iſtuc cum forte divertiſſet Paulus anachoreta Gallus, qui in Voſagi ſolitudine nuper ſe receperat,

Paulus monachus, poſt epiſcopus. Theolegienſium cœtui adſcriptus eſt, tantumque honoris ob eximias virtutes brevi aſſecutus, ut, excepto nomine paſtoris, vice magiſtri ab omnibus coleretur. Hinc ejus curæ commendati, qui eo ſe conſerebant, tirones; cœperuntque ad eum ex longinquis terræ partibus, audita ejus famæ opinione, multi confluere, non ſolum mediocrium hominum, ſed & nobilium ac præpotentium filii. In his præcipuus

Grimo abbas. Grimo, alio nomine Adalgiſus dictus, quem Dagoberti conſanguineum, & fundi Theolegienſis dominum exſtitiſſe perhibent, cæleſtis patriæ amore, hujus ſæculi gloriam pro nihilo ducens, ſe ſe illius doctrinæ ac diſciplinæ imbuendum ſubjecit; tantumque brevi profecit in ſacris litteris, ut magiſtro non reputaretur inferior, dignuſque habitus, qui & ad levitici ordinis gradum, & ad ipſius monaſterii regimen aſſumeretur. Multi ex illo aſceterio, quod hodie quoque celebre eſt, illuſtres viri prodiere; non pauci Virdunenſes epiſcopi, quorum omnium veluti dux & anteſignanus fuit Paulus, de quo mox agebamus. Hunc ſancti Germani Pariſiorum epiſcopi fratrem fuiſſe vitæ ejuſdem Pauli ſcriptor, qui poſt decimum ſæculum vixit, opinatus eſt; immo etiam Bercarius preſbyter in hiſtoria epiſcoporum Virdunenſium; ſed perperam, reclamante ſcilicet temporum ratione, cum longe ante ſanctus Germanus e vivis exceſſerit. Id potius admittere liceret de Germano ſub id temporis abbate monaſterii ſancti Vincentii ſeu ſancti Germani apud Pariſios; vel de Germano abbate Grandivallenſi, a Modoaldo Trevirenſi epiſcopo, cujus pontificatu Theolegienſe monaſterium conſtructum fuit, educato & inſtituto, niſi Bobolenus ejus temporis auctor duos tantum fratres ei aſſignaret, Opthomarum & Numerianum. Sed diutius ariolari non vacat in re non magni momenti.

ANN. CHR. 613. XL.

Lupus epiſcopus ſepultus in S. Columbæ monaſterio.

Hoc fere anno Lupus Senonum antiſtes, ab exſilio reverſus, finem vivendi fecit, &, uti ipſe juſſerat, in ſtillicidio baſilicæ ſanctæ Columbæ ad pedes beatæ martyris ſepulturæ traditus eſt. Hæc eſt ſancta Columba virgo & martyr, quæ, igne ſuperato, in perſecutione Aureliani imperatoris apud Senonas gladio cæſa fuiſſe perhibetur. In ejus honorem a fidelibus poſtea erecta eſt inſignis baſilica altero lapide infra civitatem ad Icaunam fluvium: cui poſtmodum nobile monaſterium adjunctum fuit. Id factum creditur Chlotharii ſecundi principatu, qui villam Cerſiacum * eidem monaſterio conceſſit. Grandem-vallem in pago Waſtinenſi * adjecit filius ejus Dagobertus ad baſilicam domnæ ſanctæ Columbæ & domni ſancti Lupi, ut in veteri inſtrumento legitur. Utramque villam eidem baſilicæ reſtituit Ludovicus auguſtus. Multum celebritatis loco acceſſit a tumulo & reliquiis ſancti Lupi, qui Brienonem opidum, aliaque prædia ampliſſima Senonenſi eccleſiæ teſtamento legavit. Ejus liberalitatis memores canonici, die feſto ſancti Lupi, id eſt kalendis Septembris, in ſacram ædem beatæ Columbæ quotannis conveniunt, & ſinguli cereum ponderis unius libræ offerunt. Eligius, Dagoberti aurifaber, poſtea Noviomagenſis antiſtes ſanctiſſimus, cum multa alia, tum ſanctæ Columbæ ſepulcrum, auro, argento, gemmiſque, Dagoberto impenſas ſuppeditante, exornavit. Ante hos omnes Deſiderius epiſcopus Autiſiodorenſis dedit baſilicis ſanctæ Columbæ & ſancti Leonis, quæ ſunt conſtructæ juxta Senonicam urbem, agellum, qui vocatur Viſcla, ſitum in eodem pago, cum ædificiis, terris, ſilvis, & univerſis appendiciis ſuis, ea ratione, ut rectores harum baſilicarum eamdem villam inter ſe æqua ſorte dividerent. Jam ſupra * monuimus, nec repetere hoc loco neceſſe eſt, textum hoc loco eſſe corruptum in editis: ex quo quis male inferret, jam tum ante hanc Deſiderii donationem monaſterium ſanctæ Columbæ exſtitiſſe. quod quamquam infitiari nolim, falſas tamen a veris probationes diſcernere intereſt.

* *Coiſy.*
* *le Gatinois.*
* *num. 54.*

ANN. CHR. 614. XLI.

Auſtregiſilus epiſcopus Bituric. obit.

POſtero anno Auſtregiſilus Bituricenſis epiſcopus humanis rebus exemtus eſt XIII. kalendas Junii, ſepultuſque eſt a Raureco ſeu Rauraco Nivernenſi antiſtite in ſuburbana baſilica, quæ poſtmodum ab eo ſancti Auſtregiſili * dicta eſt, principio monachorum, jam dudum canonicorum ſæcularium collegium. Bercorialis & Bertradus ejus loci abbates laudantur in libro de miraculis ejuſdem ſancti pontificis, cujus res geſtæ ab auctore æquali conſcriptæ; miracula ab aliis duobus, quorum prior ſequenti ſæculo vixit, nempe tempore Eudonis Aquitaniæ ducis: poſterior ab homine recentiori. Succeſſorem habuit Sulpicium, cognomento Pium, ut diſtinguatur a Sulpicio Severo, qui ante Auſtregiſilum, intermediis Euſtaſio & Apollinari epiſcopis, eam eccleſiam rexit. Sed cave ne hunc Sulpicium Severum confundas cum Severo Sulpicio, qui beati Martini eximia facta luculenter deſcripſit, duobus fere ſæculis altero ætate ſuperior. Sulpicius Pius, claris parentibus apud Bituricenſes in opido Vaſtinio * progenitus, caſtitatis ab adoleſcentia plurimum amans, baſilicis exornandis, monaſteriiſque conſtruendis primos virilis ætatis annos exegiſſe perhibetur. Diaconus ab Auſtregiſilo propter præclaras virtutes ordinatur, poſtquam Theoderici regis aſſenſu demandatum ſibi ab eodem pontifice prædicandi officium ſtrenue adminiſtraverat. Erant tum penes Francorum reges abbates palatini, erant & caſtrenſes. Palatini præerant oratorio ſeu monaſterio, quod in palatio regio conſtructum erat: qualis fuit Ruſticus, Deſiderii Cadurcenſis epiſcopi germanus, qui *abbatiam Palatini oratorii* ſub Chlothario ſecundo geſſit. Caſtrenſes [a] ita dicti, quod caſtra regum ſequerentur, præpoſiti erant clericis ſeu monachis, quibus id penſi incumbebat, ut horis diurnis atque nocturnis, quæ priſcorum regum erat religio, divina in ipſis caſtris officia perſolverent. Id factum Conſtantini Magni exemplo, qui ſacerdotes in caſtra religionis cauſa deduci curabat, teſte [b] Euſebio. & Carolus Magnus per Fardulfum [c], ſancti Dionyſii abbatem, beatorum martyrum pignora in expeditione Saxonica ſecum ferri, & ſacrorum pignorum cuſtodes clericos ſeu monachos adhiberi voluit. Huc ſpectat canon ſecundus ſynodi Germanicæ apud Liptinas confirmatæ. Sulpicium ab Auſtregiſilo poſtulavit Chlotharius, ut *in ſuis caſtris abbatis officio fungeretur.* quo in munere regem morbo extremo laborantem ſanitati reſtituit. Dein, rejectis indignis hominibus, qui mortuo Auſtregiſilo epiſcopatum illum per ſimoniam ambiebant, factus epiſcopus, nec oneri ſuccubuit, nec honori. Per id tempus Judæi pluribus in locis, maxime in Hiſ-

Sulpicius Pius ſuccedit.

Abbates palatini & caſtrenſes.

* *S. Outrille.*
* *Vatan.*
a *V. Coint. annal. Franc. to. 6 p. 736.*
b *Euſeb. de vita Conſtantini lib. 3. c. 56.*
c *Mirac. S. Dion. lib. 1. c. 20.*

ANN. CHR. 614.

pania, vi compulſi ſunt ad chriſtianam fidem, quam certe ſuaderi, non imperari
decet. Sulpicius Judæos, qui in ſua diœceſi frequentes erant, mitiori aggreditur
modo, eos jubens vel ad baptiſmi gratiam accedere, vel urbe ac finibus ſuis egredi.
Ex his multi chriſtianam religionem ſincere amplexi dicuntur. Famis tempore,
pauperi ſtipem ab eo emendicanti juſſus œconomus dare, cum neglexiſſet, eidem
ex fame exſtincto vir ſanctus vitam reſtituit. Incendium ab eodem ſæpe reſtinctum,
& ſemel quidem in monaſterio virginum ac continentium feminarum, quod in ea
Monaſteria conſtruit. urbe ipſe conſtruxerat. Tum ex periculo ereptas oves ſalutaribus inſtruit monitis,
& ad pudicitiam, abſtinentiam, ceteraſque virtutes, quibus concupiſcentiæ reſtin-
guerentur incentiva, ea data occaſione hortatur. Parthenonis nomen haud exprimit
illius temporis ſcriptor. Fortaſſe hoc eſt Medianum-monaſterium, quod ſancta Euſ-
tadiola, matrona nobiliſſima inter præcipuas, conſentiente viro ſuo Tetradio, intra
civitatis Bituricæ muros conſtruere cœperat, Sulpicio adhuc in humanis agente,
& forte etiam ſubſidia conferente: ubi cum illa puellis Deo devotis aliquamdiu
præfuiſſet, ibidem ſexto idus Junii ad cælos migravit. Aliud eſt perantiquum in ea-
dem urbe ſancti Laurentii percelebre etiam nunc virginum cœnobium: ſed primam
ejus originem ad Carolum Magnum referunt: an ſola reſtitutio ei tribuenda ſit,
Sulpicio vero prima conditio, definire nolim.

XLII. *Navenſe præcipuum.* Eidem ſancto pontifici accepta referri debent primordia inſignis monaſterii Na-
venſis, in ſuburbio ejuſdem urbis pro monachis ab ipſo conſtructi, ante adeptum,
ut conjicere licet, epiſcopatum. Certe, ut illius temporis auctor teſtatur, nihil
» aliud in ſæculari adhuc poſitus habitu viſus eſt agere, quam monaſteria conſtruere,
» baſilicas extollere, opere novo eccleſias reſtaurare dirutas, miſeris auxilium ferre.
Navenſis baſilica dedicata eſt in honorem ſanctæ Mariæ virginis, ſancti Stephani
protomartyris, ſancti Clementis, & omnium Sanctorum. Navis loco inditum no-
men putant, propterea quod inter duos amnes Euræ & Orionis poſitus, ſtatio eſſet
navibus opportuna. Certe vetus auctor in Sulpicii vita ſic vocitatum tradit *ob por-
tum navigii.* Sed tandem poſt aliquot annos, obſoleto Navis vocabulo, ab auctore
monaſterium ſancti Sulpicii hactenus appellatur. De hoc monaſterio Johannes Fer-
nandus monachus, a Trithemio laudatus, ita ſcribit in libello de ſancti Sulpicii
« vita. Inter cetera, quæ plurimo labore, ſumtuque non parvo pius pater erexerat
» monaſteria, unum præſertim in deliciis habebat, quod in ſuburbio Bituriex urbis
» ſitum, ac Deiparæ Virgini conſecratum, Navis cognomento placuerat appellari.
» Illic probatiſſimos monaſticæ converſationis viros habitare præceperat: quorum
» exactiſſima beate vivendi norma ſuam ipſorum ſalutem operari cupientibus luci-
« diſſima præberet exempla. Diligebat ex animo fratres illos, quibus & abbatem ſe
» ſe exhibebat, & ſocium: & quoties ei vacare licuiſſet, cum ipſis ſuæ laſſitudinem
» ſenectutis ſpirituali cum alacritate levabat, & quodam modo ſolabatur. Idcirco præ-
» cipua veneratione colebat monachos, eorumque conſuetudine crebrius utebatur,
» quod haberent os expurgatum, eſſentque ſancta quadam coacervandarum virtutum
» invidia perquam curioſi. Hactenus Fernandus in libro de vita ſancti Sulpicii, in-
ſerto in Patriarchio Bituricenſi. Sulpicio ſuperſtite, non alius videtur eo loci abbatis
geſſiſſe officium, quam Sulpicius ipſe, qui inter monachos, non modo ante epiſco-
patum, ſed etiam epiſcopus, quantum epiſcopales ſinebant functiones, conver-
ſari ſolebat. Rex Dagobertus indiculum ad eum ſcripſit pro conſecratione Deſi-
derii Cadurcenſis epiſcopi, cujus *devotiſſimam & monaſticam converſationem* lau-
dat. Navenſis cœnobii ſine dubio monachus erat Ebregiſilus, pius ille ſolitarius ce-
teris præſtantior, quem vir ſanctus ad Dagobertum direxit ad hoc ut relaxaretur tri-
butum Bituricenſibus impoſitum, quod Lullo quidam regius miniſter, cum a plebe,
tum a clero, rigidiſſime exigebat. Et rex quidem tributum remitti præcepit: at
ferus exactor, cum nec ſic ab exactione temperaret, præcipiti mox interitu meritas
pœnas dedit. Is eſt Ebregiſilus incluſus, qui ſe beato Eligio epiſcopo ſpectandum
præbere noluit, ut poſtea ex Audoëno referemus.

XLIII. *Donatus epiſcopus Veſontionenſis.* Non ſerius hoc ipſo anno Donatus Luxovienſis monachus in ſedem Veſontionen-
ſem, mortuo Protadio, ſuffectus eſt, quippe qui anno ſequenti ſubſcripſit concilio
Remenſi ſub Sonnatio. In epiſcopatu ſemper idem, in monaſtico perſeverans pro-
poſito; cum inter canonicos commoraretur, ſic canonicum implebat officium, ut,
monaſtica veſte retenta, etiam monachi leges accurate ſervaret. quod ut facilius

ANN. CHR. 624.

exſequeretur, monaſterium virorum Veſontione condidit, ut iſtuc identidem ſecederet, illudque in bonorem ſancti Pauli apoſtoli ſacravit, dictum olim Palatium ob veteris palatii, quæ eo loco reſtabant, veſtigia & monimenta. Præſcripta monachis, Jona teſtante, ſancti Columbani regula, cui propria Donati acta Benedictinam conjungunt. Certe ex utraque cum Cæſarii regula Donatus regulam contexuit in gratiam parthenonis Juſſanenſis, quem Flavia ejus mater in eadem urbe ſub B. Mariæ patrocinio conſtruxit, ubi multarum puellarum cœtum inſtituit. Interpellatus quippe ab ejuſdem loci abbatiſſa, ſacriſque virginibus Donatus regulam compoſuit, ex ſancti Cæſarii partim, ſed maxime ex ſanctorum Benedicti & Columbani regulis concinnatam, quam Gauthſtrudæ Juſſanenſi abbatiſſæ, totique ejus ſacro cœtui nuncupavit, ita præfatus.

Palatium monaſterium ab eo conſtructum, Juſſanum a matre.

Donati regula.

Sanctis, & a me plurimum venerandis Chriſti vir- «
ginibus, Gauthſtrudæ, omnique ſuæ congregationi in cœnobio a famula Dei Flavia «
conſtituto, Donatus omnium extremus famulorum, famularumque Dei ſervulus, «
ſalutem. Quamquam vos juxta normam regulæ, vaſa Chriſti pretioſiſſima, egregie «
noverim quotidie vitam ducere; attamen, qualiter magis excellere debeatis, ſagaci «
vultis ſemper intentione perquirere. Quam ob cauſam ſæpius mihi injungitis, ut, «
explorata ſancti Cæſarii Arelatenſis epiſcopi regula, quæ ſpecialius Chriſti virgi- «
nibus dedicata eſt, una cum beatiſſimorum Benedicti quoque & Columbani abba- «
tum, ut puta quibuſdam, ut ita dixerim, collectis in unum floſculis, ad inſtar en- «
chiridion, excerpere vobis vel coacervare deberem; & quæ ſpecialius femineo ſexui «
cuſtodienda competerent, promulgarem: dicentes quod regulæ prædictorum pa- «
trum vobis minime convenirent: cum eaſdem viris potius, & nequaquam feminis «
edidiſſent. Et licet ſanctus Cæſarius proprie Chriſti, ut eſtis, virginibus regulam »
dedicaſſet; vobis tamen ob immutationem loci in nonnullis conditionibus minime «
conveniret. Ad hæc ego adimplenda diu multumque reniſus ſum voluntati veſtræ, «
non ut procaciter durus, ſed mea conſcius impoſſibilitate retentus, dum multorum «
in hac re, minus neceſſitatem rei atque opportunitatem loci intelligentium, ju- «
dicium pertimeſco, ne me temere reprehendant, cur de tantorum patrum inſtitu- «
tis audeam quippiam excerpere, vel mutare. At contra devotione compellor, dum «
inhianter ſalutem veſtrarum cupio animarum. Et infra. Qua de re vos ſanctas ani- «
mas, menteſque Deo deditas, coram omnipotenti Deo, ſpiritali affectu obſecrare «
compellor, ut hæc eadem veſtræ petitioni ſtatuta abſque ulla dumtaxat refragatione, «
& indeſinenti ſtudio menteque ſagaci, tempore perpetuo conſervare ſtudeatis; & «
juniores, vel etiam negligentes, juxta tenorem ipſius regulæ coerceatis, & eam «
ſæpius coram omni congregatione legatis, nt nulla ſe de ignorantia excuſare poſſit. «
Juniores corrigite, anus obſecrate, præpoſitæ veſtræ in omnibus obedite, negli- «
gentias veſtras eis indeſinenter aperite. Altera alterius onera portate; invicem «
vos omnes puro & caſto amore diligite: ut veniente ſponſo veſtro, domino Jeſu- «
Chriſto, plenis oleo ac relucentibus lampadibus occurratis. «

In fine Donatus obſecrat, ut ſui memores ſint tam in nocturnis, quam in diurnis officis, & pro ſe mortuo ſacras Domino hoſtias offerri faciant.

Hæc regula, quæ conſtat capitulis ſeptuaginta-ſeptem, majori ex parte deſumta eſt ex regula ſancti Benedicti, cujus capitula tria & quadraginta in ea referuntur. Non alia vero cauſa Juſſanenſes virgines videtur adduxiſſe, ut regulæ beati Columbani adjungerent ſancti Benedicti regulam, quam quod ntramque tunc ſervarent Luxovienſes monachi, quorum exemplum imitari cupiebant. Porro ſancti Benedicti regulam quanti fecerit Donatus, etſi beati Columbani diſcipulns & alumnus, ſatis ſuperque apparet ex ſuperiori præfatione, in qua ſancti Benedicti regulam honoris cauſa prius laudat, quam regulam beati Columbani. Quod ſupereſt, Flavia Donati mater, & prædicti parthenonis conditrix, ibidem ſepulta eſt una cum Sirude ejus filia, virgine ſacratiſſima, atque abbatiſſa ejuſdem cœnobii, quod, poſt varias fortunas, modo a patribus Minimis occupatur: Palatium vero ſeu ſancti Pauli monaſterium a canonicis regularibus ſancti Auguſtini: quo in loco beatus Donatus jacet cum Waldeleno patre, mortuus poſt concilium Cabilonenſe, cui ſubſcripſit, idemque ſeptimo idus Auguſti colitur in martyrologiis Gallicano & Benedictino.

XLIV. *Melliti epiſcopi Cantuar. obitus.*

Hoc anno exceſſit e vivis Mellitus epiſcopus Cantuarienſis octavo kalendas Maii, poſtquam annis quinque ſuam eccleſiam rexiſſet; ſepultuſque eſt cum ſanctis deceſſoribus ſuis, Auguſtino & Laurentio, in ſuburbana baſilica monaſterii ſancti Pe-

ANN. CHR. 614.

a Beda lib. 2. c. 7.

Justus ſucceſſor.

b ibid c. 8.

tri. Erat carnis origine nobilis, ait [a] Beda, ſed culmine mentis nobilior, qui, cum podagræ morbo graviter laboraret, excitato incendio, quod Cantuariæ eivitati, jam non minima parte flammis conſumtæ, integrum minabatur excidium; divino confiſus auxilio, ſævientibus & hac illacque volitantibus flammarum globis obviam ſe afferri juſſit, cœpitque orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium hominum manus multum laborando non valuerat. Eidem in ſede Cantuarienſi ſucceſſit Juſtus, Roffenſis antea eccleſiæ epiſcopus: eui Bonifacius papa quintus pallium conceſſit, cum poteſtate ordinandi novos in illa inſula epiſcopos, ut Chriſti evangelium plurimorum prædicatione in gentes necdum converſas dilataretur. Exſtat hac de re epiſtola apud eumdem [b] Bedam, in qua pontifex, collaudato ejus ſtudio ingentis illius converſionem, ait ſe intellexiſſe ex litteris Ethelwaldi regis, quanta ſacri eloquii eruditione ejus animum ad veram fidem & converſionem perduxiſſet. Juſto ſucceſſit in eccleſiam Roffenſem Romanus, qui a Juſto, tum archiepiſcopo Cantuarienſi, Romam miſſus ad Honorium pontificem, in Gallico freto aquis ſubmerſus interiit.

ANN. CHR. 625.

XLV.

Deicolus abbas Columbinum deſignat ſucceſſorem.

PRoximo circiter anno Deicolus abbas Lutrenſis ad ſuperos migravit, ordinato in locum ſuum Columbino, quem e ſacro fonte ſuſceperat, & in rebus monaſticis inſtituerat. Paullo ante obitum, ſeceſſerat in privatum ſanctæ Trinitatis oratorium a ſe conſtructum, ut, rerum omnium cura ſepoſita, uni Deo vacaret. Sub finem vitæ Columbinum abbatem cum fratribus acceſſivit, & percepto ſalutari viatico, oſculum dedit fratribus, & mox inter orandum animam efflavit quinto-decimo kalendas Februarii. Sepultus eſt in oratorio, quod ipſe ſibi conſtruxerat. In necrologio monaſterii ſancti Galli ad diem prædictum, omiſſo ſancti vocabulo, fit commemoratio *Deicoli fratris ſancti Galli.* tametſi in ejus actis nihil de illa cum ſancto Gallo conſanguinitate legitur. Eo mortuo tantum eidem loco profectum Dominus conceſſit ſub Columbini abbatis diſciplina, ut multi nobilium & præpotentum filii eo ſe conferrent, & ſe ſuaque omnia monaſterio traderent. Errant qui Columbino proxime ſubſtituunt Hiccam ſeu Ichonem abbatem, quem regnante Lothario, Lotharii imperatoris filio, vixiſſe conſtat, atque adeo duobus minimum ſæculis poſt Columbinum. Locum olim inviſimus, cum in Germaniam proficiſceremur. Arcis inſtar modo eſt, aquis circumductis, validis muris, & propugnaculis munitus. Eccleſia vetuſtatem præfert, in qua duo ingentis molis tumuli viſuntur, unus ſancti Deicoli abbatis, alter beati Columbini ejus diſcipuli & ſucceſſoris, nuper illuc cum utriuſque reliquiis allati ex proxima ſancti Deicoli eccleſia deſtructa; procera amborum corpora (quod de ſancto Deicolo tradit ejus vitæ ſcriptor) indicantes. In eo monaſterio nunc degunt pauci monachi, eo mitti ſoliti ex abbatia Murbacenſi, cui Lutrenſis modo ſubjuncta eſt.

XLVI.

Euſtaſius abbas e vita migrat.

Non diu ſuperſtes fuit Euſtaſius abbas Luxovienſis poſt ſynodum Matiſconenſem, in qua victus Agreſtius, confutatuſque eſt, brevi poſt tempore exſtinctus. Poſt hanc victoriam Euſtaſius lapſos corrigere, & ad ſuas partes revocare ſtuduit. Magna tunc ſub eo monachorum congregatio erat, ex qua eductæ in alia loca coloniæ, ubi monaſteria ejuſdem inſtituti non pauca conſtructa ſunt, & informata a Waldeberto ejus ſucceſſore. Jamque tempus inſtabat ejus tranſmigrationis in cælum, quo ejus vota preceſque ferebantur, cum data eſt ſupremi Judicis ſententia, ut quod minus in humanæ vitæ curriculo purum & ſincerum in ejus geſtis fuerat, brevis infirmitas corporis perpurgaret. Inter ardentes morbi æſtus ſibi viſus eſt aliquando interrogari, quadraginta dierum leviori, an triginta graviori dolore purgari mallet, antequam in cælos reciperetur. Ad quod ille: » Satius eſt, inquit, brevi purgari per duriores brevioris temporis pœnas, » quam diu ſuſtinere mitiores. Res illi pro voto ſucceſſit, & poſt graviſſimos triginta dierum dolores, viatico ſumto, animam Deo reddidit quarto kalendas Aprilis, ut in ſincero Adonis martyrologio legitur ad hanc diem, in hæc verba: *Depoſitio ſancti Euſtaſii abbatis, diſcipuli ſancti Columbani, qui pater ferme ſexcentorum exſtitit monachorum; & vita ſanctitate conſpicuus, etiam miraculis claruit.* Eadem verba leguntur in vulgatis Uſuardi exemplaribus, quæ deſunt in noſtro autographo. Diem ſignanter exprimit Wandelbertus in metrico martyrologio, ubi eum Euſtachium vocat. Et tamen in veterrimo kalendario Corbeienſi, litteris majuſculis ſcripto, habetur *quarto nonas Aprilis Luſſovio monaſterio depo-*

ſitio *Euſtaſii abbatis*. Sed præferenda Jonæ, aliorumque auctoritas. Adſo abbas in libro de geſtis Waldeberti ejus ſucceſſoris ſcribit, Euſtaſium in principe Luxovienſi eccleſia, quam cum beato Columbano conſtruxerat, pone aram beati Petri, magnificam ſepulturam habuiſſe. Ejus tempore ſcriptus eſt codex, modo eccleſiæ ſancti Petri Bellovacenſis, Auguſtini homilias novem in epiſtolam beati Johannis continens uncialibus litteris ſcriptas, in quarum fine ſic legitur: EXPLECITUM OPUS FAVENTE DOMINO APUD COENUBIUM LUSSOVIUM, ANNO DUODECIMO REGIS CHLOTHACHARII, INDICTIONE TERTIA-DECIMA, ANNO QUADRAGESIMO PATRIS NOSTRI FELICITER PERACTO, id eſt Columbani, ut quidem ego interpretor. qui proinde anno ſupra quingenteſimum octogeſimo-quinto in Voſagum adveniſſe dicendus eſt: ſiquidem annus duodecimus Chlotharii regis ſecundi in Burgundia regnantis, & indictio tertia-decima, quæ duo præſenti anno conveniunt, Chlothario tertio convenire non poſſunt. Annum ſatis indicat vitæ ſanctæ Salabergæ ſcriptor ſubæqualis, eum ait Euſtaſium Luxovienſibus præfuiſſe *tribus non parum minus luſtris* poſt diſceſſum beati Columbani, qui anno hujus ſæculi decimo pulſus Luxovio eſt. ANN CHR. 615.

In Euſtaſii locum, ſubdit ſcriptor mox laudatus, beatæ recordationis Walbertus « in regimine fratrum ſubvectus fuit, vir omnium fama laudabilis, eximiæque ſanc- « titatis, & in eccleſiaſticis diſciplinis non mediocriter eruditus, bonitate ac pietate « caritateque præcipuus, & doctrina exuberans. « Walafridus Strabo auctor eſt, Euſtaſio mortuo, Luxovienſes ad ſanctum Gallum ſex fratres Hibernicos miſiſſe, ut eum ad ſuſcipiendam Luxovienſis monaſterii curam invitarent. At Gallum non aſſenſiſſe, ut qui epiſcopatum & terrenas omnes dignitates ac facultates ex animo ſprevisſet. Deinde refectos piſcibus & vino quaſi cælitus accepto fratres, & apud ſe aliquot diebus retentos ad propria dimiſiſſe. quo facto, non multo poſt, expletis nonaginta-quinque annis ætatis, obierit. Verum, ut certum ſit quod de hac Luxovienſium poſtulatione tradit Walafridus, etſi ſane parum veri ſimile videtur, hominem fere centenarium ad capeſſendum celebris monaſterii regimen invitari. ut, inquam, id certum ſit; ſerius vitam produxit beatus Gallus, ſi ad hanc ætatem pervenit, ut inferius oſtendemus. Euſtaſio itaque ſucceſſit Walbertus ſeu Waldebertus, vir egregius, ex genere Sicambrorum, id eſt Francorum, ut legitur in libello de vita ſancti Germani abbatis Grandivallenſis, auctore Boboleno monacho; idem ipſe, cui una cum Chagnoaldo monacho, Burgundofaræ virginis fratre, cœnobii Eboriacenſis condendi atque ordinandi cura commiſſa eſt ab Euſtaſio abbate, teſtante Jona monacho; quem male interpretati ſunt, qui Waldebertum Chagnoaldi & Burgundofaræ germanum fratrem fuiſſe exiſtimarunt. Hunc in famoſo vico pagi Meldenſis, Nanto nomine, natum & educatum fuiſſe tradit Adſo abbas in libro de ejus geſtis, quem Incum Luxovienſi monaſterio donaſſe dicitur, & miraculorum ſignis illuſtraſſe. Ubi Nanti nomine Nantogilum-Haudoeni * ſignificari non dubito, non Vicum-Nantum *, ut quidam exiſtimant: qui locus exiguus eſt prope Nantoliacum *. Idem quippe auctor addit, ibidem fontem haberi ob ejus memoriam celebratum, qui multis ſaluberrimus ſit. quod prædicto Nantolio convenit, ubi fons copioſiſſimus viſitur.

XLVII Walbertus ei ſuccedit.

* Nanteuil-Haudoin.
* Vinant.
* Nanteüil-le.

Ad genus Waldeberti quod attinet, inclyta & locuplete familia pagi Pontivi oriundus erat. Adoleſcens militiam primo ſectatus eſt, dehinc ſæculo nuntium remittere cupiens, beati Euſtaſii abbatis conſilio Luxovium ſe recepit, multis conceſſis eidem loco prædiis, in pago maxime Pontivo, in primis Herlerio ad oram Oceani; armiſque depoſitis, quæ in teſtimonium ſacræ ejus militiæ ibidem ſuo tempore aſſervata fuiſſe idem Adſo teſtatur. Addit monſtrari adhuc quoque locum, duobus a monaſterio diſparatum millibus, ubi ſub concava rupe cellulam ſibi ædificaverat vitæ remotioris ſtudio. quæ omnia tempore Adſonis credita, & majorum traditione accepta rejici non debent, præſertim cum Adſo ea ipſa legere potuerit in veteri volumine, quo uſus eſt, de geſtis Walberti abbatis. Fuit & alter Walbertus comes Arkenſis, idemque Luxovienſis monachus, quem Johannes Iperius, aliique recentiores nonnulli perperam confuderunt cum Walberto abbate, de quo hic agimus.

Hujus tempore, ait anonymus auctor, gravis & ſuppar, in libro de geſtis ſanctæ XLVIII. Sub eo ſancti

AN. CHR. 613.

Columbani regula cum Benedictina coaleſcit.

» Salabergæ, per Galliarum provincias agmina monachorum, & ſacrarum puellarum » examina, non ſolum per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verum etiam per » eremi vaſtitatem, ex regula dumtaxat beatorum patrum Benedicti & Columbani » pullulabant: cum ante illud tempus monaſteria vix pauca illis reperirentur in locis. Huic teſtimonio ſuffragatur Jooas monachus, agens de beato Euſtaſio Waldeberti deceſſore: cujus tempore monachorum in cœnobio Luxovienſi *concio maxima erat,* » *&* quidem tanta, ut ex hoc jam multa per vicina loca monaſteria conſtroerentur, » quæ ejus ſuoceſſor beatus Waldebertus firmavit atque ædificavit, nempe ſub regulis ſanctorum Benedicti & Columbani ſimul conjunctis. Neque inſolens eſt & inuſitata ejuſmodi conjunctio regularum in uno eodemque monaſterio, ut Gregorius Turonenſis antiſtes probat de Atanenſi, nam id ſæpius inculcare juvat; in » quo non modo Caſſiani, verum etiam Baſilii & reliquorum abbatum, qui monaſte» rialem vitam inſtituerunt, celebratæ ſunt regulæ. Ejuſmodi conjunctionis regularum io cœnobiis a Waldeberto inſtitutis occaſio forte nata eſt ex objectis Agreſtii, ejuſque fautorum, Columbani diſcipulos a ceterorum monachorum ritu ac norma deſciſcere conquerentium. quod etſi ſatis ſuperque in ſynodo Matiſconenſi ab Euſtaſio refutatum videretur; tamen ne ſimilis poſt hæc querelarum occaſio oaſceretur, Waldeberto viſum eſt adſciſcere ſancti Benedicti regulam, quæ tantam apud omnes, maxime ex Gregorii Magni elogio, commendationem acceperat: ut, detractis ex regula Columbani iis, quæ ſcandalo anſam præbuerant, æmulorum invidia ex conjunctione regulæ Benedictinæ præcluderetur. Hinc Adſo abbas in libello de geſtis Waldeberti eum laudat, quod ſi quid in rebus monaſticis tempore » Columbaoi & Euſtaſii imperfectum reſtabat, omoi induſtria ſupplevit, auxit & » ad unguem perfectius elimavit, ſcilicet ex præſcripto regulæ ſancti Benedicti. Unde ſactum eſt, ut deioceps monaſteriis omnibus, quæ a beati Columbani diſcipulis Waldeberto abbate conſtructa ſunt, utraque regula præſcriberetur, ut patet de Sollemniacenſi, Gemeticenſi, Reſbacenſi, Floriacenſi, Corbeienſi, aliiſque: cujus rei teſtimonia alibi retulimus, maxime in præfatione prima ad Sæculum quartum Benedictinum. Idem factum in antiquioribus monaſteriis, Luxovienſi, Bobienſi, ceteriſque, necnon in cœnobiis virginum, quæ a ſancti Columbani diſcipulis poſtmodum inſtituta ſunt. Exemplo ſit Juſſanenſe, in cujus gratiam Donatus, tametſi Columbani diſcipulus & alumnus, cum eſſet Veſootiooenſis antiſtes, regulam ex ſancti Cæſarii, quæ virginum erat, & ex ſaoctorum Benedicti & Columbani regulis contexuit, & Juſſanenſibus monachabus id poſtulantibus tradidit. Quæ cauſa has ſanctimoniales ad id petendum impulerit, nulla alia occurrit quam ſtudium æmulandi & imitandi Luxovienſes monachos, Dooati conſodales, qui ambas Benedicti & Columbani regulas tum obſervarent. Sane his ſanctimonialibus ſufficiebat ſancti Cæſarii regula, quæ earum ſexui accommodata erat. ſed ne a patrum ſuorum exemplo tantiſper recedere viderentur, duas alias regulas, quas illi ſectabantur, ſibi a Donato cum regula Cæſarii aptari flagitarunt. Hauc itaque regulam, ex tribus illis conflatam, Juſſanenſi parthenoni Donatus impoſuit, eamque in ſuccedentia tempora obſervari præcepit ante ejus ſæculi annum quinquageſimum, quo ſere tempore vivere deſiit. Hæc eadem fortaſſe regula eſt, quæ in Camelarienſi apud Arvernos parthenooe paullo poſt obtinuit: quod virginum cœoobium vir illuſtris Geneſius fabricare adorſus eſt ſub *regula virorum ſanctorum, id eſt ſancti Benedicti, ſancti Cæſarii atque Columbani*, auctore anonymo illius temporis in priori vita ſancti Præjecti epiſcopi Arvernenſis: qui aliud item virginum ſub iiſdem regulis, aut potius ſub eadem regula ex tribus illis concinnata, inſtituit,

XLIX. Hanc in monaſteriis virorum conjunctionem regularum ſanctorum Benedicti & Columbani paſſim atteſtantur vetera quæque ſeptimi ſæculi monumenta & diplomata, quæ multitudioe ſe ſe tuentur ſua. Si enim unum aut alterum dumtaxat in hanc rem inſtrumentum haberemus, aliqua forſitan interpolationis ſuſpicio veniret io mentem. Nunc vero cum tot tamque locis & perſoois diverſa, io quibus hæc utriuſque regulæ unio deprehenditur, monumenta nobis ſuperſint; nemo de hac conjunctione jure merito controverſiam movere poteſt. Et quidem eam agnoveruot pro Sollemniacenſi monaſterio, præter ſancti Eligii conditoris chartam, ſcriptor vitæ ſancti Tillonis ejuſdem loci monachi; pro Altivillarenſi & Baſoleoſi Frodoardus, ſæculi decimi gravis auctor; Helgaldus ejus ſuppar pro Floriacenſi, pro Belueoſi anonymus

ANN. CHR. 615.

anonymus chronographus, pro Veſontionenſi veteres membranæ a Johanne Jacobo Chiffletio relatæ; & pro omnibus univerſim Ordericus [a] Vitalis; denique multa alia id genus argumenta, quibus referendis ſuperſedeo, ne pro hiſtoria diſſertationes condere videar. In ſumma, hanc ambarum regularum conjunctionem aliquando factam fuiſſe fatendum eſt. Atqui eam ante ſæculum octavum factam conſtat tum ex vetuſtis, quæ mox laudavimus, inſtrumentis, tum ex eo quod nulla hujus conjunctionis aut faciendæ, aut primum factæ veſtigia reſtent in ſæculi octavi monumentis, ſive in ſynodis epiſcoporum, ſive in diplomatibus aut capitularibus regum, ſive in ejus temporis auctorum ſcriptis: in quibus omnibus regulæ ſancti Benedicti mentio frequens occurrit, aliarum nulla, præterquam in privilegio Farfenſi. quod certe unionem hanc longe ante factam deſignat. Contra vero in ſæculi ſeptimi monumentis occurrit paſſim utriuſque regulæ conjunctæ commemoratio. Ex quibus conſequens eſt, eam conjunctionem hoc ipſo ſæculo, & quidem Waldeberto, ſi non Euſtaſio, Luxovienſi abbate factam fuiſſe. Quæ conſecutio eruditiſſimo Uſſerio [b] Armachano adeo manifeſta viſa eſt, ut, inſpecto Orderici Vitalis teſtimonio, prolatiſque quibuſdam ſæculi ſeptimi inſtrumentis, hanc ſanctorum Benedicti & Columbani regularum conjunctionem eodem ſæculo factam aſſerere non dubitaverit: « non quod una, ait ille, eademque eſſet utriuſque regula: ſed quod Columbani ſectatores, majoris profectus ergo, duas illas celeberrimas aſceticæ vitæ normas conjunxiſſent, quæ mediis hiſce temporibus in Italia, Gallia, & Germania ſolæ enitebant & apparebant. » Nemo vero clarius aut expreſſius, nemo validius hanc conjunctionem demonſtravit, quam Proſper Flemingus in diſſertatione ſingulari de ſancti Columbani monachatu ejus operibus adjecta, ubi, rejectis Auguſtinianorum eremitarum, qui eum ſibi vindicare moliti ſunt, offutiis, etiam ſententiam refutavit quorumdam e noſtris, qui ſanctum Columbanum regulæ Benedictinæ jam inde a monaſterio Bancorenſi addictum fuiſſe; ejuſque regulam non aliud eſſe, quam Benedictinæ appendicem affirmarunt. qua utraque opinatione, ut par erat, rejecta, hanc conjunctionem in cœnobio Luxovienſi ſub Euſtaſio, in Bobienſi ſub Boboleno, eodemque tempore in aliis factam admittit vir pius & doctus; ac demum in fine diſſertationis concludit, « Benedictinos non immerito ſuis & ſanctorum catalogis, & annalibus inſcribere Columbanum, ejuſque diſcipulos: utpote cum omnia, eaque celeberrima, a Columbano, ejuſque poſteris & alumnis condita monaſteria ipſis ceſſerint; inſtructique ab ipſo cæleſti ſapientia diſcipuli temporis ſucceſſu Benedictinæ regulæ documenta ſuſceperint: ut cognoſcat generatio ventura, quam præclaris Benedictinæ religionis primordia ornamentis illuſtrarit Deus, qui ad ejus ſplendorem amplificandum, ſidus illud clariſſimum, ſcilicet beatum Columbanum, tantis divinæ ſapientiæ radiis, tanta cæleſtium virtutum claritate conſpicuum, Galliæ finibus ex Hibernia tranſmiſit, nt ibi cum alio fulgentiſſimo ſidere ſancto Mauro, velut duo luminaria magna in firmamento relucentia, omnia Galliæ latibula mutuo fulgore colluſtrarent; quorum poſtea diſcipulorum ſub Benedictino coaleſcens inſtituto ardor, tanto ſe per omnes Germaniæ, Britanniæ, aliarumque regionum fines fervore & claritate diffudit, ut nullus eſſet terræ angulus, qui ſe abſconderet a calore ejus; nullus pæne chriſtianæ religionis alumnus, qui non poſſet in lumine illo videre lumen monaſticæ perfectionis. » Hactenus Flemingus, non minus doctrina & eruditione, quam chriſtianæ fidei, pro qua mortem oppetiit, confeſſione illuſtris: cujus librum etſi ego non videram, cum regulæ ſancti Columbani cum Benedictina conjunctionem propugnavi; eadem tamen uterque veſtigia tenuimus, eaſdemque ferme attulimus ſententiæ noſtræ rationes. quæ fortuita, & minime præmeditata, condictave ſententiarum, in hominibus tam diverſis, conſenſio non poteſt niſi ex ipſa rei evidentia proficiſci.

Ceterum hæc utriuſque regulæ conjunctio, & ſancti Columbani monaſteriorum in partes noſtras tranſlatio, nulla vi, nullo dolo malo, nulliſque machinis adhibitis facta eſt, ſed ex præconcepta ſancti Benedicti, ejuſque regulæ opinione & præſtantia, & maxime ex lectione dialogorum Gregorii Magni, qui regulam ipſam, ejuſque auctorem tantopere commendavit. quod quidem tanto facilius factum eſt, quod unus tunc temporis monaſticus ordo cenſeretur, nec regularum diverſitas, ut modo, ordinum diverſitatem conſtitueret. Porro hæc unio dupliei modo facta eſt, nempe vel utramque regulam ſimul integram adoptando, vel aſſumendo tantum pæniten-

[a] Orderic. lib. 8. ſub fin. p. 716.

[b] Uſſer antiquit. Britan. p. 1050.

ANN. CHR 621. tiale ſancti Columbani, tamquam appendicem & quoddam veluti ſupplementum regulæ ſancti Benedicti, qui diverſos pœnarum modos arbitrio & judicio abbatis permiſit. Prioris modi veſtigia reſtant in vetuſtis codicibus regularum, in quibus utraque regula integra cum martyrologio & necrologio legenda proponitur. Poſterioris in aliis codicibus, in quibus regulæ ſancti Benedicti ſubjicitur tantum ſancti Columbani pænitentiale cum brevi præfatione, in qua id factum dicitur ad ſupplendos variarum pænitentiarum modos, quos ſanctus Benedictus indefinitos reliquerat. Hanc præfatiunculam retulit in ſua diſſertatione Flemingus ex codice Auguſtano, quem ipſi etiam vidimus, non admodum antiquo; retulimus & nos in tomo quarto [a] Analectorum ex perantiquo codice monaſterii ſancti Galli, ſcripto ante annos octingentos. Sed, aliis prætermiſſis, modo ad ordinem revertendum eſt.

a *Analect. to. 4. p. 634.*

L. Lonegiſilus monaſterium Buxiaci condit

Sub hoc ipſum tempus Lonegiſilus * ſeu Lenogiſilus, preſbyter & monachus, conſtruxit monaſterium Buxiacenſe in pago Cenomannenſi, favente & fundum conferente Hadoindo epiſcopo. Is natione Alamannus, paganis ortus parentibus, relicta patria baptiſmum, dein monaſticas veſtes ſuſcepit. Poſt multas peregrinationes etiam Romam, venit ad Cenomannos, ubi tandem conſedit, condiditque monaſterium Buxiacenſe, quod eccleſiæ Cenomannenſi ſubjecit. Apud Chlotharium accuſatus innocentiam purgavit, & ab eo diploma regiæ tuitionis obtinuit. Ejus acta retulit Bollandus in appendicem ad diem tertium-decimum Januarii: at Lonegiſilus ipſe totam vitæ ſuæ hiſtoriam compendio, licet rudi ac ſimplici ſtilo, melius explicat in ſuo teſtamento, quod retulimus in tomo tertio [b] Analectorum in hæc verba.

* *S. Longis.*

b *Analect. to. 3. p. 151.*

Ego in Dei nomine Lonegiſilus, indignus ſacerdos, & quamvis non opere, voluntate tamen monachus, pertractans caſum fragilitatis humanæ, relinquens ſolum Alamanniæ patriæ meæ, parenteſque meos nobiles & divites, qui gentiliter vivere me cogebant, & militiæ regali me conjungebant, atque in armis exercebant, & a Chriſti militia me ſubtrahebant, & diis mortalibus me ſervire exhortabantur. ſed, ut credo, inſpiratione divina eos reſpuebam, quia vana mihi videbantur, & omnipotenti Deo me ſociare curabam. Cœpi tunc quærere chriſtianos, ut ab eis diſcerem, qualiter agerem: a quibus litteris inſtructus & baptizatus, chriſtianus effectus ſum. Poſtea vero cœpi loca ſanctorum & monaſteria frequentare, & quærere loca, ubi aliquam cellulam ædificare potuiſſem. Taliter Domino ducente perveni in pagum Cenomannicum, ubi a domno Hadoindo, domino meo, amabiliter ſum ſuſceptus. cui voluntatem meam manifeſtavi; atque, qualiter ab infantia mea egeram, pateſeci. a quo & confortatus, cœpi in eodem pago ejus auxilio & exhortatione quærere, ubi aliquam cellulam ad lucrandas animas facerem. Quadam autem die perveni ad Buxiacum vicum canonicum, ubi delectatus ſum a presbyteris & pagenſibus ejuſdem loci, quibus cum voluntatem meam pateſacerem, cœperunt me exhortari, ut in eodem loco cellulam ædificarem: quia locus popularis eſt, & eleemoſyna multa ibidem venit, & populus noſter amans Deum, qui ſufficienter mihi facerent, in tantum ut locum ab epiſcopo impetrarem. qui ſtatim mihi dederunt hereditates eorum, & multas poſſeſſiones. Cum autem hæc domino meo Hadoindo renuntiarem, egit Deo gratias, & ordinavit me ſacerdotem, & memoratum vicum Buxiacum mihi dedit una cum reliquis prædiis & adjacentiis ſuis, ea videlicet conditione, ut ſubjectus eſſem Cenomannicæ matri eccleſiæ, & quidquid conquirere & attrahere undique poteram, ſibi traderem, & prædictum monaſterium cum omnibus ad ſe pertinentibus prædictæ matri eccleſiæ, ſicut antea fuerat, cum omnibus, quæ ibi lucrari potueram, futuris eſſet temporibus: cujus manibus me libenter tradidi, & omnes res quas acquirere potui, ſeu in futuro acquirere potuiſſem, per hanc chartam delegavi perpetualiter ad poſſidendum, vel ejus ſucceſſoribus, per licentiam & permiſſum ſive conceſſum domni Chlotharii regis, una cum miſſo ſuo, nomine Buccellino, comite, legaliter tradidi atque confirmavi. Ab ipſo enim domino meo Hadoindo epiſcopo accepi de rebus ſuæ ſedis eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſanctorum Gervaſii & Protaſii, aliquam partem de villa Lucduno, una cum præfato vico Buxido, ſeu de aliis rebus, quas ei precavi, & eccleſiaſtica ornamenta multa, unde valde ditatus ſum ad ipſum monaſteriolum perficiendum: cujus adjutorio & operariis, vel magiſtris fultus, monaſterium ibidem ædificare merui. Poſtea vero ad Chlotharium regem accuſatus & adductus ſum: ſed Dominus, qui ſemper adjuvat ſperantes in ſe, ipſe me adjuvavit, & convertit ipſam accuſationem in bonum, & inveni, ejus miſericordia, gratiam Chlotharii regis; & ab eo multis muneribus ditatus ſum; atque ad prædictum monaſteriolum cenſivit annos

ANN. CHR. 625.

*ſingulos argentum ſolvere, unde illud perficere potniſſem; & tuitionem mihi fecit. Et ſic reverſus omnia illa tradidi per hae ſtrumenta memorato domino meo Hadoindo epiſcopo, & eeeleſiæ ſuæ perpetualiter tenendum, jubente & hortante domno Chlothario contradidimus, atque confir aamus, eo videlicet modo, ut ſuturis temporibus monachi, ibi ſemper regulariter viventes, ſub poteſtate pontifieis permaneant, ea ſeslicet ratione atque pratexto, ut rem datam pontificis, non judiciario more, ſed eecleſiaſtico, ſub integra emunitate, ſicut a nobis huc uſque poſſeſſum eſt in jure, orat.rio ſancti Petri (cujus dentem Roma, Domino tribuente, ſuper corpus & ſuper altare ejuſdem ſancti Petri, ipſo principe Apoſtolorum revelante, invenire merui, & domino meo Hadoindo epiſcopo deferre: quem ipſe ſnis precibus Domino commendavit, & in prædicto noſtro oratorio ſollemniter collocavit;) memoratum noſtrum monaſteriolum per hanc paginam teſtamenti reddo domino meo Hadoindo epiſcopo: & quidquid acquiſivi, ſive deinceps acquirere potuero, in omnibus rebus, tam mobilibus, quam & immobilibus, trado atque transfundo in jure & poteſtate ac dominatione ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu-Chriſti vel ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii: ut eorum rectoribus atque pontificibus debeat, Deo protegente & opitulante, conſiſtere, &c. Actum Sagonna * mallo publieo. Data* VIII. *kalendas Decembris, anno* XLII. (ſic legendum videtur, *non* LII.) *regnante Chlothario rege.* * Sogne.

Huic inſtrumento ſubſcribunt, poſt Lonegiſilum, Medegiſelus Turonicæ urbis archiepiſcopus, Magnobodus epiſcopus, nempe Andecavenſis, & Abbo epiſcopus incerti loci, forte Mettenſis; tum Odilardus, Leobadus, & Ratgaudus comites; & poſt eos Benedictus, Syagrius, & Leutfridus abbates, cum aliis nonnullis inferioris dignitatis. Buxiacus ſeu Buxidus ſitus fuiſſe videtur in pago Sagonnenſi * apud Cenomannos, quo in pago hactenus viſitur parœcialis eccleſia ſub nomine & patrocinio ſancti Lonegiſili *, cum prioratu abbatiæ ſancti Vincentii unito. Qui Lonegiſilum ſacerdotio apud Arvernos ordinatum tradunt, teſtimonio revincuntur ipſius Lonegiſili, qui ab Hadoindo ſe ordinatum fuiſſe hic aſſerit. Alias hac de re, tum Hadoindi epiſcopi, tum Chlotharii regis, litteras prætermitto.

* *le Sonnois.*
* *S. Longis.*

LI. Ebronienſis abbatia conditur.

Eidem epiſcopo tribuenda ſunt primordia monaſterii beatæ Mariæ in loco Ebronio, qui antiquitus *Avrion*, modo *Evron* vernacule appellatur. Eo in loco Turibium, Cenomannorum epiſcopum ſecundum, jam pridem eccleſiam conſtruxiſſe tradunt, conceſſo ipſi Rupiaco, in cujus territorio *Avrion* ſitum erat, haud longe a Sarta fluvio. Rupiacus porro locus erat, quem Innocentius Cenomannorum præſul beato Mauro [a] ad conſtruendum monaſterium deſignaverat. Forte [b] evenit, ut tempore Hadoindi, undecimi ejuſdem ſedis antiſtitis, peregrinus quidam reliquias ſanctæ Dei genitricis Mariæ, hoc eſt de lacte ejus, ſecum deferens, ad eum locum perveniret, feſſuſque ibidem procumbens obdormiret ſub quadam arbore, ad quam prædictas reliquias ſuſpendit. Inde ſomno refectus cum recedere vellet, iter proſecuturus, reliquias auferre (ſic rem memorant) non valuit. Hoc comperto, Hadoindus ad locum acceſſit, & rem nutu divino factam haud dubitans, eccleſiam iſtic & monaſterium beatæ Mariæ conſtruxit, ibidemque prædictas beatæ Virginis reliquias honorifice collocavit, incluſo trunco arboris ſeu ſpinæ, ad quam ſuſpenſæ fuerant; & monachorum, qui inibi Deo deſervirent, cœtum inſtituit. Primus loco præfectus eſt abbas Agobertus, qui & ipſe condendo cœnobio ſuppetias contulit, teſtante ipſo [c] Hadoindo in ſuo teſtamento, quo ampliſſima prædia Evronienſibus monachis legavit. Multi nobiles ejus exemplo eidem monaſterio poſſeſſiones contulerunt. Exſtat ejuſdem Hadoindi precaria, qua idem epiſcopus Sigiramno abbati Aninſulenſi res monaſterii ſui confirmaſſe dicitur, ſub conditione annui cenſus, cum præcepto hac de re Dagoberti regis. quales chartæ ſeu precariæ a ſingulis poſt Innocentium Cenomannorum epiſcopis factæ referuntur in geſtis eorumdem epiſcoporum, ut his inſtrumentis Aninſulenſis monaſterii ſubjectionem eccleſiæ ſuæ aſſererent: quas tamen precarias Aninſulenſes in controverſiis de ſua ſubjectione ſubinde excitatis agnoſcere noluerunt. Hic Sigiramnus abbas ante monaſticam profeſſionem conjugatus fuerat, cujus filius Siviardus eidem poſtea in regimine monaſterii Aninſulenſis ſucceſſit, is qui ſancti Carileſi, ejus loci conditoris & abbatis primi, geſta litteris mandavit.

[a] *V. lib. 5. n. 9.*
[b] *Analect. to. 3. p. 259.*
[c] *Ibid. p. 260.*

Sigiramnus abbas Aninſulenſis.

Siviardi abbatis parens.

LII. Synodus Remenſis.

In concilio Remenſi hujus anni ſub Sonnatio nihil, quod ad res monaſticas pertineat, ſtatutum eſt, tametſi epiſcopi e monachis inſignes, & in monaſticam rem

ANN. CHR 625.

publicam optime affecti ei interfuere, Donatus Veſontionenſis, Sulpicius Bituricenſis, Chagnoaldus Lugduni-clavati, & Palladius Autiſiodorenſis, ne quid dicam de Hadoindo Cenomannenſi, cujus propenſum in monachos ſtudium ex dictis comprobavimus; & de Arnulfo Mettenſi, qui paullo poſt abdicata dignitate, in ſolitudinem ſeceſſit, & monaſticum inſtitutum amplexus eſt. Id tamen ad propoſitum noſtrum nonnihil facit, quod canone decimo ſancitum eſt, ut, ſi clerici vel ſæculares oblationes parentum eccleſiis aut monaſteriis factas retinere vel auferre præſumſerint, ut necatores pauperum, quouſque reddant, ab eccleſiis excludantur.

LIII. Northumbrenſium converſio per Paulinum epiſcopum.

a Beda lib. 2. c. 9.

Hoc ipſo anno contigit ordinatio Paulini epiſcopi Eboracenſis primi, unius e primis monachis a Gregorio in Britanniam cum Auguſtino miſſis: cujus opera Northumbrenſes Britanniæ populi, qui ad aquilonarem Humbri fluminis plagam habitabant, cum rege ſuo Edwino chriſtianam fidem ſuſceperunt. Venerabilis Beda a rem hoc modo commemorat. Cum Edwinus, quaſi in ſuſcipiendæ fidei auſpicium, regni ſui fines ſupra deceſſores ſuos prolataſſet, viſum eſt ipſi in regii thori conſortium adſciſcere Ethelburgam, quæ alio nomine Tate vocabatur, Ethelberti, Cantuariorum quondam regis, filiam. Miſſi in Cantium nuntii, regiam virginem a fratre ejus Eadbaldo, qui tunc apud Cantuarios regnabat, petituri. Legatis objectum eſt religionis diſcrimen, reſponſumque nefas eſſe chriſtianam virginem pagano regi in conjugium dari, ne ſacra fides & cæleſtis Regis ſacramenta pollverentur conſortio regis, qui veri Dei cultus expers eſſet & ignarus. Hæc referentibus nuntiis, Edwinus promiſit ſe nihil omnino chriſtianæ fidei, quam regia colebat virgo, contrarium eſſe facturum: quin potius permiſſurum, ut ipſa ſuæ religionis fidem cultumque, cum omnibus qui ſecum venirent, viris ſive feminis, ſacerdotibus ſeu miniſtris, more chriſtiano libere palamque profiteretur. Quin etiam ſe forte eamdem ſubiturum eſſe religionem, ſi modo a viris doctis & prudentibus examinata, ſanctior ac Deo dignior probaretur. His conditionibus promittitur virgo, eaque Edwino mittitur, deducta a Paulino, qui idcirco epiſcopus ordinatus eſt a Juſto Cantuarienſi archiepiſcopo, ſub die duodecima kalendarum Auguſtarum, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo viceſimo-quiuto. In id vero Paulinus maxime intendit, ut ne quiſquam eorum, qui ſecum ex Cantio venerant, a religione deficeret, ſed omnes potius, Deo juvante, in fide contmerentur: tum, ſi quos ex paganis poſſet, ad fidei gratiam prædicatione converterentur.

ANN. CHR. 626.

LIV. Qua occaſione.

ANno ſequenti ſubmiſſus a Quichelmo occidentalium Saxonum rege nefarius quidam ſicarius, vocabulo Eumerus, ſpecie, quaſi nuntium domini ſui referret; re vero, ut Edwinum regem enſe bicipiti toxicaro e medio tolleret; pervenit ad regem, in villa regali juxta amnem Dorowentionem commorantem; &, quaſi Edwinum ſalutaturus, evaginata ſica, quam veſte occultabat, impetum fecit in regem. Mox Lilla, miniſter regis fidiſſimus, ſcuto deſtitutus, quo dominum protegeret, medium interpoſuit corpus ſuum ad ictum ferientis: ſed ſicarius tanta vi ferrum infixit, ut per corpus Lillæ percuſſi regem vulneraret. qui cum undique gladiis impeteretur, in ipſo tumultu etiam alium e ſatellitibus regis ſica peremit. Eadem autem nocte ſacroſancta dominicæ paſchæ contigit, ut regina pareret filiam, cui nomen Eanfledæ inditum eſt. Cumque rex, præſente Paulino, diis ſuis pro nata ſibi filia gratias ageret; contra epiſcopus Chriſto Domino gratias agere cœpit, regi aſſerens, ſe precibus ſuis apud Deum obtinuiſſe, ut regina incolumis, & abſque gravi dolore ſobolem pareret. His verbis rex delectatus, pollicitus eſt, ſe, ejuratis idolis, Chriſto mancipatum iri, ſi vitam ſibi donaret, victoriamque pugnanti adverſus regem, a quo ſicarius ille, qui ſe fauciaverat, miſſus eſt; atque in promiſſi ſui pignus, filiam ſuam baptiſmi fonte Chriſto conſecrandam Paulino tradi juſſit. Hæc vero baptizata eſt die ſancto Pentecoſtes, & quidem prima de gente Northumbrorum, cum duodecim aliis ex regia familia. Eodem tempore rex e vulnere ſibi inflicto omnino convaluit, collectoque exercitu adverſos occidentales Saxones proceſſit; tum prœlio inito victor, univerſos, quotquot in necem ſuam conſpiraſſe didicerat, aut occidit, aut in deditionem accepit. Sic victor in patriam reverſus, non tamen ſtatim & inconſulte ſacramenta fidei chriſtianæ, uti promiſerat, percipere voluit: ſed primo quidem a Paulino ejus myſteria ſibi explicari; deinde ipſe apud ſe

ANN. CHR. 626.

ſe, quæ ejus prudentia erat, quid ſibi faciendum, quæ religio ſervanda eſſet, animo revolvere, ac ſerio tractare cœpit. Interim Bonifacins papa quintus, cui forte hac de re Paulinus ſcripſerat, litteras [a] viro glorioſo Edwino regi Anglorum direxit, quibus eum ad capeſſendam religionem chriſtianam animabat, propoſito exemplo Eadbaldi Cantuariorum regis; ſimul inculcans, prorſus alienum eſſe a ſapientia prudentiſſimi regis ea colere, quæ manibus hominum fabricata, nihil vitæ aut intelligentiæ, nullam ſive lædendi, ſeu juvandi facultatem habeant. Alias cunſimilis argumenti ſcribit pontifex dominæ glorioſæ filiæ Ethilburgæ reginæ, quam laudat ob ſuſceptam olim fidem; hortaturque, ut glorioſum conjugem ſuum ab idolorum cultu ad chriſtianam fidem convertere ſtudeat: ut, quos copulatio carnalis affectus unum quodam modo corpus efficit, eoſdem quoque unitas fidei, etiam poſt hujus vitæ tranſitum, in perpetua ſocietate conſervet. Ambos vero, regem ſcilicet ac reginam, muneribus donat Bonifacius: qui, cum ſuperiori anno vita functus ſit menſe Octobri, eas litteras anno ſuperiore ſcripſiſſe cenſendus eſt: tametſi ad hunc annum a Beda referantur. Hærentem nihilo minus & cunctabundum Edwinum cujuſdam viſi recordatio ad credendum perpulit.

[a] Beda lib. 2. c. 10 & ſeq.

Fuerat is ante adeptum regnum exſul apud Redwaldum Anglorum regem, propterea quod ab Ethelfrido, qui ante eum apud Northumbrenſes regnaverat, ad necem quæreretur, etiam promiſſa Redwaldo pecunia, ſi eum in manus inimicorum tradere ſuſtineret. Acquieſcente tandem Redwaldo, interceſſit quidam Edwini amicus, qui eum de occultis adverſariorum machinationibus commonefecit, & ſuam ad eum liberandum operam ſponte obtulit. Edwinus pactum cum Redwaldo a ſe initum obtendit, ſimulque latendi, quocumque demum fugeret, evadendique difficultatem. Abeunte amico, cum Edwinus ſolus ante palatium mæſtus reſideret, quid ageret, quo ſe verteret incertus; ſubito intempeſtæ noctis ſilentio vir quidam incogniti vultus & habitus ad ipſum accedit, ſalutatumque interrogat, cur illa hora, ceteris quieſcentibus & alto ſopore depreſſis, ſolus ipſe mæſtus ſuper lapidem ſederet. Reſpondenti nihil ad hominem pertinere; vir ille incognitus repoſuit: Sibi cauſam ejus triſtitiæ probe compertam eſſe, nec deeſſe facultatem eum liberandi ex his anguſtiis, immo & in regio ſolio conſtituendi, ſi quid ipſi mercedis dare vellet. Nihil non promiſſum homini, ſi talia exſequeretur. Sed quid ſi, ait ille, conſilium tibi dedero tuæ ſalutis ac vitæ longe melioris & felicioris, quam quæ majoribus umquam tuis conceſſa eſt? Non diſtulit Edwinus promittere, ſe in ejus auctoritate ac doctrina futurum, qui ſe tot ac tantis anguſtiis & inſidiis ereptum, ad regni faſtigium proveheret. Tum ille, dextra capiti ejus impoſita: Cum hoc, inquit, ſignum advenerit, memor eſto eorum, quæ nunc mihi promiſiſti; eaque incunctanter adimplere ne differas. Et his dictis, repente evanuit. Tum reverſus amicus, eum de emendata & propenſa Redwaldi in Edwinum voluntate certiorem fecit. Nec vana fides. nam Redwaldus ei auxiliares copias ſuppeditavit ad debellandum Ethelfridum; nec deſtitit ab officio, dum, eo occiſo, Edvvinus in regnum, juxta oraculum quod ante acceperat, ſublimaretur. Totius rei geſtæ Paulinus haud ignarus, manu capiti ejus (quod vatis ſignum erat) impoſita, promiſſum urget. Rex attonitus, ſe quidem paratum eſſe dixit ad ſuſcipiendam fidem: ſed velle adhuc cum amicis & præcipuis conſiliariis de re tanti momenti conferre ac colloqui: ut, ſi & illi eadem cum eo ſentire vellent, omnes ſimul in fonte vitæ Chriſto conſecrarentur. Paulinus aſſenſit. Facta cum ſuis collatione, omnibuſque ad Paulini prædicationem conſpirantibus in chriſtianam religionem, rex omnium conſilio ſimulacra & profanas aras everti juſſit; idque unus ejus ſacrorum pontifex, armis a rege & equo emiſſario acceptis (neque enim pontificem ſacrorum illorum profanorum vel arma ferre, vel niſi in equa [b] incedere fas erat) ſtrenue & impigre exſecutus eſt.

[b] ib. c. 13.

LV. Blidulfus monachus ob fidem male habitus.

Per id tempus in Italia dux erat Langobardorum Ariovaldus, gener Agilulfi quondam regis, qui poſt Adalvaldi cognati obitum regnum Langobardorum obtinuit, homo ſectæ Arianæ. Forte Blidulfus preſbyter & Bobienſis monachus, quem una cum Jona monacho Seguſium profectum ſuperius diximus, Ticinum miſſus ab Attala abbate, in ipſum incidit. quo conſpecto Ariovaldus ad ſuos converſus dixit: Hic de Columbani monachis eſt, qui Arianis ſalutantibus abnuunt referre vicem. Inde jocabundus ſalvere Blidulfum juſſit. cui monachus: Grata mihi ſalutatio tua eſſet,

ANN. CHR. 626.

niſi tu ſeductoribus tuis, & nefariis de Chriſto Deo doctrinis aſſentires; ſed potius in una deitate trinitatem crederes. Quæ cum audiſſet rex, indignatione accenſus: Prô Deum, inquit, cur miniſtrum non habeo, per quem intemperantem hujus monachi procacitatem ulciſcar! cui unus e ſtipatoribus: Atqui ego ſummo ſtudio præſtabo operam, inquit. Et annuente rege, primis tenebris monachum ab amico, qui eum ad cœnam invitaverat, ſe recipientem, ſolus ſolum aſſecutus, vulneribus multis affecit, ac nemine audiente aut vidente, pro exanimi in via reliquit. Haud ita multo poſt Juſtus preſbyter, apud quem Blidulfus hoſpitabatur, vicem monachi ſollicitus, veritus, id quod res erat, ne in Arianos incidiſſet, ad eum perquirendum ſe dedit, ac demum cum eum humi jacentem reperiſſet, perinde ac ſi ſopore oppreſſus eſſet, excuſſit. quo motu Blidulfus, gravi quaſi e ſomno excitatus, ſurrexit incolumis, quaſi nihil adverſi paſſus fuiſſet. Peractis demum quorum gratia Ticinum venerat negotiis, ad monaſterium rediit.

Interim qui tanti patrator facinoris fuerat, mox a dæmone correptus, ultro ſuum flagitium prodidit. qua re palam facta, vox in populo increbruit, talem exitum manere omnes, qui aut monachos Bobienſes læſiſſent, aut Arianis hæreticis ſtuduiſſent. Ariovaldus autem, ne quid ſimile ſibi eveniret, magnopere timens, percuſſorem cum ſociis ad Attalam miſit, atque ut ignoſceret poſtulavit, ſeque ad ejus obſequium paratum eſſe, ſi munera ſua recepiſſet, præ ſe tulit. quæ aſpernatus Attala, monachis tamen, ut pro ſalute ſcelerati hominis ſupplicarent, admonitis, ipſum priſtinæ ſanitati reſtituit. Aſt homo infelix non diu hoc beneficio fruitus eſt. nam domum reverſus, vehementi febre correptus, in ipſo morbi æſtu exſpiravit. quem nequaquam in communi aliorum cœmeterio humare auſi ſunt, ſed ſeorſim in conſpicuo loco, ut omnes intelligerent, indignum eſſe communi ſepulturæ honore, qui in Bobienſes monachos tam inhumanus fuiſſet.

Item Meroveus.

* *In Scrivia.*

Simile quid eodem tempore accidit Meroveo ejuſdem loci monacho. Is a beato Attala Dertonam in urbem miſſus, cum longius ab urbe progreſſus, ad quamdam villam Iriæ * fluvio adjacentem acceſſiſſet, ibi fanum quoddam arboribus conſitum reperit. quo viſo, zelo accenſus, allatum ignem, congeſtis in modum pyræ lignis, admovit. Id ubi adverterunt ipſius fani cultores, ſtatim Meroveum fuſtibus cæſum & pæne contuſum in flumen præcipitant, eumque ſubmergere conantur. Verum unda monachum non recipiente, iidem mane conſilio inito rurſus eum ſuper undas proſternunt, & ſuper eum materiam congerunt, ut depreſſus aquis obrueretur. Cumque jam ſe rem perfeciſſe crederent, eo relicto inde recedunt. At Meroveus nihil moleſtiæ paſſus, a fluvio ſurgit incolumis, & diruptis nexibus ſoſpes Dertonam, ac demum Bobium regreditur. Contra vero adverſariis ejus accidit, qui omnes diverſis calamitatibus affecti ſunt, quorum nonnulli in Bobienſe monaſterium adducti, quibus pænitentiæ medicina remedium attulit.

LVI.
Agibodus monialium rector pie obit.

Erat in eodem monaſterio monachus quidam, Agibodus nomine, ſub Columbano a ſæculo converſus, ſimplex, cujuſvis doli & malitiæ expers, obedientia & religione ſingulari præditus, cui beatus Attala ſanctimonialium cœnobium regendum commiſerat. Huic in extremis agenti, & mox e mundo migraturo cum fratres ſuprema perſolverent officia, atque de more ad pſallendum parati eſſent; egreſſa e corpore ejus anima, æternam lucem ſibi paratam vidit, ſolemque miro ſplendore fulgentem. Hoc ſpectaculo attonitam unus e cælicolis bono animo eſſe juſſit, eamque hac admirabili luce ipſa die fruituram aſſeruit: ſed interim ad fratres ſuos rediret id eis nuntiatura. Reverſa itaque, ut Jonas narrat, in corpus anima, rem fratribus retulit Agibodus; ac demum, *ſumto ſacratiſſimo Domini corpore*, omnibus oſculo præbito, ad promiſſam lucem migravit. Hoc documento demonſtrare voluit clementiſſimus Deus, eos qui ſimili ſimplicitate præditi vivunt, obedientiæ & mortificationi ex animo addicti, eamdem manere remunerationem & æterni luminis claritatem.

ANN. CHR. 627.
LVII.
Attala abbas ad Chriſtum migrat.

POſtero anno & ipſe ſanctiſſimus abbas Attala ex his tenebris ad ſempiternam illam lucem migravit. Cum vero jam ſupremos ageret anhelitus, ſe extra cellulam educi juſſit; atque e ſtratu ſuo ſurgens, ſuſtentantibus ſe fratribus, crucem ad cellulæ ſuæ ingreſſum a ſe erectam, ut cellulam ingrediens egrediensve tactu
» ejus frontem muniret, lacrymarum plenus in hæc verba ſalutavit: Salve, alma crux,
» quæ mundi pretium portaſti, & noſtris vulneribus attuliſti medicinam: tu, inquam,

AN. CHR. 617.

illita Salvatoris cruore, qui ad redimendum genus humanum, geminamque veteris Adæ maculam abſtergendam in has miſerias deſcendit; tu mihi ſis vexillum ad patriam cæleſtem. Dixerat, moxque precatur omnes, ut ſe ſolo illic relicto, paullíſper abſcedant. Egreſſis omnibus præter unum Blidemundum monachum, qui poſt tergum viri Dei id neſcientis tacito anhelitu ſtabat, ne quid ei forte adverſi contingeret; Dei clementiam vir ſanctus cum multis lacrymis implorare cœpit, ut ſui miſertus, veteres maculas ablueret, nec ſe a cæleſti præmio rejiceret. Tum inter frequentes ſingultus & lacrymas in cælos ſuſpiciens, eoſdem ſibi apertos vidit. qua de re immenſas omnipotenti Deo gratias egit, qui tam benigne ſecum ageret. Facto deinde ſigno, omnes denuo adeſſe juſſit, ac cellulæ redditus eſt. Poſtera die, univerſis fratribus vale dicto, omneſque exhortatus, ut ne cœptum iter deſererent, ſed contra ſemper proficerent in melius, animam cælo reddidit, cujus ingreſſum ſibi reſeratum pridie viderat. Obiit VI. idus Martias, teſte Uſuardo, qui eum Attalum vocat. Erratum eſt in quibuſdam Uſuardi exemplaribus, ubi *Luxovio monaſterio* ejus obitus aſſignatur, quem in Bobienſi accidiſſe conſtat. Rectius in noſtro autographo ad diem ſextum ante idus Martias: *Ipſo die ſancti Attali abbatis, diſcipuli ſancti Columbani.* Eodem die in antiquiſſimo kalendario noſtro, *ſancti Attalæ abbatis* memoria recolitur. Succeſſorem in Bobienſis monaſterii regimine habuit Bertulfum, virum peræque ſanctum, qui anno ſequenti privilegium ab Honorio papa obtinuit. Utriuſque geſta Jonas, ejuſdem cœnobii monachus, in litteras retulit, qui ſuperius factum a Blidemundo ipſo accepit.

LVIII. Blitmundus Leuconaum redit.

Blidemundus, hic a Jona laudatus, haud alius eſt a Blitmundo, ſancti Walarici Leuconaenſis abbatis diſcipulo, quem eo mortuo Bobium ſe recepiſſe ſuperius [a] diximus. Paullo aliter prædictum Attalæ factum in libello de vita ſancti Walarici legitur: ſed res utrobique fere in idem recidit. Addit libellus, Blitmundum ſæpe ab Attala petiiſſe, ut ſibi Leuconaum redeundi, ac ſancti Walarici cellam reviſendi facultas concederetur: ſed Attalam ſemper reſtitiſſe, dum morti proximus, viſa beati Walarici gloria, Blitmundo tandem indulſit quod petebat. Mortuo itaque Attala, Blitmundus Leuconaum repetit, & annuentibus Chlothario rege & Ambianenſi epiſcopo, ibidem monaſterium inſtauravit, constructa inſigni baſilica, in qua ſancti Walarici corpus repoſuit. Reverſus ergo eſt Leuconaum Blitmundus ante mortem Chlotharii regis, quæ accidit anno ſequenti, ejuſdemque loci abbas ſecundus fuit: quinam vero abbates ei ſucceſſerint, incertum, nec fere quicquam amplius de hoc monaſterio reſcimus ante tranſlationem ſancti Walarici corporis Monaſteriolum [k] Ambianorum, de qua ſæculo decimo acturi ſumus. Colitur in eodem monaſterio Leuconaenſi ſanctus Blitmundus una cum ſancto Walarico, quem nautæ patronum agnoſcunt, eum invocare ſoliti, cum marino diſcrimini ſe committunt. Exſtat prope Leuconaenſe monaſterium ejus oratorium, eo ſcilicet in loco, ubi & ſubinde, dum viveret, ſeorſim a fratribus degebat, & poſt mortem ſepeliri voluit: quo in oratorio, ex quo in mare proſpectus eſt, nautæ iter ſuſcepturi Deo ſub ſancti Walarici patrocinio ſe commendant. Willelmus Conquæſtor, Anglicam expeditionem ſuſcepturus, cum menſe Auguſto ad ſanctum Walericum veniſſet, habito cum ſenioribus conſilio, corpus ſancti Walerici foras efferri, & pro vento deprecando ſub divo exponi juſſit, quod recte ipſi ſucceſſit, teſtante Willelmo Malmeſburienſi monacho, & poſt eum Matthæo Pariſio.

LIX. Edwinus rex cum ſuis baptizatur.

Et nos hinc ſolvamus in eam inſulam, ut Northumbrenſium converſionem a Paulino prius cœptam, ſed modo perfectam videamus. Abjectis, ut præmiſſum eſt, everſiſque idolis & ſimulacris, rex Edwinus ſalutari tandem lavacro expiari, Chriſtoque mancipari conſtituit, ſuoque exemplo non modo regiam familiam, ſed etiam nobiles quoſque & infinitam promiſcuæ plebis multitudinem ad idem faciendum animavit. Id factum Eboraci anno regni [b] ejus undecimo, anno præſenti incarnationis dominicæ ſexcenteſimo viceſimo-ſeptimo, & quidem ipſo die paſchæ pridie idus Aprilis, in eccleſia beati Petri apoſtoli, quam ipſe ex ligno, cum catechizaretur, tumultuario opere conſtruxerat. Ubi vero ſacro fonte regeneratus eſt, auguſtiorem ex lapide, in qua prædictum oratorium incluſit, baſilicam regia magnificentia ædificare cœpit, monente & dirigente Paulino doctore ſuo & baptiſta, cujus ſedem epiſcopalem ibidem aſſignavit. Sed priuſquam fabrica ejus baſilicæ conſummata eſſet, rex pius, impia nece occiſus, iſtud opus Oſwaldo ſucceſſori ſuo perficiendum

[a] *lib.* 11. *num.* 33.

[k] *Montreuil.*

[b] *Beda lib.* 2. *c.* 14. *& ſeqq.*

ANN. CHR. 617.

reliquit. Tantus autem gentis illius in ſuſcipiendis chriſtianæ religionis myſteriis & ſacramentis fervor, tantaque devotio fuiſſe perbibetur, ut aliquaodo apud Bernicios Paulinus, per triginta-ſex continuos dies, a catechizandi & baptizandi officio a prima luce ad veſperam non deſtiterit, & baptiſteriorum defectu confluentes populos in fluvio Gleni baptizaverit; idemque factum in provincia Deirorum, ſeu Eboracenſi, & in Lindiſſenſi. Nec in populorum ſuorum converſione ſtetit Edwini regis in rem chriſtianam ſtudium & devotio ſingularis. quin etiam ad eamdem

Orientalium Anglorũ converſio.

orientales Anglos adduxit cum eorum rege Eorpwaldo, Redwaldi, apud quem olim exſulaverat, filio: qui tamen poſtea domum reverſus, ab uxore ſua & perverſis quibuſdam doctoribus dementatus, a fidei ſinceritate defecit, ita ut Chriſto ſimul & profanis diis cultum adhiberet. Eodem etiam in errore tota ejus provincia tribus annis verſata eſt: quibus elapſis, rex impius necatus regnum fratri ſuo Sigberchto reliquit, viro per omnia religioſiſſimo & in chriſtianis myſteriis perfecte erudito, qui fidei ſacramentis imbutus fuerat in Gallia, dum ibi vivente fratre exſularet. Eo regnante, Angli orientales ad fidei puritatem reverſi ſunt, cooperante piiſſimo regi Felice epiſcopo Gallo, qui e Burgundionum partibus, ubi ortus ordinatuſque fuerat, iſtuc ab Honorio papa directus fuerat. Edwini regis & Northumbrenſium

Honorii papæ epiſtola ad Edvvinum.

converſione comperta, Honorius pontifex, eo nomine primus, qui Bonifacio quinto ſucceſſerat anno ſuperiori, Paulino [a] epiſcopo pallium miſit, ſimulque gratulatorias ſcripſit litteras, domino excellentiſſimo atque præcellentiſſimo filio Edwino regi » Anglorum, quem tum primum vere factum regem aſſerit, cum ſupremum Regem » ac Creatorem agnoſcere cœpit & colere. Eumdem hortatur, ut aſſiduis precationibus, piiſque factis fidem, quam accepit, obſervare contendat, nec umquam a lectione & doctrina ſancti Gregorii domini ſui apoſtolicæ memoriæ, a Paulino ſibi tradita recedat. Denique ſe duo pallia mittere pro duobus metropolitanis, Honorio & Paulino: ut, uno eorum deficiente ac decedente, alter in ejus loco ſucceſſorem ſubrogare valeat. Jam ergo tum, cum hæc epiſtola ſcripta eſt, Honorius epiſcopus Juſto in ſede Cantuarienſi ſucceſſerat: quod nonniſi poſt annos ſeptem accidiſſe inferius videbimus. Ad id uſque tempus tres tantum in Britannia inſula ſedes epiſcopales erant, omnes a monachis noſtris fundatæ: metropolitanæ duæ, Dorowernenſis ſeu Cantuarienſis, quæ & ipſa primatialis eſt; atque Eboracenſis; tertia Roffenſis. Hoc anno Cantuarienſi Juſtus, Paulinus Eboracenſi præerat; Roffenſi autem Romanus.

a *ibid. c.* 17.

L X. Richarius Centulenſe monaſterium conſtruit.

Inter ea Richarius, jam preſbyter & ferventiſſimus concionator, non modo popularibus ſuis, ſed etiam Britannis verbum Dei prædicabat. Erat is nobilis Pontivenſis, *ſtemmate præcelſo*, ut verſus Alcuini in fronte ſepulcri docent; ſed moribus & virtute longe nobilior, in villa Centula natus, ubi poſtea inſigne monaſterium in proprio fundo conſtruxit. Cum eſſet adoleſcens, contigit iſtuc ex Hibernia divertere duos ſacerdotes, virtute ac meritis præſtantes, quos beati Columbani ſocios fuiſſe tradunt. unus Caidocus, alter Frichorius vocabatur, ad emolliendam linguæ barbaræ nomenclationem, poſtea dictus Hadrianus. Hos cum humaniſſime excepiſſet Richarius, eorum monitis & prædicatione in virum alterum mutatus repente eſt. Quo tempore Centulenſis monaſterii fundamenta jecerit, ignorare nos ſivit Alcuinus ejus vitæ ſcriptor, qui, ut nihil de monaſterii conſtructione, nihil etiam de Richarii parentibus, nihil de monaſtica ejus profeſſione & abbatiali dignitate nobis ſcriptum reliquit. Paucis multa complexus eſt ſub hoc diſticho, quod in dextro ſepulcri ejus latere apponi curavit.

Poſtpoſito mundi quo grandi fulſit honore,
Amplas divitias ſprevit amore Dei.

Monaſterii conditionem Hariulfus monachus, Centulenſis chronici ante annos ſexcentos ſcriptor, refert poſt Richarii in Britannia prædicationem; aitque virum ſanctum illud *in paterno ſolo* conſtruxiſſe. Id factum hoc modo conjicio. Caidoci & Frichorii verbis & exemplis ad meliora converſus Richarius, Centulæ monaſterium eorum gratia ædificare conſtituit: ubi ambo reliquum vitæ exegerunt, & poſt mortem ſepulti ſunt, publico cultu ibidem honorati. Ab iis forte in rebus monaſticis informatus Richarius, poſtea ſacerdos ordinatus, finitimis populis, atque etiam

Britannis

ANN. CHR. 627.

Britannis verbum Dei prædicavit. Hoc facto, reverſus eſt in patriam, ait Alcuinus: ne dum in aliena meſſe quæreret mercedem, in propria perderet; & tanto ſe ardentius ſervituti Dei ſubegit, quanto viciniorem ſibi diem remunerationis eſſe præſenſit. quæ Alcuini verba ſatis innuunt, jam conditum fuiſſe monaſterium Centulenſe, cujus abbatem primum Richarium tacite agnoſcit, cum Ocioaldum ejus ſucceſſorem vocat & abbatem. Cum aliquando nobilem, ac Deo devotam matronam, Rictrudem nomine, viſitaſſet Richarius, & ſumto cibo, poſt ſalutaria vitæ cæleſtis colloquia, conſcenſo equo domum jam remeaturus eſſet; oblatum ſibi ad benedicendum ejus filiolum, quem ipſe ſacro baptiſmate regeneraverat, in ulnas accepit; & equo mox ferociente & calcitrante, puer e manibus beati viri excuſſus eſt in terram, ſed ejus precibus ſervatus incolumis. Mox manſuefacto equo, judicatum eſt, talem ejus impetum dæmonis impreſſione excitatum fuiſſe. Mauronтum vocat Hucbaldus in libro de vita ſanctæ Rictrudis, Broilenſis monaſterii auctorem futurum & abbatem. Proceſſu temporis, agente Giſlemaro, viro illuſtri, Dagobertus ad Richarium acceſſit, ut ejus ſe precibus commendaret. quem vir ſanctus libertate ſacerdotali admonuit, ut ne ſæculari ſuperbiret poteſtate, neve caducis honoribus gloriaretur, nec vanis adulantium ſermonibus ſe ſe efferret: immo potius Dei potentiam revereretur, & ad ejus gloriam referret omnia; humanam vero gloriam, quæ ſubito velut umbra, & tamquam aquæ ſpuma evaneſcit, pro nihilo duceret. Hac admonitione benigne, uti decebat, accepta, rex virum Dei ad menſam ſuam invitavit, eique aliquid de regio cenſu in luminaria eccleſiæ conceſſit, quæ Salvatori ſacrata erat. Hinc intelligimus Centulenſe monaſterium jam ſtetiſſe paullo ante, quam Dagobertus Neuſtriæ regnum, in quo Pontivenſis * pagus ſitus erat, mortuo patre obtineret; ac proinde ante annum ſequentem, qui Chlotharii ſupremus fuit. Erunt fortaſſe qui exiſtiment, Richarium profeſſioni monaſticæ tum primum ſub finem vitæ nomen dediſſe, cum ſcilicet in ſilvam Criſciacenſem cum uno ſocio ſeceſſit. Tunc quippe, ait Alcuinus, *monaſticam vitam petiit*, quo ſecretius ſola cæleſtia rimaretur. Favent conjecturæ verba ſubſequentia, ubi idem Richarius alteri dicitur tradidiſſe *eccleſiæ regimen*, quam ipſe in Centulo vico Chriſto fundaverat, nulla monaſterii, ſed tantum eccleſiæ mentione facta. Sed uterque ſcrupulus evaneſcit ex alio Alcuini loco ſub finem libri, ubi non multo poſt ſancti Richarii obitum *fratres a Centulo monaſterio cum ſuo abbate Ocioaldo*, cui eccleſiæ Centulenſis regimen ſeceſſurus dimiſerat, in cellam Criſciacenſem veniſſe, indeque ſacrum ejus corpus Centulam aſportaſſe memorantur. Erant ergo Centulæ ante Richarii receſſum monachi, quibus vir ſanctus abbatis nomine & jure præerat, monachus monachis, uti & Ocioaldus, quem ſucceſſorem ſibi deſignavit. Accedunt & Alcuini verſus in hymno de ſancto Richario, in quibus duplex cœnobium fundaſſe perhibetur, unum in Centulo, alterum prope Argubium, quem locum poſtea explicabimus.

* le Ponthieu.

LXI. Amati abbatis pœnitentia & mors.

Amatus abbas Habendenſis non diu ſupervixit Euſtaſio Luxovienſi abbati, quicum nonnihil ſimultatis occaſione Agreſtianæ factionis habuerat. Is ubi finem vitæ ſuæ imminere præſenſit, cuidam fratri familiari ſuo injunxit, ut cum Caſtorio preſbytero & monacho ſibi culcitram cinere oppletam in lectulo ſuo poneret, quoniam de quibuſdam factis ſuis pœnitere neceſſe habebat. Repugnanti fratri, & corporis ex longa abſtinentia & ætate imbecillitatem obtendenti: Facito, inquit, id quod dico. nam & olim hoc culcitræ genere clam uſus ſum, nec ex eo imbecillior, immo vegetior & fortior, Domino juvante, factus ſum. Ceterum ſalutis meæ ratio id poſtulat, eoque modo confeſſionem meam coram omnibus facere conſtitui, & legitima pœnitentia accepta, e ſæculo exire. Factum eſt quod præcepit vir Dei: tum ille, poſt non multos dies, accitis fratribus, quidquid ſe deliquiſſe meminit, in cinere & cilicio proſtratus publica voce confeſſus eſt. Etſi vero gravi teneretur infirmitate, hanc tamen pœnitentiam per anni circulum continuare inſtitit, non mediocri animi gaudio affectus, quod hoc pacto præterita delicta expiari crederet. Interim turmatim aderant, qui coram eo ſcripturas legerent, ab eoque ſalutaria monita referrent, cum fratres, tum ancillæ Dei. Sub finem anni, cum in hoc pœnitentiæ genere, inter aſſiduas preces perſeveraſſet, eo uſque viribus attritus fuit, ut nudata carnibus & cute oſſa pateſcerent. Sed nihilo minus ejus vox cum fletibus ad Chriſtum indeficiens erat. Venit tandem ultimus ille dies, Amato quidem feſtivus

ANN. CHR. 627. & lætus, ſed fratribus & ſororibus triſtis & acerbus. Tunc paſſim per omnes cellulas illas nonniſi gemitus & planctus audiebantur. Cum finis jam prope adeſſet, beati Leonis ad Flavianum epiſtolam, in qua pleniſſima fidei catholicæ doctrina continetur, ſibi afferri præcepit, & coram ſe legi. Inter legendum, per univerſas ſen-
» tentias dicebat: Sic credo, Trinitas ineffabilis, ita confiteor, Deus omnipotens; ita
» de te ſentio, Fili Dei Jeſu-Chriſte, qui pro ſalute noſtra in hunc mundum venire
» dignatus es. ita, inquam, unum Deum in Trinitate, trinumque in unitate con-
» fiteor; ita de tua incarnatione, piiſſime Chriſte, ſentio. Sic pro ſingularum ſententiarum varietate confeſſionem ſuam aptabat, ut ſe in omnibus orthodoxum univerſis approbaret. Denique, ut erat ſingulari humilitate præditus, non ſe intra valvas, ſed in limine baſilicæ ſanctæ Mariæ ſepeliri voluit, ubi hactenus ejus cenotaphium cum ſancti Romarici tumulo viſitur; & ſuper ſepulcrum ſuum hunc titulum ab ipſo editum apponi: *Omnis homo Dei, qui in hunc locum ſanctum ad orandum introieris, ſi merueris obtinere quod poſtulas, pro anima Amati pænitentis, hic ſepulti, Domini miſericordiam deprecari digneris: ut, ſi quid mea parvitas de meis peccatis obtinere non potuit tepide pænitendo, obtineat veſtra tantorum caritas ſedule Domini miſericordiam deprecando.*

Congregati ergo in unum fratres ac ſorores, ſancti viri exitum lugentes præſtolabantur, evangelia coram eo legentes, & identidem pſalmos hymnoſque ad ejus lectulum decantantes: quas inter voces, vale omnibus dicto emiſit ſpiritum; ſepultuſque eſt in eo loco, quo ipſe præceperat. Eximium ſane religioſæ pænitentiæ & mortis in tanto viro exemplum! qui, licet duriſſimam & auſteriſſimam vitam ſemper vixiſſet, ad expurganda tamen peccata ſua, quæ quidem, ſi lapſum in Agreſtii ſchiſma excipias, in tanta vitæ diſtrictione nonniſi leviora eſſe potuerant, annua pænitentia ſibi opus eſſe exiſtimavit. Nos vero vitæ remiſſioris homines, quid de nobis in fine ſperandum cenſebimus, qui ætate & viribus valentes, in pænitentiæ officiis tam facile languemus? Non mirum itaque, ſi poſt tam felicem exitum vir ſanctus, cuidam fratri conſpicuus aſſeruit, ſibi coram Deo bene eſſe: & cenſu quidem deſtitutos eſſe tum fratres, ſed brevi divinitus locupletandos. Ceterum Romarico juberet bono animo eſſe, & de monaſterio magnam gerere ſollicitudinem; ſuique eſſe memorem. Nec multo poſt Dagoberti regis munificentia ducenti aurei iſtuc allati ſunt; & plurimæ deinceps poſſeſſiones eidem loco accreverunt. Poſt anni circulum ex divina revelatione ſacrum ejus corpus intra baſilicam deportatum eſt. Ejus memoria in Uſuardi & Adonis ſinceris martyrologiis conſignatur idibus Septembris, quo die ita apud Uſuardum: *Eodem die ſancti Amati presbyteri & abbatis monaſteris Romaricei* * (ſic Habendenſe monaſterium deinceps appellatum) *qui mira abſtinentia & anachoretica vita ſectator, virtutum & miraculorum gratia illuſtrem converſationem duxit.* Haud ſcio an typographi error ſit in Notkeri martyrologio, ubi Anianus appellatur. Eidem in monaſterii duplicis regimine ſucceſſit Romaricus, cujus in fundo utrumque conſtructum fuerat. Amati vitam deſcripſit monachus anonymus ejus ſuppar, jubente Clydone, quem virum beatiſſimum appellat, forte abbate Habendenſi poſt Adelphum, qui Romarico ſucceſſit.

* Remiremont.

LXII. Arnulfus in eremum ſecedit.

Paullo poſt Arnulfus Mettenſis antiſtes, quo conſiliario uſus Dagobertus, ita in Auſtraſia regnavit, ut in gente Francorum nullus ei rex ſimilis fuiſſe dicatur; aulæ ſolitudinem præferens, remotum a ſæculi ſtrepitu locum petere, ibique totus noctu & interdiu precibus vacare conſtituit. Itaque primo quidem ad Chlotharium regem, ſine cujus conſilio nulla res majoris momenti gerebatur, litteras ſcripſit, ſignificans ſe a Deo monitum epiſcopatu, quo eſſet indignus, cedere, ac in eremum ſecedere animo ſtatuiſſe. orare, ut ſibi ſucceſſorem dari ſineret, qui epiſcopali oneri ferendo magis idoneus eſſet. Chlotharius nonniſi ægre, ſed tamen annuit. Deinde idem flagitavit Arnulfus a Dagoberto, qui, ut erat juvenili ardore ferocior, minis Arnulfum a propoſito deterrere, ſed fruſtra, conatus eſt. Extorta demum diſcedendi facultate, pius antiſtes, Goërico, cognomento Abbone, ſibi ſubſtituto, cum omnia ſua in egenos erogaſſet, urbem Mettenſem reliquit, & duce Romarico, amico quondam ſuo, qui his auditis ad ipſum acceſſerat, in ſolitudinem Habendenſis monaſterii ſeceſſit: ubi, exſtructis inter feras cellulis, cum aliquot monachis reliquum vitæ ſanctiſſime exegit. Diſtat ſancti Arnulfi eremitorium, quod Horembergum vocat ſcriptor vitæ ſancti Germani abbatis Grandivallenſis, duobus fere paſſuum mil-

libus a Monte-ſancto, interpoſita profundiſſima valle, lapideo ponte magnæ molis utrique monti juncta, ut facilior eſſet ad Arnulfi cellam aditus.

ANN. CHR. 617

LXIII. Amandus Roma reverſus ordinatur epiſcopus.

Per id temporis Amandus, cum ternis ſerme luſtris apud Bituricas in cellula recluſus vixiſſet, Romam ad apoſtolorum limina profectus, indeque beati Petri admonitu in Gallias ad prædicandum evangelium reverſus eſt. Non multo poſt coactus a rege & ſacerdotibus epiſcopus ordinatur, non ad certam ſedem, ſed ad prædicandum gentibus variis in provinciis evangelium. Accepto epiſcopatus honore, mox paganis, maxime qui in Belgio reſtabant, Chriſti fidem annuntiare cœpit, ſeque in omnibus exemplum præbere bonorum operum. Si quos ex tranſmarinis pueros vel captivos inveniſſet, dato pretio redimebat, ſpiritalique eos regenerans lavacro, litteris affatim imbui curabat, & præmiſſa libertate per diverſas diſtribuebat eccleſias; ex quibus multi poſtea epiſcopi, preſbyteri & abbates facti ſunt. Baudemundus monachus, qui res ab Amando geſtas memoriæ prodidit, auctor eſt, eum jam epiſcopum Romam rurſus adiiſſe, ſorte ut a pontifice prædicandi facultas ſibi confirmaretur: tum inde reverſum Gandavenſibus verbum Dei prædicaſſe; Tornaci mortuum ſuſcitaſſe; Sclavis Chriſtum annuntiaſſe, ac demum Dagoberti regis, ex quo ſcilicet, patre mortuo, monarchiam adeptus eſt, incontinentiam redarguiſſe: quam ob rem Dagoberti juſſu regno pulſus exſulaverit, quæ omnia Baudemundus facta refert, priuſquam Amandus Sigibertum Dagoberti filium ab exſilio revocatus baptizaret. Utrum in his commemorandis accuratum ordinem auctor ille ſervaverit, parum intereſt examinare. Quamquam difficile eſt, ut in tam brevi temporis intervallo, nempe ab anno hujus ſæculi viceſimo-ſexto ad triceſimum, hæc omnia tam diſſitis in locis expleverit. Hi Sclavi, quibus evangelium prædicavit, ***trans Danubium*** uſque ad flumen Albim, fineſque Toringorum habitabant, ii nimirum, qui Samonem paullo ante regem elegerant, eique ſe ſe ſubjecerant. Is homo Francus erat, ex pago Senonago, qui, compluribus negotiatoribus Francis ſibi adjunctis, cum Sclavinorum regem negotiandi cauſa petiiſſet anno quadrageſimo regni Chlotharii, ſæculi ſeptimi viceſimo-quarto, Sclavinis contra Hunnos-Avares de libertate contendentibus comes adjunctus, Sclavinis victoriam procuravit, ob idque rex ab eis electus, inter barbaros chriſtianæ religionis oblitus eſt, & cum Sclavinis paganis & ipſe paganorum more vivere didicit. Hos ergo ad Chriſtum adducere tentavit Amandus: an vero id perfecerit, ignoramus. Certe apud Gandavenſes etſi multum profecit, non tamen convertit omnes. ſiquidem poſtea beato Eligio epiſcopo Noviomagenſi Tornacenſes, Flandrenſes, Gandenſes, & Corturiacenſes ideo attributi dicuntur, quod incolæ ejuſdem regionis magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinerentur. Cum ad hos acceſſit Amandus, Noviomagenſi eccleſiæ tum præerat Acharius epiſcopus ex monacho Luxovienſi, qui, inſtigante Amando, impetravit a rege Dagoberto, ut qui ſponte nollet, vel coactus baptiſmum ſuſciperet, quod Siſebutus rex eodem tempore in Hiſpania de Judæis ſtatuit, neſcio an utili, certe haud imitando, ut multis ſapientibus videtur, exemplo.

ANN. CHR. 628.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER DUODECIMUS.

Ab anno Chriſti 628. ad annum 639.

I. Dagobertus ſolus regnat.

FLOREBAT ſub Chlothario patre & Dagoberto ejus filio Francorum imperium, atque alta pace fruebatur: cum Chlotharius, optimus ſi quis alius princeps, maximo rei publicæ damno interiit, anno regni quadrageſimo-quinto. Hoc nuntio accepto, Dagobertus ex Auſtria, ubi ante annos ſex regnare occœperat, ad recipienda Neuſtriæ & Burgundiæ paterna regna ſe ſe accinxit, excludendo Ariberto ſeu Chariberto fratre, quem Chlotharius prætermiſerat, & quibuſdam Aquitaniæ provinciis & urbibus contentum eſſe juſſo. Inter pia Dagoberti opera, ſi non primum, certe præcipuum & nobiliſſimum regiæ magnificentiæ monumentum eſt

S. Dionyſii monaſterium conſtruit.

conſtructio percelebris ſancti Dionyſii monaſterii in agro Pariſiaco, quod omnibus totius Galliæ, & forte Europæ monaſteriis fama & dignitate anteceſſit. Quo præciſe anno Dagobertus ejus fundamenta jecerit, non ita exploratum. Certe primis ejus monarchiæ annis id factum conſtat, eum ſupremam operi longe magnificentiſſimo manum impoſuerit ante obitum, qui poſt annos decem accidit. Carolus Cointius hujus monaſterii primordia refert ad annum ejus ſæculi triceſimum: alii tantiſper differunt. Mihi in his tenebris ſub ipſa Dagoberti monarchiæ exordia ſatis fuerit ſtatuiſſe, adſtipulante Dionyſiano monacho, qui geſta Dagoberti ſcripſit ante annos fere octingentos, ac monaſterii Dionyſiani conditionem per Dagobertum anno a morte patris proximo aſſignat, quem auctorem, uti nec in omnibus probandum, (nam fabuloſa ſubinde quædam intermiſcet) ita nec omnino rejiciendum eſſe, quippe qui domeſtica inſtrumenta viderat, nemo jure negaverit. Fabuloſa non immerito videntur, quæ de baſilicæ ſancti Dionyſii primo ſitu, vilitate & exiguitate, deque cervi, ipſiuſque Dagoberti in eam, cum ob dehoneſtatum Sadregiſilum ad caſtigandum a patre quæreretur, perfugio auctor ille narrat.

II. Baſilicæ ejus ſtatus ante Dagobertum.

Erat ante Dagobertum in Catolaco vico ſancti Dionyſii baſilica non incelebris & ignobilis; erat & adjunctum baſilicæ monaſterium, cujus abbati Dodoni quædam donationes Chlotharii ſecundi principatu factæ memorantur. Expleto martyrio ſanctorum Dionyſii, ſociorumque ejus Ruſtici preſbyteri & Eleutherii diaconi, trunca corpora altis Sequanæ gurgitibus demergere, ne a fidelibus honorarentur, pagani ſatellites parabant: cum matrona quædam, adhuc quidem & ipſa pagana, ſed pia quadam in martyres affecta humanitate, retardatis convivii apparatu miniſtris,

ANN. CHR. 628.

ſacra corpora per diſpoſitos famulos clam auferri curavit, eaque poſtmodum ſextu ab urbe Pariſiorum lapide in terra arata abſcondi ac ſepeliri. Perſecutione ceſſante, eadem matrona, in ſomnis admonita, ſacras reliquias a ſe neglectas perquiſivit, & extructo ſuper eas mauſoleo honoravit. Re cognita, chriſtiani baſilicam ſupra martyrum corpora magno ſumtu, ait primus eorum paſſionis ſcriptor, cultuque eximio conſtruxerunt: ubi in dies miracula in infirmos ac debiles patrabantur. Eamdem baſilicam ſancta Genovefa inſtaurari curavit: quæ baſilica Gregorii epiſcopi Turonenſis tempore ejus erat magnitudinis, ut multa oſtia haberet; ejus vero elegantiæ, ut turritus martyrum tumulus palla holoſerica, auro & gemmis ornata, opertus eſſet; ac præter alia dona, pretioſaque anathemata, columba aurea ſuper eorum ſepulcrum penderet; ejus denique celebritatis, ut in eadem baſilica Dagobertus Chilperici filius ſepultus fuerit; ibidemque non modo infimæ plebis homines, ſed & optimates Francorum, ſi quando criminum ſuſpecti erant, ſe ac ſuos jurejurando purgare conſueſſent. quod in vili ac neglecto loco, qualem deſcribit auctor geſtorum Dagoberti, factum eſſe nemo conceſſerit. Non dubito quin ejuſdem Gregorii ævo monachi baſilicam illam inſederint; & forte Amphilochius abbas ille, qui nomine Amelii Pariſienſis epiſcopi concilio Aurelianenſi quarto interfuit, ſubſcripſitque, abbas fuerit ejus monaſterii: quod multo ante Dagobertum, etſi longe diſparis magnificentiæ, exſtitiſſe conſtat. Verum tamen incertum, quinam ei loco abbates præfuerint ante Dodonem, qui, regnante, ut jam dixi, Chlothario ſecundo, Dagoberti patre, hoc monaſterium regebat, ut probant nonnullæ donationes eidem Dodoni, ejuſque congregationi factæ. Una eſt apud Dubletum [a] Theodilæ ſeu Theodilanæ, alio nomine Theodetrudis, nobilis matronæ, Domino & in Chriſto venerabili patri Dodoni abbati, una cum fratribus ſuis baſilicæ ſancti Dionyſii deſervientibus inſcripta in epiſtolæ modum: qua pia illa femina eidem baſilicæ concedit quædam prædia in pagis Bellovacenſi & Lemovicino, ea conditione, ut nomen ſuum *in libro vitæ*, id eſt in necrologio loci, conſcribatur, ipſiuſque corpus in illa baſilica ſepeliatur. Actum in eadem baſilica XII. kalendas Maïas, anno quadrageſimo-tertio Chlotharii regis. Primarium ejuſdem Chlotharii aliud diploma, in charta Ægyptiaca ſcriptum, ſed mutilum ac lacerum, habetur in archivo Dionyſiano, quo diplomate idem princeps confirmat donationes, a quodam Johanne negotiante factas, tum baſilicæ ſancti Dionyſii martyris, quem peculiarem patronum ſuum vocat, & Dodoni ejus baſilicæ abbati; tum aliis baſilicis, lociſque ſanctis: cui præceptioni *Chlotacharius in Chriſti nomine rex* ſubſcribit, offerente Urſino referendario. Datum in villa Stirpiniaco. Annus in ſemeſo autographo non comparet. Exſtat & aliud Dagoberti diploma apud Dubletum [b] pro monaſterio ſancti Dionyſii vel Dodone abbate, datum anno regni ejus quarto-decimo, ſed dubium, quod eo tempore Aigulfus abbas eidem loco præfuiſſe videatur. Hic fere ſtatus erat ſancti Dionyſii baſilicæ ante Dagoberti in Neuſtria principatum.

a *Dublet p. 653.*

b *id. p. 670.*

III. Dagoberti magnificentia in ea conſtruenda.

Poſt hæc idem princeps, ut beati Dionyſii Francorum apoſtoli patrocinium preceſque ſibi, regnoque ſuo demereretur, novam eidem baſilicam ampliorem & auguſtiorem, opere & materia quibuſvis aliis elegantiorem & magnificentiorem erigere conſtituit. Hanc marmoreis cujuſque generis columnis fulſit, auro, argento, gemmis, omnigeniſque ornamentis decoravit, muſivo ſtravit pavimento; ejuſque parietes, columnas, arcus veſtibus auro textis, & palliis holoſericis veſtivit. Ad hæc ſuper tumulum ſanctorum martyrum juſſu ejus erectum faſtigium marmoreum, beati Eligii manu atque arte auro gemmiſque ornatum; abſida puro argento tecta, crux magna & eximia, ex auro & gemmis ab eodem Eligio, cujus etiam nunc nomen retinet, mira arte fabricata; ornamentum eximium, (quod *criſtam* olim vocabant, nos umbellam appellare poſſumus) aureo altari impoſitum; gazophylacium ante cornu altaris ex argento factum, cui centum aureos quotannis a ſe, poſteriſque ſuis ex fiſco in perpetuum inferendos aſſignavit. Denique plumbi octo millia librarum ad tegendam baſilicam conceſſa, tantumdemque ad ſarta tecta altero quoque anno pendi juſſum. Adde valvas æreas, quas ex baſilica ſancti Hilarii, Pictavenſis quondam epiſcopi, ſuſtuliſſe dicitur, & navi impoſitas oceano adverſoque Sequana fluvio iſtuc devehi juſſiſſe, ex quibus una flumine demerſa, poſtea neutiquam reperiri potuerit. Viſitur hodie quoque inſignis cupa ex porphyrite, ex eadem baſilica ab eodem, ut traditur, in Dionyſianam tranſlata. Jam vero quis re-

ANN. CHR. 628. cenſeat tot tantaſque opes, tot villas, prædia, cenſus, poſſeſſiones, quas munificentiſſimus princeps eidem baſilicæ & monaſterio, regia plane magnificentia, contulit? Neque his contentus, centum aureos ex vectigali, quod ipſi quotannis ex Maſſilienſi *cataplo* pendebatur, ad emendum oleum baſilicæ uſibus neceſſarium impendit; & una die ſolidorum ducenta millia, quæ pro pretio miſſorii ſibi debiti Siſenandus Hiſpaniæ rex ſubmiſerat, ad opus fabricæ ejuſdem baſilicæ cum aliis pluribus ornamentis obtuliſſe fertur. In ſumma, quidquid in theſauris & cimeliis ſuis pretioſius invenire potuit, ad exornandum eumdem locum liberali manu largitus eſt.

Non impari magnificentia monachorum ædes conſtrui juſſit, quibus alias pro matriculariis adjunxit, & xenodochium, in quo pauperes utriuſque ſexus, ſive etiam qui ſanctorum martyrum ope ſanati fuiſſent, in reliquum vitæ, ſiquidem ſervitio eccleſiæ ſe mancipare voluiſſent, alerentur. Quantus ibi principio monachorum numerus inſtitutus ſuerit, hinc aperte colligitur, quod Dei laudem perennem ibidem inſtituit, nempe ut, quemadmodum in monaſterio Agaunenſi, monachi in turmas diviſi die noctuque divina officia continuarent. quod inſtitutum Aigulfus abbas, qui primus poſt Dodonem novæ baſilicæ, novique monaſterii rector fuit, teſte Fredegario abrogavit; Theodericus vero Francorum rex, cognomento Calenſis,
a Diplom. p. 488. & ſeq. poſtea reſtituit, dato hanc in rem præcepto, quod a nobis alibi [a] vulgatum eſt.
b Doublet. p. 669. Porro matricularii erant pauperes in matricula deſcripti, qui atrio & baſilicæ ſancti Dionyſii ſerviebant, uti nos docet Dagoberti [b] diploma, quo Sarclitas villam pagi Stampenſis, quam a domno Ferreolo Auguſtodunenſi epiſcopo, & a Deodaro baſilicæ ſancti Symphoriani abbate, facta commutatione comparaverat, ſancti Dionyſii aſſignat matriculariis, *qui ad ipſam baſilicam, vel in ejus atrio ad matriculas reſidere videntur*. Perfecta baſilica & numeris omnibus abſoluta, Rex ſanctorum Dionyſii ſociorumque ejus corpora e loco, ubi prius jacebant, efferri & in locum a ſe paratum & exornatum transferri curavit. Quæ tranſlatio x. kalendas Maïas ſingulis annis hactenus recolitur. Hanc nonnulli, etiam veterum auctorum, factam exiſtimant a loco, ubi nunc eccleſia ſancti Dionyſii de Strata cernitur: quo in loco ſanctorum martyrum corpora primitus ſepulta fuiſſe tradunt, atque in argumentum afferunt cenotaphia tria, quæ ibidem etiam nunc viſuntur. At quis putet, matronam illam Catolacenſem, quæ ſacra corpora paganorum oculis ac perquiſitioni ſubducere cupiebat, ea in publico & conſpicuo loco ad ſtratam ſeu viam publicam repoſuiſſe? Id factum *in arata terra* prodit Dionyſianæ paſſionis ſcriptor: quod melius convenit ei loco, ubi Dagobertus novam conſtruxit baſilicam, haud dubie eodem in loco, ubi & matrona Catolacenſis mauſoleum, & ſancta Genoveſa poſtmodum ſacram beatiſſimis illis martyribus ædem erexerat Tot tantiſque ſanctum Dionyſium beneficiis Dagobertus a poſteris obtinuit, ut primus baſilicæ & monaſterii auctor & conditor cenſeretur, quippe qui donationes, a ſuperioribus etiam regibus factas, ingentibus donis & benefactis cumulavit, penituſque obſcuravit.

Fuit nuper vir doctus qui contra omnium retro ſcriptorum auctoritatem auderet aſſerere, baſilicam ſancti Dionyſii tumulo & nomine illuſtrem primitus in ipſa urbe Pariſiaca poſitam fuiſſe, & novam eodem in loco a Dagoberto conſtructam; nec niſi a Fulradi abbatis tempore eo in loco, ubi nunc cernitur, ſtetiſſe. quod commentum clariſſimæ memoriæ Hadrianus Valeſius tam valide & invicte exploſit in diſceptatione de baſilicis, ut huic opinationi refutandæ immorari penitus otioſum fuerit. Unum aut alterum tantum hic addiderim. Tota ratio, qua novum illud commentum innititur, ex eo petita eſt, quod baſilica illa *Pariſius* ſita fuiſſe dicatur, tum a Gregorio epiſcopo Turonenſi, tum a beato Audoëno in vita ſancti Eligii. At *Pariſius* nomine non ſolum urbem ipſam & quidquid ejus pomœrio continetur; ſed etiam circumpoſitum agrum & loca ei attributa (quod nos vulgari nomine *le Pariſis* vocamus) comprehendi ab illis auctoribus inde manifeſte convincitur, quod
c Orderic. p. 634 & 637. Carolus Calvus *Pariſius* in baſilica ſancti Dionyſii ab Orderico [c] Vitali; itemque
d Cheſne to. 4. p. 86. Rotbertus rex a veteri hiſtorico [d] ſepultus dicitur *Pariſius in monaſterio ſancti Dionyſii juxta patrem ſuum*: cum conſtet, ipſis etiam fatentibus adverſariis, jam longe ante id tempus Dionyſianam baſilicam quinto ab urbe lapide exſtitiſſe: uti exſta-
e Labbe to. 1. bibl. no. p. 681. bat etiam tempore Adalberonis [e] Mettenſis epiſcopi, qui *ſancto Dionyſio Pariſius, & ſancto Remigio Remis* medio ſæculo decimo donaria tranſmiſiſſe memoratur.

Digitized by Google

ANN. CHR. 628.

Denique, ut multa id genus alia loca omittam, apud Aimoinum [a] in libro ſecundo de miraculis ſancti Benedicti legitur, puellam quamdam nobilem, Adelaidem nomine, *Pariſius ad ſancti Dionyſii ſepulcrum* delatam fuiſſe undecimo ſæculo ineunte. Eadem ratione vicus, ſancti Clodoaldi nomine inſignis, olim Novigentum dictus, non minus ab urbe remotus quam Dionyſiana baſilica, *Pariſius* ſitus dicitur in veteri martyrologio nunc bibliothecæ Ottobonianæ in hæc verba: VII. *idus* Septembris, *Pariſius vico Novegento depoſitio ſancti Clodoaldi regis & confeſſoris.* ubi obiter adverte regis filium abſolute regem appellari, uti etiam alibi reginas regum filias. Sed vereor ne nimius ſim, quamquam adverſarii auctoritas, & dignitas argumenti id poſtulare videbatur, in re perſpicua illuſtranda. Hæc eſt inſignis illa baſilica, in qua Francorum reges jam inde a Dagoberto ſepeliri mos eſt, & Francorum reginas coronari: ubi ornamenta regia, quæ in regum noſtrorum inauguratione adhiberi ſolent, aſſervantur, uti & flamincum * quondam labarum illud, quod olim in expeditionibus deferri ſolebat: illa, inquam, baſilica, quam Landericus Pariſiorum antiſtes, petente ac favente Chlodoveo juniore Francorum rege, a lege diœceſana abſolvit: cujus denique abbas principem ſupra ceteros abbates locum in Pariſienſis cleri conſeſſibus, uti & in ſenatu Pariſienſi obtinebat.

[a] Aimoin. lib. 2. c. 20.

* l'Oriflamme.

IV. Landegiſilus apud S. Dionyſii ſepultus.

Paullo poſt conditum a Dagoberto novum ſancti Dionyſii monaſterium Landegiſilus, frater Nanthildis [b] reginæ, ſupremum diem obiit, & in nova ſancti Dionyſii baſilica primus, aut certe inter primos, juſſu Dagoberti honorifice ſepultus fuit: ubi hactenus neminem injuſſu regis humare licet. Eo mortuo Nanthildis impetravit a Dagoberto, ut Alateum-villare, ſitum in pago Pariſiaco, quod vivo Landegiſilo dederat, eidem baſilicæ pro honore ſepulturæ tribueretur.

[b] Geſta Dagob. c. 22.

V. S. Faronis monaſterii origo.

Sub id tempus conditum eſt ſancti Faronis monaſterium in ſuburbio Meldenſi, ſi quidem verum eſt quod ait Hildegarius ejus urbis epiſcopus, ſeu quiſquis eſt auctor vitæ ſancti Faronis, Chlotharium Chilperici filium, quem a Farone e ſacro fonte ſuſceptum falſo aſſerit idem auctor, eidem monaſterio privilegia conceſſiſſe, quod fortaſſe potius Chlothario tertio tribuendum ſit. Equidem haud ſcio an Faro Meldenſem epiſcopatum inierit ante mortem Chlotharii ſecundi: quam dubitationem auget diploma Dagoberti ejus filii primarium, in charta ægyptiaca ſcriptum, confirmantis diviſionem bonorum factam inter Urſinum virum inluſtrem, ſibique fidelem, quem Chlotharii referendarium fuiſſe ſuperius vidimus; & inter Beppolenum ejus germanum, earum ſcilicet poſſeſſionum, quæ tam a genitore ſuo Chrodoleno, quam a germano ſuo Chaimedeſigilo eis obvenerant, maxime in pago Rotenico *: quod diploma, notis chronicis in autographo mutilo deſtitutum, *Burgundofaro* obtulit, ſubſcripſitque *Dagoberethus*. Ex quo intelligitur, Faronem ſeu Burgundoſaronem referendarii munus Dagoberto regnante, nimirum ante Dadonem ſeu Audoënum, aut certe cum eo geſſiſſe. nam plures ejuſdem regis referendarios fuiſſe conſtat. Erat Faro Agnerici ſeu Chagnerici nobilis Franci filius, Chagnoaldi ex monacho Luxovienſi Laudunenſis epiſcopi germanus, uti & beatæ Faræ virginis, quæ & ipſa Burgundofara, ut ille Burgundofaro, vocabatur. In aula Chlotharii primas tenebat conjugatus: ſed, dimiſſa uxore ac velata, factus clericus, demum epiſcopatum Meldenſem, ubi pater ejus bonis plurimis abundabat, & ſoror ejus Fara monaſterium conſtruxerat, adeptus eſt. Jam epiſcopus ſuburbanum condidit monaſterium ſub titulo ſanctæ Crucis & ſancti Johannis-Baptiſtæ, atque omnium apoſtolorum; ſibi quidem refugium a ſæculi epiſcopaliſque muneris tumultu; peregrinis vero, maxime Anglis & Scottis, aſylum ac diverſorium. Hic excepti ab eo Theodorus & Hadrianus, cum Roma in Britanniam inſulam juſſu Romani pontificis proficiſcerentur; itidemque Fiacrius Scottus, de quo mox agemus. Primus loco præfectus abbas Helias, haud dubie ex ſodalitio Luxovienſi: quem Fredegiſilus excepiſſe creditur, & ſancti Faronis funus curaſſe. Fredegiſilo videtur ſucceſſiſſe Maiolus, qui ſub finem ſæculi ſeptimi corpus ſanctæ Faræ virginis e tumulo extulit. In recentiori necrologio notatur ſeptima die Martii: *Helias primus abbas de ſancto Farone.* Parum veri ſimile eſt quod tradit Ordericus Vitalis, Faronem Luxovienſem fuiſſe monachum ante epiſcopatum: falſum quod ait Johannes Iperius, monachum Reſbacenſem exſtitiſſe. ſiquidem jam epiſcopus Reſbacenſis eccleſiæ dedicationi interfuit.

* le Rouergue.

VI. S. Fiacrii quædam geſta.

Ex omnibus peregrinis, quos Faro in ſanctæ Crucis monaſterium admiſit, cele-

ANN. CHR. 628.

briores exſtitere beatus Fiacrius nobilis Scottus, Fefrus olim appellatus; & Chillenus itidem Scottus & ſanctus, quem Faro ad Atrebates prædicandi evangelii cauſa direxiſſe perhibetur. Fiacrius, exactis forte in monaſterio aliquot annis, ſolitariæ vitæ ſtudio ſeceſſit in quemdam locum territorii Meldenſis, Broilum vocabulo, tribus fere ab ea urbe millibus, ſibi a Farone aſſignatum: ubi exiguam cellam ædificavit cum oratorio beatæ Mariæ, quod poſtea ejus miraculis magnopere illuſtratum fuit. Feminas ejus aditu interdixit ob procacitatem, ut tradunt, cujuſdam mulierculæ, quæ ipſum apud ſanctum antiſtitem magicæ artis inſimulaverat. Hunc laudant Hildegarius in libro de vita ſancti Faronis, ac Fulcoius poëta & ſubdiaconus Meldenſis, atque ambo Meldicam provinciam ejus ſignis ac miraculis clareſcere ac florere teſtantur. Sane vix ullus alius etiam nunc celebrior miraculorum patrator in Gallia; vix ullus alius locus amplius frequentatus a peregrinis, qui iſtuc voti cauſa undique confluunt, id eſt in Broilenſe ejus oratorium, ſancti Fiacrii jam dudum appellatum: tametſi ejus corpus, ſuperiori Calviniſtarum furente tempeſtate, in majorem eccleſiam Meldenſem tranſlatum ſit, nec umquam inde extorqueri a canonicis potuerit. Nunc Broilenſe ſeu ſancti Fiacrii monaſterium appendix eſt monaſterii ſancti Faronis. Hæc occaſione hujus monaſterii anticipato retulimus, quod certis annis conſignari vix poſſint. Adam Faronianus abbas anno trecenteſimo tertio-decimo ſupra milleſimum ſtatuit, ut deinceps novem monachi de gremio ſui monaſterii in illa cella reſiderent præter priorem, cum uno converſo & una converſa, qui eorum inſiſterent obſequiis ſub habitu regulari; jubetque ut pro ſua ſuſtentatione percipiant omnes oblationes, quæ pro reverentia capitis ejuſdem ſancti confeſſoris in poſterum fierent. Multæ ubique Galliarum eccleſiæ & plura oratoria in ſancti Fiacrii honorem condita ſunt. Alius fuit ſanctus abbas [a] Fiacra in Lagenienſi Hiberniæ provincia, qui beato Comgello Bancorenſi abbati viaticum miniſtravit, ut ſuperius vidimus.

a V. ſupra lib. 8. n. 6.

VII. Bertulfus privilegium Bobienſibus impetrat.

Hoc quem præ manibus habemus anno Bertulfus abbas, quem in regimine Bobienſis monaſterii Attalæ ſucceſſiſſe diximus, ab epiſcopo Dertonenſi exagitatus, Romam adiit, ut privilegium libertatis ab Honorio pontifice obtineret. Rem narrat Jonas monachus ejus itineris comes, a quo itineris ac vitæ ejus ſeriem accepimus. Bertulfus, ortu quidem gentilis, ſed genere nobilis, utpote Arnulfi Mettenſis epiſcopi conſanguineus, cum eum poſt aulicos honores, pompaſque ſæculi, etiam ad religionis & ſolitudinis ſtudia, præ pontificalibus infulis, anhelantem cerneret, ejus exemplo patriam parenteſque deſerere, & relictis omnibus nudus Chriſtum nudum ſequi conſtituit. Itaque cum Arnulfo adhuc epiſcopo tantiſper commoratus, deinde Luxovium ad venerabilem Euſtaſium abbatem ſe contulit, ab eo in rebus monaſticis informandus. Cum vero Attala Bobienſis abbas ex Italia, incertum qua de cauſa, iſtuc acceſſiſſet; eumdem Bobium revertentem, Euſtaſio annuente, comitatus eſt, & ſub ejuſdem diſciplina & obedientia vivere inſtitit. Eo mortuo, Bobienſium vota in Bertulfum conſpirarunt, atque unanimi & conſona voce omnes Bertulfum abbatem pronuntiarunt. Ipſius regiminis initio Provus Dertonenſis antiſtes, aliis Procus & Proculus, in cujus parochia Bobienſe monaſterium cenſebatur, Bertulfum abbatem cum tota ejus congregatione ſibi ſubjicere molitus eſt, &, vicinis ſollicitatis epiſcopis, etiam regem ipſum Ariovaldum, licet Arianum, pertentavit, ut ad ſuas partes eum adjungeret. Verum is, jam in Bobienſes æquior ac mitior,
» reſpondit, videndum eſſe, an monaſteria, procul ab urbibus ſita, epiſcopis ſub-
» jecta eſſe deberent. Hoc intellecto, Bertulfus ad regem ipſum nuntios experiundi
» cauſa direxit. quibus ipſe: Non eſt meum, inquit, ſacerdotum cauſas definire,
» quæ ſynodali judicio diſcutiendæ ſunt. Quærentibus vero nuntiis, num epiſcopo,
» ejuſque fautoribus ſuffragaturus eſſet? Minime vero, ait, favebo eis, qui famulis
» Dei negotium faceſſant. Tum Bertulfus miratus, regem tam benigne de ſe eſſe locutum, petiit, ut ſupplemento & commeatu publico ſibi proficiſci Romam liceret; eoque impetrato, Honorium pontificem adiit, comitante ac miniſtrante Jona monacho, ac cauſam ſuam edocuit. Honorius, cauſa cognita, & diſciplina Bobienſium percepta & probata, collaudatis eis conceſſit, ut in priſtina manerent libertate, atque Arianam perfidiam acriter inſectari perſeverarent, juſque indulſit, ne quando Bobienſe monaſterium epiſcopali poteſtati eſſet obnoxium. Exſtat ejus rei diploma pontificium in Italiæ ſacræ [b] tomo quarto, datum III. idus Januarii,

b Ital. ſac. to. 4. p. 1384. & ſeqq.

(legendum

ANN. CHR. 628.

(legendum Junii) Heraclii auguſti anno octavo, indictione prima: quæ notæ anno præſenti conveniunt. Hinc intelligimus, Bobienſes hoc tempore a ritibus Scotticis jam receſſiſſe: quandoquidem Honorius, qui de eorum regulari diſciplina & inſtitutis Bertulfum accurate interrogavit, eorum normam ac ritus probavit, non probaturus, ſi paſcha ſecus, quam Romana eccleſia, tum celebraſſent. In reditu Bertulfus, ubi, Tuſcia peragrata, Apenninas alpes attigit, graviſſima febre pulſatus, pæne ad extrema redactus eſt. Cum vero aſpero in loco ſub tentorio ſubſiſtere ac pernoctare præ morbi violentia coactus eſſet; in ipſa vigilia paſſionis beatorum Petri & Pauli apoſtolorum (qua ex die menſem conceſſi privilegii emendavi) inter ardentes febris æſtus, intempeſta nocte, omnibus alto ſopore depreſſis, Petrus apoſtolorum princeps ei adſtare viſus eſt, præcipiens, confeſtim ut ſurgeret, & ad ſodales ſuos pergeret ſoſpes; ſicque cœptum iter ſanus Bobium uſque proſecutus eſt.

ANN. CHR. 629. VIII. Amandus relegatus Vaſconiam adit.

ANno ſubſequente Amandus a Dagoberto, quem ob vagos amores increpuerat, pulſus in exſilium eſt. Conſilio inito, ut in Britanniam inſulam ad prædicandum Saxonibus evangelium proficiſceretur, navi ad trajiciendum non inventa, in Aquitaniam tertiam ſeu Waſconiam conceſſiſſe dicitur. Sic apud anonymum Cheſnianum & Hucbaldum Elnonenſem monachum legitur. Baudemundus ait, Amandum, cum pro capitalibus criminibus (quod nullus ſacerdotum auſus fuerat) regem arguiſſet; eo jubente, non abſque injuria de regno ejus fuiſſe expulſum; tum ad remotiora profectum loca, verbum Dei gentibus prædicaſſe. quod ſatis Vaſconiæ convenit, quam poſtmodum Amandus ipſe, Baudemundo teſtante, prædicatione ſua illuſtravit.

IX. Deſiderius fit epiſcopus Cadurci.

Interim mortuo Ruſtico Cadurcenſi epiſcopo Deſiderius germanus ejus frater ſubrogatus eſt, aſſentiente Dagoberto rege, cujus præceptio pro ejus epiſcopatu, *epiſcopis & ducibus, cunctoque populo Galliarum* inſcripta, data eſt *ſub die idus Aprilis, anno* VIII. Dagoberti regis: ubi rex ſe certo cognoviſſe dicit, *virum illuſtrem Deſiderium, theſaurarium* ſuum, religionis obſervantiam ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore in omnibus cuſtodiſſe, & *ſub habitu ſæculari* Chriſti militem geſſiſſe, & mores angelicos, & ſacerdotalem converſationem habuiſſe, proinde merito ad ſacerdotium debere provehi, quem civium, abbatumque Cadurcorum conſenſus expoſcebat: quibus ſe ægre, nec abſque violentia & damno ſui, ſe aſſentiri dicit. Ejus autem ordinationem *in ſancta paſchali ſollemnitate* fieri mandavit, ſcripto hac de re ad Sulpicium Bituricenſem epiſcopum indiculo, in quo dicit, fidelem ſuum, vere illuſtrem Deſiderium theſaurarium, *adoleſcentiæ ſuæ tempore* fideliter ipſi deſerviſſe, ſibique *devotiſſimam ac monaſticam converſationem ejus* bene compertam eſſe. Ex quibus colligendum videtur, Deſiderium *adoleſcentiæ ſuæ tempore* theſaurarii munus ſub Dagoberto rege obiiſſe; & *ſub habitu ſæculari* Chriſti militem geſſiſſe, dein vero in monaſtica converſatione aliquamdiu vixiſſe, ante quam ad epiſcopatum electus eſſet. Prædictus indiculus datus eſt *ſub die ſexto idus Aprilis*, ut in veteri ejus vitæ codice Moiſſiacenſi legitur. ubi paſchalis ſollemnitatis nomine, omnes paſchales dies deſignantur, non unus paſchæ dies, qui hoc anno in ſextum-decimum Aprilis diem incidebat. Hæc fuſius alias [a] a me tractata præmiſiſſe juvat ad præſtruendum Deſiderii epiſcopatum, cujus in ordinem monaſticum benefacta ſubinde in conſequentibus referemus.

[a] *Analect. to. 3. p. 529.*

X. S. Petri monaſterium Remis duplex.

Exſtabat per id tempus in urbe Remorum ſancti Petri monaſterium virginum, Superius dictum a ſitu loci ad diſcrimen alterius, quod paullo poſt in eadem urbe a Guntberto ædificatum eſt. Prioris auctores fuere Baldericus preſbyter & abbas Montis-falconis, ac ſoror ejus Bova, ejuſdem cœnobii poſtmodum abbatiſſa, quos regio genere ortos fuiſſe referri ait Frodoardus [b] preſbyter, patre ſcilicet Sigeberto rege; neptem habentes Dodam caſtiſſimam puellam, quæ Bovæ abbatiſſæ poſtea ſucceſſit. Quo tempore conditum fuerit Superius ſancti Petri monaſterium, non convenit inter recentiores, qui multum torquentur in deſignando Sigeberto rege, Balderici & Bovæ patre, quem plerique Dagoberti filium eſſe exiſtimant. Id vero penitus falſum eſſe conſtat, propterea quod ſancti Petri Superius monaſterium jam exſtabat ante natum hunc Sigebertum, id eſt ante annum hujus ſæculi triceſimum. quippe Wandregiſilus, abbas poſtea Fontanellenſis, circiter hunc annum admiſſus eſt in monaſterium Montis-Falconis a Baltfrido ſeu Waltfrido abbate, quem plerique perperam, mea quidem ſententia, cum Balderico monaſterii auctore confundunt.

[b] *Frodoard. lib. 4. c. 38.*

Baldericus & Bova abbatiſſa Superioris conditores.

ANN. CHR. 629.

Non levis quippe Baltfridum inter & Baldericum nominum diſtantia eſt, nec quiſquam, quod quidem ſciam, veterum aſſeruit, aut Baldericum unum & eumdem cum Baltfrido; aut Baltfridum monaſterii Montis-Falconis, quod Balderico tribuitur, eſſe conditorem; neque certe id legitur in priori ſancti Wandregiſili vita, ubi nomen ſenis, ad quem vir ſanctus in Monte-falconis divertit, nequaquam exprimitur: neque in poſteriori, ubi Waltfridus, aliis Baltfridus, & quidem vir ſanctus appellatur. Si ergo Baltfridus a Balderico alius eſt, jam e vivis exceſſerat Baldericus eo tempore, quo Wandregiſilus in Montem-falconis ſeceſſit; aut certe, etiam ſi unum & eumdem fuiſſe concedatur, ſaltem Baldericus ejuſdem loci abbas erat ante natum, ut jam dixi, Sigibertum Dagoberti filium. Et priorem quidem ſententiam eo lubentius amplector, quod ſancti Petri monaſterium Remis exſtiterit longe ante ipſum etiam Dagobertum. Illud argumento eſt, quod Romulfus Remorum antiſtes, Son-
a id. lib. 2 c. 5. » natii deceſſor, ante finem ſæculi ſexti exſtinctus, in teſtamento ſuo [a] villam Lauri-
» niacum ſuper fluvium Caltaïonem legat monaſterio puellarum Remis in honore ſancti Petri constructo, illi ipſi ſine dubio, cujus Baldericus & Bova conditores fuiſſe memorantur. Scio quibuſdam videri hoc eſſe monaſterium, quod Suſanna abbatiſſa, cujus in actis ſancti Theoderici abbatis mentio eſt, beati Remigii pontificatu rexerit. Sed nullo fundamento: immo vero contrarium elicitur ex teſtamento ſancti Remigii, qui, cum omnibus, quæ tunc apud Remos erant, eccleſiis aliquid conferat, nullam prædicti monaſterii mentionem facit. quod certe ſubſequentes poſt Romulfum antiſtites, Sonnatius, Lando, & Nivardus, quorum teſtamenta Frodoardus laudat, non prætermiſerunt. Ex quo intelligitur, Superius ſancti Petri monaſterium, aut pontificatu Romulfi, aut paullo ante, id eſt ſub finem ſæculi ſexti, conditum fuiſſe. atque adeo, ſi Baldericus & Bova patrem habuere Sigibertum regem; id non de alio, quam de Sigiberto Chlotharii ſenioris filio cenſeri poteſt. Sane Ordericus Vitalis Bovam Deo ſacratam virginem, Sigiberti ac Brunichildis liberis annumerat. quamquam illud obſtat, quod neque a Gregorio Turonenſi epiſcopo, nec a quovis illorum temporum auctore inter hujus Sigiberti liberos cenſeantur. An vero hujus Sigiberti naturales proles fuerint, an ex alio regiæ ſtirpis Sigiberto nati, aliis divinare per nos licet.

XI. Redeo ad Superius monaſterium, quod in honorem ſanctæ Mariæ & ſancti Petri
b id. lib. 4. c. 38. Baldericus cum ſorore ſua Bova conſtruxiſſe traditur, ait [b] Frodoardus, & quidem primum extra muros urbis, poſtea muris ipſis incluſum. Neptem habebant, ut
Doda ſecunda abbatiſſa. » jam dixi, Dodam puellam, quæ deſponſata fuiſſe fertur cuidam magnati ejuſdem
» Sigeberti regis, quem Baldericus & Bova patrem dicuntur habuiſſe. At Bova ipſius amita, eam ad ſerviendum Deo, ſervandamque perpetuo virginitatem inſtituens, ab amore mortalis ſponſi avertit. Is vero, dum eam vi ſibi vindicare parat, furente lapſus equo interiiſſe fertur. Itaque beata Doda in caſtitatis permanens propoſito,
» amitæ ſuæ in ejuſdem monaſterii regimine ſucceſſit; eademque præceptum immu-
» nitatis, quod adhuc apud nos, ait Frodoardus, habetur, eidem cœnobio a Pippino principe obtinuit. quod potius de Pippino majore-domus in Auſtria ſub Dagoberto (Landinenſem vocant) intelligi poteſt, quam de Pippino Heriſtallenſi Anſigiſili filio, majore-domus ſub Theoderico non ante annum hujus ſæculi octogeſimum, ad quem Doda pervenire non potuit. Bovæ & Dodæ ſanctarum virginum corpora in eccleſia extramurana, ubi primum monaſterium puellarum exſtiterat, humata diu quieverunt, donec poſtmodum, præmiſſis quibuſdam revelationibus, e tumulis elata, & in novam eccleſiam tranſlata ſunt: ubi honorifice collocata, conti-
» nua, inquit, Frodoardus, puellarum inibi Deo famulantium reverentia coluntur. Celebre eſt in primis etiam nunc hoc monaſterium ſancti Petri ordinis ſancti Benedicti; quod unum ſupereſt ex duobus illis ſancti Petri monaſteriis, de quorum poſteriori inferius agemus. Nivardus Remorum antiſtes ſub finem ſæculi ſeptimi quædam
c id. lib. 2. c. 10. largitus eſt monaſterio [c] puellarum Remis, *ubi Boba preeſſe videbatur abbatiſſa*. quæ diſtinguenda videtur a ſancta *Bova ex præmiſſis*. alias pluſquam centenaria fuiſſet. Si quis vero unam & eamdem eſſe velit, conſequens eſt ut etiam neget, vel ſanctam Bovam fuiſſe primam ſancti Petri parthenonis abbatiſſam, aut Balderici ſororem; vel certe Baldericum non fuiſſe conditorem monaſterii Montis-falconis, quod conditum erat ex dictis ante annum ſexcenteſimum triceſimum, & quidem poſt conſ-
d id. lib. 4. c. 39. tructionem parthenonis [d] ſancti Petri. Sanctarum Bovæ & Dodæ acta habentur apud

Bollandum, ſed nullius auctoritatis, ad diem Aprilis viceſimum-quartum, quo die earum memoria celebratur in prædicto parthenone, ubi ſacræ earumdem reliquiæ aſſervantur. Idem Frodoardus [a] miracula quædam præſtringit, maxime *in die ſolemnitatis earumdem* patrata. quod argumento eſt, earum feſtum uno & eodem die jam ſæculo decimo ineunte celebratum fuiſſe. Tum ſubdit [b] viſum Ricuidis ejuſdem loci ſanctimonialis, quæ admonitu ſancti Petri apoſtoli & beati Remigii Romanam peregrinationem, una cum fratre ſuo Friderico preſbytero aggreſſa eſt, a carnibus, & vino abſtinere juſſa, dum iter inciperet: ex eoque itinere reverſa, deinceps a carnibus illa, præter dominicam abſtinuit; ac tribus diebus in hebdomada, uſque ad ſecundum ſignum ad ſecundam, nihil operis egit, ſoli orationi & pſalmodiæ vacatura. Hinc patet, loci illius ſanctimoniales, etſi Benedictinas, jam tum abſtinentiam a carnibus non ſervaſſe, at Ricuidem cælitus impulſam fuiſſe ad eam ſervandam.

a Ibid. c. 44.

b ibid. c. 45.

XII. Baldericus cœnobii Montis-falconis auctor & abbas.

De Balderico preſbytero & abbate itidem ea tantum utcumque certa habemus, quæ Frodoardus de [c] eo commemorat. Is, conſtructo ſancti Petri parthenone, locum aptum quærens, ubi, collectis ſecum religioſis viris, Deo pie ac quiete ſerviret, non alium aptiorem invenit quam Montem-falconis, in finibus diœceſis Remenſis verſus Virdunum, qui locus tunc temporis ſilvis obſitus, & hominum habitationi inhabilis erat. Succiſis arboribus, collectis ſecum monachis, cœnobium ſub regulari inſtitutione ædificavit cum adjuncta baſilica, quam ſub honore beati Germani Autiſiodorenſis epiſcopi dedicari curavit. Erat & alia ibidem ſancti Laurentii eccleſia, ubi vivens ipſe ſibi ſepulcrum paraverat. His perfectis, Remos ad ſororem ſuam reverſus, ultimum ſui curſus diem ibidem clauſit, ubi & ſepultus tempore non modico requievit, donec Montis-falconis [d] cœnobitæ clam ſurreptum beati viri loculum ac reliquias in eccleſiam ſancti Laurentii intulerunt. quod factum ante Nortmannorum tempora, quorum terrore compulſi ejus loci canonici, qui monachis jam ſucceſſerant, ſacrum corpus Virdunum, tamquam in aſylum deportarunt, indeque rebus ſerenatis in eccleſiam ſancti Germani, ubi hactenus colitur, retulerunt. Hericus [e] Autiſiodorenſis monachus laudat cœnobium Montis-falconis, quod ad Remenſem diœceſim pertinere teſtatur: tametſi Dido [f] Virdunenſis epiſcopus ſæculo decimo ineunte hanc abbatiam a rege impetravit. Baldericum a Baltfrido diſtinguit Andreas Sauſſaius, ſed omnia ſuo more confundit ac permiſcet, dum uno in loco Baltfridum eremitam Montis-falconis, in alio Baltfridum ſancti Wandregiſili amicum & imitatorem in pago Bituricenſi collocat.

c Id. lib. 4. c. 39.

d Ibid. c. 40.

e Heric. lib. 1. de mirac. S. Germani. c. 51.

f Frodoard. lib. 4. c. 40.

XIII. Vvandregiſili monachatus & peregrinationes.

Cum Baltfridus Montis-falconis cœnobio præeſſet, iſtuc acceſſit Wandregiſilus, alio nomine Wando, ut ab eo in rebus monaſticis erudiretur. Erat is nobili genere, in territorio ſeu pago Virdunenſi oriundus. Primus ejus vitæ ſcriptor ſubæqualis reticet patris nomen, quem alter Waltchiſum cum chronographo Fontanellenſi appellat. Idem auctor, & poſt eum Willelmus Malmeſburiæ monachus, ac recentiores nonnulli, Waltchiſum, Wandregiſili patrem, ſancti Arnulfi liberis annumerant, & Chlodulfo & Anſigiſilo ejus filiis medium interponunt, ſed falſo: cum conſtet Arnulfum duos tantum filios ex conjuge, nimirum Chlodulfum & Anſigiſilum, ſuſcepiſſe. Wandregiſilus, in palatio educatus, *exacturam* ſibi commiſſam rite adminiſtravit. Erant olim plures id genus exactores, nempe vectigalium, & ædificiorum, quo ſenſu Anſegiſus abbas Fontanellenſis exactor *operum regalium* in Aquiſgrani palatio ſub Eginhardo fuiſſe perhibetur: eodemque ſenſu accipitur apud Zachariam [g] prophetam. Poſterior vitæ ſcriptor hanc Wandregiſili *exacturam* interpretatur de officio comitis palatii, quod Dagobertus ei demandaverit. Ducatum addit chronographus Fontanellenſis, ſed incerto fundamento. Conjugem nobiliſſimam ex parentum juſſione cum duxiſſet, ei contemtum ſæculi quam primum perſuaſit; moxque ejus conſenſu coma depoſita factus clericus, eidem etiam volenti ac lubenti velum impoſuit. Deinde incidit ei cogitatio ſæculi oblectamenta reſpuendi, & ſub religionis habitu in vita cœnobitica converſandi. Hæc meditanti occurrit Montis-falconis monaſterium, ubi non multo tempore habitavit cum quodam ſene, quem ſecundus auctor cum chronographo Fontanellenſi Baltfridum vocat. Ægre id tulit Dagobertus, eumque inſtigantibus proceribus in palatium revocavit, increpiturus, quod regio adſcitus miniſterio, ipſius injuſſu caput ſuum totondiſſet. Nempe aliquando uſus obtinuit, ut citra regis permiſſum non modo regii miniſtri, ſed qui-

g Zachar. c. 10. v. 4.

ANN. CHR. 619.

libet ingenui homines ad clericatum & monachatum haud promoverentur. Exſtat hanc in rem apud Marculfum [a] præceptum de clericatu cum notis Bignonianis. Verum, arceſſito Wandregiſilo & interrogato, emollitus Dagobertus vetuit a quoquam eum inquietari. Inde reverſus, cellam ſeu monaſterium ex propriis facultatibus *in Elizangio territorio* ad Dubim * fluvium ædificavit ſub patrocinio ſancti Urſicini *, cujus corpus ibidem quieſcebat. ubi Elizangli territorii nomine Eliſatium ſeu Aleſaticum pagum interpretor, cui hæc cella adhærebat. Illic jejuniis ac vigiliis continuos gemitus & aſſiduas lacrymas jungebat; &, ſi quando ſomnus repugnantem oppreſſiſſet, nuda humus corpus attritum & exſiccatum excipiebat. Dehinc angelico monitu Bobium profectus, ibidem aliquanto tempore converſatus eſt, ut ejus loci monachorum hauriret diſciplinam. Hic Romanum ejus iter interponit ſecundus auctor, quod primus omnino reticet. Tum Scotiam ſeu Hiberniam cogitare cœpit, amore ſine dubio Columbani, ejuſque inſtitutorum; atque Alpes emenſus, in monaſterium Romanenſe, quod a ſancto Romano Condateſcenſi abbate ultra Jurenſem ſaltum in Rætia conſtructum diximus [b], acceſſit: ubi hoſpitatus, cognovit eo in loco artam illam ſervari vitam, quam Chriſti amore ſectari cupiebat; eoque ſe adductum fuiſſe divino conſilio, ut *ſub religionis habitu* illic converſaretur. Unde eo in loco profeſſus obedientiam, decem ibi annis ſub inſtitutione regulari habitavit. Verum cum eo in loco multa ſibi eventura, & Godonis nepotis ſui futuram converſionem, quam magnopere cupiebat, intellexiſſet, hinc diſcedere ſtatuit; ac demum Rotomagum adiit ad Audoënum epiſcopum, a quo in levirarum ordinem nolens adſcitus fuit. Dein ejuſdem juſſu a ſancto Audomaro ſacerdotii honore ſublimatus, locum quærere cœpit, ubi ſub ſancta regula vitam degeret. Præ omnibus illi arriſit locus Fontanella, ſic dictus a fonte uberrimo illic ſcaturiente, poſitus in eremo Gemeticenſi, quem, quia fiſci regii erat, regali munere accepit, monaſterium ibidem ædificaturus, ut pluribus ſuo loco dicturi ſumus.

a *Marculf. lib. 1. form. 19.*
* *le Doux.*
* *S. Urſin.*
b *lib. 1. n. 39.*

XIV. Beſuenſis monaſterii origo.

Præmittenda eſt in primis commemoratio de cœnobio Beſuenſi, quod Amalgarius dux Burgundiæ, genere Francus, inter flumina Ararim * & Tilam *, in pago Atuarienſi ad fontem Beſuam * conſtruxit, ac plurimis villis, cum paternis, tum fiſcalibus, Dagoberto conſentiente, dotavit. Locus eſt in Lingonenſi diœceſi, decem fere millibus paſſuum ab urbe Divione, ſub patrocinio ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum. Primus eidem monaſterio præfectus abbas Waldelenus, Amalgarii & Aquilinæ conjugis filius, frater Adalrici & Adalſindæ, quorum ille paterni ducatus ſucceſſor, hæc Dornatiaci parthenonis, apud Veſontionem a patre itidem conditi, prima exſtitit abbatiſſa. Waldalenus Deo per manus beati Columbani oblatus, ab eodem educatus fuerat in monaſterio Luxovienſi, quod tunc præ ceteris Galliarum atque Burgundiæ monaſteriis religione florebat. Quo in loco educata fuerit Adalſinda, incertum. Dum vero ambo in ſchola Chriſti erudiuntur, Amalgarius pater convenientia utriuſque ſexui & religioni ovilia parat; Beſuenſe Waldaleno, Adalſindæ Dornatiacum, quod Dubi flumine a Veſontione dirimebatur. Johannes chronographus [c] Beſuenſis hæc omnia fuſe commemorat, refertque plurima hanc in rem egregia monumenta: ſed in eo fallitur, quod Beſuenſis monaſterii originem ad annum ſexcenteſimum ſub Chlotharii ſecundi principatu refert, quæ vix ante annum ejus ſæculi triceſimum, Dagoberto totius Franciæ rege, collocari poteſt. Waldalenus quippe, haud ante annum ætatis triceſimum factus abbas, adhuc ſanus & incolumis ſtabat anno quarto regni Theoderici, Chlodovei junioris & Balthildis reginæ filii, id eſt anno circiter ejuſdem ſæculi octogeſimo: quo anno præceptum ab eodem rege obtinuit. qui, ſi anno ſexcenteſimo Beſuenſe monaſterium regere cœperat, annos tunc ætatis decem ſupra centum exceſſiſſet. Ob eamdem rationem idem Waldalenus diſtinguendus eſt ab alio Waldaleno ſeu Waldoleno Luxovienſi monacho piiſſimo, quem ſancti Walarici in prædicationis munere ſocium, & in conſtruendo Leuconaënſi monaſterio adjutorem fuiſſe ſuperius vidimus. Adde Waldolenum illum in pago Vinemacenſi natum videri, & ex tenuis fortunæ parentibus ortum, quippe qui ſumma neceſſitate conſtricti dicuntur ad expetendam a Walarico quamdam farinæ portionem. quod Amalgario duci potentiſſimo & locupletiſſimo, ejuſque propinquis haud quaquam tribui poteſt. Beſuæ inſtituti ſunt monachi primum ſub regula beati Columbani, teſtante Johanne chronographo: cui ſancti Benedicti regula, ſi non ab ipſis primordiis, certe Chlo-

* *la Saone.*
* *la Tille.*
b *Beze.*
c *Spicil. to. 1. p. 490. & ſeq.*

ANN CHR. 629.

tharii tertii principatu jam acceſſerat, uti adſtruit ejuſdem principis diploma a Johanne relatum, cujus fides hic ſuſpecta eſſe non poteſt: quippe qui monaſterium primitus ſub regula ſancti Columbani conditum fuiſſe non diſſimulavit. Cum Dagobertus, patre mortuo, Burgundiam luſtraret, audiens bonam famam & exiſtimationem Waldaleni Beſuenſis abbatis, ejuſque monachorum; eidem monaſterio villas Artaſiam & Monaſteriolum conceſſit; rataſque habuit donationes, quas Amalgarius Waldaleni parens eidem loco fecerat. Is eſt Amalgarius dux, quo miniſtro in primis uſus eſt Dagobertus ad interficiendum Brunulfum, Chariberti fratris avunculum, ne res novaret; idemque legatus ab eodem ad Siſenandum Gotthorum regem cum Venerando, & cum aliis ducibus miſſus adverſus rebelles Vaſcones, qui ad officium deditione compulſi ſunt.

ANN. CHR. 630

XV. Amandus Sigibertum baptizat.

ANno regni ſui octavo, a morte patris altero, Dagobertus ex Ragnetrude puella Auſtraſia filium ſuſcepit, quem in ſacro fonte Sigibertum placuit appellari, & vix bimulum in Auſtria regem conſtituit: ubi proceſſu temporis multorum monaſteriorum anctor, a poſteris ſanctus habitus eſt. Futuræ ſanctitatis quoddam veluti præſagium fuit, cum infans recens natus, atque ad baptizandum oblatus ſancto Amando, inter ſacras preces, nemine reſpondente, *Amen* ipſe protuliſſe traditur. Factum ſic narrat Baudemundus in vita ſancti Amandi. Dagobertus, in mulieres amore effuſior, cum nihil liberorum haberet, precibus tandem ac piis largitionibus filium a Deo impetravit. Tum Amandi recordatus, quem ob correptionem ſibi factam paullo ante regno excedere juſſerat; eum a miniſtris ſnis perquirendum, & baptizandi filii ſui cauſa ad ſe adducendum curavit. Is vero perquiſitus, ac demum inventus ſiſtit ſe ad regem, in agri Pariſienſis villa regia Clipiaco tunc commorantem. quo viſo Dagobertus imperati exſilii veniam petit, & ſanctum antiſtitem rogat, ut filium ſibi a Deo conceſſum ſacris aquis abluere, & in filium ſpiritualem ſuſcipere dignaretur. Amandus, qui ſciret Deo militantem ſæcularibus negotiis implicari, & quierum, atque a ſæculi tumultu alienum palatia regum frequentare fas non eſſe; negavit id ſe facturum, atque a regis conſpectu abſceſſit. Verum Dadonis & Eligii, tunc illuſtrium procerum, precibus expugnatus, in regiam rediit, oblatumque infantem ſignavit, & ex more catechumenum fecit. Cumque ad finem orationis nemo e circumſtantibus reſponderet, infans cunctis audientibus clara voce *Amen* reſpondiſſe traditur; moxque baptizatur, eique Sigiberti nomen imponitur. Rem aliter narrat Fredegarius, nempe Sigibertum Aurelianis abſente patre baptizatum; & a Chariberto Dagoberti fratre e ſacro fonte ſuſceptum fuiſſe, nulla Amandi aut miraculi facta mentione. At quæ poſtea conſecuta ſunt, Amandum in Dagoberti gratiam rediiſſe probant, quippe quem Tungrenſi ſeu Trajectenſi * ad Moſam eccleſiæ antiſtitem ab eodem rege (quamquam id accidit poſt multos inde annos) deſignatum fuiſſe conſtat. Baptizato Sigiberto Amandus in regia remanere noluit; ſed mox inde egreſſus, ad Gandavenſes, vicinoſque populos erudiendos denuo profectus eſt.

* *Maſtrich.*

XVI. Paulus fit epiſcopus Virdunenſis.

Per idem tempus, defuncto Ermentario Virdunenſi epiſcopo, vel Godone, qui concilio Remenſi ſub Sonnatio ſubſcripſerat, Paulus Theolegienſis monachus communibus omnium votis expetitur. Ille vero acquieſcere nolens, canonum obtendit interdictum, ne quiſquam ex aliena diœceſi facile in alterius loci epiſcopum aſſumatur. Hujus interdicti recens erat decretum concilii Remenſis canone ultimo, ut decedente epiſcopo, in locum illins non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena. At, re ad Dagobertum relata, ejus mandato Paulus renitens & invitus e monaſterio educitur, & vacantem ſedem occupare cogitur. Tunc temporis Virdunenſis eccleſia ſic rebus deſtituta erat, nt non ſufficeret alendis clericis, qui in ea vel miſſarum ſollemnia, vel conſueta divinæ laudis officia perſolverent: ſed ſuo quiſque ordine forenſes preſbyteri ſingulis diebus ejus rei gratia eo accedebant, & recitatis curſim cum miſſa conſuetis pſalmis, mercedula accepta, mox ad propria revertebantur. Neque id in ſola Virdunenſi eccleſia fiebat. nam in Autiſſidorenſi, ut ſuperius [a] vidimus, urbani vicanique preſbyteri & monachi, immo & ſanctimoniales, ſuis quique vicibus in majori ſancti Stephani eccleſia ſacra officia celebrabant. Paulus hunc Virdunenſis eccleſiæ ſtatum miſeratus, dolorem ſuum aperit Grimoni Theolegienſi abbati, qui eccleſiæ & epiſcopo compaſſus, Fraſnidum villam in

Divina officia inſtituit.

[a] *lib. 6 n 73.*

ANN. CHR. 630. victum fratrum, id eſt clericorum ſeu canonicorum, largitus eſt, & cum Paulo ad Dagobertum profectus, poſſeſſiones & pecunias ab eodem iſtuc impetravit.

XVII. Salabergæ maritus & liberi. Tunc temporis Salaberga, altero conjuge ſoluta, virginum cœnobium condere in animum induxit. Prior ejus conjux fuerat Richramnus, vir prænobilis, cui nupſerat invita, quo poſt duos menſes amiſſo, beati Euſtaſii pia monita in memoriam revocans, ad Habendenſe ſacrarum virginum cœnobium, a Romarico in Voſago conſtructum, ſecedere decreverat: ſed Gundoini patris voluntate, qui Dagoberto id diſpliciturum metuebat, ſecundis nuptiis conjuncta eſt Blandino, cognomento Baſoni, viro illuſtri, ex Sicambrorum ſeu Francorum ſpectabili proſapia, qui cum vitam plane chriſtianam duxit. Interim, nullis liberis ſuſceptis, pii conjuges ſolitudinem ſuam dolebant. Hinc continuæ ad Deum Salabergæ preces ad obtinendam prolem: ſed cum tardius vota ſuccederent, ad baſilicam beati Remigii, qui Campaniam totam, nedum urbem Remorum, virtutibus & miraculis tum illuſtrabat, pietatis cauſa iter aggreſſa eſt: ibique in vigiliis & orationibus interdiu noctuque excubias agens, votum nuncupavit, ſe, ſi proles a Deo ſibi concederetur, ipſam Domino conſecraturam. Exauditæ tandem cælitus preces: concepitque & peperit filiam, quam ex aviæ vocabulo Saretrudem vocavit. Rurſus edidit aliam, cui Ebanæ nomen dedit; tertia Anſtrudis appellata, quæ proceſſu temporis in regimine virginum matri ſucceſſit. Poſt hæc duos genuit filios, unum Euſtaſium in ſanctiſſimi Euſtaſii abbatis illuminatoris ſui memoriam appellatum, qui in puerili ætate defunctus eſt; & Baldoinum, quem, uti & alios omnes, omnipotenti Deo ſacravit, id unum in votis habens, ut totam domum ſuam Chriſti faceret eccleſiam.

XVIII. Monaſterium ab ea conditum. Inter ea per omnes Francorum oras vulgata erat fama & exiſtimatio Waldeberti ſeu Walberti abbatis Luxovienſis, ſanctitate celebris; & ubique utriuſque ſexus monaſteria ex ejus norma & inſtitutione affatim condebantur. Hunc ſæpius ad ſe arceſſitum pia mulier, non ſecus ac cæleſte munus, identidem ſuſcipiebat, & ſalutaria ex ejus ore monita hauriens, ad ſæculi phaleras & pompas abjiciendas ſenſim animabatur. Quid plura? viro ad cælibem vitam converſo, liberiſque Deo ſacratis, ipſa religionis veſtem induit, & cum beati Walberti conſilio, virique ſui aſſenſu, cœnobium puellarum *in ſuburbio Lingonicæ urbis* exſtruxit in poſſeſſione paterna, Walberto artifices opemque conferente; idque multis reditibus ac prædiis ditavit: ubi puellæ amplius centum, cum nobiles, tum ſibi ſubjectæ, Chriſto Domino conſecratæ ſunt. Cœnobii nomen & locum diſerte non exprimit auctor vitæ ſuppar, ſed obſcure deſignat his verbis, quod locus, licet Auſtraſiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, diſtans a Luxovio monaſterio millibus paſſuum paullo minus quadraginta; & quidem *in ſuburbio*, ut præmiſſum eſt, ſeu diœceſi Lingonenſi, quæ omnia Moſæ vico, ad fontem fluvii cognominis ſito, recte conveniunt: quo in loco Euſtaſius, a Boiis revertens, Gundoinum Salabergæ patrem inviſit, eidemque Salabergæ oculorum lumen reſtituit. Fallitur ergo Dionyſius Galterotus, qui in ſua Anaſtaſi Lingonenſi de abbatia ſancti Petri in ipſa Lingonum urbe olim poſita, nunc exciſa, id interpretatur; nec ſitus hic convenire poteſt, ut quidam volunt, Polengiacenſi Benedictinarum virginum cœnobio haud procul a Matrona fluvio, quod longius abeſt ab Auſtraſiorum & Burgundiæ confinio. Sed parum id intereſt, quando primum hoc Salabergæ cœnobium jam pridem everſum eſt.

ANN. CHR. 631. XIX. Gandavenſe duplex excitat Amandus. NOn ante annum ſequentem conſignanda videntur primordia monaſteriorum geminorum, quæ ſanctus Amandus in opido Ganda excitavit. Primum Gandenſe ſeu Ganda primitus, dein ſancti Bavonis appellatum: alterum Blandinienſe, ſic dictum a monte Blandinio, in quo exſtructum fuit, fano ſimulacroque Mercurii ſubverſo, principio quidem extra Gandenſes muros, poſtmodum urbis pomœrio incluſum: utrumque ſub patrocinio ſanctorum Petri & Pauli, aliorumque apoſtolorum. Non aliam vir ſanctus opportuniorem ad religionis chriſtianæ incrementa viam invenit, quam conſtruendis monachorum ſeminariis, qui & converſos in fide accepta continerent, & paganorum contumaciam non minus exemplis, quam verbis perfringerent. Primus utriuſque monaſterii abbas ab Amando inſtitutus eſt Florbertus, vir ſanctus, a quo Bavo in rebus monaſticis informatus eſt. Verum id quia ſerius contigit, tantiſper differendum. De his monaſteriis, eorumque origine generatim dumtaxat diſſerit Baudemundus. Ubi fana, inquit, deſtruebantur, vir Domini Amandus,

AN. CHR 651.

tam ex munificentia regis, quam ex collatione religioſorum virorum, religioſarumque feminarum, ſtatim monaſteria aut eccleſias conſtruebat. Milo monachus in ſuo ad Baudemundum ſupplemento varia recenſet ejuſmodi monaſteria: ſed e Gandavenſibus unum Blandinienſe commemorat. Duplex non obſcure laudat auctor perantiquus, qui geſta ſancti Bavonis primus in litteras retulit. nam Gandenſium converſione narrata, hæc habet. Baſilicam autem ibi in honore beati Petri apoſtoli fecit conſtrui, quam reliquiis inſertis, altiſſimo Domino conſecravit cum magno honore, in qua virtutes multas poſtea Dominus fecit. quod de Blandinienſi baſilica intelligendum. tum ſubdit: Deo etiam annuente clericorum cœnobium in ipſo caſtro honorifice eſt conſtructum, ubi die noctuque laus a fidelibus decantatur. In hoc porro monaſterio beatus Bavo ante oraculum templi Domini comam capitis ſui abſcidi deprecatus eſt, & adeptus venerandi pontificis Amandi manibus clericatus honorem, meruit fieri conſors apoſtolorum.

XX. S. Benedicti regula utrique præſcripta.

Ex hoc loco male intellecto Theodericus ſancti Trudonis abbas, & Philippus de Eleemoſyna, qui vitam ſancti Amandi poſt quadringentos ab ejus ætate annos expolire & amplificare aggreſſi ſunt, lecto *clericorum* & *clericatus* nomine, exiſtimarunt, clericos in utroque monaſterio primum quidem ab Amando inſtitutos fuiſſe; ſed paullo poſt Florbertum abbatem & monachos clericis ſucceſſiſſe; hancque ſententiam ſecuti ſunt multi recentiores. Verum nulla in his duobus monaſteriis inſtituti clericalis in monaſticum facta eſt vivente Amando mutatio; nec alios in ſeminariis illis quam monachos, monachus ipſe inſtituit. Id manifeſte probat idem, qui errandi occaſionem dedit, ſcriptor primus vitæ ſancti Amandi, qui clericorum nomine, ut Gregorius Turonenſis epiſcopus, aliique paſſim jam a nobis laudati, utitur ad deſignandos monachos, non modo ubi agit de primordiis monaſterii Gandenſis, ſed etiam de Florberto abbate, ſub quo hæc mutatio facta dicitur. Jam anni fere ſexdecim ab origine prædicti monaſterii elapſi erant, cum Allowinus (id alterum Bavonis nomen) ad ſupra dictum caſtrum, ait anonymus, ad venerabilem Florbertum abbatem, quem almus pontifex Amandus ibidem conſtituerat *ſuper gregem clericorum rectorem*, petiit ab eo humiliter cellulam, in qua familiariter Domini miſericordiam pro facinoribus ſuis deprecaretur. ubi vides Florbertum dici *clericorum rectorem*, uti antea dictum fuerat *cœnobium clericorum*. Sed quid inde? qualem regulam ſectabantur illi clerici? nempe regulam ſancti Benedicti. id quod ſubſequentia verba probant. Ut vero pius pater monaſterii, nempe Florbertus, ejus petitionem audivit, cum gaudio eam ſuſcepit; & ejuſdem fratribus monaſterii, *juxta præceptum pii patris Benedicti*, convocata omni congregatione, ejus patefecit preces: ut, ſi forſitan juniori revelatum fuiſſet quod placitum eſſet Omnipotenti, cum omni aviditate cordis ſuſciperet. quæ verba deſumta ſunt ex capite tertio regulæ ſancti Benedicti. Itaque *præceptum pii patris Benedicti* ſequebantur illi clerici, non alii proinde quam monachi, quos clericorum nomine abſolute prolato deſignatos olim fuiſſe jam ſæpius obſervavimus. Adde Gandavenſes illos clericos *ad obedientiam* egreſſos, ut cellulam viri Dei Bavonis conſtruerent; ipſoſque *laboraſſe manibus*, & ædificium fabricaſſe, nempe ad præſcriptum regulæ ſancti Benedicti, qui monachos ſuos ejuſmodi operibus adhibebat. Cur ergo, inquis, Gandenſes monachos anonymus ille auctor clericos vocat, non monachos? nempe quod Amandus in monaſteriis illis, quæ ſeminaria miniſtrorum erant, ad diſſeminandum Chriſti evangelium monachos clericalibus officiis deſtinaſſet aptaſſetque: quales erant monachi Romani a Gregorio in inſulam Britanniam miſſi ad Anglos in fide erudiendos, quos venerabilis Beda ſatis habuit appellare verbi [a] miniſtros, eoſdem ſcilicet, quos Gregorius monachos in epiſtolis vocat.

a Beda lib. 1. c. 29.

XXI. S. Eligii merita in rem monaſticam.

Florebat tum in aula Eligius, parentibus ingenuis apud Lemovices in villa Catalacenſi ortus: qui, etſi veſte & profeſſione monachus non fuit, monaſticæ tamen vitæ ſtudio, imitatione & propagatione piiſſimis quibuſvis monachis inferior non fuit. Parentes habuit maxime chriſtianos & catholicos, Eucherium & Terrigiam; fratrem Alethium ſeu Alicium, qui in villa Catalacenſi * monaſterium in paterno fundo conſtruxit. Parentes ejus jacent in Lemovicino ſancti Martini monaſterio, cujus primi conditores fuiſſe perhibentur. Aurifabri artem edoctus Eligius, in regis palatio adjunctus eſt Bobboni regis theſaurario, multaque in uſum Chlotharii, filiique ejus Dagoberti; longe plura in honorem ſanctorum, quorum tumulos gemmis,

* Chatelat.

ANN. CHR. 631. auro & argento decoravit, feciſſe perhibetur. In regia non decrevit Eligii pietas, ſed augmentum cœpit, ſibi amicos & ſocios adſciſcendo viros quoſque pios, in primis Dadonem, cognomento Audoënum, qui libros de ejus vita duos poſtea compoſuit, & Adonem ejus fratrem. Atque ut ſe vas Deo ſanctificatum exhiberet, veritus ne qua peccati macula in ipſius animo reſideret; omnia, quæ ab adoleſcentia commiſerat, delicta & peccata coram ſacerdote confeſſus eſt, ſibique auſteram pænitentiam impoſuit, vinn abſtinens per decem amplius annos; cilicio ad cutem uſus, dum pretioſis exterius veſtibus fulgeret. Inter laborandum, codicem habebat præ oculis, ſimul manus operi, ſimul mentem divinis eloquiis applicans. vir tantæ religionis, ut Chlothario fidem ſuam jurejurando adſtringere non ſuſtinuerit. Monachos in primis diligebat, monachus & ipſe fieri cupiens in cœnobio Sollemniacenſi, *niſi cum alio in loco*, ait Audoënus, *Dei obligaſſet diſpenſatio*.

XXII. Sollemniacenſe monaſterium condit. * Solignac. Sollemniacum * villam, ſex millibus paſſuum a Lemovicis diſtantem, a Dagoberto impetravit, ubi magnum & inſigne monaſterium exſtruxit, & monachis centum & quinquaginta congregatis præfecit Remaclum abbatem, qui poſtmodum Tungrenſis epiſcopus factus eſt. Tanto in eum locum ſtudio afficiebatur, ut, quidquid a rege proceribuſve obtinere, quidquid a quibuſvis comparare poterat, totum id in monachorum uſus effunderet. Videres planſtra iſtuc vehi omnis generis ſupellectile, vaſculis æreis & ligneis, veſtimentis, lectuariis, linteis, necnon voluminibus ſacris onuſta: quæ omnia in monaſterii uſus expendebat, ita ut ſæcularium inde invidiam concitaret. Eo quondam ſe acceſſiſſe teſtatur Audoënus, tantamque ſacræ regulæ illic vidiſſe obſervantiam, ut præ ceteris Galliæ monaſteriis, uno excepto Luxovienſi, florere videretur. Nullus ibi quidquam ſibi proprium vindicabat, ſed omnia erant omnibus communia. Multa loci ubertas & amœnitas: ambitus decem fere ſtadiorum, ſphærico muro, non lapideo, ſed foſſato circumſæptus. Ex uno latere præterfluit, * la Briance. Brancia *; ſuper quem mons eminet ſilva opertus. Fallitur itaque Jonas monachus, * la Vienne. gravis ceteroqui auctor, cum Sollemniacum locat ſuper fluvium Vigennam *. Totum porro monaſterii ſpatium diverſi generis arboribus frugiferis conſitum erat. Iſtuc identidem ventitabat Eligius, ut monachorum converſatione recrearetur. Vi-
» deres eum, ait Audoënus, cum januam ingrederetur monaſterii, dejecto in terram
» vultu, depreſſiſque oculis, magna gravitate inter fratres incedere, & pæne ad ter-
» ram uſque ad ſingulorum pedes proſtratum benedictiones ab ipſis flagitare, quibus
» ipſe viciſſim copioſas eleemoſynas rependebat. Egreſſurus viliſſimam panis tortam
» ſeu placentam ab eis pro benedictione & inſigni munere accipiebat, atque ex ea
» diebus ſingulis, quo uſque tota conſumeretur, eulogias, veluti ſacram communio-
» nem, jejunus ſumebat; jejunus itidem ad quælibet monaſteria vel eccleſias accede-
» re ſolitus. Singulos vero paterna ſollicitudine commonebat, ut Deo ſervirent in ve-
„ ritate & in ſimplicitate cordis, & quotidie in melius coaleſcerent, & arreptum pro-
» poſitum omni inſtantia ad finem uſque perducerent.

a Sec. 2. p. 1091. Eligii litteræ de hujus monaſterii conditione a nobis vulgatæ [a] ſunt, datæ x. kalen-
» das Decembris, anno decimo Dagoberti regis: inſcriptæ dominæ ſacroſanctæ eccle-
» ſiæ, quam in honore ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum, Pancratii & Dionyſii
» cum ſociis ſuis, Martini, Medardi, atque Germani confeſſorum, in ſuburbio Le-
» movicenſi, & fundo agri Sollemniacenſis ait ſe conſtruxiſſe: ubi tum præerat Re-
» maclus abbas. Hunc vero fundum ſibi obveniſſe ex munificentia glorioſiſſimi &
» piiſſimi regis Dagoberti cum omnibus ad illum agrum pertinentibus: quæ omnia cedit
» ad uſum monachorum ejus monaſterii, ea conditione, ut tramitem religionis ſanc-
» tiſſimorum virorum Luxovienſium ſectentur, & regulam beatiſſimorum patrum Be-
» nedicti & Columbani firmiter teneant; & nulla poteſtas, nulluſque epiſcopus, vel
» quælibet alia perſona, niſi tantum glorioſiſſimus princeps, jus ullum in prædicto mo-
» naſterio, neque in rebus, neque in perſonis in poſterum haberet. Litteris ſubſcribunt epiſcopi complures, Madegiſilus Turonenſis, Hildegarius Senonicus, Adeodatus Matiſconenſis, Chagnoaldus Laudunenſis, Maurinus Bellovacenſis, Salapius Namneticus, Lupus Lemovicenſis, & Deoremus cum aliis optimatibus.

Remaclus abbas primus. Quo ex monaſterio eductus ſit Remaclus abbas, non liquet. Anonymus ejus vitæ ſcriptor traditione acceptum refert, eum monaſticis diſciplinis inſtructum fuiſſe in Sollemniaco monaſterio. Si qua fides Harigero & Notgero, educatus eſt puer ſub beato Sulpicio; poſtea jam adultus traditur Eligio. Ut ut ſit, primum fuiſſe Sollemniaci

ANN. CHR. 631.

ſemniaci abbatem conſtat tum ex præmiſſis Eligii litteris, tum ex ipſo Audoëno in libri ſecundi capite quarto-decimo, ubi ait primum ejus monaſterii abbatem, quem tamen nuſquam nominat, ad epiſcopatum aſſumtum fuiſſe. quod Remaclo ſub annum hujus ſæculi quinquageſimum contigiſſe inferius videbimus.

XXIII. Tillo ejus loci monachus.

Sub Remacli diſciplina ibidem vixit Tillo monachus, ex genere Saxonum haud ignobili, captivus in Galliam abductus, quem Eligius dato pretio redemit, præter multos alios, quibus, jactatis ante regem denariis, (hic manumiſſionis ritus erat) chartas libertatis tribuebat, trina data [a] optione, nempe ut vel in patriam liberi remearent, vel cum ipſo manerent, non jam ut ſervi, ſed ut fratres ab eo habendi; vel *venerabilem* monachorum vitam arriperent. Medium primo elegit Tillo, cum Eligio laborans, *vernaculus* eius ab Audoëno dictus: qui magiſtri ſequens veſtigia, & ipſe poſtmodum *venerabilem*, id eſt monaſticam, vitam duxit. Sic Buchinus, ex gentili converſus, & ipſe poſtea *venerabilis* exſtitiſſe, ac Ferrarienſi monaſterio præfuiſſe dicitur. Itaque Sollemniaci monachum profeſſus Tillo, cum tanta pietate ſe geſſit, ut ad ſacerdotii honorem promoveri meruerit. Ejus opera Eligius in converſione Menapiorum ſeu Tornacenſium populorum uſus fuiſſe perhibetur. Verum is honoris impatiens, poſt beati Eligii obitum in Arvernenſis pagi ſolitudinem clam ſeceſſit, nempe in eremum Brajacum ſeu Brajecte, haud procul ab opido Mauriaco, ubi hactenus ſancti Tillonis eremitorium inter præruptos montium ſcopulos cernitur, & proximum cœnobium virginum Benedictinarum, ſanctis Coſmæ & Damiano nuncupatum. Ibi rebus mortalibus ſuperior, ad cæleſtia dumtaxat ferebatur ejus animus. Cibus ei parciſſimus, poma cruda ſive radices herbarum, quibus nonniſi poſt veſperam veſcebatur, aqua pura contentus; pro veſte ſola tunica atque cuculla, ſub quibus cilicium gerebat. Pauli nomen tum latendi ſtudio, tum ob reverentiam ſancti Pauli primi anachoretæ, poſtmodum aſſumſit.

[a] *Audoën. lib. 1. c. 10.*

XXIV. Alia monaſteria ab Eligio constructa.

Idem Eligius Luteciæ domum propriam, quam a rege acceperat, in ſacrarum virginum cœnobium ſub titulo ſancti Martialis Lemovicenſium apoſtoli convertit, & trecentis puellis, in quibus multæ generis Francici, & quidem nobiles erant, iſtic congregatis, & bene dotatis, Auream virginem ſanctam, Maurini & Quiricæ filiam, abbatiſſam præfecit. Ædificavit etiam extra muros baſilicam ſancti Pauli apoſtoli, plumboque texit, ut in ea monachæ ſepelirentur. Forte deerat in civitate ſpatium ad conſtruendum puellis neceſſarium ædificium, cui conſtruendo exigua quædam fiſcalis area opportuna erat. Hanc metiri juſſit Eligius, eamque ut ſibi daretur petiit a principe; moxque obtinuit. Cum vero in locum reverſus, linea jactata denuo futuri ædificii amplitudinem metiretur; invenit ſpatium uno fere pede amplius eſſe, quam regi ſuggeſſerat. Hinc triſtis effectus, quod regi falſum dixiſſet, veniam ab eo popoſcit. Rex facti novitate in ſtuporem verſus, facile rem ei condonavit, & converſus ad circumſtantes: Videte, inquit, quam præclara & venerabilis Chriſti fides! Duces « & domeſtici mei quotidie villas fiſcales ſurripiunt, & citra ſcrupulum in ſuos uſus « convertunt: & hic famulus Chriſti ne palmum quidem areæ ſibi conceſſæ, me in- « ſciente, retinere ſuſtinuit. Præter ea ædificavit in urbe Noviomagenſi alterum an- « cillarum Chriſti monaſterium, ubi, prædiis & cenſibus affatim aſſignatis, puellarum magnum cœtum, & diſtrictam vitæ obſervationem inſtituit ſub Godeberta abbatiſſa. Hæc apud Ambianos nata, cum a multis procis in matrimonium peteretur, nec parentes, haud dubiæ nobilitatis, Chlothario rege inconſulto, a quo beneficium acceperant, puellam cuiquam collocare auderent; omnibus ex principis voluntate pendentibus, Eligius anulo ſuo eam Chriſto deſpondiſſe dicitur: Chlotharius vero ſuum ei Noviomagenſe palatium cum ſuburbano ſancti Georgii martyris oratorio, duaſque villas fiſcales conceſſiſſe. Hæc in libello de ſanctæ Godebertæ vita, fidei admodum dubiæ. Uterque hic parthenon jam dudum exciſus eſt: ſolæque modo reſtant eccleſiæ, ex quibus eccleſia ſancti Martialis apud Pariſios parœcialis eſt. Sunt & alia monaſteria non pauca, quæ vir ſanctus cum per ſe, tum per diſcipulos ſuos exſtruxit, teſte Audoëno.

XXV. S. Martini Tornacenſe.

Ex his monaſteriis, quæ generatim tantum indicat Audoënus, unum eſt Tornacenſe ſancti Martini, quod ab Eligio conditum fuiſſe Hermannus, ejus loci poſt reſtaurationem [b] monachus, ex traditione a majoribus accepta ſcribit. Erat tunc ad portam urbis meridianam mons ſilvis & arbuſtis conſitus, ubi ſanctus Martinus mortuum ſuſcitaſſe ferebatur. Eo in loco Eligius baptiſmalem ædem in honorem beati

[b] *Spicil. to. 12. p. 403.*

ANN. CHR. 631.

a *Audoën. lib. 2, c. 32.*

pontificis conſtruxiſſe, ejuſdemque dentem alterum repoſuiſſe dicitur, monachorum ibidem habitaculis adjunctis, quibus abbatem præpoſuerit. Traditioni favet id quod apud Audoënum [a] legitur de Balderedo eccleſiæ Tornacenſis abbate, quem Eligius, morte imminente, ad ſe accerſſitum monuit, ne ulterius Tornacum rediret, ſed Noviomi *cum fratribus* ſuis remaneret. ſin redire vellet, ſcire ſe Noviomum amplius vivum non reverſurum. quod poſt Eligii obitum contigit. nam Balderedus, beati Eligii vaticinium parvi pendens, Tornacum denuo rediit, & poſt non multos dies, irruente ſuper eum turba, graviter cæſus, ad extremum interiit.

XXVI. S. Lupi Noviomagenſe.

b *ibid. cap. 37. & 45.*

Ex hoc Audoëni loco intelligimus, Baldcredum eductum fuiſſe ex monaſterio Noviomagenſi, ubi eum cum fratribus ſuis remanere præceperat. Hoc monaſterium ſancto Lupo Trecenſi epiſcopo, cui veteres ſchedæ ſanctum Stephanum protomartyrem & ſanctum Eunucium confeſſorem addunt, primitus nuncupatum fuiſſe conſtat, poſtea ſancti Eligii tumulo ac reliquiis, ac demum vocabulo illuſtratum. Hujus cœnobii ſi non auctor, certe amplificator cenſendus Eligius. Chlodovei junioris acceſſit munificentia, qui villas quaſdam eidem loco largitus eſt, teſtante Lotharii tertii diplomate regio. Hujus principis aliud diploma habet, locum hunc a ſancto Eligio quondam in monaſtica religione decenter fuiſſe inſtructum. Hæc ergo noſtrorum ſæculo decimo perſuaſio erat. Sparvum ejuſdem monaſterii abbatem non ſemel laudat [b] Audoënus, præſertim ubi agit de interitu cujuſdam prædonis, qui agrum in Calvo-monte, ad hanc baſilicam pertinentem, ſibi vindicare moliebatur. Is ad regis judicium provocatus a prædicto abbate, ſecundum legem Francorum juſſus eſt, ut, aliis juratoribus ſecum adhibitis, terram ſui juris eſſe jurejurando affirmaret. Abbas contra ſatis habuit, ut, aliis juratoribus omiſſis, idem prædo ſolus ſingulari ſacramento id aſſereret. quod cum ad beati Eligii ſepulcrum manu impoſita facere non dubitaret; in medio ſacramenti contremiſcens, repente in terram reſupinus corruit, hiſque verbis ægre prolatis, Abba Sparve, recipe terram tuam, exſpiravit. De hujus monaſterii habitatoribus ita loquitur variis in locis Audoënus, quaſi eo in loco, non monachi, ſed clerici tunc temporis exſtiterint. Nam furem in baſilica [b] comprehenſum ſcribit, *cum clerici conſuetas expleſſent preces veſpertinas*, nulluſque ex *cuſtodibus* in baſilica ſupereſſet. & paullo poſt [d] ait, beatum Eligium ad ſuum ipſius mauſoleum illuſtri viro Amalberto comiti Noviomagenſi apparuiſſe, poſtquam *matutinos hymnos ex more perſolviſſet clerus.* Alios id genus locos referre non vacat. Verum his locis monachos ab Audoëno deſignari, uti ab aliis factum jam ſæpius obſervavimus, patet ex alio loco, ubi *frater* [e] *quidam ex monachis beati Eligii*, podagra decumbens, impoſita ſancti antiſtitis melote, ſanatus perhibetur. Certe monachos in ſancti Dionyſii baſilica collocatos a Dagoberto fuiſſe nemo negaverit; &, ſi quis negaret, Fredegarium, alioſque ejus temporis auctores in ſe teſtes pertraheret: & tamen ejus baſilicæ clerum vocat Audoënus [f] ipſe, ubi ait, claudum in feſto ſancti Dionyſii ibidem erectum fuiſſe, *dum vigilia a clero caneretur in choro.* Similes loquendi modi paſſim occurrunt, maxime in chronico Fontanellenſi. Haud ſcio an in baſilica Dionyſiana reſidebat pius ille cellanus, nomine [g] Dulciolenus, non longe ab urbe Pariſiaca commanens, quem beatus Eligius frequenter viſitare conſueverat.

c *ibid. c. 62.*

d *ibid. c. 63.*

e *lib. c. 72.*

f *idem lib. 1. c. 23.*

g *id. lib. 2. c. 38.*

ANN. CHR. 632.

XXVII. Helladii epiſcopi Toletani obitus.

h *Hildef. de vir. illuſtr. c. 7.*

POſt longum de rebus Hiſpanicis ſilentium, nunc demum agendum eſt de Helladio Toletano pontifice, qui anno hujus ſæculi triceſimo-ſecundo curſum vitæ mortalis abſolvit. Fuerat ante epiſcopatum monachus & abbas Agalienſis monaſterii, in Toletanæ urbis ſuburbio ſiti, ex quo multi eo ſæculo epiſcopi in ſedem Toletanam aſſumti ſunt, nempe Helladius ipſe, de quo nunc agimus; Juſtus ipſius Helladii ſucceſſor, Eugenii duo, & Hildefonſus, omnes doctrina & ſanctitate illuſtres. Helladius [h] in ſedem Toletanam Auraſio ſucceſſit ſub annum ſexcenteſimum quartum-decimum, ejuſque regimen decem & octo annis tenuit. Is primum in aula regia illuſtriſſimus, rectorque rerum publicarum, ſubinde in Agalienſe monaſterium ſecedebat, ubi, remota clientum ſæculique pompa, ita ſe vilibus quibuſque mancipabat officiis, ut ſtipularum faſciculos ad clibanum deferret. Tandem vero, relictis omnibus quæ ſæculi erant, ad ſanctum illud monaſterium, quod voto frequentaverat, optati voti uſu ad finem potiturus acceſſit. Ibi factus omnium pater, meritis ſtudiiſque ſanctis & vitam monachorum optime rexit, ſtatumque monaſterii

Digitized by Google

ANN. CHR. 632.

multis opibus auxit. Jam ſenio præconfectus ad pontificatus apicem evocatur. Eccleſiam Toletanam magna diſcretione adminiſtravit, & eximiis illuſtravit exemplis. Tantæ caritatis & miſericordiæ in pauperes & egenos, ut eos non ſecus ac propria viſcera confoveret. Obiit ſub initia regni Siſenandi, qui æra ſexcenteſima ſexageſima-nona regnare cœpit. Hunc excepit Juſtus[a] ejus diſcipulus, ab infantia in rebus monaſticis ab ipſo Helladio excultus, & in Agalienſi monaſterio tertius poſt eum rector. Ejus pontificatu Agalienſi monaſterio præerat Richilanes abbas, ad quem epiſtolam ſcripſit, ut ne ſuſcepti gregis curam deſereret. Hildefonſum non videtur legiſſe Arnoldus Wion, qui Helladium ſcriptis clariſſimum exſtitiſſe ait. Helladius quippe, teſte Hildefonſo, renuit ſcribere, « quia quod ſcribendum fuit, quotidianæ operationis quadam veluti pagina demonſtravit. « Non confundendus Juſtus ejus ſucceſſor cum Juſto[b] diacono, qui & ipſe epiſcopus fuit, ſed in alia eccleſia, Helladio inſultare auſos, ob intemperantiam morum in reprobum verſus ſenſum, ac demum a miniſtris altaris ſui injecto laqueo ſtrangulatus exſpiravit. Exſtat Iſidori Hiſpalenſis antiſtitis egregia epiſtola ad noſtrum Helladium ceteroſque coepiſcopos, in qua eum graviter monet de redigendo in ordinem Cordubenſi epiſcopo, qui in pontificali culmine in carnale crimen lapſus fuerat. « Melius quippe eſſe illi, ut temporaliter judicetur ab epiſcopis, quam æterno damnetur judicio. « Sciat enim, inquit, ſe amiſiſſe nomen & officium ſacerdotis, qui meritum perdidit ſan- « ctitatis. Horret animus ad tam piam juſtamque illorum temporum ſententiam, dum noſtros mores cum illis conferimus. Ex præmiſſa porro Iſidori epiſtola falſi convincitur alia[c] ſub ejus nomine conficta ad Maſonem epiſcopum, quæ lapſorum ſacerdotum reſtitutionem approbat. Helladii epitaphium ſcripſit Hildefonſus, in quo eadem, quæ in ejus elogio, commemorat: hoc ſolum addito, quod annos octoginta tranſgreſſus deceſſerit, ſepultuſque ſit in æde ſacra beatæ Leocadiæ. Ejus obitus in martyrologiis recentioribus conſignatur duodecimo kalendas Martii.

Juſtus ſucceſſor.

a ibid. c. 8.

b Id in prologo.

c Caniſ. to. 5. antiq lect. part. 2. p. 293.

XXVIII. S. Ruſticula moritur.

Non poſt multos abhinc menſes in cælum itidem migravit Ruſticula, ſancti Cæſarii parthenonis Arelatenſis abbatiſſa, ſeptuageſimum-ſeptimum agens annum. Die ſabbati ante feſtum beati Laurentii febre correpta, dominica gravius ægrotare cœpit. Rogantibus ſororibus, ut lectulus ejus, quem ſemel tantum in anno revolvere ſolebat, mollioribus ſtramentis ſterni pateretur, acquieſcere noluit. Feria ſecunda, quæ ſancti Laurentii feſtiva erat, cum ſorores ad ejus lectum præ nimia triſtitia ſubmiſſa voce pſallerent, clarius pſallere juſſit, ut ex pſalmorum cantu & ſenſu recrearetur. Ipſa die ad horam ſextam, quaſi ſubridens, animam Deo reddidit. Theodoſius, ejus civitatis epiſcopus, cum toto clero funus virginis ſanctæ curavit. Cum ejus corpus ad baſilicam ſanctæ Mariæ, ubi ſanctimoniales humari mos erat, deferretur; unus e monaſterii famulis, qui oculis orbatus erat, lumen ad feretri contactum recepit. Mirum eſt quantum ſui deſiderium ſororibus reliquerit pia mater, quam illæ tenerrimo amore diligebant omnes. Quippe hæc illius jugis cura & ſollicitudo erat, ut ne quam illarum perperam triſtitia afficeret, neu nimio labore gravaret. Nec tamen eas otio torpeſcere ſinebat, ſed ad ferventem omnes diſciplinam animabat. Huic in regimine monaſterii ſucceſſit Celſa abbatiſſa, cui Florentius preſbyter Tricaſtinæ eccleſiæ libellum de beatæ Ruſticulæ vita nuncupavit.

XXIX. Chagnoaldus item epiſcopus.

Eodem menſe, & forte eodem anno, Chagnoaldus epiſcopus Laudunenſis fati munus implevit *ictuatus*, ut loquitur Paulus Virdunenſis antiſtes in epiſtola ad Deſiderium Cadurcenſem, id eſt ictu ſanguinis ſeu apoplexia confectus. Ejus obitus Auguſti die viceſima-tertia colitur in martyrologio Benedictino. Incautos lectores fefellit Pſeudo-Theodorus in vita Magnoaldi, cum Chagnoaldi facta Magnoaldo tribuit. Hæc ſuo loco expendenda. Succeſſorem in ſede Laudunenſi habuit Attolam, qui Salabergam in urbem Landunum excepit.

XXX. Fara teſtamentum condit.

Fara ſeu Burgundofara, Chagnoaldi germana ſoror, anno Dagoberti regis in Neuſtria quinto, VII. kalendas Novembris teſtamentum condidiſſe traditur, nimirum ut donationes, olim Eboriacenſi monaſterio ab ſe factas, confirmaret. Id fecit acceſſito Waldone notario, præſentibus in teſtimonium ſacerdotibus & ſæcularibus viris. In vulgato teſtamento genitorem ſuum Agnericum, germanos Borgundofaronem & Chagnulfum, ſororem Agnetrudem vocat. Si Chagnulfus idem eſt cum Chagnoaldo, quem germanum ejus fratrem fuiſſe ex Jona monacho indubium eſt; in vivis adhuc erat Chagnoaldus, cum teſtamentum condidit Burgundo-

AN. CHR. 632.

» ſara. Hoc teſtamento in primis prædicto monaſterio Eboriacenſi, ſito in pago Brie-
» gio, quod eſt conſtructum in honore domnæ ac ſanctæ Mariæ, & ſancti Petri apo-
» ſtolorum principis, dat portionem ſuam de villa Campellis, quam contra germa-
» nos ſuos in partem aeceperat; item de villa Cavaniaco pagi Kalenſis: tum villam
» Dulgo-faiacum *, ſitam in pago Aliodrenſi; denique portionem ſuam, an forte
» Pipimiſii villæ, in ſuburbio Meldicæ civitatis, cum caſis & areis, tam intra, quam
» extra muros ejuſdem urbis; ad hæc portionem ſuam de villa Luvra, ſita in pago
» Pariſiaco, faventibus dulciſſimis germanis ſuis, Chagnulſo, Burgundofarone, &
» Agnetrude. Actum eſt hoc Eboriaco monaſterio in menſe Octobri.

* Fay.

XXXI. Mira in ejus monaſterio facta.

Poſt hoc teſtamentum Fara vixit per aliquot annos: cujus tempore quædam facta memoria digna, quæ Jonas in litteras retulit, patrata ſunt, pleraque ad virtutis commendationem, quædam etiam ad caſtigationem vitiorum. Prioris generis eſt exemplum Siſetrudis virginis, quæ cum celleraria monaſterii eſſet, de inſtante obitu cælitus admonita, reliquos quadraginta dies moribus corrigendis & vitæ emendandæ ſedulo impendit. Cum ſeptem ae triginta dies in precibus, jejuniis, vigiliiſque exegiſſet; in cælum a duobus angelis rapta fuiſſe dicitur, indeque ad triduum facta rediviva, *matrem*, id eſt Burgundofaram abbatiſſam, totumque Dei famularum cœtum convocaſſe, ac rogaſſe, ut ſuis precibus ipſi ſubvenirent, moriturae poſt trium dierum ſibi datas inducias. Poſt triduum denuo ad cælum evocata, inter angelicos concentus illuc evolavit. Hoc primum piiſſimæ ac feliciſſimæ mortis in illo cœnobio exemplum a Domino famulabus ſuis oſtenſum fuiſſe ait Jonas, ut ſuperſtites toto ſtudio *ad cultum religionis* contenderent. De hac Siſetrude intelligendum ſanctæ Faræ vetus martyrologium, in quo nonis Martii ſit commemoratio *ſanctæ Siſetrudis virginis*. Ex his patet falli eos, qui eam illius monaſterii abbatiſſam fuiſſe opinantur: quippe quæ tantum celleraria fuit, &, vivente ſancta Fara prima abbatiſſa, ex primis illius loci ſanctimonialibus ad aliarum exemplum mortua eſt.

Non impar exemplum edidit Gibitrudis virgo, genere & religione nobilis, Burgundofaræ conſanguinea, quæ illam in extremis poſitam videns, obnixe a Deo cum lacrymis poſtulavit, ut piam matrem mori non fineret, ſed ſe potius ſodaleſque ſuas ad ſe reciperet. Nec mora, Burgundofaræ longioris vitæ induciæ conceſſæ: ipſa Gibitrudis ex repentina febre exanimis, ſed vitæ ad ſex menſes reddita, demum tanto divinæ gratiæ munere defuncta eſt, ut ipſius cellula cæleſti quodam odore perfuſa ſit, teſte Jona monacho: quo etiam præſente idem accidit in eccleſia, cum ejus commemorationem *more eccleſiaſtico* triceſimo die agentes, miſſarum ſollemnia pm ea celebrarent.

Eximium vero patientiæ ſpecimen edidit pia virgo Hercantrudis, nobilibus & ipſa parentibus orta, quæ ab infantia Deo iſtic conſecrata, continua dolorum immanium tormenta ſuſtinuit: in quibus virtus animæ manebat inconcuſſa; mira humilitas, manſuetudo & pietas cum lacrymarum ubertate refulgebat; ſed in primis tanta vitæ innocentia, ut ſexuum diſcrimina neſciret. Inter hæc ei contigit aliquando, ut contra regulæ præſcriptum nonnihil faceret, quam ob culpam prædicta monaſterii mater eam a ſacri Chriſti Domini corporis communione removit, dum impoſitæ ſibi pænitentiæ ſatisfeciſſet. Erat vero in craſtinum feſtum depoſitionis ſanctiſſimi antiſtitis Martini. Verum, totam illam noctem in lamentis & precibus pervigilem ducens, culpæ veniam a Deo atque a matre impetravit, Chriſtique corpori ſequenti die communicavit, religioſior deinceps effecta. Morti demum poſt aliquot annos proxima, cum quamdam ſanctimonialem minus religioſam coram cerneret: Cito, inquit, unam ex vobis ſegregate indignam ceterarum conſortio, ut quæ ſæculo vivat, non Chriſto. Stupentibus omnibus, quid vellet; una earum reatum agnoſcens ſuum, humi proſtrata culpam confitetur, & in omnibus ſe emendaturam pollicetur.

Quadam die dominica, dum miſſarum ſollemnia Burgundofara cum ſacro vir-
» ginum collegio ſpectaret, & jam ſacri corporis communione participarentur; quæ-
» dam ex eis, Domna nomine, *cum jam corpus Domini accepiſſet, ac ſanguinem libaſſet*,
» ipſa Jonæ verba refero, & ſacro choro inſerta una cum comparibus caneret: *Hoc*
» *ſacrum corpus Domini & Salvatoris ſanguinem ſumite vobis in vitam æternam*; ſimul
in ore ejus globus rutilans micavit. Sed poſtea elationis vitio perdidit, quod modeſtia ac religione meruerat.

Alia ex his Wilſinda ex genere Saxonum, & ipſa religioſiſſima, Ægæ Dago-

ANN. CHR. 632.

berti conſiliarii, qui monaſterio infeſtus erat, interitum prædixit; & ſororum ſuarum, quæ prius deceſſerant, cæleſtem gloriam, quas inter Anſildis erat, conſpexit. Hæc etiam aliam puellam admonuit, quiſquilias ut abjiceret. quippe quæ mentem ſordibus ac vitæ ſæcularis reliquiis inquinatam gereret. Mox illa territa ſolo proſternitur, *celataque vitia matri per confeſſionem prodit*, uti Jonas loquitur.

Ad hæc quædam puella, nomine Blithildis, cum diu inter regularis vitæ accuratam obſervationem, immobili deſiderio adſpiraret ad cæleſtia, ad extrema demum redacta, ſacræ lectionis codices coram ſe legi popoſcit. Forte una ex aſſiſtentibus vas lucernæ aqua & oleo cum impleſſet, aquam in lac commutatam ſtupens animadvertit. Tum, lacte ab oleo juſſu matris ſeparato, oleum ex vaſe denuo manare cœpit, quod ſollicite collectum in ſacrario recondidere, ex quo multi ſanitatem conſecuti ſunt. Teſtes ſunt, ait Jonas, hujus rei Burgundofara, pontifexque Meldenſis urbis, haud dubie Faro, & Waldebertus abbas Luxovienſis monaſterii.

Ad delinquentes quod attinet, quaſdam ex illis recens converſas eo uſque ſeduxit dæmon, ut exitiabilem ſæculi vitam denuo appeterent, & ad immane exſequendum conſilium, admota ſcala, ſæpta monaſterii tranſſilire conarentur. Mox ignis maſſa ingens a medio dormitorii egreſſa, totam domum illuſtravit, ac poſt in tres diviſa globos, per totidem domus oſtia erupit. Hoc tonitrui fragore excitæ ſorores, egreſſuras aſſequuntur, & vix intra ſæpta monaſterii revocant. Tum illæ facti pudore ſuffuſæ, culpas agnoſcunt, *matrique per confeſſionem produnt*. Aliis duabus ſecus contigit, quibus a dæmone perſuaſum eſt, ut confeſſionem non facerent eorum, quæ vel in ſæculo, vel in monaſterio commiſerant. *Erat enim conſuetudo monaſterii*, ait Jonas, *ut ter in die per confeſſionem unaquæque earum mentem purgaret*. Illæ demum e monaſterio clam egreſſæ, ſed ab inquiſitoribus iſtuc reductæ, obfirmatis in malum animis, divina ultione ad extrema tandem venerunt. Hortante matre, ut ſaltem inter ſupremas vitæ horas confeſſione ſcelera expiarent, & ſacri corporis communione munirentur; obdurato corde nihil remedii admittentes perierunt. Harum vero cadavera nequaquam in communi ceterarum conditorio, ſed ſeorſum foris ſepeliri mater juſſit: ſuper quarum tumulos per totum triennium globus igneus viſus eſt, & voces ululantium auditæ.

XXXII. Obſervanda de confeſſione ſanctimonialium, &c.

In his aliiſque exemplis a Jona relatis, illud in primis obſervandum occurrit, quod ſanctimoniales matri ſeu abbatiſſæ peccata confiterentur, etiam gravia, quæ in ſæculo commiſerant, nulla ſacerdotis facta mentione. Sed tamen ſacerdotis miniſterium non excludi ex eo colligitur, quod Columbanus, cujus inſtituta illic ſervabantur, poſtquam tria confeſſionis ſeu revelationis conſcientiæ tempora in Pœnitentiali diſtinxit capite primo, nempe *ante menſam* ſeu refectionem; *ante introitum lectulorum, vel cuicumque fuerit facile dare*; culpam nihilo minus *ſacerdoti fatendam* præſcribit capite viceſimo-nono. Fortaſſe in monaſteriis ejus inſtituti ſanctimonialium id in uſu erat, quod Baſilius [a] de ſui temporis ſanctimonialibus ſtatuit in brevioribus regulis: ubi interroganti, utrum oporteat, cum aliqua ſoror quodcumque delictum ſuum preſbytero confitetur, etiam matrem monaſterii adeſſe; reſpondet, honeſtius ſibi videri & religioſius, ut per ſeniorem matrem preſbyter, ſiquidem illud ſibi videtur, ſtatuat, & modum vel tempus pœnitentiæ imponat ad emendationem ejus, quæ corrigi deſiderat a peccato. Neque enim Burgundofaram, ſanctiſſimam utique abbatiſſam, in eo verſatam fuiſſe errore credere fas eſt, qualis fuit olim quarumdam apud Græcos abbatiſſarum, quæ ab epiſcopo facultatem petierunt [b] monacharum ſibi ſubditarum excipiendi confeſſiones. quam petitionem jure merito rejecit patriarcha Antiochenus, dicens, eam poteſtatem ſolis ſacerdotibus conceſſam eſſe.

a *Baſil. reg. brev. art. 199.*

b *Balſam. juris Græco-lat. interr.* 34.

Alterum notabile eſt, cantum pſalmorum in agone morientium adhiberi ſolitum, quod de ſancta Ruſticula etiam ſuperius vidimus. Tertium monachos ſanctimonialibus in extremo agone poſitis adſuiſſe cum toto ſanctimonialium cœtu, eos ſcilicet, quos venerabilis Beda [c] fratres monaſterii vocat, in aliis ædibus commorantes: quibus poſtea ſæculares canonici, ut in aliis pleriſque locis, ſucceſſerunt. His curſim obſervatis, ad ordinem revertor.

c *Beda lib. 3. c. 8.*

XXXIII. Deſiderius Cadurci epiſcopus ordin. monaſtici propagator.

Tunc temporis Cadurcenſem regebat, illuſtrabatque eccleſiam Deſiderius [d] antiſtes, qui monaſticum inſtitutum illis in partibus mirifice coluit ac propagavit, adeo ut ejus veluti primus apud Cadurcos inſtitutor habitus ſit ab auctore gravi & fere

d *ſupr. n. 9.*

AN. CHR. 631.

» æquali, qui libellum de ejus geſtis compoſuit. Nullum, inquit, eo tempore in urbe
» Caturcæ propoſitum monachi, neque habitus religionis aut regulæ cœnobialis in-
» traverat. Secta Columbani procul aberat: inſtituta beati Benedicti longe diſtabant:
» Deſiderii autem tempore hæc ſecta Caturcæ intravit, hujus ſub die hæc religio ado-
» leſcere cœpit. Erant tamen in pago Cadurcino ante Deſiderii pontificatum monaſteria, uti argumento eſt Dagoberti regis epiſtola, ad confirmandam ejus electionem inſcripta Francorum epiſcopis & ducibus, cunctoque populo Galliarum: ubi hanc *civium, abbatumque Caturcorum conſenſu* factam fuiſſe teſtatur. Ex eorum numero fuiſſe videtur Magnus abbas, cujus cauſam dilectiſſimo filio ſuo Deſiderio, in aula tum degenti, Archenefreda piiſſima genitrix commendat. Fortaſſe etiam ex illis erat Bertegiſilus abbas, qui domino Deſiderio theſaurario [a] aliam epiſtolam ſcripſit. Immo etiam ſancti Amantii monaſterium, quod tanta magnificentia inſtauravit Deſiderius tum epiſcopus, ut primus ejus auctor ab auctore vitæ cenſeatur; jam ante ejus pontificatum exſtabat, ut ſuperius [b] vidimus agendo de altero Deſiderio epiſcopo Autiſiodorenſi, qui ad ſtipendia monachorum nonnulla teſtamento legavit prædicto monaſterio, ubi genitrix ejus Nectaria corpore quieſcebat. Antiquiſſimum itidem eſt in eodem pago Muſciacenſe ſeu Moiſiacenſe monaſterium, nunc ad ſæculares converſum canonicos, ſitum ad confluentes Saræ in Tarnim, qui paullo infra in Garumnam devolvitur. Hujus originem Chlodoveo Magno tribuunt, quæ Chlothario ſecundo potius tribuenda eſt, ſiquidem a viris laudabilibus Anſeberto & Leutado *expletum* dicitur Deſiderio jam Cadurci ſedente, cum paullo ante *regiis impenſis initiatum* fuiſſet, ut in codice Moiſiacenſi legitur; ſecus in alio codice, quem prætulit Labbeus, ſubſtituendo Marciliacenſe monaſterium. Verum hoc ſerius conſtructum videtur, nimirum a Pippino rege, uti & Figiacenſe, olim unitum Conchenſi ejuſdem diœceſis, de quibus alias agemus. Hæc prima ſunt virorum monaſteria apud Cadurcenſes. Incertum cujus loci fuerit abbas [c] ille Cadurcinæ urbis, Guntchramni regis juſſu flagellis cæſus, & in carcerem retruſus, quod Gundobaldi litteras, in cavata codicis tabula ſub cera reconditas, ad ejus amicos clam deferens fuiſſet deprehenſus.

Monaſteria Cadurcenſia.

[a] Cheſnii to. 1. p. 882.

[b] lib. 11. n. 34.

Moiſiacenſe præcipuum.

[c] Greg. Tur. lib. 7. c. 30.

Ad virginum cœnobia quod attinet, in eadem diœceſi exſtabat cœnobium illud Aſpaſiæ abbatiſſæ, quam Deſiderius epiſcopus ſcriptis litteris hortatur ad agendam de perpetrato crimine pænitentiam exemplo peccatricis feminæ, cujus hiſtoriam
» frequentius ab ea relegi cupit. Ergo, inquit, compatiatur anima tua dolori meo,
» ut ego poſſim, vulnere ſanato, lætificari de bono tuo. Age pænitentiam, quantum
» melius potes; & omni cuſtodia ſerva cor tuum. Confido ego in Domino meo Jeſu-
» Chriſto, quia cito obliterabit omnem maculam tuæ confuſionis bona confeſſio. Oro
» ergo, & per Dominum Jeſum-Chriſtum te obteſtor, ut non des amplius diabolo lo-
» cum; ſed in jejuniis, & obſecrationibus, & vigiliis te inſtanter impendas: & quan-
» tum ſentis te hominum deſtitutam præſidio, tantum tibi divinum adeſſe flagites
» adjumentum. Ita pius antiſtes, haud dubie pro carnali lapſo, cui expiando, forte quod publicum crimen non eſſet, non abdicationem officii, ſed ſolam pænitentiam Aſpaſiæ abbatiſſæ præſcribit. Redeo ad monaſterium Moiſiacenſe, cujus primus abbas fuit ſanctus Anſbertus, quem cum Anſberto Rotomagenſi epiſcopo plerique perperam confundunt. In veteri martyrologio Silvæ-majoris, *pridie kalendas Octobris Muſciaco monaſterio ſancti Anſberti abbatis* fit memoria. Ejus ſucceſſorem Leotadium itidem ſanctum dicunt, uti & ſucceſſores ejus Paternum & Amarandum; quorum alterum Anxitanæ, alterum Albienſis eccleſiæ epiſcopos fuiſſe tradunt. *Venerabili in Chriſto patri & domino apoſtolico* Leotadio abbati monaſterii Moiſiacenſis Nizezius, vir prædives, & uxor ejus Ermintrudis multa prædia vendunt in pagis Toloſano, Aginnenſi & Eluſano, menſe Maio, anno ſeptimo domini Theoderici regis. quod de Theoderico Chlodovei junioris filio interpretandum videtur. Ad Moiſaci etymon quod attinet, ſi Petro Vallis-Cernaii monacho credimus, *Moyſacum a Moys*, quod eſt aqua, vocatur, eo videlicet quod dulciſſimis intus fontibus abundat. quamquam apud veteres non Moyſacum, ſed Muſciacum paſſim ſcribitur.

XXXIV. Inter pia Deſiderii opera præcipuum eſt ſancti Amantii monaſterium, in cunctis ædibus eximium, quod ſeptingentorum & quinquaginta ab urbe paſſuum intervallo denuo ædificavit. Singularis ejus monaſterii fabrica fuit, quod tum baſilicarum altitudine & fornicum elegantia, tum ſublimium domorum amplitudine & ſæptorum

S. Amantii monaſterium.

dignitate ceteris præſtabat. Primam loci baſilicam, (nam plures in illo monaſterio pro veteri more erant) non Gallicano ritu minutis ac rudibus, ſed quadratis ac dedolatis lapidibus exſtruendam curavit, duplici porticu operi adjecta. Ibidem copioſum monachorum cœtum congregavit, quibus congrua ex propriis facultatibus ſubſidia contulit, præfecto Dadaleno abbate, poſt Urſicinum venerabilem virum, qui antea monaſterium regebat. Illic vir ſanctus pias cordis ſui delicias, dum viveret, collocavit, ibidemque corpus ſuum poſt mortem ſepeliri voluit. Quædam etiam prædia eidem loco largita eſt Bobila ſeu Bobilana, ſenatrix Romana ſeu Gallicana, Severi quondam conjux, cujus itidem corpus eodem in loco ſepultum eſt. Hæc eſt illuſtris mater-familias Bobilana, in cujus gratiam duas epiſtolas ſcripſit Deſiderius ad Paulum Virdunenſem, & Abbonem Mettenſem epiſcopos, ut quædam res ei debitæ, quas quidam Leva injuſte retinebat, eidem reſtituerentur. Id duorum illorum epiſcoporum teſtantur epiſtolæ duæ apud Cheſnium [a], in quarum altera, quæ Abbonis eſt, Bobilanæ pater Agilenus vocatur. Inter alia vero prædia, quæ Deſiderius eidem monaſterio contulit, mentio fit [b] de Marciliaco. ex quo intelligitur, monaſterium eo in loco necdum tum fuiſſe conſtructum. Perfectis omnibus, quæ ad monaſterii fabricam & ornamentum neceſſaria erant, multos ex Gallicanis eccleſiis antiſtites ad ejus dedicationem invitavit. Exſtat ejus hac de re epiſtola ad Paulum epiſcopum Virdunenſem, quam huc referre juvat. ANN. CHR. 631.

Domino ſemper ſuo Paulo epiſcopo Deſiderius peccator. Jam credo ad aures tuas perlatum, qualiter monaſterium conſtruere cœperim, & baſilicam jam, mihi Domino cooperante, conſummatam habeam. Proinde rogo atque invito apoſtolicam dignationem veſtram, ut ibidem ad dedicationem intereſſe dignemini: & cum nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis ſimul diebus commorantes, de illa perenni ac deſiderabili vita, de qua mutuo ſuſpirare ſolebamus, familiaria colloquia deſidero ut habeamus. Alios etenim plures epiſcopos intereſſe faciemus, qui nos vel exemplo juvent, vel hortatu roborent: quorum nos contubernio non mediocriter opinor adjuvari. Veni igitur, cariſſime, quantum longius, tantum velocius: ut, poſt diutinam corporis abſentationem, tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit, credo, Dominus de ſe concionantibus, adſtabit orantibus; nec nos deſeret umquam, qui paſſus eſt pro nobis de ſede veniens paterna. Orantem te pro nobis potentia Domini noſtri Jeſu-Chriſti conſervare dignetur.

Hinc patet, magnam olim interceſſiſſe inter utrumque familiaritatem: ſive quod Paulus, cum monachus eſſet Theolegienſis, ad aulam Chlotharii, cujus tum theſaurarius erat Deſiderius, identidem ventitabat: ſive quod Deſiderius Paulum in ſuo monaſterio conveniebat. Sane Dagobertus in indiculo ad Sulpicium Bituricenſem epiſcopum pro Deſiderii conſecratione, ejus *devotiſſimam ac monaſticam converſationem* laudat. Non dubito quin ad hanc dedicationem invitatus ſit etiam cum Paulo Sulpicius, quos fratrum ſuorum amiſſorum loco habere ſe teſtatur in epiſtola [c] ad Dadonem ſeu Audoënum epiſcopum, qui cum etiam & cum Eligio antiquam neceſſitudinem & inconvulſam caritatem, precumque communionem continuari cupit: ut, quemadmodum in aula terreni principis ſocii fuerant; ita in illo ſuperni Regis cæleſti palatio ſimul vivere mereantur. Ad hæc vero eorum amplius ſe orationibus, quam ſuis viribus confidere dicit. Non impar ejus amicitia cum Abbone Mettenſi epiſcopo, cui in alia epiſtola [d] nuntium quemdam monachum, qui ad Mettenſe quoddam monaſterium obſervandæ diſciplinæ cauſa ab ſe miſſus erat, præcipue commendat, rogatque in ſacra ejus admitti colloquia: *ut ſicut nos*, inquit, *in ſeculi habitu, in contubernio ſereniſſimi Flotharii principis mutuis ſolebamus relevare fabellis: ita jam nunc illi, ad plenum depoſita vanitate, dulcia liceret Chriſti ruminare præcepta.* Sic vir ſanctus colloquia nonniſi de rebus ſacris miſcere cum amicis ſolebat, etiam in ſæculari habitu, in ipſo palatio Chlotharii regis, quem *Flotharium* vocat, eum ad modum, quo monaſterium *ſancti Flodulfi* pro *Chlodulfi* alicubi legere memini, *viſio Flothilda*, pro Chlothildæ, & alia id genus.

Præter ſancti Amantii monaſterium Deſiderius aliud *ſub ipſo Caturcæ opido* ædificavit in honorem ſanctæ Mariæ ſemper virginis: cujus operis proſecutorem Claudium abbatem conſtituit, cui poſtmodum cœnobii regimen commiſit. Eumdem aliquando cum litteris [e] & munuſculis miſit ad Modoaldum Trevirenſem epiſcopum, gratias agens, quod ſe in illas partes profectum paterno affectu refoviſ- XXXV. Aliud S. Mariæ.

[a] Cheſni to. 1. pag. 885. & 886.

[b] Vitæ 17 Dedicatio.

[c] Deſid. epiſt. 55.

[d] id. ep. 56.

[e] Deſider. ep. 14.

ſet; eidemque filium communem Claudium abbatem obnixe commendat.

ANN. CHR 632. XXXVI. S. Benigno donatio facta. * *Lagou.* Anno quinto Dagoberti regis, ut legitur in chronico monaſterii ſancti Benigni Divionenſis, illuſtris quidam vir, nomine Ermembertus, ejuſque conjux Ermenoara, ſancto Benigno dederunt quaſdam villas ad ſe pertinentes; nempe Poſciacum, & Fontem-Lagnis in pago Latiscenſi *; & in Lingonico Maſciacum, quæ ſuperiori tempore a Dodoaldo epiſcopo Lingonenſi huic loco attributa fuerant, ſed violentia pravorum hominum poſtmodum ablata. Extſtat ejus rei charta optimæ notæ
a *Perard. pag. 7.* » apud Perardum a, inſcripta ſacroſanctæ baſilicæ ſub opido Divione conſtructæ,
» ubi beatus Benignus ſacerdos & martyr requieſcit in corpore: in qua Ermembertus
» & Ermenoara prædictas res ſancto Benigno, quæ per commutationem viri apoſtolici
» domni Dodoaldi epiſcopi ad venerabilem virum Bobolenum abbatem quondam per-
» venerant, ex integro reſtituunt ſancto Benigno, ut monachi, vel pauperes ibi con-
» ſiſtentes, pro ſe Domini miſericordiam deprecentur. Actum in ſupradicto monaſte-
» tio publice, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo, die ter-
» tio poſt kalendas Septembris, anno quinto Dagoberti regis. quæ notæ chronologicæ mirifice confirmarent calculum noſtrum de annis regni Dagoberti, ſi annum
Abbates hujus loci. incarnationis in primigeniis illis litteris appoſitum fuiſſe conſtaret. Lingonenſem eccleſiam poſt Dodoaldum, rectius in vulgatis Modoaldum, regebat Bertoaldus epiſcopus, qui ſynodo Remenſi, ante annos ſeptem habitæ, interfuit, ac ſubſcripſit: quo ſedente, monaſterio ſancti Benigni præerat Richimarus abbas, ſucceſſor Boboleni, ſub quo ſuperiores litteræ datæ ſunt. Alter fuit Bobolenus ejuſdem loci abbas procedente ſæculo octavo, cui Ermenoara quædam Deo ſacrata villam Ruſiacum in pago Atoariorum ſancti Benigni baſilicæ contulit, defuncto Theoderico rege, cognomento Calenſi. Ubi vehemens mihi ſuſpicio injecta eſt, num idem ſit utrobique Bobolenus abbas, eademque Ermenoara, quæ Dagoberto ſecundo rege conjugata, poſtmodum viro ſuo mortuo, Deo ſacrata fuerit. Verum ſcrupulum exemit tempus Modoaldi & Aſtorici epiſcoporum, qui illis in actis laudantur, integro ſæculo alter ab altero disjuncti.

ANN. CHR. 633. XXXVII. Paulinus fit epiſcopus Roffenſis. b *Beda lib. 2. c. 20.* ANnus proximus clade & nece Edwini Northumbrorum regis, ac Paulini epiſcopi Eboracenſis fuga inſignis fuit. Cum b Edwinus, ſuſcepta fide chriſtiana, ſeptemdecim omnino annis genti Anglorum ſimul & Brittonum Northumbrenſium præfuiſſet, adverſus eum conſurrexit Ceadwalla rex Brittonum, opem conferente Penda Merciorum rege; & conſerto gravi prœlio, Edwinus cæſus cum Oſfrido, altero ejus filio; fuſuſque ejus exercitus, relicto ſolo filio Eadfrido, qui ad Pendam regem transfugit, ab eoque poſtmodum contra fidem jurisjurandi interemtus eſt. Hac clade accepta, maxima ſtrages in Northumbrenſi eccleſia facta, maxime quod Penda cum omni Merciorum gente idolis deditus, & chriſtianæ fidei expers erat: Ceadwalla vero, etſi nomen chriſtiani gereret, pagano truculentior, nec ſexui muliebri, nec innocuæ parvulorum ætati pepercit, nec ipſi etiam chriſtiano nomini, ob innatum Brittonum odium in Anglos, quos, etſi Chriſtianos, non ſecus ac paganos habebant. Sic turbatis & afflictis illius eccleſiæ rebus, Paulinus cui nihil præſidii niſi in fuga relictum erat, aſſumta ſecum Ethilburga regina, navigio in Cantiam rediit, atque ab Honorio archiepiſcopo & ab Eadbaldo rege honorifice acceptus eſt, allatis ſecum vaſis pretioſis compluribus Edwini regis, in his cruce magna aurea, & calice aureo, ad miniſterium altaris conſecrato. Tunc temporis viduata erat Roffenſis eccleſia morte Romani epiſcopi, qui ad Honorium papam a Juſto archiepiſcopo, Honorii archiepiſcopi deceſſore, Romam legatus, Italici maris fluctibus abſorptus fuerat. Hanc itaque eccleſiam Paulinus, invitatu Honorii antiſtitis & Eadbaldi regis, adminiſtrandam ſuſcepit, relicto in eccleſia Eboracenſi Jacobo diacono, viro ſancto & eccleſiaſticarum rerum peritiſſimo, qui multas dæmoni prædas docendo & baptizando eripuit, ibidemque plenus dierum deceſſit. Nort-
c *id. lib. 3. c. 1.* humbrorum regnum, quod Deiros & Bernicios comprehendebat, inter ſe ſe c partiri ſunt Oſricus & Eanfridus. Oſrico Deiri, Eanfrido Bernicii obtigere. Prior quidem Elfrico Edwini patruo natus, a Paulino chriſtianæ fidei myſteriis & ipſe imbutus fuerat: poſterior Eanfridus, filius Edelfridi, Northumbrorum ante Edwinum regis, cujus filii toto Edwini principatu apud Scottos ſive Pictos exſules, ibidem a Scottis in chriſtiana fide eruditi baptiſmum ſuſceperant. Sed uterque paullo

poſt

ANN. CHR. 633

poſt ejurata fide chriſtiana, vitam cum regno juſte amiſit, Ceadwalla rege Chriſti vindicante injuriam, ut ambitionem ipſe ſuam expleret. Dein regnum devolutum eſt ad dignum heredem Oſwaldum, Eanfridi fratrem, qui collecta paucorum militum manu, Ceadwallam, vires ſuas immodice jactantem, facili negotio vicit, ipſumque interemit, defixa prius in terram & adorata Chriſti cruce. quod primum apud Bernicios chriſtianæ fidei monumentum fuit. Reliquerat Edwinus, præter Eanfledam, filium, nomine Wſcfreanum, & ex Oſrico filio nepotem Iffium: quos Ethilburga regina, metu Eadbaldi & Oſwaldi regum, nutriendos in Galliam miſit ad Dagobertum regem, qui ipſi amicus & affinis erat: ſed ambo in pueritia defuncti, pro dignitate in eccleſia, forte Dionyſiana, ſepulti ſunt. Ethilburga ipſa paullo poſt monaſticum velum ſumſit.

XXXVIII. Toletani concilii quarti decreta.

Hoc ipſo anno, Siſenandi regis ſtudio Hiſpaniarum epiſcopi Toleti in ſanctæ Leocadiæ baſilica convenerunt, & ſeptuaginta-quinque condiderunt canones ſub nomine quarti concilii Toletani, cui interfuerunt ex monachis epiſcopi, Juſtus Toletanæ eccleſiæ metropolitanus, & Nonnitus Gerundenſis, præſidente Iſidoro Hiſpalenſi metropolitano, canonum auctore, qui magno in monaſticum ordinem ſtudio erat affectus, ut ejus regula in primis probat. In hoc concilio quidam editi ſunt canones in rem noſtram præcipui, nempe quadrageſimus-nonus & ſequentes. Primi hæc verba ſunt. Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus, & omnem ad ſæculum interdicimus regreſſum. Hæc inſtitutio in veteri teſtamento adumbrata in Samuelis prophetæ oblatione Deo facta, ejus exemplo in novo inchoata in monaſteriis per Baſilium, & tandem perfecta & abſoluta a ſancto Benedicto, qui pueris, Deo in monaſteriis a parentibus ſollemni ritu oblatis, omnimodam repetendi ſæculi facultatem, quam Baſilius in medio reliquerat, in perpetuum interdixit. Hoc ſancti Benedicti inſtitutum præ oculis habuiſſe videntur Toletani patres condendo ſuperiori canone, ſeu Iſidorus canonum auctor, qui in regulæ ſuæ capite primo idem adſtruit Samuelis exemplo. Durior viſa eſt poſteris hæc in pueros neceſſitas, ideoque ſenſim emollienda. Modum ei quemdam impoſuerunt decimæ Toletanæ ſynodi patres canone ſexto, ubi pueris minori ætate, quibus vel religionis tonſuram, vel monaſticam in religione veſtem aut unus, aut ambo parentes imponi voluerint, ad ſæcularem revertendi habitum non licere decernunt: verum parentibus filios ſuos religioni contradere, non amplius quam uſque ad decimum ætatis eorum annum, ſic permittunt, ut pueris ab ea ætate liberum ſit religionis cultum aſſumere, vel ſæculum repetere. Eadem moderatio adhibita in ſynodo Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio, in qua congregati abbates capite triceſimo-ſexto ſtatuerunt, ut, quem pater aut mater tempore ſacrificii altari ſollemni ritu obtuliſſent, hanc oblationem tempore intelligibili ipſe puer confirmaret. quod conſequens eſt in ipſius poteſtate relictum fuiſſe. Serius apud Germanos admiſſa eſt hæc remiſſio, ut patet ex canone viceſimo-ſecundo concilii Wormatienſis ſub finem ſæculi noni. Hinc eſt quod Germani quidam hanc ſancti Benedicti inſtitutionem eodem tempore improbarunt, quos Rabanus Maurus ſingulari libello, quem ſequenti volumine proferemus in lucem, refutavit. Proceſſu temporis ubique hæc ſeveritatis antiquæ obtinuit relaxatio, &, retenta puerorum per parentes oblatione, eiſdem jam adultis profeſſionis emittendæ optio conceſſa: donec tandem offerendorum puerorum ritus eccleſiæ decretis penitus abrogatus eſt. Hæc fuſius a nobis [a] alias tractata, quæ ſuis locis pro nata occaſione illuſtrabimus.

De puerorũ oblatione.

[a] *Analect. to. 3. p. 473. & ſeqq.*

XXXIX. De clericis qui monachi fieri volunt.

Prædicti Toletani concilii altero canone, nimirum quinquageſimo, ſancitum eſt, clericis, qui monachorum propoſitum appetunt, *quia meliorem vitam ſequi cupiunt,* liberum ab epiſcopo largiendum eſſe ingreſſum; nec interdicendum eorum propoſitum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur. Huic decreto præiverat Gregorius Magnus in epiſtola ad Deſiderium epiſcopum Viennenſem, de qua ſuperius [b] egimus.

[b] *ſupra lib. 10 n. 21.*

XL. Epiſcoporũ poteſtas in monaſteria temperatur.

Sequenti canone Toletani patres gravate ſe ferre teſtantur, quod monachi a nonnullis epiſcopis ſervili operi mancipentur; & jura monaſteriorum, contra conſtituta canonum, illicita præſumtione uſurpentur, ita ut pæne ex cœnobio poſſeſſio fiat, atque *illuſtris portio Chriſti* ad ignominiam ſervitutemque redigatur. quod in poſterum patres fieri vetant, ſtatuentes, ut hoc tantum ſibi in monaſteriis vindi-

AN. CHR. 633.

» cent ſacerdotes, quod præcipiunt canones, id eſt, monachos ad converſationem
» ſanctam præmonere; abbates, aliaque officia inſtituere, id eſt ordinare; (nam electio
penes monachos erat ex regula Iſidori) atque extra regulam facta corrigere. quod
ſoli abbati Lirinenſi conceditur in concilio Forojulienſi.

XLI. Contra monachos vagos.

Canones quinquageſimus-ſecundus & tertius vagos monachos ad monaſteria ſua
» revocant; eoſque, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur, vel in cle-
» ro, vel in monaſteriis eſſe præcipitur, præter illos qui ab epiſcopo ſuo, aut propter
» ætatem, aut propter languorem fuerint abſoluti. Hæc ex Toletano concilio quar-
to, quod in quinto confirmatum, pro *univerſali & magna ſynodo* habitum eſt.

XLII. S. Iſidori regula, ejuſque œconomia.

Non integro triennio ſupervixit huic concilio Iſidorus, ſcripta monaſtica Re-
gula, quam *ſanctis fratribus in cœnobio Honoriacenſi conſtitutis* nuncupavit, & *pro
patriæ uſu*, ait in ejus elogio Braulio, *& invalidorum animis aptiſſime temperavit*.
Multa ſunt in ea regula Benedictinæ affinia, aliquando eadem de verbo: ſectæ ab
eo regulæ non dubium argumentum. Facilis eſſet comparatio, ſi hanc permitterent
hiſtoriæ leges. Jejuniorum, laboris ac lectionis eadem alternatio: veſtes eædem,
eademque nomina, tametſi quædam addit Iſidorus, pro patriæ ſcilicet uſu. Audi
quid ille de ſtrato in capite quarto-decimo. *Fratres quoque omnes, ſi poſſibile eſt,
in uno conclavi commorari decet. quod ſi difficile fuerit, certe vel decem, quibus unus
eſt præponendus decanus, quaſi rector & cuſtos...., Lux autem nocte dormientium lo-
cum illuſtret*. Eadem ſanctus Benedictus in capite viceſimo-ſecundo. *Si poteſt fieri,
omnes in uno loco dormiant. Si autem multitudo non ſinit, deni aut viceni cum ſenio-
ribus ſuis*, decanos alibi vocat, *qui ſuper eos ſolliciti ſint, pauſent. Candela jugiter
in eadem cella ardeat uſque mane*. Vix ovum ovo ſimilius. Initio Iſidorus regulam
ſuam, veluti quoddam vitæ perfectioris rudimentum, proponit, quæ ſancti Benedic-
ti modeſtia eſt in fine regulæ ſuæ. Prolixior eſſet aliorum locorum collatio. Iſido-
rus cellulas fratribus juxta eccleſiam inſtituit, ut poſſint properare quantocius ad
officium: at locum ægrotantium remotum eſſe jubet, ne qua inquietudine aut cla-
» moribus interturbentur. Idem ſtatuit, ut in pentecoſte omnes fratres ſub divina
» profeſſione ſe alligent, nihil peculiare apud conſcientiam ſuam ſe habere. Ex eo
capite, quinto ſcilicet, deſumta eſt trita illa ſententia: *Monachus quidquid quomo-
documque acquirit, non ſibi, ſed monaſterio acquirit*. Nulli fratrum ſeparatam ad
habitandum cellulam permittit, præter eum, qui fortaſſe morbo vel ætate defeſſus,
hoc ex conſulto patris monaſterii promeruerit. Recluſos non admittit ob pericu-
» lum otii vel vanæ gloriolæ. quippe recluſos non raro latere velle, ut pateant. Præſ-
» tare proinde omnes in ſancta ſocietate commorari, atque ſub teſtimonio vitam ſuam
» tranſigere: ut, ſi quid in eis vitiorum eſt, dum non celatur, curetur: ſi quid vero
» virtutum, ad incitamentum proficiat aliorum. Inter laborandum monachos jubet
» meditari aut pſallere, ut carminis verbique Dei delectatione conſolentur ipſum
» laborem. Libros gentilium & hæreticorum legere nefas. Laïcos ad famulitium
a cap. 6. » admittit: ita ut hortos [a] olerum, vel apparatus ciborum propriis ſibi manibus fratres
» exerceant: ædificiorum autem conſtructio vel cultus agrorum ad opus ſervorum
b cap. 19. » pertineat. Ad hæc ars piſtoria laïcis aſſignatur, uti & purgandi tritici cura, & ex
more molendi. Maſſa tantum monachis ſubigenda relinquitur, & panis ſibi propriis
manibus conficiendus; ita ut pro hoſpitibus & infirmis laïci faciant panes. Tem-
pore refectionis clauſtra monaſterii obſerari jubet, ad excludendos ſæculares. Ab-
bas in communi refectorio, citra languoris ſeu morbi neceſſitatem, cibos cum fra-
tribus ſumere debebat, nec aliud quam ceteri, nec cultius accipere. Per omnem
hebdomadam fratres olerum viles cibos ac legumina comedebant: in diebus vero
ſanctis interdum cum oleribus *leviſſimarum carnium alimenta*: ſed ita ut quiſquis
a carnibus vel a vino abſtinere voluiſſet, non eſſet prohibendus. Laïci miniſtri a
communi menſa excludebantur. Fructuoſus volatilium eſum ſolis infirmis & iti-
c infra lib. 13. n. 42. nerantibus [c] concedit. Quod ex menſis ſuperabat egentibus diſpenſari mos erat.
Jejunium quotidianum a decimo-octavo kalendas Octobris ſervabatur, ut in regu-
la ſancti Benedicti; exceptis octo diebus a nativitate Domini. In quadrageſima
non ſolum a prandiis, ſed etiam a vino & oleo abſtinebatur. Lapſos in graviora cri-
mina, & relapſos, extra monaſterium projici vetat. Officia monaſterii erant penes
abbatem, præpoſitum, cuſtodem ſacrarii, janitorem, cellerarium, hebdomadarium,
& laïcos. Ejuſmodi laïci monaſterio addicti erant, ut fratres noſtri converſi vel ob-

laici. * adeoque monachi haud laïci tum cenſebantur. De his plura ad regulam ſancti Fructuoſi. Cura nutriendorum parvulorum, nempe qui oblati a parentibus fuerant, pertinebat ad virum ætate gravem, ſanctum & ſapientem, qui illos non ſolum ſtudiis litterarum, ſed etiam documentis virtutum informaret. Cùm neceſſe erat urbem vel poſſeſſionem aliquam negotiorum cauſâ adire, iſtuc mittebantur duo fratres ſpirituales ac probatiſſimi; nequaquam vero adoleſcentes, aut nuper converſi. Si quando monachus ad aliud monaſterium viſitandum accedebat, ejus moribus ac vivendi rationi ſe accommodabat, ad vitandum ſcandalum & perturbationem. Pro ſpiritibus fratrum defunctorum altera die poſt pentecoſten ſacrificium Deo offerebatur. Hæc fere Iſidorianæ Regulæ œconomia erat. Quodnam fuerit Honoriacenſe monaſterium, cui hæc regula præſcripta eſt, incertum.

ANN. CHR. 633

* V. infra lib. 13. n. 2. & 42.

In codice Lirinenſi vetuſtiſſimo huic regulæ præmittitur pactum, quod monachi illius monaſterii abbati ſuo faciebant in hæc verba. *Hoc eſt pactum, quod facimus nos, quorum ſubter annotata ſunt nomina, tibi patri noſtro ill. abbati. Cum nos regularis antiquitas doceat, monaſticam non ſine abbate ducere vitam; nec proficuum eſſe alicui monachorum juxta ſuum præjudicium ſecum agere; elegimus te in primis loco abbatis, cui contradimus animas noſtras, ſimulque & corpora: ut juxta ſpiritualem cenſuram nobis ea quæ ſunt Dei imperes; animas noſtras imbutas, caſtificatasque Deo offeras. Noſtrum ergo erit ab hodierno die & tempore tuis monitis obedire, præcepta ſervare, actus & conſcientias tuas revereri: tuum vero id omne, quod a majoribus legendo, vel audiendo didiciſti, nobis ſine cunctatione imperare. Si quis ſane hoc pactum, noſtrûm videlicet, quorum ſubter affixa ſunt nomina, violare tentaverit, quia hoc non ſine inimici ſuaſione acturus eſt, ſit tam diu reus, & a cœtu fratrum anathemate percuſſus, quamdiu pœnitentiam ducens omnibus ſatisfaciat fratribus.* Simile pactum legitur in fine regulæ communis ſancti Fructuoſi.

SUb annum ſequentem jacta ſunt fundamenta monaſterii, quod Dado ſeu Audoënus, adhuc laïcus, in ſaltu Briegio, ad torrentem Reſbacem exſtruxit, & Jeruſalem, ſive a viſis ibi, ut aiunt, & oſtenſis, ſive a ſtudio monachorum, qui Deo contemplando & ſancto ibidem otio vacaturi erant, appellari placuit, vulgo Reſbacenſe a torrente præterlàbente nuncupatum, qui locus olim Gemellus-mercaſius ob geminos lacus vocabatur. Ibidem etiam ab Audoëno fundatum eſt xenodochium in ſubſidium egenorum. Accitus e Luxovienſi monaſterio, cujus inſtitutum Dado ſummopere colebat, primùs abbas Agilus ſeu Agilis *, beati Columbani diſcipulus, quem Euſtaſius abbas Luxovienſis nuper ſuæ apud Waraſcos & Boios prædicationis ſocium habuerat. Dagoberti regis decretum impetrando a Luxovienſibus Agilo adhibitum perhibent, propterea quod diverſis, tum Luxovienſium, tum Veſontionenſium, ſtudiis retinebatur; eique in villa regia Compendio arcerſito, poſtea apud Clipiacum in epiſcopali ſynodo, novi cœnobii regimen ab ipſo rege impoſitum fuiſſe. Baſilicæ dedicatio a ſanctis epiſcopis Farone Meldenſi, & Amando Trajectenſi, præſentibus Dadone & Eligio, ſub titulo beati Petri apoſtolorum principis facta eſt octavo kalendas Martii, nempe ipſo die, quo ſanctus Petrus Antiochiæ primum ſediſſe creditur. Altaris tabulam ex Pario marmore, cum quatuor illi ſummi viri ſuo loco aptare vellent, ex eorum manibus elapſam, atque in duas diſſipatam partes, mox ad eorum preces divinitus refectam tradunt. Hunc locum Dado opimis poſſeſſionibus ac prædiis dotavit, librîſque & ornamentis eccleſiaſticis ac varia ſupellectile abunde inſtruxit; idemque ſe ipſe Deo illic conſecraſſet, niſi regis, procerumque interceſſiſſet auctoritas. Monachorum numerum ad octoginta ſub Agilo abbate creviſſe aſſerit ejus vitæ ſcriptor. Hos inter multi fuere ex primoribus & proceribus regni, qui, ſpretis ſæculi dignitatibus & pompis, Agili ſe ſe diſciplinæ mancipárunt: quos inter præcipuus fuit ſanctus Filibertus, & ipſe monachorum præceptor inſignis futurus. Jonas monachus in libro de vita Euſtaſii, quem ante annum hujus ſæculi quinquageſimum ſcribebat, *Agilem* laudat, *qui modo*, inquit, *Reſbacenſi cœnobio præſul exſiſtit.* Hoc cœnobium Dado ſuum vocat non ſemel in libro ſecundo de vita beati Eligii; ubi nonnulla commemorat, quæ *in meo*, ait, *monaſterio* b nuper geſta ſunt. Unum eſt de quodam fratre ex monachis ſuis, qui, cum ulcere peſſimo in facie laboraret, allato ſibi ex oleo, quod *medendi gratia* in oratorio ſancti Eligii ibidem conſtructo ante quaſdam ejus reliquias pendebat, extemplo ſa-

ANN. CHR. 634.

XLIII. Dado conſtruit monaſterium Reſbacenſe.

* *S. Aile.*

b *Audoën. lib. 2. c. 64.*

ANN. CHR. 634.
a Audoën. Lib. 2. c. 68.

natus eſt. Alterum eſt * de alio fratre, tertiana febre graviter vexato, cui unus ex diaconis monaſterii quoddam beati Eligii linteum ſuper pectus tertio impoſuit, ex quo æger penitus convaluit. Exſtat in ejus monaſterii tabulario diploma Dagoberti regis, inſcriptum, *Apoſtolicis patribus domnis epiſcopis, & illuſtribus viris ducibus, itemque magnifico Chanulfo comiti, omnibuſque agentibus*: quo diplomate Dado referendarius, ejuſque germani Ado & Rado, monaſterium Jeruſalem, quod vulgo appel-
» latur Reſbacis, in Meldenſi territorio ſitum, conſtruxiſſe dicuntur in honore ſan-
» ctorum Petri & Pauli, & ſancti Antonii, ad monachos vel peregrinos inhabitan-
» dum, ac ſolitaria vita fruendum; eumque locum ex fiſco regio a rege accepiſſe,
» quapropter interdictum, ut nullus epiſcoporum, vel quælibet perſona quidquam ex
» illo loco auferre, aut aliquam ſibi in illo poteſtatem vindicare auſit, aut ad ipſum
» monaſterium, vel ejus cellulas, niſi pro lucranda oratione; aut epiſcopus, niſi in-
» vitatu aut voluntate abbatis vel ſuæ congregationis iſtuc accedere: at vero ei liceat,
» ut, cum abbas ille e ſæculo fuerit evocatus, quem ex ſemetipſis ipſa congregatio *ſe-*
» *cundum ſanctam regulam* ſibi elegerit, ſeniorem ibidem inſtituat. Dado obtulit. Da-
» tum ſub die kalendarum Octobris, anno regni Dagoberti quarto-decimo. quod anno præſenti convenit, vel ſequenti. Certe Dadonem Dagoberti referendarium fuiſſe conſtat ex fragmento authentici ipſius Dagoberti diplomatis pro ſancto Dionyſio, in charta Ægyptiaca ſcripti, quod Dagobertus rex ſubſcripſit, *Dado obtulit.* Habentur etiam in Reſbacenſi archivo privilegia quædam Romanorum pontificum, Johannis quarti & Martini primi, ſed in eis vitiatæ ſunt chronologicæ notæ. Privilegia hæc agnovit Fulcoius ſubdiaconus Meldenſis in vita metrica ſancti Faronis, quam ſæculo undecimo compoſuit rogatu Gaufridi abbatis ſanctæ Crucis: quo in carmine, poſtquam miraculum de reparato altaris lapide retulit, hæc habet de privilegio Reſbacenſi.

Hæc ſanctus paſtor cernens miracula Faro,
Libertate locum nota donavit in ævum,
Regis, item papa confirmans conditione.

XLIV.
Ado Jotrenſe.
* Jouarre.

Eodem tempore Ado, Dadonis germanus natu-major, poſtquam in aula Chlotharii & Dagoberti floruerat, monaſterium, vocabulo Jotrum *, in ſaltu Jotrenſi, (Joranum vocat Jonas) loco eminenti, non procul a Matrona fluvio conſtruxit, atque impenſe dotavit: ubi, ſæculi voluptatibus abdicatis, reliquam vitæ partem pie religioſeque exegiſſe ab Aimoino dicitur. Jonas locum diſerte non exprimit, ſed
» tantum dicit, Adonem, poſtquam *intra Forani ſaltus arva* monaſterium ex beati re-
» gula Columbani conſtruxerat, ſæculi voluptatibus nuntium remiſiſſe. Id factum non dubito in ipſo monaſterio Jotrenſi, ubi duplex de more cœnobium ædificatum ſit, præcipuum virginum, alterum virorum, qui puellis ſacra miniſtrarent. Adonem ope fratris Audoëni hoc cœnobium ædificaſſe vitæ ſancti Agili ſcriptor tradit. Theodechildis ſeu Theudlechildis prima loco præfecta eſt, Agilberti Pariſiorum epiſcopi germana ſoror, quam ex proximo ſanctæ Faræ monaſterio Eboriacenſi aſſumtam fuiſſe veri ſimile eſt. Idem etiam libertatis privilegium eidem loco indultum ex conditoris voluntate. Quam ob rem obſervare convenit, moris tunc fuiſſe, qui ad ſæculum duodecimum perſeveravit, ut monaſteria, quæ in locis liberis, maxime quæ fiſci regii, aut procul ab urbibus in locis ſolitariis erant, a poteſtate diœceſani epiſcopi pro voluntate conditorum eximerentur. quod infinita prope exempla in conſequentibus demonſtrabunt. Baſilica Jotri primaria beatiſſimæ virgini Mariæ principio dicata eſt; eccleſia parochialis ſancto Petro; oratorium aliud cœmeterii in honorem ſancti Pauli primi eremitæ, ex æmulatione monaſterii Reſbacenſis, qui ſanctum Antonium monachorum anteſignanum pro ſecundario patrono ab initio habuit. In hoc ſancti Pauli oratorio ſepulti ſunt Theodechildis prima loci abbatiſſa, quam ut ſanctam venerantur; Agilbertus Pariſiorum antiſtes ejus frater; tum ſanctæ Agilberta & Balda Jotrenſes abbatiſſæ, & fortaſſe Ado in ingentis molis tumulo, qui inſcriptione caret.

XLV.
Radolienſe m Rado.
* Reuil.

Adoni & Dadoni tertium fratrem plerique addunt Radonem, qui Radolienſe * monaſterium infra Jotrum ad Matronæ ſiniſtram ripam condiderit. Ut hoc poſtremum verum ſit, de priori non levis difficultas, præſertim ob ipſius Dadonis & Jonæ

monachi auctoritatem. Hic enim Authario viro illuſtri non plures quam duos filios fuiſſe prodit, Adonem majorem natu, minorem Dadonem; ambos fere decennes. Dado ipſe tantummodo germani ſui Adonis, nuſquam Radonis mentionem facit. Is Eligium in virtute æmulari cupiens, etiam germanum ſuum Adonem ejuſdem conſilii participem ſecit. Erant[a] *enim*, inquit, *viri inclyti, optimates aulæ, filii ſcilicet Autharii*. Quis putet eum ab hac ſocietate excluſurum fuiſſe Radonem, ſi ejus frater fuiſſet, idemque regis theſaurarius, pius & ſanctus? Verba Jonæ difficultatem augent. Columbanus a Chagnerico, Burgundofaræ patre, digreſſus, ad villam quamdam Vultiacum *, quæ ſuper amnem Maternam ſita eſt, venit. Ibi receptus « eſt a quodam viro, Authario nomine, cujus conjux Aiga dicebatur: erantque his « filii infra infantiæ annos decennes, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. « quorum major-natu, Ado nomine, ſemet ſuis voluptatibus abdicavit, poſtquam intra « Jorani ſaltus arva monaſterium ex beati Columbani regula conſtruxit: juniorque, « nomine Dado, intra Briegenſem ſaltum ſupra fluvium Reſbacenum ex ſupra dicti « viri regula monaſterium conſtruxit. Hic duo tantum Autharii filii numerantur: « nulla de Radone mentio. Neque dixeris necdum natum fuiſſe Radonem. quandoquidem ſcriptor vitæ ſancti Agili abbatis, quo potiſſimum auctore Rado Autharii filiis accenſetur, Radonem Adoni & Dadoni medium interponit, eo minus fide hac in re dignus, quod ipſa Jonæ verba transſcribens, hunc locum Radone intruſo interpolavit. Reſtant geſta Dagoberti & Aimoinus pro Radone. qui quidem auctores vulgatam de Radone opinationem antiquam eſſe probant; ſed tanti non ſunt, ut viris eruditis eam approbare poſſint contra Audoëni & Jonæ teſtimonium. Nec me movet Dagoberti diploma pro cœnobio Reſbacenſi, in cujus exemplum Rado facile intrudi potuit. Quod ſi Rado aliquis auctor ſit monaſterii Radolienſis, fuit illis temporibus Rado major-domus in Auſtria a Chlothario conſtitutus; alius item Rado, qui Chlodovei junioris diplomati pro immunitate monaſterii Dionyſiani ſubſcripſiſſe reperitur. Radolienſe monaſterium, nunc cella ſeu prioratus Caritatis ad Ligerim, patronos habet ſanctos Petrum & Paulum. De Adone Audoëni fratre id tantum præter ſuperiora ſcimus, quod morienti ſancto Agilo abbati adfuerit. Audoënus factis & ſanctitate inclytus fuit, dignus certe melioribus vitæ ſuæ ſcriptoribus, quam qui ad nos pervenerunt, non admodum accurati. Natus fuerat in vico Sanciaco * ad quintum lapidem ab Auguſta-Sueſſionum, non in villa Vultiaco, ubi Columbanus acceptus fuit ab Authario Adonis & Dadonis patre, qui ibidem mortuus, ac pro ſancto habitus eſt.

ANN. CHR. 634

a Audoën. lib. 1. c. 8

* Euſſy.

* Sancy.

XLVI. Aidanus Northumbrenſes convertit.

Dum hæc in Gallia geruntur, magnos in Britannia majori progreſſus facit chriſtiana fides per Aidanum, qui hoc anno epiſcopus renuntiatus eſt. Quippe Oſwaldus[b], qui, exſtincto Edwino rege, cujus ex ſorore nepos erat, Northumbrorum regnum hereditario jure inierat, totam illam, cui præerat, gentem chriſtianæ fidei myſteriis imbui cupiens, a majoribus Scottorum, quos inter ipſe olim exſulans baptiſmi ac fidei ſacramenta cum ſuis ſuſceperat, enixe petiit antiſtitem, cujus opera & miniſterio gens illa chriſtianæ religionis elementis & ſacramentis informaretur. Nec mora, ordinatus ac miſſus eo antiſtes; ſed paullo poſt remiſſus in patriam ob mores duriores: ejuſque loco electus Aidanus ex inſula & monaſterio Hiienſi, quod in cunctis ſeptemtrionalium Scottorum & Pictorum monaſteriis principatum tenebat. Ab illa ergo inſula, ab horum collegio monachorum, cui tunc Segenius abbas & preſbyter præerat, directus eſt Aidanus, vir ſummæ manſuetudinis, prudentiæ, & pietatis; ſed tamen infuſcatus errore ſeptemtrionalium Scottorum atque Pictorum, qui paſcha contra catholicum morem, a quarta-decima luna ad viceſimam, obſervabant: quem errorem auſtrales Scotti jam dudum, admonente ſedis apoſtolicæ pontifice, depoſuerant. Venienti Aidano epiſcopo ab rege conceſſa; uti petierat, ſedes in Lindisfarnenſi inſula, quæ bis ſingulis diebus maris æſtu circumluitur, ſiccaturque. Mox Aidanus ſtrenue Chriſti evangelium prædicare cœpit; & quia linguam Anglorum non bene callebat, Oſwaldus rex interpretis officio, res ſane pulcherrima! fungebatur. Cum id ex animi ſententia ſuccederet, plurimi Scottorum, monachi omnes, in Britanniæ partes acceſſere, prædicaturi evangelium in illis Anglorum provinciis, quæ Oſwaldo regi parebant. Hinc conſtructæ paſſim eccleſiæ, ac regio munere dotatæ: conceſſa prædia & territoria ad inſtituenda monaſteria, in quibus non modo parvuli Anglorum, ſed etiam majores-natu a præceptoribus Scottis im-

b Beda lib. 3. c. 3. & ſeq.

ANN. CHR. 634.

buebantur litterarum ſtudiis & diſciplina regulari. Aidanum præ ceteris commendabat vivendi modus a ſermonibus non degener. Is quippe nihil hujus mundi quærere, nihil amare; cuncta, quæ ſibi a regibus vel divitibus hujus ſæculi donabantur, mox pauperibus erogare. Diſcurrere per urbes & vicos, non equo vectus, niſi cogeret neceſſitas, ſed pedes. In ipſo itinere legendis, meditandiſque ſcripturis, aut pſalmis diſcendis operam dare. Hoc juge & quotidianum ejus opus, hoc ſtudium, & omnium qui cum eo erant. Si quando ad regis menſam invitatus erat, (intererat vero aliquando cum uno clerico aut duobus;) ubi paullulum refectus erat, ocius ad legendum cum ſuis, vel ad orandum a menſa diſcedebat. Ejus denique exemplo religioſiores quique viri ac feminæ per totum annum quarta & ſexta feria, excepta remiſſione quinquageſimæ paſchalis, jejunium ad horam uſque nonam producere conſueverunt. Ceteris omnibus, ut dignitate, ita pietate ac religione eminebat rex Oſwaldus, qui cæleſtia præ omnibus ſibi ſuiſque procurare ſtudens, etiam terrena ab eo, qui utraque moderatur, conſecutus eſt, cunctis Britanniæ nationibus & provinciis, quæ in quatuor linguas, nimirum Brittonum, Pictorum, Scottorum, & Anglorum, diviſæ erant, in ejus ditionem redactis.

XLVII. Occidentalium Saxonum converſio. [a] *Ibid. c. 7.*

Idem ſocerum ſuum mox futurum e ſacro fonte ſuſcepit, Cynegiſlum ſcilicet, regem occidentalium [a] Saxonum, quos Birinus epiſcopus, ab Honorio papa in Britanniam miſſus, ad chriſtianam fidem eodem tempore adduxerat, epiſcopali ſede in urbe Dorcinca conſtituta. Contigit autem præclaro ſane ſpectaculo, ut dies dicta regis baptiſmati occurreret ipſa die, quo rex filiam ſuam Oſwaldo nuptum tradere ſtatuerat. ſicque liberali commercio actum eſt, ut futurus Cynegiſli carnalis gener, prius ejus in baptiſmo ſpiritualis pater fieret. Birino ſucceſſit in epiſcopatu Agilbertus ſeu Angilbertus, homo Gallus, multiſque annis occidentalibus Saxonibus unus ſacerdotali jure præfuit, prorſus patriæ linguæ ignarus. unde Cenwalchius rex, Francici ſermonis pertæſus, alium epiſcopum ſuæ gentis, Winium nomine, qui & ipſe in Gallia ordinatus fuerat, in provinciam induxit, eique in urbe Venta ſedem tribuit epiſcopalem. Hac diviſione ſe inconſulto facta offenſus Agilbertus, in Galliam rediit, & accepto epiſcopatu Luteciæ Pariſiorum, ibidem, teſtante Beda, ſenex & plenus dierum deceſſit. Hactenus in inſula Britannia erecti fuerant epiſcopatus ab adventu Auguſtini numero ſex: Cantuarienſis ſcilicet, & Eboracenſis, quæ duæ metropoles erant; Lundonienſis, Roffenſis, Lindisfarnenſis, & Dorcincenſis, quem Winius epiſcopus, a rege occidentalium ſubintroductus, in duas ſcidit parochias, ut mox dicebamus: quæ Agilberto fuit diſcedendi cauſa. Cantuarienſi tum præerat Honorius: vacua erat ſedes Eboracenſis, Paulino in Roffenſem tranſlato, uti & Lundonienſis. Aidanus Lindisfarnenſem, Winius Ventanam occupabat: Agilbertus vacuam reliquit ſedem Dorcincenſem. Verum non multo poſt ejus diſceſſum rex Cenwalchius epiſcopatu expulit Winium, qui Lundonienſem a rege Merciorum infami commercio mercatus eſt: cumque provincia occidentalium Saxonum antiſtite careret, miſſis in Galliam legatis rex Agilbertum deprecatur, ut factæ ſibi immemor injuriæ, ad priſtinum epiſcopatum rediret. Ille vero excuſavit ſe ſe, negavitque eo reverti poſſe, propterea quod epiſcopatu Pariſienſi adſtrictus teneretur. Miſit tamen loco ſui Leutherium nepotem, qui prono provincialium aſſenſu exceptus, ſeptem annis occidentalium Saxonum rexit eccleſiam, ſucceſſorem ſortitus Heddam abbatem & monachum, de quo inferius. Ad res Gallicanas redeo.

ANN. CHR. 635.

XLVIII. S. Juliani monaſterium Autiſiodorenſe. [b] *Diplom. p. 465.*

PAlladius epiſcopus Autiſiodorenſis ex abbate, ut diximus, ejuſdem urbis cœnobii ſancti Germani, monaſterium ſancti Juliani, quod antea virorum erat, puellis Deo ſacratis attribuit, & altera in honorem Dei genitricis Mariæ exſtructa baſilica, ejuſdem monaſterii ædificia multum amplificavit, ac muro undique circumcinxit. Exſtant ejuſdem antiſtitis hac de re litteræ in libro ſexto [b] de re diplomatica, datæ anno octavo Dagoberti in Burgundia regnantis, qui annus partim cum hujus ſæculi triceſimo-quinto, partim cum ſubſequente concurrit. In illis proinde litteris corrigenda indictio ſeptima, quæ convenit anno triceſimo-quarto. His litteris Pal-
» ladius ait ſe ſuis laboribus ac propriis impenſis cellam ſeu cœnobium in ſuburbano
» Autiſiodorenſi conſtruxiſſe in baſilicis tribus, id eſt domnæ Mariæ perpetuæ virgi-
» nis, & domni Andreæ apoſtoli, & ſancti Juliani martyris, cum oratorio ſancti Fer-
» reoli & ſancti Martini, annuente atque opem conferente domno Dagoberto piiſſimo

rege; atque ordinaſſe, ut ſanctimoniales puellæ ac viduæ Deo ibidem deſervirent, deputatis quibuſdam rebus ex eccleſia ſancti Stephani, adjectiſque tribus prædiis nobiliſſimis, ſibi a domno Dagoberto conceſſis. Inſuper ſtatuiſſe, ut ſingulis diebus in baſilicis tribus ſingulæ miſſæ, abſque officio ſanctarum horarum, & diurnali miſſa, cum oblationibus & orationibus celebrarentur, & duodecim pauperes paſcerentur: quinta vero feria omnibus hebdomadibus cum litaniis & crucibus omnis illa congregatio ad ſeniorem baſilicam ſancti Stephani veniret, & ibi miſſas celebraret, & triginta pauperes reficeret; in cœna vero Domini ſexaginta ſimiliter paſceret ac veſtiret. De hac ſanctimonialium proceſſione in eccleſiam cathedralem ſermo poſtea recurret. Obſervanda eſt Palladii inſtitutio de quotidianis miſſis in illo parthenone celebrandis. Jam ſæculo quinto in laura ſancti Euthymii quotidie ſacra peragebantur myſteria, ut jam obſervavimus.

ANN CHR. 635.

Miſſæ quotidianæ in monaſteriis.

XLIX. Sigirannus Millebeccenſis monaſterii auctor

Sigirannus abbas eo tempore monaſterii Millebeccenſis * in pago Bituricenſi fundamenta poſuit. Is in ſolo Biturico nobili progenie ortus, patre Sigelaico, qui poſtea Turonenſis eccleſiæ antiſtes fuit, Flaocato majori domus regiæ in Burgundia educandus traditur, ubi pietatem cum ſingulari modeſtia conjunxit. Cælibis vitæ amans, Adroaldi viri præpotentis, cujus filiam ipſi pater ſponſam parabat, affinitatem repudiavit. Turonos deinde profectus, ad ſancti Martini tumulum reſciſſa coma clericus effectus, nec multo poſt ab ejus urbis epiſcopo archidiaconus creatur. Cum vero piis floreret operibus, in carcerem conjicitur a Stephano civitatis rectore, quaſi patrimonii proprii dilapidator, quod in pauperes & egenos profuderat. Id non impune tulit Stephanus, ſed brevi meritas interitu ſuo pœnas luit. Interim accidit, Falvium quemdam Hibernienſem epiſcopum Romam proficiſcendo, Cæſarodunum-Turonum appellere. Sigirannus jam liber ei ſeſe comitem adjungit. Inde reverſus in pagum Bituricenſem, in quodam compendioſo loco, Millebecco nomine, in ſaltu Brionenſi *, conſiſtere decrevit. Illic exigua cella a Sigiranno exſtructa, in qua paucis cum fratribus aliquamdiu *ſub ſancto ordine* converſatus eſt. Sed longe amœnior & commodior viſus eſt alius locus in eodem ſaltu, Longoretus * dictus, ad Claſiam * fluvium, cui proximæ erant ædes Flaocati majoris-domus, ut mox dictum, in Burgundia, cujus ditioni Bituriges ſubjacebant. Eo in loco vir ſanctus extemporaneum ex lignis habitaculum fabricavit: dein, conſentiente ac favente Flaocato, ſuo quondam amico & alumno, congruum ibidem monaſterium conſtruxit *ſub ſancta Regula a beato edita Benedicto*, & patrocinio ſancti Petri apoſtoli; illudque multis ſubinde poſſeſſionibus auctum, per multos annos ſtrenue & ſanctiſſime rexit, plurimoſque illic diſcipulos ſub ſanctorum Patrum inſtitutis vivere docuit. Hæc continenter retulimus, tametſi monaſterium Longoretenſe, quod poſtmodum ſancti Sigiranni * nuncupatum eſt, paullo ſerius conditum ſit, vix ante Chlodovei junioris principatum. Inſigne fidei ſuæ argumentum prodit vitæ ſancti Sigiranni ſcriptor, cum Flaocatum, quem Flaucadum vocat, quamquam viro ſancto amicum & beneficum eſſe noverat, nihilo minus voluptatibus corporis maxime deditum fuiſſe tradit, & per faſtum atque ſuperbiam Willibaldo, homini chriſtianiſſimo, a quo ipſe puer enutritus fuerat, exitium machinari cœpiſſe, ac demum conſenſu regis intuliſſe: quo peſſimo facinore mortem ſibi ipſe undecimo poſt die arceſſiverit. Eadem fere habet Fredegarius, qui tamen in eo diſſentit, quod Willibadum rapacem & perjurum dicat, quem chriſtianiſſimum & Dei timentem non modo prædictus vitæ Sigiranni ſcriptor, ſed etiam Audoënus in libro ſecundo [a] de vita S. Eligii appellat. Addit Fredegarius, Flaocatum Auguſtoduno, ubi cædem patraverat, profectum, Cabiloni in febrim incidiſſe, & adverſo flumine Arari, quod alio nomine Sauconnam vocat, Latonam * delatum, undecimo poſt Willibadi cædem die morbo oppreſſum deceſſiſſe, eumque in baſilica ſancti Benigni martyris extra muros caſtri Divionenſis ſepultum fuiſſe. quod anno Chlodovei junioris quarto contigit, Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-primo, cum jam Longoretenſe monaſterium conditum eſſet.

* Meaubec.

* de Brenne.

Item Longoretenſis.

* Longret.

* la Claiſe.

* S. Cyran.

a Audoen lib. 2. c. 27.

* S. Jean de Laune.

L. Juſti epiſcopi Toleti obitus

Eugenius ſucceſſor.

Hoc eodem anno Toletana eccleſia pontificem re ac nomine Juſtum amiſit, longiori pontificatu & vita dignum, cum annis dumtaxat tribus eam eccleſiam adminiſtraſſet. Hunc excepit Eugenius, qui ab infantia monachus fuerat in cœnobio Agalienſi, diſcipulus Helladii, conlector & conſors Juſti, ait [b] Hildefonſus, id eſt, uti ipſe explicat, ab Helladio cum Juſto pariter ſacris in monaſterio inſtitutionibus

b Hildef. c. 13.

ANN. CHR. 635.

eruditus. Hunc ſecum Helladius a monaſterio abſtulit, cum ad pontificatum aſſumtus eſt, eumque ad eccleſiaſticos ordines promovit, tertium ab eo ejuſdem ſedis futurum ſucceſſorem. Magnum ſane optimi ſenis meriti indicium, qui duobus diſcipulis ſuis, iiſdemque ſanctis, Toletanam poſt ſe eccleſiam gubernandam reliquit. Eugenius motibus inceſſuque gravis, atque ingenio callens fuiſſe dicitur, idemque peritiſſimus temporum, curſuſque aſtrorum calculator. Sub eo celebrata ſunt Toletana concilia, quintum, ſextum, & ſeptimum, quibus præfuit ac ſubſcripſit.

L I. Paulus diaconus Emeritenſis.

Sub idem tempus Paulus diaconus Emeritenſis librum de vita patrum Emeritenſium ſcripſit. Monachus erat cellæ ſeu monaſterii ſanctæ Eulaliæ in eadem urbe, cujus loci rectorem, dominum & abbatem ſuum vocat. Opus iſtud aggreſſus eſt exemplo Gregorii Magni, cujus dialogos in præfatione ſua laudat. Agit de quinque epiſcopis Emeritenſibus, Paulo, Fideli, Maſſona, Innocentio, & Renovato, in cujus obitu deſinit. quod argumento eſt, Paulum ſcripſiſſe ſub Stephano, qui Renovato ſucceſſit anno hujus ſæculi triceſimo-tertio. Agit etiam de quibuſdam Emeritenſibus monaſteriis, nempe ſanctæ Eulaliæ, & Cauliniano, eorumque nonnullis abbatibus & monachis, quorum præcipuos ſuperius [a] laudavimus. In fine lectores » rogat, ut legant prius hujus codicis opuſcula, quam ea deſpiciant, ne videantur, » non ex judicio, ſed ex odio ignorata damnare. Ceterum ſe amore Chriſti & beatæ » Eulaliæ dilectione impulſum fuiſſe ad ſcribendum; atque ſibi nota & manifeſta re» tuliſſe, & vera veraciter ac ſincere expoſuiſſe.

[a] *lib. 3. num. 32. & ſeqq.*

ANN. CHR. 636.

L II. Judocus cellam conſtruit.

REgnabat tum in Armorica Judicaël, Juthaëlis filius atque ſucceſſor, Judoci viri ſanctitate eximii germanus: cui ob raptas e Francis proximis prædas [b] Dagobertus bellum intentavit, ni ſe ſuoſque dederet, prædaſque reſtitueret. Hac territus denuntiatione Judicaël, cum multis muneribus ad villam regiam agri Pariſienſis Clipiacum * venit, & a Dagoberto veniam petiit ſupplex, impetravitque. Cumque a rege invitatus ad prandium fuiſſet, excuſavit ſe ſe, &, ut erat religioſus ac Deum timens, Dadonis referendarii, cognomento Audoëni, quem piiſſimum eſſe noverat, domum prandendi cauſa petiit; ac demum in Britanniam reverſus eſt. Idem monaſterium ſancti Johannis in Gaëlo, poſtea ſancti Mevennii dictum, exſtruxit, ibidemque ex rege monachus factus eſt. Poſt aliquod tempus, quam monaſticam veſtem & tonſuram acceperat, ipſum arrepti propoſiti pænituiſſe dicitur, & crine creſcente ad laïcum habitum revertiſſe. at, conſulto hac de re quodam ſervo Dei, Carotho nomine, ſaluberrimis ejus monitis flexus, Judoco fratri regnum dimiſiſſe, & ad monaſterium denuo ſe ſe recepiſſe. Verum longe alia Judoco conſilia erant, fratremque monachum, quam regem ſequi & imitari maluit. Sed ne honorem in patria, quem fugiebat, invitus aſſequeretur; relicta clam Britannia Armorica, per urbem Luteciam-Pariſiorum Pontivum * petiit, pagum Morinorum, tunc ſilvis horridum, & magna ex parte incultum ac deſertum: ubi preſbyter factus, poſt varias hinc inde ſedes, in eremo mari proxima inter Alteiam * & Quantiam * fluvios demum conſtitit, atque ab Haimone regionis duce, cujus filium e ſacro fonte exceperat, primum ex ligno oratoria duo, unum ſancti Petri, alterum ſancti Pauli: dein ex lapide quadrato baſilicam ſub ſancti Martini patrocinio ædificavit, ibidemque cum paucis ſociis, quorum unus Wrmarius vocabatur, ſanctiſſime vixit, vir ſane multis virtutibus ac prodigiis, ſed maxime recuſatione ac contemtu delati ſibi a fratre regni inſignis.

[b] *Fredeg. c. 78.*
* *Clichy.*
* *le Ponthieu.*
* *l'Authie.*
* *la Canche.*

L III. Treviris monaſteria excitata.

Trevirenſem eccleſiam tunc illuſtrabat Modoaldus epiſcopus, qui ſingulari in monaſticen ſtudio affectus, & tantum-non monachus fuit. Duo virginum cœnobia in illa urbe condidiſſe memoratur: unum in ſuburbano palatio, ob id Palatiolum dictum, cui Baſiliſſam præfecit: alterum ſancti Symphoriani ad litus Moſellæ, in quo ſororem ſuam, Severam nomine, abbatiſſam inſtituit. Sunt qui tertium addant Horreenſe, quod ad alterius Dagoberti principatum differre præſtat. Ejuſdem antiſtitis curæ educandus, atque in liberalibus ſtudiis inſtituendus traditus eſt Germanus abbas futurus & martyr, qui in ſolo Trevirenſi ex genere ſenatorio procreatus, patrem Optardum; fratres vero Opthomarum & Numerianum habuit. In hac pietatis ſchola ſæculum prius averſari ac contemnere, quam noſſe & amare didicit. Hinc animo ejus inſedit monaſterii portum petere, ubi a mundi corruptelis tutus verſaretur. Expetita prius a Modoaldo facultas, ſed negata inconſulto principe.

Germanus fit monachus Luxovii.

ANN. CHR. 636.

cipe. At nulla remora potuit retineri pius adoleſcens ; quin tribus ſociis comitatus pergit ad Arnulfum Mettenſem epiſcopum, qui, abdicata dignitate, tunc in eremo Horenbergenſi vitam ſanctam ducebat. Is pium adoleſcentem amanter amplexus, in propoſito confirmavit, eidemque comam totondit. Tum aliquanto tempore apud ſe detentum, ad proximum Romarici monaſterium, quod Bobolenus monachus vulgo Caſtellum appellatum tradit, tranſmittit. Iſtuc cum fratre Numeriano, quem ad ſæculi itidem contemtum miſſis ad eum duobus e ſuis invitaverat, humaniſſime admiſſus, totum ſe jejuniis, vigiliis & orationibus mancipavit. Paullo poſt cum Chuane, eximiæ religionis viro ex genere Burgundionum, Luxovienſe monaſterium expetiit, quod ſub Waldeberti abbatis diſciplina tum florentiſſimum erat. Nobiliſſimi adoleſcentis vultus, ſermo atque mores eum Waldeberto acceptiſſimum brevi reddiderunt. Erat in eo mortificationis, ſanctæ religionis, & obedientiæ ſingularis amor, in ſumma tanta animi puritas, ut eum ad ſacerdotii gradum promovere Waldeberto viſum ſit, tantoque ordine dignum univerſus Luxovienſium cœtus cenſuerit. Hi erant fructus Modoaldi epiſcopi ſanctiſſimi: cujus etiam pontificatu ſancti Maximini monaſterium adeo claruit, ut monachorum numerus ad centenarium accreviſſe dicatur ſub Memiliano abbate. Exſtat [a] diploma Dagoberto adſcriptum, quo rex Modoaldo donationes præcedentium regum confirmaſſe, novaſque de ſuo addidiſſe dicitur : in quo recenſens eccleſias majori ſancti Petri eccleſiæ ſubjectas, præ ceteris nominat cellam ſancti Hilarii, quæ nunc appellatur ſancti Maximini, «
cellam ſancti Paulini & ſancti Eucharii, & monaſterium ſanctæ Mariæ, «
Horrea dictum, ab eodem pontifice conſtructum. «

a Brower. annal. Trevir. to. 1.

LIV. Ermenfredus abbas Cuſantiæ.

Germani in cœnobio Luxovienſi ſocius fuit Ermenfredus, nobili ortus proſapia, & in aula Chlotharii regis educatus cum fratre ſuo Wandaleno. Mortuo eorum patre, aulicam vivendi rationem ſibi parum tutam rati, facultatem diſcedendi poſtularunt, & privatam ambo vitam apud genitricem agere cœperunt. Sed nec ea contentus Ermenfredus, ad meliora adſpirans, relicta domo cum rebus omnibus, Luxovium petiit, ubi ſub Waldeberto mirificos brevi progreſſus fecit. Cum in eo adulta eſſet religio, ad locum ſuæ olim ditionis, Cuſantiam * dictum, ædificandi monaſterii cauſa miſſus eſt, ubi tricenos fere monachos congregavit, Luxovienſis inſtituti ſervantiſſimos: ipſum vero monaſterium Luxovio ſubjecit. Inter alia miranda, Wandaleni fratris exceſſum e vivis divinitus cognovit. Ipſius denique obitum, qui VII. kalendas Octobris accidit, miracula non pauca conſecuta ſunt. Ejus corpus ad fratris exuvias in beati Johannis-Baptiſtæ Cuſantienſi æde collocatum: qui locus nunc prioratus eſt monaſterio ſancti Augendi ſeu ſancti Claudii ſubjectus, ex donatione Pontii archiepiſcopi Veſontionenſis.

** Cuſance.*

ANN. CHR. 637.

LV. Audomarus fit epiſcopus Teruanæ.

CUm Jonas monachus acta ſancti Euſtaſii abbatis ſcriberet (ea vero ſcribebat ſub initia regni Chlodovei junioris) Audomarus jam epiſcopus erat Boloniæ & Teruanenſis opidi, ut ipſe Jonas loquitur. Has quippe duas urbes complectebatur Morinorum epiſcopatus, in quarum alterutra promiſcue ſedebat horum populorum antiſtes. Audomarus prope Conſtantiam urbem ad Rhenum, in vico Aurea-valle * nobilibus & piis parentibus ortus, ab iiſdem pie educatus eſt. Nomen patri Friulfus, genitrici Domitta. Conjuge mortua & adulto Audomaro, Friulfus de relinquendo ſæculo cogitavit, idemque conſilium inſpiravit filio. Hujus rei cauſa Luxovium ambo profecti, ſe ſuaque omnia Deo in manus ſancti Euſtaſii abbatis tradiderunt, amboſque Euſtaſius multa cum animi voluptate admiſit. Audomarus brevi ſub tanto præceptore & inſtitutore vir perfectus evaſit. Eodem tempore Acharius, & ipſe monachus Luxovienſis, Noviomagenſem regebat eccleſiam cum Viromandenſi & Tornacenſi. Vacante ſede Teruanenſi, Acharius Dagoberto regi auctor fuit, ut Audomarus in eam ſubſtitueretur. Supererant ad id uſque tempus apud Morinos paganorum reliquiæ, quas novus & fervens antiſtes omnino abolere ſtuduit. Divina ſuffragante gratia, res proſpere ceſſit pro voto ; nec ullum deinceps paganiſmi veſtigium apud illos populos relictum fuiſſe dicitur. Hoc in opere auxiliares miniſtros habuit Bertinum, Mummolinum, & Ebertramnum Luxovienſes monachos, doctrina & pietate præſtantes, quos Waldebertus abbas, Euſtaſii ſucceſſor, Audomaro in ſubſidium miſit.

** Guldindal.*

ANN. CHR. 638. LVI.

Dagoberti obitus, ſepultura, & pia facta.

* Eſpinay.

PAullo poſt Dagobertus rex in villa regia agri Pariſienſis Spinogilo * ad Sequanam, ex profluvio ventris interiit, ejuſque corpus in proximam ſancti Dionyſii baſilicam delatum, ſub arcu in latere dextro ſepultum eſt, ubi hactenus ejus monumentum ex ophite, liliis reſperſum viſitur, Sugerii ætate erectum, aut reſtitutum. Obiit XIV. kalendas Februarias: quem diem anniverſaria precatione Dionyſiani noſtri, rituque ſollemni hodie quoque celebrant, cum debita ſane grati animi teſtificatione. Obiit, inquam, anno regni ſexto-decimo, quos annos plerique rerum Francicarum ſcriptores a Chlotharii patris obitu numerarunt, dum Hadrianus Valeſius eos ſexto ante anno, ex quo nimirum Auſtriæ rex vivente patre conſtitutus eſt, numerandos eſſe demonſtravit. Acceſſit huic ſententiæ Carolus Cointius, quam ego quoque novis argumentis propugnavi, tum in præfatione ad Sæculum ſecundum, tum in diſquiſitione ſingulari, quæ exſtat ad calcem tomi tertii Analectorum. Inſculpta eſt Dagoberti, quale modo cernitur, monumento vulgata hiſtoriola de ejus anima poſt mortem e poteſtate dæmonum per ſanctos Dionyſium, Mauricium, & Martinom liberata, quam ſcriptor geſtorum Dagoberti primus retulit, aut forte commentus eſt: tametſi ejus meminit Ludovici Pii epiſtola, libris areopagiticis præfixa. Sic fabellam narrant. Aiunt eo tempore, quo Dagobertum mori contigit, Anſoaldum Pictavenſem epiſcopum, in Italiam legationis cauſa profectum, trajeciſſe in Siciliam, atque adiiſſe Johannem venerabilem anachoretam, cujus fama ſanctitatis ita celebris erat, ut illam inſulam adiret nemo, nemo ex ea diſcederet, eo inſalutato. Anſoaldum ab eodem interrogatum de moribus Dagoberti regis; tum ſenem aſſeruiſſe, aliquando ſibi forte dormienti virum canitie venerandum adſtare viſum, admonuiſſe, ut mox ſurgeret, & pro ſalute Dagoberti regis preces funderet. Cum vero id facere maturaret, ſe in mari Dagobertum advertiſſe in lembo vinctum & colligatum, quem dæmones multis plagis affectum, in infernum pertrahebant. At superveniſſe beatos Dionyſium & Mauricium martyres, atque ſanctum Martinum ab eo in auxilium vocatos, qui rogantem e pœnis & vinculis eripuerint, & in cælum demum perduxerint. Hanc narrationem retulerunt Aimoinus, Sigebertus, aliique chronicorum conſarcinatores: at dubiam ſaltem reddunt Fredegarii, aliorumque ejus temporis auctorum hac de re ſilentium, nedum ipſa narratio, non ſatis gravis ad perſuadendum. Longe nobilius de Dagoberti obitu ſcripſit ejus æqualis Audoënus in libro primo de vita beati Eligii, ubi relatis piis Dagoberti inſignioribus factis: *His operibus*, inquit, *mirifice perfectis, mortuus eſt rex magnus & inclytus Dagobertus, & ſepultus eſt in eadem ſancti Dyonyſii baſilica ſub arcu* (ſic tranſverſam crucem vocant) *in latere dextro.* Haud ſcio an meliori fundamento nitantur, qui ſpoliatas ab eo eccleſias produnt, ut unam ſancti Dionyſii baſilicam ex convectis rapinis locupletaret. nam præter valvas ex fuſili ære, quas ex Pictavenſi ſancti Hilarii baſilica dicitur abſtuliſſe, multa Sanctorum corpora ex aliis eccleſiis ab eo vi ſublata perhibent, ſancti Hilarii epiſcopi Pictavenſis, Firmini Ambianenſis martyris, Patrocli Gratianopolitani, Hilari Gabalitani, & Romani monachi: quæ quidem corpora hodie quoque Dionyſiani noſtri oſtendunt: an vero vi ſublata, an potins precario accepta fuerint, non ſatis exploratum. Filios duos, Sigibertum ex pellice, & Chlodoveum ex Nanthilde conjuge ſuſceptos reliquit Dagobertus, eiſqne regnum partitus eſt, Auſtria Sigiberto, Neuſtria cum Burgundia Chlodoveo attributis. Sigibertus octennis Cuniberto Colonienſi epiſcopo & Pippino majori-domus; Chlodoveus quadrimus cum matre Nanthilde Ægæ majoris-domus fidei commendatus. Sigibertus multa cœnobia condidiſſe aut dotaſſe perhibetur, ob pia facta in Sanctorum numerum relatus. Idem de Dagoberto ſeniore nonnulli perperam affirmant, eum confundentes cum Dagoberto Auſtriæ rege, ſenioris nepote, Sigiberti filio, quem Satanacenſes ut martyrem colunt. In codice veterum legum, quas Dagobertus ſenior emendavit, quædam latæ ſunt in gratiam monachorum, qualis eſt illa de plaga vel nece monachi in hæc verba: *Monachi, qui ſecundum regulam in monaſterio vivunt, & illi dupliciter componantur ſecundum genealogiam ſuam; & reverentia ſit Dei, & pax eis, qui illi deſerviunt.*

ANN. CHR. 632.

LVII. S. Dionyſio facta donatio.

Qui geſta Dagoberti ſcripſit auctor anonymus ante annos octingentos, Dagobertum regem, cum vitæ ſuæ periculum imminere cerneret, convocatis primoribus palatii filium & uxorem commendaſſe tradit, atque matriculariis beatorum martyrum Dionyſii ejuſque ſociorum, de villis Acuciaco & Cuſduno; ad hæc de Magnovillari, Medianovillari & Gellis præceptum fieri juſſiſſe. Et quia invaleſcente ægritudine calamus in manu ejus ita trepidaret, ut non valeret ſubſcribere; ideo rogaſſe dulciſſimum filium ſuum HLudovium regem, ut ſignaculo ſui nominis donationem firmaret, & Dado chartam offerret, & optimates illam ſubſcriberent. Ludicrum videri poſſit, Dagobertum rogaſſe puerum vix quadrimum, ut ſigno ſuo regium præceptum ſubſcriberet. Verum ita rem habere conſtat ex diplomate authentico Chlotharii tertii, in charta ægyptiaca ſcripto, hanc donationem confirmantis, teſtantiſque, genitorem ſuum Chlodovium, dum adhuc adoleſcens, id eſt puer, eſſet, cum avia ſua Nantechilde & optimatibus regni ſubſcripſiſſe litteris Dagoberti, qui trepidante manu ipſe ſubſcribere non valeret. Quin etiam apud nos ſub tertia ſtirpe regia id in uſu fuit, ut infantes ipſi lactentes donationes a parentibus factas ſuo modo approbarent, ut Beſlius [a] obſervavit, vel tangendo chartam donationis, vel ſpondentibus pro eis parentibus aut nutrice, ſe daturos operam, ut illi adulti donationem ratam haberent. Fere conſimile factum memini legere in libro de vita ſancti Porphyrii epiſcopi Gazenſis, qui cum ab Arcadio imperatore facultatem idola evertendi poſtularet, & Eudociam auguſtam, tum prædicenda nativitate Theodoſii junioris, tum eidem recens nato benedictione impertienda, ſibi propitiam reddidiſſet; auguſtam in quamdam accepti beneficii vicem juſſiſſe, libellum ſupplicem a Porphyrio ſcribi ad obtinendum quod petebat; eamque infanti e ſacro fonte egreſſo porrigi; cetera ſe curaturam dixit. Itaque Porphyrius libellum ſupplicem ſcribi curavit; & infante baptizato, ſtetit in veſtibulo eccleſiæ, præ manibus habens chartam ſupplicationis, quam infanti obtulit, rogans ejus pietatem, ſuas preces ratas haberi. Ad hæc bajulus infantis, uti ab auguſta edoctus fuerat, accepta charta, juſſit fieri ſilentium; partemque chartæ legit. Mox charta involuta, ſubjecit manum capiti infantis; illudque inclinavit. quo facto, clamavit coram omnibus, juſſiſſe ejus potentiam ea fieri, quæ contenta erant in ſupplicatione. Hoc audito, Arcadius ſupplicationem, etſi ægre admodum, admiſit, dicens, gravem quidem eſſe petitionem; ſed graviorem recuſationem, quoniam hæc prima erat juſſio filii ſui. Sic nonnumquam parentes, etiam principes, cum pueris ſuis quodam modo repueraſcunt. Sic Chlodovei pueri manum haud dubie direxit miniſter, ad ſubſcribendam patris Dagoberti donationem. Idem Dagobertus cellam ſancti Dionyſii de Rulliaco * in Biturigibus ad ripam Arnonis exſtruxiſſe traditur: ſed incerta traditio. Ejus ſitus eſt inter Exoldunum, Virzionem, & Maſciacum. Illic ſuperſunt vetera monaſterii rudera. Sub altari eccleſiæ crypta eſt longa pedes ſeptuaginta, viginti lata. Ad hæc idem rex plurima prædia monaſterio ſanctorum Vincentii & Germani apud Pariſios, in his villam Cumbas in Briacenſi territorio poſitam, donaviſſe dicitur [b] in diplomate Philippi Francorum regis eo nomine primi, ubi quædam de varia ejus villæ fortuna referuntur.

[a] Beſly com. p. 103.

* Ruilly.

Item S. Germani monaſterio.

[b] Labbe Miſcell. p. 579.

LVIII. Foſſatenſis monaſterii primordia.

Vix regnum mortuo patre inierat Chlodoveus, cum Bledegiſilus archidiaconus eccleſiæ Pariſienſis caſtrum Bacaudarum, (ſic factioſos & rebelles, tempore Diocletiani exortos appellaverant) vulgo Foſſatum dictum, ab eodem rege, vel potius a Nanthilde genitrice loco ejus regnante, petiiſſe, & obtinuiſſe traditur: ubi ille baſilicam ſub titulo ſanctorum Petri & Pauli cum adjuncto monaſterio molitus eſt, eique Babolenum abbatem præfecit, annuente rege una cum Audoberto Pariſiorum antiſtite, qui ambo monaſterium, Foſſatenſe poſtea dictum, privilegiis conceſſis decorarunt. Poſitus eſt locus quinque fere paſſuum millibus ſupra Luteciam-Pariſiorum ad Matronam fluvium, qui pæninſulam efficit, plus amœnitatis, quam fertilitatis habentem. Jacobus Brolius, monachus cœnobii ſancti Germani Pariſienſis non indoctus, libellum vulgavit de geſtis ſancti Baboleni abbatis, & de primordiis monaſterii Foſſatenſis, auctore anonymo Foſſatenſi monacho ſæculi undecimi, parum accurato, qui Babolenum Foſſatenſem pro Baboleno Bobienſi, & pro Babone Pariſienſis monaſterii ſancti Germani abbate temere uſurpavit. Mirum quod eum itidem non confuderit cum venerabili Theodulfo, cognomento Baboleno, qui, Jona monacho teſtante, quædam monaſteria in Bituricenſi ac Nivernenſi pagis ſub regula

ANN. CHR. 638.

beati Columbani conſtruxit. quem ſane ipſum eſſe Babolenum Foſſatenſem abbatem facile crederem, niſi me moveret Jonæ ſilentium, qui alia recenſens ejus Baboleni monaſteria, Foſſatenſis non meminit. Exſtat præceptio Chlodovei regis de Foſſatenſi monaſterio, data regni ejus anno primo, *duci Archenaldo*, aliiſque inſcripta, in
» qua rex ait, ſe rogatu viri venerabilis, ſibique plurimum dilecti Blidegiſili diaconi ca-
» ſtellum, qui Foſſatus vel caſtrum Bagaudarum appellatur, conceſſiſſe cum tota ter-
» ra, quæ dicitur Varenna, ad eccleſiam ædificandam in honore ſanctæ Dei genitri-
» cis Mariæ ac ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum, & monachos ſub regula ſancti
» Benedicti ibidem congregandos. Exſtant item litteræ ipſius Blidegiſili diaconi, qui-
» bus reſtatur ſe prædictum caſtrum ex munificentia Chloduvei regis accepiſſe, &
» conſtructo ibidem monaſterio præfeciſſe egregium virum, nomine Babolenum, qui
» monachos regeret ſub regula ſancti Benedicti ad modum & ſimilitudinem monaſterii
» Luxovienſis. quæ litteræ ſcriptæ ſunt anno tertio Chlodovei regis, ſubſcribentibus Annoberto Senonenſi metropolita, Audoberto Pariſienſi, aliiſque epiſcopis & abbatibus fere ignotis. Has litteras edidit Jacobus Brolius, ac poſt eum Carolus Coinnius, & Gerardus a Boſco, Oratorii preſbyteri eruditi: quas tamen omnino ſinceras præſtare nolim. Scriptor vitæ ſancti Baboleni aſſerit, ab Audoberto ſeu Autberto Pariſienſi antiſtite, qui in pervetuſtis indicibus[a] ſancti Landerici deceſſor ponitur,
» Baboleno abbati privilegium in gratiam monaſterii Foſſatenſis conceſſiſſe, ut tam
» ipſe, quam ſucceſſores ejus, liberi & ſecuri ab omni inquietudine, tam eccleſiaſti-
» corum, quam laïcorum, ibidem manere poſſint. ſed hoc privilegium necdum viſum eſt. Idem aſſerit, venerabilem patrem Babolenum & beatum Furſeum conſtruxiſſe eccleſiam in loco, qui dicitur Campus, poſito inter Gornacum & Latiniacum in agro Pariſienſi; eamque ab Audoberto Pariſiorum epiſcopo dedicatam fuiſſe; ac duo ejus altaria, unum in honorem beatæ virginis Mariæ, alterum ſub patrocinio beati Petri apoſtolorum principis conſecrata; ubi poſtmodum, renovata eccleſia, ſanctis Baboleno & Furſeo duo altaria erecta ſint. quæ quidem veri magis proxima crediderim, quam quæ ſcribit idem auctor de Sigofrido monaſterii ſancti Vincentii ſeu ſancti Germani extra muros Luteciæ poſiti abbate, quem a Chlodoveo rege legatum in Hiſpanias miſſum, & Cæſarauguſtæ comprehenſum juſſu regis Hiſpaniæ, ac carcere incluſum fuiſſe: interim Chlodoveum Baboleno Foſſatenſi abbati monaſterium beati Vincentii commiſiſſe, quod per octo annos prudenter, diligenterque adminiſtraverit. quo tempore cæco ad portam Luteciæ lumen reſtituerit, ob idque a rege donatus fiſco regio, cui nomen Valentonium eſt. Sane hic locus hactenus pertinet ad monaſterium noſtrum Vincentianum: verum an hac occaſione eidem provenerit, ignoramus; neque id evincere valet teſtimonium auctoris haud ſatis gravis, qui Babonem, ut jam dixi, Vincentianum abbatem forte cum Baboleno confundit; neque apparet unde id acceperit, quod de Sigofridi legatione Hiſpanica commmemorat. Ceterum qualiſcumque ſit iſte auctor, vera eſſe credimus, quæ teſtis domeſticus de ſui monaſterii origine ſcripſit, etſi nullo alio ejus temporis teſtimonio confirmari poſſint. Monaſterium Foſſatus inter ea monaſteria numeratur, imperante Ludovico auguſto, quæ ſolas regi orationes debebant.

Babolenus abbas, an etiam ſancti Germani.

[a] Diplom. p. 645.

ANN. CHR. 639.

LIX. UNum e præcipuis, quæ ſanctus Amandus excitavit, monaſteriis inſigne in primis fuit Elnonenſe, tribus leucis diſtans ab urbe Tornaco, inter duos poſitum amnes, Scarpum & Elnonem, a quo nomen primitus accepit, poſtmodum ſancti Amandi ab auctore cum adjuncto opido appellatum. Locum penitus incultum, ſilviſque obſitum a Dagoberto rege obtinuit Amandus, teſtante Milone monacho; exſtatque hac de re apud Miræum diploma, datum anno regni Dagoberti undecimo, ſed vitiatum. Hoc monaſterium ſub finem ipſius regni, vel initio regni filii ejus Chlodovei, conditum fuiſſe intelligimus ex Jona Bobienſi monacho, qui in præfatione ad acta ſancti Columbani ejuſque diſcipulorum, quam anno tertio a morte Bertulfi abbatis, hoc eſt ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio, ſcribebat, ait ſe jam per triennium oceani oras luſtrantem ſæpe permeaſſe lentam paludem Elnonis ob venerabilis Amandi pontificis ſuffragium, qui his conſtitutus in locis veteres Sicambrorum errores evangelico mucrone coercebat. Illic duplex condita primum baſilica, una in honorem beati Petri apoſtolorum principis: altera ſub patrocinio ſancti Andreæ apoſtoli. quod ex Philippo ab Eleemoſyna diſcimus. ubi mirari ſubit

Elnonenſe monaſterium conditur a ſancto Amando.

ANN. CHR. 630.

negligentiam Baudemundi, primi vitæ ſancti Amandi ſcriptoris, qui, cum monachus eſſet Elnonenſis, ne quidem ſui monaſterii originem commemorat, contentus dicere, ſanctum Amandum ſepultum fuiſſe cum magnifico honore in loco, cui vocabulum eſt Helnone, ubi multa fiant ejus orationibus beneficia. Nec multo accuratior fuit Milo, & ipſe Elnonenſis monachus, tametſi ea, quæ a Baudemundo fuerant omiſſa, ſupplere profeſſus eſt. Meliores ſane rerum ſuarum ſcriptores exigebat tam illuſtre monaſterium, cujus de origine, ſi tam exilia & jejuna ſcribimus, non indiligentiæ noſtræ, ſed veterum incuriæ imputandum eſt. Non alium quam Amandum ipſum principio huic monaſterio præfuiſſe plerique exiſtimant, nec niſi poſt annos aliquot Urſum ei ab eodem ſubſtitutum fuiſſe, cui Jonas ſeu Jonatus poſtea ſucceſſerit. Mihi perquam veri ſimile ſit, hoc de loco interpretandum eſſe Albini Flacci ſeu Alcwini epigramma quinquageſimum-nonum, in quo agit de oratorio ſancti Martini conſtructo ante monaſterii ſæpta. Certe præcedentia & ſequentia fere epigrammata pertinent ad monaſterium Elnonenſe. Huc illud epigramma referre juvat, ſaltem ob memoriam ſancti Amandi. Neque enim in tantis anguſtiis verſus quoque ad reparandam vetuſtatem repudiandi ſunt.

Martinus meritis Domini condignus amore,
Qui ſibi ſacratam hanc regit eccleſiam:
Egregius præſul toto præclarus in orbe,
Torona panſans paſtor in urbe pius.
Hæc domus alma Deo prima eſt fundata tonanti,
Ante alia & ſacri ſæpta monaſterii.
Crevit honor horum, Domino donante, locorum,
Et major Domino eſt ædificata domus.
Dum ſanctus præſul hic inhabitavit Amandus,
Crevit honor patris, crevit & iſte locus.

Alcwinus ipſe in epitaphio ſancti Amandi, quod epigramma eſt ſexageſimum-quintum, teſtatur eum, poſt prædicationis evangelicæ labores & ſæculi tumultus, in Elnonenſi monaſterio contemplativos fructus decerpſiſſe. Hæc eſt ſine dubio opidi ſancti Amandi parœcialis eccleſia, quæ ſancto Martino ſacra eſt.

LX. Nantuacenſe monaſterium cum Elnonenſi perperam confuſum.

Hæc cum ita ſint, mirari ſatis non poſſum, qui fieri potuerit, ut Elno Tornacenſis pagi fluviolus ad Nantuates tranſlatus ſit, & quæ in Elnonenſi Galliæ Belgicæ monaſterio acta ſunt, in Nantuacenſi facta dicantur. Hinc Nantuacenſis monaſterii primordia tributa ſancto Amando Trajectenſi epiſcopo, quem etiam ibidem ſepultum fuiſſe, atque hactenus honorari tradunt. Nec id recens inventum, ſed vetus fabella potius, quam traditio, antiquis loci monumentis, & martyrologiis conſignata. Ad hæc affertur a Simeone Guichenone libellus de vita ſancti Amandi in ejus rei argumentum. Verum, quiſquis ſit Amandus ille, quem uti conditorem ſuum colunt, & cujus reliquias venerantur Nantuacenſes noſtri, tam diſtat a Nantuacenſi monaſterio Elnonenſe, quam Scaldis a Rhodano; Menapii Galliæ Belgicæ populi ſeu Tornacenſes a Sebuſiis*, quibus Nantuacenſe monaſterium attribuitur. Spuria ſunt inſtrumenta, quæ Gregorio Magno & Childerico regi adſcribuntur apud Guichenonem [a]: tametſi haud negaverim, jam inde a ſæculo ſeptimo exſtitiſſe Nantuacenſe monaſterium, ſive a ſancto Amando Trajectenſi epiſcopo, ſeu a quovis alio conditum fuerit. quod in medio relinquere malim, quam temere definire. Nullius ejus loci abbatis nomen nobis compertum eſt ante Syagrium, cujus rogatu conceſſum eſt Pippini regis diploma [b] pro immunitate cœnobii Nantuacenſis, quod eſt « conſtructum, inquit, in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, & ſancti Petri apoſtoli, « vel ceterorum apoſtolorum. Alia charta cujuſdam Anſmundi & uxoris ejus Cæciliæ tempore Godelſadi abbatis inſcripta eſt *Domino, & ſacroſanctæ eccleſiæ in honore ſancti Petri apoſtolorum principis, & ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſancti Michaëlis archangeli*; data regnante & imperante domino noſtro HLudowico anno quarto. Nulla uſpiam in illis mentio ſancti Amandi, quem modo Nantuacenſes alterum cum beato Petro patronum agnoſcunt. Mihi vero dubium nullum eſt, Nantuacenſes, vocum affinitate deceptos, pro Nantenſi pagi Vaurenſis monaſterio, quod a ſancto Amando inſtitutum fuiſſe conſtat, Nantuacenſe uſurpaviſſe, uti Elnonem in Nan-

* *le Bugé.*

[a] *Guichen. Bugé prob. p. 212. & ſeq.*

[b] *Ibid. p. 213.*

ANN. CHR. 639.

tuadem tranſtulerunt. Sed hæc poſtea ſuo loco accuratius expendenda. Ceterum monaſterium Nantuadis recenſetur inter illa, quæ tantum dona ſine militia dare debebant tempore Ludovici auguſti. quod argumento eſt, locum hunc non incelebrem tunc exſtitiſſe.

LXI. Furſeus in Britannia ſuſcipitur a Sigeberchto. a Beda lib. 3. c. 18 & 19.

Paullo ante hoc tempus, ſed incerto anno, Furſeus nobiliſſimo in Hibernia Scotorum ortus genere, relicta cum ſuis omnibus patria, in inſulam Britanniam [a] tranſiit, & in provincia orientalium Anglorum ſubſtitit. His imperabat tunc temporis Sigeberchtus, bonus, religioſus, doctuſque princeps, qui dudum in Gallia, ubi Redwaldi regis, inimici ſui, metu profugus exſulabat, chriſtianus factus baptizatuſque fuerat. Inde, omni apud Francos barbarie depoſita, domum reverſus, regnoque poſt æmuli mortem & Reopwaldi fratris ſui potitus, mox ea quæ in Galliis bene diſpoſita obſervaverat, ſervare cupiens, ſcholam inſtituerat, in qua pueri litteris erudirentur, popularibuſque per Felicem epiſcopum, natione Burgundionem, catholicam fidem inſeverat; ſic rerum cæleſtium amore captus, ut tandem, relictis regni negotiis, & cognato ſuo Egrico commendatis, qui & antea ejuſdem regni partem moderabatur, monaſtica veſte & tonſura ſuſceptis, in monaſterium, quod ipſe conſtruxerat, ſe ſe receperit. Id factum haud dubie hortatu & perſuaſione Furſei, qui in patria vitam monaſticam profeſſus, viſiſque cæleſtibus eruditus, relicto natali ſolo, a Sigeberchto benigne exceptus fuit, multoſque Anglos præceptis & exemplis ad chriſtianam religionem adduxit, ceteros in ipſa fide confirmavit; ac nobile monaſterium condidit, fundum & impenſas ſuppeditante rege, qui in illo forte monaſterio ſe divino cultui mancipavit. Poſt hæc Furſei animum inceſſit deſiderium ſolitariæ vitæ. nec mora, germano ſuo Foillano relicta monaſterii cura, conventus ab eo germanus alter Ultanus, qui poſt diuturnam monaſterii probationem ad eremiticam vitam tranſierat. Verum ex ſolitudine a rege ob ingruentes cauſas revocatus, cum provinciam gentilium incurſione turbatam animadverteret, nec monaſticum ordinem congrua illic tranquillitate frui poſſe; in Galliam trajecit, ubi a Chlodoveo Francorum rege & Erchinoaldo patricio ſeu præfecto palatii, quem majorem-domus alio nomine appellabant, honorifice acceptus eſt.

LXII. Sigeberchtus ex monacho dux factus.

Vix ex orientalium Anglorum provincia Furſeus exceſſerat, cum Penda rex Merciorum paganus bellum illis indixit. Hi ſe viribus inferiores arbitrati, Sigeberchtum jam monachum ſupplices convenire; rogare, ne ſe in tanto diſcrimine deſerat; ſi ipſum habeant ducem, ſalva fore omnia. Ille vero ſupplicum precibus & lacrymis nihilo magis cedens, invitus demum ac reluctans e monaſterio educitur, & dux bello præficitur. Sed ipſe, monaſticæ profeſſionis non immemor, inter confertos hoſtium globos, pro armis non niſi virgam geſtare voluit, longe religioſior Conſtante illo, Conſtantini tyranni filio, quem pater ex monacho cæſarem primum, deinde auguſtum creavit, & bellicis expeditionibus præfecit contra Honorium imperatorem. Non deſunt ſimilia in conſequentibus exempla, & quibuſdam monachis regiæ ſtirpis adeo arma tractare non incongruum viſum eſt, ut etiam ex his nonnulli conjugia inire non dubitaverint. Verum religioſus princeps Sigeberchtus in ipſo prœlii articulo una cum rege & cognato ſuo Egrico cæſus eſt, deletus ac diſſipatus exercitus; regnumque relictum Annæ optimo regiæ ſtirpis principi, qui & ipſe poſtea ab eodem Merciorum rege occiſus eſt.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 640.

LIBER TERTIUS-DECIMUS.

Ab anno Chriſti 640. *ad annum* 649.

I. Arnulfi epiſcopi Mettenſis obitus.

ANNUS hujus ſæculi quadrageſimus, magnorum virorum, in primis Arnulfi ex epiſcopo Mettenſi monachi & eremitæ, ac Bertulfi abbatis Bobienſis; necnon Eadbaldi Cantuariorum regis obitu inſignis fuit. Arnulfus ex Romarici monaſterio ingreſſus in eremum, ibidem cum aliquot monachis inter feras ſanctiſſime vixit, identidem admittens leproſos, quibus cum eximia humilitate miniſtrare ſolitus erat, ita ut vilia quæque, etiam coquinæ, officia vir tantus non abhorreret. Cum extremus inſtaret vitæ dies, mox præſto adeſt cum monachis ſuis Romaricus, ultimos ſanctiſſimi pontificis ſpiritus excepturus. Tum vir ſanctus ad eum: Jam, inquit, inſtat dies, quo ſupremo Judici ſiſtendus ſum. Quid vero acturus miſer, qui nihil boni in hoc ſæculo geſſi, immo criminibus undique vallatus coartor! Ora itaque pro me, bone vir, & Deo dilecte, ut ſcelerum veniam merear. Eo animam agente, lector pro more ſacroſanctum Chriſti evangelium inter pſallentium & lugentium cantus & gemitus perſonat. Dein Romaricus exſtincti corpus ea qua par erat dignitate & veneratione in monaſterio Habendenſi humandum curavit. Verum anno vertente Goëricus, Arnulfi in ſede Mettenſi ſucceſſor, aſſumtis ſecum duobus epiſcopis, Paulo Virdunenſi & Theodefrido Tullenſi, cum ſuo clero ad montem ſanctum pergit, ſacra membra e tumulo cum congrua reverentia effert, in urbem transfert, & in ſuburbana ſanctorum apoſtolorum baſilica deponit, quæ poſtmodum ab ejus nomine ſancti Arnulfi dicta eſt. Huic monaſterio tum præfuiſſe videtur Arnegiſilus abbas, cujus mentio eſt in libello de vita ſancti Arnulfi, quem anonymus ejus loci monachus conſcripſit, & Chlodulfo Mettenſi antiſtiti, filio ejuſdem Arnulfi, nuncupavit. Eumdem Umno quidam interpolavit Caroli Calvi principatu; cujus genus ex ſancto Arnulfo per Anſbertum & Blithildem, ut regi gratum ſe præberet, deduxit. Arnulfi obitus XVII. kalendas Septembris; tranſlatio XV. kalendas Sextiles accidit. Porro hunc mortis annum aſſignat Sigebertus, quem ſecuti ſumus, deficiente magis idonea auctoritate.

II. Bertulfi item abbatis Bobienſis.

Tertio ab Arnulfi obitus die pariter e vivis exceſſit ejus conſanguineus Bertulfus abbas Bobienſis, poſt annos regiminis tredecim a morte ſancti Attalæ ſui deceſſoris.

ANN. CHR. 640.

Eo abbate Baudacharius monachus, cum aliis triginta vineæ adverſus aves & feras cuſtodiendæ deputatus, cum nihil haberet præter modicum panis ad reficiendos fratres, orando impetravit a Deo anatem, qui tot fratribus exſaturandis ſuffecit, augente fide quod dapibus deerat. Ex quo intelligitur, ſancti Columbani diſcipulos, quos a carnium eſu abſtinuiſſe conſtat, non tanta religione avium eſum ſibi interdixiſſe. Ea perſuaſio cum apud noſtros invaluiſſet ſæculo nono, Aquiſgranenſis ſynodi patres in octavis natalis Domini & paſchæ volatilium uſum permiſere: tametſi pleriſque religioſioribus perſuaſum erat, hunc nequaquam a ſancto Benedicto permiſſum fuiſſe. quod antiquiores regulæ commentatores, Smaragdus & Hildemarus, docent. Confer ea, quæ de ſancti Iſidori regula ſuperius [a] retulimus. Bertulfi abbatis geſta quædam litteris mandavit Jonas monachus ejus æqualis. Eumdem Frodoardus Remenſis canonicus metro reddidit: ex cujus carmine diſcimus nomen illius Victorini energumeni, cui aliquando, cum expleto pſallendi, id eſt primæ, officio una cum fratribus *ſecunda diei hora* e baſilica egrederetur, Bertulfus ſanam mentem reſtituit.

a *Supra lib. 12. num 42. & infra lib. 17. n. 57.*

III. Bobolenus ſucceſſor

b *Ital. ſac. to. 4. col. 1330.*

Ei ſucceſſit in Bobienſi regimine Bobolenus ſeu Bobulenus abbas, non ex Atticorum genere oriundus, ut fert ejus elogium [b] apud Ughellum, ſed Burgundionum, aſſerente Jona Monacho, qui ejus patrem Winnocum laudat in libro de vita ſancti Columbani abbatis. In eodem elogio Bobulenus dogmata majorum accurate ſervaſſe, & a ſubditis ſervari curaſſe dicitur, prout a beato Columbano edoctus fuerat. Interdiu labori & jejunio; per noctes vigiliis & orationi indefeſſus vacabat. Idem in ſe durior, in ægrotantes fratres benigniſſimus. Ejus tempore centum & quadraginta monachi in monaſterio Bobienſi degebant ſub regula *ſanctæ memoriæ Benedicti vel reverendiſſimi Columbani.*

S. Benedicti regula illic ſervata.

Non placent hæc verba Ferdinando Ughello, indigne ferenti, quod Columbanus pro ſancto habitus, a pontifice dumtaxat reverendiſſimus appelletur; & quod mentio fiat de regula ſancti Benedicti, de qua nullum apud Bobienſes teſtimonium a ſe repertum dicit ante Lucii ſecundi pontificatum: denique quod ſub disjunctione regulam *ſancti Benedicti vel Columbani* nominet, quaſi Theodoro pontifici, ait Ughellus, ignotum eſſe potuerit, quam regulam Bobienſes profiterentur. At mirum eſt ignorare potuiſſe virum doctum, qui tot vetera inſtrumenta legerat, hanc particulam disjunctivam paſſim conjunctive uſurpari. Jam vero ſanctum Columbanum *reverendiſſimum* a pontifice appellari non magis ejus ſanctitati obſtat, quam quod Gregorius Magnus ſanctum Germanum Capuanum epiſcopum, cujus animam in cælos evolantem ſanctus Benedictus ſuſpexerat, *virum reverendiſſimum* vocat. Ceterum non omnia monumenta cœnobii Bobienſis vidit Ughellus, qui, ſi librum de miraculis ſancti Columbani medio ſæculo decimo ſcriptum, ſi Gerberti epiſtolas perlegiſſet; amplius ducentis ante Lucium ſecundum annis regulam ſancti Benedicti apud Bobienſes, & quidem ante omnium retro memoriam receptam, immo in ipſo, de quo agitur, Theodori pontificis privilegio, uti jam tum credebatur, expreſſam fuiſſe comperiſſet. Quæ regula ſuo tempore a Bobienſibus ſervaretur, ignorare non potuit Gerbertus, Bobienſis quondam abbas, poſtea Romanus pontifex ſub nomine Silveſtri ſecundi. Is vero in epiſtola [c] ad Bobienſes ſuos: *Qui Regulam*, inquit, *ſancti Benedicti profeſſi eſtis, & paſtorem deſerendo abjeciſtis, colla tyrannis ſponte ſubdidiſtis.* Nihil his verbis expreſſius.

c *Gerbert. ep. 18.*

d *Anonym. c. 23.*

Ad hæc monachus Bobienſis anonymus, qui librum de miraculis ſancti Columbani compoſuit ante medium ſæculum decimum, quo itidem ſæculo deſinente, Gerbertus ſcribebat, privilegia ſanctæ ſedis apoſtolicæ [d] laudat, ſcilicet Honorii, Theodori, Martini, Sergii, Gregorii, Zachariæ, & aliorum, ſuo monaſterio conceſſa, ex quibus idem auctor recitat fragmentum privilegii, inter alia decernentis, ut, ſi
„ monachi Bobienſes, tepidi in Dei amore, & in inſtitutis patrum torpentes quan-
„ doque exſiſtant, ſecundum regulam ab abbate, id eſt a patre monaſterii, corrigi de-
„ beant. Si autem & ipſe abbas in ignavia aliqua contra inſtituta patrum & regulæ
„ tenorem fuerit deprehenſus, & in aliquam ſiniſtram partem inclinatus; a ſede apoſ-
„ tolica, ſub cujus conſtitutione conſiſtit, corrigatur. quæ omnino verba, ſed mendoſe, in Theodori privilegio leguntur apud Ughellum. Sed ne, quænam eſſet illa regula, ambigeremus, Placentinum epiſcopum prædictus anonymus compellat his verbis: *Non vales tuum epiſcopatum regere, & monachos ſecundum Regulam ſancti*

Benedicti

ANN. CHR. 640.

Benedicti gubernare. quam ſcilicet regulam idem auctor in laudato, ut credere par eſt, Theodori diplomate legerat, dato Conſtantini anno ſecundo, conſulatus primo, indictione prima, quæ anno ejus ſæculi quadrageſimo-tertio conveniunt. Verum Jonas, qui ſanctum Columbanum, ejuſque diſcipulos laudandos ſuſceperat, unius Columbani laudat regulam, cum Benedictinæ aceeſſio nihil faceret ad ipſius inſtitutum. Ejus prologus ad vitam ſancti Columbani, *Dominis eximiis, & ſacri culminis regimine decoratis, religioniſque copia fultis, Boboleno & Vvaldeberto patribus* inſcriptus eſt; & in ipſo vitæ contextu memoratur non ſemel Winnocus preſbyter, pater Boboleni, *qui nunc*, ait Jonas, *Bobienſi cœnobio praeſt.* Non ergo Italus fuit, ut Cointio viſum eſt, ex mera conjectura.

IV. Eligii & Audoëni ordinatio.

Cum Jonas acta Euſtaſii abbatis Luxovienſis ſcriberet, (hæc vero ſcribebat tertio fere anno a morte Bertulfi Bobienſis, ut ex præmiſſo ejus prologo conſtat) Eligius jam Viromandenſis eccleſiæ pontifex erat, eoque nomine ab eo in iiſdem actis laudatur. Anno ſuperiori electus fuerat in locum Acharii epiſcopi ex monacho Luxovienſi. Electus non ſe permiſit ſacerdotem conſecrari, ait Audoënus, *niſi ſub normula clericatus aliqua temporis curricula exegiſſet.* Hæc probatio unius fuit anni. Eodem tempore electus eſt Audoënus poſt Romanum in ſedem Rotomagenſem, a Deodato Matiſconenſi epiſcopo preſbyter ordinatus. Tum ambo convenientes in civitatem Rotomagenſem *quarto-decimo* [a] *menſis tertii*, ſeu Maii, *tertio anno Chlodovei, juvenculi adhuc regis, die dominico ante Litanias*, epiſcopi conſecrati ſunt. Hoc palmari argumento ſe muniunt, qui Dagoberto regni annos ſexdecim a morte Chlotharii patris tribuendos eſſe contendunt, ejuſque obitum ſummovent ad annum ſexcenteſimum quadrageſimum quartum: propterea quod dies dominica ante litanias rogationum anno quadrageſimo-ſexto coincidebat cum die quarta-decima menſis tertii: quibus notis Audoënus annum ſuæ conſecrationis deſignat. Nec placet quod contrariæ ſententiæ patroni, qui Dagoberti obitum ſexto ante anno illigant, hunc Audoëni contextum interpolatum cauſantur. Magis arridet alia Cointii ſolutio, ita hunc locum diſpungentis, ut Audoënus & Eligius Rotomagum ordinationis cauſa acceſſerint quarto-decimo die Maii: at ordinatio dilata fuerit in octavam poſt diem, quæ dies hoc anno quadrageſimo dominica erat ante ſollemnes rogationes. Verum huic ſolutioni id obſtat, quod in Noviomenſi eccleſia ſancti Eligii ordinatio ante annos octingentos celebrata eſt *pridie idus Maii*, ut in veterrimo ejus eccleſiæ kalendario deprehendi; atque adeo Eligii ordinatio ipſa die Maii quarta-decima peracta tunc cenſebatur, non dominica ſequenti, ex traditione eccleſiæ Noviomenſis. Verum, libratis aliunde in oppoſitum invictiſſimis argumentis, id unum reponi poſſe video, quod, etſi ſancti Eligii depoſitio haud longe poſt ipſius obitum in divinis officiis celebrata ſit; non tamen ſtatim ejus ordinatio (quod etiam de Audoëni conſecratione dicendum) ſacris ejus eccleſiæ faſtis adſcripta, & peculiari cultu honorata eſt, ſed poſt annos forte centum, immo & ducentos. Eos vero qui hanc ordinationem primi eccleſiæ ſuæ kalendariis inſcripſerunt, ex loco Audoëni, obvio quidem ſenſu, ſed non bene intellecto, eam repoſuiſſe pridie idus, ſeu quarta-decima die menſis Maii, quæ viceſima-prima die reponenda erat. Hunc locum, ſane difficilem, ſic explanare viſum eſt in noſtræ chronologiæ fundamentum.

[a] Audoën. lib. 1. de vita S. Eligii. c. 2.

V. Domnolo abbati prædicta monaſterii deſolatio.

Domnolo abbati quædam prædixit Eligius, quæ hoc loco nobis videntur commemoranda. Forte is Eligium viſitandi cauſa convenerat. Cum vero diutius apud eum commoraretur, vir ſanctus aliquando eidem poſt quietem evocato ſuaſit, quantocius ut domum rediret, nam quædam in ejus monaſterio perperam acta eſſe, ſibique viſa ædificia corruiſſe. Mox Domnolus nulla mora redit ad monaſterium: ubi comperit duodecim monachos, abjecto propoſito, dæmonis inſtinctu aufugiſſe, & diverſos paſſim vagari, ad ſæcularia prolapſos. Tunc probato Eligii vaticinio, abbas fugitivos perſequi jubet; & ex eis quidem nonnullos in monaſterium revocavit; ceteros nuſquam aſſequi & comprehendere potuit. Cujus loci abbas fuerit Domnolus iſte, incertum, an forte ſancti Martini Tornacenſis, cujus abbati Balderedo [b] vir Dei mortem prædixit, niſi in Noviomenſi monaſterio maneret. niſi ſi Domnulus abbas idem ſit cum Domnione abbate cœnobii Navenſis apud Biturigas, a Sulpicio epiſcopo exſtructi, quod Eligius, Lemovicas adeundo, identidem frequentabat.

[b] V. lib. 14. n. 67.

ANN. CHR 640.

VI. Eadbaldo regi Cant. ſuccedit Earconbertus.

a *Beda lib. 5. c. 8.*

Hoc ipſo anno [a] Eadbaldus rex Cantuariorum mortuus Earconberto filio regni gubernacula reliquit in annos amplius quadraginta. Chriſtianæ religionis ſtudium in filio non impar, utpote qui primus regum Anglorum idola in toto regno penitus deſtrui, & quadrageſimæ jejunium accurate obſervari ſub gravibus pœnis curavit. Hujus filia Earcongota, ut condigna parenti ſoboles, magnarum virgo virtutum, in monaſterio Brigenſi ſeu Eboriacenſi, quod a Fara nobiliſſima abbatiſſa conſtructum erat, divino cultui ſeſe addixit. Is enim mos tum erat apud Anglos, ut, cum necdum multa in regione Anglorum monaſteria exſtarent, multi utriuſque ſexus ex inſula Britannia, monaſticæ gratia profeſſionis, Gallias adirent; & puellæ quidem in Brigenſi, vel Calenſi, aut in Andilego monaſteriis erudirentur. Illuſtris præ ceteris fuit Earcongota, Eadbaldi, ut mox dicebam, & Sexburgæ reginæ filia, quæ,

Earcongota ejus filia ſancta.

imminente mortis ſuæ die, ſibi divinitus in ſomnis præſignata, monaſterii Eboriacenſis caſulas ſeu cellulas, in quibus infirmæ Chriſti famulæ verſabantur, circumire cœpit, omnium ſe precibus humiliter commendans, earum maxime, quæ vel ætate maturiores, vel probitate morum inſigniores erant. quippe imminere obitus ſui diem, quem oſtento ipſa in quiete intellexerit. ſibi nimirum apparuiſſe albatorum hominum turbam, monaſterium intrantium, qui dicerent, ſe veniſſe ut aureum numiſma ex Cantia iſtuc allatum repeterent. Nec vana oraculo fides: nam hæc ipſa nocte, ſub auroram, ex mundi tenebris ad æternam lucem migravit. Tum auditi angelorum concentus a fratribus nonnullis, qui in aliis ædibus ſeorſim a cœnobio virginum degebant. Sepultum eſt corpus ejus venerabile in baſilica [b] ſancti Stephani protomartyris, ubi miram fragrantiam cunctis, qui adſtabant, fratribus & ſororibus poſt triduum exhalaſſe dicitur, cum, lapide quo monumentum tegebatur amoto, altius ipſo in loco reponeretur. Hæc in anteceſſum dicta, quæ ſerius, ſed incerto anno, contigerunt, forte ſub Ethilberga abbatiſſa, ipſius Earcongotæ matertera, quæ monaſterium poſt ſanctam Faram rexit.

b *V. ſupra lib. 11. n. 10.*

VII. Itta & Gertrudis Deo conſecratæ.

Poſt mortem Pippini majoris-domus Sigiberti in Auſtria, quem veteres Seniorem, recentiores Landinenſem a villa ejus Landino appellant; Itta ſeu Iduberga ejus conjux, annos nata circiter octo & quadraginta, cum a multis nihilo minus procis ambiretur, auctore Amando epiſcopo, velo ſuſcepto, ſe & ſua Deo conſecravit. Superſtites eorum liberi erant Grimoaldus, qui poſtea præfectus palatii loco patris per Auſtriam fuit; Begga, quæ Anſigiſilo filio ſancti Arnulfi nupta, Pippinum juniorem, Pippini regis patrem, procreavit; & Gertrudis virgo, cui mater, ne ad illecebroſas hujus mundi voluptates pertraheretur, arrepta forfice, capillos in coronæ ſimilitudinem abſcidit, poſt paullum a ſacerdotibus velandæ. quod argumento eſt, id tum in more poſitum fuiſſe, ut ſanctimoniales & virgines Deo ſacræ ſic tonderentur. At nonnis velatis, quæ in crimen lapſæ eſſent, capillos radi præcipit concilium Liptinenſe. Anonymus beatæ Gertrudis vitæ ſcriptor, gravis & æqualis, tradit, cum Pippinus virginis parens Dagobertum, Auſtraſiorum tunc regem, ad epulas invitaſſet; procacem quemdam adoleſcentem, Auſtraſiorum ducis filium, eo veniſſe, & a rege atque Pippino Gertrudem ſibi in matrimonium petiiſſe: quæ petitio cum regi placuiſſet, Dagobertum a puella quæſiiſſe, an adoleſcentem hunc, auro & ſerico nitentem & ſuffarcinatum, habere ſponſum vellet. At puellam indignabundam cum juramento affirmaſſe, nec hunc, nec quemquam alium mortalem, ſed Chriſtum Dominum ac Deum ſuum, ſponſum ſe umquam habituram. quo audito, adoleſcentem quidem rubore atque ira turbatum receſſiſſe; Dagobertum vero ac principes tantam in tenera virgine conſtantiam admiratos, eamque poſt id factum regi in primis magnopere caram fuiſſe. Hinc Gertrudem, tuendæ virginitatis cauſa, in Franconiam clam ſe ſubduxiſſe comminiſcitur interpolator: quod viri docti alteri Gertrudi, quæ Carolo Magno regnante vixit, tribuendum arbitrantur. Gertrudis tam læta de cæſis capillis, quam ſæculares puellæ de compoſitis crinibus gloriari ſolent, præ gaudio geſtiebat, quod pro Chriſto coronam in capite geſtaret.

Poſt hæc Amandus Ittam flagitabat, ut monaſterium ſibi, ſuæque filiæ conſtruere maturaret, quo a ſæculi corruptelis & illecebris remotiores, tutioreſque eſſent.

Nivialenſe monaſterium conditur.

Huic erat inter alias præclara villa in Bracbanto poſita, Nivialla nomine, ſeu Nivigella, recentioribus Nivella, nunc opidum inter Bruxellas & Montes-Hannoniæ, a Nivialla vico, Leodicum inter & Trajectum ad Moſam poſito, diſtinguendum. Hic locus condendo cœnobio virginum opportunus viſus eſt; ſtatimque arti-

ANN. CHR. 640.

fices operi manum admovent; eidemque perfecto & abſoluto Itta Gertrudem filiam ſuam abbatiſſam præficit. Annorum quatuordecim erat Gertrudis, cum, amiſſo patre, conſecrata Deo eſt deciſione capillorum. Verum nonniſi poſt annos ſeptem ſacrum velamen accepit, initque regimen monaſterii. Id conſtabit ex iis, quæ ſuo loco dicturi ſumus.

VIII. Salaberga cum ſuis Laudunum ſe recipit.

Dum hæc in Bracbanto geruntur, Salaberga de transferendo tutiorem in locum monaſterio cogitans, auctore Waldeberto abbate Lugdunum-clavatum ſe recipere, ibique, ut munitiſſima in arce, cum ſuis conſiſtere decrevit. Cum enim cœnobium illud, quod in paterno fundo condiderat, in confinio duorum regnorum, Auſtriæ ſcilicet ac Burgundiæ, poſitum, bellorum, quæ de finibus ſubinde inter illorum reges excitabantur, tumultibus expoſitum ac pervium eſſet; verita prudentiſſima mulier, ne imbellis ac innocens ſexus militari obnoxius eſſet injuriæ, cum Waldeberto tractare cœpit, quid conſilii hac in re caperet. Eorum ſententia fuit, ceteris locis præferendam eſſe urbem Laudnnum, quam Lugdunum præciſe vetus auctor, alii Lugdunum-clavatum diſcriminis cauſa nuncuparunt. Nec vanus fuit Salabergæ aut muliebris pavor. nam poſt aliqnot annos, exorto Theodericum inter & Dagobertum Auſtriæ regem internecino bello, vaſtati confinium agri, direptæ villæ ac combuſtæ, nec ipſis etiam templis ac Sanctorum reliquiis parſum eſt. Ex quo manifeſte patuit, mulierem ſanctam divino conſilio hanc cladem prævertiſſe. Itaque Salaberga paternas ſedes & cœnobium a ſe illic conſtructum reliquit, ae Waldeberto comite, eodemque conſilii auctore, cum virginibus amplius centum, quas partim ex nobilium liberis, partim ex puellis ſuis ad Dei cultum congregaverat, in eam urbem commigravit, atque ab Attilone epiſcopo, Chagnoaldi ſucceſſore, cum clero honorifice occurrente, in urbem deducta eſt, natura loci munitiſſimam, & Wandalis, Alanis, Hunnis, ceteriſque Germaniæ & Scythiæ feris nationibus uſque ad id tempus inacceſſam. Malignos ſpiritus ad ingreſſum venerandi agminis ex urbe diffugiſſe vetus auctor tradit. Illic Salaberga nobile & amplum condidit cœnobium cum baſilicis ſeptem, ex quibus ſua ætate, hoc eſt ſæculo duodecimo, quinque ſuperfuiſſe Hermannus [a] monachus affirmat, *a Herman. de mirac. B. Mariæ lib. 3. c. 22.* maximamque ſanctæ Mariæ Profundæ appellatam, cujus etiam nunc quædam reſtant veſtigia. Aliæ baſilicæ ſeu oratoria erant ſancti Michaelis & omnium angelorum, quæ ſecunda baſilica erat: tertia ſancti Johannis Baptiſtæ, & omnium patriarcharum & prophetarum: quarta beati Petri, omniumque apoſtolorum. Præter has quatuor, conſtructæ ad ingreſſum monaſterii, quinta in honorem ſanctæ Crucis: ſexta in honorem ſancti Apri martyris: ſeptima in honorem ſanctæ Mariæ Magdalenæ: ex quibus quinta & ſexta Hermanni tempore deſtructæ erant. Nunc vero una reſtat ſancti Johannis Baptiſtæ baſilica, cum monaſterio, quod virorum eſt ordinis noſtri ab annis fere ſexcentis. Brevi confluentibus iſtuc nobilium Francorum filiabus, puellæ fere trecentæ congregatæ ſunt. Has Salaberga in turmas diviſit, quæ ſibi viciſſim ſuccedentes, juges ac perennes Deo laudes, more Agaunenſium monachorum, virginumque Habendenſium, die noctuque concinerent. Hinc neceſſariæ erant tanto virginum numero plures baſilicæ, ex quibus quatuor primæ interiores erant: tres aliæ ad introitum monaſterii, ad uſum tum monachorum, qui ſanctimonialibus ſacra miniſtrabant, tum domeſticorum ac famulorum, tum ſæcularium.

IX. Nanthildis regina ſepulta in S. Dionyſii eccleſia.

Hoc eodem anno, vel inſequente, moritur Nanthildis ſeu Nantechildis regina, Dagoberti olim conjux, poſtquam filii ſui Chlodovei tutelam quadriennio adminiſtraſſet; & in baſilica ſancti Dionyſii juxta Dagobertum, atque in eodem quo ipſe monumento ſepelitur. Moriens villas, quas a Dagoberto & a Chlodoveo filio dono acceperat, variis ſanctorum baſilicis legavit; in his Latiniacum, villam pagi Briegil, baſilicæ Dionyſianæ aſſignavit, necnon pretioſiſſimum quoddam monile ſuum, quod aureæ cruci ab Eligio factæ inſertum fuit. Ita in geſtis Dagoberti, ubi tamen præmiſſum legitur, Dagobertum eidem baſilicæ præceptum feciſſe de Latiniaco villa, quæ ſita eſt in territorio Meldico, quam ipſo rex cum Bobone duce & « Tacilone comite palatii de ſuo proprio fiſco comparaverat. Sed fortaſſe Nanthildæ « quamdam ejus villæ partem reſervaverat, quam poſtmodum regina ipſa ſanctis itidem martyribus teſtamento reliquit. Hanc villam Latiniacum Siccum vocant ad diſcrimen alterius Latiniaci pagi Pariſienſis, ubi ſanctus Furſeus paullo poſt inſigne monaſterium conſtruxit. Falſi ſunt mendoſa lectione Fredegarii Aimoïnus &

Non fuit monacha.

ANN. CHR. 640.

Hermannus Contractus, poſtque eos alii fere omnes, qui Nanthildem *e monaſterio* raptam a Dagoberto, ac in matrimonium ductam fuiſſe tradiderunt: cum fere in omnibus Fredegarii exemplaribus ſcriptis, uti Hadrianus Valeſius primus obſervavit, & in chronicis Benigniano & Beſuenſi, diſerte dicatur Dagobertus, Gomatrude dimiſſa, Nanthildem, unam ex puellis *de miniſterio* ejus, in matrimonium accepiſſe. Accidit igitur, quod idem Valeſius notat, ut mutatione duarum litterarum Nanthildis ex puella nobili, miniſtraque Gomatrudis reginæ monacha fieret, & e monaſterio abſtracta, non de miniſterio electa crederetur. Ejus ſepulcrum auro decoratum fuiſſe docent verſus, ineunte ſæculo nono apud ſanctum Dionyſium ſcripti in codice quondam Petavianæ, nunc Ottobonianæ bibliothecæ, in quibus etiam Chlotharius & filius ejus Dagobertus laudantur.

Egregii proceres, Chlotharius ac Dagobertus,
Filius & pater hic memorantur laude perenni.
Sed magis eccleſiam ditavit hanc Dagobertus
Cum Nanthilde ſua, quam exornant aurea buſta.

ANN. CHR. 641. X. Floriacenſis monaſterii auctor Leodebodus abbas.

FLoriacus, olim vicus fiſci regii, octodecim paſſuum millibus ſeu ſeptem leucis ſupra urbem Aurelianorum, ab ineunte Chlodovei junioris principatu, nobili monaſterio inſignis fuit. Ejus auctor exſtitit Leodebodus, vir pius & nobilis, abbas monaſterii ſancti Aniani, tunc extra muros Aurelianenſes poſiti, qui Floriacum, dato in vicem paterno prædio Attiniaco, a Chlodoveo rege comparavit: ubi mox duas baſilicas cum monaſterio condidit, congregatiſque monachis primum abbatem, nomine Rigomarum; eoque poſt annos quinque mortuo, Mummolum præfecit. Prima & princeps initio erat baſilica ſancti Petri: unde monaſterium ſancti Petri principio appellatum: minus præcipua ſanctæ Mariæ, quæ ob tranſlatas in eam ſancti Benedicti, reliquias baſilicæ ſancti Petri prælata eſt, majorque dicta, teſtante Aimoino in carmine de tranſlatione corporis ſancti Benedicti. Quo ſignanter anno monaſterii Floriacenſis fundamenta jacta ſint, certo definire non licet. Leodebodi vulgatum teſtamentum præfert Chlodovei annum ſecundum, quo Floriacus vicus fiſcalis prædio Attiniaco commutatus ſit a Leodebodo abbate, ſancti Petri monaſterium ædificare tunc deliberante; eumque annum Aimoinus, & Helgaldus monachi Floriacenſes anno ſeptimi ſæculi viceſimo illigant, gravi quidem errore, ſed temporibus illis ferendo; cum anni Meroveadum regum cum annis incarnationis necdum bene conciliati eſſent, qui vix dum noſtra ætate componi potuere. Jam vero facile eſſet annum inchoati monaſterii aſſignare, ſi de anno conditi a Leodebodo teſtamenti conſtaret. At in eo nonnulla occurrunt, quæ cum anno ſecundo Chlodovei cohærere nequeunt. Quippe Floriaci commutatio facta dicitur *cum glorioſo atque præcelſo domno Chlodoveo rege, & glorioſa domna uxore ejus Balthilde regina:* cum Chlodoveus anno regni ſecundo tantum ſexennis, non ante annum regni decimum Balthildem in matrimonium duxerit. Deinde Audoënus epiſcopus, qui teſtamento condendo interfuiſſe, eidemque condito ſubſcripſiſſe dicitur, anno dumtaxat Chlodovei regis tertio Rotomagenſem cathedram inſedit. Serius etiam Aurelianenſem eccleſiam regere cœpit Leodegarius epiſcopus, qui & unus ex ſubſcribentibus fuit, quamquam is poſtea ſubſcribere potuit. Cetera hoc teſtamentum videtur bonæ notæ, idque Adrevaldus monachus ſuo tempore, hoc eſt medio ſæculo nono, *in archivis publicis* ſui monaſterii aſſervatum fuiſſe tradit. Hoc teſtamento Leodebodus multa legat, tum baſilicæ ſancti Aniani, cui ipſe præerat; tum baſilicæ ſanctæ Mariæ, quam Johannes Floriacus a novo quondam conſtruxerat, ubi venerabilis Fulcaldus abbas erat; tum monaſterio ſancti Petri, quod in vico Flo-
» riaco ædificare cœperat, in quo monachi juxta regulam ſanctiſſimi Benedicti &
» domni Columbani vivere deberent: quæ regula itidem in monaſterio ſancti Aniani tum ſervabatur. Baſilicam ſanctæ Mariæ, quam Johannes Floriacus conſtruxerat, & Fulcaldus abbas regebat, perperam confunditur a Cointio cum baſilica Floriacenſi ſanctæ Mariæ a Leodebodo erecta; nec forte alia fuerit, quam quæ beatæ Mariæ de Bono-nuntio apud Aurelianos appellatur, olim puellaris dicta, quæ a Rotberto rege inſtaurata eſt, adjuncta ibidem cella monachorum, Majori-monaſterio hactenus ſubjecta, recens a noſtris monaſterio haud ignobili inſignita, eidemque uni-

Digitized by Google

ta. At ſive eadem, ſeu quævis alia fuerit hæc beatæ Mariæ baſilica, auctorem habens Johannem Floriacum, certum eſt eam a Floriacenſi omnino diverſam eſſe. Ut rem totam in pauca contraham; ab ineunte, ut jam dixi, Chlodovei junioris principatu condi cœptum eſt monaſterium Floriacenſe. ſiquidem ſub eodem rege, qui annos regni octodecim haud exceſſit, ſancti Benedicti reliquiæ e monte Caſino iſtuc tranſlatæ ſunt, curante Mummolo, ſecundo ejus loci abbate: & in veterrimo indice abbatum Floriacenſium, qui in Theodulfo epiſcopo Aurelianenſi, eodemque Floriacenſium abbate quarto-decimo deſinit, in quo ſingulorum abbatum anni regiminis diſerte notati ſunt; annorum ſumma univerſa eſt centum octoginta-duorum. Obiit vero Theodulfus anno Chriſti octingenteſimo viceſimo-primo. Detrahe ex hoc numero prædictam ſummam; reliqui erunt anni ſexcenti triginta-novem, qui cum ſecundo Chlodovei anno coincidunt. Verum quia & in numerandis abbatum regiminis annis quoſdam cavos eſſe neceſſe eſt; & Theodulfus ipſe, qui novemdecim annis Floriaco præfuiſſe dicitur, abbatis titulum uſque ad obitum non ſervavit, quandoquidem Adelgaudus hac dignitate ante annum octingenteſimum viceſimum potiebatur: in tanta rerum obſcuritate id accurate definire difficile eſt. Quamquam ſi Theodulfus initio exſilii ſui, quod primo Ludovici auguſti tempore contigit, Floriacenſi abbatia, ut quidem ſentio, privatus eſt; facile conditi cœnobii calculus ad hunc annum ſexcenteſimum quadrageſimum-primum reducitur. Rigomarus primus Floriaco præfectus abbas, incertum quo ex loco aſſumtus: ſed ejus præfectura quinquennis nulla re geſta memorabili inſignis fuit. Mummolum ejus ſucceſſorem, quem Adrevaldus, monaſterii Floriacenſis monachus, prætermiſſo Rigomaro, primum commendavit; illuſtrem reddidit tranſlatio ſancti Benedicti, ab ipſo procurata: cetera ejus facta ſilentio preſſit antiquitas. Leodebodus in fine teſtamenti ſui jubet duo ejus confici exemplaria, quorum unum in ſancti Aniani, alterum in ſancti Petri monaſterio aſſervetur, cavens ne quiſquam illud violare auſit.

ANN. CHR. 641.

Hoc loco teſtamenti nomine inſtrumentum donationis inter viventes factæ intellige, non ultimam hominis voluntatem, qua quis de rebus ſuis poſt mortem diſponendis ſtatuit. At ſive hoc, ſive alio modo teſtamenti nomen intelligatur, mirum non immerito videri poſſit, quo jure liceret abbatibus & abbatiſſis teſtamenta condere, conſtruere monaſteria pro extraneis ex fundo cœnobii proprii, aut ex parentum donatione, aliaſque inſignes facere donationes, quæ hominibus, evangelicam paupertatem profeſſis, minime convenire videantur. Certe Gregorius Magnus, eccleſiaſticæ & monaſticæ diſciplinæ æquiſſimus cenſor, ejuſmodi teſtamenta non probavit, ut ex ſuperioribus patet, tum exemplo Probi [a] abbatis, cui ex diſpenſatione conceſſum eſt teſtamentum condere, quod ipſi, ad abbatialem curam ex laïco ſtatu repente aſſumto, facere datum non fuerat: tum exemplo Graviniæ [b] abbatiſſæ, cujus teſtamentum, in gratiam cujuſdam xenodochii factum, Gregorius irritum declaravit. Verum multis in locis alius obtinebat uſus, ut conſtat exemplis abbatum & abbatiſſarum, etiam pietate præſtantium, a viris etiam piis haud improbatus, modo non in propinquorum commoda, ſed in pios uſus hæc teſtamenta fierent. Ejus generis cenſeri poteſt teſtamentum ſanctæ Burgundofaræ, ſuperius [c] a nobis relatum, quamquam non tam teſtamentum cenſendum eſt, quam ratihabitio donationum, antea ex rebus propriis monaſterio ſuo factarum, ne ejus propinqui poſt ipſius obitum eas repetere poſſent. Ad alias donationes quod attinet, multæ etiam factæ ſunt a piiſſimis abbatibus & abbatiſſis ad alia monaſteria conſtruenda vel dotanda, quale eſt prædictum Leodebodi abbatis teſtamentum ſeu Inſtrumentum donationis factæ pro novo monaſterio Floriacenſi. Ejuſdem generis eſt donatio rerum in Saxonia conceſſarum Corbeiæ-veteri, quas ſanctus Adelhardus abbas ædificando Corbeiæ-novæ monaſterio impendit. Quin etiam apud Italos idem uſus obtinuit. Teſtis hac de re Itta, parthenonis ſancti Hillari in pago Florentino abbatiſſa, quæ ſancto Johanni abbati fundum Vallumbroſæ ad conſtruendum monaſterium liberaliter conceſſit. Talis denique fuit, ut multas alias omittam, donatio Farfenſis [d] abbatis, in gratiam ſancti Bernardi abbatis Claræ-vallenſis, cui ſexcentas fere marcas argenti, quas latrones ſurripuere, ſub chirographo direxit ad conſtruendum in Gallia monaſterium. Neque porro hoc ampliſſimum donum, quaſi illicitum, refutavit Bernardus; neque aliud Johannes abbas. quæ quidem donationes ea forte ratione licitæ tunc cenſebantur, quod approbante conventu factæ eſſent. Alii alias forte afferent ex-

Abbatum & abbatiſſarum teſtamenta.

[a] Greg. M. lib. 9. ep. 22.

[b] Id. lib. 7. ep. 7. ind. 2.

[c] lib. 12. n. 30.

[d] Vita S. Bernard. lib. 3. c. 7. n. 24.

ANN. CHR. 641.

cuſandi rationes: ſed rem ipſam hoc loco leviter ſaltem delibare viſum eſt, quod ejuſmodi exempla paſſim in his annalibus recurrant.

XI. S. Columbæ parthenonis privilegium.

a Sæc. 2. part. 1. p. 747.

Luculentum eſt Johannis [a] papæ quarti privilegium, poſtulante Chlodoveo juniore hoc anno conceſſum parthenoni beatæ Mariæ & ſanctæ Columbæ atque ſanctæ Agathæ ſeu aliorum ſanctorum martyrum: quo in loco ſanctimoniales vivebant *ſecundum edicta Antonii, Pachomii, & haud procul a noſtris temporibus*, ait pontifex, *Benedicti abbatis iſtius Romæ urbis.* Hoc privilegium olim eruimus ex veterrimo codice Thuaneo, annos minimum octingentos præferente, in quo redactum eſt in privilegii formulam, detractis nominibus propriis perſonarum ac locorum pleriſque. Non facilis proinde conjectura de ſitu illius cœnobii, quod duplex fuiſſe intelligitur, non tantum puellarum, ſed & virorum pro more illius ætatis. Exſtabat tunc temporis apud Viennam Allobrogum monaſterium ſanctimonialium beatæ virginis Columbæ, quod triginta monachas fovebat: ſed an ſit illud ipſum, cui Johannis papæ privilegium conceſſum eſt, divinare nolim. Hoc porro privilegio cautum eſt, ut nullus epiſcopus, nec quivis aliusquidquam auferre aut ſibi vindicare auſit eorum, quæ ad monaſterium pertinuerint; nec ullus epiſcopus eo accedat, niſi quem mater
» ſpiritalis, paterve monaſterii invitaverit ad celebranda miſſarum ſollemnia, vel ad
» benedicendas virgines, aut ad ſacrandas tabulas altaris: ſed eo pacto, ut gratis om-
» nia peragat, & tales ſecum pontifex introducat, quales vita & religio ſancta com-
» mendet. In fine obteſtatur pontifex, ut loci epiſcopus non prohibeat abbatem vel ejus monachos a Romano itinere, quando ipſi ad limina apoſtolorum devotionis vel officii cauſa proficiſci voluerint. In altero ejuſdem privilegii exemplari, quod in bibliotheca Colbertina habetur, poſt medium aliter deſinit hoc privilegium, cujus fragmentum diverſum mihi pro ſua humanitate eruditus Baluzius communicavit, in
» appendice referendum. In illo fragmento cavetur, ut ne epiſcopus, ſive petitus, ſeu
» conductus, ad ſecreta monaſterii accedere præſumat; nec ibidem, contra regulæ in-
» ſtitutionem, eidem pontifici convivium præparetur: ne quietem monacharum, quæ
» vitam ſolitariam propter Deum peragere decreverant, frequens ſacerdotum ingreſſus
» perturbet, ut ſic pro excellentiſſimi regis Francorum ſtabilitate & fundatorum pia de-
» votione aſſidue Dominum deprecari non ceſſent. Quod ſi monachæ a ſuo inſtituto
» deflexerint, ab ejus loci abbatiſſa corrigantur; &, ſiquidem graviter deliquerint,
» in ſecretiorem cellulam retrudantur: abbatiſſæ vero correctio fiat ab apoſtolica ſe-
» de, ſub cujus ditione conſiſtit. Epiſcopis ſecus attentantibus pœnæ impoſitæ.

& Luxovienſe.

Luxovienſi monaſterio conſimile privilegium idem Johannes pontifex conceſſit rogatu etiam Chlodovei regis. Hujus privilegii fragmentum eruimus ex chartario monaſterii Dervenſis, ante annos ſexcentos ſcripto, in hujuſce voluminis appendice editum, cujus ſummam hic accipe. Has litteras Johannes papa inſcribit *Dilectiſſimis*
» *fratribus univerſis epiſcopis per Galliam conſtitutis*: quibus ſignificat, etſi eccleſiaſticæ
» regulæ doceant, canones & conſtituta patrum ſervari oportere; vota nihilo minus
» ſupplicantium, qui catholica fide & peculiari præ ceteris devotione fulgent, ali-
» quando exaudienda eſſe in his, quæ a communi regula excipiuntur. Cum igitur
» excellentiſſimus filius ſuus Chlodoveus rex Francorum, pro ſua pietate poſtulaverit,
» ut apoſtolicæ ſedis privilegium pontifex impertiretur monaſterio beati Petri, quod
» vir venerabilis Columbanus Scottus in loco, qui dicitur Luxovium, ex largitate re-
» gia exſtruxerat, inſtituta inibi non exigua monachorum congregatione, ubi nunc
» venerabilis Waldebertus abbas etiam cum multis monachis converſabatur: regiæ
» petitioni ſe annuiſſe. Neque vero id novum videri, quando non pauci ante ſe apo-
» ſtolicæ ſedis præſules id generis privilegia conceſſerint, non modo locis ſub ſua di-
» tione conſtitutis, ſed etiam in aliis regionibus longius remotis, *præſertim in regno*
» *Francorum*: cum ad univerſa loca uſque *ad fines terræ & Oceani* poteſtas beati Petri ſe
» extendat. Quare eorumdem monachorum litteris, *& præſertim interventu excellen-*
» *tiſſimi filii ſui regis* interpellatum, ſe poſtulatis aſſenſiſſe, atque interdicere omni-
» bus epiſcopis, tam vicinis quam procul a dicto monaſterio remotis, ut nihil aliud in
» eo loco uſurpent aut contingant, præter id, quod ipſius privilegium decernit: nempe
» ut epiſcopus eo tantum ingrediatur, cum a patre monaſterii vel a cuncta congrega-
» tione invitatus fuerit ad celebranda miſſarum ſollemnia, aut *ad conſecrationem ab-*
» *batis* vel tabularum, in quibus miſſæ debeant celebrari. Cetera deſunt in illo fragmento, quæ ſuppleri poſſunt ex alio Benedicti octavi privilegio, quod iiſdem omnino verbis, atque prius illud, conceptum eſt.

ANN. CHR. 642.

XII Item Foſſatenſe.

ANno inſequente Babolено Foſſatenſi abbati conceſſum etiam privilegium ab
Audoberto Pariſienſi antiſtite, ut tam ipſe, quam ejus ſucceſſores liberi & ſecu- «
ri ſint ab omni inquietudine, tam eccleſiaſticorum hominum, quam laïcorum. Et ne «
quis id factum putet contra ſtatuta patrum, legat canones a ſancto Bonifacio Car- «
thaginenſi epiſcopo, aliiſque coëpiſcopis factos, ejuſdemque antiſtitis epiſtolas ad «
Liberatum epiſcopum miſſas: & inveniet quod monaſteria, in quibus regulariter «
vivitur, libera eſſe debeant ab omni infeſtatiooe epiſcoporum & clericorum. Hoc «
privilegium haud dubie legerat anonymus ille Foſſatenſis monachus, qui hæc unde-
cimo ſæculo ſcribebat.

XIII. Viventius abbas S. Juſti admittit Baldomerem.

Foſſatenſi privilegio undecim ſubſcripſiſſe feruntur epiſcopi, in his Gandericus ſeu Candericus Lugdunenſis, qui Cabilonenſi concilio itidem ſubſcripſit. Hoc pontifice abbas erat in monaſterio ſancti Juſti Viventius, qui Baldomerem ſeu Waldomerim in monachorum cœtum admiſit. Eumdem Gaudericus ad ſubdiaconatum promovit, invitum ac renitentem. Is privata dein cellula recluſus, aſſiduis precibus non ſine lacrymis vacabat, cum pro ſua, tum pro Lugdunenſium omnium ſalute, quam ardenter ſitiebat. Inſignem meritis vitam pretioſa mors, mortem ipſam crebra miracula ſubſecuta ſunt, ut vetus ejus epitaphium docet. Hæc nihilo magis hæreticos noſtri temporis moverunt, quo minus in ejus reliquias ſævirent. Adeo nihil ſacrum hominibus furentibus ac profanis.

XIV. Hadoindi epiſcopi Cenoman. teſtamentum.

Non prætermittendum hoc loco eſt teſtamentum Hadoindi epiſcopi Cenomanenſis, editum * VIII. idus Februarias, anno quinto regnante glorioſiſſimo Chlodoveo rege. Hoc teſtamento piiſſimus antiſtes multa legat, tum Cenomannenſi majori eccleſiæ, tum baſilicæ ſancti Vincentii martyris, a ſancto Domnolo epiſcopo conſtructæ; & baſilicæ ſanctorum Petri & Pauli, quam Bertichramnus epiſcopus ædificaverat; quæ duo ſunt inſignia noſtri Ordinis monaſteria in ſuburbio Cenomannenſi; necnon baſilicæ ſanctæ Mariæ Ebronienſi, quam Agobertus abbas ſecum condiderat una cum adjuncto monaſterio. Hujus teſtamenti executores adhibet Bodilonem & Audrannum, ex quibus Bodilonem *parentem*, id eſt conſanguineum, ſuum vocat. Succeſſorem habuit Berarium æque beneficum in ordinem monaſticum: quo epiſcopo ſedente ſanctæ Scholaſticæ reliquiæ Cenomannos tranſlatæ ſunt.

* a *Analect. to. 3. p. 160.*

XV. Bellilocenſis monaſterii initia per S. Rodingum.

Ad hunc annum revocari poteſt conditio Bellilocenſis in Argonna monaſterii, quod ſancto Rodingo ſuam originem acceptam refert. Rodingus * ſeu Chraudingus, genere Scottus, in Galliam aliquanto poſt Columbanum tempore acceſſit. Acceptus in Tabuleienſe ſeu Theolegienſe monaſterium; ita ſe geſſit, ut abbatiali honore dignus ſit habitus. Verum Chroduino, fratris aut ſororis filio, in ſuum locum ſubſtituto, ipſe in Argonnæ ſaltum, Paulo Virdunenſi antiſtite obiter ſalutato, ſe recepit in locum Waſlogium, quem poſteri mutato nomine Bellum-locum, ob pulcherrimum ſitum loci, vocare maluerunt. Diſtat ab urbe Virduno ſeptem fere leucis, tribus vero ab opido ſanctæ Manechildis. Illic jacta in edito colle fundamenta monaſterii Bellilocenſis, quod nonnumquam Waſlogienſe a priori vocabulo appellatum invenio. Ita in loco, ubi erant luſtra ferarum, fit domus orationis; ibique chorus pſallentium audiri cœptus, ubi lupi ululare conſueverant. Auſtreſius quidam, incola proximi vici prædives, non tulit barbaricæ, ut ſibi videbatur, gentis homines in ſilva ſua, ſe inconſulto, habitare; ibidemque ſuccifis arboribus habitacula abſque ſuo permiſſu ſibi conſtruere. Hinc, immiſſis miniſtris, Rodingi diſcipulos flagellis cædi juſſit, & cum dedecore e ſilva expelli. Interim vir ſanctus Romam pergit ad limina apoſtolorum. Tum, votis ad eorum tumulos Deo perſolutis, redit in priſtinum locum: Auſtreſium cæleſti plaga flagellatum ſanat, ab eoque ſilvam condendo monaſterio impetrat. Mox cœptum opus perficitur, baſilica conſtruitur in honorem Salvatoris, & ſancti Mauricii ejuſque ſociorum, quorum reliquias ex Agannenſi monaſterio, cum iſtuc in reditu ex ſecunda Romana peregrinatione ſe contuliſſet, reportavit. In hac peregrinatione obtentum a Romano pontifice privilegium, reſervatis Virdunenſi epiſcopo, cujus diœceſi locus continetur, ſacrorum ordinum collatione & benedictione abbatis. Huic privilegio acceſſit Childerici regis præceptum, monaſterii poſſeſſiones confirmantis, quæ ad ſeptingentos ſeptuaginta manſos excreviſſe dicuntur. Quin etiam ex fiſco regio princeps Ermeriacam villam eidem cœnobio largitus eſt: illudque in ſuam tutelam ſuſcepit, & ab omni exactione liberum & immune pronuntiavit. Iſtuc confluxere complures diſcipu-

* *S. Rouin.*

ANN. CHR. 642.

li, tum ex vicinis regionibus, tum ex tranſmarinis, maxime Scoti, qui popularem ſuum inviſere, & cum eo converſari gaudebant.

XVI. Weiſſenburgenſis monaſterii abbas Principius fit epiſcopus.

Principius Sigiberto regnante creatus dicitur epiſcopus Nemetenſis ſeu Spirenſis ex abbate primo Weiſſenburgenſis monaſterii, cujus proinde primordia rectius Dagoberto ſeniori, quam Dagoberto poſteriori Auſtraſiorum regi tribuenda ſunt. Weiſſenburgum, nobile opidum diœceſis Spirenſis, alio nomine Album-caſtrum, amœniſſimo loco ad montes Voſagi poſitum in inferiori Alſatia ad amnem Lutharum, qui mediam urbem præterfluit, nomen ac celebritatem accepit ab ampliſſimo cœnobio, quod ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, atque beato Stephano protomartyri nuncupatum eſt. In brevibus annalibus Gregoriani in Alſatia monaſterii, ad cyclos paſchales digeſtis, reponitur anno ſexcenteſimo triceſimo *initium Leucopolis cœnobii, quod latine*, immo teutonice *Vviſſenburch dicitur*. Hunc locum monachorum eruditio & litteræ haud minus, quam pietas & religio illuſtrarunt. Ex eo abbates non pauci ad regendos aliis in locis monachos aſſumti; alii ad infulas epiſcopales. Teſtis in primis Principius monaſterii primus abbas, quem propria merita ad ſedem Nemetenſem, mortuo Athanaſio antiſtite, provexerunt. Hunc in regimine Weiſſenburgenſis monaſterii excepit Cherdonius, cui Radefridus ſucceſſit, ſi non fallit Bruſchianus abbatum catalogus. Nullius momenti eſt diploma Dagobertinum a Trithemio relatum.

Clingenſe Monaſterium, & S. Germani.

Weiſſenburgo duobus tantum milliaribus diſtat Clingenſe monaſterium, itidem Ordinis noſtri, in agro frumenti & vini feraciſſimo, quadratis lapidibus conſtructum, cujus itidem originem ad Dagobertum, primum an ſecundum, referunt. Idem aiunt de cœnobio ſancti Germani, quod ad eamdem diœceſim pertinet. In his rerum antiquarum tenebris vulgares traditiones afferre juvat, deficientibus idoneis argumentis.

ANN. CHR. 643.

XVII. Marcianenſis monaſterii origo à S. Rictrude.

PAucis poſt annis a condito cœnobio Elnonenſi, beatus Amandus Marcianenſe diœceſis Atrebatenſis, itidem ad Scarpum fluvium, ædificavit, Rictrude nobili matrona fundum & impenſas ſuppeditante, eidemque loco Jonatum Elnone accitum præfecit. Rictrudis in citeriore Vaſconia, nobili genere, patre Ernoldo, Lichia genitrice nata, Adalbaldo Franco nupſit, genere itidem atque opibus claro, Gerbertæ filio, beatæ Gertrudis parthenonis Hamatici conditricis nepoti; & ex eo liberos procreavit; ſcilicet Mauronrum, quem ſanctus Richarius baptizavit, poſtea Broilenſis monaſterii abbatem; & tres virgines Deo devotas, Cloſendem, Euſebiam, & Adalſindam: ex quibus Cloſendis, mortua matre, Marcianenſe monaſterium rexit: Euſebia, Hamatici futura abbatiſſa, a Nanthilde regina ex ſacro fonte ſuſcepta eſt: Adalſinda Marcianis immature deceſſit. Marcianenſe * monaſterium exſtruere cœpit Rictrudis vivente marito Adalbaldo, qui, cum alibi, tum maxime in pago Auſtrebatenſi *, in quo Marcianæ ſitæ ſunt, ampliſſimis latifundiis & poſſeſſionibus pollebat, ab inimicis cæſus, cum in Vaſconiam proficiſceretur. Poſt viri ſui cædem Rictrudis, cum a Dagoberto rege blanditiis ac minis cuidam ex optimatibus nubere compelleretur; ſuadente Amando aliquamdiu propoſitum ſuum diſſimulat, pollicetur que regi, ſe ex ipſius ſententia & conſilio facturam, quod rebus ſuis convenientius utiliuſque videretur. Mox in prædio quodam ſuo convivium parat, magnifice inſtructum. Invitatus rex eo libenter venit, Rictrudem voluntati ſuæ obſequentem fore arbitratus. Cum mero cuncti incaleſcere cœpiſſent, quærit a rege venerabilis matrona, an ex ejus voluntate ſibi liceret facere in domo ſua quod vellet. Rex licere mox reſpondit. At illa velum, ab Amando conſecratum, e ſinu protulit, ſuoque capiti, invocato Dei auxilio, illud impoſuit. Tum princeps deceptum ſe ac deriſum intelligens, protinus relicta menſa diſceſſiſſe fertur. Rictrudis vero, depoſitis pretioſis veſtibus, Marcianis ſe incluſit, permittente tandem rege, qui ab Amando mitigatus fuerat. Hæc occaſio fuit condendi apud Marcianas alterius cœnobii pro virginibus Deo ſacris, quæ Rictrudis exemplo iſtuc ſe receperunt. Tum ſuadente matre filiæ tres, quas ſuprà commemoravimus, virginitatem Deo vovent: Mauronrus ejus filius interim in ſæculari habitu regalibus obſequiis ad tempus corpore vacat, mente divinis. Adalſinda in tenera ætate ex hoc mundo diſceſſit ipſo die, quo Chriſti Domini nativitas celebrabatur. Dolorem ob ſacra gaudia ſuſpendit Rictrudis ad diem feſtum Innocentium, quo die lacrymas ſuas piarum Innocentium matrum

* *Marchiennes.*

* *l'Oſtrevant.*

ANN. CHR. 643.

matrum planctibus ſociavit. Si certum & exploratum eſſet, quod de Rictrudis regio convivio, ac de velo ab ea dein ſuſcepto ex Hucbaldo monacho retulimus; ad Dagoberti principatum referenda eſſet conſtructio monaſterii Marcianenſis, quod jam tum exſtitiſſe ſupponitur. at vereor ut vera ſit tota hæc narratio, cui ſimilem de Itta, viro ſuo Pippino Landinenſi orbata, ex auctore gravi & æquali ſuperius retulimus. Propius fidem eſt, Rictrudem poſt mortem viri ſui, nemine prohibente, ſecundis, quæ ſe ſe offerebant, nuptiis nuntium remiſiſſe, ac velo ſuſcepto a ſancto Amando, cellulam ſibi Marcianis conſtruxiſſe: ubi Jonatus jam gregi monachorum præerat.

XVIII. Maurontus Broilenſis monaſterii auctor & abbas.

Maurontus, a ſancto Richario e ſacro fonte ſuſceptus, id eſt baptizatus, cum de ſponſa ducenda cogitaret, ſubita divini luminis colluſtratione perculſus ſententiam mutavit. Jamque ſponſalia cum futura conjuge contraxerat, cum divinæ gratiæ inſpiratione vitam cælibem ducere, ac divino cultui ſe totum dare conſtituit. Ægre id principio tulit Rictrudis, dæmonis inſidias verita. verum conſultus hac de re Amandus, ſacris Deo factis, id divino conſilio factum intellexit, ac piæ matri omnem ſcrupulum exemit. Mox Maurontus, deciſa capitis ſui coma, clericus attonſus ab eodem ſancto antiſtite, poſtmodum levita ordinatus eſt, qui antea regalium præceptorum, ſi Hucbaldo credimus, conſcriptor fuerat. Tum monaſterium ab eodem Mauronto exſtructum in prædio ſuo Broilo ad Legiam * fluvium: qui locus poſtea Mauronti-villa, corrupte Merinvilla * dictus eſt. Ibidem in privata cellula vixit ſanctus Amatus Senonenſis præſul, qui a Theoderico rege, Chlodovei junioris filio, in Perronenſe monaſterium ſub beati Ultani abbatis cuſtodia relegatus fuerat. Sed hæc poſtea contigere.

* *In Eys.*
* *Merghem.*

XIX. Hamatici parthenonis abbatiſſæ, Gertrudis & Euſebia.

Regebat tum Hamaticenſe * virginum cœnobium Dei famula, eademque monaſterii auctor Gertrudis, Adalbaldi avia, Gerbertæ mater, ejuſdem Adalbaldi genitricis. Marcianis quatuor tantummodo ſtadiis diſtat hic locus, cujus baſilica in honorem ſancti Petri apoſtolorum principis conſecrata erat. Ibi educata eſt Euſebia ſub diſciplina proaviæ ſuæ Gertrudis, primæ ejuſdem parthenonis abbatiſſæ, poſt cujus mortem, quæ VIII. idus Decembris accidit, eidem ſucceſſit. Fabulas narrare videtur Hucbaldus, cum ait, Euſebiam vix duodennem in locum proaviæ ſuæ ſucceſſiſſe; at juſſu matris revocatam Marcianas ſe recepiſſe cum corpore proaviæ ſuæ ſanctæ Gertrudis, aliorumque ſanctorum reliquiis, atque cum omni ſua congregatione, relicto ibidem ſancto Amato: verum amore loci veluti ſibi genialis, ſingulis pæne noctibus, inſcia matre, relictis pro diſſimulatione ante ſtratum ſandaliis, Hamaticum furtim cum fidis ſociabus pergere ſolitam, indeque celebratis vigiliis reverti. qua re a matre cognita, virgis cæſa ſit: ſed tandem conſultu epiſcoporum & abbatum illuſtrium, ei Hamaticum redire permiſſa. quæ ſane commentitia videntur. Certe, ut alia mittam, Amatus non ante annum hujus ſæculi ſeptuageſimum-octavum a Theoderico relegatus fuit: quo tempore Euſebia, non duodennis, ſed fere quadragenaria erat, utpote a Nanthilde regina e ſacro fonte ſuſcepta. Mihi vero perquam difficile intellectu eſt, Euſebiam in regimen Hamatici parthenonis proxime ſuccedere potuiſſe proaviæ ſuæ, quæ vix annum hujus ſæculi quinquageſimum attingere potuit. quo ſane tempore Euſebia vix adulta eſſe poterat.

* *Hamay.*

XX. Felix abbas S. Juliani.

Frodoardus canonicus Remenſis * auctor eſt, Anglebertum Remenſem pontificem cum Gallo Arvernorum epiſcopo controverſiam tunc temporis habuiſſe pro « quibuſdam bonis, quæ trans Ligerim Remenſis habebat eccleſia, & Felix abbas ec- « cleſiæ ſancti Juliani martyris indebite retinebat. « Id interpretor de Brivatenſi ſancti Juliani eccleſia, quæ tunc ad Arvernenſem, modo ad ſancti Flori diœceſim pertinet. Jam dudum inſignis hæc eccleſia ſæculares canonicos habet: an autem a principio habuerit, non facile dixerim. Sane per ea tempora haud ſcio an ullum erat collegium ſub abbate, quod monachorum non eſſet. Gregorius Turonum antiſtes in libro ſecundo de gloria martyrum, qui totus eſt de miraculis ſancti Juliani, primo ſuper ejus tumulum a quadam matrona cellulam (oratorium ac mauſoleum intelligit) ædificatam ſcribit. Dein *magnam baſilicam* a fidelibus erectam, cujus miniſtros clericos vocat, quibus præerat ſacerdos, aliquando archipreſbyter dictus: quo titulo Publianus quidam inſignitur. Ædituus alio nomine martyrarius nuncupatus. Nuſquam abbatis mentio apud Gregorium. An forte poſt ejus obitum abbas ibidem creatus ſit, alii viderint. Certe id ex Frodoardo colligendum videtur. Ut ut ſit, a ſæculo nono ad noſtrum uſque tempus inſigne ac nobile eſt ſæcularium canonico-

* *a Frodoard. lib. 2. c. 6.*

ANN. CHR. 641. rum collegium in eccleſia Brivatenſi, quod Ludovici Pii principatu reſtitutum fuit.

XXI. Viennenſia monaſteria Gregorius [a] in eodem libro mentionem facit de revelatione capitis ſancti Juliani, quod a ſancto Ferreolo martyre Viennam tranſlatum, ibidem in ejus ſepulcro reconditum fuerat. Eidem revelationi interfuiſſe dicitur ***abbatum ac monachorum magnus numerus***. Jam ergo multa erant apud Viennenſes monaſteria ante pontificatum Cadoldi ſeu Caldeoldi, extremis Dagoberti annis ejus urbis epiſcopi: ſub quo monaſteria duodecim, tam intra, quam extra muros ejus urbis, ſub Grinianenſium patrum diſciplina exſtitiſſe vetus auctor tradit in libello de vita ſancti Clari abbatis. Et ſeptem quidem virorum erant, quinque puellarum. In illis præcipuum ac maximum erat, in quo beatiſſimi Ferreoli martyris oſſa & reliquiæ colebantur. Grinianenſe monachos alebat quadringentos: ſancti Petri monaſterium [b] ad auſtralem urbis partem quingentos: ſanctorum Gervaſii & Protaſii baſilica quinquaginta; totidemque ſancti Johannis Baptiſtæ monaſterium; paremque numerum cœnobium ſancti Vincentii martyris; eumdemque ſancti Martini. Sanctimonialium cœnobia quinque, ut jam dixi, erant: unum beatæ Columbæ virginis, in quo triginta monachæ: alterum ſanctæ Blandinæ, in quo viduæ ſanctimoniales viginti-quinque: tertium ſancti Andreæ intramuranum, in quo monachæ centum: quartum itidem ſancti Andreæ extramuranum, in quo idem ſanctimonialium numerus: quintum ſancti Nicetii ejus urbis epiſcopi, in quo quadraginta virgines Deo ſacræ degebant. Hæc de monaſte-
» riis urbanis. Ad hæc in tota Viennenſi diœceſi alia erant venerabilia ſanctorum
» in unum converſantium habitacula *ad ſexaginta*, ſub cura pontificis degentia. Monaſteria hæc itidem erant, ex quibus ſanctus Theuderius abbas quatuor ædificaſſe memoratur, unum ſancti Euſebii confeſſoris, alterum Alaronenſe, tertium Aſſicienſe, quartum Rupianum, quod ab ejus nomine & tumulo ſancti Theuderii * poſtmodum appellatum eſt.

XXII. Maximi abbatis Limonici facta. » His annumerandum eſt ſancti Johannis monaſterium, Limonicum vocabulo, ſi-
» tum inter montuoſa loca ſuper amne Rhodano, habens ex latere aquilonis Limo-
» nica fluenta, & ex parte occidentis montem minorem, qui vocatur Terulius. Ita hujus ſitum loci deſcribit auctor anonymus in libro [c] de vita ſancti Maximi ejus loci abbatis. Is in pago Cadurcenſi, vico Margarita ortus, Cadurcis ſub Deſiderio antiſtite litteris eruditus eſt. Grammaticam ibidem docens, a Beraldo, viro prædivite, in generum poſtulatur. Ille vero nuptias peroſus, cum Ambroſio diſcipulo ſeceſſit in ſolitudinem ad fluvium Oltum *, in loco Subtus-roca vocato, ubi ſolitarii in diviſis cellulis habitabant. Verum a patre Gundeberto, qui ipſum nuptiis alligare peroptabat, inventus ac domum reductus, ſponſalia cum filia Beraldi contrahere cogitur. Septimo poſt die Viennam fugit cum Magnentio peregrino, & epiſcopum adit. Repulſam paſſus, angeli juſſu abit ad cellulam ſancti Johannis ſeu ad Limonicum monaſterium, cui tum præerat Samſon abbas ſub ditione Flotharii ſeu Chlotharii regis. Samſon Maximum & Magnentium benigne ſuſcepit, totondit, adſcripſitque numero monachorum. Maximus brevi tempore ob virtutes & ſigna, quæ patrabat, in notitiam & exiſtimationem venit epiſcopi Viennenſis, qui, quem antea ſpreverat, ſacerdotio dignum judicavit. Epiſcopum hunc prædictus auctor ſanctum Paſchaſium vocat, cujus loco Domnolum Carolus Cointius ſubſtituendum putat, propterea quod Paſchaſius ſub ethnicis imperatoribus vixit. An forte alter cognominis vixit Chlothario regnante? Samſoni abbati mortuo ſuffectus Maximus, ab Eldeboldo Chlotharii regis curſore objurgatur, quod abſque illius conſenſu monaſterii regimen ſuſcepiſſet. Citatur ab eo non ſemel, ut facti ſui rationem reddat. Maximo venire negante, Eldeboldus accenſus furore venit ad monaſterium, & baculo ſanctum abbatem ferire parat: vibranti continuo arefacta manus, & oculi excæcati dicuntur. At nihilo cautior Gundramnus, Eldeboldi famulus, lancea confodit Maximum ipſis kalendis Januariis, qui poſtridie exſpiravit, præſentibus epiſcopis, Paſchaſio Viennenſi, & Auguſtino Arvernenſi. Eorum loco reſtituit Cointius Syndulfum & Cæſarium, qui anno ſexcenteſimo viceſimo-quinto, quo anno Maximi cædem refert, concilio Remenſi ſubſcripſerunt. In prædictis actis ſanctus Maximus paſſus dicitur *in anno duodecimo ſub Chlothario rege*; ſepultuſque in baſilica ſancti Johannis *ſuper Limonica fluenta*. Cointius id de Chlothario ſecundo interpretatur: ego vero potius de Chlothario tertio: ſiquidem Maximus natus dicitur *anno octavo ſub Brunechilde regina*; litteris informatus ſub Deſiderio Cadur-

a Greg. Tur. lib. 2 de glor. mart. c. 2.

b V. lib. 1. num. 76. & 77.

* S. Chef.

c Bolland. die 2. Januar.

* le Lot.

ANN. CHR. 643.

corum antiſtite, qui nonniſi poſt mortem Chlotharii ſecundi ad epiſcopatum promotus fuit. Magnentius ei ſucceſſit in regimine prædicti monaſterii, & ipſe poſtea martyrio affectus.

XXIII. Clari abbatis geſta.

Clarus Vienna ortus, ſubinde cum pia matre loca ſancta urbis frequentabat. Cum aliquando e cœnobio ſancti Ferreoli martyris, quod trans Rhodanum ſitum erat, navicula in urbem reveheretur; gravi ſuborta ventorum tempeſtate, extenſis ad baſilicam, ubi ſancti martyris oſſa tum quieſcebant, manibus, ejus auxilium cum lacrymis imploravit. moxque ex imminenti periculo ereptus in portum appulit. Adhuc puer monaſterio ſancti Ferreoli traditur a pia matre, quæ & ipſa in ſanctæ Blandinæ cœnobium ſe recluſit. Ille vero brevi tantum profecit, ut dignus habitus ſit, cui & ſacerdotium conferretur, & ſanctæ Blandinæ monaſterium viduarum dirigendum crederetur. Paullo poſt abbas factus apud ſanctum Marcellum, virtutibus & religione, quam nomine clarior, curam ſibi impoſitam, divina gratia ſuffragante, ſtrenue adminiſtravit. Tantis virtutibus non defuere miracula. Matri monaſterii, letali febre decumbenti, ſolo dexteræ tactu & oratione ſtatim ſanitas reſtituta. Ad hæc frater quidam olei perunctione, & miſellus ulceribus totus ſcatens, aquæ Rhodani lotione ſanati. Adde vineæ grandinatæ ubertatem precibus redditam; monachum, qui inter piſcandum in Rhodanum lapſus fuerat, ſigno crucis e naufragio ereptum; dæmonis ſpreta terriculamenta, Claro minitantis, cum is orationis cauſa nocte perluſtraret caſtrum, in quo monaſterium ſanctæ Blandinæ poſitum erat. Hæc ſub Caldeoldo epiſcopo contigere, quo tempore *in domo majori* ſanctorum martyrum Mauricii, ejuſque ſociorum clerici communem vitam agebant, & *turmis diſpoſitis* divina officia celebrabant: cum apud ſanctum Severum cœtus quoque clericorum venerabilis eſſet. Tanta clericorum & monachorum religio & pietas merito obtinuit, ut Vienna Allobrogum ſancta diceretur, nec minus virtutum fama, quam dignitate ſedis illuſtris haberetur.

ANN. CHR. 644.

XXIV. Sulpicii epiſcopi Bituric. obitus.

Annus inſequens duo præclara eccleſiæ lumina terris abſtulit, Sulpicium Bituricenſem, & Paulinum Roffenſem epiſcopos. Sulpicius ſenio prægravatus, cum ſe functionibus epiſcopalibus obeundis imparem ſentiret, Wlſelentum ſeu Wlfolendum, claris in ea regione natalibus ortum, atque idoneis inſtructum dotibus, in conſortium laboris adſcivit, eique divini verbi miniſterium commiſit. Tum ille piis operibus totum ſe dedere, aſſiduis vacare precibus, nil niſi cæleſtia ſpirare. In his ſacris mentis agitationibus vir ſanctus extremos vitæ dies abſolvit, obiitque XVI. kalendas Februarii, magno ſui deſiderio Bituricenſibus maxime relicto, mox ſanctorum cultu honoratus, teſtante in primis Audoëno in libro ſecundo [a] de vita ſancti Eligii Noviomenſis epiſcopi, qui, quoties urbem Lemovicas, patriam ſuam, reviſebat, Bituricis *ad baſilicam beati Sulpicii properabat, & ad memoriam Sulpicii confeſſoris adorare* conſueverat. Sic Audoënus loquitur, ſic in dialogo primo Sulpicii Severi Poſtumianus, cui Carthaginem profecto, *ad ſepulcrum Cypriani martyris adorare* libuit, id eſt orare. Poſt hæc multæ ſancto Sulpicio erectæ baſilicæ & eccleſiæ, & una quidem in Africa paullo poſt ejus obitum; idemque ſacris faſtis adſcriptus apud Uſuardum & Adonem, apud quem, coma depoſita, monachorum pater exſtitiſſe dicitur, antequam ad epiſcopalem cathedram proveheretur. Idem Eligius cum aliquando ex Sollemniacenſi monaſterio rediens, Bituricas adveniſſet, quemdam [b] illic incluſum, magnæ apud Bituricenſes famæ & opinionis, Ebregiſilum nomine, videre cupiit. Ille vero tam rigide, atque, ut Audoëno viſum eſt, *indiſcrete* inſtitutum ſuum ſervavit, ut nec faciem quidem ſuam Eligio ſpectandam exhibere voluerit: ſed ei tantum per feneſtram, & ipſam vitro obductam, uti ceteris conſueverat, reſponſum reddidit. Diſceſſurus ab eo Eligius, eique vale dicens: Hic te, frater, modo, « inquit, videre non potui; at cito procul dubio viſurus ſum palam in aula regis Cli- « piaco. Eidem vero id numquam futurum aſſerenti Eligius id certo eventurum iterato affirmavit. quod paullo poſt accidit, Ebregiſilo cellulæ ſuæ clauſtris egredi coacto ob quaſdam cauſas neceſſarias, quæ eum regis palatium adire compulerunt: ubi ab Eligio honorifice ſuſceptus, atque inter amica colloquia per jocum ob negatum olim ſui conſpectum increpitus eſt. Is eſt Ebregiſilus ſolitarius ceteris præſtantior, in libro tertio de vita Sulpicii laudatus, quem ſanctus antiſtes ad Dagobertum miſit exorandum, ut tributum Bituricenſibus impoſitum relaxaret. Et hæc for-

Ebregiſilus recluſus.

a Audoën. lib. 2. c. 14.

b Ibid. c. 29.

ANN. CHR. 644.

taſſis fuit adeundi palatii occaſio, quam Eligius eidem ſolitario prædixit. Mihi vero venit hoc loco in mentem præclarum, & numquam ſatis laudandum factum piiſſimæ illius virginis recluſæ, quæ ſancti Martini Turonum epiſcopi colloquium & conſpectum modeſte recuſavit. ubi ſuccurrit pia Sulpicii Severi obſervatio & exclamatio, Ebregiſili facto non immerito aptanda. » O virginem glorioſam, quæ ne a Martino quidem paſſa eſt ſe videri! ô Martinum beatum, qui illam repulſam non ad » contumeliam ſuam duxit! Audiant ergo virgines, (addam & monachi) hoc exem- » plum: ut fores ſuas, ſi eas mali obſidere voluerint, etiam bonis claudant; & ne ad » ſe improbis ſit liber acceſſus, non vereantur excludere etiam ſacerdotes. Libros quatuor de geſtis ſancti Sulpicii, cognomento Pii, primus ſcripſit anonymus, ejus cœnobii monachus fere æqualis, teſtatus, ſe a patre monaſterii, *qui hodie*, inquit, *ſupereſt*, accepiſſe miraculum redditi luminis cuidam ſeneci levitæ e monaſteriolo, quod Sorbarius dicitur. Domio tum erat pater Navenſis monaſterii, cujus regimen, mortuo Sulpicio, ſuſcepit. Sepultus eſt Sulpicius in ejuſdem monaſterii baſilica, quam ipſe magnis impenſis conſtruxerat: ubi, cum ejus ſepulcrum rutilante bractea, variiſque marmorum ſegmentis ornarent artifices, inter marmorea fragmenta offenderunt aureum numiſma, (pondus erat medii ſicli,) in quo Cæſaris antiquiſſimi expreſſa manebat figura. Ut cetera paucis abſolvam, Sulpicius complures eccleſias, monaſteria, cellas conſtruxiſſe memoratur, *innumerabilium clericorum pater & monachorum effectus*: quorum alii extra urbem in hortulis vel agellis degebant, alii communem vitam more apoſtolorum ducebant, cunctis facultatibus vel in communes uſus, vel in pauperes erogatis; omnes lectioni, orationi, ac jejunio dediti: ex quibus nonnulli a cibo aliquando per triduum penitus abſtinebant. Ex multis ejus miraculis duo tantum commemoro: unum patratum erga Conſortiam, genere clariſſimam, uxorem Eſonis viri illuſtris, Maſſilienſis Provinciæ quondam rectoris, beato Sulpicio ob probitatem morum cariſſimam, quæ olei ab ipſo benedicti contactu gravi morbo penitus liberata eſt. Alterum eſt de Legontio clerico matris eccleſiæ, qui cum ad nocturnas vigilias pergeret, humani generis hoſtem offendiſſe dicitur, multiſque plagis cæſus fuiſſe, ſemivivus relictus & pæne exanimis: quem vir Dei poſt triduum (nam tunc abſens erat) *ſacrificio*, id eſt corpore Chriſti, in os ejus infuſo repente incolumem reddidit. Navenſem baſilicam, cum impar eſſet continendis peregrinis undequaque confluentibus, amplificavit Domio abbas, idemque ſancti Sulpicii tumulum exornavit. Ejus ſucceſſorum nomina ignoramus, uſque ad Ebrardum, qui Navenſe monaſterium adminiſtrabat regnante Carolo Magno.

XXV. Paulini Roffenſis epiſcopi mors.

Hoc anno Paulinus, primum Eboracenſis, poſtmodum Roffenſis antiſtes, ad Dominum migravit [a] VI. idus Octobris, poſtquam novemdecim annos & menſes ferme tres epiſcopus fuiſſet. Sepultus eſt in ſecretario baſilicæ ſancti Andreæ, quam rex Ethelbertus in urbe Roffenſi conſtruxerat. Vir fuit proceræ ſtaturæ, paullulum incurvus, nigro capillo, facie macilenta, naſo adunco & gracili, venerabilis ſimul & terribilis adſpectu. Hanc ejus effigiem venerabilis Beda [b] didicerat a quodam preſbytero & abbate monaſterii Peartanenſis, nomine Deda, qui eam ab uno ſeniorum, baptizato ab ipſo Paulino in fluvio Trenta, ſe reſciviſſe teſtabatur. In ejus locum Honorius Cantuarienſis archiepiſcopus ordinavit Ithamarum ex gente Cantuariorum.

a *Beda lib.* 3. *c.* 14.

b *Id. lib.* 2. *c.* 16.

XXVI. Furſeus Latiniacenſe monaſterium condit.

Eodem tempore Furſeus Romam cogitans, non prius ex Saxonia diſcedendi facultatem a Sigeberchto rege obtinuit, quam promiſſo dato, ſe, voto ad ſepulcrum apoſtolorum perſoluto, iſtuc reverſurum. Tranſmiſſus in Galliam, in pago Pontivo Haimonis ducis filium exſtinctum in villa Majoco precibus excitavit. tum Haimoni ſe retinere volenti mortis ſuæ apud eum eventuræ indicia dat. Romam pergentem Chlodoveus Francorum rex & Erchinoaldus præfectus palatii ab itinere virum ſanctum revocarunt. In caſtro Perronæ ad Suminam fluvium ab Erchinoaldo exceptus, filium ejus ſacro fonte abluit, ſolvitque captivos. tum Erchinoaldus tribus domeſticis ſuis mandavit, ut Furſeum per poſſeſſiones ſuas circumducerent, optione eidem data, ut, quam ex omnibus opportuniſſimam, & monaſtico inſtituto convenientiſſimam judicaſſet, in ea ſedem ſuam figeret. At ille Latiniacum * præ ceteris delegit, in pago Briegio poſitum ad ripam fluminis Matronæ, ſex leucis ſupra Luteciam-Pariſiorum. Locum facile conceſſit Erchinoaldus, impenſaſque condendo monaſterio, Chlodovco rege opitulante, ſuppeditavit. Ibi conſtructæ baſilicæ tres: una in ho-

* *Lagny.*

norem Salvatoris : altera ſub patrocinio beati Petri apoſtolorum principis : tertia, quæ poſtmodum ſancti Furſei dicta eſt, multis olim miraculis illuſtrata. Prima & tertia modo parœciales ſunt, media monachorum, qui noſtris diebus priſtinum Latiniacenſi monaſterio decus reſtituere conati ſunt. Latiniacum, haud ignobile opidum diœceſis Pariſienſis ad Matronam, diſtinguendum eſt ab alio Latiniaco pagi itidem Briegii, ſed diœceſis Meldenſis, quem locum Dagobertus monaſterio ſancti Dionyſii conceſſit, Latiniacum-ſiccum * vulgo appellatum, ob ſoli ariditatem, cum alterum Latiniacum & flumine Matrona irriguum ſit, ac fonte copioſo & ſalubri, quem Furſeus baculo humi defixo ſcaturire fecit. His auditis, tranſmarini ejus cognati & amici ad ipſum acceſſerunt ſimul cum Emmiano, qui ei poſtea in Latiniacenſis monaſterii regimine ſucceſſit. Interim digreſſus à Furſeo Erchinoaldus, Perronæ alium Furſeo locum parat in monte Cygnorum dicto, ſi forte illi eſſet præ Latiniaco acceptior.

* *Lagny le ſec.*

XXVII. S. Sergii monaſterium Andecavis.

Longe obſcurior eſt origo monaſterii ſanctorum Sergii & Bacchi apud Andecavos, quod Chlodoveo juniori regnante jam exſtitiſſe docet diploma Childeberti regis eo nomine tertii, beneficium quoddam confirmantis, quod bonæ memoriæ avus ipſius Chlodoveus, & genitor ſuus Theodericus eidem monaſterio conceſſerant. In hoc diplomate monaſterium in ſuburbio Andecavorum conſtructum dicitur in honore ſancti Sergii & domni Medardi epiſcopi. His patronis acceſſere ſæculo nono ſanctus Godebertus confeſſor, tum ſancta Gertrudis virgo, ac demum ſanctus Briocus epiſcopus : nunc ſoli audiunt ejus loci patroni ſancti martyres Sergius & Bacchus. In hoc monaſterio novi Andecavorum antiſtites, pridie quam conſecrentur, pernoctare jam dudum ſoliti erant, precibus vacaturi : quem ritum Guillelmus, Major cognominatus, prout eum ſæculo tertio-decimo exſecutus eſt more majorum, litteris mandavit ª, poſtera die in monaſterio ſancti Albini conſecratus.

ª *Spicil. to. 10. p. 108*

XXVIII. Niulfus abbas S. Albini.

Huic ſancti Albini monaſterio præerat his diebus Niulfus abbas, illudque *ſecundum normam ſacræ religionis* regere ſatagebat. Accidit ut gravi podagræ dolore adeo torqueretur, ut etiam omni manuum deſtitutus eſſet officio. Ad eum accedens Magnobodus epiſcopus, eulogias a ſe benedictas præbet. Sumit æger, & confeſtim convaleſcit; multiſque deinde annis prædictum cœnobium rexit, ſerviens Domino cum devotione, uti in libro de vita ſancti Magnobodi legitur apud Bollandum. Hæc innuere videntur, Niulfum uſque ad obitum abbatem perſeveraſſe. Hinc legitima oritur dubitandi ratio, an is ſit Niulfus epiſcopus, qui Magnobodo in regimine Andecavenſis eccleſiæ ſucceſſiſſe reperitur in pervetuſtis indicibus, qualis occurrit in codice Vindocinenſis monaſterii, ſcripto ab annis ferme ſexcentis : quo in codice Andecavenſes hujus ſæculi epiſcopi hoc ordine recenſentur, Licinius, Chaidulfus, Magnobodus, Niulfus, Lupus, Aglibertus, Godobertus. Non ergo expungendus ex illo indice Niulfus, ut Carolo Cointio viſum eſt, nullo, aut certe leviori fundamento.

Magnobodi epiſcopi vitæ compendium.

Magnobodi Andecavorum epiſcopi res geſtas ſcripſere anonymus perantiquus, & Marbodus ejuſdem ſedis antiſtes. Natus in pago Andecavenſi, a S. Licinio epiſcopo tonſura clericali inſignitur. Dein ob egregios vitæ mores ab eodem præficitur ſacræ congregationi cœnobii Colonetenſis. quod Grandinus apud Bollandum eo in loco ſtetiſſe ſuſpicatur, ubi nunc Chalonnæ præfectura, vetuſque caſtellum ad Ligerim fluvium, quatuor infra urbem Andecavorum leucis, via Namnetenſi, ad menſam epiſcopi Andecavenſis modo ſpectans. Cum Licinius in ſuburbio prædictæ civitatis baſilicam S. Johannis Baptiſtæ a ſe conſtructam dedicare vellet, Magnobodum Romam ad petendas a ſummo pontifice reliquias direxit. Licinio demum ſucceſſit Magnobodus cum conſenſu Dagoberti regis, idemque baſilicam in honorem ſancti Saturnini primi Toloſani antiſtitis, & omnium martyrum, aliorumque ſanctorum, cum monaſterio exſtruxit magno apparatu, ibidemque religioſos viros *ſub ſancto propoſito* congregavit. Nunc collegiata eſt eccleſia, quæ ab ejus tumulo & reliquiis appellationem ſancti Magnobodi * accepit.

* *S. Mainbeuf.*

XXIX. Cabilonenſis concilii decreta pro monaſteriis.

Hoc anno conſignatur Cabilonenſe concilium, juſſu Chlodovei regis convocatum in majori eccleſia ſancti Vincentii : ubi conditi ſunt canones viginti, addita epiſtola ad Theodoſium epiſcopum Arelatenſem, quem patres ab epiſcopali munere ſuſpendunt. In his canonibus quatuor ſunt ad monaſteria pertinentes : ſeptimus, ut defuncto abbate nihil ab epiſcopo vel a quoquam de rebus monaſterii auferatur, aut

AN. CHR. 644.

» minuatur. quod ſancitum fuit contra eos, qui res monaſterii mortuo abbate, quod
etiam non raro poſt mortem epiſcoporum ficbat, diripiebant. Tertius-decimus
prohibet judices publicos ad tribunalia ſua compellere monachos vel abbates, eoſ-
» que arcet aditu monaſterii, niſi ab ejus abbate iſtuc invitentur. Duodecimus, ut
» duo abbates in eodem monaſterio non ſint, ne ſub obtentu poteſtatis ſimultas inter
» monachos, & ſcandala generentur. niſi ſi abbas ſibi ſucceſſorem elegerit: ſed eo
» pacto, ut electus nullam in res monaſterii exerceat poteſtatem. Hoc temperamento
uſi ſunt primi abbates Cluniacenſis monaſterii, deſignando ſucceſſorem, ut ſcilicet
hoc modo extraneis abbatibus aditus præcluderetur. Canon quintus-decimus cavet,
» ut abbates & monachi, aut agentes monaſteriorum patrocinio ſæculari penitus non
» utantur, nec ad principis præſentiam ſine epiſcopi ſui permiſſu pergant: ſecus fa-
» cientibus diras interminatur. Hujus canonis condendi occaſio mihi videtur ex eo

Advocati monaſteriorum.

nata fuiſſe, quod eo tempore expeti & inſtitui a regibus cœperint monaſteriorum
advocati ſeu defenſores, ut eorum auctoritate, quorumvis hominum monaſticis re-
bus inhiantium cupiditas reprimeretur. Quippe Chlotharius tertius, Chlodovei ju-
nioris filius, inluſtrem virum Gengulfum Beſuenſibus monachis advocatum conceſ-
» ſit anno decimo regni ſui: nempe ut omnes cauſas ipſius monaſterii proſequeretur,
» & ablata reſtitueret. Non placuit nova hæc inſtitutio epiſcopis, qui hoc pacto ſuam
in monaſteria poteſtatem imminutum iri perſuaſum habebant. Perſeveravit nihilo
minus hæc advocatorum inſtitutio, eoſque Carolus Magnus confirmavit in capitu-
» lis eccleſiaſticis anni octingenteſimi primi, ſtatuens, ut ipſi boni & recti eſſent, &
» recte ac juſte cauſas proſequerentur. Hanc provinciam ſuſcepere plerique monaſte-
riorum conditores, ipſorumque poſteri, ſi quidem ſatis virium & poteſtatis habe-
rent: ſin minus, optimates a monachis electi, & approbati a rege. Hinc Albertus
» Bremenſis antiſtes, cum Gozecenſe monaſterium erexiſſet, decernit, ut e ſtirpe ſua
» laïcus, qui ceteris ætate provectior fuerit, advocatus ibidem conſtituatur: ſi vero
» talis defecerit, quemcumque abbas cum conſilio fratrum ad loci defenſionem ex-
» petierit, hunc archiepiſcopus Bremenſis conſtituat advocatum. Monaſterium ſancti
Galli, propterea quod non ex regalibus donariis, ſed ex privatorum largitionibus
accreverat, cum neminem ſui defenſorem vel advocatum reperire potuiſſet, Ludo-
vicus auguſtus tuendum ac defendendum ſuſcepit. Ne vero advocati monaſteriis
operam ac tutelam ſuam gratuito præſtare viderentur, ſtipendium eis aſſignatum eſt
ac merces annua ex reditibus monaſteriorum conſtituta, modo ut non tantum lites
omnes proſequerentur, ſed etiam duella in dubiis cauſis, ubi neceſſe eſſet, ſuſcipe-
rent; juramenta præſtarent, (neutrum enim monachis licebat) & ad caſtra per-
gerent cum militibus & ſubditis monaſteriorum, quæ regi militiam debebant. Sti-
pendium illud erat vel certum prædium advocatis aſſignatum, vel annuus cenſus.
Officium iſtud dignitas evaſit, quæ una cum ſtipendio tranſibat ad heredes. Advo-
catis adjuncti etiam ſubadvocati, quibus ſua itidem merces conſtabat. Eorum offi-
cium erat res monaſteriorum curare vice advocatorum. Plures ejuſmodi ſubadvo-
catos aliquando creabant ſinguli advocati in magnum gravamen monaſteriorum.
Hinc Otto Magnus in litteris, quibus Lanbertum comitem Lovanienſem creat ad-
vocatum cœnobii Gemmelacenſis, præcipit, ut comes unicum habeat ſubadvoca-
tum, qui nihil juris habeat, niſi per ſingulos annos de unaquaque domo percipere
denarium unum, gallinam unam, unum avenæ ſextarium. Tempore procedente,
qui monaſteriorum defenſores eſſe debuerant, eorum deprædatores ac direptores
facti ſunt; nec ſine gravi damno ac labore id genus officii pretio redemtum eſt a
monachis, penituſque extinctum. quod ſæculo quarto-decimo accidit. Hæc fuſius
tractata leges in fine præfationis primæ ad Sæculum tertium Benedictinum.

XXX. Abbates epiſcoporum vicarii in concilio.

Concilio Cabilonenſi præter epiſcopos undequadraginta ſubſcripſerunt abbates
quinque ab epiſcopis ſuis directi, nempe Betto abbas miſſus a Latino metropolitano
Turonenſi, Chagnoaldus abbas miſſus ab Hadoindo ſeu Chadolndo epiſcopo Ce-
nomannenſi, Bertulfus abbas ſancti Melanii miſſus a Duriotero Redonenſi, Ger-
moaldus abbas miſſus ab Audoberto Pariſienſi, & Paternus abbas vice Felicis Le-
movicenſis. Incertum eſt cujus monaſterii abbates illi fuerint præter Bertulfum, qui
abbas erat cœnobii ſancti Melanii Redonenſis.

S. Melanii abbas Bertulfus.

Nullam ejus monaſterii antiquiorem hac notitiam habemus, cujus conditionem
referunt ad Durioterum epiſcopum, cujus vice Bertulfus, primus, ut creditur, ejus

ANN. CHR. 644.

loci abbas, Cabilonenſi concilio ſubſcripſit. Exſtructum eſt in ipſo loco ſuburbano, ubi corpus ſancti Melanii illius urbis epiſcopi ſepultum fuerat. Mortuus eſt regnante Childeberto ſeniore Melanius in Placio monaſterio, ubi ipſe baſilicam conſtruxerat, & monachos ad cultum Deo exhibendum congregaverat. Funus ejus curaverunt ſancti pontifices Albinus Andecavenſis, Victor Cenomannicus, Launus Conſtantienſis, & Marſus Namnetenſis, qui corpus ejus ad ſuburbium Redonenſe deferri, ibidemque humari curarunt. Super ejus ſepulcrum chriſtiani miram celſitudine fabricam ſeu mauſoleum erexerunt, teſte Gregorio [a] Turonenſi antiſtite. Quoddam oratorii genus id fuiſſe ex eodem auctore intelligimus, ſiquidem vela ex parietibus & oſtiis pendebant. Palla linea ſacrum tegebat ſepulcrum, tignis, trabibus ac tegulis tectum. Poſt incendium, quod illic accidit, ingrediuntur populi cum ejulatu magno, & uſque ad ſepulcrum antiſtitis properant. Hæc omnia oratorium ſatis deſignant, vel etiam baſilicam: an autem monaſterium, monachive ab eo tempore ibidem exſtiterint, magna dubitandi ratio eſt. De Bertulfi abbatis ſucceſſoribus nihil certi dicendum occurrit uſque ad Stephanum, qui medio octavo ſæculo tranſlatus eſt ad epiſcopales infulas Redonenſes. Poſt id tempus vaſtatum eſt monaſterium a Normannis, ac fere in ſolitudinem redactum uſque ad principatum Philippi regis, quo tempore a Gaufrido Barbato Redonenſium comite inſtauratum eſt.

[a] *Greg. Tur. de gl. conf. c. 55.*

Placium monaſterium.

De Placio monaſterio id tantum diſcimus ex libello de ſancti Melanii vita, cum locum ſitum fuiſſe triginta fere paſſuum millibus ab urbe Redonum, & quidem haud procul a Vicenonia * fluvio: ſiquidem poſt mortem ſancti pontificis ſacrum ejus corpus, reperta navi in alveo prædicti amnis, adverſo flumine ab eo loco Redonas tranſlatum eſt. Albertus de Monte-relaxo cenſet eſſe vicum, *Brain* vulgo appellatum, in diœceſi Venetenſi; Robinius *Ploermel*. Noſtri putant eſſe vicum *Blain*, ad Vicenoniam tribus leucis ſupra Rothonum * ſitum, qui juris eſt monaſterii ſancti Melanii.

* *la Vilain.*

* *Rhedon.*

ANN. CHR. 645.

XXXI. S. Richarii abbatis mors in Foreſti-cella.

ANNO inſequenti obitum ſancti Richarii preſbyteri & abbatis Centulenſis collocandum exiſtimamus. Aliquot ante mortem annis, ſæculi tumultum & honores fugiens, eremum expetierat, ut liberius ſoli Deo vacaret, & contemplativos deberet fructus, qui diutius in actuoſa vita ſe ſe exercitaverat. Itaque cum Centulenſis monaſterii regimen Ocioaldo commiſiſſet, cum unico ſocio & commilitone, nomine Sigobardo, ſeceſſit in ſilvam Criſciacenſem *, ubi Giſlemarus vir inluſter piuſque, ac Maurontus, vir itidem nobilis & regiarum ſilvarum præfectus, locum ei ad conſtruendam cellam tradiderunt. Maurontus in eodem loco veſtes ſæculares monaſticis mutavit, alius haud dubie a Mauronto filio ſanctæ Rictrudis, Broilenſis monaſterii auctore & abbate, quem idem Richarius olim baptizaverat. Foreſtem-cellam veteres appellarunt, recentiores Foreſtenſe-monaſterium *, Richarii seceſſu nobilitatum. Eo in loco vir ſanctus tanta rigiditate corpus jam maceratum attrivit, tantaque jejuniorum & vigiliarum aſſiduitate, vix ut oſſa arentia diſſipatis juncturis inter ſe ſe cohærerent, & trementia baculo regente veſtigia nonniſi ægre moveret. Hinc vili recluſus tugurio, mente jam mundo ſuperior, ſola cæleſtia cogitabat. Non continuit ſe ſe intra eremi ſecreta tanti luminis ſplendor, quin radiis circumquaque effuſis, cunctos variis infirmitatibus detentos invitavit, quos ſanctarum medicinis orationum ſanabat omnes. Mortis imminentis præſcius, Sigobardo commilitoni ſuo præcepit, ut vaſculum condendo corpori ſuo præpararet, reſectis ſuperfluis ornamentis. Monitis pii patris obſequens Sigobardus, arborem ſecat, truncum findit cavatque, corpori patris coaptat, & loco deſignato componit. Interim virum ſanctum graviſſimus coquit morbus, & jam pæne ex maceratione ſemianimem ad extrema urget. Nihilo ſecus a divinæ laudis officio ceſſavit Richarius, qui, ubi *ſalutifero corporis & ſanguinis Chriſti viatico* iter ſuum muniiſſet, inter gratiarum actiones & verba orationis VI. kalendas Maii ſpiritum emiſit. Corpus ejus poſitum eſt in ſepulcro, & loco ſibi antea præparato. ſed non multo poſt, id eſt VII. idus Octobris inſequentis, fratres cum abbate Ocioaldo a Centulenſi monaſterio in Foreſtenſe convenerunt, atque inde ſacrum corpus in ſuam baſilicam tranſtulerunt: ubi eum miraculis claruiſſe teſtatur Alcuinus in libello, quem de ejus vita ex veteribus ſchedis compoſuit rogatu Angilberti abbatis, &

* *de Crecy.*

* *Foreſt-monſtier.*

ANN. CHR. 645. Carolo Magno dicavit. In fine libri Centulenſes monachos hortatur, ut Deum ſancti patris exemplo, perfecte ament, colantque; ſicque patronum laudent, ut eum » imitari ſtudeant. Magis quippe illi placet, inquit, imitator devotus, quam lauda» tor otioſus. Alcuini librum interpolavit quidam anonymus, qui multas ineptias de Richarii genere, aliiſque rebus inſerſit. Falluntur qui Paſchaſium Radbertum de geſtis ſancti Richarii ſcripſiſſe exiſtimant. Hæc metro cecinit ineunte ſæculo undecimo Angelrannus ſeu Ingelrannus abbas Centulenſis, qui libros de ejus miraculis duos itidem verſibus reddidit. Tantæ dignitatis, tantique ſplendoris Centulenſe monaſterium evaſit ſub ſancto Angilberto abbate, ut Galliæ monaſteria fere omnia obſcuraverit. Richarii preſbyteri & confeſſoris meminere Uſuardus, aliique martyrologiorum auctores, abbatis nomine, ut tunc moris erat, ob ſacerdotii præſtantiam ſuppreſſo. Notkerus epiſcopum vocat, nimirum ob prædicationem evangelii, quæ cenſetur inter epiſcopales functiones. Ob eamdem cauſam ſanctus Furſeus abbas Latiniacenſis, Gregorius Trajectenſis, aliique nonnulli a poſteris epiſcopi dicti, ac crediti ſunt, qui tamen numquam epiſcopali dignitate præditi fuere. » In hymno, quem Alcuinus de beato Richario compoſuit, laudatur abbas ſanctus, » quod ſtruxerit cœnobium loco prope Argubium, nempe Foreſtem-cellam; & aliud in Centulo. Argubium eo loco ſteriſſe videtur, ubi nunc vicus Argonna cernitur
* la Quance. prope Quantiam fluvium, Foreſti-cellæ hactenus ſubjectus. In Foreſti-cella quondam erant eccleſiæ tres, prima ſanctæ Mariæ, ſecunda ſancti Petri, tertia ſancti Richarii, cum altaribus auro argentoque ornatis. Ibi degebant ſæculo nono canonici ſub diſciplina Centulenſis abbatis. Locus poſtliminio rediit ad monachos, qui Centulenſium jugum proceſſu temporis excuſſerunt.

ANN. CHR. 646. XXXII. S. Galli obitus. IN annum ſequentem ſancti Galli obitum rejecimus, quem Walafridus Strabo, ejus vitæ ſcriptor, non multo poſt Euſtaſium abbatem Luxovienſem deceſſiſſe tradit. Verum huic calculo multa obſtant, in primis ſancti Galli ætas nonaginta-quinque annorum, quam ei Walafridus tribuit. Quis enim ſibi perſuadeat, Luxovienſibus veniſſe in mentem, ut mortuo Euſtaſio tam annoſum & decrepitum ſenem ſubrogandum cenſuerint? Deinde qui fieri potuit, ut homo tam grandævus intra decem ultimos vitæ ſuæ annos tot labores apoſtolicos exantlaverit, quot Gallum in Rætia Curienſi, aliiſque finitimis pagis pertuliſſe Walafridus auctor eſt? ut omittam, quod Talto, vir illuſtris, Dagoberti regis camerarius, Gallum adhuc viventem coluiſſe dicitur apud Ratpertum. Hæc omnia exigere videntur, ut ſancti Galli obitum ſerius differamus: tametſi certus ejus annus definiri non poſſit. Exploratior eſt ejus obitus dies XVII. kalendas Novembris: quem diem aſſignant Walafridus Strabo & Wandelbertus; adeoque Uſuardus & Ado, qui ejus memoriam X. kalendas Martii referunt, de die ejus elevationis ſunt interpretandi. Sacrum ejus corpus ſepultum eſt in oratorio, quod ipſe conſtruxerat. Poſt venerandi patris
Monaſterii ejus ſtatus ad S. Othmarum. obitum a Dagoberti regis tempore ad Carolum Martellum, quotidianas ad ejus tumulum excubias egerunt *quidam religioſi clerici*, inquit Walafridus, *vel diſcipulatus ejus memoria, vel divino amore ſuccenſi.* quibus verbis ſatis innuit, eos mundo nuntium remiſiſſe, ac proinde monachos exſtitiſſe. Non magna tamen loci frequentia & celebritas fuit uſque ad ſanctum Othmarum, qui ſancti Galli cella (ſic appellabant) a Victore Curienſi comite impetrata, ampliſſimum ibidem monaſterium excitavit, eidemque abbatis titulo præfuit. Monaſterium tamen ſancti Galli appel-
a Goldaſt. rer. Alaman. to. 3. p. 48. latum invenio [a] paullo ante Othmarum in veteri donationis inſtrumento cujuſdam Aloini *ad honorem ſancti Gallonis & ſancti Deſiderii.* quod *actum in monaſterio ſancti Gallonis, Theodorico rege.* quod de Theoderico tertio Vadianus interpretatur. Cellæ rector vulgo cuſtos & paſtor appellatus, probante charta Gotfridi Alamanniæ ducis, a quo *Magulfus presbyter & paſtor ſancti Galluni* quædam impetrat *ad luminaria ſancti Galluni eccleſiæ.* Sic varie flectebant veteres illi nomen ſancti Galli, qui & Gallo, interdum Gilianus in vetuſtis inſtrumentis appellatur.

XXXIII. Magnus & Theodorus S. Galli diſcipuli. Galli diſcipulis in primis accenſendi ſunt Magnus & Theodorus, qui mortuo magiſtro in locum, Campidonam dictum, ambo receſſiſſe dicuntur; Magnus vero relicto illic Theodoro, ad fauces alpium Juliarum acceſſiſſe, ubi Faucenſe monaſterium ſtruxerit. Sancti Magni acta circumferuntur ſub nomine Theodori, quæ pleroſque hactenus ſub larvata perſona deceperunt, conficta haud dubie a quodam impoſtore

ANN. CHR. 646.

impoſtore, qui Magnum appellat Magnoaldum, ut Chagnoaldi ſancti Columbani diſcipuli facta perſonato ſuo Magnoaldo affingat. Non immoror fabulis illius impoſtoris obſervandis, quas in actis Sanctorum noſtrorum manifeſte detexi. Nihil itaque certi ſive de Magno, ſive de Theodoro nobis ſuccurrit, niſi quod eos non Columbani, ſed Galli diſcipulos, non Scotto-Hibernos, ſed Alamannos fuiſſe conſtat ex Walafrido Strabone, qui eos Willimari preſbyteri clericos exſtitiſſe ait, antequam in ſancti Galli diſciplinam cooptarentur. Eſto vero Theodorus oratorium beatæ Virginis Campidonæ ad Hilaram fluvium; & Magnus Fauceſe monaſterium condiderit: at ſerius Campidonenſe conſtructum eſt ab Audochario, qui primus Campidonenſis cœnobii fundator & abbas ab Hermanno Contracto memoratur. Alterius ſententiæ ſive auctor, ſeu approbator Ermanricus monachus Elewangenſis, ut hæc Magno & Theodoro tribuat, eorum vitam producere cogitur ad tempus Othmari ſancti Galli abbatis, qui annis centum ſancto Gallo ætate inferior fuit. Certe auctor eſt Walafridus Strabo, Magnum & Theodorum remanſiſſe in cellula ſancti Galli uſque ad cladem illam, quæ poſt annos a tranſitu ſancti Galli quadraginta eidem loco ab Otwino tyranno illata eſt. Quamquam nec Walafridum erroris immunem hoc loco eſſe viri docti exiſtimant. Sed vereor, ne tot errata congerendo, pro luce novas rebus jam obſcuriſſimis tenebras & ipſe afferam.

XXXIV. Concilii ſeptimi Toletani decreta.

Venio ad ſeptimum concilium Toletanum, hoc anno celebratum, quinto Chindaſuindi regis, xv. kalendas Novembris, cujus canone quarto monaſteriorum baſilicæ ab annua duorum ſolidorum penſione exemtæ, quotannis perſolvenda epiſcopis diœceſanis: quibus interdicitur, ne viſitanda diœceſi *quinquagenarium numerum evectionis*, id eſt equitaturæ, excedant. Canon quintus agit de recluſis, quorum alii ſanctioris propoſiti ſervantes, meritis & probitate ſe venerabiles exhibebant: alii ſola ignavia iſtuc impulſi, pium inſtitutum morum depravatione & ignorantia deturpabant. Et primos quidem laudant patres Toletani, eoſque Dei auxilio, ſuoque favore tutos eſſe jubent: alios vero ex eorum cellulis ejiciendos decernunt, atque ab epiſcopis ſive rectoribus monaſteriorum, ex quorum congregatione fuerant, vel in quorum vicinitate conſiſtebant, iiſdem monaſteriis deputandos: ut illic ſancti ordinis meditantes doctrinam, primum poſſint diſcere, quæ ſunt a patribus inſtituta, ut poſt valeant docere, quæ ſancta meditatione ab eis percepta fuerint. Deinceps autem nullos ad tam ſanctum propoſitum admittendos, niſi prius in monaſteriis conſtituti, & ſecundum ſanctas monaſteriorum regulas plenius eruditi, & dignitatem honeſtæ vitæ, & notitiam potuerint ſanctæ promereri doctrinæ. quod regulæ [a] ſancti Benedicti omnino conſentaneum eſt, edicentis, ut ad vitam eremiticam ſeu anachoreticam nullus prius admittatur, quam in monaſterio probatione diuturna exercitatus fuerit. Denique, addunt patres, vagos monachos, aut ſuis reſtituendos, ſi fas eſt, cœnobiis; aut, ſi difficile eſt, ſaltem ad honeſtatem ab epiſcopis compellendos. Hnic concilio ſubſcripſit inter alios vicarios Criſpinus abbas, agens vicem domini ſui Neufridi epiſcopi Oliſſiponenſis; primus omnium abbatum, cujus nomen in conciliis Hiſpanicis vulgatis inter epiſcopos, & quidem epiſcopi ſui vice ſubſcriptum occurrat. In hoc ipſo concilio Chindaſuindus Taioni Cæſarauguſtano epiſcopo curam demandaſſe fertur, ut Romam adiret ad recuperandos reſiduos Gregorii magni libros Moralium, quorum priorem dumtaxat partem beatus Leander Hiſpalenſis antiſtes ab auctore acceperat. Verum non videtur id factum in ipſo concilio, cui Taio non interfuit.

[a] S. Bened. reg. c. 1.

XXXV. Fructuoſi abbatis geſta & monaſteria.

Eodem anno rex Chindaſuindus una cum Reciberga regina Complutenſi ſanctorum Juſti & Paſtoris monaſterio, quod a Fructuoſo abbate recens conſtructum fuerat, privilegium conceſſit, inſcriptum Dominis ſanctis glorioſiſſimis, & poſt Deum fortiſſimis patronis ſanctis martyribus Juſto & Paſtori, ſive ſanctæ Mariæ & ſancto Martino epiſcopo, quorum baſilica vel monaſterium ſitum eſt juxta rivulum, qui dicitur Molina, ſub monte Irago, in confinio Vergidenſi, fundatum a Fructuoſo abbate, qui monaſticæ profeſſionis apud Hiſpanos ſæculo ſeptimo eximius propagator exſtitit. Is ex regio Gotthorum ſanguine, patre duce in Gallicia procreatus, adhuc puer vitæ monaſticæ propoſitum meditabatur. nam patre in Bergendenſi ſeu Vergendenſi agro ovium ſuarum greges perluſtrante, loca monaſterio apta notabat tenellus puer, nemini prodens, quod animo agitabat. Mox abjecto ſæculari habitu, tonſoque capite, ad Tonantium epiſcopum, Toletanum an Palen-

ANN. CHR. 646

tinum, (nam uter amborum fuerit, diſputant Hiſpanici ſcriptores) ſe contulit, ut ejus præceptis & diſciplina ad pietatis officia informaretur. Paullo poſt ætate confirmata, perfectioris vitæ ſtudio, abdicatis mundi illecebris, ampliſſimas patrimonii ſui opes eccleſiis ſanctis, libertis ſuis & egenis erogavit. Tum ſe abdidit in montes Aſturicenſes, ibique Complutenſe monaſterium, in loco a ſe olim deſignato exſtruxit, ſuiſque facultatibus impenſe dotavit. Monaſterium ſanctorum Juſti & Paſtoris ſanctus Eulogius [a] presbyter & martyr Cordubenſis vocat, ejuſque ſitum deſcribit in hunc modum. » Eſt in interiori montana Cordubenſi, loco qui dicitur » Fraga, inter clivoſa montium & condenſa ſilvarum, confini viculi Lejulenſis, qui » a Corduba diſtat quinque milliarios luſtros, id eſt paſſuum millibus viginti-quinque. ubi Cordubam Luſitaniæ montem interpretare, ab indigenis *Corvan* appellatum; non vero Cordubam civitatem, inde longiſſime diſparatam. Porro ideo dictum creditur monaſterium Complutenſe ſeu Compluticum, non a Compluto * urbe regni Caſtellæ, quæ a montibus Aſturicenſibus multum abeſt; ſed ob ſanctos martyres Complutenſes Juſtum & Paſtorem, quibus monaſterium nuncupatum erat. Quamquam Johannes Mariana ita dictum innuit, quod poſitum eſſet *ad Compluticam ſub monte Irago*, ubi etiam nunc ejus monaſterii veſtigia monſtrantur, nimirum conſequenti tempore monaſterio diſſipato. Vidit & invidit pium Fructuoſi opus, profuſaſque in illud opes ſororis ejus maritus, & coram rege proſtratus obtinuit, ut ejuſdem pars hereditatis a ſancto monaſterio auferretur, & ſibi ad neceſſarios ſumtus publicæ cujuſdam expeditionis aſſignaretur. quo comperto, vir ſanctus baſilicæ vela tulit, (ſic ferebat uſus temporum etiam penes viros pios) ſancta nudavit altaria, eaque ciliciis induit. Tum ſcriptis litteris ſororium ille ſuum dure increpavit, ſeque ad jejunia & preces totum convertit. Inter hæc boni operis æmulus interiit, ſicque contigit, ut qui oblationes ſanctorum auferre moliebatur, ipſe de hoc ſæculo liberorum expers diſcederet, & facultates ſuas alienis relinquens, ſolus culpæ & temeritatis ſuæ lueret pœnas. Id forte in cauſa fuit, cur rex Chindaſuindus, qui ejus cupiditati facilius dederat manus, repentino hominis interitu reſipiſcens, Complutenſi monaſterio multa bona contulerit. quod ejus diploma docet ab Antonio Yepeſio relatum, in quo ipſos montes, valleſque interjacentes monaſterio Compluto tribuit *in opus monachorum, anachoretarum, & eremitarum* ibi- » dem degentium; ſimulque offert vaſa altaris, calicem argenteum & patenam, » crucem argenteam deauratam, veſtimenta ſeu ornamenta altaris omnia ad plenum, » ſive frontalia, ſive principalia, & ſignum fuſile æneum bonæ modulationis. ad hæc » libros eccleſiaſticos, id eſt pſalterium, dialogorum, & paſſionum, ubi dialogorum nomine Gregorianos haud dubie intelligit, qui tum apud Hiſpanias noti erant; ut ex Hildefonſi libro de viris illuſtribus conſtat. Diplomati ſubſcribunt ex epiſcopis Eugenius Toletanus, Candidatus Aſtoricenſis, in cujus diœceſi Complutenſe monaſterium poſitum erat, is, cujus vice Paulus presbyter ſuperiori Toletano concilio ſubſcripſit; & Vaſconius Lucenſis, qui eidem itidem ſynodo interfuit. Deinde regiis litteris ſubſcribunt Paulus comes notariorum, Evancius comes ſcantiarum, Richila comes patrimoniorum, Ermenfredus comes ſpathariorum: quibus ſubjunguntur abbates quinque, Fugitivus, Anatholius, Euſicius, Hildefonſus, & Simpronius, qui omnes ſubſcripti reperiuntur octavo concilio Toletano. Antonii Yepeſii conjectura eſt, Fugitivum abbatem ipſum eſſe, qui poſtea creatus eſt epiſcopus Hiſpalenſis. Quibus vero monaſteriis abbates illi quinque præfuerint, divinare non licet, uno excepto Hildefonſo abbate, haud dubie Agalienſi, de quo paullo poſt agemus, poſtquam de duobus Eugeniis Toletanis epiſcopis nonnulla præmiſerimus.

Complutenſe.

[a] *Eulog. memor. ſanct. lib. 2. c. 11.*

* *Alcala de Henarez.*

XXXVI. Eugenii Toletani duo.

Duo exſtitere Toletanæ ſedis, unus poſt alterum, antiſtites Eugenii nomine, ambo ex monachis, ambo non minus pietate & doctrina, quam genere inſignes. Prior Juſto, ut diximus, in eam ſedem ſucceſſit, obiitque præſenti anno: cujus in locum electus eſt poſterior. Hic, cum regiæ [b] ſeu Toletanæ eccleſiæ clericus eſſet, monaſticum inſtitutum prætulit. Ejus rei cauſa Cæſaraugustam clam ſe recipiens, illic ſtudia ſapientiæ & propoſitum monachi ſectatus eſt *ad ſepulcra martyrum*, id eſt, in monaſterio ſanctæ Encratidis ſeu Encratiæ, ad Maſſam-Candidam appellato. Verum aliquanto poſt a clero Toletano in pontificem cooptatus, accedente Chindaſuindi regis juſſu, in urbem regiam revocatur, eidemque eccleſiæ poſt Eugenium ſeniorem præeſſe cogitur. Erat in eo fervens & ſtrenuus ad ſacrum miniſterium ani-

[b] *Hildef. de ſcript. c. 14.*

mus, ſed vires corporis impares. Librum de Trinitate ſcripſit, duoſque alios libellos, unum metro, alterum proſa oratione. Ejus carmina typis vulgata ſunt a clariſſimæ memoriæ viro Jacobo Sirmundo, exſtantque in Bibliotheca patrum: in quibus Eugenius avum ſuum commendat Nicolaum virum illuſtrem: cujus filius Evantius ex Blæſilla conjuge hunc Eugenium ſuſcepit. Dracontii quoque libellos metricos de creatione mundi a mendis repurgavit, & quæ de die ſeptimo deerant, ſupplevit. Uter e duobus Eugeniis ſeptimo concilio Toletano ſubſcripſerit, non ita perſpicuum eſt: quamquam id Eugenio priori paſſim tribuunt. quod ſi verum eſt, non diu prior ille Eugenius ſupervixit, quando hoc ipſo anno (& menſe Octobri concilium habitum eſt) poſterior eidem ſubrogatus fuit, poſt annos duodecim ſucceſſorem habiturus Hildefonſum, de quo in præſens agendum eſt.

ANN. CHR. 646.

XXXVII. Hildefonſi prima facta.

Hunc Toleto civitate ortum natales perilluſtres, excellens ingenium, animi candor eximius, ceteræque virtutes, in primis illibata caſtimonia, inſignem reddiderunt. Hic a tenerioribus annis adeo captus fuit inſtituto monachorum, ut in suburbanum Agalienſe monaſterium, quod ſanctitatis opinione, ipſo Hildefonſo [a] teſte, tum venerabile erat, ſe ſubduxerit inſcio patre: qui, ex filii ſeceſſu furore conceptо, iſtuc advolat, omnes monaſterii latebras perſcrutatur, eoque non invento domum redit, filium amiſſum deplorans: dum interim patris diligentiam declinaturus pius adoleſcens, in latibulo ſe contineret. Erat id monaſterium non procul ab urbe poſitum, non ſanctorum Coſmæ & Damiani, quod Zixilanes tradit, ſed ſancti Juliani nomine ſacratum: ut concilii Toletani undecimi vulgatæ ſubſcriptiones probant, quibus major fides adhibenda eſt. Patre domum reverſo, monaſterium petit Hildefonſus, & cucullum induit, patre interim hortatu genitricis mitigato, hanc prolem, poſt longam ſterilitatem cælitus impetratam, Deo ſe voviſſe affirmantis. Monaſticis rudimentis informatum Eugenius Toleranus antiſtes, primus an ſecundus, cum ad ſe accerſivit, primiſque litteris ab ſe imbutum, ad ſanctum Iſidorum Hiſpalenſem epiſcopum, majoris eruditionis gratia direxit. Ex quo intelligimus, jam tum in more poſitum fuiſſe, ut monachi aliquando e monaſteriis ad diſcendas artes ad celebriores magiſtros ablegarentur. Revocatus ab Eugenio Hildefonſus ordinatur diaconus; nec multo poſt abbas Agalienſis eligitur: quo in munere ſic monachos in virtutis palæſtra exercuit, ut omnibus exemplo ſuo ipſe prælucеret. Parentibus mortuis, ampliſſimam conſecutus, more etiam nunc apud Hiſpanos monachos uſitato, hereditatem, cœnobium virginum in Deibienſi villula conſtruxit, paterniſque opibus dotavit. Hac in narratione Juliani teſtimonium prætulimus anctori anonymo, qui Hildefonſi ſeceſſum in monaſterium, cum jam diaconus eſſet, accidiſſe ait: cum ex adverſo Julianus, qui Eugenii ſecundi fuit diſcipulus, idemque poſt Quiricum Hildefonſi in Toletana ſede ſucceſſor, aſſerat eum ab ipſis *infantiæ*, id eſt pueritiæ vel adoleſcentiæ, *rudimentis*, divino tactum ſpiritu, contemtis parentum rerumque « affectibus, Agalienſe monaſterium petiiſſe, monachumque ibidem multis annis per- « ſeveraſſe; ac demum ejuſdem cœnobii rectorem exſtitiſſe, antequam in Toletanam « ſedem aſſumeretur.

a Hildef. de ſcript. c. 7.

ANN. CHR. 647.

XXXVIII. Fructuoſi continuatio geſtorum.

Interim, cum Fructuoſi abbatis famam Aſturicenſes circumquaque montes perſonarent, popularem auram peroſus vir ſanctus, poſtquam regularem diſciplinam in Complutenſi monaſterio confirmaverat, abbate in ſui locum ibidem conſtituto, in abdiniſſimos ſaltus ſe proripuit, ubi liber a mortalium tumultu continuis precibus & jejuniis vacaret. Verum a venatore deprehenſus, qui ipſum melote indutum pro fera pæne occiderat, loco iterum cedere cogitur. Itaque in vaſtiſſimam atque ab omni hominum commercio remotiſſimam ſolitudinem ſeceſſit: ubi, exſtructo monaſterio Rufinianenſi, juxta ſanctum altare in anguſtiſſimam cellulam ſe incluſit. Nequaquam tamen effugere potuit diligentiam monachorum Complutenſium, qui iſtuc accedentes, piiſſimum patrem ex illo ergaſtulo extractum, pie violenti, invitum ad priorem ſedem reduxerunt. Cum vero diſcipulorum numerus magnopere creſceret in dies, tertium monaſterium in Vergendenſis pagi & Galliciæ confinio ædificavit, Viſumenſe appellatum. Mox aliud ex alia parte Galliciæ ad oram maris adjectum, quartum id erat, vocabulo Pheonenſe; nec multo poſt in quadam inſula quintum, quod & regularibus inſtitutis, & rebus neceſſariis munivit. Hinc ad eum magis magiſque confluxere novi diſcipuli, non modo ex promiſcuo

ANN. CHR. 647. vulgo, ſed etiam ex optimatibus palatii, qui, relicto terreni principis obſequio, ſe ſe totos ad Dei famulatum convertebant, ſub Fructuoſi confugientes diſciplinam. Ex his unus, Theudiſilus, forte Theudegiſilus nomine, humanarum litterarum ſcientia non mediocriter imbutus, in loco admodum ſulitario, cui Caſtrum-leonis vocabulum erat, monaſterium condidit, ubi vitæ curſum pie traduxit. Poſt hæc novas latebras quærit vir Dei, ſed nutu divino invitus ubique proditur. Ubi vero Gallicia ipſius ſplendore ſatis illuſtrata fuiſſet, in alias etiam partes ſanctitatis ſuæ radios diffudit. Et primum quidem in Gaditana inſula, unde ſolis orientis inſtar totam illuminaret Hiſpaniam, ſeptimum erexit cœnobium: cui ampliſſimum aliud paullo poſt in abdita ſolitudine adjecit, cui nomen dedit Nono, quod ab ora maris novem paſſuum millibus diſtaret. Floruit eo in loco religioſus vir Julianus preſbyter, a quo ſcriptor vitæ ſancti Fructuoſi id ſe accepiſſe affirmat. Hinc, creſcente ſupra modum Fructuoſi diſcipulorum multitudine, querelæ ad regem delatæ a provinciæ duce, quod, hominibus ad Fructuoſum catervatim confluentibus, nulla jam eſſet copia conſcribendi militem ad expeditiones publicas. Coërcito itaque virorum acceſſu ad virum ſanctum, ſequiori ſexui aditus, qui hactenus negatus fuerat, ad eum patefactus eſt.

XXXIX. Benedicta virginum anteſignana.

Omnium anteſignana fuit piiſſima virgo, Benedicta nomine, claro exorta genere, & jam contra voluntatem viro palatino (gardingum vocant) deſponſata, quæ conſervandæ virginitatis ſtudio, confugit ad Fructuoſum, qui tum in Nono monaſterio verſabatur. Hæc ad locum prope accedere non auſa, id quippe muliebri ſexui cautum erat, in remoto illius deſerti loco ſubſtitit, dum per internuntios abbatem ſanctum flagitavit, ſui ut miſeratus, animam Deum quærentem in viam ſalutis dirigeret, & ſpiritalibus inſtitueret diſciplinis. Hoc nuntium gratanti animo vir Dei accepit, & Benedictæ manſiunculam in eodem loco parari juſſit, eidem cibum, a ſe prius benedictum, ſubminiſtrare ſolitus. Intra breve tempus multæ virgines eidem ſe ſe adjunxerunt ad octoginta, quibus in ea ſolitudine cœnobium a Fructuoſo extructum eſt. Hoc comperto, is, cui Benedicta deſponſata fuerat, regem adit, ſponſamque ſibi reſtitui magnis clamoribus inſtitit. Miſſus ad monaſterium virginum comes Angelate; qui regia auctoritate præpoſitam virginum compulit, ſibi ut Benedictam repræſentaret. Interrogata ſic judici ſatis fecit, ut ſponſo contradicere non valenti dixerit comes, dimitteret eam Domino ſervire, ſibique aliam uxorem quæreret. Non diu ſupervixit Benedicta: factumque eſt, ut, quæ aliarum virginum chorum in ſancta illa congregatione præceſſerat, eaſdem etiam ad cæleſtem gloriam antecederet.

XL. Familiæ totæ ad Fructuoſum confluunt.

Non ſolum autem viri & mulieres conjugii expertes, ſed etiam conjugati utriuſque ſexus cum liberis ſuis, immo ſenes & anus, ad Fructuoſum concurrebant, ſeque cum natis ſuis ab eo ad monaſticam profeſſionem admitti flagitabant. Novum itaque regularis vitæ genus vir ſanctus inſtituit, priori paullo amplius temperatum, atque utriuſque ſexus infirmitati magis accommodatum, ſed ita ut viri cum filiis maſculis ſeorſim degerent in monaſteriis a ſequiori ſexu ſeparatis: contra quam

Monaſteria mixta improbata.

nonnullis in locis tum fiebat apud Hiſpanos, ubi nullo ſexus diſcrimine conjugati ſimul cum uxoribus, liberis ac ſervis, domicilia ſibi in monaſterii modum componebant, rectore ſibi præpoſito ſub nomine abbatis, cui non tam parebant, quam voluntates ſuas approbabant, ut cum ejus benedictione ſuis cupiditatibus obſequerentur. Id vero ab ipſis ideo inventum erat, ut hoc pacto a publicis curis & tributis ſub ſpecie monaſticæ profeſſionis eximerentur, & religionis nomine facta ſua vindicarent a ſæculari cenſura. Hoc ruſticanæ familiæ in villis ſuis, hoc preſbyteri ſæculares in morem induxerant, decimas [a] ſuas amittere formidantes, ſi non & ipſi monaſteria ædificarent, in quibus parochiani ſui viverent in promiſcua illa ſocietate. Pravum hoc inſtitutum apud Hiſpanos oriri cœpit ſub finem ſæculi ſuperioris, ut colligimus ex canone tertio concilii Ilerdenſis, decernente, ut, „ ſi quiſquam ex „ laïcis a ſe factam baſilicam conſecrari deſiderat, nequaquam ſub monaſterii ſpecie, „ niſi ubi congregatio collecta, vel regula ab epiſcopo conſtituta fuerit, eam a dioe„ ceſana lege audeat ſegregare. Eadem labes in Angliam invecta fuerat tempore venerabilis Bedæ, teſtante ejus epiſtola ad Egbertum Eboracenſem antiſtitem, quem monet, ut huic malo idoneis remediis occurrat. Hoc inſtitutum graviter inſectatus eſt Fructuoſus initio regulæ communis, ubi hæc non monaſteria, ſed animarum perditionem [b] eſſe conteſtatur; inde oriri ſchiſmata & diſſenſiones per monaſteria;

[a] Fructuoſ. reg. comm. c. 2.

[b] ibid. c. 1.

AN. CHR. 647.

ejuſmodi vero homines non monachos, ſed hypocritas eſſe cenſendos: quippe qui «
ſuo arbitrio vivant, nulli ſeniorum ſubjecti; nihil de propria ſubſtantia pauperibus «
erogantes, ſed aliena, paupertatis nomine, captantes; denique qui nulli peculiari «
regulæ addicti ſint; ſed [a] communem cum epiſcopis, ſæcularibus terræ principibus «
& populo regulam ſervent. «

[a] Fructuoſ. ibid. c. 1.

XLI. Fructuoſi regula communis.

Longe alia vivendi ratio erat in monaſteriis a Fructuoſo inſtitutis, ut probat regula communis ab eodem ſcripta, uti & alia regula pro monachis, qui diſtrictiorem vitam obſervabant. Scio Menardo noſtro viſum eſſe diverſos eſſe harum regularum auctores: at mihi perſuaſum eſt unum eumdemque utriuſque eſſe auctorem: cujus rei argumenta ex obſervationibus noſtris prævii ad vitam S. Fructuoſi repetenda ſunt. Regulæ communis hæc fere œconomia erat. Principio nemini ſuo arbitrio monaſteria exſtruere licebat, inconſulta communi *collatione* ſeu congregatione, & citra permiſſum epiſcopi, qui ejus regulam & inſtitutum confirmaret. Non facile quiſquam in monaſterium admittebatur, nec niſi prævia probatione & abdicatione omnium rerum. Si quando viri cum uxoribus & liberis ſuis ad converſionem accedebant; viri cum maſculis in monaſterium virorum, uxores cum puellis in cœnobia virginum dividebantur: ubi viverent ſub diſciplina abbatis vel abbatiſſæ, quibus ad mortem uſque parere debebant. Maxima cura erat de parvulis, qui ibidem ſeptennes admittebantur. Par erat in ſenes humanitas, quibus ob induratos mores non facilis patebat acceſſus. Utrique a gravi labore immunes erant. Omnes in unum ſingulis dominicis conveniebant ante miſſarum ſollemnia, ut præteritæ hebdomadæ errata expiarent. Ad hæc per capita ſingulorum menſium abbates diverſorum monaſteriorum in unum convenire mos erat, ut *menſuales litanias* una celebrarent, pro animabus ſibi ſubditis Dei opem imploraturi; & in commune, quid ad regularem diſciplinam conducere poſſet, conſulturi. Monachis & ſororibus ut commune monaſterium, ita commune oratorium habere non licebat. Ex monachis eligebantur probati ſenes, qui res ſororum curarent. Cauſarum procuratio uni ex laïcis injuncta erat, cui juramentum præſtare nefas. Omnes, inſtar ſollemnis profeſſionis, pactum in commune faciebant, quo ſe totos Deo & abbati ſeu abbatiſſæ tradebant; profeſſi, ſe ſecundum edicta apoſtolorum ac regulam, & ſecundum præſcripta patrum victuros; ſi ſecus feciſſent, pro culpæ qualitate puniendos; aut, ſi contumaces perſtitiſſent, religioſa veſte ablata e monaſterio expellendos. Qui ob culpas excommunicatus fuerat, in *cellam obſcuram* mittebatur, pane tantum & aqua reficiendus. In hac regula communi nulla mentio fit de jejuniis, & de qualitate ciborum: niſi quod iis, qui graviora in ſæculo peccata commiſerant, carnes, ſiceram, & vinum ſubtrahere præcipit, excepto ſi in gravem infirmitatem, aut in nimiam ſenectutem incidiſſent. Id tamen ſolis ſenibus & parvulis indultum fuiſſe conjicitur ex capite nono, ubi paſtores gregum ad cuſtodiam ovium ex eo animantur, quod inde recreentur parvuli, foveantur ſenes, redimantur captivi, inde etiam ſuſcipiantur hoſpites & peregrini. « quo in loco hæc exceptio non fieret, ſi fratres & « ſorores omnes, præter parvulos & ſenes, a carnibus non abſtinuiſſent. Et forte ejus rei, uti & jejuniorum conſtitutio, ex alia regula repetenda erat. Ex eodem capite intelligimus, monaſteria illa poſita fuiſſe *inter fragoſa & abrupta montium*, & quidem in ſterili ſolo, ubi vix tribus menſibus quotidiana paximatia ſuppeditari potuiſſent, niſi monaſteria ovium greges alendos habuiſſent. Ceterum quod *menſuales litanias* celebrari hæc regula ſancit; hoc ipſum eſt, quod in vetuſtis martyrologiis initio cujuſcumque menſis legitur, *Litanias indicendas.* quod jam ſuperius [b] obſervavimus de eccleſia Antiſiodorenſi. Hæc ex regula communi, quæ conſtat capitulis viginti.

[b] lib. 6. n. 73.

XLII. Altera regula monachorum.

Altera, quæ ordine ac tempore prior eſt, habetque capitula quinque ſupra viginti, Regula monachorum appellatur, multaque habet ſuperiori conſentanea, quædam explicatiora. Electio abbatis penes monachos, quibus laïci in rebus exterioribus ſubſerviebant, quales modo ſunt oblati noſtri. De his etiam agit Iſidori [c] regula, Fructuoſi regulæ in multis conformis. Veſtes cuculla duplex, *villata*, & ſimplex, (ſancto Benedicto villoſa, & pura ſeu vetuſta;) palliolum unum, ternæ tunicæ, ſtamineæ duæ: pedules in hieme, in æſtate ſolæ caligæ; femoralium uſus permiſſus. Singulis ſinguli lecti, qui ab invicem uno tantum cubito ſeparati erant. Volatilium [d] eſus infirmis & itinerantibus conceſſus: alias ſolis oleribus & legumi-

[c] ſupr. lib 11. n. 42.

[d] V. ibid.

ANN. CHR. 647.

nibus veſcebantur ; raro piſciculis fluvialibus vel marinis. Sextarius vini in quatuor monachos diviſus. Una per ſingulos potio ſabbatis & dominicis adjiciebatur. In præcipuis ſollemnitatibus tria pulmenta, totidemque potiones. Labor & lectio alterna, omnino ut in regula S. Benedicti ; uti & obedientia uſque ad impoſſibilia. Idem de hebdomadariorum officio dicendum. In officiis divinis duodecima veſperis præponitur. Mendaces eadem pœna, atque fures, percuſſores, & perjuri affecti. Reclusio in cella, & incarceratio certis criminibus inflicta. Ad jejunia quod attinet, a paſchate ad pentecoſten fratres ſexta hora reficiebant : ſed unica erat refectio. a pentecoſte uſque ad octavum kalendas Octobris interdiana, id eſt alterna, jejunia : niſi quod una quadrageſima ſervabatur ante ſeſtivitatem ſanctorum Juſti & Paſtoris, Complutenſis monaſterii patronorum, quæ ſeſtivitas accidit VIII. idus Auguſti ; atque adeo hæc quadrageſima, ſi quidem integra erat, incipiebat a ſeptima-decima die Junii ; qua ex die jejunium uſque ad horam nonam ſervabatur ; atque a vino penitus abſtinebatur, ſingulis tamen potionibus concedendis, ubi labor gravis id exigebat. De cetero ab octavo-decimo kalendas Octobris uſque ad paſcha perpetuum jejunium erat, ut apud ſanctum Benedictum ; & in quadrageſima abſtinentia a vino & oleo. Ter ſingulis hebdomadibus collectæ ſeu collationes fiebant, in quibus regulæ patrum legebantur, haud dubie etiam regula ſancti Benedicti, cujus ſententias & inſtitutiones paſſim, verba non raro Fructuoſus in ſuas regulas transfert. In his etiam collationibus delictorum emendationes fiebant & caſtigationes a ſeniore, & de rebus etiam ad ſpiritalem profectum pertinentibus diſſerebatur. Fructuoſus in hac regula, ſicut in communi, profeſſionem quam vocamus monachorum appellat pactum, quo initiandi promittebant, ſe omnia cœnobii ſui inſtituta obſervaturos, neque umquam ab ejus diſtrictione vel tantiſper receſſuros. Eodem etiam vocabulo utitur Iſidorus. Capitula viceſimum-quartum & viceſimum-quintum, quæ in editis deſunt, ſupplenda ſunt ex regula communi, ubi capitula octavum ac tertium-decimum conſtituunt, uti nos docent prioris regulæ exemplaria manu exarata. de Fructuoſi regulis ſatis.

XLIII. S. Bavonis converſio.

Per id tempus ſanctus Amandus in Gallia Belgica res chriſtianas ac monaſticas mirifice promovebat. In multis, quos ad ſanctiorem adduxit vitam, non inferior fuit Bavo, alio nomine Allowinus, nobilis Haſbaniensis, qui Adilionis comitis filiam in matrimonium duxerat, ex eaque Agletrudem, ſanctam Chriſti virginem, ſuſceperat. Conjuge mortua, ſecundis nuptiis poſthabitis, ad ſanctum Amandum profectus, eidem peccata ſua confeſſus eſt. Tum ad ſuos reverſus, inſpirante Deo, hujus ſæculi divitias, velut umbram prætereuntem, & ſicut fœnum areſcens reputans, cunctis facultatibus ſuis in loca ſancta & in pauperes erogatis, ad ſanctum Amandum denuo rediit, in caſtro Gandavo tunc commorantem. Mox clericatus honore ab eodem inſignitus eſt, coma capitis reſecta ; & ſæcularibus veſtimentis abjectis, ſacræ veſtes indutæ. Hæc monaſticæ profeſſionis inſignia ſic deſcribit antiquus ejus vitæ ſcriptor. His acceptis, Bavo Amandum gentibus verbum Dei prædicantem comitatur. Verum paullo poſt eidem viſum eſt, annuente Amando, monaſteria circumire ac perluſtrare, ut vitam monachorum ſeu cœnobitarum propius poſſet diſpicere ac intueri. Tandem ad Gandam monaſterium reverſus, a venerabili Florberto abbate obnixe petiit, ut in privatam cellulam, in qua divinam miſericordiam ſibi pro facinoribus propitiam redderet, ſecedere ipſi liceret. Ejus petitionem haud gravate admiſit Florbertus, eamque fratribus monaſterii *juxta præceptum pii patris Benedicti*, tota congregatione convocata, expoſuit. Omnes aſſenſum facile præbuere. Incluſus itaque anguſta cellula Bavo, ſacrificium contriti cordis aſſiduis precibus, vigiliis, jejuniis, aliiſque auſterioris vitæ operibus Domino offerre non ceſſabat. Accidit, ut, cum fratres propriis manibus cellulam ejus conſtruerent, Attinus quidam cæmentum vehens, mole corruentis plauſtri opprimeretur : ſed ad Bavonis preces continuo revixit. Forte alius, quem olim, dum ſæcularem vitam ageret Bavo, vænum dederat, in libertatem aſſertus ſibi occurrit. Mox facti pænitentia ſupra modum tactus Bavo, veniam ab eo petiit ſupplex, ſeque ab eo flagellis cædi, ac more latronum caput ſuum decalvari, ac demum compedibus ac manicis vinctum publicæ cuſtodiæ mancipari poſtulavit, idque tandem ab homine obfirmate reſiſtente extorſit. Sic in carcerem retruſus, cilicio tectus & cinere, hordeaceum tantum panem cum aqua ſumens, quatuor fere menſibus ibidem perſeveravit, ab-

batis ſui nihilo minus ſemper ſubjectus imperio, cujus permiſſu pavimento hinc inde, dum divina recitaret officia, ita conſtrictus fuit, ut ad dexteram aut ad lævam movere ſe non valeret, prægrandi ad collum lapide inſuper appenſo. Hanc Bavonis in publicam cuſtodiam retruſionem ejus recluſioni præponit Theodoricus abbas, alter vitæ ſcriptor, ſed vetus auctor poſtponit.

ANN. CHR. 647.

XLIV. Gertrudis fit abbatiſſa Nivialenſis.

Bavoni conſanguinea & familiaris erat Gertrudis, Pippini ſenioris & Ittæ filia, quæ hoc anno velum ſuſcepit, & perfecto Nivialenſi monaſterio præpoſita eſt. Scriptor ejus vitæ, gravis & æqualis, id factum tradit curante matre Itta, quæ filiam ſuam, jam ab ſe tonſione capillorum Deo conſecratam, ſacerdotibus Domini tradidit ad ſacrum velamen accipiendum cum ſodalibus ſuis, *& ſancto gregi cænobitarum* præeſſe conſtituit, cum Gertrudis vix annum ætatis viceſimum attigiſſet. Id factum IV. nonas Decembris, & quidem dominica die, ut ex vetuſtis kalendariis prodit Molanus: in quibus conſecratio Gertrudis virginis ea die recolitur. atqui hoc anno DCXLVII. ſecunda Decembris dominicalis dies erat. Favet anni calculo ſcriptor ejus vitæ, gravis & æqualis, ex quo diſcimus, Gertrudem obiiſſe triceſimotertio ætatis ſuæ anno, quam anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſexageſimo deceſſiſſe ſuo loco demonſtrabimus. Attamen in kalendario Corbeienſi annorum amplius ſeptingentorum, conſecratio ſanctæ Gertrudis virginis XII. kalendas Septembris ponitur. Etſi vero vix adultæ ætatis eſſet virgo ſancta, cum abbatiſſa renuntiata eſt, mirum eſt tamen, quam prudenter ac ſtrenue impoſitum ſibi munus expleverit, erga juvenes & adoleſcentulas gravis & conſtaus, in vetulas & infirmas moderatior & humanior, materna denique in omnes caritate ſollicita. Quin etiam, nuntiis Romam miſſis, ſanctorum reliquias & ſacra volumina inde reportari curavit, & ex tranſmarinis regionibus viros pios & doctos, qui ſe ſuaſque ſacris litteris inſtruerent, arceſſivit. Hos inter cenſendi ſunt ſancti Foillanus & Ultanus germani, genere Scotti: ex quibus Foillanus conſtruendo Foſſuenſi ſeu Foſſenſi monaſterio locum ab ea accepit, eidemque Ultanus obitus ejus diem prænuntiavit. Tres in Nivialenſi monaſterio primitus baſilicæ erant, una ſanctæ Mariæ, altera ſancti Petri, tertia ſancti Pauli, quæ forte monachorum erat; ſanctimonialibus ſacra miniſtrantium, nam monachos principio ibidem extitiſſe conſtat, tum ex generali more puellarium cœnobiorum, tum ex libro de miraculis ſanctæ Gertrudis, cujus libri auctor æqualis agens de incendio apud Niviallam exorto, ait tam vehemens fuiſſe, ut *nullus monachorum vel virginum* ullam ſpem haberet liberandi monaſterii. & in actis ſanctæ Aldegundis abbatiſſæ Melbodienſis mentio fit Subini abbatis de Nivialenſi monaſterio.

XLV. Nivialenſium primum inſtitutum.

Hinc conſequens eſt, virgines itidem Nivialenſes primitus vere ſanctimoniales fuiſſe. Unde mirari ſubit, viris doctis ſubortam fuiſſe dubitationem, utrum illæ ab initio monachæ fuerint, votiſque monaſticis adſtrictæ: an vero, ſicut ab aliquot ſæculis, nobiles canonicæ votis ſolutæ, quæ pro arbitrio ſuo ad nuptias convolare potuerint. Idem judicium eſto de cœnobiis Caſtrilocenſi ſeu Montenſi, & Melbodienſi in Hannonia; de Andanenſi & Monaſterienſi in pago Namucenſi; uti & de Romaricenſi in Voſago, aliiſque. De Nivialenſi conſtat, Gertrudem ab exordio *ſacrum velamen*, quod perpetuæ caſtitatis inſigne erat, *tum ſodalibus ſuis* a ſacerdotibus, id eſt epiſcopis, accepiſſe. Unde in vetuſtis actis & monumentis Nivialenſes conſtanter *virgines*, *ancillæ Dei*, *ſanctimoniales* appellari ſolent, numquam canonicæ, ſaltem ante ſæculum nonum, quo primum tempore canonicarum nomen in Galliis audiri cœptum, quæ tamen longe diſpares erant a recentioribus canonicabus. Deinde idem inſtitutum in Nivialenſi monaſterio principio viguit, quale in Andanenſi, quod Begga, Gertrudis germana ſoror, ad formam Nivialenſis inſtituit, ubi *religioſam vitam* [a] *duceret*, non canonicam, *virgineſque ſacras in ſervitutem divinam* PERPETUA STABILITATE *firmaret*, non arbitraria, ut modo, licentia. Ejus rei cauſa Nivialenſes Beggæ dederunt *ſeniores in ſancto habitu ſpirituales ſorores, quæ ipſum* Andanenſe *monaſterium docere poſſent regularis vitæ diſciplinam, normamque religionis*. Denique ante ſynodum Liptinenſem, medio ſæculo octavo celebratam, nullæ aliæ in Belgio erant *ancillæ Dei monaſteriales* præter monachas, quibus omnibus præcipitur, ut cœnobia vel xenodochia ſua ordinent & gubernent ſecundum regulam ſancti Benedicti. Hanc Nivialenſibus initio præſcriptam fuiſſe ſatis innuit antiquus illius temporis auctor, qui in actis ſanctæ Gertru-

a Sæc. 2. Bened. p. 471.

ANN. CHR. 647.

dis verba ipſa Benedictinæ regulæ nonnunquam adhibet, qualia ſunt hæc in libro de miraculis, *æqualem ſervitutis militiam bajularunt*, petita ex Benedictinæ regulæ capite tertio: ut omittam, *opus Dei*, *opus divinum*, in iiſdem miraculis ex eadem regula uſurpata. Ceterum quæ ſæculo nono in Gallia canonicæ puellæ inſtitutæ ſunt, longe diſpares erant a recentioribus, ut mox dicebam, canonicabus, idque patet ex regula illis præſcripta in concilio Aquiſgranenſi. Illæ quippe vota perpetua profitebantur, nec eis ſæculum [a] repetere, aut ad nuptias convolare integrum erat; omneſque veſtibus [b] nigris utebantur. Verum, ut in ſolutioribus virorum monaſteriis monachi ad ſæcularium canonicorum mores ſenſim prolapſi ſunt, uti accidit ſæculo nono in Turonico ſancti Martini, & in Dionyſiano apud Pariſios: ſic etiam accidit in cœnobiis virginum, quæ a priſtino inſtituto monaſtico ad canonicalem, & a canonicali ad ſæcularem qualemcumque ſtatum penitus defecerunt ante ſæculum tertium-decimum: quo tempore Jacobus a Vitriaco ejuſmodi ſtatum magnopere improbat in libro de occidentali hiſtoria, cujus caput triceſimum-primum inſcribitur, *de irregularitate ſæcularium canonicarum*: quæ tamen eo adhuc tempore in communi dormitorio quieſcebant, non in domibus privatis, niſi infirmitatis obtentu. Verum hæc pro nata occaſione alias ſuis locis amplius illuſtrabuntur.

a *Reg. Aquiſgr. c.* 18.
b *ibid. cap.* 8.

XLVI. Castrenſis monaſterii origo.

Eodem anno conſignatur origo monaſterii Caſtrenſis in diœceſi Albigenſi, quod tres viri nobiles, Robertus, Anſelinus, & Daniel, *juxta fluvium Agouti* ſub patrocinio & regula ſancti Benedicti conſtruxiſſe [c] perhibentur, conditis primum ex virgultis arborum tribus cellis, quæ poſtmodum ad viginti-novem auctæ ſunt. Primus loco præfuit Robertus abbas: cui ſucceſſit Fauſtinus, ex milite prædivite ſtrenuus monachus, dein abbas, qui ſancti Benedicti baſilicam magno ſumtu ædificavit. Roberto abbate Albigenſem eccleſiam regebat Conſtantius epiſcopus, cujus ſucceſſor Richardus, Fauſtino abbati coæqualis, vixiſſe dicitur ab anno hujus ſæculi ſeptuageſimo-tertio.

c *Spicil. to.* 7. *p.* 335.

XLVII. Germanus abbas primus Grandivallenſis.

Sub idem tempus Germanus Luxovienſis monachus a Waldeberto abbate miſſus eſt ad regendum monaſterium Grandivallenſe *, quod Gundoinus dux ac vir illuſtris condiderat ad Birſam fluvium, qui in Rhenum juxta Baſileam devolvitur. Locum antea incultum, juſſu Waldeberti expurgaverat Fridoaldus monachus ex diſcipulis ſancti Columbani: ſed nemo viſus eſt aptior ad regendos monachos, quam Germanus, utpote non minus pietate ac litterarum ſcientia, quam genere inſignis. Eidem etiam traditæ ſunt duæ aliæ cellæ, nempe ſancti Urſicini, & Verdunenſis ſeu ſancti Pauli ad-inſulam. nam *Vverd* apud Germanos inſulam ſignificat. Sancti Urſicini cella poſita erat ad Dubim fluvium in diœceſi Baſileenſi, eo in loco, ubi ſanctus Urſicinus, ſancti Columbani diſcipulus, vitam eremiticam duxerat, ejuſdem tumulo poſtmodum nobilitata: quam Wandregiſilus ex Italia reverſus auxit, & aliquanto tempore incoluit. Nunc opidum eſt, ſancti Urſicini * reliquiis & appellatione inſignitum. Hujus loci eccleſia Innocentii ſecundi pontificatu ceſſit canonicis ſæcularibus, qui in vicinum opidum Telſbergam ſeu Delmontem commigrarunt.

* *Grandfel, al. Munſterthal.*
* *S. Urſitz*

XLVIII. Pauli epiſcopi Virdunenſis ſucceſſor Giſloaldus.

Sub anni ſequentis initium Paulus Virdunenſis antiſtes, v t. idus Februarii condignam ſanctiſſima vita mortem conſecutus eſt, ſepultuſque in ſuburbana ſancti Saturnini eccleſia, quæ ſæculo decimo a Wilgefrido epiſcopo Benedictinis monachis aſſignata eſt, ſancti Pauli nomine ac reliquiis illuſtrata, excepto capite, quod Theolegienſes monachi principatu Caroli Magni obtinuerunt. In Pauli locum ſubrogatus eſt Giſloaldus, & ipſe monachus Theolegienſis, Grimone tum abbate. Bercharius [d] preſbyter tradit, Paulum, cum adhuc monachus in piſtrino laboraret, veritum, ne fratres hora ſtatuta panem non haberent, in clibanum ingreſſum cuculla ſua illum purgaſſe; indeque illæſum exiiſſe. Addit idem auctor ſe vidiſſe picta miracula, quæ Paulus in epiſcopatu & poſt mortem patraverat.

d *Spicil. to.* 12. *p.* 257.

XLIX. Sithienſis monaſterii origo.

Idem annus quorumdam monaſteriorum conditione inſignis fuit. In primis commemorandum venit Sithienſe, quo nullum etiam noſtris temporibus illuſtrius in toto Belgio eſt. Ejus origo adſcribenda ſancto Audomaro Teruanenſi epiſcopo, qui Morinos tum verbi divini prædicatione illuſtrabat, opitulantibus Bertino, Mummollno, & Ebertramno piiſſimis monachis, quos in ſui laboris ſubſidium Luxovio arceſſiverat. In multis, quos ab idolorum cultu ad fidem Chriſti adduxit ſanctus antiſtes, quidam exſtitit Adroaldus ſeu Adrowaldus, vir locuples, quem cum tota familia

familia ſua baptizavit. Is religionis ſtudio accenſus, villam ſui juris, *Sithiu* dictam, ſancto Audomaro obtulit ad xenodochium ædificandum: at monaſterium eo in loco ædificare, tum ad fidei incrementum, tum ad rei dignitatem, ſatius Audomaro viſum eſt; ſalubrius eſſe judicans, animarum valetudinarium erigere, quam corporum. Sic beatus Eligius, cum, teſte [a] Audoëno, in urbe Pariſiorum xenodochium fabricare cogitaret, *excellentiore conſilio* virginum cœnobium conſtruendum exiſtimavit. Eamdem mutati conſilii rationem reddit Adroaldus in litteris hac de re confectis, quæ *Dominis ſanctis presbyteris, Bertino, Mummoleno, Ebertrando* inſcriptæ ſunt. ita enim Adroaldus in eis loquitur. *Ego in Dei nomine Adroaldus ſana mente, ſano quoque conſilio integræ mentis, prout mundana peccata abſtergere Dominus dignetur, dono vobis omnem rem portionis hereditatis meæ in pago Taruanenſe, quam domino patri Audomaro, apoſtolico viro, ad xenodochium ſuum ædificandum dare volumus; ſed ipſe ſalubre conſilium nobis donavit, ut ipſam rem vobis delegarem, ut ibi monaſterium in honore beati Petri principis apoſtolorum conſtruere debeatis ad converſandum monachis, ubi beati pauperes ſpiritu & domeſtici fidei adunari debeunt, quorum voces quotidie ad aures Domini pertinere noſcuntur, quorum petitiones audit, & implet. Propterea vobis in Chriſto patribus dono per hanc epiſtolam donationis in pago Taruanenſi villam proprietatis meæ, nuncupatam* Sithiu, *ſuper fluvium Agnionem* *, *cum omni merito ſuo vel adjacentiis ſeu aſpicientiis ipſius villæ, &c. Facta donatio* VIII. *idus Septembris, anno undecimo domini noſtri Chlodovei regis. actum Aſcio* * *villa dominica publice.* qui locus eſt in Moeinis Pernas inter & opidum ſancti Pauli. Facta donatione, mox viri ſancti cœnobium conſtruere maturarunt, vetus monaſterium poſtea nuncupatum ad diſcrimen alterius, quod poſt annos quatuordecim prope eum locum ab iiſdem ædificatum eſt. Veteri monaſterio præfectus abbas Mummolenus ſeu Mummolinus, novo Sithienſi monaſterio Bertinus. quæ res non ſatis animadverſa auctores in varias diſtraxit ſententias, aliis Mummolinum abbatem Bertino præferentibus, aliis poſtponentibus, aliis denique ex albo Sithienſium abbatum omnino expungentibus, ut primum Bertino locum tribuant. Mummolinus itaque abbas fuit primus, immo & unicus Veteris-monaſterii, quod nomen ſancti Mummolini hactenus retinet; Bertinus novi poſt annos quatuordecim a conſtructione Veteris-monaſterii: cum ſcilicet Mummolinus defuncto ſancto Eligio in ſedem Noviomenſem ſubrogatus eſt, mortuus longe ante ſanctum Bertinum, cui Galliæ chriſtianæ auctores Mummolinum gravi errore ſubſtituunt. Eodem tempore, quo Vetus-monaſterium exſtrui cœpit, Audomarus in monte proximo, eidem amni aſſurgente, baſilicam in honorem beatæ virginis Mariæ ædificavit ad ſuam ipſius & monachorum ſepulturam, quæ poſtea in monaſterium, ac demum in cathedralem Audomaropolis eccleſiam converſa eſt.

ANN. CHR. 648.

[a] Audoën. lib. 1. c. 17.

* Aa.

* Aire.

Wandregiſilus ad ſacerdotium, procurante Audoëno Rotomagenſi pontifice, ab Audomaro mox laudato promotus fuit paullo ante, quam condendo Fontanellenſi monaſterio manum admoveret. Id fieri cœptum fuiſſe anno itidem undecimo [b] Chlodovei regis prodit ejus monaſterii chronicon, in quo anni regum primæ ſtirpis cum annis incarnationis paſſim male conciliantur. Eſt autem Fontanella pagi Rotomagenſis locus in Caletis *, octodecim fere millibus infra Rotomagum, haud amplius paſſibus octingentis a flumine Sequana, prope Calidobeccum * opidum, ſic dictus a fonte rivoli præfluentis per anguſtiſſimam vallem, quæ vix ſufficit capiendis monaſterii ædificiis. Hunc locum *regali munere* accepiſſe vir ſanctus perhibetur a ſcriptore vitæ, gravi & æquali. quem locum chronographus Fontanellenſis ait Wandregiſilum & Godonem, fratris aut ſororis filium, dato pretio comparaſſe ab Erchinoaldo patricio ſeu præfecto palatii, qui illum a quodam Airamno, Rothmari filio, commutatione facta acquiſierat. Porro hunc locum Rothmarus acceperat ex Dagoberti regis munificentia, & ſucciſis arbuſtis & frutectis habitabilem reddiderat. Hæc Fontanellæ traditio Wandregiſilo & Godoni facta eſt kalendis Martiis, Compendio palatio, anno undecimo Chlodovei regis: qui hanc traditionem anno ſequenti confirmavit kalendis itidem Martiis, & quidem in villa regia Compendio, Francorum populis in campo Martii de more congregatis. In illo itaque loco monaſterium, ſanctitatis fama poſtea celeberrimum, *ſub ſancta regula* inſtituit Wandregiſilus, favente in primis Dadone ſeu Audoëno diœceſano antiſtite, ſibi amiciſſimo, in cujus domo aliquamdiu hoſpitatus fuerat. Illic conditæ baſilicæ tres cum totidem oratoriis: prima & princeps in honorem ſancti apoſtolorum principis quadrifido opere,

I. Fontanellenſe condit Vvandregiſilus

[b] Spicil. to. 3 p. 192.

* le pays de Caux

* Caudebec.

ANN. CHR. 648.

quæ ducentos nonaginta pedes longitudinis, latitudinis triginta ſeptem habuiſſe dicitur : altera ſancti Pauli doctoris gentium, mirandi operis : tertia ſancti Laurentii. His adhærebat oratorium ſancti Pancratii, & in colle monaſterio adjacente oratorium S. Saturnini, quod etiam nunc ſupereſt cum oratorio S. Amantii Rutenenſis præſulis ad Sequanam, uno circiter milliari a monaſterio : quo in oratorio Audoënus & Wandregiſilus, de rebus ſacris collocuturi, non raro conveniebant, una cum Filiberto abbate Gemeticenſi, ubi eorum grabata *in deſtina* ſeu cella, oratorio proxima, tempore chronographi Fontanellenſis aſſervabantur, atque ſellæ, in quibus ſedere conſueverant. Has omnes baſilicas cum oratoriis conſecravit ſanctus Audoënus, & in eis reliquias ſanctorum repoſuit, quas Godo jam laudatus ex urbe Roma detulerat, præter reliquias ſancti Saturnini martyris ac ſancti Amantii, quæ a Sindardo diacono ac monacho Toloſa & Rutenis * allatæ fuerant. Has vero reliquias Godo Roma, Vitaliano papa ſedente, retuliſſe dicitur cum diverſis voluminibus ſacrarum ſcripturarum, & libris maxime beatiſſimi ac glorioſiſſimi papæ Gregorij. Multa etiam ad opus & neceſſaria monaſterii ſubſidia contulit Waningus vir illuſtris, cujus filius, Deſideratus nomine, ibidem monachus factus eſt. Ita porro brevi excrevit cœnobitarum Fontanellenſium numerus, ut Wandregiſilo abbate trecenti, vel etiam quadringenti ibidem exſtitiſſe memorentur : a quibus ea, quæ gratuito dare volebant, ſubſidia ad eorum victum & veſtitum accipere non recuſabat.

* *Rodez.*

LI. Vvandregiſili virtutes.

Cum eximiæ erant in Wandregiſilo virtutes, quæ ipſum univerſis venerabilem reddebant, tum canonum obſervantiſſimus erat, adeo ut abſque Audoëni permiſſu nullum iter aggrederetur; ſic diſcipulis exemplo ſuo conformandis intentus, ut in extrema ſenectute laborem, qui corpore exercetur, non prætermitteret. Erat in eo mirifica dicendi gratia, ut imbecilles erigeret, dubios confirmaret, errantes ad re-
„ ctum iter revocaret. Solebat vero diſcipulos admonere, ut retrorſum ne reſpicerent,
„ deſerendo ſalutarem viam, quam ſemel cepiſſent; immo ſemper ad altiora conniterentur, ad humilia quæque ſemper parati. Ne computarent annos, quos in mona-
„ ſterio exegerant; ſed id tantum profectui deputarent, quod ſine querèla in mandatis
„ Dei vixiſſent. Si vero aliquando eis ſubreperet ſuperbiæ cogitatio ex eo, quod a fu-
„ ribus, homicidis, aliiſque id genus nefariis hominibus longo intervallo ſejuncti
„ eſſent; caverent, ne odio, detractione, ambitione, aliiſque ejuſmodi peſtibus haud
„ eſſent meliores. Mortis memoriam jugiter ob oculos haberent, quippe qui hodie
„ vivimus, in craſtinum quid nobis eventurum ſit, ignoramus. Recogitarent ſe quon-
„ dam fuiſſe filios tenebrarum; nunc vero miſericordiam conſecutos eſſe filios lucis;
„ abjicerent proinde opera tenebrarum, & per præcepta Chriſti, quaſi per lucem,
„ ambularent. In ſumma, caritate ſimul colligati una viverent, invidiæ ac livoris ex-
„ pertes; certi ſe a diaboli incurſibus tutos ac ſecuros fore, ſi unianimes & concor-
„ des perſeverare ſtuduiſſent. Nec contentus diſcipulis ſuis ſalutaria dare monita, etiam finitimos ruricolas ſermonibus ſuis inſtruebat, bruta eorum pectora ad pietatem ſic flectens & emolliens, ut, ſi quando eos increparet, monachorum more ad ejus pedes ſtatim abjecti veniam peterent. Sicque factum eſt, ut Caletorum populi, qui ante ejus iſtuc adventum belluis ſimiles, ac pæne religionis expertes videbantur, ejus prædicatione manſuefacti atque ad meliora converſi, ex præſcripto evangelii viverent; & qui ante diripiebant aliena, tunc ſua largirentur; qui prius ſuperſtitionibus erant addicti, profanos ritus abjicerent; & qui ante verbo Dei rebelles, ne illud quidem dignabantur audire, tunc ſponte ſe ſubderent ſacræ Chriſti diſciplinæ. Denique tanto honore ex eo tempore proſequebantur ſacerdotes ac monachos, ut ſicubi eos obvios habuiſſent, mox in eis Chriſtum venerarentur & adorarent, obſequentes ſcilicet canoni quinto-decimo ſynodi Matiſconenſis, ſta-
„ tuentis, ut ſi quis ſæcularium quempiam clericorum in itinere obvium habuerit, ſi-
„ quidem ille ſæcularis equo vehitur, clericuſque ſimiliter; ſæcularis de capite gale-
„ rum auferat : ſi vero clericus pedes graditur, & ſæcularis vehitur equo, ilico ad
„ terram defluat, & debitum honorem prædicto clerico ſinceræ caritatis exhibeat. qua in re ipſi etiam pagani chriſtianis noſtri temporis religioſiores fuere in ſuos ſacerdotes [a], ſuaſque veſtales, quos Lucius Albinius, cum, obſidentibus capitolium Gallis, plauſtro conjugem ac liberos extra urbem vehens, pedibus cum ſacris abire cerneret, deſcendere uxorem ac pueros juſſit, virgines ſacraque in plauſtrum impoſuit; irreligioſum ratus, ſacerdotes publicos, ſacraque populi Romani pedibus ire; ſe ac ſuos in vehiculo conſpici.

a *Tit. Liv. l. 5.*

ANN. CHR. 648.

LII. Monaſteria a Sigiberto rege extructa.

Hoc etiam tempore Sigibertus, piiſſimus rex Auſtraſiorum, munificentiam regiam in condendis cœnobiis exhibuit. Ad duodecim enumerat Sigebertus monachus Gemblacenſis in libro de ejus vita, totidemque alii poſt eum recentiores : tametſi quatuor dumtaxat nobis comperta ſunt, nempe Caſæ-congidunenſe, Stabulenſe, Malmundarium, & ſancti Martini Mettenſe, ſi tamen hoc ante ipſum non exſtabat. Primum origine eſt illud quod Caſæ-congiduni, ſuper Seſmarum * fluvium, in honorem apoſtolorum Petri & Pauli & ſancti Johannis Evangeliſtæ, ac ceterorum martyrum in ſaltu Arduennenſi ædificavit, accito e Sollemniacenſi monaſterio Remaclo abbate, qui ſervis Dei illic congregatis præeſſet. Exſtat regium de hoc monaſterio diploma ᵃ primarium, ſed notis chronicis deſtitutum, in quo rex ait, ſe conſilio magnificorum apoſtolicorum Guniberti & Godonis (hi Colonienſis & Mettenſis epiſcopi erant) & illuſtrium virorum, Grimoaldi, Bobonis & Adalgiſili, monaſterium regulare ex ſuæ largitatis munere conſtruxiſſe in honorem prædictorum ſanctorum in ſilva Arduennenſi, in loco, qui dicitur Caſæ-conguidinus, quam Seſomiris fluvius cingere videtur ; ibidemque, Chriſto auſpice, Remaclum abbatem inſtituiſſe, ut ſervi Dei eo in loco ſecundum ordinem & monita antiquorum patrum converſari debeant. tum enumerat prædia eiſdem conceſſa, ut habeant, poſſideant, ſuiſque poſteris ſpiritualibus relinquant : quo eos Domino preces attentius fundere delectet. Supereſt etiam nunc cella ſeu prioratus in prædicto vico Caſæ-congiduno *, inter Chinium & Bullonium opida poſito ad Seſmarum fluvium, qui dextram Moſæ ripam ſubit prope Caſtrum-Reginaldi. Exſtabat olim ibidem ſancti Remacli cellula exciſa in rupe, ubi orare conſueverat, infirmorum concurſu, qui iſtuc voti cauſa confluebant, frequentata.

* la Semoy.

Caſæcongidunenſe.

ᵃ Bolland. 1. Febr. p. 234.

* Cougnon.

LIII. Malmundarium.

Non multo poſt, hortante Remaclo, Sigibertus alia duo conſtruxit monaſteria in ſaltu itidem Arduennenſi, unum in parochia Colonienſi, Malmundarium vocabulo ; alterum Stabulenſe in Tungrenſi ſeu Trajectenſi, tametſi vix duobus paſſuum millibus ab alio diſparatum. Ejus rei cauſa Remaclus Sigibertum adiit, ſuggeſſitque regiæ celſitudini, multa occurrere in aliis provinciis ſervorum Dei monaſteria ; in ſola Arduenna nulla exſtare. regiæ pietatis eſſe quædam iis in locis ædificare ; volenti facultatem ex Dei benignitate non defore : quippe omnia loca adjacentia regiæ ditioni eſſe obnoxia. Rex facile aſſenſit, ſtatimque convocari juſſit caros, fidoſque ſibi viros, quorum conſilio ac nutu gerebat omnia, Chunibertum Coloniæ-Agrippinæ epiſcopum, Attelanum ſive Attolam Laudunenſem, Theodefridum Tullenſem, & Giſloardum Virdunenſem ; necnon optimates, Grimoaldum præfectum palatii, Folcoaldum, & Bobonem ; domeſticos quoque ſuos, Chlodulfum, Anſigiſilum, & Berſelanum ; dixitque ſe induxiſſe animum, duo in Arduenna ſilva monaſteria conſtruere, in quibus habitarent religioſi viri, monaſtici inſtituti ſervantes, qui pro ſua, ſucceſſorumque ſuorum, ac rem publicam procurantium ſalute, ac totius regni ſtabilitate Deum precarentur ; eique operi ſe præficere velle Remaclum, cujus inſtinctu id aggreſſus fuerat. Ubi aſſenſere omnes pio regis propoſito, Remaclus, dum ſilvam Arduennam perluſtrat, locum offendit ad Warchinnam piſcoſum rivulum, ubi profanæ gentilitatis multæ reliquiæ erant, &, ſubverſis fractiſque Dianæ, aliorumque dæmonum ſtatuis, ac fonte ſignaculo dominicæ crucis purgato, oratorium ac cellas in uſus monachorum exſtruxit. Monaſterium in Colonienſi parochia poſitum Malmundarium placuit appellari : ſive id loco antea nomen erat, ſive ab eventu inditum, ut pleriſque placet, quod eum Remaclus a malo dæmonum cultu mundaſſet. Id factum, antequam Remaclus ad Tungrenſis eccleſiæ regimen aſſumeretur, patet ex ſuperiori Sigiberti diplomate ; in quo Remaclus tantum abbas appellatur : tametſi id poſt ejus promotionem referunt ejus vitæ ſcriptores, certe non admodum in deſignandis temporibus accurati. Inde haud procul a flumine Amblava in Trajectenſis diœceſeos finibus, loco qui Stabulaus dicebatur, alterum monaſterium ædificavit. Utrique monaſterio præfuit Remaclus, epiſcopus-abbas dictus in duobus diplomatis Sigiberti regis, quo jubente baſilicam non modo Stabulenſem, ſed etiam permiſſu Chuniberti epiſcopi Malmundarienſem conſecraſſe dicitur, in honorem Dei genitricis Mariæ, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Johannis Baptiſtæ & ſancti Martini ; & Malmundarium quidem Stabulenſi monaſterio ita conjunxiſſe, ut ab uno abbate, qui in Stabulenſi reſideret, utrumque regeretur. quæ res multarum ſubinde rixarum materia & ſeminarium fuit. In uno

& Stabulenſe.

ANN. CHR. 648.

a Bolland. 1. Febr. p. 235. col. 1.

b Ibid. col. 2.

ex duobus regiis diplomatibus [a] Sigibertus rex utriuſque monaſterii conſtructionem Grimoaldo tribuit; aitque ſe conſenſu prædictorum epiſcoporum ac procerum ampliſſimum eiſdem cœnobiis ſpatium aſſignaſſe, *ob cavenda pericula animarum inhabitantium, & ad evitanda conſortia mulierum*; nempe circa utrumque cœnobium quoquo verſus duodecim milliaria: ubi quidquid agri culti aut inculti jaceret, monachorum eſſet. quæ donatio litteris confirmata regiis, manu regia ſubſcripta, annuloque regio ſignata eſt. Eamdem poſtea ratam habuit Childericus Auſtraſiorum rex, Theodardo in ſedem Tungrenſem ſubſtituto in locum Remacli epiſcopi, qui dimidia parte agri ab Sigiberto conceſſi contentus fuit. Ad hæc idem rex quædam in Aquitania loca [b] ad Ligerim, ac nonnulla vectigalia, & ex villis fiſcalibus, quæ ambobus monaſteriis adjacebant, decimas eis attribuit anno regni, uti apud Notgerum in vita ſancti Remacli legitur, quarto-decimo, qui cum anno hujus ſæculi quinquageſimo-ſecundo coincidit. atque adeo ante hunc annum jam utriuſque monaſterii fabrica erat abſoluta, cum Sigibertus rex vix annum ætatis quintum-decimum exceſſerat. Ut nugari mihi videatur Sigebertus Gemblacenſis monachus, cum ſcribit, regem Sigibertum, propterea quod liberos non habebat, & de progignenda prole deſperabat, monaſteriis conſtruendis ac dotandis appuliſſe animum, uti hoc pacto Deum rerum ſuarum, ſaltem ex parte, heredem faceret: cui vix per ætatem habere uxorem licebat.

LIV. S. Martini Mettenſe.

c Capitul. to. 2. p. 1565.

d ib. p. 1279.

Quartum monaſterium, cujus auctor rex Sigibertus, eſt ſancti Martini in regiæ urbis ſuburbio Mettenſi, ubi corpus ſuum humari juſſit. Abbatia ſancti Martini a Campis vocabatur, poſtea tranſlata ad radices montis ſancti Quintini, ac demum ſuperiori patrum noſtrorum ævo penitus exciſa, abbatiæ reditibus una cum ſancti Sigiberti regis reliquiis Nanceïanæ primariali eccleſiæ attributis. Huic abbatiæ præfuit ſæculo nono Sigelaus abbas, id eſt tempore Lotharii imperatoris, ut docent verſus præmiſſi codici [c] evangeliorum, quem idem Lotharius eidem abbatiæ obtulit, cum eo, ut ejus frater conſcriptus eſſet, ſeu particeps ſuffragiorum & bonorum operum ejuſdem monaſterii. Exſtat in fronte ipſius codicis effigies Lotharii imperatoris, quam vir de re publica litteraria bene meritus Stephanus Baluzius in æs incidi curavit tomo ſecundo capitularium.

LV. Remacli epiſcopi ordinatio.

Redeo ad Remaclum, quem ab anno hujus ſæculi quinquageſimo-ſecundo vocatum fuiſſe epiſcopum modo dicebamus. Ejus ordinatio in quibuſdam faſtis notatur III. nonas Februarii, quæ dies dominica, ut in ordinationibus epiſcoporum ſolet, fuiſſe debuit, qualis fuit hoc anno biſſextili. Id ſi ita eſt, non certæ ſedis epiſcopus creatus eſt, ſed incertæ, forte ut hoc titulo dignitas & honor ejus augeretur. Certe in præmiſſis Sigiberti regis litteris epiſcopus-abbas appellatur, & Stabulenſi ac Malmundario monaſteriis, non Tungrenſi aut Trajectenſi eccleſiæ tunc præfuiſſe dicitur.

LVI. Amandus fit epiſcopus Trajectenſis.

Callos.

Trajectenſem ante eum eccleſiam, mortuo Johanne epiſcopo, per tres annos rexit ſanctus Amandus, cujus electio vix ante hunc annum collocari poteſt, cum longe ante regionarius epiſcopus fuiſſet ordinatus. Comperto Johannis obitu, Sigibertus rex Amandum accerſiri juſſit, eumque, ab univerſo clero & populo approbatum, vacanti eccleſiæ ſufficiendum curavit. Id oneris, quantumvis reluctans, ſuſcipere coactus, vicos & opida obire, & verbum Dei omnibus prædicare cœpit. Prædicantem ægre ſuſtinuerunt indomitæ incolarum mentes, & per biennium prædicationi inſiſtentem, tandem vacuum abire coëgerunt. Hinc, cæleſti vindicta proſequente, everſæ domus, agri in ſolitudinem redacti, opida cum vicis ſubverſa, & contumaces ipſi ad unum fere exſtincti. Interim Amandus, excuſſo pedibus pulvere, ut Chriſtus Dominus inſtituit, in parvam inſulam, cui Chavelaus * vocabulum eſt, in Scaldis fluvii æſtuariis Friſiis adjacentibus poſitam, ſe recepit cum ſpiritalibus fratribus, dum ad Vaſcones iterato adiret. Per id tempus Elnonenſe monaſterium regebat Urſus abbas, quem Amandus Trajectum migrans ſibi ſubſtituerat.

LVII. Injurioſus abbas Condateſcenſis.

Hoc ipſo tempore Condateſcenſe monaſterium in Jurenſibus Sequanorum locis regebat Injurioſus abbas undecimus, qui corpora ſanctorum Lupicini & Romani, primorum ejuſdem monaſterii abbatum, alterum ex Lauconnenſi, alterum ex Romano monaſteriis, ubi humata fuerant, in Condateſcenſem baſilicam tranſtuliſſe memoratur, & juxta aram, quam erexerat, repoſuiſſe, relicto tamen ſancti Lupicini capite in eccleſia Lauconnenſi. Verſus rythmicos hujus rei indices, quantumvis rudes, huc adſcribo.

Digitized by Google

Beatus Injurioſus undecimus abbas fuit.
Hic corpora vir conſultus ſanctorum Patrum extraxit
De ſuis prioratibus, atque ea depoſuit
In cœnobio devotus juxta aram, quam erexit.

ANN. CHR. 648.

Nihilo minus ante quatuor abhinc annos, dum majus altare eccleſiæ Lauconnenſis ſeu ſancti Lupicini ad amplificandum chori ſpatium ſummoveretur, egerenda humo inventus eſt loculus ex polito lapide, longus tres circiter pedes, in quo caput & oſſa quædam reperta ſunt cum plumbea lamina, cui hæc verba Carolini ævi litteris majuſculis inſcripta erant: *Hic requieſcit beatus Lupicinus abbas.* Hinc ingens omnes ſubiit admiratio, & quæſtio nata non parum perplexa, veræne eſſent ſancti Lupicini reliquiæ, quas olim Injurioſus abbas in Condateſcenſe monaſterium aſportaſſe ferebatur. Conſultus hac de re illuſtriſſimus Veſontionum archiepiſcopus veras eſſe reſpondit. Condateſcenſes interim hærent, qui ſacras Lupicini reliquias in ſua jam dudum aſſervatas eccleſia, a furentibus hæreticis diſſipatas fuiſſe affirmabant. Conſultus ego quoque hac de re quid certi afferrem? Illuſus eſt Injurioſus, & pro ſancti Lupicini corpore aliud effodit? Definiant qui ejuſmodi lites interminabiles definire amant: mihi certe ad alia feſtinanti nec vacat, nec lubet.

ANN. CHR. 649.
LVIII.
Giſlenus Cellenſe monaſterium ſtruit.

Dum Trajectenſem eccleſiam adminiſtrabat ſanctus Amandus, Giſlenus Cellenſe, Vincentius Altimontenſe monaſteria condiderunt. Giſlenus ſeu Ghiſlenus natione Græcus fuiſſe dicitur, tametſi ejus nomen originem Francicam ſapit. Hunc Athenis natum, ibidem litteris dediſſe operam, atque in patria monachum ſub ſancti Baſilii norma induiſſe tradunt; dein Roma luſtrata, ubi ſacros ad ſacerdotium ordines ſuſceperit, in Belgium acceſſiſſe cum duobus diſcipulis, Lamberto & Bellirio, quæ itidem nomina Francos potius indicant, quam Græcos. tum, conſpectis Belgii monaſteriis, adiiſſe præſulem Amandum, ſanctitatis fama celebrem, ejuſque colloquio & conſiliis inſtructum perveniſſe ad locum, qui Caſtrilocus dicitur, in pago Hainoënſi, qui hodiernæ Hannoniæ pars erat. Interim Dagobertum regem inter venandum iſtuc penetraſſe urſam perſequendo, quæ ad Giſlenum refugiens, canum morſus & mortem ipſam evaſerit; dein abierit in vicinum locum, ubi catulos fovebat, qui locus ob id Urſidongus appellatus, ac demum Cella, ad Hainam amnem, ubi Giſlenus monaſterium, a loco primum Cellenſe, dein proceſſu temporis ab auctore ſancti Giſleni dictum, ædificavit. His narratiunculis addunt, urſam aliquando Giſleni ſportam, miniſterii ſacri inſtrumenta continentem, in antrum ſuum extuliſſe: quod furtum aquila duce deprehenſum ſit. Hinc Cellenſes noſtri ſemper urſum & aquilam cicures apud ſe fovent, quibus carere piaculum ſit ac religio. Fabulas narrare videar: ſed eſt etiam ſuus fabulis in hiſtoria uſus, ubi veræ narrationes deſunt, & certæ rerum origines. Expurgato & diſpoſito loco, Giſlenus baſilicam in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ædificavit, quam ſanctus Autbertus diœceſanus, id eſt Cameracenſis, epiſcopus, una cum beato Amando, conſecravit, probata prius Giſleni vitæ ratione. Poſtea Giſlenum inviſiſſe dicitur Dagobertus, forte potius ejus filius Sigibertus, qui, comperta ejus ſanctitate, locum Cellam dictum, & quidquid in circuitu eſt, ſilvarum, aquarum, aliarumque rerum, cum villa Hornuto ſanctis apoſtolis Petro & Paulo tradidit.

LIX.
Vincentius Altimontenſe.

Eodem tempore in illis partibus inter illuſtres & optimates viros eminebat Madelgarius comes, Vincentius poſtea vocatus, quem cum Amalgario duce, a Dagoberto adverſus Vaſcones miſſo, nonnulli perperam confundunt. Ex Waldetrude nobiliſſima conjuge ſuſcepit Aldetrudem & Amalbertam, unam poſt alteram abbatiſſas Melbodienſes. Landricum filium his addunt, alioſque, quos commemorare nil juvat. Sejuncti ab invicem mutuo conſenſu piiſſimi conjuges, totos ſe ſe pietatis officiis ac rebus ſacris manciparunt; & Vincentius quidem Altimontenſe monaſterium virorum; Waldetrudis Caſtrilocenſe virginum conſtruxit. Ex actis ſanctarum Walderrudis & Aldegundis colligitur, Altimontenſe monaſterium conſtructum fuiſſe, priuſquam Madelgarius converſionem meditaretur, aut certe exſequeretur.

Altus-mons locus eſt ad Sabim * fluvium in Hannonia, ubi Vincentius cœnobium ſuis ſumtibus ædificavit, deſignato cælitus loco, ut Baldericus [a] epiſcopus tradit,

* *La Sambre.*
a *Balderic. chro. Camerac. lib. 2. c. 31.*

ANN. CHR. 649.

in formam crucis nive reſperſo. Iſtic Vincentius, beati Autberti epiſcopi monitis animatus, ſæcularis militiæ abjecta pompa, ſe totum Deo conſecravit, ejuſque loci baſilicam ab eodem antiſtite in honorem apoſtolorum Petri & Pauli dedicari curavit. Hanc Madelgarii ſeu Vincentii converſionem ſcriptor vitæ ſancti Giſleni, a Surio editus, factam tradit eo tempore, quo monaſterii Cellenſis baſilicam Autbertus & Amandus epiſcopi conſecrarunt: quorum admonitionibus Vincentius converſus ſit, ac beati Autberti manibus tonſus ſeceſſerit in monaſterium Altimontenſe ab ſe exſtructum, ubi uſque ad obitum ſuum incluſus vixerit. Sed præferenda videtur Balderici [a] auctoritas, ſcribentis, Vincentium poſteaquam aliquamdiu apud Altum-montem vixerat, in ſecretiorem locum seceſſiſſe, Sonegias * appellatum, propterea quod Altimontenſe monaſterium, regum munificentia plurimum auctum, frequentia fratrum populoſior haberi cœpiſſet; ibique exſtructo monaſterio, quod modo ſæcularium canonicorum eſt, baud procul a Montibus-Hannoniæ reliquum vitæ exegiſſe cum filio ſuo Landrico, quem Meldenſis eccleſiæ epiſcopum idem auctor facit. Urſio abbas in libro de tranſlatione corporis ſancti Marcelli papæ & martyris, quem Lietberto Cameracenſi epiſcopo ſub finem ſæculi undecimi nuncupavit, auctor eſt, Dagobertum locum excoluiſſe, rebus ac reditibus ditaſſe & auxiſſe, adeo ut trecenti iſtic monacbi eo tempore accreverint; & reliquiis ſancti Marcelli papæ & martyris exornaſſe, & quidem *Martini papæ conceſſu*, cujus pontificatus cum regno Dagoberti conciliari non poteſt, annis amplius decem ab ejus morte remotus, cum nonniſi hoc anno, ſæculi ſeptimi quadrageſimo-nono, Martinus ſedere cœperit. Id vero quoniam aliquanti momenti eſt, hoc loco de Martini pontificatu, & quorumdam ejus deceſſorum ac ſucceſſorum quædam obſervare juvat.

[a] *ibid. c.* 46.
* *Sogum.*

L X. Romanorum pontificum chronologia.

Martini deceſſores fuere Johannes quartus & Theodorus, quorum ille anno hujus ſæculi triceſimo-nono Severinum, Honorii primi ſucceſſorem, excepit, ſeditque uno dumtaxat anno, & menſibus decem non integris: bic vero annos ſeptem cum menſibus ſex incompletis. Johanni quarto ab Holſtenio [b] & novis conciliorum editoribus [c] tribuitur epiſtola ad Iſaacum Syracuſanum epiſcopum, in vulgatis indicibus omiſſum, qua monachis conceditur facultas inſtituendi preſbyteros in eccleſiis ſibi attributis: qua de re clericos inter ac monachos gravis controverſia exorta fuerat. quæ ut ſopiretur, conſilio multorum fratrum diligentiſſime exquiſito, » decrevit pontifex, ut amodo eccleſiæ monachis traditæ per ſuos ſacerdotes inſtituan- » tur. Divinæ enim leges habent, inquit, & ſæculares, ut cujus eſt poſſeſſio, ejus » fiat inſtitutio: &, ſi in dando quod majus eſt, facilis fuit caritas, ſit facilior in » concedendo quod minus eſt, ſancta largitas. Majus enim fuit poſſeſſionem dare » quam ſit veſtituram concedere. Ubi advertere convenit, pontificem eam facultatem tribuere monachis, non abbati. quod ſi boc tempore obſervaretur, non excitarentur hac de re tot lites monacbis, abbatiali ſede vacante. Hanc epiſtolam deſignare videtur Innocentius [d] tertius, cum ait, monachos ad eccleſiarum parochialium regimen in preſbyteros ordinari poſſe *per antiquos canones*. Johanni quarto ſucceſſit Theodorus; Theodoro poſt ſeptem regiminis annos & ſex fere menſes Martinus, quem Hermannus Contractus anno quadrageſimo-nono ſedere cœpiſſe recte ſcribit; ſediſſe vero annis ſex, menſibus fere duobus, ſeu, ut haber Anaſtaſius, annos ſex, menſem unum, dies viginti-ſex. Anno igitur quinquageſimo-quinto ejus martyrium accidit, non quarto, ut Baronio viſum eſt: qui etiam in deſignando Martini exſilio erravit, quod non anno quinquageſimo, ſed quinquageſimo-tertio decretum eſt, nempe *feria ſecunda, quinto-decimo kalendas Julias*; ejus vero ejectio contigit feria quarta, tertio-decimo eaſdem kalendas. id quod ipſius Martini epiſtola quinta-decima teſtatum facit. Falſus eſt etiam Baronius in annis ſequentium pontificum; adeoque ejus calculus emendandus in deſignandis annis Eugenii, Vitaliani, aliorumque pontificum, qui Martino ſucceſſerunt, uſque ad Agathonem, in quo rectus calculus cum Baroniano demum in concordiam redit. Certe Milo monachus Elnonenſis in ſupplemento ad Baudemundi librum de geſtis S. Amandi, annum Domini ſexcenteſimum ſexageſimum-primum illigat anno pontificatus Vitaliani tertio, qui proinde non anno, ut apud Baronium, ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto, ſed qninquageſimo-octavo ſedem iniit. Quippe Martino exſtincto menſe Novembri anni quinquageſimi-quinti, vacavit ſedes menſes fere duos. Dein electus Eugenius ſedit annis duobus, menſibus octo cum aliquot diebus; ſucceſſorem ſortitus Vitalia-

[b] *Holſten. coll. Rom. p.* 253.
[c] *Labbe to.* 5. *col.* 1772.

Monachis licet inſtituere preſbyteros in ſuis eccleſiis

[d] *Innocent. III. de ſtatu mon. tit.* 35. *c.* 5.

num, qui pontificatum tenuit annos quatuordecim cum dimidio; locumque fecit Adeodato anno ſeptuageſimo-tertio; qui ſedit annos quatuor, menſes duos: Donus annum unum & menſes quinque, ex Anaſtaſio: cujus ſucceſſor Agatho exſtitit anno ſeptuageſimo-nono. Hæc in rerum ſequentium fidem præmittenda fuere: modo ad ordinem redeundum eſt.

LXI. Monothelitæ damnati, etiã a monachis.

Vix thronum apoſtolicum ſubierat Martinus, cum nefandam Monothelitarum hæreſim ſollemni eccleſiæ anathemate proſcribere in animum induxit, exemplum ſecutus Theodori deceſſoris ſui, qui, convocato ad ſancti Petri ſepulcrum eccleſiæ „conventu, poſtulato divino[a] calice, ex vivifico Chriſti ſanguine in atramentum ſtilla- „vit, & ita propria manu depoſitionem & excommunicationem Pyrrhi, illius ſectæ „antesignani, fecit ac ſubſcripſit. Hoc itaque anno Martinus ſynodum centum & „quinque epiſcoporum apud Lateranum, menſe Octobri, actionibus quinque celebravit, ubi, typo Conſtantis imperatoris damnato, Monothelitarum hæreſim, ejuſque auctores ac promotores diris multavit. Tunc temporis plurimi, tum ex Oriente, tum ex Africa monachi a Monothelitis vexati in Urbem commigraverant, ſibique aſſignatas a pontifice occupabant eccleſias. Horum hegumeni ſeu rectores cum præcipuis e ſuis actione ſecunda concilium adierunt, poſtulaturi, ut Monothelitæ, in primis Paulus patriarcha Conſtantinopolitanus, qui typi fabricandi Conſtanti imperatori auctor fuerat, proſcriberentur. Hujus rei cauſa ſynodo libellum ſupplicem obtulerunt Johannes abbas-preſbyter venerabilis lauræ ſancti Sabæ, conſtitutæ in eremo juxta ſanctam Dei civitatem, ſcilicet Jeroſolymitanam; Theodorus abbas-preſbyter lauræ in Africana provincia conſtitutæ; Thalaſſius abbas-preſbyter monaſterii Armeniſſarum in Romana civitate, vocabulo Renati; & Georgius abbas-preſbyter monaſterii de Cilicia, poſitus ad-Aquas-ſalvias in eadem urbe, multique cum eis reverendiſſimi abbates & monachi, qui libello ſupplici ſubſcripſerunt. In editione Labbeana ſecundo loco ſubſcribit Thalaſſius abba-preſbyter ſanctæ Dei Genitricis & beati Andreæ, haud ſcio an monaſterii in Clivo-Scauri, quod a Græcis ſæculo nono inhabitatum fuiſſe Johannes diaconus auctor eſt. In his ſubſcriptionibus qui preſbyteri erant ex monachis, ſuppreſſo monachi nomine tantum preſbyteri vocantur. In his reperitur Maximus monachus, haud dubie non alius ab eximio illo confeſſore & athleta, cujus opera Pyrrhus, aliique ejuſdem ſectæ fautores compreſſi ſunt. Hunc ſubſequitur Anaſtaſius monachus ejus diſcipulus. Porro unus ex illis Theodorus abbas, una cum Johanne, Stephano, & Leontio monachis, quorum itidem nomina in his ſubſcriptionibus exſtant, a Martino pontifice in Orientem juſſus eſt ſynodi acta perferre ad Johannem Philadelphiæ epiſcopum, quem pontifex vicarium ſuum conſtituerat. Ab eo tempore a monachis Græcis incoli cœpit baſilica ſancti Anaſtaſii ad-Aquas-Salvias, quem locum Gregorius Magnus baſilicæ ſancti Pauli prius attribuerat. De hoc monaſterio mentio ſæpius recurret. Ad monachos Græcos quod attinet, atras aut ſubnigras eorum veſtes etiam tunc fuiſſe teſtatur ſanctus Maximus[b] abbas in libro de quæſtionibus & dubiis ad interrogationem ſexageſimam-ſeptimam, ubi de monaſtici habitus ſignificationibus agit, aitque monachorum indumenta ideo pulli coloris eſſe, ut omnes intelligant, debere nos eſſe obſcuros ſæculo, quippe qui vitam ac municipatum in cælo habeamus. Ad Latinos revertamur.

[a] Theophan. an. 20. Heracl.

[b] Maxim. to. 1. p. 327.

LXII. S. Goaris obitus.

Ad hunc annum retulimus obitum ſancti Goaris apud Trevirenſes. Is natione Aquitanus, ſuſcepto ſacerdotio, ſeceſſit ad quoddam Germanicum opidum in finibus Trevirorum pago Trigorio, ad Wocharam fluviolum, paullo ſupra confluentes Moſellæ & Rheni: ubi permiſſu Felicii epiſcopi oratorium cum cella exſtruxit. Miſſam quotidie, excepto die paraſceves, præmiſſa divinorum officiorum recitatione, celebrare ſolitus, & excipere peregrinos, apud Ruſticum Trevirenſem epiſcopum accuſatur, ac ſiſtitur. Verum, qui quaſi reus ad judicem perductus fuerat, judicis ipſius ſtuprum ex ore infantis expoſiti eliciuiſſe dicitur. Moris tunc erat apud Trevirenſes, notante Wandelberto Prumienſi monacho, ut, ſi quando mulier infantem, cujus patrem ſciri nollet, aut quem præ inopia rei familiaris nutrire non ſufficeret, exponere vellet, eum deponeret in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipſum ſtatuta erat ad oſtium eccleſiæ, tum infantem accipientes matricularii ſeu cuſtodes eccleſiæ, diſquirebant in populo, ſi quis forte eum ſuſcipere nutriendum, & pro ſuo deinceps habere vellet, epiſcopo rem deinde approbante. Hanc

ANN. CHR. 649.

vero concham Prumienſi monaſterio a Pippino rege conceſſam, & ad lavandas manus prope refectorium adhibitam fuiſſe, idem auctor teſtatur. Neque is mos Trevirenſibus peculiaris erat. Exſtat hac de re decretum ſynodi Matiſcenſis apud Burchardum, præcipientis, ut, ſi aliqua femina clanculo corrupta prolem pepererit, ne eam interficiat, ſed ante januas eccleſiæ exponat, ab aliquo fideli ſuſcipiendam & nutriendam. Idem legitur in quadam epiſtola [a] collectionis Sirmondianæ, inter formulas veteres in appendice ad Marculfum. Purgata innocentia, vir Dei pænitentiam pro epiſcopo ſubire paratior fuit, quam oblatum ſibi a Sigiberto rege epiſcopatum ſuſcipere. Reverſus ad cellam ſuam, poſt ſeptem abhinc annos deceſſit pridie nonas Julias: cujus corpus Agrippinus & Euſebius, ipſo petente a Sigiberto rege prius miſſi, ſepulturæ mandarunt eo in loco, qui poſtmodum miraculis illuſtratus nomen mutavit, accepta ſancti Goaris * appellatione; atque Prumienſi monaſterio a Pippino rege conceſſus eſt. Libros duos de ſancti Goaris geſtis poſt antiquiorem anonymum, unum de vita, alterum de miraculis, ſcripſit Wandelbertus monachus Prumienſis anno octingenteſimo triceſimo-nono, eoſque Marcwardo abbati ſuo nuncupavit.

a Capitul. to. 2. p. 474. V. to. 4. Analect. p. 263.

* S. Gewer.

Huic percelebri auctori partim tribuendum pnto, quod ſancti Goaris memoria tam celebris fuerit: quippe quem laudant poſt Bedam Martyrologi omnes, Rabanus, Wandelbertus ipſe, Uſuardus, Ado & Notkerus, ex quibus Rabanus & Notkerus acta ejus compendio retulere. Compendioſior eſt ceteris Uſuardus, cujus hæc verba ſunt in pervetuſto noſtro exemplari pridie nonas Julii: *In pago Maginenſi ſancti Goaris presbyteri & confeſſoris.* Eadem habet Adonis noſtri veterrimus codex, excepto loco, quem ſtatuit in pago *Thretarenſi*, quem alii Trigorienſem ſeu Maginenſem vocant. Apud omnes unus ſancti Goaris titulus eſt *presbyteri*, pro more illorum temporum, quibus poſt epiſcopi nomen illuſtrior nullus, ne quidem abbatis, titulus merito cenſebatur.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

ANN. CHR. 650.

LIBER QUARTUS-DECIMUS.

Ab anno Chriſti 650. *ad annum* 659.

I. Furſei obitus & ſepultura.

CONSTRUCTO Latiniacenſi monaſterio Furſeus, promiſſi Sigeberchto Saxonum regi facti non immemor, ac germanos, quos illic reliquerat, ſuos, Foillanum & Ultanum, reviſere cupiens, in Britanniam inſulam reditum aggreditur, Latiniacenſis monaſterii cura Emmiano, viro ſancto, relicta. Ubi ad vicum Macerias *, quæ Haimonis ducis, hoſpitis quondam ſui, poſſeſſio erat in Pontivo ad Alteïam * fluvium, pervenit, morbo corripitur, & angelorum conſpectu dignatus, ibidem ad Deum migrat XVII. kalendas Februarii. Mox Haimoni duci ejus obitus ſignum apparuit, nempe Furſeus cum duobus ſuis diaconis, & tres cerei ſuper ipſius menſam accenſi. Tunc ille viri Dei verba ſibi facta in memoriam revocans, eum obiiſſe intellexit in villa Maceriis, quam illi quondam conceſſerat. Nec mora ad eum condigno cum honore ſepeliendum pergit. Dum funus paratur, accepta viri Dei morte Erchinoaldus, qui tum non procul aberat, illuc cum armata manu properat, ſacrum corpus vi repetiturus. Tum Erchinoaldus ad Haimonem: Redde, inquit, mihi monachum meum. ſic Furſeum vocabat ob conditum in ejus gratiam monaſterium. Haimo contra repugnabat, ſuum eſſe aſſerens, ut qui filium ipſius e mortuis excitaſſet. Interim dum invicem litigant, puella cæca feretri contactu lumen recepit. Demum inter eos convenit, quod Haimoni favorabilius videbatur, ut junctis ad feretrum duobus tauris indomitis, ex eorum curſu lis finiretur. Tauri Perronam contendunt, Erchinoaldo ovante ac proſequente. Verum in via cum militum manu interceſſit Bercharius dux Lugdunenſis ſeu Laudunenſis, qui corpus ſacrum ex lege ſibi deberi affirmabat, utpote regionis duci, ut qui Furſeo magnam bonorum ſuorum partem voviſſet, tametſi numquam illum viventem, prohibente nimirum Erchinoaldo, videre meruiſſet. Saltem mortui corpore frui ſineret Erchinoaldus: aut certe pueri duo litem dirimerent, in alterutram partem illud deportaturi. Erchinoaldo aſſentiente, duo pueri ſeptennes ferètrum efferunt, & Perronam verſus tendentes, ei victoriam cedunt. Illic per triginta dies inſepultum ſervatur corpus, dum baſilica, quæ necdum perfecta erat, abſolveretur, in honorem duodecim apoſtolorum conſecranda; & funebris pompa magno ſumtu pararetur. Frendebat ad hæc Leutſinda Erchinoaldi conjux, quæ ſe, filiaſque ſuas pecuniis & poſſeſſionibus ab eo ſpoliari querebatur, ut homo ignotus ditaretur. ſi ſic

* Mazerolles.

* Anthie.

ANN. CHR. 650. agere perſeveraret, ſibi ſatius eſſe ab ipſius conſortio ſeparari; miſeram ſe, quæ viro bonorum ſuorum prodigo nupſiſſet. Erchinoaldus vero uxoris mitigare animum, ac mollioribus verbis affari. Ah deſine, ait, cariſſima, ita loqui. O ſi ſcires quanta nobis ex ſanctiſſimi viri familiaritate bona provenerunt, numquam talia proferres. ſed vide ne tibi ejuſmodi ſermones iram ejus accerſant. Tum illa cachinnans: Ecquid mihi putridus ille triginta dierum ſaciat mali? Interim illuxit dies, quo, præparata baſilica, omnibuſque ad funus neceſſariis, ſacrum corpus ſepeliretur, id quod v. idus Februarii accidit. Apud Bedam poſt dies viginti-ſeptem parata baſilica dicitur: ſed rotundo numero triginta dies ab aliis numerantur, nempe a ſeptimo-decimo kalendas Januarii ad hunc diem. Paratis itaque omnibus, Erchinoaldus ad uxorem: Hac die, inquit, viri Dei virtutem experiri poteris: ſin minùs, centuplo tibi poſſeſſiones tuas reſtituam. Mox Leutſinda promiſſo facta lætior, àd feretrum accedit, loculum detegit; at oculis repente orbata, eum intueri non meruit. Tum illa jam tandem reſipiſcens, tamdiu ad ſacrum loculum oravit, dum amiſſum lumen cælitus recuperavit, bonis acquiſitis Chriſto in ejus gratiam conſecratis. Poſt hæc magna pompa ſanctum corpus ad dextram altaris partem repoſitum, donec ad ejus ſepulturam pararetur ædicula, in qua poſt annos quatuor ab illuſtribus & ſanctis epiſcopis, Eligio Noviomenſi, & Autberto Cameracenſi conditum eſt, ita illæſum ac integrum repertum, quaſi ea primum die exanimatum fuiſſet. Crebreſcentibus deinceps miraculis, Erchinoaldus cum conjuge Leutſinda novam ei ædificavit eccleſiam; ejus vero ſepulcrum ſeu mauſoleum ſanctus Eligins manibus propriis fabricavit. Ab eo tempore monachi locum illum incolere cœperunt, ut patet ex miraculo ſequenti, quod a primario vitæ ſancti Furſei ſcriptore relatum eſt. Matrona quædam, graviſſimo vexata morbo, cum nullum ex medicis levamen acciperet, admonita in ſomnis de adeundo ſancti confeſſoris ſepulcro, eo accedere non valens, miſit qui eulogias inde ſibi referret. Famulus ab ea miſſus, *veniens ad virum, cui ſollicitudo erat monaſterii*, eulogias petit, nempe vinum benedictum. At frater ille reſpondit: Certo ſcias hoc ſterili anno id tantillum vini nobis dumtaxat ſuppetere, quod vix ad miſſas nobis ſufficiat. At famulus rogavit ſibi ſaltem indicari fontem, ut ex ipſo aquam dominæ ſuæ deferret. Matrona ad ſe delatam ut guſtavit, numquam ſe melius vinum bibiſſe teſtata eſt. Idem experti ejus famuli atque vicini, qui ex allato vaſe hauſerunt; & ipſa cum omnibus ſuis, quotquot morbo affecti erant, ſanitatem recepit, ſeque ſuaque omnia Deo pro meritis ſancti Furſei cum illis vovit. Hæc ex auctore anonymo, qui ejus res geſtas primus ſcripſit, quem venerabilis Beda laudat, ac fere de verbo in hiſtoria ſua reddit. Eadem geſta duobus libris proſecutus eſt alter anonymus; & poſt eum Arnulfus, labente ſæculo undecimo abbas Latiniacenſis, duobus itidem libris, aſtero vitæ, altero miraculorum, commentatus eſt rogatu Perronenſium, ut in codice olim Chriſtinæ reginæ Sueciæ legebatur; idemque Romanam Furſeo peregrinationem, regiumque genus tribuit, quem Beda nobiliſſimo genere Scottorum procreatum dicit. Secundus vitæ ſcriptor perantiquus Furſeo pontificalem dignitatem conceſſam fuiſſe exiſtimat, idque traditione acceptum credunt nnn modo Latiniacenſes noſtri & Perronenſes, ſed etiam Cameracenſes, teſte Molano. Certe in majori porta ejus baſilicæ Perronenſis ſanctus Furſeus cum epiſcopi inſignibus pictus eſt ante annos quingentos. quamquam nulla ejus rei mentio apud primum vitæ ejus ſcriptorem, aut apud venerabilem Bedam. Caſulam ejus cum ſtola ſervant noſtri Latiniacenſes, qui manipulum, quem vocant, Perronenſibus canonicis conceſſerunt in vicem accepti ex ejus capite oſſis petroſi. Ex his corrigendus Ado in martyrologio, eumque ſecuti Wionius, aliique, qui Furſeum primo ſepultum in Latiniaco monaſterio, deinde Parronam ſeu Perronam tranſlatum fuiſſe ſcribunt. Prope vicum Macerias, ubi Furſeus ſupremum obiit diem, exſtat vicus alter baſilica ejus titulo inſignis, vulgo *Forshem*, id eſt Furſei-domus, appellatus; cui villa Majocus olim dicta, nunc *Hemon*, ab Haimone duce appellatur.

II. S. Furſei monaſterium Peronæ. Baſilicam ſancti Furſei, quæ jam pridem collegium ſæcularium canonicorum eſt apud Perronam, monachis principio addictam fuiſſe, probat in primis monaſterii nomen, a primo vitæ ejus ſcriptore eidem inditum, quod nomen ante ſæculum nonum, quo ad clericorum etiam ſignificanda collegia uſurpari cœpit, nonniſi ad deſignanda monachorum domicilia in uſu erat. Certe Erchinoaldus, condito in Furſei

ANN. CHR. 650.

gratiam cœnobio Latiniacenſi, aliud Perronæ in monte Cygnorum præparabat, ut, ſi acceptior ei fuiſſet hic locus, eum cum ſuis monachis incoleret, ibidemque ſepeliretur. Denique annales Mettenſes ſæculo nono ſcripti diſerte habent, poſt Textricianam Pippini ducis contra Theodericum regem victoriam, quæ paullo poſt Furſei mortem accidit, multos ex Theodericianis ad beati Quintini martyris limina, nonnullos *ad Perronam Scottorum monaſterium, in quo beatus Furſeus corpore requieſcit*, confugium feciſſe: quibus, *interventu abbatum locorum illorum*, mitiſſimus princeps Pippinus, acceptis ab his tantum ſacramentis, cunctis vitam cum rebus ſuis facile condonaverit. Erant ergo tunc temporis, id eſt labente ſæculo ſeptimo, monachi cum abbate tum in Perronenſi baſilica, ubi ſanctus Furſeus requieſcebat, tum in baſilica S. Quintini apud Auguſtam Viromanduorum. Et Quintinianæ quidem eo tempore præerat Ebertramnus abbas, ſancti Bertini ſocius: Furſeanæ vero paullo ante Ultanus, ſancti Furſei germanus, qui eo mortuo ex inſula Britannia, ubi monaſterium a fratre ſibi relictum regebat, in Galliam accedens, Perronenſi ab Erchinoaldo præfectus fuerat. Ultanus, ait clariſſimus [a] Valeſius, præerat cœnobio Perronenſi, ab Erchinoaldo patricio exſtructo, in quo frater ipſius Furſeus ſepultus erat: quod quia Scottum abbatem & multos ejuſdem nationis monachos habebat, Scottorum monaſterium vulgo appellabatur. Sub eo ſanctus Amatus Senonum pontifex eo in loco exſulavit, ut in ipſius Amati vita legitur: in qua Ultanus & Foillanus, beati Furſei germani, poſt ejus deceſſum in Galliam adveniſſe perhibentur: & Ultanus quidem Perronenſi monaſterio, ubi ejus frater ſepultus jacebat, præfuiſſe; Foillanus vero Foſſenſi, quod Gertrudis Nivialenſis abbatiſſa ei conceſſit, ut in conſequentibus videbimus. Perſtitere monachi in illo Perronenſi monaſterio uſque ad cladem Nortmannorum, id eſt ad annum ſæculi noni octogeſimum primum, quo anno hi uſque Perronam Scottorum venerunt, eamque igni ſuccenderunt. Loco dein reſtituto, non monachi, ſed, canonici ſæculares collocati ſunt, ibidemque ad noſtrum uſque tempus perſeverant.

Ultanus abbas.

[a] Valeſ. rer. Franc. lib. 22.

III. Montis ſancti Quintini monaſterium.

Ad idem tempus, id eſt ad tempus ſancti Furſei, vulgo referuntur primordia monaſterii montis ſancti Quintini Perronæ proximi, cui etiam beatum Ultanum ab exordio præfuiſſe tradunt. Nec nova traditio hæc, utpote quam admittebat ſæculo decimo Adalbertus comes, ejuſdem monaſterii proinde inſtaurator potius quam auctor. Hic enim in veteri inſtrumento teſtatur, in ſuo Viromandenſi comitatu ab antiquo tempore exſtitiſſe eccleſiam, in honore ſancti Quintini martyris dedicatam, in monte ſitam juxta vicum Perronam, quam quondam Erchenaldi præfecti donatione, ſancti Eligii pontificis benedictione, Ultanus quidam, genere Scotus, profeſſione monachus, eccleſiaſticis ac monaſticis informaverit inſtitutis, abbatis honore functus; hanc vero tum a barbaris deſtructam ſe a fundamento velle inſtaurare. Ut id verum ſit, nihilo minus certum & exploratum eſſe debet quod præmiſimus de Furſeano monaſterio, quod principio monachorum, non canonicorum collegium fuiſſe conſtat. Parronam monaſterium vocant in ſuis martyrologiis Ado & Uſuardus, ubi ſancti Furſei memoriam celebrant.

IV. S. Furſei diſcipuli.

Inter Furſei diſcipulos præcipui numerantur Emmianus, aliis Emilianus, ejus in regimine Latiniacenſi ſucceſſor; Eloquius & Mumbolus itidem abbates, qui ex Britannia in Galliam veniſſe dicuntur una cum Ettone, Bertuino, ac Madelgiſilo ſancti Furſei diſcipulis: quibus forte annumerandus Anſilio, qui Latiniaci prioris officium geſſiſſe dicitur, ibidem annuo cultu honoratur V. idus Octobris: Emmianus vero VI. idus Martii. Mumbolus & Eloquius ejuſdem loci abbates fuiſſe dicuntur. Eorum acta ſimul confuſa, nec quidquam certi de eis nobis compertum, niſi quod Mumbolus fratrum animos in ſe exaſperatos animadvertens, ad quemdam locum pagi Noviomenſis, Gundarinum vocabulo, ſuper fluvium Iſaram *, cum paucis fratribus ſeceſſiſſe fertur, atque a beato Eligio epiſcopo preſbyter conſecratus, facultatem prædicandi per totam illam diœceſim accepiſſe: quo in loco ſepultus eſt, mortuus XIV. kalendas Decembris. Eloquium ob eamdem cauſam itidem ſeceſſiſſe tradunt in locum Girimacum ſeu Grimacum diœceſis Laudunenſis, & III. idus Decembris obiiſſe, ſepultum in quodam monte juxta aggerem publicum ſuper fluvium Sommeronem, ubi in Iſaram devolvitur. Proceſſu temporis, id eſt principatu Ludovici auguſti, ſancti Mumboli corpus e tumulo elatum eſt ab Achardo præſule Noviomagenſi & Halitgario Cameracenſi, cujus dominio ſubjectus erat locus, &

Mumbolus & Eloquius.

* Poiſe.

ANN. CHR. 650.

in vicinam baſilicam ſancti Petri apoſtolorum principis tranſlatum. Modo ſacræ ejus reliquiæ aſſervantur in monaſterio Fontis-ſancti-Eligii, quod eſt canonicorum regularium prope Calniacum * opidum pagi Noviomagenſis ad Iſaram. At ſancti Eloquii reliquiæ conceſſu Rodoardi epiſcopi Laudunenſis tranſlatæ ſunt regnante Odone in Walciodorenſe pagi Namucenſis monaſterium ad Moſam, quod inclytus comes Eilbertus, conjuxque ipſius Hereſindis eo tempore conſtruxerant. De beato Ettone nudum fere nomen nobis relictum eſt.

Madelgiſilus.

Ad ſanctum Madelgiſilum quod attinet, mortuo Furſco in Centulenſe monaſterium ſe recepit, poſtea vero ſeceſſit in quemdam ad Alteïam locum, Monſtroledum * nomine, ubi vixit ac devixit cum ſancto Wlganio Scotto, quem Cantuarienſem epiſcopatum dimiſiſſe, & Madelgiſilo convixiſſe ferunt. Wlganii depoſitio IV. nonas Novembris; Madelgiſili vero III. kalendas Junii notatur ab Hariulfo ex monacho Centulenſi abbate Aldemborgenſi, qui Gervino, ejus nominis ſecundo abbati Centulenſi, libellum de vita ſancti Madelgiſili nuncupavit. Sancti Wlganii corpus aſſervatur in eccleſia [a] collegiata canonicorum in caſtro Lenenſi * diœceſis Atrebatenſis: at ſancti Madelgiſili corpus Centulam tranſlatum eſt ſæculo decimo, tempore Ingelardi abbatis, & in nova theca repoſitum Anſchero abbate curante, anno ſupra milleſimum centeſimo tertio-decimo. Sunt qui ſanctos Eobanum & Sidonium beati Furſei diſcipulis accenſent: quorum alterum epiſcopum ante Furſei e Britannia diſceſſum obiiſſe conſtat ex primo ſcriptore vitæ ſancti Furſei; alterum, nempe Sidonium, ſancti Filiberti abbatis Gemeticenſis diſcipulum exſtitiſſe poſtea videbimus.

* *Chauny.*
* *Monſtrelet.*
a *Balderic. chron Camerac. lib. 2. c. 22.*
* *Lens.*

V.

S. Agili abbatis obitus.

Sanctum Furſeum brevi ſecutus eſt beati Agili Reſbacenſis tranſitus in cælum, qui biennio ante obitum ei prædictus fuiſſe perhibetur. Obiit III. kalendas Septembris, & quidem centenarius, ſi vitæ ejus ſcriptori credimus, ſepultus in eccleſia beati Johannis Baptiſtæ, quæ nunc opidi Reſbacenſis parochialis eſt: ubi ejus cenotaphium cum lapidea ſtatua etiam nunc cernitur. Ejus gloriam venerabili Adoni, qui ex Jotrenſi monaſterio iſtuc acceſſerat, poſt matutinos in eccleſia beati Petri ad altare beatæ Mariæ oranti revelatum fuiſſe tradit idem auctor, a quo Agilus *centenarius virgo* appellatur. Si puer ſeptennis a beato Columbano benedictionem obtinuit, & paullo poſt eidem in monaſterio axovienſi oblatus fuit; vix ſeptuagenarius erat cum ex hac vita migravit. quippe accidit anuis aliquot ante obitum Chlodovei regis: quo favente Filibertus, qui A lo in Reſbacenſis monaſterii regimine ſucceſſit, dimiſſo regimine, Gemeticenſe monaſterium exſtruxit. Viventi ac mortuo miracula non defuere. Hoſpitalitatis maxime amans, cum multos ex Hibernia Reſbacum, ſancti Columbani & Audoëni amore, adventantes quondam excepiſſet; modico, quod in uſum ſacrificii ſupererat, vino totam multitudinem abunde refecit. Cum vero ejus corpus ſepulturæ traderetur, quidam e fratribus ardentiſſima exæſtuans febre, contacto linteo, quod *pavonem* ſeu feretrum tegebat, confeſtim ſanatus eſt; aliique aliis morbis liberati. Ejus vitam anonymus fere æqualis, ſed parum accuratus, litteris mandavit, ſuadente Ragnemundo epiſcopo, eamque Aygloaldo abbati nuncupavit.

Filibertus ejus ſucceſſor.

Poſt mortem beati Agili Filibertus, ejus loci monachus, communi fratrum conſenſu eligitur. Eoſdem brevi adverſarios expertus eſt, quos in ſua electione concordes & unanimes probaverat. Hanc ei vexationem conciliarunt virtutes, maxime zelus Dei ac ſtudium ardens, quo vitia quæque reſecare ſatagebat. Hæc perſecutionis occaſio & cauſa. Verum protervis quibuſdam pœna cæleſtis inflicta, ceteros ad reſipiſcentiam mox adduxit. Cœpit nihilo minus vir ſanctus regia luſtrare cœnobia, Luxovium, Bobium, aliaque, quæ ſancti Columbani inſtituta ſectabantur; immo & cetera omnia, quæ in Francia, Burgundia, & Italia tum exſiſtebant. Ex his didicit non modo ſancti Columbani inſtitutiones, ſed etiam regulas ſanctorum Baſilii, Macarii, & Benedicti, quas aſſidue lectitabat, & ſuis ad vitæ religioſæ normam proponebat.

VI

S. Bavo moritur.

Poſt annos tres a confeſſione Amando facta, poſtque quadraginta dierum abſtinentiam, ſanctus Bavo rigidiſſimæ pænitentiæ præmium in cælo conſecutus eſt. Ubi ultimum vitæ ſuæ diem imminere intellexit, Florberto abbati & fratribus monaſterii ſui Gandæ id renuntiavit; rogavitque fidelem ſibi piumque preſbyterum Deolinum * evocari e monaſterio Turholtenſi, quod vaſta ſilvarum ſolitudo a Gandavo dirimebat. Eo viſo magnopere gaviſus eſt vir ſanctus, petiitque ab illo, ut funus ſuum curaret. Inter hæc quamdiu ſpiravit, ad cæleſtia jugiter anhelabat, & ab

* *al Deomlinum.*

Digitized by Google

oratione diviniſque non ceſſabat colloquiis. Demum corpore & ſanguine Redemtoris munitus, ſanctam animam, carnis ſolutam nexibus, omnipotenti Deo reddidit kalendis Octobris. Mox beatæ Gertrudi abbatiſſæ Nivialenſi apparens, veſtes ab ea ad ſepeliendum corpus ſuum petiit, quas ipſa ſtatim ſubmitti curavit. Sepultus eſt in monaſterio ſuo, quod Ganda peculiari nomine ab antiquis vocabatur, nunc ſancti Bavonis dictum, & in cathedralem a Carolo quinto imperatore converſum eccleſiam. Tantæ fuit virtutis Bavonis converſio, ut ad ejus exemplum viri ad ſexaginta monaſtic's inſtitutis ſe manciparint. Librum de ejus vita primus ſcripſit anonymus, monachus haud dubie Gandavenſis, ab Adone laudatus, editusque a nobis: quem Theodericus abbas ſancti Trudonis ſæculo undecimo alio ſtilo reddidit. Ejuſdem ſancti Bavonis epitaphium rogatu Florberti abbatis ſcripſit ſanctus Livinus epiſcopus & martyr, qui ex inſula Britannia in Bracbantum eo tempore acceſſit, a Florberto Gandæ abbate prius humaniſſime acceptus, detentuſque per aliquot dies; dein identidem rebus neceſſariis recreatus: qui liberaliſſimo hoſpiti grates retulit ſcripta ad eum metrica epiſtola, cui Bavonis epitaphium ſubjecit in hunc modum. ANN. CHR. 650.

Qui patriæ rector, ſpes gentis, gloria regni,
Magnorum primus qui modo magnus eras:
Non quia magnus eras, te gloria magna beatum,
Sed contemta decus gloria magna facit.
Pro Chriſto pauper, deſpectus, vilis, egenſque,
Et Chriſti famulis nunc caput atque decus.
Defunctum revocans, qui mortis jura tuliſti,
Monſtras quippe tibi jura patere poli.
Quam tu fundaſti, quæ te tenet, inclyte Bavo,
Eccleſiam meritis protege, ſancte, tuis.

In epiſtola epitaphio præmiſſa Livinus Florbertum multis effert laudibus; nempe quod probitate fulgens, ſit forma gregis, decus eccleſiæ, concordia fratrum; ipſe ſuis medicus, ſibique medicina. Quod ipſum Livinum peregrinum benigne excepiſſet, non modo præſentem reci iens, ſed etiam abſentem, cum ipſe Livinus in Holtemio * villa pagi Aloſtenſis v..aretur. ſic enim ipſe canit: Florberti abbatis elogium. * Hautem.

Hæc quoque dum ſcribo, properans agitator aſelli,
Munere nos ſolito, pondere laſſus adit.
Ruris delicias affert, cum lacte butyrum;
Ovaque caſeoli plena caniſtra premunt.
Et pius ille pater cum donis mollia verba
Mittit, & ad ſtudium ſollicitat precibus.
Ac titulo magnum jubet inſignire Bavonem,
Atque leves elegos eſſe decus tumulo.

VII. S. Livini quædam geſta.

Hic eſt Livinus, regio ſanguine apud Hiberno-Scottos ortus tempore Colomagni regis: qui a ſancto Auguſtino Anglorum apoſtolo, cum ad eumdem regem chriſtianæ rei cauſa forte acceſſiſſet, & a Menalchio archipræſule, Theagnii patris ſui germano, baptizatus dicitur. Poſtea in ſolitudinem receſſit cum Foillano, Elia, & Kiliano: quem Foillanum a germano ſancti Furſei diſtinguere neceſſe eſt. Dein ad eumdem Auguſtinum cum iiſdem ſociis accedens, ab eodem litteris informatus, & ſacerdotio initiatus dicitur. Reverſus in patriam, in locum Menalchii archipræſulis & patrui ſui ſuffectus. Poſtmodum Silvano archidiacono vices ſuas demandavit, apud exteras nationes Chriſtum prædicaturus. Oceano tranſmiſſo, venit in Gandenſe monaſterium, ubi ſanctum Bavonem recens humatum, & miraculis coruſcantem veneratus eſt: quo in loco per dies triginta commoratus, ad ſepulcrum ejus preces, miſſarumque celebrationes obtulit Deo. Bracbantenſes demum, paganiſmi tenebris adhuc involutos, evangelii lumine illuſtrare pergit. Verum illi ipſo lumine offenſi, prædicatori ac benefactori ſuo ingrati, nonniſi mala & vexationes rependunt. Teſtis Livinus ipſe in epiſtola ad Florbertum, qui hac de re ita conqueritur.

ANN. CHR. 650.

Impia barbarito gens exagitata tumultu,
Hic Bracbanta furit, meque cruenta petit.
Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?
Pax eſt quod porto: cur mihi bella moves?

Quin etiam, futuri martyrii ſui vates, ita ſubdit.

Sed qua tu ſpiras feritas, ſors læta triumphi,
Atque dabit palmam gloria martyrii.
Cui credam novi; nec ſpe fruſtrabor inani.
Qui ſpondet Deus eſt: quis dubitare poteſt?

In his anguſtiis non aliud refugium aut ſolatium habebat, quam apud Florbertum abbatem & Gandenſes monachos.

Attamen eſt aliquid mæſtæ ſolatia menti
Quod dat, nec penitus me premit atra dies.
Ganda parat gremium, quo me fovet ubere læto:
Invitat, mulcet, nutrit, amat, refovet.

Habuit nihilo minus humaniſſimas hoſpites duas apud Bracbantenſes, Bernam & Chraphaildem, germanas ſorores pias & ſanctas: cujus Chraphaildis filio Ingelberto lumen a tredecim annis amiſſum reſtituit. Hæc litteris tradita nobis reliquit Bonifacius ejus vitæ ſcriptor, in hoc allucinatus, quod Livinum recens natum ab Auguſtino ſacris aquis tinctum, & ab eodem ſacerdotem ordinatum fuiſſe ſcribit. nam, præterquam quod an umquam in Hiberniam profectus ſit Auguſtinus, merito dubitari poteſt: certe qui vix annos duodecim in Britannia perſtitit, eumdem infantem baptizare, ac ſacerdotio, quod ante annos ætatis triginta non concedunt canones, initiare non potuit. Certius eſt quod de Livini epiſcopali dignitate tradit Bonifacius, cui hac in re adſtipulatur Livinus ipſe; ubi de Florberto abbate civiliter queritur, quod ſe pontificem & dominum vocat.

Quid referam pietatis opus, quo me peregrinum
Obſequiis lætis dum fovet, addit onus?
Sufficeret fratrum fratrem dixiſſe Livinum:
Pontificis nomen prægravat, & domini.
Egreſſus patriam, pompæ mortalis honorem
Sprevi, devovi: ſpes Deus una mihi.

Hos verſus referre viſum eſt ad conciliandam Livini geſtis auctoritatem.

VIII. Frodobertus abbas Cellenſe monaſterium condit.

Circiter hunc annum ædificari cœpit monaſterium ſancti Petri in ſuburbio Tricaſſino, loco paluſtri, Inſula-Germanica dicto; poſt ſæculum octavum a tumulo ſancti Bobini epiſcopi, monachi quondam amplificatoriſque ſui, Cella-Bobini; paſſim præciſe Cella, vulgo monaſterium-ſancti-Petri-de-Cella nuncupatum. Primus ejus auctor abbas ſanctus Frodobertus Tricaſſinas, mediocri loco natus, qui poſt navatam pietati ac litteris operam ſub diſciplina Ragneſili ejus urbis epiſcopi, in Luxovienſe monaſterium vitæ religioſæ ſtudio ſe contulit: ubi Waldeberto ſeu Walberto abbate tantum progreſſus fecit, quantum poſtea manifeſtis documentis ejus ſanctitas declaravit. Forte tunc temporis illic verſabatur Teudolenus abbas ex cœnobio ſancti Sequani, prope Divionem poſito, quem vir apoſtolicus Bertoaldus, Lingonicæ urbis epiſcopus, eruditionis gratia illuc direxerat. Hunc frequens conveniebat Frodobertus, miram præ ſe ferens ſimplicitatem: quam ille probaturus, ludibrii ſimul & experimenti cauſa ex compoſito Frodobertum rogavit, ad alterius fratris cellulam ut pergeret, circinum, ſibi ad ſcribendum neceſſarium, delaturus. Nec mora pius adoleſcens mandatum exſequitur: at frater ille doli conſcius, pro circino medium molæ Frodoberti collo impoſuit. Nihil ille cunctatus, impoſitum onus ad Teudolenum, quamquam lapidis pondere prægravatus, deferebat: cum ecce Waldebertus abbas geſtanti occurrit, facti cauſam interrogat, eaque audita, hu-

jus colludii auctores acriter objurgat, laudata diſcipuli obedientia. Sub hæc ab epiſcopo ſub Trecas revocatus, aliquantum temporis apud eum commorari coactus eſt, nihil interim de religioſa ſeveritate remittens, immo tempore quadrageſimæ in privatam cellulam ſe recludens: ubi orationis & vigiliarum inſtantia ac jejuniis ad plures dies continuatis, ſeipſum pæne conficiebat. quæ res ſupra humanum modum viſa, ſuggerentibus quibuſdam malevolis fictam & ſimulatam eſſe abſtinentiam, pontificem induxit, ut eum in cellulam porticui eccleſiæ adhærentem recluderet, ejus jejunia accurate exploraturus. Sed mox criminatorum fallacia evanuit, probata & comperta Frodoberti ſinceritate, quæ conceptam de ejus ſanctimonia opinionem vehementer auxit. Sed tandem humana peroſus conſortia vir ſanctus, de condendo monaſterio, in quo ipſe cum aliis ejuſdem inſtituti & habitus ſociis ſeorſim viveret, cogitare cœpit. quam ob rem paluſtrem quemdam locum in ſuburbio Tricaſſinæ urbis, qui antiquitus, ut jam dixi, Inſula-Germanica vocabatur, a Chlodoveo rege obtinuit, quem virgultis erutis, lacubuſque ſiccatis, humanæ habitationi aptavit. Ibi, oratorio cum aliquot cellulis conſtructo, cum paucis primo fratribus habitare cœpit; at proceſſu temporis locus tum perſonis ac ſanctitate, tum poſſeſſionibus & ædificiis ſic auctus eſt, ut nobile ac famoſum evaſerit cœnobium, quod multos ſanctitate ac dignitate illuſtres monachos protulit, etiam Tricaſſium antiſtites: ex quibus Aldobertus, vir ſummi ingenii, nec imparis ſanctitatis; itemque Bobinus, natione Aquitanus, prodiere: qui ambo ipſum locum ingentibus beneficiis extulerunt, ſuaque decorarunt ſepultura. His etiam adjungendi in primis ſanctus Rotbertus abbas Moliſmenſis, & Petrus Cellenſis vulgo dictus, abbas primum ejuſdem monaſterii, tum ſancti Remigii apud Remos, ac demum epiſcopus Carnutenſis. Chlotharius rex in diplomate, quo donationem [a] Inſulæ-Germanicæ Frodoberto a patre ſuo Chlodoveo factam cum Balthilde matre confirmavit, monachos ait ibidem *ſub ſancta regula* vixiſſe. Ex aliis viri Dei factis duo tantum commemorare juvat. Unum contigit in puellarum cœnobio, ſancti Quintini martyris nomini intra urbem conſecrato, quod ejus eruditioni ac regimini ſpeciatim commendatum erat, ubi duo vini vaſcula, quæ triginta fere modios capiebant, atque ab ipſo ſanctimonialibus dono conceſſa fuerant, jam fere in caritatis uſus exhauſta, divinitus repleta ſunt. Huic parthenoni tum præerat Rocula abbatiſſa, quæ virum ſanctum, ad feſtivitatem ſancti Quintini invitatum, eumdem expleto vigiliarum officio in oratione pernoctantem obſervavit. Alterum eſt de Theudetario *ejuſdem ſuburbii* abbate, qui, cum ad Frodobertum viſitationis & inſtructionis ſuæ gratia, ut cunctis e vicinia religioſis mos erat, aliquando veniſſet, inter ſacra de divinis rebus colloquia angelicos audivit concentus: quo referente id frequenti hominum ſermone vulgatum eſt. Cujus loci abbas fuerit Theudetarius, non facile eſt divinare. Hic ſuburbii nomine, pro veteri illo more loquendi, intelligendus videtur totus pagus, forte etiam univerſa diœceſis Trecenſis: in qua tunc quatuor minimum monaſteria erant: unum ſancti Lupi ſuburbanum; alterum ſancti Aventini, ſeptem millibus ab urbe in inſula, quam Sequana & Oſa fluvii circumdant: tertium Mentuniacenſe in vico Mentuniaco, quinque ab urbe paſſuum millibus: quartum Nigellenſe prope opidum Nigellam: His quintum Cellenſe acceſſit, præter puellare cœnobium ſancti Quintini. De quatuor prioribus ſuperius actum eſt ſuis locis.

ANN. CHR. 650.

[a] *Camuzat Prompt. Tricaſſ. fol. 19.*

S. Quintini parthenon apud Tricaſſes.

ANNO inſequente Oſwinus Northumbrenſium rex, & Aidanus Lindisfarnenſis epiſcopus, qui gentem illam Chriſti myſteriis imbuerat, mortem [b] obierunt; Oſwinus quidem anno regni nono, XIII. kalendas Septembris, a proditore, cui ſe crediderat, cæſus: cujus cædis expiandæ cauſa monaſterium apud Ingetlingum conſtructum eſt. Aidanus vero pridie eaſdem kalendas ex morbo deceſſit decimo-ſeptimo epiſcopatus [c] ſui anno: cujus corpus ad inſulam Lindisfarnenſem tranſlatum, atque in cœmeterio fratrum ſepultum eſt. vir a Beda magnopere laudatus ob ipſius virtutes, maxime ob ſtudium pacis & caritatis, continentiæ & humilitatis; & quod animum gereret iræ & avaritiæ victorem, ambitionis contemtorem ſimul & vanæ gloriæ: tametſi non probatus eidem ob Scotticos ritus, maxime in obſervando paſchate, quod dominica quidem die, ut Romani, ſed in ipſa quarta-decima luna celebrabat, cum a quinta-decima celebrandum eſſet. Succeſſit ei in epiſcopatum Finanus, & ipſe in Hiienſi Scottorum monaſterio iiſdem ritibus informatus.

ANN. CHR. 651.

IX. Oſwini regis & Aidani epiſcopi obitus.

[b] *Beda lib. 3. c. 14.*

[c] *ibid. c. 17.*

ANN. CHR. 651.

Lindisfarnenſis monaſterii.

Ceterum Aidano Lindisfarnenſis monaſterii percelebris originem referre debemus acceptam, in qua & ſedem ſuam fixit, & monachorum cœtum conſtituit, qui principio quidem Scoticis ritibus imbuti, ſed poſtmodum, agente potiſſimum Wilfrido, Romanos ritus recepere in concilio Streaneſhalenſi. Lindisfarne inſula, a Lindo fluvio ſic dicta, ab occidente & auſtro Northumbriæ comitatum ſpectat, Farnem inſulam ad euro-auſtrum perexiguam, in quam ſanctus Aidanus identidem ſecedebat. Major erat Lindisfarne, quam ſemi-inſulam vocat venerabilis Beda, quod bis quotidie, accedente & recedente oceani æſtu, inſulæ inſtar undis circumluatur, bis etiam renudato litore, oceano jam fluctus ſuos reſorbente, terræ contigua reddatur. Anglis Sacra-inſula * vocatur, quod multi olim ſancti monachi eo ſe ſe, quaſi in receſſum & ſolitudinem, receperint. Ea vero loci diſciplina erat, ut ibi eodem in loco epiſcopus [a] cum clero, & abbas cum monachis, una converſarentur; exemplo ſancti Aidani, qui monaſticam cum ſuis omnibus vivendi formam ibidem ſemper obſervavit. Unde omnes ab illo ejus loci antiſtites ſic epiſcopale exercebant [b] officium, ut, regente monaſterium abbate, quem ipſi cum conſilio fratrum elegiſſent, omnes preſbyteri, diacones, cantores, lectores, ceterique gradus eccleſiaſtici, monachicam per omnia cum epiſcopo ipſo regulam ſervarent. quod Auguſtinus, Gregorio probante, in Cantuarienſi eccleſia inſtituerat. Hienſium monachorum regulam principio ſectabantur Lindisfarnenſes: at Benedictinam poſt prædictum conciſium ſuſceperunt, ut ſuo loco videbimus. Aliud in eadem inſula, aut prope eam monaſterium exſtruxit dux Eandmundus, ſuo item loco commemorandus. Utrumque beati Petri patrocinio ac titulo inſignitum.

* *Holy-Iland.*

a *id. lib.* 4. *c.* 27.

b *id. in vitam S. Cuthbert. n.* 23.

X.

Cuthbertus ſit monachus.

Cuthbertus eodem anno Mailroſenſe monaſterium petere decrevit, quo deceſſit ſanctus Aidanus, cujus animam in cælos abeuntem ſuſpexit. Hic in orientali recentioris Scotiæ regione, haud procul a Tuidi * fluvio, humili loco natus, a nugis puerilibus octennis revocatus eſt admonitu trimuli pueruli, qui ei cum æqualibus colludenti futuram dignitatem [c] ominatus eſt: Ludere te, inquiens, inter parvulos non decet, quem Dominus etiam majoribus natu magiſtrum virtutis conſecravit. His monitis puer in virum mox mutatu[illegible] quantum meritis & precibus apud Deum valeret, manifeſto probavit indicio. Ex[illegible]bat tunc temporis non longe ab oſtio Tini fluminis in Laudonia Scotiæ provinc[illegible] monaſterium, tunc quidem virorum, poſtea virginum; cujus loci monachi, cum ligna ſuis apta uſibus per fluminis alveum ratibus veherent, abreptas ventorum turbine in oceanum cum lignis & hominibus rates magnopere dolebant. Humano deplorato, divinum implorare auxilium. Precantium dilatis votis, ridebat ad hæc ruſticana turba, quæ in adverſa fluminis ripa ſtabat, quaſi id merito paterentur monachi, qui communia mortalium jura, tritas ac vulgares ſemitas ſpernentes, nova & inſolita vivendi ſtatuta darent, ac ſectarentur. Reprimere deridentium probra tentavit Cuthbertus: at contra ea in ſe retorſit. Ille vero genua flexit, caput inclinavit, oravit: moxque rates reflexo curſu in monaſterium appulerunt, pudefactis ruſticis, qui ſuam infidelitatem erubeſcentes, Cuthberti fidem & meritum prædicare non ceſſarunt. Paullo antequam monaſterium ingrederetur, iter agenti feria ſexta, qua plerique fidelium ob reverentiam dominicæ paſſionis uſque ad horam nonam jejunium producere ſolebant, mulier quædam, ad quam forte hora tertia diverterat, inſtitit ut cibum ſumeret. Longum quippe ejus eſſe iter, in quo nullus viculus, nulla hominum habitacula occurrerent. Ille vero conſtanter oblatos recuſans cibos, iter proſequitur ad veſperam jejunus, nec ad deſtinatum locum ea die pervenire potuit. Interim, nullo diverſorio invento præter vacuum tentorium paſtorum, ad parietem equum alligavit ſuum, qui elato ſurſum capite cœpit fœnum tecti carpere: cum ecce inter fœna cadentia involutum decidit linteum, in quo dimidium calidi panis ac fruſtum carnis reperit. quod utrumque, velut divinitus ſibi oblatum, comedit. Hoc Bedæ retulit Wirenſis monaſterii ejus preſbyter, nomine Ingwaldus, emeritæ ſenectutis ac ſingularis pietatis monachus, qui ab ipſo Cuthberto id acceperat.

* *Twede.*

c *ibid. n.* 4.

d *Beda lib.* 4. *c.* 27.

Sub hæc pius adoleſcens, viſis cæleſtibus animatus, relictis ſæculi pompis, Mailroſenſe petiit monaſterium, in Scotiæ & Angliæ confiniis ad ripam Tuidi [d] fluminis poſitum, cujus monaſterii, ad Ciſtercienſes poſtea devoluti, veſtigia quædam ſuperſunt, teſte Davide Camerario. Hoc autem monaſterium Lindisfarnenſi prætulit Cuthbertus ob famam & exiſtimationem Boiſili ejus loci, ſub Eata abbate

præpoſiti

ANN. CHR. 651.

præpoſiti, ſubliminm virtutum monachi & ſacerdotis: qui ipſum ex equo deſcendentem, eumque cum haſta famulo tradentem, ut in eccleſiam ad orandum intraret, eminus conſpicatus, quanti meriti futurus eſſet, divinitus præſagiens: Ecce, inquit, ſervus Dei. Adſtabat Boiſilo hæc dicenti inter alios religioſus ac veteranus Dei famulus & presbyter Sigifridus, tunc in ipſo monaſterio adoleſcens, poſtea tranſlatus ad Girvenſe, ubi perfectum in Chriſto agens virum, inter ægra ſpiritus extremi ſuſpiria, lætum vitæ alterius introitum ſitiebat tum, cum venerabilis Beda, ejus ſoci monachus, eum ſæpius id atteſtantem audivit. Aberat tunc a Mailroſenſi monaſterio abbas Eata, cui Boiſilus novi tironis ardens animi propoſitum expoſuit, obtinuitque apud eum, ut, accepta tonſura, fratrum conſortio jungeretur. Tonſuræ beati Petri formam, non Scoticam, ei traditam fuiſſe teſtatur anonymus auctor ejus æqualis. Nihil ille, nec Beda de veſtibus monaſticis, quas non ante expletum probationis annum candidatis concedit ſanctus Benedictus. Sic admiſſus in monaſterium Cuthbertus, mox in obſervatione diſciplinæ regularis ceteros aſſequi, vel etiam ſupergredi ſtuduit, ad lectionem, laborem, vigilias & orationem promtior & ferventior. Ceterum Boiſili [a] diſciplinæ humiliter ſubditus, ab eo & ſcientiam ſanctarum ſcripturarum, & bonorum operum ſumſit exempla.

[a] id ibid.

XI. Judocus Roma defert reliquias.

Inter ea Judocus, exſtructis in Pontivo duobus oratoriis, Romam pergit, annuente Haimone duce, ſacra beatorum apoſtolorum limina inviſurus, atque inde ſanctorum reliquias reportaturus. In reditu, cum ad eremum ſuam prope acceſſiſſet, puella quædam ab ortu cæca, cum ex aqua, ad ſancti Judoci manus abluendas adhibita, oculos laviſſet, protinus lumen recepit. Crux in rei monumentum ibidem erecta, eidem loco poſtea nomen dedit. Revertenti viro Dei occurrit dux Haimo, is, qui erga beatum Furſeum tanto ſtudio affectus erat; eumque magno gaudio complexus, honorifice excepit, eidemque tradidit eccleſiam novam ex lapidibus conſtructam, in qua reliquias ſacras Roma allatas Judocus depoſuit, atque in honorem ſancti Martini eam dedicari curavit. Locus ab Haimone dotatus, atque ſancti Judoci deinceps habitatione illuſtratus, Cella ſancti Judoci poſtea dicta eſt, Alcuino Cella-maritima, itidemque Lupo abbati Ferrarienſi, cui eam Ludovicus auguſtus tradiderat; aliquando monaſterium Crucis, ob repoſitam in eo crucem, cujus modo meminimus. Hoc monaſterium inter Alteiam & Quantiam fluvios poſitum, quinque paſſuum millibus ab oceano Britannico, totidemque a Quantia diſtat, Wicus etiam ab Alcuino appellatum,

XII. S. Amando ſcribit Martinus papa.

Haud ſcio an Judoci miniſterio & opera uſus eſt ſanctus Amandus Tungrenſis ſeu Trajectenſis antiſtes, mittendis Romam litteris ad Martinum ſummum pontificem, quem de epiſcopali onere ab ſe ob incontinentiam & contumaciam presbyterorum ac diaconorum relinquendo commonefaciebat: ut paſtorali ſollicitudine vacuus, in ſilentio atque otio ſancto vitam ageret. Reſpondit pontifex, ſe quidem laboribus ejus condolere, eique compati ob duritiam gentis illius ſacerdotum, quod, poſtpoſitis ordinis & officii ſui legibus, in turpia vitia provolvantur, & in lapſum ruant, at ipſum ob hoc paſtorale munus abdicare non debere: ſoli perſeverantiæ, quæ ex tolerantia rerum duriorum naſcitur, præmium eſſe reſervatum. Proindeque ne frangatur animo, neu propoſitum deſerat; ſed contra, gravia quæque libenter perferat exemplo & amore Chriſti, qui tot & tanta ſuſtinuit pro ſalute mortalium. Non patiatur zelum ſuum emolliri adverſus lapſos eccleſiæ miniſtros. nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in capitalia crimina, quibus depoſitionem infligunt canones, lapſus fuerit, deinceps ordine ſuo movendum eſſe, nullumque ſacerdotii gradum in poſterum adipiſci poſſe; ſed in lacrymis fletibuſque aſſiduis, quoad vixerit, ac pœnitentiæ officiis peccatum commiſſum expiare debere. Si enim tales quærimus, inquit, ad ſacros ordines promovendos, quibus nulla macula, nullumque vitæ contagium inſit: quanto magis, ſi quiſpiam poſt ordinationem in prævaricationis crimen ceciderit, a ſacris myſteriis prohibendum? Ceterum ſe una cum reliquiis ſanctorum, quas petierat, cumque encyclia ſua mittere acta ſynodi Romanæ contra Monothelitas habitæ, ab epiſcopis Gallicanis in unum locum conventuris confirmanda ſecundum ordinem encycliæ a ſe directæ. Quare Sigibertum præcellentiſſimum filium ſuum, regem Francorum, ſicut ipſe per epiſtolam fecerat, moneat, horteturque, ut Romam lectiſſimos regni ſui epiſcopos mittat, qui Deo propitio ſedis apoſtolicæ legatione fungantur; & quæ in concilio Romano geſta

AN. CHR. 651.

» ſint, ad Conſtantem principem ferant. Eadem de re Martinus itidem ad Chlodoveum ſcripſit. Et ad eam quidem legationem Eligius & Audoënus ex omnibus Gallicanis epiſcopis electi ſunt; at neſcio quid obſtitit, quo minus Romam adirent. Adhuc laïcos fuiſſe electos nonnulli tradiderunt ex Audoëni loco male intellecto, ubi ſub initia regni Chlodovei & concilium Romæ a Martino habitum, & ſuam ipſius cum Eligio deſtinationem ad Romanum iter refert ante ſuam ipſorum ordinationem epiſcopalem: non quod tunc ambo epiſcopi non fuerint, cum ad hoc iter ſunt deſtinati: ſed quod in relatione rerum ab Eligio geſtarum Audoënus ordinem temporum ubique ſervare non conſueverit. Sane Martinus nonniſi poſt annos ab eorum ordinatione ſeptem vel octo, in noſtra ſententia; in communi vero, nonniſi poſt annos tres in ſedem beati Petri aſſumtus fuit, id eſt anno hujus ſæculi undequinquageſimo, cujus anni menſe Octobri Romanum concilium contra Monothe-
» litas habitum eſt. In fine epiſtolæ ad Amandum Martinus pontifex ait, ſe reliquias
» ſanctorum dari præcepiſſe, quæ lator epiſtolæ ejus nomine petierat: at codices,
» quos itidem petebat Amandus, dare non potuiſſe, quoniam Romana bibliotheca
» codicibus pæne exhauſta erat; nec tranſſcribi potuiſſe, quod idem lator ex urbe feſti-
» nanter regredi properaret. Martini admonitioni non penitus acquievit Amandus; ſed poſtquam in inſula Chanelao aliquamdiu ſubſtiterat, in Waſconiam denuo profectus eſt anno ſequenti, ab illius regionis incolis juvitatus.

XIII. Chlodoveus abſidem ſancti Dionyſii expendit in pauperes

Hoc etiam anno Chlodoveus, regni ſui quarto-decimo, cum Gallia graviſſima fame laboraret, abſidem [a] ſuper beati Dionyſii ſepulcrum a Dagoberto patre erectam, & puro tectam argento, ſpoliari juſſit, illudque per Aigulfum monaſterii abbatem egentibus ac peregrinis diſpertiri. Hujus famis Eligius in homilia quadam meminit, ubi ait mala creſcere in dies, & bella alia ſuper alia, perpetuamque famem & peſtilentiam. Regiis litteris eam diſpenſationem confirmatam fuiſſe tradit monachus Dionyſianus in libro de geſtis Dagoberti, atque Aigulfo abbati hac conditione mandatam, ut argentum ſincera fide diſpenſaret, nullamque epiſcopo ſuo, cujus poteſtati monaſterium ſancti Dionyſii ad id uſque tempus ſubjectum erat, aut cuiquam alii rationem redderet. Pariſiacam tum eccleſiam regebat Landericus, Audoberti ſucceſſor, qui, graſſante fame, eadem, ſine dubio, de qua mox diximus, etiam domeſticam ſupellectilem dicitur [b] vendidiſſe, ut egenis pararet alimoniam; idemque noſocomium ad limina matris eccleſiæ extruxiſſe, ac dotaſſe. Mihi vero perquam veri ſimile eſt, Aigulfum abbatem ſponte in animum induxiſſe, ut argentum abſidæ templi Dionyſiani in egentes profunderet; piumque ejus conſilium a Chlodoveo rege approbatum fuiſſe; ob idque prædictas litteras, quibus erga Pariſienſem epiſcopum purgaretur, ab eodem conceſſas. Eodem fortaſſe tempore id contigit, quod de Aigulfo abbate tradit [c] Fredegarius, nempe ejus facilitate factum eſſe, ut perennis pſalmodia, quæ a Dagoberto inſtar Agaunenſium in Dionyſiano monaſterio inſtituta fuerat, abrogaretur. Forte enim Aigulfus, cogente rei familiaris anguſtia, per illam famis tempeſtatem, monachorum numerum minuere coactus eſt, & in alia loca diſpertire, adeo ut reliqui monachi continuandæ divinorum officiorum perpetuæ modulationi non ſufficerent. Quamquam in præcepto Chlodovei regis, paullo poſt dato pro immunitate Dionyſiani monaſterii, ejuſmodi pſalmodia perennis retinenda præſcribitur. Ut ut ſit, rebus poſtea in melius reſtitutis, eadem pſallendi diſciplina ibidem paullo poſt reſtituta eſt.

a *Geſta Dagob. c. 50.*

b *Hiſt. eccl. Pariſ. p. 179.*

c *Fredeg. c. 79.*

XIV. Marculfus formulas offert Landerico epiſcopo.

Sub idem tempus Marculfus monachus libros duos formularum edidit, eoſque domino ac reverentiſſimo papæ Landerico, cujus mandato id operis ſuſceperat, jam fere ſeptuagenarius nuncupavit. Illuſtriſſimus vir Hieronymus Bignonius, Senatus Pariſienſis ſuo tempore ornamentum, qui hunc auctorem edidit, notiſque doctiſſimis illuſtravit, non dubitat aſſerere, Landericum hunc Pariſiorum epiſcopum fuiſſe, eumque principatu Chlodovei floruiſſe. Et ſane Landerici epiſcopi meminerunt ejuſdem eccleſiæ tabularia, & veteres quique Pariſienſium epiſcoporum indices, qualis unus [d] a nobis editus eſt in libro ſexto de re diplomatica, ante annos ſeptingentos exarari cœptus: in quo *ſanctus Landericus* inter Autbertum ſeu Audobertum, & Rotbertum, aliis Chrodobertum, medius collocatur. Ejuſdem ſollemnis eſt in eccleſia Pariſienſi memoria IV. idus Junias; reliquiæ ibidem honoratæ, eccleſia parochialis ſub ejus patrocinio ab antiquo erecta. quæ omnia ſatis ſuperque revincunt quoſdam recentiores, qui ſanctum Landericum ex indice pontificum Pariſien-

d *Dipl. p. 625.*

ſtum, ut verbis utar clariſſimi [a] Gerardi a Boſco, expungere auſi ſunt, abrepti ſcilicet æſtu diſputationis extra veritatis limites, ut Dionyſianum privilegium, a ſancto Landerico Pariſiorum antiſtite conceſſum, facilius expugnare poſſent. Verum invicta ſtetit, ſemperque ſtabit veritas contra ejuſmodi impugnatores. Itaque Landerico Pariſiorum epiſcopo formulas ſuas obtulit Marculfus, qui ſe ultimum ac viliſſimum omnium monachorum in præfatione, ac ſeptuagenario majorem dicit in hæc verba. *Utinam, ſancte pater, juſſioni veſtræ tam efficaciter, quam ſpontanee obtemperare valuiſſem! quia jam ſupra vires meæ poſſibilitatis conatus ſum injunctum a vobis ſubire negotium: cum fere ſeptuaginta aut amplius annos expleam vivendi; nec jam tremula ad ſcribendum manus eſt apta, nec ad videndum mihi oculi ſufficiunt caligantes, nec ad cogitandum ſufficit hebetudo. Propterea eleganter facere non potui, ut volui: feci tamen ordinate, ut potui, non ſolum ea qua juſſiſtis; verum etiam multa alia in hac ſchedola, tam præceptiones regales, quam chartas pagenſes, juxta ſimplicitatis & ruſticitatis meæ naturam intimare curavi.* Ex quibus intelligitur, formulas illas non tam ex editis antea inſtrumentis excerptas fuiſſe a Marculfo, quam proprio ab ipſo marte & ingenio conſcriptas, tametſi ſecundum morem a majoribus ſuis receptum, & juxta conditionem loci in quo ipſe degebat. Sic enim præfationem concludit. « Ego vero hæc quæ apud majores meos, juxta conſuetudinem « loci, quo degimus, didici, vel ex ſenſu proprio cogitavi, ut potui, in unum coacer- « vare curavi, & capitula prænotavi, ut facilius, quod voluerit, a quærenti inantea « ſcripto reperiatur. Ex his verbis, *juxta conſuetudinem loci, quo degimus*, colligit Bignonius, Landericum & Marculfum eodem in loco, id eſt, in eadem diœceſi, vixiſſe. Fruſtra ergo cum Philippo Labbeo huc accerſas ex Biturigibus Marculfum abbatem, qui in actis ſancti Auſtregiſili epiſcopi laudatur; nec velim etiam huc adducere Marculfum cellerarium monaſterii Salicenſis apud Sequanos, per quem Caramtocus abbas beato Columbano, apud Luxovium egenti, annonam & ſubſidia ſubmiſit. Certe Marculfi formulas exprimunt in multis diplomata monaſteriorum antiquiorum diœceſis Pariſienſis, ut argumento eſt in primis privilegium Dionyſianis a Chlodoveo juniori conceſſum. Jam vero cujus monaſterii monachus fuerit Marculfus, Dionyſiani, an ſancti Germani ſive Autiſiodorenſis epiſcopi, ſive Pariſienſis, (nam duo erant Luteciæ monaſteria, primo ſub titulo ſancti Vincentii, deinde ſancti Germani, alterum quidem Pariſienſis, alterum Autiſiodorenſis, quod modo ſæcularium canonicorum inſigne collegium eſt) an vero ſancti Petri ſeu ſanctæ Genovefæ, fateor mihi plane incompertum. Ceterum Foſſatenſe recentius tunc erat, quam ut homo ſeptuagenario major eo in loco vitam monaſticam profeſſus eſſet. Ideo vero formulas ſuas edidit Marculfus, ut notariis palatii, monaſteriorum, aliarumque eccleſiarum exempli loco eſſent: at nulla publica eis acceſſit auctoritas, quæ vim legis eis tribueret. Unde mirari licet immodicam multorum criticorum cenſuram, qui, ſi qua invenerint vetera inſtrumenta, quæ tantiſper a Marculfianis formulis diſcrepent, ea incunctanter falſa pronuntiant. quaſi publici juris facti ſint hæ formulæ, mox ut editæ ſunt; aut privati hominis placita pro lege habenda eſſent. Quo magis iniquiores videntur, qui etiam ſuperiorum temporum monumenta ad illas formulas exigunt. Non prætermittenda hoc loco Caroli [b] Cointii obſervatio, qui, collatione a ſe facta codicis regii cum editione Bignoniana, deprehendit, Marculfi nævos ac ſolœcos a Bignonio multis in locis correctos fuiſſe; aitque ſe malle genuinum Marculfum citare cum ſuis nævis. Et ita quidem viſum eſt ſimiliter viro accuratiſſimæ cenſuræ Stephano Baluzio, qui in nova Marculfi ad capitularia regum noſtrorum editione, purum-putum Marculfi textum ex vetuſtis exemplaribus reſtituit. Non ergo ſimilia orationis vitia, quæ in vetuſtis occurrunt, quidquam officere debent eorum auctoritati: cum vitia hæc ex commutatione paſſim litterarum, aliiſque vocabulis in formulis uſitatis, qualia etiam noſtra ætate in forenſibus formulis adhibentur, quæ in vulgari dictione nemo ferat, conſulto uſurpantur.

Antiquiores videntur Marculfianis formulæ Andecavenſes, quæ in tomo quarto Analectorum a nobis editæ ſunt, ſcriptæ principatu Childeberti regis, cujus nomen non ſemel in illis expreſſum occurrit. Id vero de Childeberto primo aut ſecundo intelligendum eſſe patet ex antiquitate codicis Weingartenſis, ex quo formulas illas eruimus: qui codex ſcriptus eſt principatu Theoderici, filii Chlodovei junioris. Ut vero eas potius Childeberto ſecundo, Sigiberti Auſtraſiorum regis filio, tribuam,

ANN. CHR. 653.

[a] Hiſt. eccl. Pariſ. p. 180.

[b] Coint. an. 653. n. 53.

Formulæ Andecavenſes antiquiores.

ANN. CHR. 651.

illud ſuadet, quod tempore Childeberti ſenioris non ita conſtituta erant omnia, nec tot publica condita inſtrumenta, ut ex illis formulæ illæ confici potuerint. Certe ex formula XLVI. manifeſtum eſt in civitate Andecavis tunc fuiſſe abbates, adeoque monaſteria, quæ illic nulla exſtitiſſe videntur principatu Childeberti ſenioris. Sed de his ſatis.

ANN. CHR. 652.

XV. *Ittæ obitus.* ANno ſequenti pia & religioſa matrona Itta ſeu Iduberga, Pippini ſenioris conjux, Gertrudis abbatiſſæ Nivialenſis parens, plena dierum, a viri ſui morte anno duodecimo, ætatis ſexageſimo, ex hac vita ad cæleſtem migravit in Nivialla monaſterio, ibidemque in Baſilica ſancti Petri honorifice condita eſt. Ea mortua, Gertrudis onus regiminis, cujus non minimam partem mater in ſe ſuſcipiebat, in ſe ſolam recipere coacta eſt: ſed tamen ut divina contemplatione, cui aſſueverat, ob ſæcularium rerum tractationem ne fruſtraretur; exteriorum ſollicitudinem bonis ac fidelibus fratribus ſeu monachis; interiorum verò ſpiritualibus ſororibus curam familiarem commendavit. Sic terrenis expedita curis, ſacris exercitiis, vigiliis & orationibus ſanctis, lectionibus ac jejuniis totam ſe ſe, uti antea, dedere inſtitit. Hinc factum eſt, ut pæne *omnem bibliothecam divinæ legis*, id eſt omnes divinarum ſcripturarum libros, memoria complecteretur, earumque ſenſus, etiam reconditiores, accurate perciperet, atque aliis facile aperiret. Neque tamen aliarum etiam curam omnem abjiciebat, earum maxime, quæ ad Dei cultum, & ad egentium ſubſidia pertinebant. Nam orphanis, viduis, captivis, peregrinis, egentibus denique omnibus quotidianam annonam large ſuppeditabat; atque eccleſias, & loca pia & ſancta, a fundamentis exſtruebat.

Gertrudis poſt ejus mortem facta.

XVI. *Foſſuenſe monaſterium ab ea conditum.* Ex his unum eſt monaſterium Foſſuenſe ſeu Foſſenſe *, opido Rhodio proximum, quod in gratiam Scottorum, Foillani & Ultani germanorum, ædificavit. Erant hi beati Furſei fratres, quos ille, e Saxonia Brittonum in Galliam acceſſurus, in monaſterio ibidem ab ſe conſtructo reliquerat. Hi vero audito fratris obitu in Galliam appulſi, Niviallam accedunt, & a Gertrude, quæ maxime in peregrinos humaniſſima erat, excipiuntur. Placuit beatiſſimæ virgini fratrum religio ac pia converſatio: atque ut eos penes ſe retineret, Foillano dedit in vicinia locum, quem Foſſas appellant, ait vitæ ſanctæ Gertrudis interpolator: ubi monaſterio conſtructo & fratribus prodeſſet, & ſibi propter loci propinquitatem non deeſſet. Is monaſterio condicto germanum ſuum domnum Ultanum præfecit, ac rebus pro tempore ordinatis Niviallam ad virginem remeavit. Ibat itaque paſſim ac redibat, modo fratres, modo ſponſam Chriſti viſitaturus. Dum vero quadam die per ſilvam Soneſiam, Niviallæ contiguam, pertranſiret; in latronum manus incidit, a quibus ſpolii ac prædæ cupiditate ipſe cum tribus ſociis peremtus eſt, martyris ob hoc nomine ac veneratione pro more illorum temporum honoratus. Ejus corpus in Foſſuenſe monaſterium; trium vero ſociorum corpora in Nivialenſe delata ſunt. Ultanus poſt fratris necem perſtitit in Foſſuenſi monaſterio, quod modo collegium eſt canonicorum ſæcularium; ibique perſeverabat eo tempore, quo Gertrudis e vivis exceſſit. Eumdem Perronenſi monaſterio ſancti Furſei, & proximo ſancti Quintini de monte cœnubio præfuiſſe tradunt, uti ſuperius [a] dictum eſt.

* *Foſſe.*

Foillani martyrium.

Ultanus Foſſis abbas.

[a] num. 2.

XVII. *Betto a Vvandregiſilo ſanatus.* Agebatur annus a prima cœnobii Fontanellenſis conditione quartus, qui Chlodovei regis quintus-decimus erat, cum Betto, cuſtos regiarum ſilvarum in Caletis, tantumdem ditioni ac poteſtati ſuæ decedere exiſtimans, quantum Wandregiſilo ex monaſterii amplificatione accederet; id gravate admodum tulit, maxime quod ejus vallis orientalem partem, ubi fons amnis Fontanellæ exoritur, deſerere ac cedere cogeretur. Sic ille irarum plenus, fratres eum locum exſtirpantes aliquando conſpicatus, eo acceſſit, & Wandregiſilum, labori cum aliis fratribus operam dantem, lancea transfigere tentavit. Verum, dextera protinus rigeſcente ac torpente, lancea ad pedes decidit; ſimul ille a dæmone correptus ad viri Dei veſtigia corruit. Non tulit ejus infortunium vir ſanctus; ſed die illa, nocteque inſequente orando traductis, ubi craſtinus illuxit, hominem ad ſe adduci præcepit, eumque in priſtinum ſtatum reſtituit. In ejus rei monumentum baſilica in honorem ſanctiſſimæ Chriſti Domini Matris condita fuit, miraculis poſtea inſignis, quæ hactenus exſiſtit, beatæ Mariæ de Caillovilla nuncupata.

Oratorium B. Mariæ exſtructum.

XVIII. Binas tantum Amandi Romanas peregrinationes memorat Baudemundus, & poſt

ANN. CHR. 652.

eum Milo, ambo monachi Elnonenſes, tres vero Philippus abbas Bonæ-ſpei, cui duos illos auctores, utpote antiquiores, præferendos cenſemus. Prior Amandi Romam profectio contigiſſe videtur ſub annum hujus ſæculi viceſimum-ſextum: poſterior hoc anno quinquageſimo-ſecundo. Poſterioris hæc fuit occaſio. Amandus, inito ante annos quatuor epiſcopatu Tungrenſi ſeu Trajectenſi, ubi belluinos illorum populorum mores ſubigere, ac jugo Chriſti manſuefacere ſe non poſſe animadvertit, a Martino papa facultatem abdicandi epiſcopatus poſtulaverat: ſed, ea non impetrata, Romam per ſe ipſe adire, eamque facultatem a pontifice exigere conſtituit. id quod tandem obtinuit, libertate ipſi data, quod antea litteris expetierat, ſecedendi cum ſuis in monaſterium Elnonenſe: ubi poſt ſuum ex urbe reditum aliquamdiu ſubſtitit. Interim in ejus locum ſuffectus eſt in ſede Tungrenſi Remaclus, jam antea ordinatus regionarius epiſcopus, electus a clero & populo, ſuffragante Sigiberto rege. Theodardus vero cœnobiorum Stabulenſis & Malmundarienſis curam ſuſcepit. In hoc ſecundo ex urbe raditu id Amando contigit, quod Baudemundus narrat de quodam navis famulo, qui, invocato ad Amandi monitionem Chriſti Domini crucifixi nomine, ex imminenti naufragio ereptus eſt in Centumcellenſi * Etruriæ portu. In illo vero ſeceſſu Amandus ſic monaſterio Elnonenſi adhæſit, ut tamen identidem circumpoſitos populos prædicatione ſua erudiret, aliorum locorum monachos viſeret, novaſque in nova cœnobia colonias educeret. Ex horum numero exſtitit cella Bariſiacenſis in pago Laudunenſi, quæ anno Childerici regis ſecundo erecta eſt.

Amandi iter ſecundum Romam.

* *Cinelle al. Civitavecchia.*

XIX. Maricolenſe monaſterium a S. Humberto dotatum.

Amandum in ſuis Romam peregrinationibus comitatus eſt Humbertus, cui Maricolenſis * in Hannonia monaſterii originem ejus acta tribuunt. At præferenda videtur ipſius Humberti auctoritas in veteri inſtrumento, in quo *vir illuſtris Rodobertus* ſuo quondam opere prædictum monaſterium in honore ſanctæ Mariæ Chriſti Domini matris, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxiſſe memoratur; ſitum in pago Fanomartenſi * ſuper fluvium Elpram. Hoc vero inſtrumentum refertur non modo apud Miræum in codice donationum, & apud Bollandi continuatores in tomo tertio Martii ex ipſo, ut putant, autographo, ſed etiam apud Baldericum Cameracenſem epiſcopum in chronico, ubi loco Rodoberti mendoſe legitur *vir illuſtris Huntbertus*; & pro Humberto inſtrumenti auctore Chonebertus. Verum perinde eſt ut dicatur Humbertus, Huntbertus, Honebertus, Chonebertus; qui apud Baldericum Huntbertus paſſim appellatur: & proclive eſt apud veteres adſpirationi præmittere litteram c. ſic legitur promiſcue Chrodobertus & Rodobertus; & qui Chlotharii in prima ſtirpe regia Francorum dicti ſunt, Hlotharii dicuntur in ſecunda. Redeo ad Humbertum, qui ingenuis parentibus in pago Laudunenſi ortus eſt, Evrardo patre & Popita genitrice, ex clara ſtirpe Francorum. Suum ipſius locum natalem idem vocat villam Macerias * ſuper fluvium Iſeram *. Vixdum adoleſcens Laudunum a parentibus ducitur, ibidemque tonſura inſignitus, recluditur in monaſterium, quod non aliud, quam ſancti Vincentii eſſe poteſt: ubi ætate proficiens & gratia, per gradus ſingulos ad ſacerdotii culmen provectus eſt. Roma ſecundo reverſus, accepta a beato Amando apud Elnonem dominicæ crucis ſpecie, Maricolas ſeceſſit, Mareclias vocat [a] Baldericus; atque, impetrata ab epiſcopo Cameracenſi, ſcilicet Autberto, facultate, ibidem oratorium conſtruxit. Verum illo relicto, ut in ejus actis legitur; haud procul exſtruxit, aut potius reſtituit aliud cœnobium, in quo clericos, id eſt monachos, triginta conſtituit. Illic virtutum ſignis, & doctrinæ, vitæque meritis clarus emicuiſſe perhibetur a Balderico, ibidemque laborem hujus vitæ conſummaſſe, ac ſepultum fuiſſe. Huntberti ſeu Choneberti veterem chartulam *in archivo eccleſiæ ſancti Huntberti* reperit, refertque [b] idem auctor, « datam anno duodecimo regni domni Childerici regis, decimo-quinto kalendas Aprilis: in qua Chonebertus donat, donatumque in perpetuum jubet ad ſacroſanctum monaſterium, quod vocatur Maricolas, quod vir illuſtris Hrodobertus (ita emendo ex Miræo & Bollandianis) quondam ſuo opere conſtruxit, *ubi ego ipſe*, inquit, *indignus peccator abbas præſſe videor*, conſecratum in honore ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum, vel reliquorum dominorum, qui in ipſa baſilica venerantur, ſitum in pago Fanomartenſi ſuper fluvium, qui vocatur Helpre, hoc eſt partem maximam de poſſeſſione ſua in villa nuncupata Macerias, ſita in pago Laudunenſi ſuper fluvium Iſeram, quam de avia ſua

* *Maroilles.*

* *de Famars.*

* *Maizieres.*

* *l'Oiſe.*

a *Balderic. lib. 2. c. 32.*

b *Ibid. lib. 2. c. 27.*

AN. CHR. 652.

» Deo ſacrata Audeliana quondam dato pretio per venditionis titulum comparaverat:
» hoc eſt manſos dominicos, ubi ipſa Audeliana manſerat, & terrationes, & ſervos &
» ancillas. quæ omnia ad ipſum monaſterium delegat, ut ipſi monachi vel eorum ſuc-
» ceſſores in ſuo jure ac ſua dominatione a præſenti die in poſterum recipiant: ſecus
attentantibus diras imprecatur. Atque ut donatio rata & inviolata permaneat, eam
» confirmari voluit adſtipulatione teſtium, domni videlicet Vindiciani epiſcopi, &
» Fulberti ſui ipſius fratris, aliorumque. Actum Maricolis. Chonebertus abbas propria
manu rem confirmar.

ANN. CHR. 653. XX. S. Dionyſii privilegium.

ANno regni ſexto-decimo Chlodoveus in villa regia Clipiaco, prope Luteciam-Pariſiorum, conventum epiſcoporum ac regni procerum convocavit: ubi medius inter eos in ſolio reſidens, ait, ſe ab apoſtolico viro Landerico Pariſiacæ eccleſiæ antiſtite impetraviſſe, ut ſancti Dionyſii monaſterium, cujus in baſilica parentes ſui Dagobertus & Nanthildis ſepulti erant, epiſcopali, ſi ipſis ita videretur, poteſtati eximeretur; nec ejus poſſeſſiones, mancipia, ornamenta, ceteraque a priſcis regibus & a parentibus ſuis, piiſque hominibus eidem ſacro loco legata, aut quandocumque leganda, quiſquam epiſcopus, aliuſve, niſi monachorum voluntate, ac permiſſu ſuo, ſuorumve ſucceſſorum, inde auferat, aut alio transferat, vel permutet; ullamve in monachos poteſtatem ſibi vindicet: ut hi, vexationis & inquietudinis expertes, attentius ac liberius, libentiuſque pro ſalute ipſius atque regni Deum precentur. Aſſentientibus regiæ voluntati omnibus, conditum eſt hac de re præceptum regium, cui ſubſcripſere omnes, tam epiſcopi, quam proceres. Hoc præceptum, ex ipſo autographo a nobis in libro quinto de re diplomatica æri inciſum, eadem fere habet quæ mox ex libro de geſtis Dagoberti retulimus, omnino conſentanea
» formulæ [a] Marculfianæ. Ait quippe in illo diplomate Chlodoveus, ſe libenter locis
» venerabilibus ea impertiri, quæ pro timore divini nominis, vel pro quiete ſervorum
» Dei poſtulantur; maxime vero baſilicæ ſanctorum martyrum Dionyſii, Leutherii, &
» Ruſtici, in qua requieſcere videntur, ubi per multa tempora non minima miracula
» Chriſtus per ipſos operatur: quo in loco progeni·ores ſui, Dagobertus & Nanthechil-
» dis, requieſcunt. Et quia ab ipſis principibus, & a ceteris priſcis regibus, vel etiam
» a Dei timentibus chriſtianis hominibus ſanctus ipſe locus rebus ac poſſeſſionibus di-
» tatus eſt; ſuæ devotionis fuiſſe petere, ut apoſtolicus vir Landericus, Pariſiacæ ec-
» cleſiæ epiſcopus, privilegium ejuſdem ſancti loci abbati, ac fratribus ibidem con-
» ſiſtentibus, pro futura eorum quiete faceret, ac confirmaret: quo facilius congre-
» gationi ipſi liceret pro ſtabilitate regni ſui ad limina ſanctorum martyrum Deum
» precari. Ipſum vero pontificem cum ſuis coepiſcopis regiæ devotioni ac petitioni
» pleniſſima voluntate annuiſſe, ipſumque privilegium pro reverentia ſanctorum mar-
» tyrum, & pro mercede regis conceſſiſſe ac confirmaſſe. Proinde per hanc auctorita-
» tis ſuæ feriem ſe jubere, ut quidquid ipſi ſancto loco in villis, mancipiis, vel qui-
» buſcumque rebus atque corporibus, a priſcis principibus, ſeu a progenitoribus ſuis,
» vel a Deum timentibus hominibus, propter amorem Dei ibidem legatum, aut dein-
» ceps additum fuerit; nullus epiſcoporum, ſive præſentium, ſeu futurorum, aut qui-
» libet alius, quoquo modo poſſit quidquam inde auferre, aut aliquam poteſtatem ſibi
» in ipſum monaſterium vindicare, aut commutationis titulo, abſque voluntate ipſius
» congregationis, vel ſuo permiſſu, minuere; aut calices, vel cruces, ſeu indumenta al-
» taris, vel ſacros codices, ſeu argentum, aurumve, vel qualemcumque ſpeciem ex
» his, quæ ibidem collata fuerint, vel in poſterum conferenda eſſent, auferre, aut
» minuere, vel ad civitatem deferre: ſed liceat ipſi ſanctæ congregationi ea omnia,
» quæ ei legitime legata fuerint, perpetim poſſidere: ut pro ſtabilitate regni Deum
» jugiter precentur, eo ſcilicet ordine, ut, ſicut tempore genitoris ſui fuit inſtitutum,
» pſallentium per turmas, ad inſtar monaſterii S. Mauricii Agaunenſis, die nocteque
» ibidem teneatur ac celebretur. Regiis litteris ſubſcribunt poſt Chlodoveum regem Beroaldus, qui diploma obtulit; dein Aunemundus Lugdunenſis, Chaoaldus Viennenſis, Ætherius Ebredunenſis, Rigobertus Turonum, Wlfoleudus Biturigum, Armentarius Senonum, metropolitani; tum alii epiſcopi, Rauracus Nivernenſis, Eligius Noviomagenſis, Landericus Pariſienſis, Palladius Autiſiodorenſis, Clarus Gratianopolitanus; inſuper Laudomerus, Ricoaldus, Amalbercthus, Wandalmarus, Athildus, Sighichelmus, Chadbedo, Warnacharius, Wilderadus, Ganctulfus, Bobo,

[a] *Marculf. lib. 1. c. 2.*

ANN. CHR. 613.

& Deſideratus, incertarum ſedium epiſcopi. Ad hæc Gauçiobertus & Garichramnus diaconi. Poſt hos omnes, ſubſcribunt regni proceres Bodolevus, Ebroinus, Ragenobertus, Arneberethus, Radobertus major-domus, Æginarus, Merulfus, Bertecarius, Aigulfus comes palatii, Chradobertus, Ochelpingus, Auſtrobertus, Gaërinus, Ebrulfus, Incrinus, Probatus, Gundobertus, Ermenricus, Madalfridus, Chaldo, Rado, Auderdus vir inluſter atque patricius. Omnes appoſito ſigno crucis. Datum decimo kalendas Julias, anno ſexto decimo regni Chlodovei, Clipiaco in Dei nomine feliciter. In his ſubſcriptionibus illud eſt diſcriminis, quod epiſcopi omnes, non deſignato ſedis ſuæ nomine, conſentientes ſubſcribunt: cæteri vero abſolute ſubſcribunt, nulla conſenſus mentione facta.

Hoc Chlodovei regis præceptum adeo conſentaneum eſt formulæ Marculfi, ut Cointius nullam in eo falſitatem aut interpolationem eſſe ſentiat: ſed quia in antea vulgatis vitioſas epiſcoporum ac procerum ſubſcriptiones legerat, eas expungendas exiſtimat, ea inductus ratione, quod præceptis regiis nemo ſubſcribebat præter regem ejuſque refendarium; & quod hoc modo ſolvantur omnes objectiones, quibus critici præceptum Chlodovei regis impugnant. Verum regiis diplomatis, in rebus præſertim majoris momenti, epiſcopos & optimates ſubſcripſiſſe, patet ex iis, quæ adduximus in libro ſecundo de re diplomatica, capite viceſimo-primo; nec quiſquam Dionyſianum Chlodovei autographum revocare in dubium poteſt, quod Hilduini abbatis charta itidem authentica, in æs etiam a nobis partim inciſa, diſertis verbis adſtruit; idque pro genuino habet Gerardus a Boſco in hiſtoria eccleſiæ Pariſienſis.

XXI. Privilegium a Landerico eidem conceſſum.

Major eſt difficultas de vulgato Landerici Pariſiorum epiſcopi privilegio, quod falſum, aut certe interpolatum plerique exiſtimant. Primo quæri poteſt, an Landericus privilegium monaſterio Dionyſiano aliud contulerit præter ſuperius Chlodovei regis præceptum, cui cum aliis epiſcopis & proceribus ſubſcripſit. Ego vero id pro comperto habeo, idque mihi probare videtur charta [a] Hilduini abbatis de partitione bonorum ejuſdem monaſterii, in qua teſtatur, Ludovico auguſto fuiſſe « oblata præcepta & privilegia ipſius loci, maxime autem privilegium Landrici religioſi Pariſiorum epiſcopi, & ſollicite conſideratum: in quo ſtatutum erat inter alia, ut hîc regularis ordo inviolabiliter conſervaretur, qui tempore Dagoberti inſtitutus fuerat, ibidemque perſeveraverat principatu filii ac ſucceſſoris ejus Chlodovei: qui hoc privilegium ſuo præcepto firmaverat, & ſanctorum, qui uſque hodie, inquit, miraculis coruſcant, manibus roboratum iſti eccleſiæ tradiderat, libertatis privilegio ab ipſo honoratæ. » Jam vero an vulgatum Landerici privilegium genuinum ſit ac minime interpolatum, alii jam ſatis ſuperque expenderunt, ſcriptis ultro, citroque concertationibus, quas denuo revocare noſtri non eſt inſtituti, nec animi. Ex ſanctis illis epiſcopis, qui Chlodovei diplomati ſubſcripſerunt, laudantur in libro de geſtis Dagoberti & apud Aimoinum « beatus Audoënus, & ſanctus Rado frater ipſius; necnon & beatus Palladius, & ſanctus Clarus, atque domnus Eligius, vel ſanctus Sulpicius, beatus quoque Aubertus, & domnus Caſtadius, ſanctuſque Ætherius. » Et quidem id conſtat de Ætherio, Palladio, Claro, Eligio epiſcopis, ac de Radone: ſed Radonem beati Audoëni fratrem fuiſſe non conſtat. Audoënum etiam eidem præcepto ſubſcripſiſſe facile crediderim; tametſi, fugientibus in autographo litteris, ejus nomen jam legi non poteſt. Et forte is eſt Dado, qui Rado epiſcopus in editis Sirmundi legitur, cujus in noſtris mutilum eſt nomen. Aliorum nomina vel mendoſa ſunt, vel ſuppoſititia in geſtis Dagoberti, ubi pro Rigoberto metropolitano Turonenſi legitur Aubertus; intruſus ab imperito lectore Sulpicius, Biturigum videlicet antiſtes, quem ante decem dati diplomatis annos obiiſſe vidimus.

a Diplomat. lib. 6. n. 75.

XXII. Chlodoveus ob raptum S. Dionyſii brachium, amens?

Scriptor geſtorum Dagoberti, quem Regino, Hermannus, Sigebertus, aliique ſequuntur, laudato Chlodovei præcepto de immunitate Dionyſiana, memoriæ tradit, Chlodoveum ad limina beati Dionyſii, quaſi orationis cauſa veniſſe; &, cum aliquas ejus reliquias penes ſe habere magnopere cuperet, reſerato beatiſſimi martyris loculo, parum religioſe os brachii ejus fregiſſe, atque rapuiſſe; ſtatimque ſtupefactum in amentiam incidiſſe. quamobrem tantæ ei loco tenebræ incubuerint, tantuſque omnium, qui aderant, animis pavor incuſſus ſit, ut conſternati protinus aufugerint. Regem vero, ad expiandum ſcelus & ſanitatem recuperandam, quaſdam monaſterio villas donaſſe; atque os beati martyris, quod abſtulerat, auro gemmiſque incluſum ſacro loco reſtituiſſe, ibique repoſuiſſe. quo facto aliqua ex parte

ANN. CHR. 653 ſanatus ſit, at poſt duos annos interierit. Non deſunt qui hanc narrationem fabulis accenſeant, idque commenti putent a monachis confictum eſſe, ut omnes tam memorabili exemplo a ſimili auſu deterrerent. Verum, etſi melius ejus generis conatus aliis ſucceſſerit; non defuere tamen aliquando ſimilia exempla, qualia

a Greg. M. lib. 3. ep. 30. ſunt illa quæ Gregorius Magnus refert in epiſtola [a] ad Conſtantinam auguſtam de quodam baſilicæ ſancti Pauli apoſtoli præpoſito, qui, cum oſſa beati apoſtoli
» loco movere, atque in alium locum tranſponere tentaſſet, apparentibus quibuſdam
» triſtibus ſignis, ſubita morte defunctus eſt; & de Pelagio papa ejuſdem Gregorii de-
» ceſſore, cujus juſſu adhibiti artifices ad inſtaurandam ſancti Laurentii extramuranam baſilicam, beati martyris ſepulcro ignoranter aperto, quia ſacrum ejus corpus viderant, tametſi tangere minime auſi eſſent, omnes intra decem dies defuncti ſunt. In
» ſumma Gregorius aſſerit, in Romanis, immo totius occidentis partibus, omnino
» intolerabile eſſe, atque ſacrilegum, ſi ſanctorum corpora quiſpiam tangere præſum-
« ſerit; hancque temeritatem nullo modo impunitam remanere. Nolim hoc loco repetere, quid Leutſindæ Erchinoaldi conjugi acciderit detegendo loculo ſancti Furſei abbatis apud Perronam.

XXIII. Privilegia monaſteriorum apud Græcos.

Ceterum ad privilegia monaſteriorum quod attinet, multa his temporibus conceſſa ſunt etiam apud Græcos. Exemplo eſt illud, quod in libro de vita ſancti Theodori Siceotæ legitur [b] apud Bollandianos, quippe virum ſanctum Mauricius imperator & Cyriacus patriarcha Conſtantinopolim accerſitum magno ſtudio &

b Bolland. April. to. 3. p. 49. n. 72.
» honore complexi ſunt; & monaſteriis ejus immunitates tributæ, illudque conceſſum,
» ut nulli alii epiſcopatui ſubjecta eſſent, ſed ſanctiſſimæ tantum & magnæ eccleſiæ
» apoſtolicæ regiæ ipſius civitatis, ita providente Deo, & ſancto martyre Georgio
» opitulante, propter benevolentiam in eos, qui in illis degebant, & ſacrificabant. Denique apud Græcos *imperialia monaſteria nulli archiepiſcoporum vel epiſcoporum dominio ſubjecta erant*, teſte Innocentio papa tertio [c] apud Boſquetum: quæ eadem erat in regalibus paſſim apud Gallos cœnobiis diſciplina.

c Innoc. III lib. 1. ep. 39.

XXIV. Wilfridus cum Benedicto Lugduni excipitur ab epiſcop.

Præerat hoc tempore Lugdunenſi eccleſiæ Aunemundus epiſcopus, ut patet ex ſuperiori Chlodovei diplomate, cui is ſubſcripſit. Eodem anno Wilfridus ex inſula Britannia in Galliam ſolvit, ac Lugduni a Dalfino ejus eccleſiæ antiſtite exceptus memoratur. Wilfridus non infimis apud Northumbros parentibus ortus, vitæ regularis ac litterarum elementa nondum attonſus didicit in monaſterio Lindisfarnenſi. Dein Romam ad catholicos eccleſiæ, monachorumque ritus ediſcendos proficiſci ſtatuit, ſimul hac peregrinatione peccatorum ſuorum reliquias expiatum iri confiſus. Itaque inaſſuetum ad id uſque tempus, & inattritum Northumbris iter initurus, ab Eanfleda regina directus, commendatuſque eſt Erconberto Cantuariorum regi, ejuſdem Eanfledæ avunculo, qui ei ſocium ac comitem itineris adjunxit Benedictum, cognomento Biſcopum, alio nomine Baducingum, piiſſimum adoleſcentem ex nobili ſtirpe Anglorum: qui, cum eſſet Oſwii Northumbrorum regis miniſter, terrena omnia præ cæleſtibus faſtidierat, annos natus circiter viginti & quinque; & patria, parentibuſque cum terrena militia relictis, ad Romanum iter tunc ſe ſe accingebat. Ambo itaque ex Britannia ſolvunt, ſuperſtite, aut certe re-

d Beda lib. 5. c. 20 e Id. lib. 3. c. 20.
cens mortuo Honorio Cantuarienſi pontifice, uti ex venerabili Beda [d] intelligitur, qui Honorii obitum [e] huic anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-tertio illigat. Cum Lugdunum perveniſſent, Wilfridus a Dalfino ejus civitatis epiſcopo ibi detentus eſt: Benedictus vero cœptum iter perſequitur. Tanta porro fuit antiſtitis in peregrinum elegantis formæ, numquam antea ſibi viſum, benevolentia & benignitas, ut non minimam Galliarum partem ei regendam committere, ac fratris ſui filiam virginem in matrimonium dare, eumque loco adoptivi filii habere, ſiquidem Wilfridus vellet, conſtituerit. Ille vero, cui longe alia animo conſilia erant, actis ob conditiones ſibi oblatas Dalfino gratiis, reſpondit, ſe, vitæ cælibis ſtudioſum, conjugio nuntium remiſiſſe; nec ideo domum ac patriam reliquiſſe, ut in aliena regione uxorem duceret, ſed ut apoſtolorum limina viſeret. Quare ab epiſcopo dimiſſus, dato duce itineris, & cunctis neceſſariis large ſubminiſtratis, Romam contendit, pollicitus in reditu, ſe hoſpitem ſuum denuo inviſurum. Ergo Wilfridus Romam adiit, ibique *menſes aliquot* permanſit, quo temporis intervallo ex Bonifacio eccleſiæ Romanæ archidiacono quatuor evangeliorum libros, computum paſchæ canonicum, Britannis & Hibernis tunc ignotum, multaque alia ad eccleſiaſticam diſciplinam

ANN. CHR. 653.

plinam pertinentia didicit, atque inde reverſus eſt ad Dalfinum in Gallias, apud quem triennio commoratus, ab ipſoque Romaoo more attonſus, a viris ejus urbis doctis & eruditis multa didicit; Dalfini heres futurus, ſi ipſe acquieſcere voluiſſet.

XXV. Aunemundus an idem cum Dalfino.

Quæ de Wilfrido & Dalfino hactenus retulimus, deſumta ſunt ex Eddio-Stephano Wilfridi æquali, atque ex venerabili Beda, quos Fridegodus poëta, Willelmus Malmeſburienſis, aliique ſecuti ſunt; qui omnes Dalfinum Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopum vocant, eique ea omnia, quæ ſuperius relata ſunt, ac necem inde conſecutam tribuunt. Nullus tamen in vetuſtis Lugdunenſium antiſtitum indicibus Dalfino locus eſt, ut patet ex tribus illis antiquiſſimis, quos Chiflletius in Paulino illuſtrato vulgavit: in quibus poſt Gandericum ſeu Candericum, qui Remenſi concilio ſub Soonatio ſubſcripſit, recenſentur Viventius, Aonemundus ſeu Aunemundus, mendoſe Annemundus, Geneſius, Landebertus, & Gudinus. Et Aunemundus quidem præmiſſo Chlodovei regis diplomati hoc anno ſubſcripſit, quo tempore Dalfinus epiſcopus Wilfridum Lugduni excepiſſe perhibetur. Ex quo intelligitur, aut binominem fuiſſe Aunemundum, aut falſos fuiſſe Eddium atque Bedam, qui pro Aunemundo ſcripſerint Dalfinum, cujus nominis fratrem habuit Aunemundus, ut legitur in ipſius teſtamento, interpolato quidem, ſed hac in parte nequaquam ſuſpecto. Hujus Dalfini forte filiam Aunemundus Wilfrido nuptum tradere in animo habebat; eique regendam committere illius civitatis partem, cujus comitivam Dalfinus Aunemundi frater habuiſſe fertur. Io illo autem teſtamento, quod pro puellari ſancti Petri monaſterio Lugdunenſi conditum eſt, Aunemundus parentes ſuos Sigonem & Petroniam vocat, Dalfinum germanum, Petronillam & Luciam ſorores, quæ ſacrum velamen in prædicto parthenone ſuſceperant. Idem Viventiolum in ſede Lugdunenſi deceſſorem ſuum vocat, rectius Viventium, quem ſancti Petri cœnobio multa beneficia contuliſſe dicit. Eidem loco plurima largitur idem Aunemundus, tum reſpectu ſororum ſuarum Petronillæ atque Luciæ, ibidem vitam monaſticam profeſſarum; tum hortatu quondam parentum ſuorum: nempe eccleſiam ſancti Petri in epiſcopatu Genevenſi, Turrim-de-Pinu in pago Vienenſi, rogatu Radegundis ejuſdem monaſterii abbatiſſæ; parochiam de Marinis cum eccleſia beati Johannis-Baptiſtæ, aliaque ad preces Aoimoniæ abbatiſſæ; oecnon Dolomicuraticum * vicum cum eccleſia beati Petri, & ſilva Bregonenſi *, & alia. Certe Leydradus Lugdunenſis pontifex in epiſtola ad Carolum Magnum laudat « monaſterium puellarum in honorem ſancti Petri dedicatum, ubi corpus ſancti « Aunemundi humatum eſt, quod ipſe ſanctus epiſcopus inſtituit, & ipſe Leydradus « a fundamentis inſtauravit. Hæc itaque tria explorata maneant, nempe Aunemundum Lugduni excepiſſe Wilfridum, eumdemque parthenonis ſancti Petri alterum veluti conditorem cenſendum; atque Dalfinum, ſiquidem binominis noo fuit Aunemundus, oeutiquam Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopum fuiſſe, contra quam De-Mura in hiſtoria Lugdunenſi cum Beda opinatur, qui contra rectam temporum ſeriem, Dalfinum Arigio epiſcopo ſubſtituit tempore Brunichildis reginæ, cujus juſſu eum necatum fuiſſe fabulatur.

S. Petri parthenon ab eo inſtauratus.

* Dolomieu.
* de Bregon.

XXVI. Romarici abbatis mors.

Hoc eodem anno beatus Romaricus abbas Habendenſis, cum animas virginum amplius centum in cælum præmiſiſſet, morti proximus in palatium Sigiberti Auſtriæ regis proficiſci ſtatuit, ut regi ac proceribus de futuro eorum periculo & caſu quædam, ſibi haud dubie cælitus revelata, nuntiaret. Eo cum perveniſſet, vir magnificus Grimoaldus ſubregulus, id eſt palatii præfectus, audito per internuntios, Romaricum noctis tempore ad ipſum velle accedere, intempeſta nocte cum facibus ei occurrit; ac virum Dei, angelica quadam ſpecie præditum, complexus, datis muneribus, quæ ſibi ſuaſerat ſe facturum pollicetur. Vitæ ſancti Romarici interpolator id interpretatur de fide, per Grimoaldum ſervanda Dagoberto Sigiberti filio poſt parentis mortem. quod promiſſum non implevit Grimoaldus. nam, Sigiberto rege mortuo, filium ejus Dagobertum tonderi, & per Didonem Pictavorum epiſcopum in Scotiam ſeu Hiberniam amandari juſſit, ſubſtituto in ejus locum proprio filio ſuo, quem Auſtraſiorum regem conſtituit. Verum brevi poſt tempore perfidiæ ſuæ pœnas dedit, ut ſequenti anno videbimus. Reverſus e palatio Romaricus, monaſterii ſui cellas luſtravit, fratreſque ac ſorores efficacibus verbis hortatus eſt, ut doctrinam eis ab ſe traditam illibate ſervarent, & de animarum ſuarum ſalute ſemper ſolliciti eſſent. Tum modica febre tentatus decubuit, in Dei laudibus

ANN. CHR. 653.

& ſuorum adhortatione interim perſiſtens. Die dominica, finitis matutinis, pæne in ipſo diei crepuſculo, rogatus, ut mutandi cauſa aliud verteretur in latus, mox animam agere viſus eſt. Sed unus e circumſtantibus presbyter, clamare cœpit, exſpectaret tantiſper, dum *communionis gratia viaticum* acciperet. Ille vero tamquam excitatus, dextera manu ſignum crucis ſuper ſe, ceteroſque adſtantes expreſſit; &, cum tandem ſacerdos cum ſacro viatico adveniſſet, *accepto munere*, labiis ſuis decenter compoſitis, mox ſancta illa anima, inter ſuorum lacrymas & ſingultus, e corpore egreſſa eſt VI. idus Decembris, qui dies hoc anno in dominicam incidebat. Ejus exſequiæ magno cum apparatu & ſtudio celebratæ ſunt, ſepultuſque eſt juxta ſocium ſuum beatum Amatum, ut, qui individua caritate ei conjunctus fuerat dum viveret, mortuus ejus lateri etiam adhæreret. Libellum de ejus geſtis ſcripſit monachus Habendenſis anonymus, ejus ſuppar, rogatu domnæ Cæciliæ abbatiſſæ, alio nomine Claræ ſeu Gegobergæ, cui hunc libellum nuncupavit, a quodam anonymo poſtea interpolatum. In antiquo breviario Romarici-montis, manu exarato, in feſto ſancti Adelphi abbatis, Romaricus tres filias habuiſſe dicitur, quarum duæ virgines permanſerint: tertia vero, Aſſerberga nomine, *paternæ non acquieſcens devotioni*, nupſiſſe traditur *cuidam in partibus Sicambriæ, cui vocabulum Bethilinus, ſummæ nobilitatis, multæque potentiæ viro.*

XXVII. Adelphus ejus ſucceſſor. Abbatiſſæ Romaricenſes.

In Romarici locum ſucceſſit Adelphus ſeu Adelphius mox laudatus, cujus ſuprema tantum facta idem anonymus, qui Romaricum celebravit, in litteras retulit, hortante Tetta abbatiſſa, quæ alio nomine Gebetrudis ſeu Gebitrudis vocabatur. Hæc tertia ejus loci abbatiſſa erat. Prima ſiquidem fuit Macteſledis, ut conſtat ex actis S. Amati: ſecunda Cæcilia, alio nomine Clara, quæ antea, nempe in ſæculo, Gegoberga dicta fuerat: tertia Tetta, aliis Tecta, cognomento Gebetrudis, cui ſancta Perpetua ſucceſſiſſe dicitur. In antiquis tamen ejus loci eccleſiaſticis libris nullum habetur officium de ſancta Perpetua; ſic vero de ſancta Gebetrude, cujus feſtum in veteri breviario, a ducentis circiter annis ſcripto, notatur poſt feriam tertiam in octava omnium Sanctorum. Nullæ tamen de ea habentur lectiones: at in reſponſorio, quod hymno veſperarum præmittitur, hæc de ea leguntur. *Virgo inclyta, ad te clamantes ſuſtenta, & perennem nobis depoſce virginitatem.* & in antiphona ad canticum beatæ Mariæ: *Sancto de ſemine orta, ſacroſancta Gebetrudis, a primævo juventutis flore, bonæ indolis, Domino ſervire cœpit læta forti animo, & cæleſtibus concupivit intereſſe thalamis.* In fine habetur hymnus de eadem, ſed nihil in eo ſingulare.

S. Benedicti regula illic obſervata.

Deinceps ad trecentos fere annos illius monaſterii documenta nos deficiunt, nimirum uſque ad principatum Arnulfi imperatoris, quo tempore monaſterium puellarum, quod in monte ſitum erat, *ab Hunnis* ſeu Hungaris deſtructum fuit, paullo poſt ad ſubjectam vallem trans Moſellam tranſlatum. Toto illo priori tempore uſque ad illam everſionem, *perſtitit intactum in religioſa diſciplina* monaſterium, & quidem ſub regula ſancti Benedicti, ut litteris ſuis ad Paulum V. ſcriptis teſtantur Viſitatores apoſtolici tres, ſcilicet Guillelmus archiepiſcopus Corinthienſis, Johannes epiſcopus Tullenſis, & Adamus Tripolenſis, quibus viſitandi ac reformandi illius monaſterii facultas a pontifice data fuerat. In illis litteris, quæ in Romarici-monte XVI. kalendas Decembris, anno MDCXIII. datæ ſunt, viſis ac luſtratis omnibus loci illius monumentis, tres monaſterii ſtatus diſtinguunt; primum ante deſtructionem Hungaricam: ſecundum a tranſlato ſeu inſtaurato in valle monaſterio ad exitum ſæculi tertii-decimi: tertium ab eo tempore uſque ad factam viſitationem. In triplici illo ſtatu ſancti Benedicti regula ſemper illic ſervata fuit.

» In primo ſtatu duæ monachorum, ſeptem monialium domus erant, omnes in
» monte poſitæ, ac in qualibet domo duodecim perſonarum religioſarum congregatio-
» nes, quæ ſibi aſſidue ſuccedentes, diu noctuque in eo monte, qui inde Sanctus-mons
» appellari cœpit, divinas laudes decantabant. Monialium curam in ſpiritualibus ge-
» rebant monachi: quorum unus, ſyndici nomine, rem familiarem adminiſtrabat. In
» ſubjecta planitie villa erat monaſterii primaria, quam vivente ſancto Romarico,
» mille converſi, monaſterii famuli, aut potius ſervi, incolebant.
» In ſecundo ſtatu idem vivendi inſtitutum perſeveravit: at poſt ducentos fere
» annos, ſive temporum, ſive opum injuria, religioſi pertæſi monialium curam, ab
» ipſis receſſerunt: hæ vero ſæculares ſacerdotes ad ſpiritualium curam; & ſyndici

unius loco, officiales nobiles ad temporalium regimen acciverunt. Unde regularis « AN. CHR. 653
vivendi norma ſenſim dilapſa eſt; tandemque abbatialis menſa ſeparata fuit a con- «
ventuali; immo ineunte ſæculo quarto-decimo menſa conventualis in præbendas di- «
viſa. quo ex tempore nulla deinceps reſtituendæ diſciplinæ cura fuit. Extunc enim «
abbatiſſæ ſæculares affectarunt honores, Principes-imperii dictæ anno M CCC XXXIV. «
ab imperatore Alberto: moniales vero id curarunt, ut omni regula ſolverentur, & «
in earum numerum nonniſi nobiles, quarto ab utriuſque lateris ſtipite gradu, ad- «
mitterentur. «

In tertio denique ſtatu eo licentia progreſſa eſt, ut jam circiter M D XV. mo- «
niales vocari cœptæ ſint canonicæ; & abbatiſſa ſola cum nonnullis aliis *regulam Be-* «
nedictinam profiteretur. *Paulatim vero genus veſtis religioſæ depoſitum; ipſaque non ita pridem abjecta eſt cuculla.*

Hæc omnia conſtant ex litteris Viſitatorum apoſtolicorum, qui ità ſubdunt. *His initiis ſequentem rerum ſtatum reperimus, beatiſſime Pater, ut ſcilicet antiquis ac recentibus documentis omnibus, modernis quoque ceremoniis, uſu item, qui hodie ſervatur, Benedictini officii; nonnulla etiam parte veſtium, quæ relicta eſt; abbatiſſa demum regulari profeſſione, capituli confeſſione, quotidiana in completorio regulæ ſancti Benedicti lectione, aliiſque permultis religionis ſignis exiſtentibus, ambigi non poſſit, quin monaſterium ſit Ordinis Benedictini, ex cujus præſcripto ſola abbatiſſa vota adhuc emittere conſuevit.* Poſt hæc in prædictis litteris exponitur præſens monaſterii ſtatus; poſtulantque Viſitatores a pontifice locum ea forma componi, qua ſecuritas ſit conſcientiis, & vivendi certus ordo ſanctitati ſuæ & ſanctæ ſedi probatus.

His ſuperfluum fuerit alia congerere argumenta, quibus conſtet, regulam ſancti Benedicti ab ipſis initiis ad noſtra tempora in illo monaſterio receptam fuiſſe. Id enim vetera inſtrumenta & documenta, quæ bene multa legimus, diſerte atteſtantur, conſentitque peculiaris ſancti Benedicti ibidem cultus in divinis officiis præ ſancto Columbano, cujus tantum commemoratio die ipſius natali præſcribitur: cum ſancti Benedicti duo feſta, obitus ſcilicet ac tranſlationis, ritu dnplici notentur. Ad hæc ejuſdem ſancti Patris ampliſſima capella in ſubterranea crypta ſub majori altari ab inſtaurato monaſterio exſtructa eſt, cum duobus hinc inde aliis altaribus: ſed nuper aditus interpoſitis muris ad eam præcluſus, ut ipſius ſancti, ejuſque regulæ memoria, ſi fieri poſſet, ibidem omnino aboleretur. His tantum duo adjicere lubet. Unum eſt fragmentum cujuſdam ſermonis, in ſanctorum Romarici, Amati & Adelphi tranſlatione habiti, paullo poſt inſtauratum monaſterium ineunte decimo ſæculo, qnn in ſermone ſit mentio de piſcibus ad illud feſtum miraculo obtentis, cujus occaſione ita loquitur auctor. *Agite ſemper, dominæ matres & ſorores, magnas omnipotenti Deo gratias, veſtraque tota ſponſionis religioſa vota, quæ Chriſto Domino regi vero* SUB PATRIS EGREGII NORMA BENEDICTI *contra antiquum pugnando ſerpentem, ſponte inſpiratione divina voviſtis, ad finem uſque vitæ in ſanctis perſeverando operibus viriliter, Chriſto adjuvante, adimplete.* Nihil hoc teſtimonio illuſtrius ad probandum uſum regulæ ſancti Benedicti ſæculo decimo in illo monaſterio, & votorum ſollemnem profeſſionem ibidem a puellis fieri tnnc ſolitam. Hinc eſt quod
in veteri formula confeſſionis, accuſabat ſe quælibet Romaricenſis puella, quod «
peccaſſet in tranſgreſſione omnium mandatorum Dei, *in prævaricatione & con-* «
temtu ſanctæ Regulæ, quod divinum officium negligenter perſolviſſet; quod *corpus* «
& ſanguinem Domini indigne frequenter accepiſſet; quod *ſilentium die ac nocte non* «
obſervaſſet; denique, ut multa alia omittam, quod *ante horas & poſt horas regulariter* «
conſtitutas frequenter manducaſſet. quæ quidem manifeſte referuntur ad regulam S. Benedicti, qui in omnibus litaniis ejuſdem loci, vel excluſo ſancto Columbano, vel ante eum invocatur. Alterum teſtimonium deſumitur ex primario inſtrumento monaſterii ſanctorum Bertarii & Athaleni, quod in Bliderici-villa* medio ſæculo undecimo a Rainardo Tullenſi comite exſtructum eſt ſub regula ſancti Benedicti, ut diſerte in prædicto legitur inſtrumento, quod ſuo loco referemus. Hujus vero loci prima abbatiſſa ex monaſterio Romaricenſi aſſumta eſt ad informandam novam illam coloniam ſub eodem inſtituto, quod illa profeſſa erat. Hæc digreſſio rebus noſtris illuſtrandis neceſſaria viſa eſt: ad intermiſſam rerum ſeriem reflectenda narratio.

* *Blenrville.*

XXVIII. Florebat medio ſæculo ſeptimo Landelinus abbas, ſancti Autberti Cameracenſis

ANN. CHR. 653.
Landelini abbatis prima facta.

epiſcopi diſcipulus, a quo res monaſtica non modicum in Belgio incrementum cepit. Excelſa Francorum progenie natus dicitur in villa pagi Cameracenſis, quæ vocatur Vallis, atque a beato Autberto epiſcopo, qui eum e ſacro fonte ſuſceperat, pietate ac litteris imbutus. Hunc, cum ſanctus pontifex ad clericatus officium tondere vellet, cognati ejus ab amore cæleſtium revocare cœperunt, rem indignam cenſentes, ingenuum adoleſcentem, egregia forma & multa gratia prædirum, ſæculo nuntium remittere: longe conſultius eſſe, ut mundi fruatur deliciis, quam, ut veluti mortuus, in monaſterio torpeat ac vileſcat. His dictis ſeductus adoleſcens, ab epiſcopo clam diſceſſit, & pernicioſis adjunctus conſiliariis, ſimul cum eis latronum vitam vixit, Moroſi accepto nomine, ne indicio proprii nominis agnoſceretur. Sed tandem ſodalis interitu, ſimul angelico, ut ferunt, monitu reſipiſcens, ad inſtitutorem ſuum redit prodigus filius, ejuſque pedibus advolutus, ante actorum ſcelerum pœnas ſibi imponi rogat. Mox pontificis juſſu in quoddam monaſterium retruſus, ibidem ſub ſæculari habitu duram pænitentiam egit. Dein, tonſura accepta, Romam pergit, atque inde reverſus ordinatur diaconus. Nec ſemel Romam adiiſſe contentus, iterum ſacra apoſtolorum limina cum luſtraſſet, a beato Autberto ſacerdotii honore decoratus; tertio demum Romam petit cum duobus diſcipulis, Adeleno & Domitiano, qui ei in prædicatione verbi divini nuper adhæſerant.

Laubienſe monaſterium & alia ab eo ſtructa.

Reverſo indulſit Autbertus, ut in quemdam Hannoniæ locum ſecederet, poſitum ſuper fluvium Sabim ſeu Sambram, Laubacum vocabulo, ex nomine rivuli decurrentis. Illic condi cœptum ab eo monaſterium Laubacenſe ſeu Laubienſe, ab ejus ſucceſſoribus poſtea amplificatum, & maxime illuſtratum, quod amplam hiſtoriæ noſtræ materiam ſuppeditabit. Aliud item cœnobium tribus inde millibus conſtruxit in pago Sambreo, Alneum ſeu Alnenſe nomine, ſancti Petri apoſtolorum principis titulo ac pignoribus decoratum. Tertium itidem ſub invocatione ſancti Petri ab eodem erectum eſt in pago Templutenſi, Guaſlarenſe ſeu Waſlarenſe nuncupatum, octo millibus diſparatum a primo ſuo monaſterio Laubienſi, quod præ aliis omnibus ei acceptum fuit, ac dotatum. Quidquid enim ex piorum regum munificentia in toto Francorum regno acquirere potuit, huic cœnobio Laubienſi legavit, ut numeroſa fratrum congregatio ibidem commode inſtitui, ac Deo ſervire poſſet. His ita geſtis, cum duobus diſcipulis, Adeleno & Domitiano, alium in locum commigravit, infra Valentianas, haud procul a Scaldi fluvio poſitum ſuper amnem *Hon*, ad ſilvam Ambidgim: ubi, ſpatio virgultis & ſentibus expurgato, quartum monaſterium ædificavit, Criſpinium dictum, cum baſilica ſancti Petri, & beati Martini oratoriolo. Eo in loco divinæ contemplationi totus addictus, duos diſcipulos verbi miniſterio deſtinavit, Adelenum quidem ſuper fluvium *Hon* una a Criſpinio leuca; Domitianum vero duabus abhinc leucis ſuper fluvium Hagnam.

XXIX.
S. Benedicti tranſlatio in Galliam.

Floriacenſe monaſterium regebat hoc tempore Mummolus abbas ſecundus, qui Rigomaro, poſt quinque regiminis annos mortuo, ſucceſſerat. In lectione ſacrorum librorum aſſiduus, cum libros dialogorum, a beato Gregorio papa conſcriptos, ſedulo revolveret, excidium Caſinenſis monaſterii a Langobardis everſi ingemuit, ob eam maxime cauſam, quod ſub his ruinis ſacrum beatiſſimi Patris corpus conſepultum, ac neglectum jaceret. Tandem ejus animum impreſſa ſubiit cogitatio, ut tantum theſaurum ex illis ruinis erueret, & in ſuum transferret monaſterium. Non alius ad hoc opus magis idoneus ei viſus eſt quam Aigulfus monachus, vir probatæ virtutis ac ſanctitatis, ex caſtro Bleſenſi ortus, qui ante aliquot annos ejuſdem ſe Mummoli diſciplinæ tradiderat. Accepto patris mandato protinus obſequens diſcipulus, iter in Italiam aggreditur, adjunctis Cenomannenſibus nuntiis, quos Berarius epiſcopus, eodem inſtinctus ſpiritu, ad deportandum ex Caſino monte ſanctæ Scholaſticæ corpus, novo parthenoni ab ſe exſtructo inferendum, itidem in Italiam direxerat. Romæ locis ſanctis obiter luſtratis, Aigulfus Caſinum ocius advolat, locum ſibi ignotum, ubi expetitæ reliquiæ jacerent, tacitus explorat. Tandem, venerando ſene admonente, ſupernæ lucis indicio latentem reperit theſaurum, effoſſum paratam in ciſtam deponit, ac reditum in Galliam maturat, comitantibus, qui tempori ſupervenerant, Cenomannis. Inter ea Romanus pontifex (is Martinus erat,) viſo in ſomnis increpitus fertur, cur ſineret Italiam tantorum ſanctorum orbari patrocinio, eorumque corpora in Galliam deferri? ſurgeret quantocius, & ablatas reliquias ſuo loco reſtitui curaret. Nec mora miſſi armati celeres, qui fugientes inſe-

Digitized by Google

querentur, ſed fruſtra; utpote quos offuſa caligo ab inſequentibus protexit. Vix in ANN CHR. 653.
pagum Aurelianenſem ſacræ reliquiæ appulerant, cum homini a nativitate cæco in
vico Bonodio * lumen infunditur, contractus erigitur. Alius item cæcus illuminatus * Bonny.
in Nova-villa, quæ a monaſteriu Floriacenſi paſſibus non amplius quingentis diſtar.
Mox obviam effuſi monachorum chori cum infinita promiſcui vulgi multitudine,
acceptæque cum inſigni triumpho ſacræ reliquiæ in veterem Floriacum. Illic ſanctæ
Scholaſticæ oſſa ſibi dari poſtulant Cenomannenſes. Floriacenſes ægre tandem aſſen-
ſere. In diſcernendis amborum ſanctorum ab invicem oſſibus hæſere animi. Dubi-
tationem duplex miraculum ſuſtuliſſe traditur. Allati pueri duo diverſi ſexus, re-
cens exſtincti. Maſculus ad ſancti Benedicti; puella ad ſanctæ Scholaſticæ oſſium
contactum revixit. Hæc data Cenomannis, atque illata in illud virginum cœno-
bium, quod Berarius epiſcopus inter muros urbis & fluvium Sartæ a fundamentis
conſtruxerat: ubi tempore Adrevaldi monachi, qui ſæculo nono hæc in litteras re-
tulit, magna fiebant miracula. Corpus vero ſancti Benedicti in Floriacenſem ſancti
Petri baſilicam ad tempus depoſitum eſt a Mummolo abbate, dum congruus eidem
locus in baſilica ſanctæ Mariæ pararetur. Hactenus ex Adrevaldo.

Simpliciorem brevioremque hujus tranſlationis hiſtoriam exhibet [a] anonymus, na- a Analect. to. 4. p. 451.
tione Germanus, cujus narrationem ex codice Ratiſponenſis monaſterii ſancti Em-
merammi, ante annos nongentos ſcripto, eruimus. ſic autem habet. Quidam preſ-
byter in Francia doctus pii patris ſul mandato iter fecit in Italiam, inveſtigaturus,
ubi ſepulta jacerent oſſa ſancti Benedicti patris, ab hominibus inculta. Tandem per-
venit in deſertum, nempe Caſinenſe, Roma diſſitum ſeptuaginta vel octoginta mil-
libus, ubi olim conſtructa fuerat cella ſancti Benedicti, quæ concordia caritatis in-
habitantium firma, & in æternum duratura videbatur. Tum preſbyter, locorum
imperitus, a ſubulco mercede conducto ſitum monaſterii didicit, at locum ſepulcri
invenire non potuit, donec triduano jejunio, ſibi ſociiſque indicto, id tandem obti-
nuit, facta eorum coquo revelatione. Effoſſo loco deſignato, repertus eſt lapis ſe-
pulcro ſuperpoſitus. Amoto lapide, inventa oſſa ſancti Benedicti abbatis, & in eo-
dem monumento beatæ Scholaſticæ ſororis ejus oſſa ſubter jacentia, marmore ta-
men interpoſito. Collectis amborum oiſibus lotiſque, ſindone mundiſſima ſeorſim in-
voluta ſunt, & in Franciam deportata, ignorantibus Romanis, & repoſita in mo-
naſterio, cui Floriacus nomen eſt. Ita fere anonymus Germanus.

Hæc tranſlatio conſignata legitur vetuſtiſſimis quibuſque kalendariis, non modo
Gallicanis, ſed etiam Germanicis, immo etiam Italicis, ut ipſi oculis noſtris per-
ſpeximus. Nec ſane mirum, cum ei teſtimonium perhibeat Paulus [b] Warnefridi, b Paul Diac. lib. 6. c. 2.
monachus Caſinenſis, qui ſæculo ſequenti ſcripſit hiſtoriam Langobardorum, in qua
aſſerit, Francos e Cenomannicorum & Aurelianenſium partibus Caſinum, ubi tunc «
vaſta ſolitudo exſiſtebat, ſimul conveniſſe, ejuſdemque venerabilis patris, pariter- «
que ejus germanæ venerandæ Scholaſticæ oſſa abſtuliſſe, & in patriam ſuam aſpor- «
taſſe, ubi duo monaſteria, unum in ſancti Benedicti, alterum in ſanctæ Scholaſticæ «
honorem conſtructa ſint. Addit tamen in conſolationem Caſinenſium, *os illud ve-* «
nerabile, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cetera quoque membra, quamvis reſoluta «
in cineres, penes Caſinates remanſiſſe. Hæc ſcribebat Paulus in ipſo monte Caſino «
paullo poſt mortem Carolomanni principis, qui juſſu abbatis ſui Caſinenſis miſſus ad
Pippinum regem, germanum ſuum, corpus ſacrum beati Benedicti Caſinum re-
vehere, ſed fruſtra, rentavit. Perſtant nihilo minus Caſinates noſtri in aſſerenda
ſibi poſſeſſione ſacri corporis, quod non modo ſæculo undecimo ſub altari reper-
tum perhibent, atteſtante Leone Marſicano in chronico Caſinenſi; ſed etiam An-
gelo de Nuce in ſingulari hac de re diſſertatione adverſus me ſcripta, in qua ait re-
pertum a ſe, dum majus altare baſilicæ Caſinenſis de novo erigeretur, detectum-
que ſacrum loculum, in quo beati patris oſſa jacebant. Verum exoratus a me, dum
Romæ verſarer, venerabilis ſenex, tunc Roſſanenſis archiepiſcopus, ut rei verita-
tem mihi ſincere aperiret, reſpondit: inventum quidem ab ſe tumulum, inventa
oſſa ſub altari, ſed abſque ulla inſcriptione, abſque ullo denique indicio, quo ea
eſſe ſancti Benedicti oſſa teſtatum fieret: niſi quod tumulus eo in loco poſitus eſſet,
ubi ſanctiſſimi patris corpus ſepultum fuiſſe majorum ferebat traditio. At quidni,
inquiebam, alter quidam abbas ibi ſe humari voluerit? an locus ignotus erat Paull
diaconi tempore, & poſteris demum revelatus? Hucuſque tantum noſtra hac

ANN. CHR. 653.

de re collatio : cujus hoc loco meminiſſe haud ab re viſum eſt. Ad tempus factæ tranſlationis quod attinet, eam principatu Chlodovei junioris contigiſſe conſtat ; de anno præciſe non conſtat. Diem ſignat præter alios in martyrologio Rabanus pridie nonas Decembris his verbis : *Floriaco monaſterio a partibus Romæ adventus corporis ſancti Benedicti abbatis.* De his iterum alias.

XXX. Caput-cervium S. Benedicto datur.

Poſt hanc tranſlationem varia per ſanctum Benedictum patrata Floriaci miracula, quorum fama ad circumpoſitas regiones e veſtigio diffuſa, ad aures pervenit Otharii ſeu Otherii, nobilis apud Bituriges Aquitanici, qui tum paralyſi toto corpore, una lingua excepta, laborabat. Hic conſultis incaſſum medicis nihilo melius habens, in ſomnis admonitus traditur, mitteret ad ſanctum Benedictum, a quo ſanitatem recepturus eſſet. Nec mora, Deo & ſancto Benedicto vovit hereditatis ſuæ portionem, cui Caput-cervium * nomen eſt, in finibus Biturigum ſitum, contiguum Lemovicinis, *a quo vicina regio corrupto vocabulo Capoergenſis vocitatur*, Aimoino ᵃ referente. Tum miſſi qui votum exſequerentur, Floriacum adeunt, & *cum vuantis ipſius auro ornatis* hanc donationem ſacris altaribus imponunt. Mox eadem die, eodemque horæ momento æger, *nonaginta millibus ſemotus a loco*, integerrimam adeptus eſt ſanitatem. Ita ferebat Aimoini tempore antiqua veterum relatio: » cui repugnare ait ille *antiquius tertii Chlotharii regis edictum* ſeu præceptum, in quo » continetur, quod Aotharius ob perfidiam ab ipſo rege interfici juſſus ſit ; rebuſque » ejus omnibus confiſcatis, illud prædium ſancto Benedicto ab eodem principe colla» tum. Hinc Caput-cervium *regia liberalitate* cœnobio ſancti Benedicti donatum legitur apud Adrevaldum, qui ait, cellam duorum vel trium monachorum ibidem ſuo tempore exſtructam fuiſſe. Verum hæc duo facile, vel ex ipſo Aimoino, conciliari poſſunt. Otherius quippe vovendo prædium, ejus uſum-fructum ſibi ad vitam reſervaverat. unde lapſus in crimen læſæ majeſtatis, potuit confiſcari prædium illud, quod ille adhuc poſſideret, & ſancto Benedicto a rege donari.

* Saverge.

ᵃ Aimoin. lib 1. de mirac. S. Bened. c. 4.

XXXI. Toletanum concilium octavum.

Sub finem hujus anni, id eſt XVII. kalendas Januarii, æra ſexcenteſima nonageſima-prima, in urbe regia celebratum eſt Toletanum concilium octavum, in quo, hortatu Reccesuinti regis, tredecim canones conditi ſunt, tum ad ſanciendam fidem, tum ad ſarciendam eccleſiaſticam diſciplinam ; de rebus vero monaſticis nullus. Concilio ſubſcripſere, poſt epiſcopos quinquaginta duos, abbates numero novem, & quidem ante preſbyteros & vicarios epiſcoporum, ac viros palatinos, quos princeps huic concilio adeſſe voluit, ut ſanctiones patrum ſe opere completuros in ipſo conventu proteſtarentur. quod rex ipſe pollicetur, his verbis ſane memorandis patres allocutus. » In commune jam vobis cunctis & ex divino cultu miniſtris ido» neis, & ex aula regia rectoribus decenter electis, divini nominis adjuratione con» ſtrictis, adjicio conſenſionis meæ verum, purumque promiſſum : ut, quodcumque » juſtitiæ, aut pietati, ſalutarique diſcretioni vicinum decernere, ſeu adimplere cum » noſtro conſenſu elegeritis, omnia favente Deo perficiam, & adverſus omnimodam » controverſiarum querelam principali auctoritate muniam ac defendam. Subſcribunt, inquam, poſt epiſcopos abbates novem, Fugitivus, Anatolius, Euſicius, Hildefonſus, Simpronius, Eumerius, Quiriacus, Morarius, Johannes, Secundinus : ex quibus Hildefonſus Agalienſi prope Toletum monaſterio præerat, idem qui poſtea ejus urbis clariſſimus pontifex fuit : ceterorum monaſteria ignota.

ANN. CHR. 654.

XXXII. Botulfus monaſterium Ikanhoenſe condit.

INſequente anno Botulfus apud Anglo-Saxones monaſterium ædificare cœpit in loco, qui dicitur Ikanho, in recentiori Lincolniæ comitatu, ad Withamam fluvium, qui locus hodie quoque nomen ſancti Botulfi retinet. Is in Gallia cum Adulfo fratre, qui poſtea incertæ ſedis epiſcopus fuit, monachus factus eſt in eodem monaſterio, ubi ſorores duæ Edelmundi ſeu Adelmundi, auſtralium Anglorum regis, monaſticam vitam agebant, nempe vel in Jotrenſi, vel in Eboriacenſi, vel certe Andilego. Reverſus in patriam cum commendatitiis earumdem ſororum ad regem litteris, locum jam dictum condendo cœnobio ab ipſo accepiſſe fertur, approbante Siwara regina, Adelmundi genitrice ; cohortantibus regibus Adelero & Adelwoldo, ejuſdem Adelmundi propinquis. Novum cœnobium informavit Botulfus ad inſtar monaſteriorum, quæ in Gallia luſtraverat, diſcipulis ſuis monita ſalutis *ſecundum beati patris Benedicti documentum*, vetera novis, nova veteribus miſcens, ſuggerere ſolitus. De Adelmundo rege altum apud ſcriptores Britannicos ſi-

Digitized by Google

ANN. CHR. 654.

lentium ad hunc annum, quo tempore Adelerus auſtralibus Anglis, caſo Anna fratre, & poſt eum Athelwoldus imperarunt. Sepultus eſt ſanctus Botulfus cum beato Adulfo ipſius fratre in ſuo monaſterio: quo a Danis everſo, venerabilis Ethelwoldus a rege Eadgaro impetravit, ut ſanctorum corpora in ea, quæ ipſe conſtruxerat, monaſteria transferre ſibi liceret. Sancti Botulfi corpus in tria loca diviſum: caput Elienſi monaſterio conceſſum; media pars corporis Thornenſi; & quod reſiduum fuit, ſcriniis regalibus inſertum.

XXXIII. Deſiderii epiſcopi Cadurci obitus.

Ad hunc annum referendus videtur obitus Deſiderii, Cadurcorum ſanctiſſimi præſulis, quem Carolus Cointius biennio citius deceſſiſſe putavit. Hujus diſcriminis rationes alibi [a] retulimus. Paullo ante obitum vir ſanctus ſcripſit epiſtolam ad Grimoaldum majorem-domus Sigiberti Auſtriæ regis, cui Cadurci parebant, dominum illuſtrem, totius aulæ, immo & regni rectorem, ſuumque patronum appellans, eumque non ſecus ac regem, eminentiæ, excellentiæque titulis honorans. Hac epiſtola [b] Lupum abbatem Grimoaldo plurimum commendat, ut glorioſum principem, dominum Sigibertum regem, per eum adire poſſit, rerumque monaſterii ſui, quod in honorem ſancti Amantii extruxerat, curam & ſollicitudinem habere dignetur. His litteris reſpondere videtur alia [c] Sigiberti regis ad ipſum Deſiderium epiſtola, qua gratias ei agit ob eulogias, ejus nomine a Bettone abbate ſibi oblatas; ſimulque res ſibi ab eodem commendatas ad effectum perductas fuiſſe ſcribit. Idem anno ſexto-decimo Sigiberti regis teſtamentum condidit. Mirum eſt quot & quanta matri eccleſiæ Cadurcinæ, aliiſque baſilicis & monaſteriis legaverit. Mortuus eſt tandem ejuſdem Sigiberti regis anno ſeptimo decimo, epiſcopatus ſui viceſimo-ſexto, non tertio, ut quidam legendum volunt; mortuus eſt inquam XVII. kalendas Decembris; ſepultuſque eſt in baſilica monaſterii ſancti Amantii, ab ſe conſtructa. Ad ejus ſepulcrum in multis ſanatus eſt Februndus abbas atque vicedominus. Habebat Deſiderius in multis amicum fideliſſimum, nomine Arvanum ſeu Aruanum, de genere Scottorum: quo præcipue miniſtro in diſpenſandis eleemoſynis utebatur. Is multis annis in cœnobio beati antiſtitis vitam venerabilem duxit, eidemque annis ferme quinque ſupervixit, atque in eodem loco ſepultus eſt. Huic ſolebat epiſcopus ſanctus ſingulis diebus ex ſua menſa cibos ſubmittere: quos cum duo clerici aliquando furtim deglutiſſent, graviter eos caſtigavit.

[a] Analect. to. 3. p. 531.
[b] Deſider ep. 49 to. 1. Cheſn. p. 876.
[c] ibid ep. 7.

Arvanus Scottus.

ANN. CHR. 655.

XXXIV. Sigiberti regis item obitus.

PRoximo anno deceſſit piiſſimus Auſtraſiorum rex Sigibertus kalendis Februarii, ineunte octavo-decimo regni ſui anno a morte patris Dagoberti, ætatis ſuæ viceſimo-quinto. Sepultus eſt Mettis in baſilica ſancti Martini, quam ipſe cum monaſterio extra muros regia magnificentia exſtruxiſſe traditur. Cum in morbum incidiſſet, Grimoaldi majoris-domus fidei unicum ex Eimhilde ſeu Imnechilde regina filium Dagobertum commendavit, orans, ut parvulum Auſtriæ regem conſtituendum curaret, eſſetque ei tutoris ac parentis loco. Verum ille, potentia & ambitione occæcatus, beneficiorum a Sigiberto acceptorum ac fidei immemor, proprium filium ſuum Childebertum Auſtriæ throno admovere conſtituit, ac Dagobertum pupillum, fidei ſuæ a patre commiſſum, tonderi, atque per Didonem Pictavorum epiſcopum in Scotiam ſeu Hiberniam deportari juſſit. At non diu male occupato regno potitus eſt Childebertus, Auſtraſiis alienum ſibi imponi indigne ferentibus; & Grimoaldus ejus pater vinctus ad Chlodoveum adductus, & cuſtodiæ mancipatus, in vinculis periit, Auſtriæ regno interim ad Chlodoveum delato, qui ſic Francorum integrum principatum adeptus eſt. Haud ſcio an aliquod operæ pretium ſit adnotaſſe, exſtare in archivo ſancti Dionyſii confeſſionem cujuſdam Genechiſeli, qui ſe conſcium ac culpabilem eſſe dicit homicidii, in domo ſua perpetrati a quibuſdam optimatibus; Theodobaudo, Juniuberto, aliiſque, qui in domum ſuam irruperant, & hominem quemdam occiderant. Facta confeſſio *anno* XVI. *regis domni noſtri Sigiberti*, *Etherico*. qui vicus eſt ad Axonam in pago Remenſi, ad regnum Auſtriæ pertinente. *Bobolenus ſcripſit & ſubſcripſit*. Hæc confeſſio facta eſt coram teſtibus, qui ei ſubſcribunt. Hæc in charta Ægyptiaca exarata eſt: quæ etſi forte ob ſtilum omnino barbarum in appendice noſtra locum non merebatur; non tamen inſuper habenda viſa eſt, quippe quæ hiſtorico facto & perſonis ignotis illuſtrandis occaſionem præbere poſſit.

Sigebertus monachus Gemblacenſis librum ſcripſit de vita & miraculis Sigiber-

ANN. CHR. 655.

ti regis, qui monaſteriorum conſtructionibus & ſuis in monachos benefactis conſecutus eſt, ut inter beatos ſanctoſque coleretur, ejuſque nomen ſacris faſtis inſcriberetur. Certe monachus quidam monaſterii S. Martini extra muros Mettenſes, qui libellum de ejus miris virtutibus ante annos fere quingentos ſcripſit, ægros ad ejus ſepulcrum ſanatos, vinctos ſolutos, energumenos dæmone liberatos fuiſſe tradit; ejuſque corpus primum anno ſupra milleſimum ſexageſimo-tertio, atque iterum centeſimo ſeptuageſimo incorruptum repertum, quod Letaudus, tum loci abbas, convocatis abbatibus & clero in capſam argenteam condiderit. Demum Sigiberti regis reliquiæ in Nanceïanam primatialem baſilicam tranſlatæ ſunt, eidemque attributæ poſſeſſiones monaſterii ſancti Martini, quod ſuperioris ſæculi anno quinquageſimo-ſecundo, cum a Cæſarianis urbs Mettenſis oppugnanda eſſet, a noſtris ſe ad obſidionem ferendam parantibus penitus exciſum eſt. Uxor ejus Immechildis Auſtraſiis nihilo minus, & poſtmodum Childerico Auſtriæ regi adeo grata & accepta fuit, ut ejus conſilio Childericus non pauca monaſteriis, aliiſque eccleſiis beneficia contulerit; eidem vero Childerico adeo fidelis, ut, eo a Neuſtraſiis Burgundionibuſque revocato, Auſtraſios in fide continuerit. Nec dubium, quin multum ejus prudentia, benignitaſque valuerint, ut filius ejus Dagobertus ex Hibernia, quo relegatus a Grimoaldo fuerat, poſtliminio tandem ab Auſtraſiis revocaretur, & patrio ſolio imponeretur.

XXXV. Filibertus Monaſterium Gemeticenſe, præclare inſtituit.

Poſteaquam Filibertus aliquot annis Reſbacenſi monaſterio poſt Agilum præfuiſſet, ſubiit animum cogitatio ædificandi proprio labore monaſterii. Hujus rei gratia a Chlodoveo Francorum rege & a conjuge ejus Balthilde locum in pago Rotomagenſi, nomine Gemeticum, petiit, obtinuitque, atque eo in loco nobile monaſterium ædificavit. Hujus loci donationem non a ſola Balthilde, ſed etiam a Chlodoveo rege factam diſerte aſſerit Filiberti vitæ ſcriptor ſubæqualis: cui non adverſatur libellus de vita ſanctæ Balthildis, quæ ad Gemeticum domno Filiberto, viro religio-
» ſo, & ſilvam magnam ex fiſco, ubi cœnobium fratrum ſitum eſt, & multa munera,
» & paſtus de fiſco dominico ad ipſum monaſterium conſtruendum conceſſiſſe perhibetur. Ita enim hæc cum altero ſcriptore conciliari poſſunt, ut Chlodoveus ac Balthildis fundum monaſterio conſtruendo una conceſſerint: Balthildis vero mortuo Chlodoveo, donationem auxiſſe dicatur: aut certe auctor, qui de geſtis Balthildis ſeorſim ſcripſit, id in ejus laudem retulit, quod ei commune cum rege erat, forte quod rex ea ſuadente & impellente hanc donationem feciſſet. Antequam mo-
* *Jumieges.* naſterium ædificaretur, locum *vetuſto vocabulo Gemeticum* * *antiquitas conſueverat appellare. Gimegias* quidam vocant. Nugantur proinde, qui a gementium monachorum cœtu loci appellationem derivant. Ibidem antiquitus caſtrum exſtitiſſe tradunt.

Poſitus eſt locus decem paſſuum millibus infra Rotomagum ad Sequanam, qui curſum multis reflectens gyris, unum tantummodo iſtuc aditum relinquit. Monaſterium mœnibus quadratis, turritiſque cinctum, majorem baſilicam ſanctæ Mariæ ad eurum inſtar crucis conſtructam habebat, cum abſide auro argentoque decorata, & duobus hinc inde altaribus, uno ſancti Johannis Baptiſtæ, altero beati Columbani. Ad boream Dionyſii martyris & Germani confeſſoris ædicula: a dextris oratorium ſancti Petri, adjunctum habens e latere ſancti Martini ſacrarium. Dormitorium ad auſtrum reſpiciens duplex, ducentorum nonaginta pedum in longitudine, in latitudine quinquaginta: ubi ſingulis lectis ſingulæ feneſtræ reſpondebant, ardente per noctem lychno ad commoditatem legentium. Subter ædes geminæ officinæ duobus officiis opportunæ, refectorium, & cella vinaria. Magna item eo
« in loco piſcium commoditas & copia. nam uncis ibi, retibus & ratibus, ait vitæ
* *f. quingenis.* » ſcriptor, capiuntur piſces marini, quinquagenis * pedibus longi, qui & fratribus eſ-
» cas, & lucernis fomenta ſuppeditant. Moris erat viro ſancto ſelectos e monaſterio fratres ad exhortandos circumquaque populos dirigere. Unde factum eſt, ut multi ad eum viri, etiam nobiles ac potentes, confluerent, proprias voluntates cum facultatibus abdicaturi, & Chriſto Domino ſervituri. Hinc monachorum Gemeticenſium numerus ad nongentos accreverat Aicadro ſecundo abbate. Octingentos ibidem ante cladem a Nortmannis illatam exſtitiſſe auctor eſt Willelmus ejuſdem cœnobii monachus. Tanta porro Filiberti ejuſque diſcipulorum opinio & exiſtimatio erat, ut alii abbates monaſteria ſua relinquerent, eorum conſortio fruituri: aut certe monachos e ſuis probatiſſimos ad eum dirigerent, ut ſub ejus magiſterio ac

diſciplina

diſciplina perfectam vitæ monaſticæ normam, addiſcerent. Erat in eo tanta compunctionis gratia, ut, cum ſe ad orationem dediſſet, ſtatim ex ejus oculis lacrymæ erumperent; nec umquam cibum, niſi præmiſſis lacrymis, ſumeret. ANN. CHR. 651.

Tanti magiſtri virtutibus reſpondebat diſcipulorum religin & obediendi promtitudo. Forte pro cauſa monaſterii monachum e ſuis quemdam, rebus gerendis magis idoneum, ad Ebroinum Francorum principem, id eſt ſummum palatii præfectum, dirigere voluit. Obſtare videbatur febris graviſſima, qua monachus ille vexabatur. Juſſus eſt nihilo minus in nomine Chriſti mandatum exſequi. Nec mora jubentis imperium ſubſecuta eſt diſcipuli ſimul obedientia, & ſanitas. Alter monachus, qui infirmis miniſtrabat, & ipſe aliquando in morbum incurrit. Hoc cognito Filibertus: Fidem habe, inquit, & ægrotantibus famulari perge, certus de recipienda ſanitate. Mox juſſionem adimplevit monachus, ſimulque ſanitatem conſecutus eſt. Cum quidam monachns ad extrema deductus loquendi uſum amiſiſſet, illum adiit Dei ſacerdos, monuitque, ut, ſi quid occultum in ejus conſcientia expiandum reſideret, ſuam ipſius ſtringeret manum. Strinxit ille; & confeſtim Filibertus beatæ Mariæ ingreſſus baſilicam, Deum precatur, ut loquelam infirmo ad confitendum peccatum reſtitueret. Vix ab oratione ſurrexerat, cum ipſi nuntiatum eſt, ægro redditam vocem, & peccatum confiteri velle. quod ſtatim ita factum eſt: & ille data confeſſione, ac pænitentia accepta, animam Deo reddidit, non dubiam de ſua ſalute viro ſancto fiduciam relinquens. Porro ſi quid negotii pro fratrum compendiis tractandum erat, amplius dare jubebat, quam a ſæcularibus dari conſuetudo poſcebat, ſancti Benedicti [a] hac in re obſequens edicto, qui in vendendis artificum operibus minus exigi præcipit, quam a ſæcularibus ſolet. a S. Bened. reg. c. 57.

Sub idem tempus Flaviacenſe monaſterium a Geremaro condi cœptum. Geremarus apud Bellovacos in villa Warandra *, ad flumen Ittam * poſita, nobilibus Francis, Rigoberto & Aga, parentibus principatu Chlotharii natus eſt. Adultus, conſenſu regis ac procerum, puellam, nomine Domanam, in matrimonium accepit, tanti factus a Dagoberto rege, ut ab eo in palatium evocatus, ejuſdem conſiliis adhiberetur. Laïcus monaſterium, vocabulo Inſulam, ſub patrocinio beati Petri ædificavit, cui Archarius abbas præfectus ab ipſo eſt. In hoc monaſterio, quod Nortmannorum tempore everſum fuit, modo prædium cœnobio Flaviacenſi omnino proximum, ſepultus eſt Amalbertus Geremari unicus filius, cui omnia bona ſua reliquerat, cum duæ ejus filiæ, altera innupta morte intercepta eſſet, altera in monaſterio Deo conſecrata. Anno Chlodovei regis undecimo, ejus permiſſu tonſus ab Audoëno Rotomagenſi epiſcopo, quem hac de re conſuluerat, ac monaſtico habitu indutus eſt in Pentallenſi [b] monaſterio, quod ſanctus Samſon olim principatu Childeberti ſenioris exſtruxerat in agro Rotomagenſi ad Lirizinum * amnem. Pnſt paullo decedente abbate, virtutibus ſuis promeruit Geremarus, ut numeroſo fratrum collegio ibidem præficeretur. Sed quorumdam malevolorum inſidiis, qui cultrum in lecto ipſius ad ejus necem occultaverant, appetitus, abdicato regimine ſeceſſit in quoddam antrum ad fluvium Sequanam, ex quo Samſon quondam ſerpentem ejecerat.

XXXVI. Geremarus Flaviacenſe.
* Varde.
* l'Epte.
b V. lib. 6. n. 20.
* la Lizaine.

Ibi cum per annos quinque & ſex menſes delituiſſet, nuntius ei allatus eſt de morte filii ſui Amalberti, qui e Waſconia cum rege Chlodoveo revertens (forte cum rex, mortuo Sigiberto, in ejus provinciæ venit poſſeſſionem) ex morbo interiit. Ejus funus præſente patre curatum, corpuſque delatum in monaſterium Inſulam, ubi honorifice conditum eſt. Cum eo deferretur, immotum factum fuiſſe tradunt in loco, qui Baniacus-pons dicitur, ac vultu detecto faciem ſanguine madidam repertam. quæ occaſio fuerit Geremaro erigendæ eo in loco eccleſiæ in honorem ſancti Johannis, ubi duodecim monachos, qui pro ſua, filiique ſalute Deum precarentur, collocaverit, prædiis ac rebus neceſſariis inſtructos. Poſt hæc Geremarus ex bonis ſibi poſt filii mortem provenientibus aliud monaſterium ædificare animo conſtituit, conſultoque beato Audoëno locum, qui Flaviacus * vocabatur, ceteris prætulit, quem ipſi angelico monitu præoſtenſum ferunt indicio nebulæ, effuſo rore monaſterii ambitum deſignantis, ſub interdicto, ut ne mulieribus illuc umquam pateret acceſſus. Baſilica in honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, ſanctæ Mariæ virginis, & ſancti Johannis, ſanctique Petri apoſtolorum principis conſtructa: varia item ædificia, tum ad monachorum domicilia, tum ad exercendas intra mo- * Flay.

ANN. CHR. 655.

naſterium diverſas artes, ut nulla eſſet neceſſitas monachis vagandi foras, quod omnino non expedit animabus eorum, inquit ſanctus Benedictus. Brevi eum in locum multi confluxere monachi, quibus Geremarus paterna ſollicitudine annis tribus & menſibus ſex præfuit. Poſt mortem ejus corpus ſepultum eſt in baſilica monaſterii Flaviacenſis, quod ab ejus nomine poſtmodum appellationem accepit. Monachis illic jam ſucceſſerant ſæculo nono canonici, ut patet ex teſtamento Anſegiſi abbatis Fontanellenſis, qui *ad Flavi cum illis canonicis* libras quindecim legavit, adeoque ante Nortmannorum tempeſtatem, a quibus monaſterium cum Inſulano exciſum eſt, a Drogone Bellovacorum epiſcopo inſtauratum ſæculo undecimo, ſancti Geremari nihilo minus corpore in majori Bellovacenſi eccleſia relicto, quo metu Nortmannorum perfugii cauſa delatum fuerat.

XXXVII. S. Faræ obitus.

Annus & dies, quibus Burgundofara ſeu Fara, Eboriacenſis ſeu Brigenſis cœnobii conditrix & prima abbatiſſa, deceſſit, non omnino explorati ſunt. Hanc annum præſentem exceſſiſſe vix crediderim. Diem obitus auctor appendicis ad Jonæ librum, qui ea vivente de rebus Eboriacenſibus ſcripſit, tertium ante nonas Apriles aſſignat. Favet codex monaſterii Tegernſenſis in Bajoaria, in quo liber Jonæ de ſancta Burgundofara ſic inſcribitur: *Vita ſanctæ Burgundofaræ virginis, quod eſt tertio nonas Aprilis.* Verum in antiquiſſimo epitaphio, quod ad ejus vitam retulimus, obiiſſe dicitur VII. idus Decembris: quo etiam die in ſincero Uſuardi martyrologio commemoratio fit ſanctæ Faræ virginis in pago Meldicenſi. Eadem ſententia eſt veteris martyrologii Eboriacenſis, ab annis minimum quingentis ſcripto, in quo hæc leguntur: VII. *idus Decembris, Eboriacas monaſterio, quod dicitur in Brige, natalis glorioſiſſimæ atque nobiliſſimæ Burgundofaræ, præcellentiſſimæ virginis & abbatiſſæ.*

Gerochus abbas.

In eodem martyrologio fit commemoratio V. idus Julii *beati Jerochii abbatis*, quem ſanctæ Faræ a confeſſionibus fuiſſe tradunt. In veterrimo ſacramentario, quod Godelgaudus preſbyter ac monachus Remigianus anno XXXI. Caroli regis, cognomento Magni, deſcribi curavit, præmittitur kalendarium, in quo legitur, III. *idus Julii in Briegio depoſitio Gerochi.* Exſtat haud procul a Farenſi parthenone locus, *Gilmontier* vulgo dictus, id eſt Gerochi-monaſterium, ut interpretantur quidam. Attamen patrona loci eſt beatiſſima Virgo: Gerochus vero Dagniaci * prope Firmitatem-Galcherii. Si abbas fuit ſanctus Gerochus, ut habet ſanctæ Faræ martyrologium, eum monachis ejuſdem loci, qui ſanctimonialibus ſacra miniſtrabant, præfuiſſe crediderim.

* *Dagny.*

Eboriacenſes poſt Faram abbatiſſæ.

Faræ in regimine ſui monaſterii ſucceſſit una poſt alteram Saëtrudis, filia uxoris Annæ orientalium Anglorum regis; atque Æthilberga ſeu Edilburgis, ejuſdem regis filia naturalis: quæ utraque, Beda [a] teſte, pro merito virtutum, ejuſdem monaſterii Brigenſis eſt abbatiſſa conſtituta. Non confundenda Saëtrudis abbatiſſa, Saëthryth Bedæ dicta, cum Siſetrude ejuſdem monaſterii celleraria, cujus piam [b] mortem, quæ vivente ſancta Fara accidit, Jonas commemorat.

a *Beda lib.* 3. c. 8.

b *V. lib.* 12. n. 31.

Æthilberga illibatam virginitatem a puero ſervavit, cujus rei indicio fuit ipſius etiam corporis poſt mortem incorruptio. Cum eſſet abbatiſſa, in monaſterio ſuo cœpit ædificare eccleſiam in honorem omnium apoſtolorum, quam ne perficeret, morte prærepta eſt, dato nihilo minus mandato, ut in ipſo eccleſiæ loco corpus ſuum humaretur. Verum cum hoc ædificium penitus intermiſſum fuiſſet ac relictum a fratribus ſeu monachis loci, alia curantibus, his viſum eſt abbatiſſæ oſſa in S. Stephani eccleſiam deportare. Aperto ſepulcro corpus ejus omnino intemeratum repertum eſt, ſicut olim a corruptione carnali prorſus immune fuerat. quod denuo lotum, atque aliis indutum veſtibus, in prædictam ſancti Stephani baſilicam honorifice tranſlatum eſt. Sanctæ Æthilbergæ * natalis dies ex eo tempore, teſtante venerabili Beda, cum magna gloria celebrari ſolet die nonarum Juliarum: quo die in veteri Farenſi martyrologio notatur *natalis ſanctæ Adalbergæ virginis & abbatiſſæ.* Exſtabat olim prioratus ſanctæ Æthilburgæ ſeu Edilburgæ, cujus loci præfecta ſeu prioriſſa capitulo ſanctæ Faræ quotannis adeſſe debebat cum prioriſſa monaſterii Giacenſis *, quod hactenus exſiſtit in pago Waſtinenſi *. Æthilburga alio nomine vocatur Adalberga, non modo in Farenſi martyrologio, ſed etiam in veteri hymno, in ejus honorem compoſito ante annos ſexcentos, quem ex codice Elnonenſi in appendice hujuſce voluminis referemus.

* *S. Aubierge.*

* *de Gy.*

* *le Gatinois.*

ANN. CHR. 655

XXXVIII. Earcongota ibidem monacha ſancta.

Æthilburga matertera fuit Earcongothæ, aliis Eartongothæ, virginis magnarum [a] virtutum, quæ & ipſa monaſticam vitam in ſanctæ Faræ monaſterio profeſſa eſt. Hæc regio ſanguine orta, parentes habuit Earconbertum regem Cantuariorum, & Sexburgam filiam Annæ orientalium Anglorum regis. Imminente die vocationis ſuæ in cælum, cœpit circumire monaſterii caſulas ſeu cellulas infirmarum Chriſti famularum, earum maxime, quæ vel ætate provectiores, vel probitate morum inſigniores erant, earumque ſe precibus humiliter commendare, obitum ſuum proximum aſſerens hoc ſibi indicio revelatum fuiſſe. quippe ſe vidiſſe albatorum hominum turbam in monaſterium ingredientem. qui ab ipſa interrogati, quid quærerent; reſponderint, ſe iſtuc directos fuiſſe, ut aureum hoc numiſma, quod e Cantia eo venerat, inde ſecum aſſumerent. Ipſa migrante, auditi angelorum concentus a fratribus ejuſdem monaſterii, qui in aliis ædibus erant. Sepulta eſt itidem in baſilica beati Stephani protomartyris. Hanc tamen Willelmus Malmeſburienſis monachus in Calenſi monaſterio ſanctimonialem fuiſſe dicit. at præferenda Bedæ auctoritas, qui eam Brigenſi ſeu ſanctæ Faræ monaſterio aſſerit. In Farenſi martyrologio prima notatur manu VII. *kalend. Martii natalis ſanctæ Ercongotæ virginis.* Ex quo intelligitur eos falli, qui eam ejus loci abbatiſſam fuiſſe putant, quod Beda non dicit.

[a] *Beda lib. 3. c. 8.*

XXXIX. Streaneshalenſis monaſterii initia.

Dum res Anglicanas perſequimur, locus poſtulat, ut agamus de primordiis puellaris cœnobii Streaneshalenſis, quod in Northumbrorum regno hac occaſione conditum eſt. Cum Oſwius [b] rex frequentes pateretur inſultus Pendæ regis Merciorum pagani, qui fratrem ipſius Oſwaldum occidiſſe non contentus, inſuper populos ejuſdem acerbis irruptionibus laceſſere & devaſtare non ceſſabat; ad extremum donis ac muneribus eum placare, & oblatis conditionibus ad pacis concordiam adducere tentavit. Verum illo nec precibus, nec promiſſis acquieſcente, ut qui totam Northumbrorum gentem penitus delere in animum induxerat; Oſwius ad divinum confugit auxilium, &, quamquam viribus longe inferior, de ſumma rerum armis decernere ſtatuit, voto facto, ſi victor exſiſteret, ſe filiam ſuam, vixdum unius anni, Deo conſecraturum, ſimulque duod cim prædiorum poſſeſſiones ad exſtruenda monaſteria donaturum. Instructa r mque acie, Oſwius cum Alchfrido filio & paucis copiis contra paganos tricies r nerosiores, Chriſto duce confiſus proceſſit. Pugnatum eſt ex utraque parte acriter: ſed tandem cæſi aut fugati pagani, quorum plerique exundantis vicini fluvii aquis abſorpti ſunt; eorumque duces triginta, qui auxilio Pendæ venerant, cum ipſo Penda pæne omnes interfecti. Id contigit anno hujus ſæculi quinquageſimo-tertio. Patrata victoria, Oſwius voti facti non immemor, filiam ſuam Elfledam, quæ vixdum unius anni ætatem, ut mox dicebam, impleverat, perpetua Deo virginitate conſecravit; donavitque duodecim prædiorum poſſeſſiones, ſex nimirum in provincia Deirorum, qui circa Eboracum erant, totidemque in provincia Berniciorum, qui ad ſeptemtrionem propius attinebant: ex quibus ſingulæ poſſeſſiones decem erant familiarum; adeoque ſimul omnes centum viginti. Mox Elfleda Deo tradita eſt in monaſterio Heortenſi, cui tunc Hilda abbatiſſa præerat, virgo regii ſanguinis, filia Hererici, Edwini regis nepotis. Hæc poſt biennium, comparata poſſeſſione decem familiarum, in loco dicto Streaneshala monaſterium exſtruxit: in quo prædicta Oſwii filia, primo diſcipula vitæ regularis, dein magiſtra poſt Hildam exſtitit, donec, completa ſexaginta annorum ætate, ad complexum & nuptias Sponſi cæleſtis virgo beata ingreſſa eſt. Illo in monaſterio ſepulti Oſwius & regina Eanfleda cum Elfleda eorum filia, & pater matris ejus Edwinus & multi alii nobiles, in eccleſia ſancti Pauli apoſtoli jacuere. In extremis [c] monaſterii locis novitiæ probari ſolebant, donec regulariter inſtitutæ in ſocietatem congregationis admitterentur. Duplex eo in loco erat congregatio, virginum & monachorum, qui ſacra illis miniſtrabant: ex quibus epiſcopos quinque Beda ſe vidiſſe teſtatur. Situm erat illûd monaſterium triginta paſſuum millibus ab urbe Eboraco ad boream, eo in loco, ubi Eska fluvius in oceanum ſe exonerat. Destructum a Danis inſtauravit ſæculo undecimo Willelmus de Percio, Vitebienſe deinceps appellatum. Paullo antiquius erat Heortenſe virginum cœnobium, conditum a religioſa Chriſti famula [d] Heru, aliis Bega, quæ prima feminarum inſtitutum veſtemque ſanctimonialium, conſecrante Aidano epiſcopo, ſuſcepiſſe traditur. Non multo poſt tempore ad civitatem Calcariam ſecedens, loci regimen ceſſit Hildæ abba-

[b] *Idem lib. 3. c. 24.*

[c] *Idem lib. 4. c. 23.*

Item Heortenſe.

[d] *Id. ibid.*

ANN. CHR. 655.

tiſſæ ; tandemque a Calcaria [a] peregre proficiſcens, obiit apud Hacanos monaſterium virginum, tertio a Scardoburgo milliario.

a *Monaſtic. Anglic. to* 1. *p.* 395.

XL. Medeshamſtedenſis & aliorum.

b *Beda lib.* 4. *c.* 21.

Penda Merciorum rex, tametſi paganus, non tamen chriſtianis adeo infeſtus erat, quin fidem eorum in regno ſuo diſſeminari, & liberos ſuos chriſtianis ſacris initiari ſineret, de fidelibus male viventibus dicere [b] ſolitus, contemnendos & miſeros eſſe eos, qui Deo ſuo, in quem crederent, obedire contemnerent. Habuit ex regina Kineſwita filios Peadam, Wlferum, Ethelredum, Merewaldum, & Mercelinum; filias duas, Kineburgam & Kineſwitham, ambas ſancta continentia præcellentes. Ita patens, perpetuo in Deum rebellis, ſanctiſſimos cælo fructus protulit. Kineburga nupſiſſe dicitur Alchfrido, filio regis Oſwii; ſed, ſpreto regali thoro, ſanctimonialis habitum ſuſcepiſſe in monaſterio, quod fratres ipſius Wlferus & Ethelredus conſtruxerant, Kineburgenſe ex ejus nomine appellatum. Et ita quidem tradit Willelmus [c] Malmeſburiæ monachus: ſed ab eo diſſentiunt Bollandiani [d] ſocii, qui Pendæ filias duas cognomines diſtinguunt, alteram Alchfrido nuptam, alteram virginem, monacham ac deinde abbatiſſam Kineburgenſis monaſterii, quod idem cum Dormecaſtrenſi eſſe exiſtimant. Oſwius Peadæ filiam ſuam Alfiedam eo pacto conjugem dedit, ut ille fidem Chriſti ac baptiſmum ſuſciperet. Eo uxoris inſidiis interfecto, Merciorum regnum ad breve tempus obtinuit Oſwius, quod Wlferus Peadæ frater ſavore popularium poſt triennium recepit. Hic ratas habuit donationes, a Peada fratre ſuo atque ab Oſwio, aliiſque factas monaſterio Medeshamſtedenſi, quod in regione [e] Girwiorum, ſeu in comitatu Northantonenſi, condiderat Sexwlfus, primus loci abbas, demum pulſo per Theodorum Cantuarienſem antiſtitem Winfrido, epiſcopus Licidfeldenſis. Petroburgenſe ſeu Burgenſe ab inſtauratione nuncupatum eſt hoc cœnobium, a quo Dormecaſtrenſe non longe aberat. Wlfero ſucceſſit tertius frater Ethelredus, animi religione, quam pugnandi exercitatione celebrior, qui poſt triginta regni annos Bardeneiæ monachus, ac poſtmodum abbas factus eſt. De his alias recurret oratio.

c *Vvillelm. de geſtis reg. Angl lib.* 1. *c.* 4.

d *Bolland. to.* 1 *Martii. p.* 441.

e *Beda lib.* 4. *c.* 6.

XLI Concilii IX. Toletani decreta.

Celebratum eſt hoc anno Toletanum concilium nonum, abſolutumque die quarto kalendarum Decembrium, anno ſeptimo Re[illegible]ceſuinti regis, æra ſexcenteſima nonageſima-tertia. Primo canone ſancitum eſt, ut [illegible] rebus eccleſiæ collatis nihil anferant epiſcopi aut miniſtri; &, ſi id attentaveri[illegible] propinqui fundatoris eos compeſcant; aut epiſcopo, vel metropolitano, aut judici, aut, ſi neglexerint, regi, factum corrigendum denuntient. Secundo, ut fundatores eccleſiarum vel monaſteriorum, quamdiu vixerint, earum curam & ſollicitudinem gerant, atque rectores iis locis idoneos epiſcopis ordinandos offerant. Quinto, ut, quiſquis epiſcoporum in parochia ſua monaſterium conſtruere ſorte voluerit, & hoc ex rebus eccleſiæ ſuæ dotare decreverit, non amplius quam quinquageſimam ejus partem dare poſſit. Aliis vero eccleſiis, quæ monaſticis non informabuntur regulis, ſi quidem eas munificare voluerit, non amplius quam centeſimam partem cenſus eccleſiæ, cui præſidet, conferre licebit. Huic concilio ſubſcripſere eodem ordine, ſicut octavo, epiſcopi, abbates, vicarii epiſcoporum, & viri illuſtres palatini: epiſcopi quidem ſexdecim, & ſex abbates, iidem, præter Johannem alterum abbatem, qui nono ſubſcripſit.

ANN. CHR 656.

XLII. Toletani Concilii X. decreta de rebus monaſticis.

SUbſecutum eſt anno ſequenti kalendis Decembris decimum concilium Toletanum: cujus canon tertius nobis aperit originem abbatum laïcorum, quos eo tempore quidam epiſcopi in monaſteria intrudere cœperunt. Canonem integrum, quo id prohibetur, integrum huc referre juvat. *Reverentiæ totius auditum quia res adiit dura, non fruſtra cogimur hanc duriori exſtirpare cenſura. Agnovimus enim quoſdam pontifices præcepti principis apoſtolorum, qui ait:* PASCITE qui in vobis eſt gregem, non coacte, ſed ſpontanee; nec dominantes in clero, ſed forma facti gregis; *ita eſſe immemores, ut quibuſdam monaſteriis parochialibuſque eccleſiis, aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui favoris participes, iniquum ſæpe ſtatuant in prælatum, ita illis providentes commoda inhoneſta, ut eiſdem deferantur aut quæ proprio epiſcopo dare juſtus ordo popoſcerit, aut quæ rapere deputati exactores violentia potuerit. Proinde decenter omnibus placet, & in præſenti tale reſcindere factum, & non eſſe de cetero faciendum. nam quiſquis pontificum deinceps, aut ſanguine propinquis, aut favore ſibi perſonis quibuſcumque devinctis, talia commodare lucra tentaverit auſu nefandæ præ-*

ANN. CHR. 656.

ſumtionis ; & quod viſum fuerit, devocetur in irritum ; & qui ordinarit, annuæ excommunicationis ferat excidium. Hinc primâ mali labes, de quo hactenus ingemiſcimus.

De Viduis religioſis & de pueris Deo oblatis.

Canone quarto ſtatuitur, ut viduæ, quæ ſanctæ religionis propoſitum obtinerè voluerint, apta religioni veſte utantur, & pallio purpurei vel nigri coloris caput contegant ; & canone ſequenti violatrices propoſiti ad habitum revocantur. quæ dè viduis in ſæculo remanentibus intelligenda ſunt. Virginum vela olim quibuſdam in locis flammei coloris erant, ut teſtatur alicubi Hieronymus. Theodoretus [a] ſcribit, ſanctimonialium vela retro quidem ad pedes ; anterius vero ad zonam dependiſſe. Toletani decimi concilii canon ſextus eſt de pueris Deo a parentibus oblatis, quibus concilium quartum Toletanum canone quadrageſimo-nono omnem ad ſæculum regreſſum penitus interdixerat ſecundum regulam ſancti Benedicti. Sed quia dubium erat, ad quam pueri ætatem offerri poſſent ; concilium definit id licere ad decimum ætatis annum : ultra quem parentibus liberos ſuos ſub illa irrevocabili neceſſitate offerre non liceret. Quartum-decimum annum legunt Ivo, Gratianus, & alii canoniſtæ. Inter vicarios epiſcoporum, qui huic concilio ſubſcripſere, duo reperiuntur abbates, Argefredus vice Egilani epiſcopi eccleſiæ Oxomenſis, & Martinus loco Waldefredi epiſcopi eccleſiæ Menteſanæ.

a *Theodoret. hiſt. relig. c. 29.*

XLIII. Fructuoſus ſuffectus in locum Potamii epiſcopi Bracarenſis.

In eodem concilio perpetuæ pænitentiæ addictus fuit Potamius epiſcopus Bracarenſis, qui ſe carnali flagitio pollutum palam confeſſus fuerat : cui patres miſerationis reſpectu non abſtulerunt nomen honoris, propterea quod ſponte culpam confeſſus eſſet. In ejus locum unanimi conſenſu ſubſtituerunt venerabilem Fructuoſum, qui ex abbate paullo ante Dumienſis eccleſiæ antiſtes inſtitutus fuerat, ejus poteſtati ſubjicientes totam metropolim provinciæ Galliciæ, eunctoſque ejuſdem metropolis epiſcopos & populos. In eodem conventu confirmatum eſt teſtamentum glorioſæ memoriæ ſancti Martini, eccleſiæ Bracarenſis olim epiſcopi, qui Dumienſe monaſterium conſtruxerat ; ſarcitumque damnum, quod Recimirus ejuſdem ſedis antiſtes, contra prædicti teſtamenti ordinationem, eccleſiæ Dumienſi intulerat ; libertis ejuſdem eccleſiæ, & omnibus ex illis provenientibus, relictis in diſcretione & diſpoſitione venerabilis Fructuoſi epiſcopi. Is paullo antequam Bracarenſis epiſcopus crearetur, in orientem peregrinationis cauſa trajicere ſtatuerat. Nave parata, cum ex ora Hiſpaniæ ſolvere maturaret, prodente uno ex ipſius ſociis, regis juſſu comprehenſus, & ad eum perductus eſt, datis cuſtodibus, qui ipſum ab incœpto reprimerent. Verum reſerata cuſtodia egreſſus, per ſanctas eccleſias orandi gratia procedit : dum tandem invitus ac reluctans in ſede metropolitana pontifex juſſu Toletanorum patrum ordinatus eſt. In ea dignitate nihil de priſtina converſatione detraxit : ſed in eodem habitu, eodemque abſtinentiæ rigore perſiſtens, reſiduum vitæ ſuæ tempus in eleemoſynarum diſpeoſatione, atque in monaſteriorum ædificatione conſummavit. Iu his inter Bracaram urbem & Dumienſe cœnobium, in cacumine montis inſigne exſtruxit monaſterium, Montellenſe dictum, ubi poſt mortem corpus ſuum ſepeliri mandavit. Tantum porro ejus ſtudium erat in ædificandis eccleſiis, teſtante Caſſiann abbate, primo ejus diſcipulo, ut, imminente obitu, cum imperfecta opera relinquere timeret, non ſolum dies totos in pium opus inſumeret, ſed etiam, accenſis de nocte lampadibus, illud ipſum proſequeretur. Unum ex his fuit Turonium monaſterium prope Bracaram civitatem, in quo Decentium morti proximus abbatem *impoſita manu* ordinavit. Ad hæc monaſterium ſancti Petri de-Montibus in pago Vergidenſi diœceſis Aſturicenſis erexiſſe fertur : quod a ſancto Vincentio abbate amplificatum, poſtea vero a beato Gennadio Aſturicenſi epiſcopo reſtitutum, demum a monachis nigris tranſiit ad Ciſtercienſes.

XLIV. Chlodovei obitus & liberi.

In Galliam revertor, ubi Chlodoveus hoc anno, regni ſui decimo-nono, ætatis viceſimo-tertio, regnare ac vivere deſiit. quod alias demonſtravi in tomn tertio [a] Analectorum ex Jnnæ auctoris æqualis teſtimonio, qui ſe juſſu regis Chlotharii, « Chlodovei filii ac ſucceſſoris, ac domnæ Balthildæ reginæ, Cabilonem miſſum fuiſſe « ſcribit anno centeſimo poſt expletionem cycli S. Victnrii epiſcopi, anno tertio domni « Chlotharii regis. Atqui prima periodus cycli Victorini incipit ab anno Chriſti viceſimo-octavo, conſtatque annis quingentis triginta-duobus : atque adeo deſinit in anno quingenteſimo quinquageſimo-nono. Itaque annus centeſimus ſecundæ periodi coincidit cum anno ſexcenteſimo quinquageſimo-nono. Hic vero ex Jona annus

a *Analect. to. 3. p. 514.*

ANN. CHR 656.

tertius erat Chlotharii. Ex quo conſequens eſt, Chlodoveum ejus patrem ac deceſſorem perveniſſe ad annum ſexcenteſimum quinquageſimum-ſextum. Certe appendix chronici Fredegariani, chronicon Moiſiacenſe, liber de geſtis Dagoberti, Johannes monachus Beſuenſis, octodecim regni annos ei tribuunt cum chronographo monaſterii ſancti Benigni Divionenſis, qui id de *completis annis* interpretatur. Idem auctor Chlodoveum [a] regem, alio nomine Chlotharium dictum fuiſſe ait. quod etiam apud alios anctores, ſed Chlodoveo longe poſteriores, uſurpatum invenies. Chlodoveus moriens tres filios impuberes ex Balthilde regina ſanctiſſima reliquit, Chlotharium, Childericum, & Theodericum: ex quibus Chlotharius natu-maximus, qui octennis eſſe vix potuit, in ſolidum principio rex dictus eſt, ſub tutela genitricis ſuæ Balthildis, quæ Chlotharii pupilli, reique publicæ curam geſſit. Childericus natu-ſecundus nonniſi poſt annos quatuor Auſtriæ regnum obtinuit, Theoderico interim, qui natu-minimus erat, in palatio adoleſcente. Certe Childericus annos dumtaxat quatuordecim regnavit; & quidem annis decem in Auſtria; quatuor annis toto Francorum imperio poſt mortem Chlotharii fratris potitus. unde in fragmento vitæ ſancti Lamberti abbatis Fontanellenſis largitio quædam eidem a Childerico rege facta dicitur *undecimo anno præfati regis in Auſtria, qui fuerat primus in Neuſtria.* Certe Childericus quatuor tantum annis in Neuſtria regnaviſſe in actis ſancti Waningi perhibetur. Theodericus, regnante Childerico fratre, in ſancti Dionyſii monaſterium retruſus, nonniſi eo mortuo principatum adeptus eſt. Quidam beatam Emmiam ſeu Enimiam Chlodovei junioris liberis adnumerant. Hæc virginitate Deo conſecrata, in Gabalis * puellare monaſterium exſtruxit ad fontem Burlam prope alveum Tarni fluvii, cum baſilica, in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ ab Hilaro Gabalitanæ ſeu Mimatenſis eccleſiæ præſule conſecrata: ubi ipſa grandis natu deceſſit, ac ſepulta eſt, annuo cultu in pago Gabalitano & Albienſi honorata pridie nonas Octobris. Hoc monaſterium redactum eſt in cellam ſancti Theotfredi apud Vellavos abbatiæ ſubjectam, in qua ſanctæ Enimiæ reliquiæ coluntur.

[a] Spicil. to. 3, p. 390.

* In Gevaudan.

S. Enimia an ejus filia.

XLV. Balthildis reginæ prima geſta.

Balthildis, quam veteres quidam Baldechildem, recentiores paſſim Bathildem vocant, in inſula Britannia claro Saxonum genere orta, quod de regio poſterior ejus vitæ ſcriptor interpretatur, a prædonibus capta, & Erchinoaldo præfecto palatii vili pretio vendita eſt. quod multis aliis ex eadem gente contigit, ut patet ex ſancti Audoëni libro primo de vita ſancti Eligii, ex actis ſancti Richarii, & aliorum. Huc ſpectat id, quod in libro primo de Gregorii Magni vita legitur, de negotiatoribus illis, qui Romæ venales pueros ex Britannia inſula exponebant. Erat autem puella cum forma corporis excellens, tum moribus eximiis prædita, ob idque Erchinoaldo adeo grata & accepta, ut, quam antea pocillatricem habuerat, eamdem, mortua Leutſinda conjuge, in matrimonium ducere conſtituerit. quod illa intelligens, ejus oculis ſe ſubduxit, ac tam diu latuit, quoad princeps aliam uxorem duxiſſet. Reperta illa tandem, ſed intacta, Dei nutu Chlodovei regis nuptiis reſervata eſt. Sic Chlotharius ſenior Radegundem Toringam, a ſe captivam factam, in regium thronum adſcivit. Sic Theodebertus Auſtraſiorum rex, Sigiberti ex Brunichilde filius, puellam virginem eximia corporis ſpecie, nomine Belichildem, a negotiatoribus emit, atque in matrimonium accepit. Balthildis vero priſtini ſtatus haud immemor, regem colebat ut dominum, principes habebat ut filios; ſacerdotes colens ut patres, monachos ut fratres; egentibus nutricem ſe exhibens. Rex vero bonis ejus conſiliis aſſentiens, piorum operum adjutorem ei dedit virum ſanctum, Geneſium abbatem, poſtmodum Lugdunenſem epiſcopum, per quem illa monachis, ſacriſque virginibus auri & argenti munera non modica; egenis quoque largas eleemoſynas erogabat. Denique in omnibus ita ſe geſſit, ut, rege mortuo, unanimi procerum conſenſu pupillorum filiorum & regni cura & tutela eidem delata ſit; nec Francos ejus tutelæ ac regiminis pænituerit. Hæc epiſcoporum hortatu ſimoniacam hæreſim, quæ toties eccleſiæ decretis jugulata, ſemper nihilo minus in Gallia reviviſcebat, regia auctoritate reſtinxit, vetuitque quemquam datis muneribus ad ſacros ordines & ad eccleſiaſticas dignitates promoveri. Tributum in ſingula Gallorum capita, cujus cauſa parentes quidam liberos ſuos ei obnoxios crudeliter necabant, penitus abolevit: Judæos a mancipiis chriſtianis vendendis prohibuit: multos ipſa captivos redemit: ex quibus alios liberos dimiſit, alios in mo-

naſteria volentes admitti curavit. Jam vero quantam eccleſiarum ac monaſteriorum curam egerit, explicatu difficile eſt. In primis domno Filiberto ſilvam Gemeticenſi monaſterio adjunctam, multaque munera, & paſtus ex fiſco dominico largita eſt. Laigoberto abbati monaſterii Curbionenſis, a ſancto Launomaro in pago Carnutenſi exſtructi, plurimum auri cum villa Nugareto, ac ipſam, qua cingebatur, zonam donavit. Multa item conceſſit Fontanellæ & vicino Logienſi monaſterio; ad hæc Luxovio, ceteriſque Burgundiæ monaſteriis, necnon Jotro parthenoni, & ſanctæ Faræ in pago Briegio; aliiſque in urbe Pariſiaca baſilicis & cœnobiis. Præter ea rectores præcipuarum baſilicarum ſancti Dionyſii & ſancti Germani apud Pariſios, S. Medardi apud Sueſſionas, & ſancti Petri, forte Corbeiæ: ſancti Aniani apud Aurelianos, & ſancti Martini apud Turonos, aliarumque, quaſcumque noſſe potuerat, litteris commonuit, darent operam, ut ſub ſancto regulari ordine fratres eorum locorum bene morari viverent: atque ut id libentius facerent, eoſque delectaret pro rege & pace Chriſti clementiam exorare, privilegia & immunitates eis conceſſit. Auctores duo, qui de Balthildis rebus geſtis ſcripſere, tradunt, mortuo rege Chlodoveo, filium ejus Chlotharium poſt eum regnaviſſe, & ſuffragantibus « præcellentiſſimis principibus, Chrodoberto epiſcopo Pariſiaco, & domno Audoëno « Rotomagenſi, necnon Ebroino majore-domus, cum reliquis ſenioribus ſeu optimatibus, ceteriſque quam plurimis, ad regimen Francorum in pace conſtitutum, deinde ordinante domna Balthilde, aſſenſu & concilio ſeniorum, Childericum, alterum ejus filium, regem Auſtriæ dictum fuiſſe: cum alia duo Neuſtriæ & Burgundiæ regna ſimul unita ſub poteſtate Chlotharii eſſent; ac demum tria hæc regna ſub procuratione Balthildis inter ſe ſe tenuiſſe concordiam. Ex quibus intelligitur, epiſcopos tunc temporis, ſaltem qui majori auctoritate pollebant, inter principes palatii viros locum habuiſſe, immo & primatum tenuiſſe; & Ebroinum majoris domus officium geſſiſſe, antequam Chlotharius in patrium ſolium eveheretur; adeoque Erchinoaldum ejus deceſſorem paullo ante Chlodoveum, aut certe ſimul cum eo e vita migraſſe.

ANN. CHR. 616.

XLVI. Leodegarius ex abbate epiſcopus Æduenſis.

Florebat tunc Leodegarius, nobiliſſimo inter Francos ortus genere, pietate, prudentia, eloquentia, aliiſque dotibus inſignis, ſacrorum librorum, canonumque, ac juris civilis ſcientia præditus: quem Dido Pictavorum epiſcopus, ipſius avunculus, diaconum intra viceſimum ætatis annum, & non multo poſt archidiaconum, ac demum monaſterii ſancti Maxentii apud Pictones abbatem inſtituerat: quod monaſterium ſex annis rexit, ac multis opibus dotavit. Hujus comperta prudentia, Balthildis petiit a Didone epiſcopo, ut ei in palatio remanere permitteret. Miſſus in aulam ab avunculo Leodegarius, ita mores ſuos compoſuit, ut dignus epiſcopatu palam ab omnibus diceretur. Unde, exorta poſt mortem Ferreoli epiſcopi inter Æduenſes de eligendo ſucceſſore contentione, quæ per biennium eos exagitavit, tandem procurante pia regina, ejus eccleſiæ antiſtes factus eſt Leodegarius anno quarto Chlotharii junioris, eamque eccleſiam decennio pacifice ac ſtrenue rexit ſub Chlothario; eo mortuo tanta paſſus Ebroini factione, quanta ab tyranno quemquam pati potuiſſe vix ullus credat. Leodegarii genitrix, Sigrada nomine, in puellari monaſterio ſanctæ Mariæ apud Sueſſionas monacha facta eſt.

XLVII. S. Salaberga obit.

Circiter hunc annum in cælum migravit beata Salaberga, Laudunenſis parthenonis auctor & prima abbatiſſa, de inſtante obitu præmonita a Magoberto puerulo, filio Amilianæ, quem ante ſe in cælum præmiſerat, & a venerabili Anſerico, Sueſſionum quondam epiſcopo, quem ſæpius in monaſterio ſuo viderat, ab ſe invitatum; necnon ab angelo in ſpecie Waldeberti ſeu Walberti abbatis Luxovienſis, inſtitutoris ſui, qui adhuc in vivis ſupererat. Ante viceſimum obitus ſui diem, pedum dolore tacta lectulo decubuit. Interim ad ipſam acceſſit germanus ejus Bodo, qui litteras de quibuſdam donationibus ſororis monaſterio factis, a ſe reſciſſas, denuo refecit. Imminente obitu, ſorores convocari juſſit, eaſque ut in ſervitio Dei omnipotentis ſtrenue perſeverarent, admonuit. Tum acceſſitum Italum preſbyterum, (id viro nomen erat) ejuſdemque cœnobii præpoſitum, rogavit, ut pro ſe ſolitum morientium officium expleret. quo facto, emiſit ſpiritum x. kalendas Octobris, qua die ſanctorum Agaunenſium paſſio celebratur. Eximiæ fuere in Salaberga virtutes: at ceteris præcellere videbatur ejus humilitas. quippe quæ quidquid humile & abjectum in monaſterio, quidquid munditiarum faciendum erat, in eo

præcipuas ſibi partes præripi non patiebatur, in coquinæ officio ſuis per vices hebdomadibus miniſtrare ſolita. quod munus cum quondam exerceret, Baſino ejuſdem urbis archidiacono revelatum eſt, ancillabus Dei cibaria deeſſe. Ille domo egreſſus, pro foribus reperit hominem, qui piſcem miræ magnitudinis ferebat. Dato pretio emtum beatæ matri detulit, quæ ex eo pulmentum ſororibus exhibuit, omneſque affatim refecit, id eſt trecentas minimum ſanctimoniales. In his multæ nobiles erant, & inter ceteras nobilium Sicambrorum ſeu Francorum filias præcellebat Odila, non minus ingenio, quam genere illuſtris.

Italus preſbyter ejuſdem cœnobii monachus erat, atque præpoſitus, is ſcilicet, cujus providentiæ rerum monaſterii cura commiſſa erat. Laudatur etiam in actis Salabergæ Landefridus ſeu Lantfredus monachus & hortulanus: ſed præ ceteris Bodo, ipſius Salabergæ germanus, alio nomine Leuduinus dictus, qui inciſis ibidem capillis, monachi pro virili officium geſſit, ac non multo poſt Tulli-Leucorum epiſ-

Bodonis monaſterium. copatum adeptus eſt. Is eſt Bodo epiſcopus ſanctiſſimus, qui puellarum monaſte-

a Spicil. to. 3. p. 283. rium in quodam prædio ſuo ædificavit [a], Bodonis-monaſterium ab auctore appellatum; cui Thietbergam filiam, quam ante pontificatum ex legitima conjuge ſuſceperat, abbatiſſam præfecit; a Bertholdo ejuſdem urbis epiſcopo tranſlatum in ſuperiorem locum ſub titulo ſancti Salvatoris, monachiſque noſtris conceſſum, quod poſtmodum tranſiit ad canonicos regulares. Librum de geſtis ſanctæ Salabergæ ſcripſit auctor gravis & fere æqualis, eumque Omotario papæ, id eſt epiſcopo, ut quidem puto, Laudunenſi, necnon caſtiſſimæ Chriſti virgini Anſtrudi abbatiſſæ, ipſius Salabergæ filiæ, nuncupavit: quo ex auctore reſtitutionem Dagoberti Sigiberti filii in regnum Auſtraſianum viri docti, in primis Hadrianus Valeſius, nuper eruerunt. Alius auctor longe recentior, priorem illum auctorem ſuo modo expolitum interpolavit.

XLVIII. Anſtrudis filia ei ſuccedit. Salabergæ in regimine cœnobii ſucceſſit Anſtrudis ejus filia, quæ & ipſa in eodem parthenone virginitatem profeſſa erat. Hæc duodennis a nobili & locuplete viro, nomine Landranno, in matrimonium poſtulata, nuptias terreni ſponſi reſpuit præ amore Chriſti. Deinde in Salabergæ monaſterium deductam ſanctiſſima parens Deo lubens ac gaudens conſecravit, eamdemque ſibi ſacri ovilis regimine ſucceſſuram deſignavit. Erat annorum viginti, cum monaſterium regendum ſuſcepit, conſilio Laudunenſis epiſcopi, & procerum ejus provinciæ a ſanctimonialibus electa, &, annuente rege, ſacrata abbatiſſa. Hoc in munere, etſi pietatem in Deum, lenitatem in ſorores, miſericordiam in egentes ac peregrinos, caritatem, humanitatemque adverſus omnes exerceret; multas nihilo minus ab hominibus injurias perpeſſa eſt, etiam ab iis, qui ſe ejus amicos ſimulabant. Huic germanus frater adhærebat, nomine Balduinus, quem ipſa miſit pro certis monaſterii ſui cauſis ad quoddam placitum, id eſt conventum optimatum, tunc temporis habitum in villa quadam pagi Laudunenſis. quo cum ille, duobus tantum equitibus comitatus, pergeret, ab inimicis confoſſus gladiis interiit, martyr a poſteris dictus, quod innocens a ſceleſtis occiſus ſit. Quin etiam impii parricidæ Anſtrudem apud Ebroïnum inſimulare perrexerunt, ſuadentes, ut eam a monaſterii regimine amoveret. Ex quo licet conjicere, beatæ virginis vexatores non alios fuiſſe, quam Laudunenſis provinciæ homines quoſdam præpotentes, monaſterii rebus inhiantes: quos cum Anſtrudis ad regale placitum provocaſſet, hi Balduinum ipſius fratrem ac levitam, qui forſan monaſterii præpoſitus erat, a ſorore ad dicendam cauſam ad placitum præmiſſum, in itinere necarunt. In kalendario ſanctorum, quod pſalterio Hemmæ Francorum reginæ præfigitur, omnes illi Salabergæ liberi cum aliis conſanguineis commemorantur, nempe natalis Balduini levitæ & martyris VI. idus Januarii; nonis Maii ſancti Baſonis; IV. kalendas Julii ſancti Bodonis epiſcopi; ſanctæ Anſtrudis virginis & abbatiſſæ XVI. kalendas Novembris; tertio eaſdem kalendas ſancti Gunduini patris ſanctæ Salabergæ, quæ & ipſa X. kalendas Octobris in eodem kalendario locum habet; itidemque omnes in litaniis pſalterio inſertis ejuſdem Hemmæ, uxoris Lotharii regis, parentum Ludovici Tranſmarini.

XLIX. Waldetrudis auctor monaſterii Caſtriloceſis. Salabergæ & Anſtrudi adjungere licet Waldetrudem & Aldegundem germanas ſorores, quæ eodem ſpiritu animatæ, cælibemque vitam profeſſæ, monaſteria virginum duo, altera Caſtrilocenſe in Hannonia, altera Melbodienſe conſtruxerunt. Hæ nobiliſſimis ac ditiſſimis parentibus, Waldeberto ſeu Walberto, & Bertilane,

ſeu

ANN. CHR. 656.

ſeu Bertila, in Belgio natæ: qui Waldebertus videtur fuiſſe dux & domeſticus [a] ille, per quem Chlotharius ſecundus, quadrageſimo regni ſui anno, Godinum, Warnacharii majorem-domus filium, inſidiis occidit. Ambæ etiam ſorores avunculos habuere Gundelandum & Landricum, *quos Græci*, ait vetus auctor in vita ſanctæ Aldegundis, *ſcholares, nos quoque bellatores vocamus.* Is eſt ſine dubio Gundolandus major-domus ejuſdem Chlotharii, vir egregius dictus in Erchanberti fragmento, quippe qui in altera vita beatæ Aldegundis major-domatus dignitatem adminiſtraſſe memoratur. Tales parentes ac propinquos habuere Waldetrudis & Aldegundis, quæ occaſio fuit Floro diacono Lugdunenſi in additionibus ad Bedæ martyrologium, ut Aldegundem *ex regali proſapia* editam aſſereret. Sed prius de Waldetrude * natu-majore dicendum. Hæc primum conjugio copulata paris nobilitatis ac pietatis viro Madelgario comiti, cognomine Vincentio, qui, conſentiente uxore, Autberti epiſcopi manu [b] tonſus, in Alto-monte monaſterio veſtem mutaverat; & ipſa viri ſui imitata exemplum, Giſleno abbate hortatore, in monte Caſtriloco puellare cœnobium ædificare cœpit, quem locum ab Hildulfo illuſtri viro, ſibi affini, pretio comparatum acceperat. Monaſterio magnifice exſtructo, cum hæc ſumtuoſa ædificia averſaretur, tota fabrica divino nutu a fundamentis corruiſſe fertur; aliaque humilior, & monaſticæ religioni convenientior, ab eodem Hildulfo in ejuſdem montis latere reſtructa cum exiguo oratorio, in honorem beati Petri apoſtoli dedicato.

a Fredeg. c. 54. & 90.

* S. Vaudru.

b V. lib. 13. n. 59.

Perfectis omnibus, Waldetrudis a beato Autberto Cameracenſi epiſcopo ſacrum velamen & ſanctimonialium veſtes accepit, & ſe ſuiſque omnibus Deo conſecratis, in monaſterium Caſtrilocenſe recluſa eſt. Non defuere nobili ac juveni adhuc feminæ tentationes, quæ a propoſito eam retraherent, ſplendor generis, relictæ opes, ſæculi oblectamenta & illecebræ: ſed hæc omnia, non ſecus ac fumus, præ amore Chriſti facile ex ejus oculis evanuerunt. Victis tentationibus, jam ad ferendum fructum magis idonea, dignior effecta eſt, quæ alias ad virtutem animaret. Hinc fama ejus reſperſa, nobilioris generis feminæ quædam ſub ejus diſciplinam concurrere cœperunt, & Chriſto Domino non arbitraria, ſed *dedicata caſtitate* ſervire. Locus anguſtior viſus eſt Aldegundi, quæ ad ſororem ſuam identidem ventitabat; & minor ſanctimonialium numerus quam optaſſet. Hortatur Waldetrudem, locum illum ut difereret, & ad ſuum Melbodienſe monaſterium ſe reciperet. At Waldetrudis paupertatis ſtudioſior, quam avari divitiarum amatores eſſe ſolent; ſororis petitioni acquieſcere abnuit, permanſitque in eo loco tenui & anguſto, juvandis nihilo minus egenis, & captivis redimendis intenta. Verum proceſſu temporis ita crevit monaſterii frequentia, ut ex deſerto loco inſigne opidum factum ſit, Montes-Hannoniæ vulgo appellatum; & ex tenui ſanctimonialium parthenone nobile collegium ſæcularium canonicarum, quæ non minus votis ac inſtituto, quam habitu differunt a ſancta Waldetrude, ejuſque ſociabus.

L. Aldegundis Melbodienſis.

Paullo poſt Waldetrudis ſeceſſum Aldegundis ſeu Aldegunda, ſororis ſuæ hortatu, & multis viſis ad relinquendum ſæculum inducitur; atque Eudonis proci interpellationibus rejectis, e villa Curtiſolra *, ubi mater viro orbata tum degebat, clam aufugit in locum tunc nemoribus conſitum, Melbodium * ſeu Malbodium nomine, ad Sabim fluvium poſitum; ibique aliquamdiu delituit. Tum beatos Autbertum & Amandum in Altimontenſi monaſterio conveniens, ab iiſdem benedictione ſacerdotali conſecrata, *conſecratum pallium*, ut æqualis auctor, ſeu, ut loquitur Hucbaldus monachus, *ſacræ religionis velamen*, habitumque ſuſcepit. Melbodium reverſa, quidquid auri, gemmarum, ornamentorumque habebat, baſilicis contulit, prædia ac poſſeſſiones locis ſacris donavit; Melbodienſe monaſterium exſtruxit, dotavitque, atque a ſancto Autberto epiſcopo in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ dedicari curavit, ubi *ſervos & ancillas Dei* congregavit, in his Madelbertam & Adeltrudem ſororis ſuæ filias; ex quibus Adeltrudis materteræ ſuæ Aldegundi abbatiſſæ, Madelberta Adeltrudi ſucceſſit. Præter ea locum apud Curtiſolram, ubi parentes ejus ſepulti fuerant, in melius reparaviſſe dicitur, ibidemque duodecim ſanctimoniales ad ſerviendum Chriſto Domino conſtituiſſe: cetera egentibus diſtribuiſſe. Etſi vero monaſticam in ſuis cœnobiis vitam agerent Waldetrudis & Aldegundis, altera alteram nihilo minus viciſſim inviſebat, ut de rebus ad divinum cultum pertinentibus ſimul colloquerentur. Quippe non una erat

* Courtſore.

* Maubeuge.

ANN. CHR. 656.

tunc temporis in puellarum monaſteriis diſciplina. Aliæ inviolabilem recluſionem ſervabant, quales erant illæ, quæ ad præſcriptum regulæ beati Cæſarii Arelatenſis epiſcopi vivebant, tametſi aliquando cum abbatiſſis earum diſpenſatum: aliæ non ita clauſtris ſuis addictæ erant, ut non aliquando pro cauſis honeſtis ac neceſſariis egrederentur. Magna item erat abbatiſſatum, uti & abbatum, poteſtas in res monaſterii, ut ſuperius [a] vidimus, maxime ubi ejus conditrices, aut conditorum filiæ ac conſanguineæ erant.

[a] lib. 13. n. 10.

LI. Dornatiacum Beſuæ datum.

Ejus generis eſt donatio, quam monaſterio Beſuenſi fecit Aldaſinda abbatiſſa [b] Dornatiaci, ab Amalgario & Aquilina conſtructi prope Veſontionem. Hæc improborum hominum injuriis & vexationibus exagitata, cum eis modum imponere non valeret, loco cedere cum monachabus ſuis & Adalrico germano conſtituit, ac monaſterium ſuum cum conſenſu Donati antiſtitis reſignavit in manu fratris ſui Waldaleni abbatis cœnobii ſancti Petri Beſuenſis, ea conditione, ut in ipſo ſancti Petri monaſterio *ſub regula vel ordine* ſibi habitare liceret. Factum diſerte exprimunt litteræ ſeqnentes.

[b] Spicil. to. 1. p. 498.

Domino ſancto, & in Chriſto amabili fratri Vualdaleno Adalſinda abbatiſſa. Dum malorum hominum vexata injuriis & variis adverſitatibus ibidem ſtare non poſſem, inde ego, & germanus meus Adalricus, vobis & fratribus veſtris petivimus, ut ad monaſterium ſancti Petri habitare ſub regula vel ordine in Dei nomine deberem. quod & vos pro caritatis ſtudio conceſſiſtis. Ideo monaſterium Dornatiacum in honore ſancti Martini ſacratum, quod genitor meus Amalgarius & Aquilina mater mea conſtruxerunt, & ei maximam partem de ſuis facultatibus delegaverunt, hoc recipere in Dei nomine debetis, cum villis ad eumdem locum pertinentibus, & omnibus univerſaliter appendiciis ſuis, villam ſcilicet Aſſouam, Parniacum, Potentiacum, & medietatem, quam in Balatonna genitores noſtri tenuerunt: reliqua vero, quæ ad ipſum monaſterium Dornatiacum genitores noſtri delegaverunt, a die præſenti in Dei nomine recipite. Et de villa Montaniaco, quam genitor noſter Amalgarius, & Amloaldus de fiſco pariter promeruerunt, portionem noſtram a die præſenti in veſtra dominatione revocate: ut nec ego, nec quiſlibet de parte noſtra, vel ulla o[illegible] persona, adverſum vos de ſupra dictis rebus calumniam ac laborem generare pr[illegible]at. Si quis vero fecerit, conferat una cum ſacratiſſimo fiſco auri libras viginti, arg[illegible]i pondo quinquaginta. Actum publice Fonte-Beſua monaſterio. In Dei nomine Adalſinda hanc traditionem noſtram ſubſcripſi. Hermena monacha juſſu domnæ meæ Adalſindæ ſubſcripſi. Aga monacha, juſſu domnæ meæ Adalſindæ ſubſcripſi, &c. Ego Allo hanc traditionem ſcripſi & dictavi, Chlothario rege regnante in Francia primo anno regni ejus, venerabili viro Donato Beſonticam ſedem tenente, die mercurii proximo ante medium menſis Februarii.

Chlotharius Franciæ rex dictus.

Ex his litteris conjicere licet, Chlothario totum Francorum principatum non obtigiſſe regni ejus anno primo, ſed tantum Franciam ſeu Neuſtriam, cui Burgundia tunc conjuncta erat jam a tempore Chlotharii ſecundi, quod probat ſuperius inſtrumentum, in Burgundia, & de rebus ad Burgundiæ regnum pertinentibus confectum Chlothario ibidem regnante, tametſi de ſolo Franciæ regno ibidem ſit facta mentio. Cui ergo, inquis, tum parebat Auſtria? Exiſtimem Auſtraſios, mortuo Chlodoveo, inter ſeſe de ſucceſſore diſceptaſſe, aliis Childericum Chlotharii fratrem; aliis Dagobertum Sigiberti filium, qui tum in Hibernia exſulabat, præferentibus; ſed tandem omnes in Childericum conſenſiſſe, agente Balthilde, & forte ipſa Imnichilde regina, Dagoberti genitrice, quæ Childerico ſemper in primis accepta fuit, & actis ejus fere omnibus ſubſcripſit.

LII. Sancti Livini martyrium.

Livini epiſcopi martyrium rurſus nos revocat in Belgium, ubi his diebus ab Aloſtenſibus ob prædicationem evangelicam necatus eſt. Et primo quidem fuſtibus cæſus, lingua multatur; at loquendi facultatem non amiſit. cujus rei auctores Walbertus & Gerardus cælitus puniti. Tum ille a furente multitudine comprehenſus, inſtigantibus Walberto & Meinzone, capite percuſſus interiit pridie idus Novembris, cum prius pro inimicis ac futuris cultoribus ſuis oraſſet. Reſciſſa etiam per medium cervix Chraphaildi venerabili matronæ ejus hoſpitæ; ſectuſque in tres partes infantulus ejus filius, Brictius nomine, adhuc in albis, quem ſanctus martyr nuper de ſacro fonte levaverat, ut loquitur vetus auctor, id eſt ſacris aquis luſtraverat. ſuum ipſius martyrium, quod etiam idem auctor teſtatur, prædixerat Livinus in metrica epiſtola ad Florbertum abbatem Gandenſem, his verſibus.

ANN. CHR. 656.

Impia barbarico gens exagitata tumultu,
Hic Brachanta furit, neque cruenta petit.
Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?
Pax eſt quod porto: quid mihi bella moves?
Sed qua tu ſperas feritas, ſors læta triumphi,
Atque dabit palmam gloria martyrii.
Cui credam novi, nec ſpe fruſtrabor inani.
Qui ſpondet Deus eſt: quis dubitare poteſt?

Hæc ſanctus martyr, ad mortem pro Chriſto ſubeundam anhelans. quæ ipſi contigit in villa Holtamo * pagi Aloſtenſis: ubi ejus corpus primitus ſepultum eſt, dein ſæculo nono humo elatum, & loco celebriori collocatum a Theodoro Cameracenſi epiſcopo; ac demum in Gandenſe ſancti Bavonis monaſterium tranſlatum ſæculo undecimo ab Eremboldo abbate. Livino haud diu ſupervixit Florbertus abbas monaſteriorum Blandinienſis & Gandenſis, ſeu ſancti Bavonis. Ejus depoſitio in martyrologio Blandinienſi conſignatur kalendis Novembris. Duo hæc monaſteria non uni, ſed duobus deinde abbatibus paruere. Blandinienſe poſt Florbertum obtigit Johanni abbati: Gandenſe Aldeberto, qui ambo ſancti Amandi teſtamento ſubſcripti reperiuntur.

* Hautem.

Florberti abbatis ſucceſſores.

ANN. CHR. 657.

LIII.

Aunemundo necato Wilfridus in patriam redit.

POſtquam Wilfridus triennium a Romano itinere (ſex annos Chiffletius [a] perperam obtrudit) manſiſſet apud Aunemundum Lugdunenſem pontificem, quem Eddius, Beda, & alii Anglicanæ hiſtoriæ ſcriptores Dalfinum vocant, Dalfinum comitem forte cum Aunemundo ejus fratre [b] confundentes; Aunemundus, ob nimiam potentiam, cum ſuam, tum Dalfini fratris, qui Lugdunenſis urbis comitivam gerebat, Ebroino haud dubie ſuſpectus, citatur cum fratre apud duces Ebroino addictos, quaſi ambo germani res novas molirentur. Paradinus habet, Dalfino comiti initum occupandæ urbis conſilium ab optimatibus objectum fuiſſe, hominemque inſontem damnatum, & capite truncatum. quo territus nuntio Aunemundus, aliquamdiu latuiſſe dicitur; ſed innocentiæ demum ſuæ confiſus, ſpe in Deo poſita, Lugdunum rediiſſe; ac paucis poſt diebus miſſi ad eum comprehendendum tres duces e palatio veniſſe. qui, cum ſe purgare vellet, negata cauſæ dicendæ poteſtate, fuerit jugulatus. quæ licet idoneis fortaſſe teſtimoniis deſtituantur, veri tamen haud abſimilia ſunt, nec male cohærent cum Eddii ac Bedæ narratione de Dalfino. niſi quod Eddius ait Dalfinum, (ſic Aunemundum vocat) a ducibus maligniſſime venire juſſum, « intrepide ad agonis locum, neſcientem quid ſibi futurum eſſet, perveniſſe, ſimul- « que cum eo Wilfridum ſervum Dei, epiſcopo incaſſum prohibente: quippe aſſe- « rentem, nihil melius eſſe, quam patrem & filium ſimul mori, & eſſe cum Chriſto: « ſed tandem epiſcopum martyrio coronatum fuiſſe. Interim Wilfridum, mori cum « epiſcopo cupientem, jam exſpoliatum, & ad martyrii palmam paratum, adſtitiſſe « intrepidum; verum miſeratione ducum formoſo juveni parſum fuiſſe. Ita rem nar- « rat Eddius, auctor gravis & æqualis, ſed extraneus, & necdum Wilfridi ſocius, qui Dalfini, id eſt Aunemundi, cædem Balthildi reginæ tribuit: tametſi pro Balthilde codices quidam Brunichildem falſo habent; uti Eddius, aliique poſt eum falſo Balthildem incuſant, piiſſimam & ſacerdotum obſervantiſſimam reginam, cui ab homine extraneo facile imputari potuit, quod ſub ejus regimine, juſſu ac malis artibus Ebroini, factum eſt. Aunemundus prope Cabilonum necem paſſus memoratur, a poſteris ſanctus & martyr dictus & habitus, teſte Leydrado antiſtite in epiſtola ad Carolum Magnum; ſepultuſque in puellari monaſterio ſancti Petri, quod inter Ararim & Rhodanum extra muros Lugdunenſes ex integro reſtruxerat. Natalem ejus Lugdunenſis eccleſia celebrat III. kalendas Octobris. Exſtat in pago Forenſi haud procul ab ea urbe, ſed propius Viennam, caſtrum ſancti Aunemundi * nomine illuſtre.

[a] Analect. to. 3. p. 522. & ſeq.

[b] ſupra n. 25.

* S. Chaumond.

Ripenſis abbas.

Poſt ejus mortem ac funus condignum, Wilfridus in patriam rediit, & ab Alchfrido, Oſwii regis filio ac regni conſorte, honorifice acceptus eſt. quo præceptore Alchfridus catholicos ritus didicit. Atque ut eum apud ſe retineret, monaſterium quadraginta familiarum, Ripum vocabulo, eidem conceſſit, quem locum paullo ante Eatano abbati & monachis [c] ſectæ Scoticæ in poſſeſſionem dederat. Sed quia

[c] Beda l. 3. c. 25.

ANN. CHR. 657.

& de vita Cuthberti c. 7.

illi poſtmodum, data ſibi optione, loco cedere, quam ritus ſuos mutare maluerant; locus ille Wilfrido ceſſit, quippe qui dignam loco doctrinam haberet ac vitam. Conſtructo monaſterio, abbas ibidem ordinatus, non tantum regis, ſed etiam Northumbrenſium populorum ſibi gratiam conciliavit, dignuſque habitus, cujus doctrinæ omnes obtemperarent. Eo in monaſterio tres annos manſit Wilfridus, quo tempore ab Agilberto, Geviſſorum epiſcopo, Gallo natione, rogatu Alchfridi preſbyter ordinatus eſt. Ripum ſeu Hripum inter Urum fluvium ac limitem ſeptemtrionalis & occidentalis ducatus Eboracenſis, atque Skellum fluviolum ſitum erat: ubi Wilfridus poſt mortem ſepultus eſt. Hæc omnia continenter retulimus, tametſi Aunemundi cædes nonniſi ſub finem anni ſequentis videtur accidiſſe. In veteri martyrologio Anglicano, olim bibliothecæ Altaëmpenſis Romæ, nunc Ottobonianæ, legitur VI. *idus Januarii ſancti Delfini epiſcopi.* qua de re monitum volui lectorem, ne quid deſit ad ulteriorem inquiſitionem de vulgato apud Anglos Dalfino epiſcopo Lugdunenſi, quem tamen non epiſcopum, ſed epiſcopi Aunemundi fratrem eſſe haud quaquam dubitaverim.

LIV. Calenſe monaſterium condit Balthildis.

Inter ea Balthildis regina Francorum de condendo Calenſi monaſterio cogitabat, ubi aliquando, adulto filio Chlothario, regni procuratione depoſita, aulicorum tumultuum expers, reliquum vitæ in Dei obſequio exigeret. Id conſilii epiſcopis ac proceribus aperit, poſtulatque, ſuo ut hac de re voto ac deſiderio faveant. Nonniſi ægre aſſenſum ab omnibus, quippe qui optimam reginam incredibili amore ac veneratione proſequebantur. Erat autem Cala villa regia in agro Pariſiaco, ad fluvium Matronam poſita, ubi Chrothildis, Chlodovei Magni conjux, cœnobium ſacrarum virginum, parvamque ſub titulo ſancti Georgii baſilicam olim condiderat. Everſis vetuſtis ædificiis, Balthildis novum monaſterium, idque ampliſſimum, excitari curavit, cum prægrandi baſilica: cujus altare medium ſub titulo ſanctæ Crucis, dextrum in honorem ſancti Georgii, ſiniſtrum ſancto Stephano protomartyri dedicandum curavit. Bertila cum aliquot ſanctimonialibus ex Jotro monaſterio evocata, & a Geneſio epiſcopo, qui Aunemundo in ſede Lugdunenſi ſucceſſerat, iſtuc perducta, atque ob pietatem pudicitiamque ſingularem, ſicuti Teudlechildis Jotrenſis abbatiſſa mandaverat, novo virginum collegio prima præfecta eſt. Eidem loco plurimæ & ampliſſimæ poſſeſſiones a Balthilde conceſſæ, quæ regio diplomate, ſua, filiorumque ſuorum manu ſubſcripto, anuloque regio ſignato cavit, ne quis umquam loci rector eas poſſeſſiones occuparet, minueretve, aut cuiquam beneficii nomine conferret.

LV. Hereſvita ibi monacha, non Hilda.

Floruit ibidem Hereſvita, mater Adulfi regis orientalium Anglorum, regularibus ſubdita diſciplinis; ejuſque ſoror Hilda ſimiliter optabat, relicta patria cum omnibus quæ habebat, in Galliam itidem accedere, atque in monaſterio Calæ una cum ſorore vitam ducere peregrinam. Quapropter ſæculari depoſito habitu, ſeceſſit in provinciam orientalium Anglorum, inde in Galliam transfretatura. Verum annum totum in ea provincia detenta, fruſtrato trajiciendi propoſito, ab Aidano epiſcopo in patriam revocatur; acceptoque loco unius familiæ ad ſeptemtrionalem plagam Wiri fluminis, anno uno monaſticam cum paucis ſociabus vitam egit. Poſt hæc abbatiſſa facta eſt in Heortenſi monaſterio, ac demum in Streaneshalenſi, uti ex venerabili Beda [a] jam ſuperius obſervavimus. Hunc Bedæ locum de Hilda hoc modo recte interpretatur Matthæus Weſtmonaſterienſis; aliter Menardus noſter & Harpsfeldius, qui Hildam in Galliam re vera trajeciſſe, & in Calenſi monaſterio annum unum exegiſſe volunt. quod de provincia orientalium Anglorum interpretandum erat. Matthæo ſubſcribit Carolus Cointius, idemque ex Beda colligit, Hereſvitam Calæ admiſſam fuiſſe, ante quam monaſterium a Balthilde inſtauraretur. quippe Hildam iſtuc ad ſororem accedere voluiſſe ſtatim atque veſtes ſæculares monaſticis mutavit. quod contigit anno ſexcenteſimo quadrageſimo-ſeptimo, & quidem triceſimo-tertio ante ipſius obitum, quem anno ejuſdem ſæculi octogeſimo accidiſſe conſtat, poſtquam triginta-tres annos, referente Beda, in monachica vita exegerat.

a Beda lib. 4. c. 23.

LVI. Corbeienſe monaſterium ab eadem regina conditur.

Non minorem virorum, quam virginum curam egit Balthildis; nec ſatis ejus munificentiſſimæ pietati viſum eſt Calenſe monaſterium puellarum condidiſſe, niſi alterum etiam virorum & ipſa erigeret. Opportune ad hoc conſilium accidit, ut Corbeia villa pagi Ambianenſis ad Sumnam ſeu Suminam, cum adjacentibus prædiis,

quæ Guntlandus vit illuſtris a rege in beneficium quondam acceperar, poſt ejus obitum ad fiſci ditionem revocaretur. Hac occaſione uſa Balthildis, eo in loco monaſterium in honorem ſancti Petri ædificare inſtitit, ſanctorum, eruditorumque virorum aliquando ſeminarium futurum; idque multis villis ac prædiis dotavit, partim ex ipſo Guntlando, partim ex Frodino quodam, & ex fiſco acceptis. Illic magnus grex monachorum ab ipſo principio adunatus: cui præfectus eſt venerabilis vir Theodefridus, quem a Waldeberto Luxovienſi abbate, beati Euſtaſii ſucceſſore, pia regina petierat. Exſtanr duo Chlotharii regis de hoc monaſterio diplomata, ipſius primum, deinde Baldechildis reginæ manu ſubſcripta: quorum altero villam

ANN. CHR. 657.

Corbeiam cum adjacentiis ſuis, aliaſque villas pagi, tum Ambianenſis, tum Atre- «
batenſis, confert monaſterio, quod ipſe & genitrix ſua domna Baldechildis regina «
in honore ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum & ſancti Stephani protomartyris, «
ſuper fluvium Somna, in loco qui dicitur Corbeia, quem Guntlandus quondam «
poſſederar, & ad fiſcum pervenerat, ubi præeſt venerabilis abba Theodefridus, «
æterni Numinis intuitu ædificari præceperant: ut monachi *ſub ſancta regula* ibidem «
converſarentur. Altero immunitates ab omnibus teloneis concedit monachis, acto- «
ribuſque ejuſdem monaſterii, quod domna & genitrix ſua Baldechildis ſuo opere
conſtruxiſſe dicitur: ut quotieſcumque monachi vel actores eorum per varias pro- «
vinciæ aut regni partes *ad cappas comparandas*, ceteraſque monaſterii opportuni- «
tates exercendas diſcurrerint, nihil penitus ex eis ab hominibus regiis exigatur. Vi- «
drehadus juſſus obtulit. Datum ſub die viceſima-tertia menſis Decembris, anno «
quinto regni ipſius Chlotharii, in villa Strpiniaco, quæ eſt in pago Vilcaſſino. «

Tres fuere ab initio Corbeienſis monaſterii baſilicæ: prima & præcipua ſub titulo ſanctorum Petri & Pauli: aliæ duæ ſancto Johanni Evangeliſtæ, & ſancto Stephano protomartyri ſacratæ, præter oratoria tria, S. Johannis Baptiſtæ, S. Johannis Evangeliſtæ, & S. Martini, de quibus fit mentio in actis S. Adelhardi abbatis, & S. Anſcharii epiſcopi Bremenſis. In antiquiſſimis ejus monaſterii kalendariis dedicatio baſilicæ S. Petri v. kalendas Auguſti; S. Stephani tertio-decimo eaſdem kalendas; baſilicæ vero ſancti Johannis Evangeliſtæ III. kalendas Februarii conſignatur; immo & parœcialis eccleſiæ ſancti Albini XI. kalendas Octobris, *Corbeia monaſterio dedicatio baſilica domni Albini & Marcellini epiſcoporum.* Corbeia nomen accepit a Corbeia ſeu Corbeo fluviolo, qui eo in loco in Somenam influit, nomenque ibidem amittens, adjuncto monaſterio & opido illud communicat. Hinc Gerardus in libro de vita ſancti Adalhardi ſitum loci valde ſalubrem & commodum laudat. *Ex uno latere*, inquit, *Somma fluvius præterfluit, ex altero concurrens Corbeia fluviolus vocabulum loco tribuit: ſed ilico cadens in Sommam, ubi dat, ibi perdit.* Porro hoc monaſterium Chlotharius & Balthildis Bertefridi epiſcopi Ambianenſis privilegio muniri curarunt, in quo, uti & in priori Chlotharii diplomate, monaſterii conſtructio ambobus tribuitur; in poſteriori vero ſoli Balthildi, cujus nimirum conſilio & inſtinctu tam pium opus ſuſceptum eſt: quod tamen perfici, ac villis fiſcalibus dotari, niſi rege conſentiente ac favente, non potuit.

LVII. Bettolenus ex epiſcopo abbas Cauciaci.

Regebat per id tempus Sueſſionenſem eccleſiam Drauſius ſeu Drauſcio epiſcopus, ſucceſſor Bettoleni, olim abbatis Cauciacenſis, qui illam ſedem per ſimoniam conſecutus, deinde ductus pænitentia, quam indigne ſedem obtinuerat, ſponte reſignavit, & in ſuum Cauciacenſe monaſterium denuo ſe recepit, ubi priſtini dedecoris maculam condigne diluere ſategit. Erat autem Cauciacum * villa regia ſuper Axonam paullo ſupra confluentes in Iſaram, poſita prope Compendium, villam itidem regiam, veteri palatio regum noſtrorum inſignem, uti & Cauciacum, ubi ſancti Stephani monaſterium olim exſtabat, Meroveadum regum opus, tametſi primus ejus auctor ignoretur. Illic ſepultus fuit Childebertus tertius, cognomento Juſtus. Nunc cella eſt ſeu prioratus Sueſſionenſis monaſterii ſancti Medardi, uti & Retondenſe, quod Drauſius, Bettoleni in ſede Sueſſionenſi ſucceſſor, medio Sueſſionas inter ac Compendium itinere, ad Axonam itidem ædificavit. Hunc locum Retondas* antiquitus appellatum vir ſanctus pretio comparaverat a Bettoleno quondam abbate Cauciacenſis monaſterii, a quo locus iſte pendebat. Ibi Drauſius exſtructis ædificiis cœnobiticæ vitæ congruis exiguam monachorum congregationem, qui *ſub ſancta vita norma* degerent, collocavit, ut in ejus vita legitur. Idem etiam Leutrudi Ebroini uxori auctor fuit condendi apud Sueſſionas parthenonis ſanctæ Mariæ, de quo fuſius in conſequentibus acturi ſumus.

* Choiſy.

Drauſius epiſcopus Retondenſis monaſterii auctor.

* Retondes.

ANN. CHR. 657. LVIII. Magnilocenſis Geneſius antiſtes & Cantoenneñſis * Manlieu.

Eodem tempore Geneſius Arvernorum aotiſtes Magnilocenſe * monaſterium in vico Tudurnenſi ad Doram fluvium extruxit, ac ſancto Sebaſtiano conſecravit, præpoſito Evodio, primo ejus loci abbate. Condendi monaſterii occaſio oata eſt ex pulvere, quem preſbyter quidam, Magnus nomine, a quo appellationem monaſterio inditam ferunt, ex ſancti Sebaſtiani mauſoleo retuliſſe dicitur. Romam ſanitatis aſſequendæ gratia profectus, cum ad catacumbas tertio ab urbe lapide ferventius oraſſet, voti compos effectus eſt ad ſepulcrum ſancti Sebaſtiani, cujus ſe meritis ac interceſſione ex diutina febre ſanandum fore ſperaverat. Tum collectum ex ejus tumulo pulverem in patriam referens, pervenit in quemdam locum, aquarum decurſu, & nemorum amœnitate jucundiſſimum: ubi, dum corpus reficit, ſacculum ſacro pulvere plenum ex arbore ſuſpendit, nec ultra ramum arboris, ex quo pendebat, contingere valuit. Mox rei fama circumquaque ſpargitur, ac villanos finitimos ad id ſpectaculum frequentes cogit. Miracula & virtutes ſuccedunt: cæcis lumen; claudis greſſus, denique omnigenis morbis ſanitas redditur. Ioter ea dominus fundi, io quo hæc gerebantur, his miracolis commotus, facta legaliter traditione locum ſancto martyri contulit, jure perpetuo poſſidendum: ac primum ibidem *oratoria cella* conſtruitur, creſcente fidelium devotiooe demum converſa io monaſterium, ſancti Sebaſtiani nomine ac cultu celebratum. Ita hujus monaſterii originem narrat Odilo monachus in libro de tranſlatiooe ſancti Sebaſtiani in ſaocti Medardi mooaſterium Sueſſionenſe: quo in libello improbum factum refert duorum pſeudomonachorum, qui falſas ſancti Sebaſtiaoi reliquias Roma in Magnilocenſe monaſterium attulerunt, quas pro veris a Romanis coëmerant. Has cum ſacro altari impoſuiſſent, nutu divino turbo concitatus cum fragore horribili dejecit ac diſſipavit. Præter hoc monaſterium Geneſius etiam cœnobium virginum erexit io loco Cantoenno *, cujus meminit non ſemel Gregorius ª Turoneoſis. idem nonnullis creditum ac Candidinenſe, quod Felix epiſcopus poſtmodum Præjecto abbati regendum commiſit. Cantoënoenſe monaſterium poſſidebant adhuc ſæculo decimo ſanctimoniales, quo tempore vetus auctor, qui catalogum eccleſiarum Claromooteoſium ſcripſit, mentiooem facit de monaſterio puellarum Cantoënno, ubi eccleſia ſancti Petri & altare ſancti Præjecti. Io hanc eccleſiam inducti ſunt canonici regulares exeunte ſæculo duodecimo: quibus demum Carmelitæ excalceati ſucceſſere.

* Chantoin. ª Greg. Tur. lib. 1. c. 44. & lib. 2. c. 21.

ANN. CHR. 658. LIX. S. Gertrudis Nivallæ obitus.

ANno inſequenti obitum ſanctæ Gertrudis virginis & abbatiſſæ Nivialenſis cooſignamus, ſiquidem cootigit die dominica, & quidem XV. kalendas Aprilis, qui dies hoc anoo in dominicam incidebat. Cum ſe morti proximam eſſe iotelligeret, *cum conſilio ſervorum Dei & autillarum*, id eſt monachorum & ſanctimonialium Nivialllæ degentium, abbatiſſæ nomen ac dignitatem cum rerum exteriorum ac temporalium adminiſtratione in Wlfetrudem neptem ſoam, quæ tunc annum ætatis viceſimum agebat, a cunabulis ſub ipſius oculis ac diſciplioa pietati ac litteris innutritam, tranſtulit, reſervata ſibi ſola rerum ſpiritualium cura. Deinde ſe totam pietatis officiis, precibus, vigiliis, jejuniis, ac ſuis exhortandis impendit, ad extremum vitæ ſuæ diem interim, & ad cæleſtem patriam anhelans; nihilque ſolatii aut levaminis admittens, immo addeos cilicinam veſtem, quam occulte ad cutem geſtabat. Ioſtante obitu, vetuit, ne ullo veſtimento laneo, vel lineo corpus ſuum involveretur, ſed tantum cilicio ac panno vetere, quo idem cilicium tegeretur, appoſito ad caput velo viliori, quod peregrina quædam ſanctimooialis nuper ſibi pro munere direxerat. Tum per unum e fratribus ſeu monachis Ultanum abbatem monaſterii Foſſuenſis de die obitus ſui interrogat. Ille vero nuntio reſpoodet: Hodie
» ſextus-decimus kalendas Aprilis eſt dies: craſtino autem die inter miſſarum ſollem-
» nia Chriſti virgo & ancilla Gertrudis de corpore eſt migratura. juſſitque ut ne timeret, ſed ſecura ac læta pergeret ad Chriſtum, a beato Patricio & angelis Dei excipienda cum gloria. Hoc vaticioio lætior effecta, totam noctem cum ſororibus in pſalmis & orationibus pervigilem duxit. Die ſequenti dominica ad horam ſextam *ſacratiſſimum Chriſti corporis & ſanguinis viaticum* percepit; atque, ubi ſacerdos *dominicam ſecretam ſententiam* abſolvit, actis Deo gratiis, qui ſe ab omni carnis labe immunem ſervaverat, puriſſimam Creatori animam reddidit XV. kalendas Aprilis, triceſimo-tertio ætatis ſuæ anno. Mox ſuaviſſimus odor adſtantes afflavit, io primis ſervum Dei fratrem Richinum; & anonymum illum monachum,

qui res ab ea geſtas memoriæ prodidit. Funus ejus cum divinis laudibus curatum a ſacerdotibus & ancillis Dei, corpuſque ſacrum cum honore condigno ſepultum eſt *in ciſterna*, quam olim ſibi ipſa præparaverat. Ipſa exitus ſui hora in eadem ſpecie, eodemque habitu, quibus vivens prædita erat, apparuit Modeſtæ abbatiſſæ monaſterii beatæ Mariæ, Trevirenſis, an alterius loci, quæ in primis ipſi cariſſima fuerat; eidemque obitum ſuum ſignificavit, quod viſum Chlodulfo Mettenſi epiſcopo poſtridie Modeſta retulit. Lectus ejuſdem Gertrudis, in baſilicam ſancti Pauli delatus, multis infirmis ſalubris exſtitit. Qui librum de ejus vita & miraculis, poſtulante Dominica abbatiſſa, totaque ejus loci congregatione, ſcripſit monachus Nivialenſis anonymus, gravis & æqualis, ipſis S. Benedicti verbis aliquando utitur, ut in capite ſecundo de miraculis, ubi agit de Modeſta abbatiſſa, cui Gertrudis ſtatim a morte apparuit, ait eas, quamquam ſibi invicem conſpectæ haud fuerant, animo tamen atque intima cordis dilectione ſemper præſentes fuiſſe: *quia æqualem ſervitutis militiam bajularunt*. ut apud ſanctum Benedictum in capite ſecundo regulæ, *æqualem ſervitutis militiam bajulamus*. Ad hæc anonymus Nivialenſis officium divinum vocat *opus Dei*, qui loquendi modus ſancto Benedicto familiaris eſt. Duos antiquiſſimi auctoris libellos tribus reddidit anonymus alter, clericus Nivialenſis, multiſque in locis interpolavit. ANN. CHR. 658.

Eodem anno e vivis exceſſiſſe videtur Geremarus abbas Flaviacenſis monaſterii in pago Bellovacenſi, poſtquam annos tres cum ſex menſibus cœnobium ſuum rexiſſet. Corpus ejus ſepulturæ mandatum eſt in baſilica, quam ipſe in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, ac beatæ Mariæ virginis, ac ſancti Johannis, ſanctique Petri apoſtolorum principis exſtruxerat. Incertum quinam abbates locum illum rexerint uſque ad Haſtingum Normannorum ducem, a quibus Flaviacenſe monaſterium cum altero, Inſula dicto, everſum eſt, jacuitque ad ſæculum undecimum, quo a Drogone epiſcopo inſtauratur, ſancti Geremari nomine deinceps illuſtratum, cujus reliquiæ in majori ſancti Petri eccleſia Bellovacenſi jam dudum repoſitæ hactenus aſſervantur. LX. Item S. Geremari.

Florebat tunc inter Francorum proceres Waningus ſeu Waringus, vir illuſtris ac locuples, quem ſancti Wandregiſili in exſtruendo Fontanellenſi monaſterio adjutorem ſuperius diximus. Hic Caletis a Chlothario rege præfectus, aliquando raptus in mentis exceſſum, beatorum gloriam & damnatorum ſupplicia conſpexiſſe dicitur, ſimulque vitæ inducias in annos viginti (nam valida febre tum vexabatur) impetraviſſe meritis beatæ Eulaliæ virginis & martyris, quam ſingulari cultu venerabatur, mandato ab ea accepto, ut in valle Fiſcamnenſi cœnobium virginum ædificaret, illudque non ulli ex ſtirpe ſua, ſed Childemarchæ, inclytæ apud Burdegalam multarum virginum matri ſeu abbatiſſæ, regendum committeret. Forte ad illam aliquando divertit Sindardus Fontanellæ monachus, propter utilitates monaſterii ſui eo miſſus: cui notum fecit, ſe in ſomnis cælitus admonitam fuiſſe, pagum ut Rotomagenſem adiret, conveniretque Wandregiſilum abbatem, cujus monitis, tamquam cæleſtibus edictis, obſequeretur. Paruit illa ſupernis oraculis, virumque ſanctum, prout ſibi mandatum fuerat, convenit. Hanc Wandregiſilus ad Waningum deduxit, qui viſis itidem cæleſtibus parens, monaſterium puellarum condere meditabatur in loco ſibi, & ante eum Anſegiſo duci, nuper deſignato. Hic locus Fiſcamnum * erat in Caletis * ſeu pago Calciacenſi ad oceanum. Verum antequam ibi cœnobium inchoaret Waningus, Chlotharium adiit, petiitque a principe, ſibi ut monaſterium eo in loco exſtruere liceret, quem Deus oſtentis deſignaverat. Rex facile ac lubenter annuit, doniſque regiis Waningum honoravit. qui mox domum reverſus, opus celeriter perfecit, cujus baſilicam Deo uni ac trino ab Audoëno, aliiſque provinciæ Lugdunenſis ſecundæ epiſcopis dedicari curavit. Rex ipſe Chlotharius dedicationi adfuit, ac cœnobium regalibus gazis ac prædiis dotavit. Illic congregatæ virgines amplius trecentæ, quibus Childemarcha, eximiæ ſanctitatis virgo, præfecta eſt, totiuſque cœnobii adminiſtratio Audoëno & Wandregiſilo commiſſa. Fiſcamno præerat adhuc Childemarcha, cum Leodegarius Auguſtodunenſis antiſtes Waningo ibidem cuſtodiendus juſſu Ebroïni traditus fuit. In perantiquo kalendario Patriciacenſi fit mentio XII. kalendas Julii *Childomarga virginis*, haud dubie Fiſcamnenſis abbatiſſæ. LXI. Vvaningus condit Fiſcamnenſe monaſterium.

* *Feſcan.*

* *le pays de Caux.*

His diebus Erembertus, Wandregiſili diſcipulus, ex monacho Fontanellenſi crea- LXII. Erembertus

ANN. CHR. 658. epiſcopus Toloſanus. * de Poiſſy. * le Pec.

tus eſt epiſcopus Toloſanus. Natus in vico pagi Pinciacenſis *, dicto Viliolicorte prope Alpicum * ad Sequanam, ſpretis ſæculi rebus monaſticum habitum induerat Fontanellæ, ibidemque ſub Wandregiſili diſciplina tantum in rebus ſpiritualibus progreſſum fecerat, ut Toloſani cleri ac populi electione, regiſque Chlotharii ac Balthildis reginæ matris juſſu, Toloſæ ordinatus ſit antiſtes. Omnium ſuffragiis epiſcopi vita meritumque reſpondit. Forte aliquando in Viliolicorte apud Gamardum germanum ſuum, cui hæc poſſeſſio ex hereditate parentum obvenerat, verſabatur, cum incendium ibidem ſubortum reſtinxit, precibus fuſis in ejuſdem loci baſilica, quæ in honorem ſancti Saturnini martyris atque pontificis Toloſani olim ab ipſo conſtructa fuerat. Verum ad amicam tandem ſolitudinem, abdicata dignitate, reverti conſtituit, ibidemque ſub Lantberto abbate, cum in ſancta converſatione conſenuiſſet, morbo ex defectu virium contracto tentatus, viatico ac ſigno crucis ſe munivit; & ad Chriſtum feliciter migravit pridie idus Maii, eo quo par erat honore ſepultus in inferiori parte baſilicæ ſancti Pauli apoſtoli; inde poſt aliquot annos a ſancto Baino abbate, tum epiſcopo Teruanenſi, tranſlatus in abſidam prædictæ baſilicæ, ac demum in eccleſiam ſancti Petri, depoſituſque in oratorio ſancti Martini. Gamardus ejus germanus, Viliolicortis poſſeſſione Fontanellæ tradita, coma depoſita, ibidem cum filiis ſuis Namnaco & Zacchæo, monachus factus eſt.

LXIII. Emmonis privilegiũ pro monaſterio S. Columbæ.

Emmo Senonum pontifex monaſterio ſanctæ Columbæ ſuburbano privilegium conceſſit anno tertio Chlotharii regis, qui annus partim anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-octavo, partim inſequenti convenit: ſed quo præciſe menſe, ac die, incipiat, incertum. Emmonis hac de re litteræ, nondum typis vulgatæ, hic exhibendæ ſunt.

Dilectiſſimo in Chriſti amore & honorabili fratri Agoni abbati, & omnium fratrum congregationi conſiſtentium in baſilica, ubi ſancta Columba & beatus Lupus pontifex ſub opidum Senonis civitate requieſcunt in corpore, cui ſuperna diſpenſatione praes, Emmo divino munere, at ſi indignus, ſanctæ Senonicæ eccleſiæ epiſcopus. Dum te, diligende in Chriſto frater, tuoſque fratres tantus ardor cæleſtis ſuccenſos habere videtur, ut ſecundum patrum regulam & evangelicam auctoritatem atque apoſtolicam traditionem vivere diſponatis, ita ut, juxta normam apoſtolicorum actuum, nullus ſibi monachus ullo umquam tempore peculiare in rebus maximis vel minimis appetat aut vindicet, nec ſuum proprium dicere præſumat, ſed ſint illis in cunctis omnia communia. Pro qua re petis ab extremitate noſtra, ut tibi privilegium in jam dicto monaſterio, manus noſtræ ſubſcriptione, & fratrum conſacerdotumque noſtrorum roboratum, donemus. Quam petitionem ſanctitas tua, venerabilis frater, noverit libentiſſime velle me tibi præſtare: dum conſtet, nihil eccleſiaſticæ præjudicare regulæ, quidquid domeſticis, pro amore divino, impenditur fidei: quia monachi, ſub abbatis regimine regulariter viventes, ſemper fuerunt a conditionibus clericorum ſegregati ac liberi. Et ſi quis hoc manifeſtius cognoſcere appetit, legat concilium Carthaginenſe ſub ſanctæ recordationis Boniſacio ejuſdem civitatis eccleſiæ pontifice, vel ejus conſacerdotibus celebratum; necnon & jam dicti pontificis ad ſenem Liberatum epiſtolas: & in brevi animadvertet, omnia ſemper monaſteria, in quibus regulariter vivitur, libera fuiſſe a conditionibus clericorum. Nam & præclarus doctor eccleſiæ Auguſtinus in libro de moribus clericorum probat, ſui juris monaſteria eſſe debere. Sed & in his provinciis plura alia regalia monaſteria, tam antiquiore tempore, quam nuper conſtructa, a pontificibus, in quorum territoriis condita ſunt, gratia religionis & caritatis privilegia acceperunt. In fine, ne cuncta numerando in longum protraham ſermonem, pauca & præcipua vel vicina ſufficiet memorare antiqua, Lirinenſium & Luxovienſium, vel ad baſilicam beati Marcelli Cavillono conſtructa, ſeu & monaſterium Resbacenſium, de quo nos nonnulla proximiore tempore a pontificibus confirmata legimus. Maneat ergo & hoc vobis, veſtriſque poſteris privilegium ob inſtitutionem monaſticam, ſive ob quædam impedimenta reſeranda, omni ſtabilitate firmiſſimum: ita ut tam monachi, quam omnia quæ præfati monaſterii ſunt, vel quæ altario offeruntur, in abbatis ejuſdem monaſterii poteſtate conſiſtant. Abba Deo & regulæ plena ſit devotione ſubjectus: monachi vero poſt Deum abbati ſuo propter Deum vera humilitate ſubjaceant. Ille cogitet pro ſe illiſque Deo ſe rationem redditurum: iſti credant de ſubjectione ſua a Chriſto recepturos mercedem. Abbas numquam niſi de eadem congregatione vel regula, cum alius præſentem vitam finierit, inſtituatur. Ille ſane inſtituatur, quem omnis ejuſdem monaſterii congregatio

*congregatio bene regulam ſcientem uno animo elegerit. Quod ſi de eadem congregatione talis non fuerit inventus, qui fratrum curam ſuſcipiat, de alio monaſterio, eamdem, quam illi tenent, regulam tenente, licentiam habeant expetendi abbatem ipſi monachi. Quamvis enim in jure poſſeſſionis noſtræ non ſit idem monaſterium, noſtræ tamen auctoritatis eſt & canonicæ diſpenſationis, una cum regale conſenſu id ordinandi, & hujuſmodi privilegia monaſteriis conſtituendi: quatenus monachi, privilegiis epiſcoporum undique muniti, ſoli Deo famulari, & ſub quiete ac tranquillitate in ſuo cœnobio valeant converſari. Et illud huic privilegio placuit adnecti, ut ſi quis, quod nec futurum eſſe credo, ſi ullus pontificum, ſuperſtitumque noſtrorum, ea, quæ ſuperius ſunt decreta, vel comprehenſa, non valere, aut quantulumcumque violare voluerit, ſeveriſſimum omnipotentis Dei judicium incurrat, & lepra Naaman, quam Giezi cauſa cupiditatis promeruit, ſuper ipſum deſcendat, ac cum Juda vindictæ obnoxietur perpetuæ: & inſuper tam præſentis, quam futuræ eccleſiæ communione privetur, & ſub anathemate in æternum maneat condemnatus: ut privilegium pro pace vel tranquillitate, vel defenſione ſervorum Dei, tam pro præſenti, quam pro futuro tempore, pleniſſima devotione factum, quod circa monaſterium a religioſo fratre noſtro ante fato Agone abbate inſtructum volo manere firmiſſimum, & manu mea ſubſcriptione roboratum, ac fratribus & conſacerdotibus meis, id eſt dominis epiſcopis, ſubſcriptionibus trado roborandum. † Emmo epiſcopus ſubſcripſi. † Johannes epiſcopus peccator hoc privilegium ſubſ. † Aunemundus peccator conſentiens ſubſ. † In Chriſti nomine Chaondius * epiſcopus Vienneſis eccleſiæ ſervulus conſentiens ſubſ. † Vulfoleudus peccator ſubſ. † Audoenus peccator hoc privilegium conſentiens ſubſ. † Chrodovertus peccator hoc privilegium conſentiens ſubſ. † In Chriſti nomine Gauciobertus peccator Carnotinæ urbis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſ. † Carlefredus peccacor hoc privilegium conſentiens ſubſ. † Canderis * Lugdunenſis eccleſiæ epiſcopus conſentiens ſubſ. † Bertoaldus, ac ſi peccator, Tricaſinenſis epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſ. † Bertarius ac ſi peccator, epiſcopus eccleſiæ Santonicæ, hoc privilegium conſentiens ſubſ. † In Chriſti nomine Berechnrius, ac ſi peccator, epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſ. † Burgundoſarus in Chriſti nomine, ac ſi peccator, epiſcopus hoc privilegium ſubſ. † In Chriſti nomine Eligius epiſcopus ſubſ. † In Chriſti nomine ego Adebertus, ac ſi peccator, epiſcopus hoc privilegium ſubſ. † Leodebaudus peccator, Nebarnenſium epiſcopus, hoc privilegium ſubſ. † Amlecharius in Chriſti nomine, ac ſi peccator, epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſ. † Bertefredus Ambianis urbis epiſcopus conſentiens ſubſ. † Drucfredus in Chriſti nomine hoc privilegium conſentiens ſubſ. † [illegible] urbis epiſcopus ſubſ. † In Chriſti nomine.... ac ſi peccator, epiſcopus hoc [illegible] ſubſ. † In Chriſti nomine Conceſſus epiſcopus Dorrets * conſentiens ſubſ. † [illegible] Antipolitanæ eccleſiæ epiſcopus conſentiens ſubſc. † In Chriſti nomine Chariochaudus *, ac ſi peccator, epiſcopus hoc privilegium conſentiens ſubſ. † In Chriſti nomine Ragnobertus, ac ſi indignus, Auguſtudunenſis eccleſiæ epiſcopus conſentiens ſubſ. † Boſo in Dei nomine obtulit & ſubſcripſit. Datum ſub die ſeptimo kalendas Septembres, anno tertio regnante Domno Chlothario glorioſo rege.*

In præmiſſis litteris illud in primis obſervatione dignum, quod Emmo ait ſui juris non eſſe ſanctæ Columbæ monaſterium; nec niſi *cum regali conſenſu* ordinari ab ſe poſſe. quod monaſteriis in fiſco regio, vel ab ipſis regibus exſtructis pro more illorum temporum competebat, uti jam obſervavimus, patebitque ex dicendis inferius. Subſcriptiones, etſi multis in locis vitioſæ, non tamen omittendæ viſæ ſunt. Ex viginti-ſex, qui ſubſcribunt, epiſcopis Johannes eſt Arelatenſis epiſcopus, Aunemundus Lugdunenſis, qui proinde adhuc in vivis erat. Chaondius Viennenſis, corruptum eſt nomen, ubi Eoladius legendum, ut in Emmonis privilegio pro monaſterio ſancti Petri; Wlfolendus eſt Bituricenſis; Chrodovertus, ſeu Chrodobertus Pariſienſis; Carlefredus ſedis incognitæ; Canderis mendoſe, forte Laudunenſis, qui tum præciſe Lugdunenſis dicebatur. Berecharius Cenomannenſis erat epiſcopus, Burgundofarus Meldenſis; Eligius Noviomagenſis, ut tum loquebantur, ſive Noviomenſis, qui adhuc in vivis ſupererat VII. kalendas Septembris hujus anni. Adebertus is eſt Audebertus, ſeu Autbertus Cameracenſis; Leodebaudus Nebarnenſium, corrupte, forte pro Nebernenſium ſeu Nevernenſium. Amlacharius eſt Sagienſis; Drucfredus, corruptum itidem videtur nomen, cujus ſedes incerta. Hincho Lexovienſis, cujus nomen corrigendum ex hoc loco in edito privilegio Emmonis pro monaſterio ſancti Petri, ex quo viciſſim emendanda hic ſubſcriptio Con-

ANN CHR. 658.

ANN. CHR. 658.

ceſſi epiſcopi Dorreti, qui rectius in illo privilegio dicitur *epiſcopus Ebrocini* ſeu Ebruïcenſis. De Chariochaudi corrupto nomine ac ſede nihil ſuccurrit. Porro hoc Emmonis privilegium pro cœnobio ſanctæ Columbæ Ragnacharius abbas ſuo tempore ab epiſcopis confirmari & ſubſcribi curavit anno primo Childeberti regis, ut ſuo loco videbimus.

LXIV Aliud ejuſdē pro monaſterio S. Petri.

Aliud paullo poſt privilegium idem Emmo Senonenſis antiſtes largitus eſt ſuburbano item monaſterio S. Petri, inſcriptum Chrodoberto, Faroni, Bertoaldo, Audoëno, Gauzberto, & Eligio. Chrodobertus epiſcopus erat Pariſienſis, Faro Meldenſis; pro Audoëno forte legendum Audoni, qui Audo tum epiſcopus erat Aurelianenſis, Gauzbertus ſeu Gauziobertus Carnutenſis. Si Eligius, qui recenſetur quinto loco, epiſcopus eſt Noviomagienſis, hoc privilegium datum eſt panllo ante ejus obitum, qui kalendis Decembris accidit; ideoque ſubſcriptum a Mummolino ejus ſucceſſore. In hoc privilegio, alias a nobis [a] edito, Aghilenus abbas monaſterii ſancti Petri,

a Acta Sar. 3. to. 2. p. 613.

« quod domna Theodechildis regina conſtruxiſſe dicitur, epiſcopis ſupplicat cum
» fratribus ſuis, ut ſub regula ſancti Benedicti & modo Luxovienſis monaſterii conſiſ-
» tere ſibi liceat; utpote cum id generis privilegium approbet ſynodus Carthaginen-
» ſis, aliaque Galliarum monaſteria eadem libertate gaudeant. Petitioni annuunt
» pontifices, ita ut quidquid eidem monaſterio in agris, mancipiis, miniſterio ſeu ſacra
» ſupellectile, ſacris voluminibus, vel quibuſcumque ſpeciebus collatum fuerit, nullus
» pontificum ſeu clericorum, immo nec regalis poteſtas uſurpare; aut minuere præ-
» ſumat. Altare vero & tabulæ altaris ab epiſcopo Senonenſi benedicantur, & ab eo-
« dem ſacrum chriſma quotannis accipiatur; atque abbate mortuo ſucceſſor ejus, a
« fratribus canonice electus, ab ipſo epiſcopo ordinetur. Quod ſi monachi a religione
« ſeu diſciplina regulari deflexerint, ſecundum regulam domni Benedicti & ſancti
» Columbani ab ipſorum abbate; aut, ſi abbas ipſe neglexerit, ab aliis abbatibus, qui
» regulariter vivant, corrigatur. Actum Mauſolaco curte dominica, anno tertio regni
» domni Chlotharii regis.

Subſcribunt poſt Emmonem plerique haud deſignato ſedis nomine, Johannes Arelatenſis, Unemundus Lugdunenſis, Eodaldus Viennenſis, metropolitani; & poſt eos epiſcopi Bertaldus T[illegible]cenſis, Leoboldus Lingonenſis, Amicarius ſeu Amlecharius Sagienſis, Gauziobertus Carnutenſis, Hughierius, forſan Conſtantienſis, Chrodobertus Pariſienſis, [illegible] adofarus Meldenſis, Maurinus Bellovacenſis, Bertefridus Ambianenſis, Hugo L[illegible]gius ſeu Lexovienſis, Bercarius Cenomannorum, Conceſſus Ebrocini ſeu Ebroïce[illegible]s, Mummolenus Noviomagenſis, Lupus Cabilonenſis, Deocarus Antipolitanus, [illegible]yroindus Arvernenſis, Drauſio Sueſſionenſis, Audebertus Cameracenſis, Ragnobertus Bajocenſis. Præter hos Hecherius, Rigwaldus, Gaudemundus, incertarum ſedium epiſcopi. Omnes viginti-quinque. Hæ ſubſcriptiones fiebant ab epiſcopis, vel in ſynodo congregatis, vel in ſua eccleſia reſidentibus, cum eis privilegium ſubſcribendum offerebatur. Hujus poſterioris privilegii meminit Clarius [b] monachus in chronico monaſterii ſancti Petri,

b Spicil. to. 2. p. 706.

Vivi appellati: ubi ait, ſanctum Emmonem Senonum archiepiſcopum, una cum
» comprovincialibus epiſcopis, privilegium libertatis monachis ſancti Petri ſynodaliter
» feciſſe temporibus Chlotharii regis, & Baltechildis matris ejus: quo in conventu ſcribit
» interfuiſſe antiſtites glorioſos, ſanctum Audoënum archiepiſcopum Rotomagenſem,
» S. Faronem epiſcopum Meldenſem, S. Eligium Noviomenſem, & S. Amandum Tra-
» jectenſem, cum aliis triginta epiſcopis.
« Ex quo intelligitur, diminutum fuiſſe in recentioribus privilegii exemplaribus epiſcoporum numerum, cum in illis S. Amandus cum aliquot aliis, maxime comprovincialibus, inter ſubſcribentes deſideretur.

LXV. Tuſſiaci monaſterii origo.

Utrique mox dicto privilegio ſubſcripſit Berarius Cenomannorum epiſcopus cujus tempore Tuſſiacenſe * monaſterium in ejus parochia conditum eſt. Ejus monaſterii auctor fuit pia [c] quædam matrona, Lopa ſeu Loppa nomine, *relicta* [d] *Egigni*, quæ in villa ſua Tuſſiaco, ſuper fluvium Idoneæ * ſita, ſacras virgines ad centum congregavit, eiſque prædictam villam cum omnibus rebus ac poſſeſſionibus ſuis tradidit per inſtrumenta chartarum, quibus multi epiſcopi, abbates, comites, & nobiles viri coram Chlodoveo rege ſubſcripſiſſe memorantur. Baſilica monaſterii a Berario ſacrata eſt in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ, in qua multas ſubinde virtutes factas eſſe tradunt. Abſoluta baſilica, prædicta Lopa, opitulante Berario, reliqua cœnobii ædificia cum clauſtro ædificavit, eaque ſub initia regni Chlotarii perfecit: ubi ſanctimoniales *juxta regulam ſancti Benedicti* inſtituerunt ad normam par-

* Tuſſe.
c Analect. to. 3. p. 178.
d ibid. p. 198.
* l'Huine.

thenonis ſanctæ Mariæ, inter fluvium Sartam & muros Cenomannicæ urbis conſtructi, & ſanctæ Scholaſticæ reliquiis Caſino nuper allatis nobilitati, ubi domna Ada, alio nomine Aldrechildis, ejuſdem Berarii carne propinqua, numeroſo agmini ſacrarum virginum, ſub regula ſancti Benedicti viventium, abbatiſſa tunc præfuiſſe dicitur. quod in ſubſequentibus expendemus. Ex illo parthenone monachas bene moratas & inſtitutas in novum Tuſſiacenſe monaſterium deduxit Berarius, qui quaſdam villas & poſſeſſiones eidem loco largitus eſt, tum ad ſanctimonialium victum & veſtitum, tum ad ornatum eccleſiæ, & ad hoſpites ac peregrinos excipiendos. Præter centenarium numerum ſanctimonialium, idem ad portam monaſterii ſacerdotes ac *ſervos Dei* cum eorum famulis inſtituit: ut eorum adminiculis ancillis Dei & agentibus neceſſaria ſuppeditarentur. Perſtat etiam nunc hoc monaſterium, quod jam dudum virorum eſt, modo prioratus conventualis abbatiæ ſancti Vincentii ſub congregatione ſancti Mauri.

ANN. CHR. 658.

POſtero anno, qui fuit ejus ſæculi annus quinquageſimus-nonus, Jonas abbas Cabilonem juſſu Chlotharii regis & matris ejus Balthildis proficiſcens, in Reomaënſi monaſterio hoſpitatus, rogatu Hunnæ abbatis & fratrum ejus loci aliquot ibidem diebus ſubſtitit, ac libellum de vita ſancti Johannis Reomaënſis abbatis primi recognovit, adjecto brevi de ejus miraculis dialogo, interlocutore Læto diacono ac monacho, ad imitationem Severi Sulpicii, qui ſimilem dialogum de ſancti Martini virtutibus edidit. Quæ de Jona diximus, probat ejus præfatiuncula, vitæ S. Johannis præfixa in codice Foſſatenſi pervetuſto, in hunc modum. *Anno centeſimo poſt expletionem numeri ſancti Victorii epiſcopi, cyclum recapitulantem, anno tertio domni Chlotharii regis indolis, ex juſſu ipſius principis, vel genitricis ſuæ domna Balthilda reginæ, cum ad urbem Cabilonenſem noni menſis ſecunda hebdomada Jonas abbas per monaſterium ſancti Johannis, quod vocatur Reomaus, præteriens, paucis diebus inibi pro labore itineris quieviſſet; victus precibus domni Hunnanæ, fratrumque ipſius cœnobii, ut qua per diſcipulos memorati confeſſoris Chriſti vel poſteros eorum veraciter comperta erant, de actuali vita ac ſpiritali converſatione conſcriberet, articulum ſcribendi ita convertit.* Hactenus Jonæ præfatiuncula ex codice Foſſatenſi, a nobis alias [a] relata cum ſuis nævis, quos ex aliis codicibus hic emendavimus. In aliis codicibus deeſt primus verſus de cyclo Victorii, qui maximi momenti eſt ad definiendum annum obitus Chlodovei junioris ex anno regni Chlotharii ejus filii tertio, quem Jonas componit cum anno centeſimo ſecundæ periodi cycli Victorii Aquitani. Conſtat hic cyclus annis quingentis triginta duobus, ab anno Chriſti domini viceſimo-octavo inchoatis, quem annum Victorius Chriſti paſſione & conſulatu Geminorum præditum exiſtimavit. Quare ut prima ejus cycli periodus ad vulgares Chriſti annos reducatur, prædictæ ſummæ annorum quingentorum triginta duorum addendi ſunt anni viginti ſeptem, qui cum illa ſumma annos quingentos undeſexaginta conficiunt, ex quibus conſtat prima periodus cycli Victoriani. Annus itaque centeſimus *recapitulantis* ſeu ſecundæ periodi coincidit cum anno ſexcenteſimo quinquageſimo nono. Is annus tertius eſt Chlotharii regis, teſte Jona: ex quo intelligitur, Chlodoveum, Chlotharii patrem ac deceſſorem, anno ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto deceſſiſſe. Jonas abbas, ſuperioris præfatiunculæ & libellorum ſubſequentium ſcriptor, non alius videtur quam Jonas Bobienſis monachus; idque probant nonnulli alii, excepto Foſſatenſi, codices, in quibus *Jonas abbas diſciplinis beati Columbani eruditus* legitur. Cujus rei cauſa Cabilonem a Chlothario & Balthilde miſſus ſit, nobis incompertum: forte ut de Aunemundi Lugdunenſis epiſcopi cæde prope illam urbem recens patrata, inquireret, corpuſque ejus cum debita pompa deferendum, & in puellari ſancti Petri monaſterio ſepeliendum curaret. Hunnana ſeu Hunna Reomaënſis abbas, cujus rogatu Jonas librum de vita ſancti Johannis auxit, ſeptimus loci rector erat a ſancto Johanne: cujus ſucceſſores fuere ſanctus Silveſter, Mummolus, Leopardinus, Sicarius, Bobo, & poſt eos Hunna: cujus tempore Sigoaldus Lingonum epiſcopus Reomaënſibus privilegium de conſecratione abbatis, de fraterna dilectione, de caritativa fratrum caſtigatione & emendatione, aliiſque rebus conceſſit: quod Guillencus antiſtes ſæculo duodecimo confirmavit. Hunnam ex cœnobio Luxovio eductum fuiſſe, ac Luxovienſem normam Reomaënſibus tradidiſſe Petrus Roverius ſcribit in hiſtoria Reomaënſi.

ANN. CHR. 659. LXVI. Jonas acta S. Johannis Reomaënſis ſcribit.

[a] Analect. to. 3. p. 114. & 515.

Reomaenſes abbates.

ANN. CHR 659.

LXVII. S. Eligii obitus & ſepultura.

Interea temporis Eligius, ſanctiſſimus Noviomagenſis antiſtes, poſt redemtos captivos pæne innumerabiles, poſt collectos monachorum, ſacrarumque virginum multos greges, poſt incredibilem pecuniæ ſummam egenis diſtributam, annos natus amplius ſeptuaginta, leviſſima febre correptus, vicinæ mortis præſcius, familiaribus ac miniſtris ſuis pacem & caritatem commendavit. tum Balderedum, Tornacenſis monaſterii [a] ſancti Martini abbatem, monuit, ut ne Tornacum amplius reverteretur, ſed cum fratribus ſuis, cœnobii ſancti Lupi monachis, Noviomagi in poſterum degeret. Si ſecus faceret, ſibi pro certo conſtare, eum non amplius vivum inde reverſurum. quod ille poſt ſancti viri obitum expertus eſt. nam viri Dei vaticinio inſuper habito, reverſus Tornacum, a turba irruente cæſus, confoſſuſque eſt. Morbo perſeverante & increſcente, Eligius pridie kalendas Decembris ſuos » denuo hortatur, Jeſum ut ſemper ament ac ſuſpirent, ejuſque præcepta ſuis alte » animis infigant; incertum mortalis vitæ ac conditionis ſtatum jugiter ob oculos ha» beant; & Dei tremendum judicium formident. His dictis, *vernaculos* ſeu ſervos ſuos convocari juſſit, eiſque monaſteria præcipua in reliquum vitæ ad manendum aſſignavit. Ad hæc omnes in lacrymas & gemitus effuſos ſolatur; obteſtaturque, ut *de monaſteriolis*, quæ Chriſto auſpice ædificaverat, magnam ſollicitudinem gererent. Sub veſperam, in genua procubuit, ut oves ſibi creditas ſummo Paſtori commendaret, obnixe precatus, ut Deus dignum eccleſiæ ſuæ paſtorem provideret. Denique hora prima noctis ſancta illa anima, ſarcina carnis abjecta, ad ſuum læta revolavit auctorem.

a *V. lib. 11. num. 15.*

Hoc nuntio accepto, Balthildis regina cum multo comitatu propere adfuit, ſacrumque corpus ad monaſterium ſuum Calam deferri tentavit, ob idque triduanum jejunium indixit. Cum vero Noviomagenſes contra magnopere reclamarent, nec feretrum regina, & qui ei favebant, movere valuiſſent; ipſa demum ſinente, magna pompa corpus a Noviomagenſibus effertur, regina cum univerſo comitatu pedibus proſequente, atque ab epiſcopis in ſuburbano ſancti Lupi monaſterio, ad latus altaris tumulo componitur Illic *rachinam caprinam* feretro ſuppoſitam cum Uffo quidam diaconus, Suevus natione, ſubripuiſſet; Sparvus abbas ſancti Lupi baſilicæ, viſo admonitus a viro ſancto, recuperavit. Hunc puto Sparvum eſſe, qui ſanctus appellatur in vetuſtis litaniis, pſalterio Germanenſis noſtræ bibliothecæ adjunctis. Idem Eligius triceſimo poſt obitum die, cuidam cellano ſeu incluſo, homini Dei ſimplici & recto, Dulcioleno preſbytero, non longe ab urbe Pariſiaca, forſan in ſancti Dionyſii cœnobio manenti, quem Eligius vivens frequenter viſitare conſueverat, in ſpecie apparuit, vaſque vinarium ſua benedictione replevit. Balthildi etiam reginæ conſpectus eſt non ſemel, eique perſuaſit ut auri, gemmarumque ornamenta abjiceret, quæ omnia, præter brachilia aurea, depoſuit piiſſima regina, & ſuper ejus tumulum *repam* ſeu umbellam, (tumbam [b] alibi appellat Audoënus) ex auro & argento fabricari curavit. Hanc diebus quadrageſimæ [c] propter fulgorem auri vel nitorem gemmatum velamine linteo vel holoſerico operiri mos erat. Sindonem Audoënus paullo poſt vocat, non aliter forte interpretandus, ubi loquitur [d] *de fimbriis chriſmalis*, quibus tegebantur reliquiæ.

b *Audoën. lib. 2. c. 6.*
c *Ibid. c. 40.*
d *ib. c. 71.*

LXVIII. Mummolinus ejus ſucceſſor.

In Eligii locum ſuffectus eſt in ſede Noviomagenſi Mummolinus abbas veteris monaſterii Sithienſis, ſancti Bertini ſocius & collega cum Ebertramno monacho, qui ſancti Quintini baſilicæ, tunc temporis monachorum, apud Auguſtam Viromanduorum abbas eodem fere tempore a Mummolino præfectus fuit. Mummolinus, in ſanctum deceſſorem ſuum paullo iniquior, ex pœnis ſibi inflictis eum revereri didicit. Forte reus quidam catenis conſtrictus ad ſupplicium ducebatur. Is ex manibus ſe tenentium elapſus, ad tumulum ſancti Eligii confugit, &, diſrupta ſemel & iterum divinitus catena, liber evaſit. Sub hæc ad ſancti Eligii baſilicam acceſſit epiſcopus, & de narrato ſibi miraculo viſus eſt ad horam dubitaſſe. Tum baſilica egreſſus, equum manſuetiſſimum, quo illuc advectus fuerat, conſcendit; moxque equo excuſſus, adeoque graviſſime vulneratus, culpam vel ſero agnovit. Idem ejuſdem baſilicæ abbati equum, a ſancto Eligio ei conceſſum, ſibi vindicavit: ſed eidem poſtea inutilem factum reſtituere coactus eſt.

Jurandi mos ad tumulum S. Eligii.

Per hos dies furtum quoddam in agro Noviomagenſi factum eſt. Auctor hujus ſceleris inſimulatur adoleſcens quidam, qui culpam in patrem ſuum ſibi inviſum rejecit. Ambo ad judicium ſiſtuntur, qui mos illorum temporum erat, coram epiſ-

ſcopo & comite. Cum altercatio diu procederet, nec furti auctorem diſcernere judices poſſent; ſacramento ad S. Eligii tumulum rem finiri decernunt. Sacramento prolato, filius mox a dæmone arreptus, in terram dejectus, ſe ſeque diſcerpens volutabatur: ſed poſtea, orante cum aliis patre, meritis ſancti confeſſoris reſtitutus ſanitati eſt. Gravius animadverſum in hominem alium, qui agrum in Calvo-monte, ad baſilicam ſancti Eligii pertinentem, occupaverat, obſiſtente Sparvo abbate. Cauſa perlata ad palatium, a principe judicium emanavit, ut res jurejurando *ſecundum Francorum legem*, diverſis utrimque juratoribus adhibitis, finiretur. Abbas rogavit, ut ille *ſingularis* ſacramentum diceret. Ita regis optimatibus placuit. Ventum eſt ad ſancti Eligii baſilicam, & ad locum ſepulcri. Tunc homo ſceleſtus leve reputans perjurium præ agri poſſeſſione, manum ſuper ſanctum loculum juraturus levat: at in medio fere ſacramenti verbo contremiſcens, reſupinus in terram corruit; & mox divaricatis dentibus, oculiſque reverberatis, dicto, ut Sparvus terram ſuam reciperet, divinitus percuſſus interiit. ANN. CHR. 659

Quo ritu fierent ejuſmodi juramenta ad reliquias ſanctorum, docent nos in primis veteres leges Francorum, Alemannorum, Bajoariorum, Saxonum, & aliorum. LXIX. Jurandi ritus ſuper reliquias ſanctorum. Primo jejuni eſſe debebant juratores ſeu conjuratores. *Si* plures erant *conjuratores* ſive *electi* manus ſuas ſuper capſam ponebant, ut lex Alemannica [a] docet; at ille ſolus, cujus cauſa jurabatur, verba ſacramenti proferebat, &, manu ſua aliorum manibus ſuperpoſita, rem affirmabat vel negabat, ut *ſic illum Deus adjuvet, vel illæ reliquiæ*. Unus aliquando, plures paſſim pro cauſæ qualitate, quandoque ad trecentos, conjuratores ſacramentum faciebant. Si unus, *ſua*, vel *unica manu*, ſacramentum facere dicebatur: alias *ſecunda, tertia, decima, quinquageſima, centeſima, trecenteſima manu* pro numero conjuratorum. Non raro conjuratores ad complures ſanctorum reliquias, & quidem in diverſis locis, vel in diverſis altaribus juramenta præſtabant. Sic Taſſilo, teſte Eginhardo, fidelitatem regi Pippino & filiis ejus promiſit primo ſuper corpus ſancti Dionyſii, tum ſuper corpus ſancti Martini, denique ſuper corpus ſancti Germani. Porro unuſquiſque *in manu* perſonarum ſui ſexus & ordinis jurabat; viri *in manu* virorum, mulieres *in manu* mulierum; ſacerdotes & miniſtri ſacri, *in manu* quorumdam ſui ordinis. Perſeverabat hic ritus adhuc ſæculo quarto-decimo, ut diſcimus ex quadam charta Caroli ducis Normanniæ, data anno M CCC LVII. in qua reo preſbytero probatio canonica indicta legitur *cum quinta manu preſbyterorum ſui ordinis*. Præclarus eſt hac de re locus apud Hildebertum [b] archiepiſcopum Turonenſem, apud quem cum decanus illius eccleſiæ mutilationis Nicolai canonici fuiſſet accuſatus, nullum vero teſtem Nicolaus potuiſſet proferre; judicatum eſt, decanum, ſi non pro Nicolao, pro eccleſia tamen, quæ eum habebat ſuſpectum, debere purgari, atque *in ſeptima manu ordinis ſui* ſuam jurejurando declarare innocentiam. quod & factum eſt. Et quidem ipſe decanus, *adjunctis* [c] *ſibi ſex venerabilibus viris, jurejurando ſuam declaravit innocentiam, cum quibus ipſe ſeptimus juravit*, ut idem Hildebertus ſcribit. Sed de his ſatis ſuperque pro loco. Plura qui volet, conſulat Gloſſarium Cangianum.

[a] *Lex Aleman. tit.* 6. §. 7.

[b] *Hildeb. ep.* 67.

[c] *Id. ep.* 18.

ANN. CHR. 660.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER QUINTUS-DECIMUS.

Ab anno Chriſti 660. *ad annum* 669.

I. Bertinus novum Sithienſe monaſterium regit.

MUMMOLINO in ſedem Noviomagenſem evecto, Bertinus relicto veteri monaſterio, novo exſtruendo ſeu perficiendo, quod a Mummulino inceptum fuerat, Sithienſi monaſterio cogitationes ſuas omnes, operamque impendit. Cauſam mutandi Veteris-monaſterii hanc fuiſſe tradunt, quod locus anguſtior eſſet, quam ut capiendæ numeroſæ monachorum congregationi ſufficeret. Hinc ampliorem ac commodiorem locum perquiſituri Mummolinus & Bertinus, navicula abſque remige conſcenſa, paludoſa circumquaque loca perluſtraſſe, & in portu, ubi nunc ſancti Bertini nobiliſſimum monaſterium cernitur, ad Agnionem * fluvium ſubſtitiſſe dicuntur; tumque Bertinum hunc locum in ſedem ac requiem ſibi perpetuam elegiſſe. Inchoato novo monaſterio, Mummolinus in ſancti Eligii cathedram Noviomagenſem promotus eſt, poſtquam annis quatuordecim Vetus-monaſterium rexiſſet; novique monaſterii Sithienſis fabrica & regimen Bertino ceſſit. Hunc eam ob cauſam nonnulli primum Sithienſis monaſterii abbatem agnoſcunt, expuncto Mummolino, qui non novi, ſed Veteris-monaſterii abbas fuit. Thomas Cantuarienſis pontifex ſanctiſſimus, cum patrium ſolum ob Henrici regis iras vertere coactus eſſet, tranſmiſſo oceano appulit ad Vetus-monaſterium, *eremitorium quondam glorioſi confeſſoris Bertini*, ibique per tres dies latuit; quarto die ſuſceptus in monaſterio Sithienſi, quod altero tantum milliari diſtat a Veteri-monaſterio, jam pridem redacto in vicum, ſancti Mummolini nomine inſignem. Novi monaſterii baſilica in honorem ſancti Petri conſecrata, tantus brevi monachorum numerus ibidem accrevit, ut Bertino abbate centum quinquaginta illic coadunati referantur, quos ſub diſtricto ſanctæ regulæ jugo vir ſanctus moderabatur. Creſcente monachorum numero & religione, crevit & poſſeſſionum copia. In primis vir quidam prædives ac pius proximum Worimholtum Sithienſibus conceſſit: quo in loco ſancti Martini oratorium erectum eſt cum exiguo fratrum conventu, quem ſanctus Winnocus principio illuſtravit. Nunc parochialis eſt ſancti Martini eccleſia in inſula. Inter duas illas ſancti Petri & ſancti Martini baſilicas Johannes Iperius tradit interceſſiſſe hoſpitale pauperum ſeu domum-eleemoſynæ, & viam utrimque ad commeandum ex uno loco in alium. Ad hæc inter duas portas monaſterii juxta eccleſiam S. Martini commanebant, ait idem auctor, moniales, quæ dicebantur converſæ, ſub habitu

* Aa.

AN. CHR. 660.

religionis, non tamen ſub profeſſione regulari, pauperibus in hoſpitali ſervientes, veſtes ſacras & ornamenta eccleſiæ reficientes, quæ etiam monachorum matres, ſorores & propinquas, quibus monaſterium ingredi non licebat, excipiebant.

II. Audomarus cœmeterium condit cum privilegio.

Perfectis omnibus, quæ ad fratrum habitationem neceſſaria videbantur, Audomarus epiſcopus in vicino colle baſilicam exſtrui curavit cum adjuncto cœmeterio, in quo ſuum ipſius, fratrumque corpora ſepeliri voluit, immunitate Sithienſibus monachis conceſſa. Exſtant ejus argumenti litteræ ipſius Audomari, datæ anno ſexto Chlotharii regis: in quibus ait, ſe communi cum ipſis monachis opere baſilicam ædificaſſe in honorem ſanctæ Mariæ genitricis domini noſtri Jeſu-Chriſti, ubi corpuſculum ſuum poſt obitum condi deberet inter corpora monachorum, qui eo ex diverſis locis & gentibus ad Deo ſerviendum ſub religioſo habitu convenerant. Hanc vero baſilicam ſe commitere patrocinio Bertini abbatis cum ipſo monaſterio Sithienſi ſub integra libertate & immunitate a poteſtate epiſcopali, quale privilegium antiquis & novis monaſteriis conceſſum fuerat: ita ut quidqnid prædictæ baſilicæ monachi, ſub libertate evangelica regulariter viventes, regio munere, ſeu a quibuſvis chriſtianis, in agris, mancipiis, auro argentove ſacriſque voluminibus, vel quibuſcumque ſpeciebus, quæ ad ornamentum divini cultus vel ad opus monachorum pertinent, quocumque tempore accepiſſent, vel quidquid ad altare fuiſſet oblatum; nullus pontifex aut clericus in poſterum ſibi vindicare auſit, aut ad civitatem Taruennam transferre; nec convivia in agris monachorum exigere, niſi a Sithienſi abbate fuerit invitatus; ut ſic quieti ſub regula ſincta monachi ibidem vivere ac conſiſtere poſſint, eoſque pro ſtatu eccleſiæ & ſalute regis, regnique ſtabilitate Deum attentius precari delectet. Actum in ipſa baſilica ſanctæ Mariæ ſub die decima-octava Maii, anno ſexto regni domni Chlotharii regis. Hæc dictavit Audomarus *abocellis* ſeu oculis orbatus, atque alio manum ipſius dirigente ſubſcripſit; & poſt eum Mummolinus Noviomagenſis, Audebertus Cameracenſis, Drauſio Sueſſionenſis, Bertefridus Ambianenſis, & Amlacarius Sagienſis epiſcopi, cum Abele abbate incerti loci. His acceſſerunt proceſſu temporis alii Taruennenſis eccleſiæ antiſtites, Gravaogerus ſeu Ravengerus, & Baginus ſeu Bainus; qui pro more illorum temporum idem privilegium ſubſcriptione ſua poſtea confirmarunt. Sollemne quippe erat apud antiquos, ut privilegia ab epiſcopis conceſſa confirmarent eorum ſucceſſores, aut novi privilegii ſeu diplomatis conceſſione, aut certe ſubſcriptione primarii inſtrumenti. In illa vero ſanctæ Mariæ baſilica inſtituti ſunt etiam monachi ad quadraginta; quos Fridogiſus abbas ſæcularis in ſæculares canonicos ſæculo nono convertit: ac demum ſuperiori patrum noſtrorum ſæculo, cum jam dudum incolarum frequentia in urbem, ſancti Audomari nomine decoratam, accreviſſet, epiſcopalis ſedes in eadem eccleſia erecta eſt.

III. Sanctæ Mariæ cœnobium apud Sueſſionas.

Sub idem tempus Drauſio ſeu Drauſius Sueſſionum antiſtes mox laudatus, Leutrudi conjugi Ebroini majoris-domus auctor fuit, ut puellare beatæ Mariæ virginis cœnobium apud Sueſſionas exſtrueret. Prima ejus ſedes fuit inter muros urbis & Axonam fluvium, ſed adeo anguſta, ut puellas eo confluentes capere non poſſet. Huic incommodo aliud accedebat, quod vicinus Axona crebris exundationibus ruinam monaſterii ædibus minitaretur. Hac de cauſa Leutrudis viro ſuo Ebroino facile perſuaſit, ut monaſterium intra muros urbis transferretur, ubi ſanctimoniales ab aquis creſcentibus tutæ, & a bellorum cladibus immunes ac ſecuræ conſiſterent. Suas ipſius ædes Ebroinus huic operi accommodaſſe fertur. Monaſterii fabrica regiæ magnificentiæ non impar. Tres ibidem baſilicæ erectæ: prima ſub titulo & veneratione ſanctæ Mariæ virginis Deiparæ, ceteris urbis eccleſiis ſupereminens: ſecunda ſancti Petri pro monachis, qui ſanctimonialibus ſacra miniſtrabant: tertia ſanctæ Genovefæ ad peregrinos & egentes excipiendos. Maxima illic virginum congregatio ſub Ætheria prima loci abbatiſſa, quæ ex monaſterio Jotro adſcita fuerat, ut ipſis, tamquam rudibus & immaturis, ait vitæ ſancti Drauſionis ſcriptor, viam recte vivendi ſub norma ſanctæ inſtitutionis oſtenderet. Porro grex ſacrarum virginum numero meritoque fulgens in ſacræ devotionis religione adeo pollere cœpit, & multitudine puellarum excreſcere, ut ipſe locus, quantumvis alio capacior & ſpatioſior, omnes continere vix poſſet. Inter illuſtres nobilioreſque virgines eminuere Odila, Reguli ſeu Reoli Remorum antiſtitis ante clericatum ex legitimo conjugio filia; & Ada ſeu Adrechildis, quæ ex hoc beatæ Mariæ cœno-

ANN. CHR. 660.

bio ad Cenomannos ab Agliberto propinquo ſuo evocata eſt. Sancti Benedicti regulam & curſum ad modum Luxovienſis monaſterii primitus illic viguiſſe Drauſionis epiſcopi privilegium nos docet, inferius commemorandum ex hiſtoria ejuſdem parthenonis, quam amantiſſimus quondam ſodalis & amicus meus domnus Michaël Germanus, numquam mihi ſatis deſideratus, gallice compoſuit.

IV. Teudlechildis abbatiſſæ Jotri mors. * S. Theolechildæ.

Non diu poſt hunc annum ſupervixit Teudlechildis ſeu Theodlecheldis * prima Jotri abbatiſſa, quæ vitæ integritate, aliiſque virtutibus promeruit, ut ejus memoria Jotri annuo cultu recoleretur. Ejus monumentum, marmoreis ſubnixum columnis, cum aliis quinque prominentibus tumulis, cernitur in medio antiquiſſimæ cryptæ ſancti Pauli primi eremitæ, appoſita uncialibus litteris inſcriptione veteri, quæ in antica parte ſic habet.

HOC MEMBRA POST ULTIMA TEGUNTUR FATA SEPULCRO
BEATAE THEODLECHELDIS INTEMERATAE VIRGINIS,
GENERE NOBILIS. MERETIS FULGENS, STRENUA MORIBUS,
FLAGRAVIT IN DOGMATE ALMO.

& in poſtica partim ſemeſis litteris:

CENUBII HUJUS MATER SACRATAS DEO VIRGINES,
SUMENTES OLEUM CUM LAMPADIBUS, PRUDENTES
...FILIAS OCCURRI REX. P. M. HAEC DEMUM EXUIT ATRA...

Alii quinque tumuli prominentes & expoliti, duoque humiliores nullam præferunt inſcriptionem: ſed eorum unus eſt ſanctæ Aglibertæ, alius ſanctæ Baldæ abbatiſſarum; tertius reginam exhibens coronatam cum habitu monaſtico, cujuſdam Oſannæ Scottorum reginæ tumulus creditur: proximus humilior ſancti Adonis, ejuſdem cœnobii conditoris & monachi: cui alter humilior itidem adhæret Agilberti ſeu Agliberti Pariſiorum, ut putant, epiſcopi, quem ſanctæ Teudechildis germanum eſſe tradunt. In adjuncta crypta jacuit ſanctus Ebregiſilus Meldenſis antiſtes, ſanctæ Aglibertæ abbatiſſæ, ſi qua traditioni fides, germanus frater: cujus anulus, in tumulo, dum reliquiæ efferrentur, repertus, lapillum exhibet cum cælata effigie ſancti Pauli primi eremitæ, ante crucifixum genuflexi, corvo capiti ſuperpoſito. Quantum religio in Jotro parthenone ſub Teudechildis regimine floruerit, id argumento eſt, quod Ætheria ex eo aſſumta ſit ad informandum novum cœnobium beatæ Mariæ apud Sueſſionas; & quod indidem paullo ante Balthildis regina piiſſima ſacras virgines cum Bertilana ſeu Bertila abbatiſſa accerſivit ad Calenſe monaſterium in ſanctiori diſciplina inſtituendum. Colitur in Jotro ſancta Teudlechildis die decima Octobris: &, quæ ei ſucceſſit, ſancta Agliberta undecima Auguſti. In veteri kalendario, quod videtur fuiſſe parthenonis ſanctæ Mariæ Sueſſionenſis, ante annos quingentos manu exarato, modo bibliothecæ Longipontis, notatur VI. idus Octobris memoria *Thelechildis virginis.* Pro ſancta etiam habetur Balda, tertia Jotri abbatiſſa, quam Molanus nona Decembris locat. Moda & Guibora ſeu Wibora quarta & quinta ejuſdem loci abbatiſſæ cenſentur. Anno ſæculi noſtri viceſimo-ſeptimo illuſtriſſimus Philippus Coſpeanus, tunc Namnetenſis, poſtea Lexovienſis epiſcopus, ſacras beatarum Theudechildis & Aglibertæ reliquias e tumulis ſuſtulit, & argentea theca incluſit.

V. S. Eligii tranſlatio.

Cum annus a ſancti Eligii Noviomagenſis antiſtitis obitu primus revolveretur, viſum eſt Mummolino epiſcopo & Balthildi reginæ, ut corpus ejus ſacrum in convenientiorem locum transferretur. Hujus rei cauſa ædicula camerata ultra altare, lucido arcu cælitus deſignata, perrupto abſidis muro conſtructa eſt, ibique condignum tanto confeſſori mauſoleum præparatum. Recurrente depoſitionis ejus die, feſtivam tranſlationem parant opidani: regina vero nova eidem veſtimenta holoſerica, quibus vir ſanctus, exutis vetuſtis, indueretur. Amota ſepulcri tumba, operculum concavo tumuli lapidi ſuperpoſitum, effertur. Mox, ubi ſanctum corpus revelatum eſt, gratiſſimus odor fragravit, corpuſque ita integrum repertum, ut vivere adhuc in tumulo putaretur. quin etiam barba & capilli ejus, qui poſt obitum ei, *juxta morem* abraſi fuerant, mirum in modum creverant, quod pro novo miraculo habitum

ANN. CHR. 660.

habitum eſt. Tum ſacrum corpus ab epiſcopis e tumulo ſublatum, induitur veſtimentis pretioſiſſimis, quæ piiſſima regina attulerat, vetuſtis ſub ſigillo repoſitis; & pſallentium choro interim hinc inde concinente, perſonantibus organis, a latere altaris, ubi hactenus jacuerat, ad præparatum locum transfertur, ibique cum ſummo honore & ſollemni pompa componitur, æternæ memoriæ ſervandum. Auxere feſtivam diei jubilationem conſecuta miracula. Gariſredo comiti Viromandenſi, qui ſancto antiſtiti, dum viveret, injuſte litem intentaverat, baſilicam ingreſſo, lampas ſponte exſtincta non ſemel, eo recedente denuo ſponte accenſa, donec ille culpam agnovit, & facta baſilicæ donatione expiavit. Eodem etiam adductus eſt Bobo ſeu Bovo, Ebroini majoris-domus filius, parentibus unice carus, quem graviſſimus languor ad extrema redegerat. Hunc beato Eligio parentes devovent ſupplices, de miraculis confiſi tanti antiſtitis, atque pro munere ornamenta conferunt, balteumque filii eximium ad mauſoleum ſacrum appendunt. Nec mora Bobo convaluit, ac deinceps integra ſanitate gaviſus eſt.

VI. S. Gregorii monaſterium in Alſatia conditur.

VI. Hoc ipſo anno, quem primum Childerici in Auſtria regnantis eſſe exiſtimamus, condi cœptum ſancti Gregorii * monaſterium inter Alſatiæ montium juga, haud ita procul a Columbaria * opido: cujus monaſterii originem Childerico regi vetera loci inſtrumenta tribuunt, idque factum tradunt ſub Hilderico filio Chlodovei, nepote Dagoberti, fratre Chlotharii & Theoderici regum Francorum, Rotarioque Argentinæ civitatis epiſcopo, & duce Boniſacio, a tranſitu beati patris Gregorii papæ anno quinquageſimo-quinto: quo anno hic locus a monachis inhabitari cœptus, ſicut ejuſdem regis Hilderici ſcripta teſtantur, quæ apud nos, ait auctor, inviolata conſervantur. Primarii diplomatis breve dumtaxat fragmentum reſtat in hæc verba. *Hildericus rex Francorum Boniſatio duci. Nos admoniti amore ſpiritali & divina virtute, & regni clementia, quod ſine dubio per hoc augmentari confidimus; per conſilium Emhildæ reginæ, ſeu apoſtolici viri Rotharii Stragburgenſis epiſcopi, ſeu omnium Francorum prudentum palatium noſtrum inhabitantium, & ut culmen regiminis noſtri floreat, & in proſperis maneat, cognoſcat magnitudo veſtra, quia nos pro mercedis ſuperna augmento aliquid de rebus fiſci noſtri ſanctis (locis) condonare debemus*... cetera deſunt in vetuſto codice: ſed ex alio, in quo breves monaſterii annales ad paſchales cyclos digeſti ſunt, ejus principia referuntur ad hunc annum, quo primus abbas Coldwinus ponitur. Idem Childericus in alio diplomate, quod integrum ſuo loco afferemus, quædam alia tradit *Valedio abbati ad monaſteriolo Confluentis*. quod primarium erat monaſterii nomen, ob confluxum duorum iſtuc rivulorum, quorum unus, vocabulo *Bertiembach*, in alium influit, qui Fæchina ſeu Wachina nuncupatur. Non raro duæ Fæchinæ, ambo amnes ſeu torrentes vocati. Emhildis, cujus conſilio Childericus ſuas paſſim donationes facit, orba erat uxor Sigiberti regis, quæ, quod Childerici partibus faveret, in ejus palatio plurimum auctoritate pollebat. Imnechildis aliis appellatur, eademque cum Bilichilde regina, Childerici uxore, ſubſcribit regio diplomati, quod Childericus ipſe Stabulenſi & Malmundarienſi monaſteriis rogatu Remacli epiſcopi conceſſit, apud Bollandum [a]. Eadem laudatur in actis ſancti Præjecti epiſcopi & martyris, & in diplomate Childerici pro cella Bariſiacenſi. Non dubito quin eadem ſit Chimelchidis regina, cujus rogatu Dagobertus rex, ejus filius, prædia quædam Tullenſi eccleſiæ conceſſit, ut ſuo loco videbimus. In veteri codice Gregorianum illud cœnobium primitus exculrum fuiſſe dicitur a monachis Gregoriani in urbe Roma monaſterii, quod alias ſancti Andreæ vocabatur. Id facile ſuaderet illius dedicatio ſub titulo ſancti Gregorii papæ primi, ſi alia ejus rei idonea probatio nobis occurreret. certe ſanctus antiſtes Hildulfus unum ex oratoriis Mediani-monaſterii eidem ſancto Gregorio itidem nuncupavit.

* Gregoriental.

* Colmar.

a Febr. to. 1. p. 136.

VII. S. Clari abbatis obitus.

VII. Initio hujus anni vel inſequentis Clarus abbas Viennenſis in cælum abiit. Appetente mortis ejus tempore, cum in horto verſaretur, correptus morbo eſt, fratribuſque ad ſe convocatis, oraculum ſibi divinitus factum aperuit. Sex abhinc epiſcopos, inquit, hæc civitas ſub pace Chriſti eccleſiam gubernantes habebit. Poſtquam illi in pace obdormierint, ſub ſeptimo epiſcopo graviſſima paganorum perſecutio erit, quibus hæc civitas juſto Dei judicio diſperdenda tradetur. Monachi & loci hujus incolæ partim occidentur, partim fugabuntur, incenſis domibus ſacris, vaſtatis omnibus, & pæne in deſolationem redactis. Nunc ergo, fratres, Dei judicium

AN. CHR. 660.

» pertimeſcentes, veſtri curam ſollicite agite: ut, cum dies tribulationis evenerint, » paratiores ad tolerandum, ſi qui ex vobis ſuperſtites fuerint, inveniamini. Quod » ſupereſt, corpus meum in eccleſia beatiſſimæ martyris Blandinæ ejuſque ſociorum humate. Hujus vaticinii veritatem rei eventus demonſtravit, quando a Wandalis & a Sarracenis, non tantum Viennenſis, ſed & aliæ longe lateque provinciæ vaſtatæ ſunt, ait vitæ ſancti Clari ſcriptor. quod ſub Wilicario antiſtite accidiſſe Ado in chronico tradit. Cum jam ex morbo Clarus decumberet, triduo ante obitum, cum ſemper in Dei laudibus perſeveraret, vidit ſub crepuſculum diei aperiri cælum; & immenſam candidatorum turbam, duce mirabilis formæ juvene, ſuper cellam ſuam deſcendentem irretortis oculis adſpexit. Tum beatiſſima martyr Blandina eum blandis affari verbis cœpit, eumque hortari, ut eam turbam ſequeretur, pollicita ſe ad tertium diem, hora quinta cum ſancto Marcello adfuturam, ut eum ad cæleſte regnum perducant, comitante illo cæleſtium ſpirituum exercitu adverſus hoſtiles dæmonis incurſus. Ut ſe a viſo illo collegit, a fratribus in eccleſiam delatus, cilicio impoſitus, quamdiu ſupervixit, a Dei laudibus non ceſſavit. Imminente hora exitus ſui, pſalterium *decantare*, id eſt recitare, cœpit cum fratribus. Cum ad finem perveniſſent, dicto, *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, cum ſuperna luce odor ineffabilis totam cellam, ubi vir Dei jacebat, replevit: tumque beata illa anima carne ſoluta migravit ad Dominum kalendis Januarii. Funus proſecutus eſt idem odor, & ad feretri contactum paralyticus ilico ſanatus. Sepultus eſt vir ſanctus, uti mandaverat, in eccleſia beatæ martyris Blandinæ, ſanctorumque martyrum quadraginta-octo, ubi miraculis clarus diu jacuit. In kalendario monaſterii ſancti Eugendi memoratur: *kalendis Januarii in pago Viennenſi, in loco, qui dicitur Auguſta-Cancellaria, natalis beati Clari confeſſoris.*

VIII. Hildefonſus B. Mariæ virginitatem tuetur.

In Hiſpania Hildefonſus abbas Agalienſis ſuffectus eſt in locum Eugenii junioris Toletani epiſcopi, qui annis duodecim eam eccleſiam magna cum dignitate rexit. Inito pontificatu perpetuam Deiparæ virginitatem edito libro aſſeruit adverſus peſtilentiſſimos homines, (Pelagium & Helladium Mariana vocat) qui veteres Helvidianæ inſaniæ ſcintillas in Hiſpania excitare cœperant. Mox erroris ſemina diſſipata, compreſſique nefarii illorum impoſtorum conatus. Operæ ab Hildefonſo navatæ merces caſula fuit e cælo allata, quam ille a beatiſſima Virgine accepit menſe Decembri, cum ad nocturnas preces Deo perſolvendas ſanctæ Leocadiæ baſilicam adiiſſet, vigilias feſti, nuper a Toletanis patribus in concepti Verbi memoriam inſtituti, celebraturus. Hic liber ſcriptus eſt contra tres infideles, hoc eſt, contra Jovinianum, Helvidium, & Judæos, ut patet ex epiſtola [a] Quirici Barcinonenſis epiſcopi, Hildefonſo ob conceſſum ſibi librum gratias agentis: cui Hildefonſus cum ſumma animi demiſſione reſpondet. Idem Quiricus eumdem hortatur ad diſſeminandum, cum ſtilo, tum voce, verbum Dei ad utilitatem eccleſiæ matris cariſſimæ, quæ & nunc nobiſcum gemit in terra, & ad quam ſuſpiramus in cælum. Ad hæc Hildefonſus, ait, » ſe id quidem cupere ex pia devotione, ut in meditatione Dei lingua » ſimul & vita non ſileant: ſed temporum neceſſitate ſic atteri vires animorum, ut « nec vita propter imminentia mala in tuto ſit.

a Spicil. to. 1. p. 308. & ſeqq.

IX. Taïonis epiſtola de calamitatibus Hiſpaniæ.

Has temporum calamitates deflet Taïus ſeu Taïo Cæſarauguſtanus antiſtes in epiſtola ad eumdem Quiricum Barcinonenſem, cui libros quinque de rebus divinis, ex libris Gregorii Magnra ſe excerptos nuncupavit. Hæc epiſtola inſcribitur in hunc modum, in codice Thuano-Colbertino: *Domno venerabili, ſanctiſſimoque viro Quirico epiſcopo, Taius, indignus Cæſarauguſtanæ urbis epiſcopus, cognomento Samuhel.* Principio exponit, in quibus anxietatibus opus illud defloratum ac conſcriptum fuerit, nempe inter illas civilium bellorum tempeſtates, quas Froia tyrannus adverſus Reccesuinthum regem excitavit, de quo nullam mentionem invenio apud ſcriptores Hiſpanicos. *Optime*, inquit, *novit beatitudo veſtra tempus illud, quo tortuoſus anguis ore peſtifero in quorumdam mentibus virulenta ſeminum ſuorum ſparſerit zizania; fraudulentaque deceptione a tramite recti itineris greſſum removerit mentium perditarum. In quo quidam homo peſtifer atque inſani capitis Froia tyrannidem ſumens, adſumtis ſceleris ſui perverſis fautoribus, adverſus orthodoxum, magnumque Dei cultorem Receſuinthum principem fraudulenta prætendens molimina, ſuperbo adniſu chriſtianam debellaturus adgreditur patriam. Hujus itaque ſceleris cauſa gens effera Vaſconum, Pyrenæis montibus promota, diverſis vaſtationibus Iberiæ patriam populando*

ANN CHR. 660.

craſſatur. Heu, pro dolor, dicendi ſtudium calamitatis intercipit magnitudo. Sed tandem veniendum eſt ad id, quod formidat oratio. Innoxius quippe multorum chriſtianorum ſanguis effunditur. Alis jugulis, nonnulli miſſilibus, plerique diverſis jaculis ſauciantur. Innumerabilis multitudo captivorum abducitur: immenſa ſpolia ſubtrahuntur. Templis Dei infauſtum bellum infertur: ſacra altaria deſtruuntur: plerique ex clericatus officio enſibus obtruncantur, atque inhumata canibus, avibuſque multorum exponuntur cadavera occiſorum, ita ut ſeptuageſimi-octavi pſalmi non immerito illi calamitati congrua videatur inſcriptio. Cumque nos hujuſcemodi cauſa Cæſarauguſtæ urbis circumſeptus murorum ambitus contineret, adventumque prætaxati principis præſtularemur; omnipotentis Domini miſericordiam promtiſſime exorantes efflagitabamus, ut tyrannicæ jugum dominationis nequaquam cervicibus noſtris ſineret imponi, auxiliumque dextera ſua piiſſimo principi contra impiiſſimum hoſtem quantocius impertiret. Sed orationes pauperum & deprecationem miſericordiſſimi principis protinus exaudivit Dominus. Miſſo igitur cælitus propugnatore fortiſſimo, hunc auxilio omnipotentia ſua ſublevat, illum vero tyrannicæ ſuperſtitionis auctorem repentino caſu condemnat: iſti tribuens palmam victoriæ copioſam, illi vero inferens atrociſſimæ mortis ignominiam... In hoc igitur ſupra taxatæ tempeſtatis turbine, licet diebus, continuis periculis circumquaque ſævientibus, minime quippiam agere liceret, nec uſpiam progrediendi aut alicujus ruris libera eſſet facultas excolendi, noctium tamen otia laborum ſpiritalium incrementis congeſſimus, ac de ſacris voluminibus, ſcilicet ſancti papæ Gregorii Romenſis, ſententiarum capitula in quinque libellis diſcreta, uno codicis textu concluſa, auxiliante Domino, colligendo decerpſimus, atque in amaris diebus dulcium ciborum lacrymando dapes collegimus. Reliquum hujus epiſtolæ cum reſponſo Quirici habes in tomo ſecundo Analectorum noſtrorum. Hic eſt Taïo Cæſarauguſtanus epiſcopus, qui juſſu Chindaſuinthi Veſigotthorum regis Romam profectus eſt, ut Gregorii Magni partem Moralium, quæ in Hiſpania deſiderabatur, alioſque ſanctorum patrum libros, ex Romana pontificum bibliotheca referret. Martinus papa ſcrinii Romani ſchedas omnes & forulos excutere longum fore cauſatus, diem ex die ducebat, atque aliam ex alia cauſam nectebat: cum Taïo, precibus fuſis ad ſepulcrum beati Petri, cæleſti monitu, quo in loco reſiderent hi libri, edoctus eſt; tandem curis, votiſque ſuis finem impoſuit. Deſcriptis, quos optaverat, libris, pius ac doctus antiſtes in Hiſpaniam remeavit; tumque ſententiarum libros quinque ex meris Gregorii centonibus conflavit, ſupplendo quoſdam locos ex Auguſtini libris, ubi Gregorii ſcripta deficiebant. In his libris Taïo ſæpiſſime profert teſtimonia ex Gregorianis libris dialogorum, non ſemel ex ſecundo, in quo ſancti Benedicti facta referuntur.

Redeo ad Hildefonſum, cujus liber adverſus impugnatores perpetuæ Deiparæ virginitatis exſtant in Bibliotheca patrum, incipiens ab his verbis, *Deus lumen verum, &c.* ſed qui eidem tribuitur liber ſequens, *de perpetua virginitate ſanctæ Mariæ, & de ejus parturitione*, non eſt Hildefonſi, ſed Paſchaſii Ratberti abbatis Corbeienſis, ut in ipſius Hildefonſi actis & alibi demonſtravimus. Priorem illum Hildefonſi librum deſcripſit, atque ex Hiſpania retulit Godeſcalcus Anicienſis epiſcopus ſæculo decimo, cum in Galliciam voti cauſa ad ſanctum Jacobum profectus eſſet, ſimulque librum de geſtis Hildefonſi, quem librum eſſe Juliani Toletani antiſtitis exiſtimavit. Eumdem Hildefonſi librum perquiri fecit ſæculo duodecimo Bartholomæus Laudunenſis epiſcopus per Hermannum monachum, qui eos in urbe Catalauno reperit, repertoſque deſcripſit, ut patet ex ejus præfatione ad duos libros de miraculis beatæ Mariæ Laudunenſis, ubi non unum, ſed tres libellos Hildefonſi de virginitate beatæ Mariæ commemorat, quod liber ille in tres veluti partes, contra totidem adverſarios, Helvidium, Jovinianum, & Judæos, ſcriptus eſſet. Præmittit Hermannus, ſe ex mandato Bartholomæi epiſcopi ſui profectum in Hiſpaniam ad videndum glorioſum regem Hildefonſum, materteræ ejus filium, ab eodem rege promiſſum accepiſſe, ſi Hermannus ſecundo ad ipſum reverteretur, ſe ei daturum *caſulam pretioſiſſimam, quam beata Dei genitrix ſancto Hildefonſo dederat, ob remunerationem trium libellorum, quos de virginitate ſua compoſuerat.* Albam abſolute quandoque vocabant caſulam illam, quod ex panno albo confecta eſſet. Hanc cum Syagrius antiſtes aliquando temere & arroganter induiſſet, repente exſpiraſſe dicitur.

X. Hildefonſi liber quæſitus.

ANN. CHR. 661.

XI.

Bariſiaci monaſterium ſtruit S. Amandus.

IN Galliam nos revocat ſanctus Amandus Trajectenſis olim epiſcopus, cui Childericus rex Bariſiacum * villam pagi Laudunenſis, haud longe a Codiciaco * opido, ad exſtruendum ibidem monaſterium conceſſit anno regni ſui ſecundo. Exſtat regium hac de re diploma in codice diplomatum apud Miræum, & apud alios, ſub hac inſcriptione: *Childericus rex Francorum, & Himnechildis regina, viro illuſtri Bertuino comiti, & Bertelando vicario.* ubi loco Himnechildis alii Balthildem Childerici genitricem, alii Bilechildem ejus uxorem perperam ſubſtituendam volunt, ut ex his, quæ ſuperius [a] diximus, intelligitur. Pergit Childericus dicere, ſe propter amorem Dei & amorem cæleſtem apoſtolico patri ſuo Amando epiſcopo villam ſuam, nuncupatam Bariſiacum, ſitam in pago Laudunenſi, quam eo uſque fiſcus tenuerat, promtiſſima devotione cum univerſis villulis ad eam pertinentibus concedere, & conceſſam eſſe velle: adeo ut ipſe pontifex domnus Amandus ad opus monachorum ſuorum, abſque ulla contradictione vel diminutione teneat ac poſſideat, ſicut eam fiſcus tenuit ac poſſedit. Subſcribit Childericus, & poſt eum Himnechildis regina, quæ uxor fuerat Sigiberti olim Auſtraſiorum regis, aliis Eimhildis appellata. Datum eſt diploma ſub die kalendarum Auguſti, anno ſecundo regnante domino noſtro Childerico rege, dum is Lauduni moraretur, ut ex Philippo abbate Bonæ-ſpei diſcimus. Non multo poſt hanc donationem Amandus eo in loco monaſterium inchoavit, eidemque præfecit Andream monachum, qui poſtmodum Elnonenſis monaſterii abbas factus eſt. Hæc patent ex ipſins Amandi litteris a nobis alias [b] editis, quibus is pro remedio animæ ſuæ vel retributione vitæ æternæ, ea quæ ſibi ex munificentia domni Hilderici regis, necnon & præcelſæ domnæ Imnechildis reginæ collata fuerant, hoc eſt villam Bariſiacum in pago Laudunenſi ſitam, ubi cœnobium in loco dicto Faverolas in honore ſancti Petri & Pauli apoſtoli (ita loquebantur) vel reliquorum dominorum, ſub regula domni Benedicti, ſeu domni Columbani conſtruere inchoaverat, venerabili viro Andreæ, quem ibidem abbatem præfecerat, tradit cum omnibus ad eam villam pertinentibus, aliaſque poſſeſſiones & facultates, quas dux Fulcoaldus, Conſinus archidiaconus, & vir illuſtris Chedenoaldus quondam ipſi dederant, necnon terram, quam idem Chedenoaldus & illuſtris vir Wlſmarus ſuper fluvio Seſmereia ad monaſterium ædificandum primitus conceſſerant. Actum Lauduno civitate octavo-decimo kalendas Septembris, anno quinto regni domini noſtri Childerici regis. His litteris poſt Amandum ſubſcribit Attola epiſcopus Laudunenſis cum aliis preſbyteris ac diaconis. Superiori donationi adſtipulatur Baudemundus monachus in libro de vita ſancti Amandi: ubi Hildericus rex & Himnechildis regina viro ſancto cellulam, quæ vocatur Bariſiacus, cum adjacentibus appendicibus condonaſſe perhibentur. Hactenus ſubſiſtit cella Bariſiacenſis, Elnonenſi S. Amandi monaſterio ſubjecta.

XII.

Item Nantenſe.

Quanti hunc ſanctum antiſtitem faceret Childericus, probant inſuper aliæ ab eodem rege eidem factæ donationes. Sub hoc tempus, poſtquam Amandus per annos aliquot Elnone ſubſtitiſſet, in Vaſconiam denuo accerſitus eſt ab illius gentis populis, qui ejus olim adhortationibus & exemplis informati fuerant. Dum eo iter faceret per Aquitaniam, monaſteria ibidem ædificare conſtituit. Eam ob rem Childericum regem adiit, teſte Baudemundo, ab eoque quoddam municipium, non ambitionis aut cupiditatis cauſa, ſed ob animarum ſalutem, ad exſtruendum monaſterium humiliter poſtulavit. Poſtulationi facile annuit princeps, eique locum dedit, Nantum nomine, in quo vir Domini cœnobium erexit. Id gravate admodum tulit Mummulus antiſtes Ozidinſis * ſeu Ozindinſis, an Uzecenſis, eumque loco expellere, aut e medio tollere decrevit. Miſſi ad hoc ſatellites, cum virum Dei ad ſupercilium montis, quaſi cujuſdam monaſterii locum deſignaturi, ſed re vera ipſum interfecturi, adduxiſſent; orta ſubito pluviæ, grandiniſque tempeſtate, tanta caligine offuſi ſunt, nihil ut penitus viderent, & de ſalute ſua jam pæne deſperantes, vitam ab eo ſupplices peterent, cui eam eripere moliebantur. At, reddita ad viri Dei preces ſerenitate, funeſti apparitores recepto lumine incolumes ad ſua ſe ſe quantocius receperunt. Supereſt etiam nunc Nantenſe * monaſterium ſub ordine ſancti Benedicti in pago Vabrenſi, quatuor leucis diſſitum a Vabro urbe modo epiſcopali ſub archiepiſcopo nunc Albienſi: ubi olim monaſterium itidem erat, ſæculo nono conſtructum a Raimundo comite Toloſano.

XIII.

Vaurenſe

S. Alanus.

Aliud inſuper monaſterium in Vauro * opido ad Agotum fluvium excitavit ſanctus

* Bariſy.

* Coucy.

a ſupra n. 6.

b Sæc. 2. Benedict. p. 1094.

c V infra n. 18.

* Nant.

* Lavaure.

AN. CHR. 661.

Alanus, cujus acta cum actis ſancti Amandi omnino confuſa ſunt. Legimus libellum de ejus vita nondum editum in lucem, in quo ſanctus Alanus a Sigiberto rege Vaurum impetraviſſe dicitur, & ibi cœnobium ædificaſſe: ſed epiſcopus proximæ civitatis hoc moleſte tuliſſe, ſuiſque juſſiſſe famulis, ut inde eum ejicerent, aut certe occiderent. quæ Baudemundus occaſione Nantenſis monaſterii Amando accidiſſe teſtatur, ſcriptor utique potioris auctoritatis. Ut ut eſt, certum eſt eo tempore in opido Vauro ædificatum fuiſſe monaſterium, idque a Johanne viceſimo-ſecundo converſum fuiſſe in eccleſiam cathedralem ſub metropolita Toloſano, quæ eccleſia ſanctum Alanum patronum, atque haud dubie auctorem agnoſcit, ſive alius fuerit ab Amando, ſive idem cum illo, uti acta ſancti Alani indicare videntur, eadem prorſus cum actis ſancti Amandi. Quamquam omnino diverſos fuiſſe nullus dubito, ob diverſitatem cum nominum, tum feſtorum: ſiquidem ſancti Amandi feſtus dies incidit in ſextum Februarii; ſancti Alani * in viceſimum-quintum Novembris: tametſi ambo eodem ſæculo vixiſſe creduntur. Neque vero alia deſunt exempla, in quibus diverſis ſanctis eadem acta tribuuntur. Sic Alberto abbati Gambronenſi acta ſancti Ebrulfi abbatis Uticenſis ſupponuntur: ſic Montanæ virgini Bituricenſi acta ſanctæ Gertrudis abbatiſſæ Nivialenſis: ut patet ex collatione a Carolo Cointio [a] accurate facta in annalium ſuorum tomo tertio.

* *S. Elan.*

a *Coint. an. 659. n. 6.*

XIV. Nantenſe confuſum cum Nantuacenſi.

Eadem confuſio accidit, ut ſuperius [a] jam diximus, hicque, ut in loco, repetere juvat, in narratione de origine monaſterii Nantuacenſis apud Sebuſianos, quod cum Nantenſi pagi Vabrenſis confunditur in hiſtoria Sebuſiana Samuelis Guichenonis, ubi refertur vita [b] ſancti Amandi, cui Nantuacenſis monaſterii conſtructio itidem tribuitur. Eodem errore Elnonem Belgii confundit auctor ille, quiſquis eſt, cum monte quodam Helnone Nantuadi proximo; & Elnonenſe Galliæ Belgicæ monaſterium cum Nantuacenſi, ubi ſanctum Amandum ſepultum fuiſſe, ejuſque corpus aſſervari comminiſcitur. Quin etiam civitatulam, ut ipſe vocat, Ofindinſem, ſitam in finibus Lugdunenſium, ſed poſtmodum a Sarracenis, Vandalis, & Gotthis deſtructam, iſtuc trahit; adeoque Mummulum, ejuſdem urbis (ſi ſuperis placet) antiſtitem, qui virum Dei Amandum ob conſtructionem Nantuacenſis monaſterii perimere voluerit. Id unum certi ex commentitio illo auctore elicere poſſumus, quod Nantoacum, ut ipſe vocat, ſitum ſit in grata planitie, cui vocabulum Merulus, fecunda paſcuis, & aquis irrigua, in quam ſcilicet bifido curſu influunt duo alvei ſeu amnes, Onix & Lengis, delabentes in quoddam ſtagnum juxta poſitum, (lacum Nantuacum vocant) non modicum incolis quæſtum & commodum afferens. Subdit idem auctor, eo in loco eccleſiam in honorem beati Andreæ apoſtoli ædificatam fuiſſe ante conditum monaſterium, cujus baſilica beato Petro primitus ſacrata. Locus dictus eſt Nantoade a multitudine aquarum inibi confluentium, ut in chronico [c] Beſuenſi legitur. Ceterum an hujus cœnobii auctor dictus ſit Amandus, aut quis demum fuerit Amandus ille, nobis incompertum eſſe confitemur. Quamquam ejus monaſterii antiquitatem ad ſæculum ſeptimum referendam eſſe illud facile perſuadet, quod Syagrius, ejuſdem loci abbas, inunctioni Pippini regis, a Stephano papa ſecundo apud ſanctum Dionyſium factæ, interfuiſſe dicitur; & ſæculo inſequente *monaſterium Nantuadis* recenſetur inter illa monaſteria, quæ tantum dona regi abſque militia debebant. Falſa eſt apud Guichenonem Gregorii papæ epiſtola ad Childericum Francorum regem; falſum & diploma ſub nomine ipſius Childerici de conditione monaſterii Nantuacenſis. Major eſt fides diplomatis Pippini regis, quo ejus monaſterii villas & poſſeſſiones a poteſtate judicum publicorum eximit ad petitionem venerabilis viri Syagrii abbatis monaſterii Nantoaci, quod eſt conſtructum *in honore beatæ Dei genitricis Mariæ & ſancti Petri apoſtoli vel ceterorum ſanctorum*. quod diploma datum eſt anno regni ejus ſexto, in Attiniaco palatio. Litteræ precariæ Anſemundi & Cæciliæ ejus conjugis inſcriptæ ſunt *Domino & ſacroſanctæ eccleſiæ in honore ſancti Petri principis apoſtolorum & ſanctæ Dei genitricis Mariæ & ſancti Michaëlis archangeli*, cui vir venerabilis Godelſadus abbas & diaconus tum præerat, HLudowico imperante. Verum Lotharius rex Francorum monaſterium ſancti Amandi appellat ſæculo inſequente, nimirum in illo diplomate, quo, poſtulante Gerberga regina matre ſua, monaſterium *in honore ſancti Amandi conſtructum* in comitatu Traheſino, quod abſque rectoribus, veluti in locis inhabitabilibus ſitum erat, Cluniaco ſubjicit eo pacto, ut illud conſtruatur in

a *ſupr. lib. 14. n. 60.*

b *Breſſe & Bugey prob. p. 210. & ſeq.*

c *Spicil. to. 1. p. 525.*

AN. CHR. 661.

„ habitabilibus locis. Datum in Divionenſi palatio, anno regni ejus ſexto. Deinceps tamen in antiquis ejuſdem loci chartis monaſterium S. Petri paſſim appellatur. In veteri kalendario tum Nantuacenſi, tum Condateſcenſi ſeu S. Augendi, legitur, v. *kalendas junii, in pago Lugdunenſi. Helnone cœnobio, quod vulgo nuncupatur Nantoadis, tranſlatio corporis ſancti Amandi epiſcopi Trajectenſis civitatis, ædificatoris ſupra dicti cœnobii, ibidemque ſepulti.* quod non approbando relatum velim, ſed hiſtorici munere fungendo, ne quid a me prætermiſſum hanc in rem videatur. Nuſquam enim Helnonem cum Nantoade confuſum reperio, niſi in vitioſis inſtrumentis; &, ſiquidem Amandus Trajectenſis epiſcopus Nantuacenſe monaſterium condiderit; corpus tamen ejus nec ibi ſepultum, nec tranſlatum fuiſſe perſuaſum habeo: cum certo in Elnonenſi ad Scarpum monaſterio ſepultum ſit.

XV. Senonienſe monaſterium condit Gundelbertus.

* *Senone.*

Regnante apud Auſtraſios Childerico, Gundelbertus, Senonum, ut perhibent, antiſtes, dimiſſo epiſcopatu in Voſagum ſeceſſit, ibique monaſterium, Childerico rege fundum ſuppeditante, conſtruxit, quod in relictæ civitatis memoriam Senonenſe * ſeu Senonienſe placuit appellari. Childerici regis hac de re præceptum in Appendice referemus, nobis communicatum a reverendiſſimo patre Hyacinto Alliot, Mediani-monaſterii abbate, cujus in nos benevolentiam, & in hiſtoriam noſtram ſtudium indefeſſum ſatis pro merito commendare non poſſumus. Fallitur Hugo monachus Autiſiodorenſis in chronologia ſua, ubi Gundelbertum, quem Gumbertum vocat, in ſerie antiſtitum Senonenſium poſtponit Godeſcalco, ſexto ab Emmone ſucceſſori: cum e contrario Gundelbertus, ſi vere Senonum epiſcopus, & non potius chorepiſcopus fuit, Emmoni anteponendus ſit, ut conſtat tum ex diplomate Childerici regis, qui non alius eſt a filio Chlodovei junioris; tum ex ætate Deodati & Hildulfi epiſcoporum, quibus æqualis exſtitit Gundelbertus; tum ex catalogo abbatum Senonienſis monaſterii, in quo Angelramnus, principatu Caroli Magni Mettenſis antiſtes, ipſe loci *abbas a fundatore Gundelberto ſeptimus, Norgandum octavum conſtituit abbatem*, teſtante Richerio [a] Senonienſi monacho, apud quem ejus loci abbates primi hoc ordine [b] recenſentur: Gundelbertus, monaſterii auctor & primus abbas; dein Magneramnus, Agericus, Magenramnus, qui forte non diſtinguendus a Magneramno, Bonciolus, Stephanus, Angilramnus Mettenſis epiſcopus, qui ſui loco virum religioſum Norgandum præfecit. Conceſſi fundi metas Childericus ita deſignaſſe perhibetur in chronico Senonienſi:

[a] Spicil. to. 3. p. 303.

[b] ibid. p. 299.

„ a rupe, quæ Alta-
„ petra dicitur, per cacumen montis, uſque ad villam, quæ Cella dicta eſt, per ri-
„ pam fluvioli per eamdem viam decurrentis, uſque ad locum, qui Mare dicitur.
„ Inde ad Grandem-fontanam, ac per rivulum, qui Waconos appellatur, uſque ad
„ fluvium Bruſcam, & per ripam Bruſcæ uſque ad cacumen montis juxta ſanctum Ste-
„ phanum, & inde ad rivulum Petroſum, qui fluit per clauſtrum Mediani-monaſterii,

de quo inferius acturi ſumus. Hos limites accuratius diſtinguit Childerici præceptum in appendice referendum. Eo in loco, pro ſitu & vicinia montium excelſorum ſatis amœno, Gundelbertus duplicem baſilicam cum adjuncto monaſterio exſtruxit: unam in honorem ſanctæ & perpetuæ virginis Mariæ, ad quam monaſterium cum ſuis officinis ædificaſſe dicitur: alteram beato Petro apoſtolorum principi conſecravit. Supereſt baſilica beatæ Mariæ rotundo opere, qualis ab ipſo Gundelberto condita eſt: altera ſancti Petri recentior inſervit officiis monachorum Benedictinæ congregationis ſancti Vitoni. Conſimilis eſt omnino rotunda baſilica apud Hugoniscuriam, qui locus, Senoniæ vicinus, olim monaſterio inſignis erat. Incertus annus mortis Gundelberti; incertus quoque ſepulturæ locus, quem nonnulli apud Medium-vicum * ſtatuunt. Nec fere certior ejus cultus, quem non in faſtis ſacris, ne quidem domeſticis, notatum invenimus. In necrologio tamen Senonienſi legitur XVI. kalend. Novembris, *commemoratio ſancti Gundelberti præſulis, hujus loci fundatoris; Megerranni, Teodradi, Perini, Motheri, Vuipodi, abbatum & ſacerdotum Senonenſis monaſterii*, haud dubie primorum. A Wipodo Wipodi-cella nominatur apud Richerium [c] in chronico, quod in tomo tertio Spicilegii Acheriani vulgatum eſt.

* *Moyenvic.*

[c] Richer. lib. 2. c. 5.

XVI. Stivagium monaſterium.

* *Eſtival*

* *la Meurte.*

Exſtabat jam eo tempore proximum aliud monaſterium, vocabulo Stivagium*, ad occidentalem plagam ſuper Mortam * fluvium, cujus auctorem & originem ignoravit Richerius monachus ant' annos quadringentos. Bodo, Tulli-leucorum ſæculo ſeptimo epiſcopus, alio nomine Leuduinus, ſancto Stephano, Tullenſis eccleſiæ patrono, contuliſſe dicitur *locum Stivaium*, ſibi a parentibus provenientem, ubi mo-

naſterium in honorem beati Petri apoſtoli conſtruxit ſuper fluvium *Murt*, & duodecim canonicos aggregavit, ut legitur in actis epiſcoporum Tullenſium necdum editis. Ferunt tamen, inquit Richerius, eo in loco ordinis ſancti Benedicti monachos primo exſtitiſſe; deinde ſanctimoniales; quibus poſtea denuo monachi ſucceſſerint: exinde canonicos ſæculares, ac demum ordinis Præmonſtratenſis canonicos regulares, qui hactenus ibidem perſeverant. Ruyrius canonicos regulares ſancti Auguſtini ait ſæcularibus ſucceſſiſſe, ſucceſſoreſque habuiſſe canonicos iterum ſæculares ante Præmonſtratenſes. Monaſterium illud ſæculo nono Richardis imperatrix in propriam poſſeſſionem obtinuit, illudque Andelacenſi parthenoni ab ſe condito in perpetuum ſubjecit. Dein Mathildis Andelacenſis abbatiſſa, conſilio & conſenſu totius capituli ſanctimonialium & canonicorum ſuorum, necnon Hugonis comitis ejuſdem loci advocati, Stivagium Præmonſtratenſibus conceſſit ad petitionem canonicorum ſæcularium, qui ejuſdem loci diu habitatores fuerant, ut legimus in diplomate Eugenii tertii pro confirmatione bonorum eccleſiæ Stivagienſis. ANN. CHR. 661.

Anno Chlotharii regis ſexto, placuit Mummolino Noviomagenſi epiſcopo & Bertino abbati Sithienſi aliqua inter ſe ſe prædia commutare, eamque commutationem regio diplomate confirmari. Data ex parte Mummolini epiſcopi villa, nomine Vallis, cum quatuor aliis villis, quas a viro venerabili Ebertramno abbate baſilicæ ſeu cœnobii ſancti Quintini acceperat pro portione ejuſdem Vallis. Bertinus vero Mummolino epiſcopo viciſſim ceſſit portionem, quam habebat in villa Vauſuue pagi Conſtantienſis, quam a viro illuſtri Agiulfo ex ſimili pactione acceperat. Hanc commutationem confirmavit Chlotharius, adſtipulante præcelſa domna & genitrice ſua Baltechilde, kalendis Februarii, anno ſexto regni ſui, in Criſciaco palatio. In hoc vero diplomate, quod integrum in libro ſexto de re diplomatica [a] retulimus, Mummolinus & Bertinus communi opere dicuntur ædificaſſe monaſterium *Sithiu* ſeu *Sitdiu*, quod conſtructum dicitur *in honore ſanctæ Mariæ, necnon apoſtolorum Petri & Pauli*: nimirum quod princeps baſilica ſanctis Petro & Paulo; baſilica vero cœmeterii beatæ Mariæ dicata eſſet. XVII. Commutatio facta a Mummolino epiſcopo & Bertino abbate. [a] Diplomat. p. 605.

Hoc eodem tempore cum diſciplina regularis in monaſterio Lirinenſi multum laxata eſſet, & res ex diſcordia in deterius laberentur; poſtulatus eſt abbas a Lirinenſibus Aigulfus Floriacenſis monachus, is qui juſſu Mummoli abbatis reliquias ſancti Benedicti e monte Caſino in Galliam tranſtulerat, vir notæ probitatis ac virtutis, ut priſtinum religionis ſplendorem illuſtri aſceterio reſtitueret. Jam dudum ordo ibidem intepuerat, ut ex litteris Gregorii Magni ad Stephanum & Cononem abbates intelligitur, quos ſanctiſſimus pontifex ad emendandos ejus loci monachorum mores hortatus fuerat. Sed, ut prona eſt mortalium natura in malum; ubi ſemel a recto tramite deflexum eſt, non facile ad viam fit reditus. Lirinenſibus adhuc forte præerat Cono abbas, cum Attala, idem qui poſtea Luxovienſis monachus, ac demum Bobienſis abbas factus eſt, Lirinum ſe recepit. At cum regularem diſciplinam eo in loco parum accurate obſervari cerneret, Luxovium Lirino prætulit. Quinam abbates poſt Cononem Lirinenſe monaſterium rexerint uſque ad Aigulfum, non produnt veteres tabulæ. nam qui in editis indicibus ei præponitur Ricomirus, non alius eſt a Rigomiro, qui eidem ſucceſſit. Accepto loci regimine, Aigulfus collapſam inſtaurare diſciplinam in primis ſtuduit, & pravos ritus ac mores abolere. Tantam vero gratiam ejus monitis & exemplis tribuit Deus, ut non tantum his, qui reliqui in monaſterio erant, ſed & iis qui olim ab eo defecerant, ad officium reverti perſuaderet. Duo tamen inventi ſunt perverſæ mentis monachi, Arcadius & Columbus, qui dæmonis inſtinctu alios ad defectionem ſollicitabant; tantumque in eorum animis prævaluit cæcus furor, ut ſanctum abbatem a monaſterio & ovibus ſuis avellere molirentur, vixque a paſtoris eique adhærentium nece temperarent. Tanti periculi conſcii Lirinenſes, pars fuga ſaluti ſuæ conſulere, & in proximam ſancti Johannis eccleſiam confugere maluerunt: pars cum Aigulfo in monaſterio manere perſeverarunt. Et primo quidem efferatos amborum animos emollire ſæpius tentavit pius abbas: ſed, ubi nihil molliora proficiunt remedia; Arcadium, factioſorum anteſignanum, e monaſterio expellere cogitur. Verum ille, factæ ſibi, ut putabat, injuriæ impatiens, ad Mummolum Vicetiæ principem ſe contulit, eumque ad perdendum Aigulfum inſtigavit, propoſita præda multarum pecuniarum, quas ex monaſterio referre poſſet. Forte is eſt Mummolus Ozidinſis, XVIII. Aigulfus Lirini abbas dura patitur.

ANN. CHR. 661.

a V. ſupra n. 12.

an Ucetienſis, antiſtes, qui necem ſancto Amando ob ſimilem [a] cauſam intentavit. Venit ergo Lirinum Mummolus, Arcadio duce, qui inſtar Judæ turba maligna ſtipatus, Aigulfum comprehendi, vinciri, ac fuſtibus cædi juſſit, eique adhærentes ſimul in cuſtodiam retrudi. Poſtridie fictis blandimentis incluſos delinire tentat; &, ne dolo id facere videretur, allatos eis cibos cum poculis ad horam tertiam offert. At illi, vel in ipſo carceris horrore regularis ac monaſticæ inſtitutionis memores, quæ jejunium in horam nonam extendi jubet, refectionem ad id tempus diſtulerunt, nec ipſum, qui ſe tam crudeliter vexabat, Arcadium in precibus prætermittentes. Et unus quidem eorum Trucarius inhumanitatem ei ac fallaces dolos improperavit: ille vero nihilo minus in viros ſanctos ſævire inſtitit. Poſtquam enim Mummolus præda onuſtus Lirino diſceſſit, incluſos e cuſtodia poſt dies decem educit Arcadius, navique impoſitos ad certam perniciem in ignotas regiones deportat, comitante non imparis ſævitiæ miniſtro Columbo, qui Aigulfo, ejuſque ſociis linguam abſcindi, atque oculos erui jubet, ne tyrannorum crudelitatem publicarent, eoſdemque ſordidis veſtimentis indui, ne pro monachis agnoſcerentur. Verum exeiſis linguis nihilo ſecius loquebantur viri Dei, qui vocis miniſterio non tam ad prodendos vexatores ſuos, quam ad concinendas Deo laudes utebantur. Interim appellunt in Caprariam inſulam, ubi maximum erat examen monachorum, apud quos cænam Domini, quæ feria quinta ante paſcha celebratur, peregerunt. In ipſo paſchali die Columbus cum infulis diaconi officio aptis ad ſacra miniſtrare non erubuit, & ante communionem ſacram non columbina, ſed corvina, immo canina fratribus oſcula præbere. Expleta ſollemnitate, Aigulfum, ejuſque ſocios in monaſterio dimittit, dum ille Epheſum ſæcularium negotiorum cauſa contendit.

XIX.

Biſcopus fit Lirini monachus.

Paullo ante has turbas Lirinum acceſſerat Benedictus, cognomento Biſcopus, cum ex altera Romana profectione reverteretur, pontificatu Vitaliani papæ, poſtquam aliquot menſes in urbe exegiſſet ad percipiendam notitiam ſcientiæ ſalutaris. Hac inſtructus, dum in patriam redire pergit, in inſulam Lirinenſem digreditur: ubi tanta humanitate a monachis acceptus eſt, ut eorum cœtui ac contubernio adſcribi voluerit. Mox tonſus ac votis monaſticis inſignitus, diſciplinam regularem ſollicite ſervare in primis ſtuduit, ac poſt biennium, idonea monaſticæ converſationis doctrina inſtitutus ac probatus, rurſus beati Petri limina reviſere ſtatuit. Nec mora, adveniente nave mercatoria, deſiderio ſatisfecit.

XX.

Baboleni abbatis obitus.

b Heriger. de epiſc. Leod. c. 59

Boboleni plures.

Ad hoc fere tempus pervenit Babolenus abbas Foſſatenſis, idem pleriſque creditus cum Baboleno Stabulenſi, & cum Boboleno Bobienſi. quæ perſuaſio Foſſatenſium erat ante annos minimum ſexcentos, probante monachi Foſſatenſis anonymi libello de vita ſancti Baboleni abbatis monaſterii ſui. Notgerus tamen epiſcopus in libro de geſtis beati Remacli, & Herigerus [b] abbas Lobienſis, Papolenum Stabulenſem ſatis diſtinguunt a Bobuleno Bobienſi, non modo quia Papolenum, non Babolenum aut Bobulenum, ſcribunt: ſed quia Papolenum, relictis facultatibus ſuis Remaclo tradunt adhæſiſſe, atque ab eodem ſuſceptum, dein Malmundarienſi, ac demum Stabulenſi monaſterio præfectum fuiſſe: cum Bobolenus ſeu Bobulenus, Bobienſis poſt Attalam abbas, beati Columbani diſcipulus fuerit, & quidem Bobii ſepultus, cujus elevatio apud Wionem facta dicitur pridie kalendas Septembris anno Domini ſupra milleſimum quadringenteſimo octogeſimo-ſecundo. Hac ratione diſtinguas Babolenum Foſſatenſem a Papoleno Stabulenſi: cum amborum corpora alterum in altero loco aſſerventur. In libro de geſtis ſancti Baboleni Foſſatenſis laudatur non modo privilegium ipſi a Chlodoveo & Baltechilde conceſſum, quod ad ſuum tempus illæſum fuiſſe tradit auctor; ſed etiam epiſtola Chlotharii regis ipſius
» Chlodovei filii, quem precibus ſuæ matris Baldechildis *ſancto patri Baboleno*, præ-
» ſente Gaërino comite, primo regni ſui anno contulit, iterum confirmans omnia,
» quæ dicta vel ſcripta de ipſo monaſterio fuerant. quæ epiſtola facta dicitur Verno
« regali palatio ſub quinto die kalendarum Maiarum. Ex quo intelligitur, Babolenum non ante Chlotharii principatum deceſſiſſe. Idem auctor laudans ejus ſcribendi peritiam, aſſerit penes ſe adhuc ſupereſſe plura volumina, quæ *ipſius manu deſcripta* fuiſſe dicuntur. Quis Baboleno Foſſatenſi abbati ſucceſſerit, incertum. nam Erlafridus abbas, qui primus poſt eum in vulgatis indicibus habetur, medio ſæculo octavo vivebat. Congellum Ughellus ſubſtituit Boboleno Bobienſi, ſub quo centum quadraginta monachi Bobii militaſſe dicuntur. Papoleno ſeu Baboleno Stabulenſi,

ſancti

ſancti Remacli judicio ſuffectus eſt Sigolinus, & poſt eum Goduinus, qui corpus ejuſdem beati Remacli tranſtulit in eccleſiam ſancti Petri, lectulumque ejus auro, argentoque decoravit. De rebus geſtis Baboleni abbatis Foſſatenſis libellos duos medio ſæculo undecimo ſcripſit monachus ejus loci anonymus, alterum de ejus vita parum accurate ex traditione majorum; alterum de miraculis, ut fere teſtis in pleriſque oculatus: ex quibus potiora ſuis locis referemus. Boboleni ſeu Bobuleni abbatis Bobienſis quarti compendium vitæ exſtat [a] apud Ughellum, ſed nihil fere continens præter communes locos. Falſus eſt auctor ille, cum Bobulenum genere Atticum vocat, quem in Burgundia ortum fuiſſe ex Jona ejus monacho diſcimus. De Baboleno abbate Stabulenſi nihil fere præter nomen novimus. nam quæ in hiſtoriola ſancti Symmetrii martyris de eo leguntur, nullam fidem merentur. Accepimus ex archivo Stabulenſi diploma Vitaliani papæ, inſcriptum *Baboleno abbati monaſteriorum in Stabulaus & Malmundario conſtructorum in honorem ſanctorum Petri & Pauli:* quo diplomate pontifex omnia confirmat, quæ Sigibertus rex contulit Stabulenſi monaſterio, ubi ſanctus Remaclus Baboleni deceſſor quieſcere dicitur; conceditque facultatem eligendi abbatis ſecundum regulam ſancti Benedicti; inſuper monaſterium cum incolis rebuſque ſuis omnino liberum eſſe jubet. *Scriptum in menſe Decembri, indictione quarta*, quæ huic anno reſpondet. Babolenus abbas Foſſatenſis obiit VI. kalendas Julii, ut in ejus epitaphiu notatum, quod veteri lapidi litteris implexis & lectu difficillimis inſculptum erat, adeoque ægre lectum ſæculo nono, cum ejus corpus in novam ſanctæ Mariæ baſilicam illatum eſt. Eodem ſæculo iſtuc tranſlatum corpus beati Mauri abbatis Glannafolienſis, ſancti Benedicti quondam diſcipuli, a quo nomen poſtea Foſſatenſi monaſterio inditum eſt, ac magna celebritas acceſſit. Hoc monaſterium patrum noſtrorum ſæculo ad ſæculares canonicos migravit, reditibus abbatis epiſcopo Pariſienſi addictis. Hunc puto eſſe ſanctum Babolenum, qui in litaniis Alcuini locum habet.

ANN. CHR. 661.

a *Ital. ſac. to. 4. col. 326.*

ANNO inſequenti conſignanda videtur origo cœnobii Sarchinienſis, quod Trudo, nobilis Haſbanienſis, in diœceſi Tungrenſi, ad Ciſindriam fluvium ædificavit, & Mettenſi ſancti Stephani eccleſiæ attribuit, conſentiente Remaclo Tungrenſi epiſcopo, ac Mettenſium antiſtitum tutelæ ac poteſtati commiſit. Erant Trudonis parentes non minus nobiles quam locupletes, maxime in Haſbania *, qui pagus eſt inter Leodicum & Lovanium. Verum ille ab ineunte ætate generis ſplendorem atque opes pro Chriſto deſpiciens, ſic inter ſæcularem pompam ac tumultum in ſanctæ religionis cultu ſe exercebat, ut exterius laïcus, interius monachus appareret. Cum ſacris litteris operam dare magnopere cuperet, angelico monitu convenit beatum Remaclum epiſcopum, apud villam Septimburias tum degentem, quo hortante, aut certe approbante, ad Chlodulfum Mettenſem epiſcopum profectus eſt, eique ſe ſuaque omnia, aut potius beato Stephano donavit, eo pacto, ut ea in urbe ſacris litteris erudiretur. Cum hoc in ſtudio non mediocriter profeciſſet, a Chlodulfo tonſus, & per ſingulos eccleſiaſticos gradus ad ſacerdotalem dignitatem promotus eſt, ac demum in Haſbaniam miſſus, ut res, jam non ſuas, ſed beati Stephani, procuraret. Reverſum cum magno gaudio complexus Remaclus, verbum Dei per totam parochiam ſuam prædicare, ac miſſas in quibuſlibet eccleſiis celebrare ei conceſſit, ſimulque condere baſilicam in fundo ſuo, uti in pueritia Deo voverat. Rem incunctanter exſecuturus vir ſanctus, pergit ad domum & poſſeſſionem olim ſuam, quam ſub chartarum fide Deo & ſancto Stephano lege inviolabili tradiderat. Mox operi admota manus, & baſilica in honorem beati Quintini martyris, & ſancti Remigii epiſcopi ac confeſſoris exſtructa in villa Sarchinio ſeu Sarcingo ſuper Ciſindriam fluvium, qui poſtea in Getam decurrit. Tum ille verbis & exemplis plurimos ad contemtum ſæculi animare, & ad ſe ſequendum trahere: ex quibus multi nobilium filii, coma depoſita, divino ibidem cultui ſe ſe manciparunt: ſicque accidit, ut qui caſtitatis ſtudio carnalem ſobolem inſuper habuerat, innumerabilem in Chriſto progeniem procrearet. Ea viro Dei conſuetudo erat, ut ſingulis noctibus, dum diſcipuli ſui ſomno reficerentur, ad vicum Falmium, in quo ſancti Martini eccleſia erat, tribus a Sarchinio paſſuum millibus diſtantem; aut viciſſim ad villam paris intervalli Septimburias, in qua baſilica in honorem ſanctæ Genovefæ exſtabat, ſolus iret, preceſque Deo & pſalmos perſolveret. quibus exac-

ANN. CHR. 662. XXI.

Trudo monaſterium Sarchinienſe condit.

* *la Haſbaye.*

ANN. CHR. 661.

tis, *ad propriam cellam* revertebatur. Alibi *monaſterium* appellat Donatus diaconus, qui ejus geſta primus litteris mandavit, dicavitque Angelramno archiepiſcopo, ut ipſe vocat, Mettenſi. Quia vero auctor ille nuſquam monachos aut clericos diſerte exprimit; hinc Rodulfus, ejus monaſterii ſæculo undecimo abbas, ingenue fatetur ſe dubitare, monachi an clerici principio eo in loco exſtiterint; aut, ſiquidem clerici primi illic inſtituti ſint, quo tempore monachi ibidem eſſe cœperint. Mihi vero perſuaſum eſt, monachos a primordio locum illum incoluiſſe: tum quia cellam, monaſterium, cœnobium vocat Donatus, tum quia Trudo ab eodem *ſanctæ converſationis*, & alibi *ſancta religionis habitum* geſtaſſe dicitur. Ad hæc Grimo abbas ante medium ſæculum octavum loco illi *regulariter* præfuiſſe memoratur in litteris Rotberti Haſbaniæ comitis. quæ vox *regulariter* in actis & conciliis illorum temporum voci *canonice* opponitur, ut teſtimonia, opportunis locis a nobis referenda, manifeſte probant. Denique nullum apparet veſtigium factæ in illo cœnobio mutationis, quod ad noſtrum tempus, ſub ſancti Trudonis appellatione, regulæ & ordini ſancti Benedicti addictum perſeverat. Illud vero obſervatione dignum, quod Trudo monaſterium illud, non Tungrenſi ſeu Trajectenſi epiſcopo, in cujus parochia ſitum erat, ſed Mettenſi eccleſiæ ſubjectum eſſe voluit, conſentiente Remaclo loci epiſcopo. Idem obſervare licet in conditione monaſterii Orbacenſis, quod Regulus ſeu Reolus Remorum antiſtes in diœceſi Sueſſionica paullo poſt exſtruxit, & tamen eccleſiæ Remenſi ſubjecit. Id gravate cum ferrent Leodicenſes epiſcopi; Hugo de Petra-ponte hoc jus a Johanne Mettenſi redemit anno ſupra milleſimum ducenteſimo viceſimo-ſeptimo, ac monaſterium municipiumque Trudonianum in patrocinium ſuum poſtliminio recepit.

XXII. Remaclo ſuccedit Theodardus præceptor Landeberti.

Non multo poſt Remaclus, ſæcularium tumultuum & epiſcopalis oneris impatiens, ad optatam denuo ſolitudinem, annuente clero ac rege, abdicata dignitate, relictiſque omnibus, ſeceſſit, nimirum in monaſterium Stabulenſe, ſubſtituto Theodardo eximio viro, qui Stabulenſi & Malmundarienſi cœnobiis tum præerat. Hunc a Cuniberto Colonienſi pontifice conſecratum fuiſſe epiſcopum auctor eſt Ægidius Aureæ-vallis monachus. Dum is Trajectenſem eccleſiam regeret, Landebertum, futurum poſtea ejuſdem ſedis epiſcopum, patre ad ſe dirigente, divinis dogmatibus & monaſticis diſciplinis erudiendum ſuſcepit. quo magiſtro pius adoleſcens adeo profecit, ut jam tum quaſi futurus dignitatis heres ac ſucceſſor ab ipſo haberetur.

XXIII. Nivardus Berchario parat monaſterium Altivillarenſe.

Ab eodem inſtitutus perhibetur Bercharius Aquitanus, quem parentes haud ignobiles Bererum in ſacro fonte appellari voluerunt. Hic, cum ad Nivardum Remorum antiſtitem acceſſiſſet, ad Remaclum Tungrenſem, qui tum in eccleſia & in aula lumine ſanctitatis & doctrinæ fulgebat, miſſus ab eo eſt, ſacris inſtitutionibus penitus informandus. Dein, delata ad Bercharium fama & opinione Luxovienſis monaſterii, quod tunc maxime religione ſub Waldeberto abbate florebat, tam ſanctæ congregationi ſociari ac nomen dare quantocius curavit. Poſt egregios in vita monaſtica progreſſus, Remos denuo redit ad veterem patronum Nivardum pontificem, qui tum de condendo in ſua parochia monaſterio cogitabat. Locus erat quatuor leucis ab urbe Remorum, in declivi montis latere poſitus, ad Matronæ fluvii proſpectum, haud procul a Sparnaco * opido, Altivillare * dictus, quæ viſa eſt apta monaſterii ſedes. Pertinebat hic locus ad Bavonem & Theoderamnum Nivardi fratres, a quibus commutatione facta eum obtinuit, rogante Berchario abbate, qui a Nivardo, ait [a] Frodoardus, petierat locum ſibi dari, ubi cum fratribus ſuis mona- »
» chis vivere poſſet *ſub regula patrum ſancti Benedicti & ſancti Columbani*. Commutatione facta, mox idem præſul ſuccidi ſilvam juſſit, ibique baſilicam in honorem ſancti Petri & omnium apoſtolorum dedicavit. Præter hanc principem eccleſiam, alia ſub invocatione ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ in auſtrali ejuſdem montis latere exſtructa eſt. Monaſterii adminiſtratio Berchario commiſſa. Sub eo Theoderamnus, Nivardi frater, monachus efficitur. Sed & Regulus ſeu Reolus filium ſuum, nomine Gedeonem, ex nepte Nivardi ſuſceptum, ibi monachum fieri petiit, & rerum ſuarum partem eidem monaſterio largitus eſt. Porro Nivardus, perfectis monaſterii ædificiis, quidquid poſſeſſionum ante epiſcopatum habebat, eidem loco tradidit, ac Reolo ipſi auctor fuit, ut ibidem *religionis habitum*, ut Frodoardus loquitur, aſſumeret. Privilegium quoque, rogatu Bercharii abbatis, eidem conceſſit mo-
» naſterio, ab eodem auctore ſummatim relatum: ut ſcilicet ipſe præſul idem mo-

* Eſpernay.
* Hautvillier.

[a] Frodoard. lib. 2. c. 7.

AN. CHR. 662.

naſterium in ſui juris dominatione, dum adviveret, conſervaret: & ut poſt ſuum « deceſſum Remenſis epiſcopus ipſum cœnobium gubernet, & eoſdem monachos « contra omnes adverſantes defendat: ipſi vero monachi poteſtatem habeant *prælatum*, hoc eſt abbatem, ſibi regulariter eligendi, prout in deſcriptione ipſius privilegii « continetur. Ex his intelligimus, vulgatum Nivardi privilegium non eſſe integrum: « quippe cum primam dumtaxat ſuperioris ſummæ partem contineat in hæc verba. *Ego Nivo ſive Nivardus, etiamſi peccator, epiſcopus, dum omnes epiſcopi fratres mei, etiam & de viris chriſtianis & de bonis hominibus, monaſteria ſecundum regulam ſanctorum patrum ædificare non ceſſarent; petiit nos Bercarius abbas cum fratribus ſuis, ut talem locellum perquirere eis deberemus in noſtra proprietate, ubi ipſi ſecundum regulam patrum ſancti Benedicti & ſancti Columbani vivere deberent, & pro nobis die, noctuque miſericordiam Domini debeant deprecari, ut in futurum veniam de peccatis merear obtinere. Sed cum minime hic talem locellum in noſtra proprietate inveniremus, qui ipſis monachis ad monaſterium faciendum placuiſſet, repertus eſt nobis una cum ipſis locellus, qui dicitur Altivillaris, in fine Remenſi ſuper fluvium Matcrna, prope villam Diſiacum, quem a Bavone & Theoderamno de villis eccleſiæ noſtræ concambivimus, unde & ipſa inſtrumenta in archivis eccleſiæ retinentur; villam quoque Diſiacum* cum eccleſia & altari beati Timothei martyris, in cujus parochia ſitus eſt Altivillaris locus, eidem monaſterio legaliter confirmavimus. Sed ſic penſitavit ipſe Bercarius una cum fratribus ſuis pro noviſſimis temporibus, ut, dum advivimus, ipſum monaſterium, quod dicitur Altivillare, quod ego pro æterna beatitudine, vel pro remedio animæ noſtræ, ad ſanctam regulam conſervandam ædificavi in honore ſanctorum Petri & Pauli, ſeu etiam ſancti Johannis, & ceterorum martyrum & confeſſorum, quorum pignora ibidem venerari noſcuntur, in noſtra poteſtate debeat eſſe: ut ipſos monachos melius delectet ſecundum diſciplinæ ordinem, & regulæ vivere, vel quiete reſidere: & taliter nobis conſenſerunt de fratribus meis corepiſcopis, etiam & de comitibus noſtris, archidiaconis, ſeu & abbates, vel etiam clerus noſter Remenſis, etiam & de viris illuſtribus, quorum manibus ſubſcriptiones vel ſignacula ſubter tenentur inſerta.* Hæc recitat Altmannus ejuſdem loci monachus in libro de vita ſancti Nivardi. Cetera deſunt in editis ſcriptiſque libris hujus privilegii, quod ipſum ſine dubio præ oculis habuit Frodoardus, qui totidem verbis ejus locum refert, jam ſuperius relatum, ubi Bercharius dicitur a Nivardo petiiſſe locum ſibi dari, *ubi cum fratribus ſuis monachis vivere poſſet ſub regula patrum ſancti Benedicti, & ſancti Columbani.* quæ omnino verba in ſuperiori privilegii fragmento leguntur.

* Diſy.

XXIV. S. Baſoli monaſterio quædam confert.

Idem Nivardus etiam munificus fuit in monaſterium ſancti Baſoli, cui tunc Perro abbas præerat. Ei quippe dedit [a] eccleſiam Viriziaci *, ubi primitus monaſterium ſitum erat, in honorem ſanctæ Mariæ conſtructam, cum omnibus ad illam pertinentibus; ſimulque locellum qui Vaſſiacus* dicitur. Immunitatem quoque ipſis monachis, ſub Perrone abbate ibidem Deo ſervientibus, idem præſul conceſſit, ut nullus eccleſiaſticorum judicum eos indebite in quoquam perturbare auderet, ſed eis liceret *quieto ordine ſub ſancta regula* vivere, ac Deo ſervire.

a Frodoard. lib. 2 c. 7.
* Verzy.
* Vaſſy.

XXV. Avennacenſe monaſterium conditur a Guntberto & Berta.

Erant Nivardo quatuor germani fratres, nempe Bavo, Theoderamnus, ſuperius laudati; Gundebertus & Childericus, cujus filiam in matrimonium duxerat Regulus ſeu Reolus comes, poſtmodum Remorum antiſtes. Gundebertus ſeu Guntbertus, optimas & vir illuſtris, qui cum Reolus poſt Nivardi obitum de rebus eccleſiæ ſuæ monaſteriiſque Altivillarenſi & ſancti Baſoli datis contentionem habuit, cum Berta, æque nobili ac pia femina, conjugium inierat. Verum ex mutuo conſenſu cælibem vitam conjugio præferentes, monaſteriis erigendis ambo animum ac facultates ſuas adhibuerunt. Et Guntbertus quidem puellare ſancti Petri monaſterium Remis exſtruxit ad portam Collaticiam ſeu Baſilicarem, *regale vel fiſcale* appellatum, propterea quod ſub regali poteſtate [b] eſſet. Berta vero aliud puellare cœnobium apud Avennacum, Domino ſibi locum per angelum demonſtrante, itidem condidit, teſtante Frodoardo. Neque adverſatur Hincmari epiſtola ad Teutbergam Avennacenſem abbatiſſam, ejus monaſterii conſtructionem Nivardi fratri, ſcilicet Guntberto, tribuentis: quippe qui communibus cum conjuge ſtudiis & impenſis id exſecutus eſt. Hincmari ſummam [c] epiſtolæ, huic loco illuſtrando opportunam, Frodoardus refert, aiens, Hincmarum ſcripſiſſe Teutbergæ abbatiſſæ pro ordinatione « Avennaci monaſterii, quam ipſe quondam cum Irmintrude regina diſpoſuerat, de «

b Idem lib. 4. c. 46.
c Idem lib. 3. c. 27.

AN. CIIR 662.

» numero clericorum & nonnarum, atque de rebus villarum ipſius monaſterii, vide-
» licet mille centum quinquaginta manſos: ſignificans ſe diſpoſuiſſe, viginti clericos
» & quadraginta nonnas ibidem conſiſtere poſſe, victumque eis providiſſe, & res
» neceſſarias, ac miniſteriales inſtituiſſe, præter luminaria, & cetera monaſterii ne-
» ceſſaria: oſtendens, quod Nivardus Remorum archiepiſcopus de rebus Remenſis
» eccleſiæ monaſterium Altivillarenſe conſtruxerit, & frater ejus de ſuis proprieta-
» tibus, & quæ alii boni homines ad eumdem locum dederunt, Avennacum exſtruxe-
» rit monaſterium, quodque ad eccleſiam Remenſem tradiderit. Porro domnus Gunt-
» bertus, ut alibi [a] habet Frodoardus, hujus inſtructor cœnobii, relicta conjuge, ma-
» ritima petens loca, illic etiam monaſterium quoddam condidiſſe fertur: ubi & a
» barbaris decollatus fuiſſe traditur: nimirum [b] apud Friſios, quorum converſioni da-
» bat operam. Albericus fabulas narrat, dum eum cruce-ſignatum trans mare abiiſſe dicit. At vero Berta, constructo cœnobio, cum inibi aquam non haberet, a proximæ ſilvæ poſſeſſoribus fontem, duobus a monaſterio paſſuum millibus diſtantem, argenti libra data, impetravit, qui mox ad cœnobium derivatus eſt, Libra hactenus appellatus. Verum ipſius Bertæ privigni, cum forte opes ejus monaſterio impenſas ægre ferrent, ei necem intulerunt. qui ſtatim traditi ſatanæ, in belluinam feritatem mutati deceſſiſſe memorantur. Attamen nepti Guntberti, Monnæ nomine, (forte hæc Reoli conjux) quæ hujus facinoris conſcia fuerat, noctu vigilanti domna Berta fertur apparuiſſe, eique præcepiſſe, ut corpus domni Guntberti Avennacum referre ſatageret, ac juxta ſepulcrum ſuum collocaret. hoc enim facto Deum ipſi tantam noxam condonaturum. cujus rei hoc indicium fore, quod, mox ut juſſa compleſſet, ex ejus ore vel naribus ſanguis erumperet. quod Frodoardus ait accidiſſe, dum corpus domni Guntberti juxta corpus beatæ Bertæ reconderetur. Bertæ porro corpus poſt centum circiter annos inventum eſt integrum; & plagæ ejus tam recenti affluere ſanguine, quaſi eadem hora viventi inflictæ fuiſſent. Ambos conjoges, uti martyres, colunt Avennacenſes noſtri ordinis ſanctimoniales, Guntbertum quidem III. kalendas Maii, Bertam vero ipſis ejuſdem menſis kalendis. Rexit hoc cœnobium ſæculo nono Berta, Ludovici Pii filia ex Irmingarde au-
» guſta, cui Hincmarus [c] ſe ipſe purgavit, quod damna quædam rebus Avennaci mo-
» naſterii Bertæ, ipſius imperatoris filiæ, ſua juſſione inferri quorumdam malignorum
» relatu infamaretur. Idem Bertæ abbatiſſæ Avennaci monaſterii ſcripſit pro incom-
» modis, quæ fratres ac ſervi monaſterii Altivillaris, aliarumque villarum Remenſis
» eccleſiæ, ab hominibus ejus patiebantur ex eo tempore, quo illa in hoc regnum
» venerat. Bertæ in regimen Avennaci parthenonis ſucceſſit Teutberga, cujus modo meminimus.

XXVI. S. Petri monaſterium Remis.

Quod attinet ad puellare ſancti Petri cœnobium, quod Guntbertus Remis ad portam Baſilicarem exſtruxerat, illud Inferius vocabatur, ad diſcrimen alterius omnino vicini ſub titulo itidem ſancti Petri, Superioris dicti, cujus auctorem Baldericum cum ſorore ſua Doda fuiſſe alias [d] diximus. Portam Baſilicarem, non a baſilicis, ut vult Frodoardus, ſed vel a Julio vel a Juliano Cæſare, ad cujus triumphalem in eam urbem ingreſſum erecta eſt, appellatam fuiſſe inde colligitur, quod via, ad quam porta illa ducit, Cæſarea nuncupetur. Hoc monaſterium Ludovicus [e] imperator, cognomento Pius, Alpaidi filiæ ſuæ, Begonis Pariſiorum comitis uxori, dono dedit, eidemque ſacro loco immunitatem, quam pater ipſius Carolus Magnus conceſſerat, diplomate ſuo confirmavit. Dein idem cœnobium per precariam ejuſdem Alpaidis, vel filiorum ejus Letardi & Ebrardi, in jus & poteſtatem Remenſis eccleſiæ ceſſit. Frodoardus aſſerit, in eccleſia illa ſancti Petri viſum ab ſe cereum, igne cæleſti ter accenſum, quem cereum collata cera fecerant quidam cives Remenſes, qui ad viſitanda Apoſtolorum limina profecti fuerant. Eidem monaſterio Gerberga regina quaſdam reliquias ſancti Gregorii, ſancti Guntberti, & partem capitis beati Patricii conceſſiſſe memoratur, præter dentem ſancti Andreæ ibidem aſſervatum, cujus meminit Frodoardus. Nullum modo Remis ſupereſt Inferioris illius ſancti Petri monaſterii veſtigium præter ſancti Patricii ſacellum, in quo vetus epitaphium Hildegardis ſanctimonialis, cum fratre Alſatio poëta ante annos octingentos ibidem ſepultæ, hactenus juxta altare lectuli ad feneſtram legitur in hunc modum, ſanctimonialibus hinc inde exſculptis.

[a] Id. lib. 4. c. 47.

[b] Bolland. to. 3. April. p. 623.

[c] Frod. l. 3. c. 27.

[d] lib. 6. n. 10. & ſeq.

[e] Frod. lib. 4. c. 46.

ANN. CHR. 662.

Hoc Alſatii teguntur membra vatis ceſpite,
Ejuſque ſororis, ſacro quæ compta velamine.
Hildegardis eſt vocata, virgo manens corpore.
Pro quibus dic lector, queſo, ſupplex flexo poplite:
Æternam, pie Redemptor, dona eis requiem.
Ille quarto kalendarum obiit Aprilium:
Illa quarto die menſis ante finem Julii.

Hildegardis Deo ſacrata in necrologio cathedralis eccleſiæ Remenſis prædicto die memoratur.

XXVII. Pauliacenſi monaſt. o præficitur Auſtreberta.

Sub idem fere tempus Filibertus abbas Gemeticenſis Pauliacenſe monaſterium inſtituit in Caletis, decem millibus paſſuum a Gemetico, ac ferme totidem ab urbe Rotomago, eique Auſtrebertam virginem præfecit. Auſtreberta ſeu Auſtroberta orta eſt parentibus genere ac pietate inclytis in pago Teruanenſi. Pater ejus, Badefridus nomine, comes palatinus, regum proſapia oriundus fuiſſe dicitur, & conjugem ex Alamannorum regia proſapia accepiſſe, Framehildem * nuncupatam, quam Benedictinæ Monſteriolenſes Auſtrebertinæ annuo cultu VI. kalendas Julii venerantur. Pie educata a religioſis parentibus filia, cum vix annos decem attigiſſet, nonniſi eccleſias aut monaſteria anhelabat, in rudi ætate jam meditans, quod poſtmodum opere complevit. Forte faciem ſuam in aquis aliquando more infantium contemplata, caput ſuum velamine redimitum conſpexit. quod ſignum deinceps ejus animo adeo infixum eſt, ut ex illo die hoc uno æſtuare deſiderio videretur. Hujus rei gratia, cum ad magni tunc apud Deum meriti epiſcopum Teruanenſem Audomarum proficiſceretur, Quantiæ fluminis aquas ſuper pontem exundantes ſicco pede cum ſociabus tranſiiſſe fertur. Mitigatis a ſancto antiſtite parentibus, quibus inconſultis id fecerat; ab iiſdem facultatem obtinuit ſecedendi in cœnobium, Portum vocabulo, ſuper flumen Suminam * ſeu Somenam conſtructum, cui tunc præerat ſpiritalis mater, nomine Burgofledis. Auſtreberta ovibus ſanctis adjuncta, ſancta ovis & ipſa brevi facta eſt. Nulla illa humilior, nulla obedientior. Cum annos quatuordecim inter virgines Portenſes exegiſſet, a Filiberto abbate accerſita eſt ad regendum monaſterium, quod Amalbertus, vir præpotens, in fundo ſuo Pauliaco extruxerat, & ſancti viri providentiæ commendaverat cum cœtu ſacrarum virginum, quas inter filiam ſuam parvulam, Auream nomine, Chriſto devoverat. Parvam initio congregationem pia mater Auſtreberta auxit ad viginti-quinque ancillas Dei: quæ ita ei amore adhæſerunt, ut ne una quidem ex illis ab ea ſuperari ſuſtinuerit. Præcipua monaſterii baſilica ſub patrocinio Dei genitricis Mariæ ſacrata erat, adjunctis duabus aliis baſilicis, ſancti Petri, & ſancti Martini, aliorumque ſanctorum. Nihil religioſa abbatiſſa de privatis virtutibus, nihil de jejuniis, immo nihil de obedientia & humilitate detraxit. Cum aliquando noctu de more dormitorium finitis matutinis luſtraret, ac ſingularum lectulos inſpiceret; evigilans præpoſita, abbatiſſam eſſe neſciens, eam increpavit, quod ſorores inquietaret, juſſitque ire ad crucem, quæ pœna erat in monaſteriis contra eos, qui ſomnum dormientium interturbaſſent. Illa vero hac occaſione gaviſa, confeſtim ad crucem cucurrit, quæ in medio clauſtri pratello collocari ſolebat; ibique pſallens perſtitit immobilis; donec hora competenti, ſigno tacto, omnes conſurgerent. Agnito errore, præpoſita ad pedes abbatiſſæ provoluta, veniam facile obtinuit. In quadrageſima, præter dies dominicos, nonniſi ter ſingulis hebdomadis Auſtreberta reficiebatur. Dormitorii ruinis divinitus ſemel ſubducta eſt cum ſuis, præter unam, quæ contra matris interdictum eccleſiam egreſſa, lapſu maceriæ oppreſſa corruit: quam pia mater oleo benedicto perunctam priſtinæ reſtituit ſanitati.

* S. Framenſe.

* la Somme.

ANN. CHR. 663.

XXVIII. Bertefredi privilegium pro monaſterio Corbeienſi.

ANno proximo Bertefridus Ambianorum antiſtes immunitatis privilegium Corbeienſi parochiæ ſuæ monaſterio conceſſit, inſcriptum *Dominis ſanctis, & ſummi culminis apice, pontificalis cathedra ſpecula præſidentibus in Chriſto fratribus, Nivoni, Geneſio, Ethoaldo, Emmoni, Audoni, Audomaro, Audoino, Audeberto, Burgundofaroni, item Audeberto, & Drauſcioni*, quorum omnium notæ ſunt ſedes. Remis præerat Nivo ſeu Nivardus, Lugduno Geneſius, Viennæ Ethoaldus ſeu Edoaldus, Senonibus Emmo, Rotomago Audoënus ſeu Dado, metropolitani; Aurelianis Audo,

ANN. CHR. 663. Teruanæ Audomarus, Cameraco Audebertus ſeu Autbertus, Meldis Burgundofaro, Silvanectis Audebertus, Sueſſionibus Drauſcio. Hoc vero privilegium indulſit Ber.cfridus ad petitionem domni Chlotharii regis, necnon & præcelſæ domnæ
» Balthildis reginæ, ejus monaſterii conditorum, & pro amore ac reverentia ſancto-
» rum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti Stephani protomartyris, patronorum ejuſ-
» dem loci; ut monachi, ibidem degentes ſub regula ſanctorum patrum, quieti con-
» verſari poſſint, quemadmodum Bonifacius epiſcopus in ſynodo Carthaginenſi, &
» ſanctus Auguſtinus præclarus doctor in libro de gradibus eccleſiaſticis ſanxerant:
» quale privilegium monaſteriis Agaunenſi, Lirinenſi, Luxovienſi, & baſilicæ domni
» Marcelli conceſſum eſt. nempe ut quidquid regio munere, vel a quibuſlibet chri-
» ſtianis in agris, mancipiis, in auro vel argento, aliiſve ſpeciebus, ibi oblatum, offe-
» rendumve eſſet in poſterum, ipſi abbates vel monachi, ibidem Deo deſervientes,
» abſque ulla contrarietate vel repetitione epiſcopi Ambianenſis, ejuſve clericorum,
» libere poſſiderent. Altaria tamen & tabulas ad uſum ſacrificii, obi defuerint in mo-
» naſterio, epiſcopus Ambianenſis benedicat, & chriſma ſanctum abſque ullo pretio
» ſingulis annis concedat. Ad hæc, mortuo abbate, ejus ſucceſſorem, a monachis
» unanimiter electum, accepto a principe mandato, ordinet, uti & reliquos gradus
» clericorum, minores ac majores, quos abbas dicti monaſterii, ſive intra, ſive extra
» monaſterium, elegerit: ſic tamen ut nec epiſcopus, nec archidiaconus, ullave alia
» perſona, quidquam auferat aut minuat, commuterve ex eodem monaſterio, ejuſve
» parochiis: ut de perfecta quiete valeant ipſi monachi Domino propitio exſultare, &
» pro ſtatu eccleſiæ & ſalute regum, regnique ſtabilitate & tranquillitate patriæ
» Deum exorare. Porro ſi aliquis ex ipſis monachis contumax fuerit, a prædicti mo-
» naſterii abbate ſecundum canonicam inſtitutionem emendetur. Denique ut ipſi mo-
» nachi ſub regula ſancti Benedicti vel ſancti Columbani converſari ac vivere debeant.
» Datum hoc privilegium ſub die octavo idus Septembris, anno ſeptimo regnante
» Chlothario rege, Captunnaco in palatio publice. quod privilegium Sigo diaconus
ſcripſit, ſubſcripſitque poſt epiſcopos initio præmiſſos, alioſque, nempe Gauciobertum Carnutenſem, Boſonem Gratianopolitanum, Ragnobertum Bajocenſem, Mummolenum Noviomenſem, Didonem Pictavienſem, Leodeboldum Lexovienſem, Chrodobertum Pariſienſem, & Paternum Egloenſem. Hujuſce privilegii mentio-
a Miræus cod. donat. c. 56. nem [a] facit Drogo Teruanenſis epiſcopus ſæculo undecimo in ſimili privilegio conceſſo eccleſiæ Meſſinenſi.

XXIX. Beſuenſi monaſterio regiæ litteræ conceſſæ. Per id tempus, Francis inter ſe ſe dimicantibus, & agros Burgundiæ depopulantibus, Beſuenſe monaſterium, quod Amalgarius, vir illuſtris, olim condiderat, omnino direptum, cunctiſque rebus ſpoliatum fuiſſe ſcribit Johannes ejus loci monachus in chronico, inſuper tabulas donationum ſublatas ac deperditas. Quam ob rem Waldalenus, qui Beſuenſi monaſterio tum præerat, a Sichelmo duce accepit
b Spicil. to. 1. p. 497 & ſeqq. epiſtolam [b] ad Rudebertum, Chrodebertum, & Emerulfum majores palatii, id eſt aulæ regiæ proceres, datam kalendis Septembris, anno ſeptimo domni Chlotharii regis, multorum ſubſcriptionibus confirmatam: qua orabat, ut regem calamitatis, direptioniſque Beſuenſium certiorem facerent, peterentque ab eo, ut omnia
» prædia, quæ boni homines eidem loco legaverant, nullus invadere, aut violare
» auſit, ſed liceat ipſis monachis ea quiete ac ſine ulla controverſia poſſidere. Hanc
» ſuggeſtionem, cujuſmodi alio nomine charta relationis & apennis apud Marcul-
c Marculf. lib. 1. c. 33. & 34. » fum [c] vocatur, regi obtulerunt prædicti majores palatii, & cum eis Waldalenus
» abbas, qui præceptum a Chlothario impetravit, ut quidquid ab Amalgario duce,
» ejuſque conjuge Aquilina, vel ab aliis Deum timentibus hominibus, monaſterio col-
» latum fuiſſe conſtaret, id totum ad integrum Beſuenſes haberent, tenerent, ac poſ-
» ſiderent. Datum menſe Auguſto, anno Chlotharii regis octavo, apud Nemauſum,
quo in diplomate enumeratio fit omnium prædiorum, quæ tunc poſſidebant Beſuenſes. Ad hæc quinto-decimo kalendas Septembris, Chlotharius anno decimo regni ſui, Gengulfum, virum illuſtrem, defenſorem & advocatum monaſterii, quamdiu abbas, monachique voluiſſent, conſtituit, ut res eorum ac cauſas omnes tueretur ac procuraret.

XXX. Vvandregiſilo dona collata. Eodem tempore, cum Fontanellenſi monaſterio neceſſaria deeſſe Baltfridus cellerarius cauſaretur, Wandregiſilus ſpem omnem in Deum reponendam eſſe reſpondit. Nec vana fuit viri Dei fiducia. nam Balthildis, regina piiſſima, divinitus ad-

ANN. CHR. 663.

monita, ut Chriſti famulis, in vaſta ſolitudine conſiſtentibus, neceſſaria miniſtraret; onerata cibariis, aliiſque rebus vehicula illuc direxit, quibus abunde monachorum inopiæ ſubventum eſt. Eadem fiducia Wandregiſilus, non jam equo, ſed curru ob ingraveſcentem ætatem vectus, Chlotharium regem, annum regni ſeptimum agentem, adiiſſe perhibetur, rogaturus, ut locum, in quo monaſterium condiderat, atque univerſa eidem collata ſcripto confirmaret. Tunc in villa pagi Caſtrenſis *, nomine Palatiolo *, haud procul ab agro Pariſienſi, commorabatur princeps: qui non ſolum donationes monaſterio factas confirmavit, ſed etiam propriis donis amplificavit. Cum Wandregiſilus in pago Caſtrenſi verſaretur, Hartbainus, viri illuſtris Eremberti filius, converſionis ac religioſi propoſiti gratia ad ipſum acceſſit, eique præter cetera quoddam prædium, nomine Butionem, donavit: ubi ædificata eccleſia, habitacula ſervorum Dei conſtructa, & collocati monachi Deo famulaturi. Idem vero Hartbainus in magnæ religionis obſervantia vitam exegiſſe memoratur. Hartbaini parens Erembertus, dum graviſſima febre vexaretur, ad preces Wandregiſili priſtinæ redditus ſoſpitati, prædium ſuum Virtlaïcum *, ſitum in pago *Tellau*, ſuper amnem Euram ſeu Eoram, grati animi cauſa eidem largitus eſt. Talogienſem * pagum vocat inter alios Ordericus Vitalis, ſitum inter pagos Rotomagenſem & Vinemacenſem: amnem vero idem auctor Earam * vocat, qui Fulcardimontem, ordinis Ciſtercienſis monaſterium, aliaque loca alluit, ac demum apud Criolium * in oceanum devolvitur. Denique Wandregiſilus locum quemdam ſuper amnem Vintlanam ex dono illuſtris Warattonis accepit, ibique oratorium in honorem beati Petri apoſtolorum principis exſtruxit, Monaſterioli indito nomine, ubi monachorum Deo militantium cœtum adunavit.

* de Châtres
* Palaiseau.
* Virlay.
* le Tallou.
* Iere.
* Criel.

XXXI. Elariacus S. Benigni cœnobio vindicatur.

Sub finem hujus anni Chlotharius, cum in villa regia Maſolaco, una cum epiſcopis, optimatibus, ceteriſque palatinis miniſtris, ac Audobaldo palatii comite, ad univerſorum cauſas audiendas, juſtoque judicio dirimendas conſideret; actores Divionenſis baſilicæ domni Benigni martyris, a Wlfechramno abbate ſuo miſſi, ad regem acceſſere, conquesti, quod vici Elariaci *, a domno Guntchramno rege eccleſiæ ſuæ quondam conceſſi, reditus magna ex parte a quibuſdam loci habitatoribus occuparentur, vaſtarentur ſilvæ, arva & prata invaderentur. Elariacenſes contra reponebant, poſt donationem Elariaci a Guntchramno factam baſilicæ ſancti Benigni, ſe ex munificentia ejuſdem principis obtinuiſſe quidquid ex majorum ſuorum hereditate in illa villa ſibi provenerat, regiaſque hac de re litteras proferebant. Verum, litteris illis tamquam invalidis rejectis, rex cum ſuis proceribus, vel potius Audobaldus comes palatii, qui tum vice regis jus dicebat, decretum pronuntiavit, ut vicum & agrum Elariacenſem, qualem quantumque Guntchramnus baſilicæ ſancti Benigni donaverat, cum omnibus ad eum locum pertinentibus perpetuo abbas & monachi ſecuri tenerent ac poſſiderent: prout hæc controverſia jam definita fuerat tempore Richimari quondam abbatis, & apoſtolici viri domni Berthoaldi epiſcopi, qui Elariacenſibus favebat. Abellenus diploma recognovit. datum nono kalendas Novembris, anno octavo regnante domno Chlothario rege.

* Larr.

ANN. CHR. 664.

XXXII. Vvilfridi conflictus cum Colmanno.

ANno inſequenti venerabilis Beda refert Wilfridi conflictum cum Colmanno epiſcopo de ritibus Scottorum: qui ab eo victi, ſed non convicti, Riponenſi monaſterio ſibi conceſſo cedere maluerunt, quam patrios ritus deſerere. quod antequam exponamus, res paullo altius, etſi id jam non ſemel obſervatum, repetenda eſt. Brittones & Scotti veteres ac primi Britanniæ inſulæ ac Hiberniæ incolæ, in orbis angulo poſiti, peculiares ritus pleroſque, non modo in civilibus, ſed etiam in ſacris rebus, maxime in celebratione paſchæ, & in tonſura, diu retinuere. Cum enim Latinæ eccleſiæ pleræque, vel omnes Romanum ritum in celebrando paſchate obſervarent, ita ut diem dominicam, quæ a quinta-decima luna primi menſis ad viceſimam-primam incidebat, reſurrectioni Domini conſecrarent: Brittones & Scotti contra a luna quarta-decima ad viceſimam diem feſtum habebant, ſicque aliquando cum Judæis hac in re conſentiebant, quando ſcilicet quarta-decima luna cum dominica die coincidebat. In tonſuræ etiam forma non levis diſſimilitudo erat. Romani ſacerdotes, detonſo ſuperius toto capite, inferius brevem tantum capillorum circulum in coronæ modum geſtabant, & quidem exemplo, uti putabant, beati Petri: cum Græci nullo relicto circulo, penitus detonſi, raſi-

ANN. CHR. 664.

que ſimiles eſſent, ad imitationem quidem (ita erat eorum opinio) ſancti Jacobi fratris Domini, & Pauli apoſtoli, ceterorumque apoſtolorum. at vero Brittones: & Scotti anteriorem capitis partem capillis omnino nudabant ab aure ad aurem, poſteriori intonſa. quod exemplo beati Johannis apoſtoli ſe facere gloriabantur. Hujuſmodi tonſuræ formam in libro XVI. ubi de ſancto Amando, in ſancti Mummolini epiſcopi effigie videre licet. Erant & alii Brittonum & Scottorum ritus peculiares, de quibus non tam gravis controverſia erat. Ubi primum Auguſtinus Anglos, novos inſulæ Britanniæ incolas, ad fidem adduxit, viciniores etiam Brittones, jam quidem chriſtianis imbutos myſteriis, ſed a Romanis ritibus diſcrepantes, ad concordiam revocare tentavit. Habitus hac de re conventus, in quo parum Auguſtini ſtudium profecit, immo eo uſque Brittonum proceſſit pervicacia, ut, mortuo Auguſtino, cruentum in bellum, in quo mille ducentorum monachorum cæde litatum eſt, Ethelfrido Anglorum rege ac belli duce, res devenerit. Auguſtini ſtudium æmulatus Laurentius ejus ſucceſſor, una cum Mellito & Juſto coëpiſcopis litteras ad utramque gentem, Brittones videlicet ac Scottos, ſcripſit: ſed irrito etiam effectu. Similes etiam litteras Scottis direxit Honorius papa primus; idemque poſt ejus obitum præſtitit clerus Romanus. Auſtrales Hiberniæ partes hortanti pontifici acquieverunt, non vero ſeptemtrionales, nec tota natio Pictorum recentiorem Scotiam incolentium, qui eodem errore tenebantur. Ex his partibus, nempe ex Hiienſi monaſterio, Oſwaldus rex Northumbrorum præceptorem accivit Aidanum epiſcopum, qui multas eccleſias apud Anglos, monaſteria non pauca conſtruxit, ibique multos Anglorum pueros, majoreſque Northumbrorum Scoticis imbuit diſciplinis. Ex illis Aidani monaſteriis unum fuit Lindisfarnenſe, in quo Wilfridus educatus fuit: qui tandem animadvertens minime perfectam eſſe Scottorum virtutis viam, Romam ire ſtatuit, ut a ſede apoſtolica ritus catholicos, tam eccleſiaſticos, quam monaſteriales, ediſceret. Reverſus in patriam, Riponenſi monaſterio ab Alchfrido rege, præficitur, ubi Scotici inſtituti verſabantur monachi, qui, data ſibi optione, potius loco cedere, quam ſuam mutare conſuetudinem elegerunt. quæ occaſio fuit loco illi præficiendi Wilfridum, qui catholicos ritus ibidem inſtitueret. Id factum poſt celebrem concertationem, de qua in præſens agimus.

XXXIII. a Beda lib. 3. c. 25 & ſeq.

Eam aperuit [a] Ronanus quidam Scottus, qui in Gallia & Italia regulas eccleſiaſticas edoctus, populares ſuos arguebat, quod ſanctum paſcha contra univerſæ eccleſiæ morem celebrarent. Is, diſputatione habita cum Finano epiſcopo, Aidani ſucceſſore, multos quidem ad amplectendam, aut certe inquirendam veritatem adduxit: nequaquam tamen Finanum ipſum, ferocioris animi hominem, emendare potuit. Defuncto Finano, recruduit controverſia cum Colmanno ejus ſucceſſore, pervenitque ad aures Oſwii regis & Alchfridi ejus filii: ex quibus Oſwius, a Scottis edoctus ac baptizatus, eorum ritus ac doctrinam probabat: Alchfridus contra, Romanos ritus præferebat, utpote eruditus a Wilfrido, qui Romæ eccleſiaſticam didicerat doctrinam, & Lugduni ab Aunemundo epiſcopo Romana tonſura inſignitus fuerat. Cum ſic in diverſa ſtudia ſcinderentur Northumbrenſes, ſynodus hoc anno indicta eſt in Streaneshalenſi monaſterio, cui præerat Hilda abbatiſſa, Scottorum addicta partibus. Huic ſynodo interfuerunt ambo reges, pater, filiuſque. *Aderat Colmannus epiſcopus cum ſuis clericis, & Hilda abbatiſſa cum ſuis ſequacibus ex una parte: ex alia Wilfridus & cum eo Ægilbertus ſeu Agilbertus Gallus, occidentalium Saxonum epiſcopus, qui poſtea Pariſiorum eccleſiam rexit, cum Agathone preſbytero, Jacobo diacono Paulini quondam Eboracenſis epiſcopi, & Ronano Scotto, cujus modo meminimus. Medius inter utraſque partes erat Cedda venerabilis epiſcopus, jam dudum ordinatus a Scottis, qui interpretis officio, ob diverſæ linguæ homines, fungebatur. Initio præfatus eſt Oſwius rex, oportere eos, qui uni Deo ſervirent, unam vivendi regulam tenere, nec a ſe ſe invicem diſcrepare in celebratione ſacrorum myſteriorum, qui unum cæleſte regnum ſperarent omnes; adeoque inquirendum in primis eſſe, utra verior eſſet traditio; & hanc ab univerſis tenendam. tum Colmannum epiſcopum primo loco dicere juſſit, ac gentis ſuæ traditionem exponere. Mox Colmannus a majoribus ſuis ait acceptum, patres retro ſuos omnes, viros utique Deo dilectos, eodem modo celebraſſe, quo ipſi celebrarent; & ne cui hoc contemnendum videatur, ipſum eſſe ritum, quem beatus Johannes Evangeliſta, diſcipulus tantopere Chriſto Domino dilectus,

ANN. CHR. 664.

tus, obſervandum, cunctiſque quibus præerat eccleſiis obſervandum propoſuit.
Tum juſſus reſpondere Agilbertus, id muneris rejecit in Wilfridum ob linguæ Anglicanæ imperitiam, ne interprete adhibito cauſa langueret, vel tempus incaſſum tereretur. Hinc Wilfridus exorſus: Paſcha, quale nos, inquit, celebramus, vidimus Romæ, ubi beati apoſtoli Petrus & Paulus vixere & docuere, ab omnibus obſervari. Hoc in Italia, hoc in Gallia, quas regiones diſcendi vel peregrinandi ſtudio peragravimus, ab omnibus fieri ſpectavimus. Idem in Africa, Aſia, Ægypto, Græcia & univerſo demum orbe, quacumque Chriſti eccleſia diffuſa eſt, per diverſas nationes ac linguas, non diverſo, ſed uno prorſus ritu ac ordine obſervari pro comperto habemus, præter hos tantum, eorumque contumaciæ ſequaces ac conſcios, Pictos inquam & Brittones, qui contra totum orbem, tametſi ſtulto ac inani labore, ſimul pugnant.

Hic vocem continere non valens Colmannus, ſibi permirum videri dixit, ſtultum appellari laborem, in quo talis tantique apoſtoli, qui ſupra pectus Domini recumbere dignus fuit, exemplum præferretur. At Wilfridus: Abſit, inquit, ut beatum Johannem ſtultitiæ incuſemus, quod ex pia diſpenſatione ſcita Judaicæ legis ad tempus in celebrando paſchate ſervaverit: at Petri exemplum præferimus, qui catholicum paſcha Romæ prima ſabbati, qua Chriſtus Dominus reſurrexit, inſtituit, excluſa quarta-decima luna, in qua Johannes illud, quacumque id accideret die, cum Judæis celebrabat. Qua in re ab ipſo Johanne ipſi receditis, qui, ſi quando quarta-decima luna in dominicam non incidit, paſcha differtis in dominicam ſequentem. Porro ritum a Petro inſtitutum beati Johannis ſucceſſores in tota Aſia poſt ejus obitum ſuſceperunt, atque univerſa per orbem eccleſia; & hoc eſſe verum ac legitimum paſcha, hoc ſolum fidelibus obſervandum, in Nicæno concilio, non primum ſtatutum, ſed confirmatum eſt.

His Colmannus objecit ſententiam Anatolii, viri ſanctiſſimi ac doctiſſimi, qui in paſchatis celebratione quartam decimam lunam computaverit; & reverendiſſimi patris Columbæ Hiienſis abbatis ſanctiſſimi, & ſucceſſorum ejus, virorum itidem ſanctitate præſtantium, qui eodem modo paſcha celebrarunt. Ad hæc Wilfridus repoſuit, Anatolium ſic computaſſe quartam decimam lunam in paſchæ celebratione, ut eam non a præcedente veſpera, ſed a ſubſequente, quæ quintæ-decimæ lunæ, Ægyptiorum more, prima veſpera erat, numerandam eſſe vellet. Porro Columbam, ejuſque ſequaces Deo quidem acceptos ac dilectos fuiſſe, utpote qui pia ac ſimplici intentione Deum coluerint; nec eis obfuiſſe talem paſchæ obſervationem, dum nullus perfectioris inſtituti doctrinam proponeret. at vero inexcuſabiles eſſe Colmannum, ejuſque ſocios, qui decreta hac de re ſedis apoſtolicæ, immo univerſæ eccleſiæ reſpuerent. Ceterum, quatumvis Columba ille ſanctus cenſeatur, non ideo eum præferri poſſe beatiſſimo apoſtolorum principi, cui dictum ſit a Domino, ſuper hanc petram ædificatum iri eccleſiam, adverſus quam portæ inferi prævalere non valeant, eique datas claves regni cælorum.

Hæc cum Wilfridus peroraſſet, ait rex: Verene, Colmanne, hæc Petro dicta ſunt a Domino? cui re vera ita eſſe reſpondenti, nec quid ſimile Columbæ ſuo promiſſum; rex adjecit: Ego vero vobis aſſero, hunc eſſe oſtiarium illum, cui contradicere nolim, ſed potius in cunctis aſſentiri & obſequi: ne forte, cum ad januam regni cælorum adſtitero, non ſit qui eam, ipſo adverſante, mihi reſeret. His dictis applauſerunt omnes, & abdicatis Scottorum inſtitutis, ad ea, quæ meliora eſſe cognoverant, converſi ſunt. Finita in hunc modum concertatione, ac concione ſoluta, Agilbertus domum, id eſt in Galliam, rediit. Colmannus autem videns ſpretam ſuam doctrinam atque ſectam, cum his qui ſibi adhærere perſeverarunt, in Scotiam reverſus eſt: Cedda vero, depoſito errore ad ſuam ſedem, id eſt ad eccleſiam Liccidfeldenſem, rediit. Porro fratribus, qui in Lindisfarnenſi eccleſia, Scottis abeuntibus, remanere maluerunt, præpoſitus eſt abbatis jure reverendiſſimus ac manſuetiſſimus Eata, prout ab Oſwio rege Colmannus diſceſſurus petierat. Hic eſt Eata, qui monaſterium Mailroſenſe antea regebat, unus ex duodecim illis Anglorum pueris, quos Aidanus primo epiſcopatus ſui tempore Chriſti myſteriis informandos acceperat; idemque qui poſtmodum eccleſiæ Lindisfarnenſis epiſcopus factus eſt.

XXXIV. Colmannus ad ſuos revertens eduxit ſecum omnes [a], quos in Lindisfarnenſi inſula

[a] Idem lib. 4. c. 4.

ANN. CHR. 664.

Colmannus ad ſuos reverſus, duo monaſteria ſtruit.

* Innisboſinde.

* Maio.

congregaverat Scottos, ſed & de gente Anglorum viros circiter triginta, qui utrique monaſticis inſtitutis imbuti erant. Dein ſeceſſit in inſulam Vitulæ-Albæ *, „ ubi, condito cœnobio, monachos illos collocavit. Sed cum invicem concordes eſſe non poſſent; relictis inibi Scottis, aliud monaſterium in inſula Mageo * exſtruxit in gratiam Anglorum, quos ibi conſtituit. Proceſſu temporis magnopere crevit Ma- „ genſe aſceterium: &, converſis paullo poſt ad meliora inſtituta omnibus, egregium „ examen continebat monachorum, qui ex provincia illa ibidem collecti, ad exem- „ plum venerabilium patrum, *ſub regula & abbate canonico*, in magna continentia & „ ſinceritate, proprio labore manuum vivebant. quibus verbis Beda innuit, Magenſes ad regulæ in Britannia tum receptæ, hoc eſt Benedictinæ, inſtituta acceſſiſſe: quam regulam Wilfridus apud Northumbrenſes in monaſteriis admitti, atque obſervari curavit.

XXXV.

Hilda abbatiſſa.

a id. lib. 4. c. 23.

Idem poſt Streaneshalenſem conventum præſtitit Hilda abbatiſſa, cujus jam non ſemel meminimus, Hæc regio ſanguine [a] orta, filia Heririci, Edwini regis nepotis, ad prædicationem Paulini Eboracenſis epiſcopi ad fidem converſa, poſtea relicto habitu ſæculari, ſeceſſerat ad provinciam orientalium Anglorum, cum propinqua regis illius provinciæ eſſet, ſummopere cupiens in Galliam trajicere, atque in monaſterio Calenſi ſociari Hereſvitæ, matri Aldulſi regis orientalium Anglorum, quæ ibidem monaſticis ſubdita inſtitutis, coronam cæleſtem exſpectabat, ut ſuperius jam diximus. Verum Hilda ab Aidano epiſcopo in patriam revocata, primo conſtitit in quodam loco ad Wirum fluvium, ubi monaſticam uno anno vitam egit. deinde facta eſt abbatiſſa in monaſterio Heortenſi, recens exſtructo a quadam religioſa Chriſti famula, quæ prima feminarum in provincia Northumbrenſi propoſitum, veſtemque ſanctimonialis, conſecrante Aidano epiſcopo, ſuſcepiſſe perhibetur. Sed, cum illa in urbem Calcariam ſe recepiſſet, ejus monaſterio præfecta eſt Hilda, quæ regularem ibi vitam, prout eam ab Aidano, aliiſque ejuſdem inſtituti doctis viris addiſcere potuerat, ordinavit. Poſt aliquot annos, monaſterium apud Streaneſhalam exſtruendum, ac regularibus rite diſciplinis inſtituendum ſuſcepit: ubi tantis virtutibus, ſed maxime caritate inclaruit, ut exemplo primitivæ eccleſiæ, nullus ibi dives, nullus eſſet egens; omnibuſque communia eſſent omnia, nihil proprium ac peculiare. Ea vero in Hilda prudentia erat, ut non ſolum mediocres quique in rebus neceſſariis, ſed etiam reges ipſi eam conſulerent: ea doctrina & aſſiduitas legendi ſacras ſcripturas, ut ſibi ſubditos viros, nedum puellas, ipſa erudiret, dignoſque efficeret, qui ad eccleſiaſticos gradus promoverentur. Ex his quinque factos epiſcopos viderat Beda venerabilis, nempe Boſam Eboracenſem, Ætlam Dorciceſtrenſem, Oſtforum Haguſtaldenſem, Johannem Wiccienſem, & Wilfridum Eboracenſem, ſcilicet juniorem, præter Tatfridum, qui ante Boſelum Johannis deceſſorem epiſcopus deſignatus, ſed morte præreptus fuerat. Ob egregias illas dotes Hilda, non modo a domeſticis, ſed etiam ab aliis omnibus mater vocabatur, colebaturque, quibus occaſionem ſalutis & correctionis exemplo ſuo præbebat. Hæc eſt Hilda abbatiſſa, quæ monaſterio Streaneshalenſi præerat, cum celebris illa diſputatio cum Scottis facta eſt.

XXXVI.

Ronanus epiſcopus Scottus cultus apud Pictones.

* Mazeroles.

* Luſſac.

* Noaille.

* la Vienne.

Chrocelmus abbas Nobliacenſis.

Quod attinet ad Ronanum epiſcopum Scottum, qui regulas eccleſiaſticas in Gallia & Italia edoctus fuiſſe, primuſque cum Colmanno certamen iniiſſe traditur; non dubito quin idem ſit, qui ſub Romani nomine colitur apud Maceriolas * in pago Pictavenſi. Poſitus eſt hic locus in confinio Pictonum & Turonum ad Vigennam fluvium, ſolo fluvii alveo ab opido Luciago * diſparatus. Exſtat in tabulario Nobliacenſis * prope Pictavos monaſterii fragmentum cujuſdam inſtrumenti, eo tempore confecti a quodam loci ejus inſtauratore, teſtante, ſe Maceriolas cellulam ſuper „ amnem Vigennam *, pæne deſertam, reſtauraſſe & redintegraſſe, *in qua ſanctum Dei peregrinum ex genere Scottorum, nomine Ronanum* (ſic lego non *Romanum*) *cum ſuis peregrinis conſtituit rectorem*, eo pacto, *ut ipſi peregrini diu perſeverarent. Sed dum contigit mors*, inquit ille, *ipſius ſancti Dei, & ex ipſis talis non fuerat rector, qui hoc gubernare deberet; ne ipſum opus factum periret, ipſam cellulam venerabili in Chriſto Chrocelmo abbati commendavi, ſuoque monaſterio conjunxi: ut ſimul in unum conglutinati, melius Domino ſervirent conſolati.* Tum ſubdit: *Precor ut hæc inſtitutio, quam propter amorem Chriſti, vel compendium ſervorum Dei feci, firma & inconvulſa permaneat.* Hucuſque fragmentum, ſed abſque nomine ejuſdem cellæ inſtauratoris, qui forte non alius ſit ab Anſoaldo, Pictavenſi tunc temporis epiſcopo; aut

ANN CHR 664.

verte abbas ſancti Hilarii baſilicæ, quæ tunc apud Luciagum opidum multa poſſidebat, ut ex vetuſtis illius temporis inſtrumentis diſcimus. Eidem baſilicæ ſubjectum erat monaſterium Nobiliacenſe, cui unita fuit cella Maceriolenſis, antequam illud ab Atone abbate inſtauraretur. Erat proinde ejus monaſterii abbas Chrocelmus, cui hæc cella commiſſa fuit; atque adeo jam exſtabat Nobiliacenſe monaſterium, quinto milliari ab urbe Pictonum ſitum verſus auſtralem plagam, in amœna valle, quam Miltio * fluviolus irrigat. Inter primos ejus benefactores recenſentur Pictavenſes epiſcopi, Anſoaldus, Ebarcius, & Gauzbertus, laudati in diplomate Ludovici regis Aquitaniæ, de quo nos ſuo loco. Hujus monaſterii antiquitas ex hoc loco certa, prima origo penitus incerta eſt. Tantum diſcimus ex quodam placito facto tempore Hermemberti ejus loci rectoris, Frotſelmum quemdam hanc cellam ſancto Hilario tradidiſſe ac ſubjeciſſe. Forſan is erat monaſterii auctor, quod fere ad nihilum redactum erat ſub finem ſæculi ſequentis, cum ab Atone abbate ſancti Hilarii inſtauratum fuit. Quæ de Ronano ex præmiſſo fragmento diſcimus, longe certiora ſunt iis, quæ de eo circumferuntur apud Coriſopitenſes in Armorica, quæ nullam fidem merentur. Certe Romanos ritus non didiciſſet Ronanus apud Armoricanos, qui Scottorum moribus omnino imbuti erant. Colitur apud Maceriolas ſanctus Ronanus epiſcopus ſub Romani nomine kalendis Junii: quo die itidem in Armorica honoratur.

* Mioſon.

XXXVII. Egbertus peſte liberatus. a Ibid c. 27.

Hoc ipſo anno poſt ſolis a eclipſin, quæ die tertio Maii contigit, graviſſima lues auſtrales Britanniæ partes ac Northumbrorum provinciam depopulata eſt, eademque in Hiberniam quoque pervaſit. In hac regione tunc temporis multi nobilium ac mediocrium Anglorum filii erant, qui ſacræ eruditionis vel continentioris vitæ gratia, relicta patria, eo ſeceſſerant; & alii quidem monaſticæ diſciplinæ ſe ſe mancipaverant, alii magiſtrorum cellas luſtrando lectioni operam dabant. Ex his duo erant præcipuæ indolis, Adelhunus & Egbertus: qui, cum in monaſterio Rathmelſigenſi tempore illius peſtilentiæ verſarentur, omnibus eorum ſociis vel peſte ſublatis, vel diſperſis, ambo itidem eadem lue affecti ſunt. Egbertus, omni fere vitæ ſpe deplorata, anteactæ vitæ delicta lacrymis abluere cœpit, Deumque precari, ſibi ut vitæ inducias ad caſtigandos mores concederet, facto voto, ſe, ſi forte convaleſceret, numquam in patriam reverſurum, & præter ſollemnem divini officii pſalmodiam, quotidie pſalterium recitaturum, ſingulisque ſeptimanis diem unum ſolidum cum nocte jejunum tranſacturum. Mortuo ſocio, ipſe convaluit, multiſque, cum popularibus ſuis, tum Scottis & Pictis, exemplo, doctrina, auctoritate, & caritate profuit. Addidit etiam votis a ſe ipſo factis, ut in quadrageſima nonniſi ſemel unoquoque die reficeretur, nec aliud quidquam, niſi panem cum lacte deterſo, & quidem parce, perciperet. quam vivendi legem quadraginta diebus ante natale Domini, & quinquaginta poſt pentecoſten obſervabat, quæ tres quadrageſimæ erant uſitatæ apud veteres. Ex his intelligimus, lactis uſum in quadrageſima tunc univerſim prohibitum non fuiſſe; nec morem una die reficiendi, ſaltem in illis inſulis, ab omnibus ſervatum: cum Egberto id laudis tribuat venerabilis Beda, quod illis diebus unica refectione contentus fuerit.

Quadrageſimam ut obſervat.

XXXVIII. Boiſilus peſte ſublatus. b Beda in vitâ S. Cuthberti c. 8.

Eadem peſte e medio ſublatus eſt b Boiſilus, miræ ſanctitatis monachus ac præpoſitus Mailroſenſis, ad cujus famam Cuthbertus in idem monaſterium, cui tunc Eata præerat, ſe recepit, eodem etiam morbo tunc & ipſe correptus, at ſanatus. Mox eumdem monuit Boiſilus, ſibi ſeptem dumtaxat vitæ dies ſupereſſe. curaret proinde ea doceri abs ſe, quæ ipſi convenirent. Interroganti vero quid tam brevi ſeptem dierum ſpatio poſſet diſcere: Johannem, inquit, Evangeliſtam. Et hunc quidem per illud tempus, Boiſilo exponente, ambo ſimul perlegerunt, in ea lectione & collatione ſolum fidei, quæ per dilectionem operatur, ſimplicitatem attendentes, non autem quæſtionum profunda exquirentes. Uſus eſt autem Boiſilus codice, qui ſeptem quaternionibus conſtabat, ſingulis diebus ſingulos perlegens quaterniones. Inter hæc multa, tum Eatæ abbati, tum Cuthberto prædixit Boiſilus, qui triennio ante hanc peſtilentiam vaticinatus fuerat, Cuthberto indicans, eum ad epiſcopalem dignitatem aliquando promovendum. Poſt obitum ſancti illius ſacerdotis, Cuthbertus præpoſiti officium geſſit per aliquot annos: quo tempore non ſolum monaſterio ſuo regularis vitæ ſpecimen exhibebat, ſed etiam circumpoſitos incolas ab inolita vitiorum conſuetudine ad amorem cæleſtium rerum ſatagebat revocare. Multi quippe tunc illis in partibus erant, qui fidem ſuam profanis operibus contaminabant; immo

Cuthbertus poſt eum præpoſitus verbi præco.

ANN. CHR. 664.

nonnulli, inſuper habito fidei ſacramento, ad ſuperſtitioſa idololatriæ medicamenta recurrebant, quaſi immiſſam a Deo plagam incantationibus, alligaturis, ac dæmoniacæ artis arcanis medicaturi. Ad utrorumque corrigendum errorem crebro e monaſterio egrediebatur Cuthbertus, aliquando equo inſidens, nonnumquam pedes, vicinas circumiens villas, & viam veritatis errantibus pandens. quod ipſum etiam Boiſilus ſuo tempore facere conſueverat. Solebat vero ea maxime peragrare loca, & illis in viculis prædicare, qui in arduis, aſperiſque montibus procul poſiti, & horrore loci, & inopia ſimulque ruſticitate inhabitantium, doctores ac verbi præcones a ſuo aditu deterrebant. Nec contentus eurſim ruſticanas luſtrare caſas, hebdomada ſæpe integra, aliquando duabus vel tribus, nonnumquam pleno etiam menſe in montanis illis perſeverabat, ut plebem ruſticam verbo ſimul & exemplo ad cæleſtia commoveret. Erat vero tunc moris apud Anglorum populos, ut, accedente ad quamlibet villam clerico vel preſbytero, cuncti mox ad ejus imperium verbum Dei audituri confluerent, & quæ dicerentur libenter audirent, libentiuſque audita opere complerent. Tanta porro Cuthberto docendi peritia, tanta ad perſuadendum gratia & facilitas erat, tale denique angelici vultus lumen, ut nullus auditorum intimos cordis ſui receſſus ei non aperiret, immo palam omnes quæcumque geſſerant confiterentur, certi hæc nullo modo eum poſſe latere, & quæ confeſſi erant, condignis, uti ille præcipiebat, pænitentiæ fructibus abſtergerent.

XXXIX. Sanctimonialibus prædicat.

Erat in urbe Coludienſi ſeu Coldinghamenſi monaſterium quoddam, cui ſanctimonialis femina & mater ancillarum Chriſti, nomine Ebba, præerat, religione ac nobilitate cunctis venerabilis, utpote Oſwii regis uterina ſoror. Hæc miſſo ad virum Dei nuntio rogavit, ut ſe, ſuumque monaſterium exhortationis gratia inviſere dignaretur. Non potuit negare vir ſanctus, quod caritas tantæ Dei ancillæ poſcebat. Venit ergo ad locum, dieſque aliquot ibi permanens, omnibus optatam juſtitiæ viam actu ſimul & ſermone reſeravit. Per id tempus pro more ſuo noctu, ceteris quieſcentibus, ad orandum e monaſterio egrediens, poſt longas intempeſtæ noctis vigilias, tandem inſtante hora communis ſynaxeos domum redibat, nocturnum officium cum aliis fratribus (nam ibi duplex monaſterium erat) perſoluturus. Id unus e fratribus cum obſervaſſet, eum furtim ſequi conſtituit, exploraturus quid ageret. Ille vero monaſterio egreſſus, ſequente exploratore, deſcendit ad mare, cujus litori idem monaſterium incumbebat; & maris undis uſque ad collum immerſus, Dei laudes celebrabat. tum inſtante aurora in terram ſubiens, denuo in litore flexis genibus orabat: denique domum reverſus, canonicos cum fratribus hymnos hora competente complebat. Deprehenſus explorator veniam ab eo petiit ſupplex, nec aliter obtinuit, quam eo pacto, ut eo vivente factum reticeret. De hoc

Feminarum aditus in virorum cœnobia vetitus.

» monaſterio agens Turgottus monachus Dunelmenſis ait, duas eo in loco, diverſis
» tamen ſeparatas habitaculis, fuiſſe monachorum, ſanctimonialiumque congrega-
» tiones, quæ paullatim a regulari ſtatu defluentes, inhoneſta invicem familiaritate
» decipiendi occaſionem inimico præbuerunt. Cuthbertum vero, cum epiſcopali ca-
» thedra ſublimatus eſſet, ne quid ſimile in poſterum accideret, omne monachis fe-
» minarum conſortium interdixiſſe. adeo ut in nullam pæne eccleſiarum, quas beatus
» confeſſor ſua præſentia illuſtravit, ulla conceſſa ſit feminis intrandi licentia. unde
» in inſula Lindisfarnenſi ſeorſim facta ab eo eſt eccleſia, juſſitque ut illo mulieres
» miſſas & verbum Dei auditaræ convenirent, ne propius ad eccleſiam, in qua ipſe
» cum monachis converſabatur, accederent.

XL. Lindisfarnæ instituit regulam S. Benedicti.

Poſt annos ferme tredecim quam Cuthbertus in Mailroſenſi monaſterio religioſam vitam profeſſus fuerat, a ſuo ipſius abbate Eata in monaſterium Lindisfarnenſe, quod idem Eata etiam regebat, tranſlatus eſt, ut ibidem quoque regulam monaſticæ perfectionis, & præpoſiti auctoritate, & vitæ ſuæ exemplo doceret. Id autem accurate præſtitit. nam actuoſam illic vitam cum contemplativa conjungens, inſtituta monachica fratribus vivendo ac docendo tradidit, & morantem circumquaque vulgi multitudinem, tum adhortationibus, tum miraculis, tum precibus, ad cæleſtia quærenda & promerenda excitavit. Qualia fuerint monaſtica illa inſtituta, tradit monachus Lindisfarnenſis anonymus ejus æqualis, cujus verba ipſa huc referre non pigebit. *Vivens quoque ibi ſecundum ſanctam ſcripturam, contemplativam vitam in actuali agens, & nobis regularem vitam componens conſtituit, quam uſque hodie cum regula Benedicti obſervamus.* Erant in illo monaſterio quidam fratres, qui priſcæ ſuæ

ANN. CHR. 664.

Scottorum conſuetudini, quam regulari obſervationi obtemperare mallent. Hos ille non duris & aſperis verbis, ſed modeſtiæ ſuæ virtute pertentabat, & quotidiano exercitio ad melioris propoſiti ſtatum inflectebat. Sæpius vero contingebat, ut in cœtu illo fratrum de regula diſputans ac diſſerens, contradicentium pulſaretur injuriis: verum ille placido vultu atque animo exſurgens, dimittebat conventum; ac ſequente nihilo minus die, quaſi nihil contradictionis pridie ſuſtinuiſſet, eadem monita iiſdem modeſte ingerebat denuo, donec eos paullatim ad ea quæ vellet converriſſet. Hæc erat viri ſanctiſſimi lenitas & patientia, quæ nullo rerum adverſarum incommodo interpolari poterat. Qui durius agunt in ejuſmodi occaſionibus præfecti, non fructum, ſed iras & rixas ex incondita & duriori objurgatione paſſim referunt. Denique Cuthbertus arguere ſolebat puſillanimitatem fratrum, qui nocturnæ vel meridianæ quietis tempore, ubi neceſſitas poſtulabat, ſe e ſomno excitare non audebant. « Nemo, inquiens, mihi moleſtiam facit me excitando de ſomno; ſed potius « lætificat me qui excitat. Facit enim me, diſcuſſo torpore ſomni, utilitatis aliquid « agere vel cogitare. Ita vero compunctioni deditus erat, ut miſſarum ſollemnia numquam ſine profuſione lacrymarum expleret. Sed & vigiliarum orationiſque ita ſtudioſus erat, ut aliquoties tres vel quatuor noctes pervigil tranſegiſſe dicatur. Veſtimentis utebatur communibus, ſic ut neque munditiis, neque ſordibus eſſet notabilis. Unde uſque hodie, ait venerabilis Beda, « exemplo ejus in eodem monaſteriu id ob- « ſervatur, ut ne quis varii aut pretioſi coloris habeat indumentum, ſed ea maxime « veſtium ſpecie omnes ſint contenti, quam naturalis ovium lana miniſtrat. Exactis in Lindisfaroenſi monaſterio annis duodecim, in Farnem inſulam ſeceſſit, ſolitariam vitam ducturus.

XLI. Deus-dedit Cantuarıæ epiſcopo ſuffectus Vvighardus.

Anno ipſo memoratæ eclipſis & peſtilentiæ Deus-dedit, ſextus Dorovernenſis eccleſiæ epiſcopus, diem functus eſt pridie iduum Juliarum, eodemque menſe ac die obiit Erconbertus rex Cantuariorum, Egberto filio regnum relinquens in novem annos. Is Wighardum preſbyterum, virum in eccleſiaſticis diſciplinis doctiſſimum, Anglorum rogatu Romam miſit, Oſwio Northumbrorum rege etiam commendante, ad Vitalianum papam cum multis donariis, & aureis argenteiſque vaſis non paucis, ut ſuæ gentis & linguæ hominem pontifex in locum Deus-dedit epiſcopum ordinaret. Verum vix ille in urbem pervenerat, cum ipſe, & qui cum ipſo advenerant ſocii fere omnes, peſtilentia extincti ſunt. At Vitalianus, ne Wighardo mortuo Anglicana eccleſia paſtore orbata damnum pateretur; inito conſilio ex ſuis elegit quem ejus loco mitteret. Delectus eſt ad id officii Hadrianus abbas Niridani prope Neapolim monaſterii, natione Afer, vir eccleſiaſticis non minus, quam monaſticis diſciplinis inſtructus, Græcæ pariter & Latinæ linguæ peritiſſimus. Sed ille epiſcopatu indignum ſe reputans, alium e vicino virginum monaſterio monachum obtulit, quem epiſcopatu dignum omnes judicabant. Verum, illo corporeæ infirmitatis cauſam prætendente, rurſum Hadrianus compellitur ad ſuſcipiendum epiſcopatum. Hic vero, petitis ad alium quærendum induciis, demum pontifici ſuggeſſit monachum quemdam Græcum, qui tum Romæ verſabatur, nomine Theodorum, Tharſo Ciliciæ ortum, virum & ſæculari, & divina litteratura græce & latine apprime eruditum, moribus ac ætate venerabilem, utpote annos natum ſexaginta ſex. Is a pontifice approbatus eſt, iis tamen conditionibus, ut Hadrianus ipſe eum in Britanniam perduceret, utpote itineris haud ignarus, quippe qui jam bis in partes Galliarum diverſis ex cauſis profectus eſſet; & ut Theodori doctrinæ invigilaret, ne quid græcanici erroris in Anglicana eccleſia reſpergeret. Dum hæc Romano more lentius tractantur, anni quatuor ante ordinationem Theodori elapſi ſunt.

Theodorus pro eo electus.

XLII. Vvilfridus ordinatur epiſcopus.

Inter ea Wilfridus, qui favorabilem de ſe opinionem ex ſuperiori illa diſputatione auxerat, ab Oſwio & Alchfrido regibus dignus eſt judicatus, qui in Eboracenſis eccleſiæ ſedem vacantem ſufficeretur. Hoc conſilio in commune propoſito, uno conſenſu reſponderunt omnes, nullum meliorem ac digniorem ad id muneris ſe habere, quam Wilfridum preſbyterum & abbatem, cujus in omnibus rebus ſapientiam ac prudentiam probaverant. Solus huic electioni repugnavit Wilfridus, indignitatem ſuam obtendens: ſed tandem univerſorum votis obſequi coactus, non aliter tamen conſenſit, quam ut a catholicis epiſcopis conſecraretur. Petiit proinde, ut, Brittonibus & Scottis, quos apoſtolica ſedes in communionem non admittebat, prætermiſſis, mare trajicere ſibi liceret, ut ab antiſtitibus Gallicanis ordinaretur.

ANN. CHR. 664.

Miſſus itaque cum magno comitatu apparatuque in Galliam, in vico regio Compendio honorifice conſecratur ab Agilberto, aliiſque undecim epiſcopis, qui eum *in ſella aurea* ſedentem, more ſuo in eccleſiam cum hymnis & canticis intulerunt. In reditu a paganis in medio mari circumventus, cum eos ab ſui infeſtatione nec precibus, nec pretio, potuiſſet avertere, commiſſo tandem prœlio ipſe cum clericis ſuis, manibus in cælum ad orationem extenſis, victor evaſit, pugnantibus viris paucis, qui ſecum erant, numero centum viginti: ex quibus quinque tantum deſiderati, paganis aut fuſis, aut undis abſorptis. Dum reditum differt Wilfridus, Oſwius rex moræ impatiens, qui a Scotis eruditus ac baptizatus, illorum maxime doctrinam probabat, ſervum Dei religioſiſſimum Ceaddam accerſivit ex Hibernia, eumque Eboracæ civitatis epiſcopum ordinari curavit. Reverſus Wilfridus factum indigne tulit; ſed tamen regiæ poteſtati cedens, ſeceſſit in ſuum Ripenſe monaſterium, ubi per annos tres reſedit, idemtidem nihilo minus a Wlfario Merciorum rege invitatus, ut epiſcopalia munia in ſuo regno exerceret, ubi *monaſteria ſervorum Dei*, rege fundum ac prædia liberaliter ſuppeditante, inſtituit. Accitus etiam in Cantiam ab rege Egberto, multos illic preſbyteros, & non paucos diaconos, vacante ſede Cantuarienſi, ordinavit. Wilfridi ordinatio facta eſt deſinente anno ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, aut ſequenti ineunte, cum annorum triginta eſſet: quo tempore Agilbertus forte necdum Pariſienſis eccleſiæ regimen adeptus erat. Hoc quippe anno præerat Sigobrandus, cui poſt Importunum Agilbertus ſuffectus eſt.

XLIII. Remaclus epiſcopus moritur.

Per id tempus Remaclus, qui, relicto Tungrenſi ſeu Trajectenſi epiſcopatu, privatus in monaſterio Stabulenſi degebat, ad optatum vitæ finem properans, mortis metam demum attigit, beatamque cælo animam reddidit. Ejus corpus eo quo par erat honore ſepultum eſt in oratorio beati Martini; ejuſque depoſitio III. nonas Septembris celebratur. Hunc annum tantum ex conjectura ejus morti aſſignamus. Libellum de geſtis ejus primus compoſuit monachus Stabulenſis anonymus, & poſt eum Notgerus ſæculo decimo exeunte Leodicenſis epiſcopus, rogatu Werinfredi abbatis Stabulenſis; necnon Herigerus abbas Laubienſis, ejus æqualis & amicus. Idem anonymus librum adjecit de ſancti Remacli miraculis: quo in libro ait, Ainricum abbatem Indæ monaſterii, qui principatu Lotharii Auguſti florebat, ſibi auctorem fuiſſe, ut ſancti Remacli facta, quæ eo uſque latuerant, in publicum proferret.

Hadalinus ejus diſcipulus.

Inter Remacli diſcipulos non inferior cenſendus eſt Hadalinus, nobilis Aquitanus, qui, cum ejus diſciplinæ ſe tradidiſſet, ejuſdem hortatu ſeceſſit in ſolitudinem ad Letiam * fluvium, haud procul a Dionanto opido ad Moſam, ubi apud Cellas monaſterium ædificavit. Graviter allucinatur Philippus Ferrarius, qui has Cellas confundit cum Cella ſancti Giſleni, & cum Lætiis ſeu Lætienſi Hannoniæ monaſterio, immo cum Leſſinia opido ad Teneram amnem; quin etiam cum Lutoſis Hannoniæ itidem opido prope Athum. Crevit Cellenſe Hadalini monaſterium ex munificentia præcipue Pippini, non regis, ut fallit vitæ ſcriptor, ſed principis, cognomento Heriſtallenſis. Lapſu temporis monachi migrarunt in canonicos ſæculares, qui Baronum Cellenſium vexationibus fatigati, Cellis relictis, Viſetum tranſlati ſunt.

* *Leſſe.*

ANN. CHR. 665.

XLIV. Balthildis regina ſecedit in Calenſe monaſterium.

CUm rex Chlotharius in virum adoleſceret, in animo piiſſimæ ejus matris Balthildis reginæ creſcebat devotio in dies, ut ad ſuum Calenſe monaſterium ſe tandem reciperet. At repugnabant principes & optimates quique, ne id exſequeretur, qoippe quæ a Francis omnibus ob bonitatem, pietatemque ſingularem valde amabatur. Hinc Francorum proceres votum ejus ex die in diem differebant, nec illud impleri facile permiſſuri fuiſſent, niſi fortuita ſe ſe obtuliſſet voti exſequendi occaſio. Erat tum in palatio quidam epiſcopus magnæ auctoritatis, nomine Sigoberrandus ſeu Sigobrandus, qui ob nimium faſtum ac ſuperbiam Francis, ſed maxime principibus inviſus & intolerabilis erat. unde accidit, ut, fervente in eum commotione, a proceribus interimeretur. Cujus loci epiſcopus fuerit Sigobrandus, non prod–dunt Balthildis vitæ ſcriptores, ex quibus hoc factum accepimus: at Pariſiorum antiſtitem fuiſſe probant veteres ejus eccleſiæ epiſcoporum indices, quorum unum antiquiſſimum in fine libri ſexti de re diplomatica protulimus, ubi poſt ſanctum Landericum recenſentur Rotbertus, aliis Chrodobertus, Sigobrandus, Importunus, Aglebertus, idem qui aliis Agilbertus ſeu Ægilbertus. Cæſo Sigobrando, veriti Francorum proceres cædis ejus auctores, ne Balthildis eam, pro eo ac juſtitiæ leges

ANN. CHR. 665.

poſcebant, ulciſceretur; quod antea fieri noo ſinebant, jam metu juſtitiæ atque judiciorum, ultro ei ſuaſerunt, ut qoam primum facere maturaret. Hæc vero ea occaſione libenter uſa, votum ſuum implere non diſtulit. Deducta itaque a nonnullis principibus, monaſterium ſuum Calam ingreditur, atque ab univerſis ejus loci ſanctimonialibus, alumnis utique ſuis, condigno honore excipitur. Nec mora, piiſſima regina, regni adminiſtratione poſita, condonatis iis, qui ſe ob Sigobrandum ſalſo & inique ſuſpectam habuerant, injuriis, veſtem mutavit, & quæ cunctis ante imperare conſueverat, Bertilæ abbatiſſæ, tamquam matri obedire, ac, dum viveret, Chriſto militare inſtitit. Tunc vero, quod ante identidem illuc ſecedens facere conſueverat, humilioribus quibuſque officiis inſervire, ſororibus ad menſam & in coquina miniſtrare, muoditias inſtar viliſſimæ ancillulæ facere. quod totum grataoti ac læto animo pro Chriſti amore perficiebat. Ad hæc orationi aſſidue cum lacrymis, & ſacræ lectioni frequentius vacabat, conſolationem mæſtis & exhortationem, infirmis viſitationem, omnibus denique ſe ipſam impendens; dolens cum dolentibus ex caritate, & cum gaudentibus gaudens. Id ipſum quoque domnæ abbatiſſæ humiliter ſuggerebat, eamdemque hortabatur, ut egentium curam in primis gereret, & ut regi, reginæ, atqoe proceribus honoris cauſa eulogias & munuſcula mitteret: qua maxime ratione eorum benevoleotiam retineri ſolere, ipſa, dum regnaret, intellexerat. His monitis Bertila lubens acquieſcebat, tantaque invicem dilectio ambabus erat, ut vere eis apoſtolico more cor unum, & anima una eſſe videretur.

XLV. Vvalberti abbatis Luxovii obitus.

Hoc anno, ſeptimi ſæculi ſexageſimo-quinto, Waldebertus ſeu Walbertus abbas Luxovienſis tertius, ubi per annos quadraginta, teſtante Adſone, locum illum magna cum laude, nec impari monaſticæ rei incremento & ornamento rexiſſet, migravit ad Domioum VI. nonas Maïas: quo die in veterrimo kalendario noſtro, uncialibus litteris ante annos nongentos ſcripto, notatur *depoſitio ſancti Vvalberti abbatis.* In ejus obſequium funeris multæ undique fidelium turmæ confluxiſſe dicuntur, ejuſque corpus ſepultum in eccleſia beati Martini, quæ in aquilonari parte monaſterii conſtructa erat, nunc parœciali opidi Luxovienſis; atque compoſitum in crypta, quæ a ſancto Nicetio pontifice poſt aram mirifico opere exſtructa memoratur. Hunc pontificem magnarum virtutum virum appellat Adſo in libello de geſtis Waldeberti abbatis, quem ait ſancto Nicetio epiſcopo familiarius adhæſiſſe, interpoſita mutui pacti cooditiooe, ut alterutri rebus humanis excedenti, alter ſuperſtes congruum ſepulturæ locum diſponeret. Non alium hunc eſſe puto Nicetium a Migetio, per id tempus epiſcopo eccleſiæ Veſontionenſis, cui Luxovium ſubjectum eſt. Miracula ad ſancti Waldeberti tumulum patrata, cæcis lumen, claudis greſſum, ægrotantibus ſanitatem reſtitutam fuiſſe idem auctnr tradit.

Non fuit episcopus Meldensis.

Graviter falluntur, qui eum vel ſanctæ Faræ germanum fratrem, vel Meldenſem epiſcopum fuiſſe ex Jona male intellecto commeoti ſunt. Hildegarius ejus ſententiæ auctor, aut quiſquis vitæ ſancti Faronis ſcriptor eſt, ait, Faronem ſedi Meldenſi impoſitum fuiſſe *poſt dormitionem Vvalberti*, manifeſto errore, cum Faro longe ante obitum Walberti Reſbacenſis eccleſiæ dedicatiooi interfuerit jam epiſcopus, initio ſcilicet regni Chlodovei junioris, & ipſe diu Walberto ſuperſtes. Porro Hildegarius non aliud opinionis ſuæ fundamentum habuit, quam Jonæ locum male intellectum. Id conſtat ex ipſius verbis, qui Waldebertum beatæ Faræ germanum, & Gundoaldi Meldenſis epiſcopi ſucceſſorem fuiſſe dicit, *teſtante vita ſancti Euſtaſii*, id eſt Jona monacho ejus vitæ ſcriptore, ex cujus verbis utrumque facile refutatur. Jonæ hæc verba ſunt. *Nec mora beatus Euſtaſius remeat, puellam* Burgundofaram *a cuſtodia liberat, patrem terribiliter increpat: religionis veſte per pontificem urbis illius, Gundoaldum nomine, induit, ſacravitque ſalutaribus ſacramentis. Monaſterium quoque virginum Chriſti ſupra paternum ſolum, inter fluvios Mugram & Albam, ædificat*, idem ſcilicet Euſtaſius, *fratreſque, qui ædificandi curam habeant, deputat germanum puellæ Chagnoaldum, & Vvaldebertum, qui ei poſtea ſucceſſit, ut regulam doceant, decernit.* ubi *fratrum* nomioe monachos intelligit Jonas; ſolumque Chagnoaldum puellæ germanum agnoſcit, non Waldebertum, *qui ei poſtea ſucceſſit*, id eſt Euſtaſio abbati Luxovienſi, non vero Gundoaldo, ut Hildegarius perperam interpretatur. Priori errori patrocinatus eſt Surius, qui *germanos puellæ* habet, reclamantibus vetuſtis codicibus, in quibus *germanum puellæ* legimus, uti

ANN. CHR. 665.

etiam legerunt ac reſtituerunt Johannis Bollandi eruditi continuatores, & Petrus-Franciſcus Chiffletius in recenſione vitæ ſancti Euſtaſii. Poſteriorem ſatis arguit antiquiſſimum, præter alia recentiora, kalendarium noſtrum jam laudatum, in quo notatur VI. *kalendas depoſitio ſancti Vvalberti abbatis*, non autem epiſcopi, ut in actis ſanctæ Salabergæ & ſanctæ Balthildis ſolum abbas appellatur. Haud levius erratum eſt eorum, qui Walbernim abbatem confundunt cum Walberto comite Arkenſi ſancti Bertini diſcipulo, de quo mox agemus.

Ingofredus ejus ſucceſſor.

Necdum mortuus erat Waldebertus abbas Luxovienſis, cum Salabergæ abbatiſſæ Laudunenſi in ſomnis angelus Domini *in ſpecie venerabilis Vvalberti abbatis* apparuit. Eidem in regimine Luxovienſis monaſterii ſollemniter, inquit Adſo, ſubrogatus eſt ſanctus Ingofredus, omni virtutum genere conſpicuus & perfectus. Is eſt ſanctus abbas Ingofredus, qui Adelphium abbatem Habendenſem pænitentiæ cauſa Luxovii excepit. Librum de geſtis S. Walberti abbatis, a nobis editum, litteris mandavit Adſo, qui & Hermiricus, & ipſe Luxovienſis poſt medium ſæculum decimum abbas poſt Aaloncum, quem abbatem & epiſcopum vocat. Hic præ oculis habuit *volumen de geſtis ſancti Vvalberti*, ab antiquiori auctore ſcriptum, eoque uſus eſt ad ſcribendum libellum, quem *Luxovienſium cænobitarum ſacræ concioni* nuncupavit.

XLVI. Vvalbertus comes monachus Luxovii. * Arques.

Vix ante hunc annum, Walberti abbatis ſupremum, in cœnobium Luxovienſe admiſſus eſt Walbertus comes, Arkenſis vulgo dictus, propterea quod ejus loci dominus erat. Eſt autem villa Arkæ * haud procul ab Audomaropoli, quam villam cum aliis prædiis Walbertus dedit Bertino abbati Sithienſi, qui ei *pater confeſſionum* erat, uti & Regentrudi ejus uxori. Is ad virum ſanctum identidem ventitare conſueverat, tum ut ab eo ſalutaria verba audiret, tum ut corporis & ſanguinis Chriſti communionem, ejuſque deinde benedictionem perciperet. Forte aliquando ad baſilicam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quam in monte proximo ad cœmeterium fratrum a beato Audomaro exſtructam diximus, ad orandum acceſſerat, & completa oratione, neſcio qua ductus neceſſitate, in domum ſuam redierat, beati patris benedictione prætermiſſa: cum ſubmonitus hac de re Bertinus a Dodone monacho, id non impune Walberto ceſſurum prophetico ſpiritu prædixit. Nec inane vatis oraculum. nam ante ſolis occaſum adfuit qui nuntiaret, Walbertum in reditu ex equo lapſum, membris colliſis, jam prope animam agere, niſi vir ſanctus ſuis precibus & ſolita benedictione occurreret. At ille confeſtim vinum ex œnophoto, quod ad miſſæ ſacrificium in ſacrario poſitum erat, proferri juſſit, atque ægrotanti celerrime deferri. Vas vino vacuum ad juſſionem viri Dei impletum repertum, ex quo vinum prolatum Walberto ſalutem extemplo attulit. Hinc ille, accepti beneficii memor, magnam hereditatis ſuæ partem, nempe villam Arkas, aliaque prædia, beato Bertino tradidit in uſum Sithienſium fratrum. Quin etiam paullatim a rebus ſæcularibus mentem avocans, cæleſtibuſque toto inhians animo, monaſticam vitam appetiit, ac demum Bertini hortatu & conſilio in Luxovienſe monaſterium ſe recepit, ubi cum inſigni devotione monaſtica veſte inſignitus eſt. Id vix ante hunc annum contingere potuit, certe non ante annum illius ſæculi ſexageſimum, quo Bertinus Sithienſis monaſterii abbas renuntiatus fuit. Ex quo intelligitur eos graviter, ut jam dixi, allucinari, qui Walbertum comitem confundunt cum Walberto Luxovienſi abbate, qui ante annos abhinc quadraginta Luxovio præeſſe cœperat.

XLVII. Præjectus epiſcopus cœnobium Camelarienſe, aliaque inſtituit. * d'Iſſoire.

Regebat per id tempus Arvernenſem eccleſiam eximiæ ſanctitatis antiſtes Præjectus, quem veteres nonnulli Projectum vocant. Is in pago Arvernico claris natalibus, Gundoleno atque Helidia parentibus exortus, litteris imbuendus traditur ſcholæ Iciodorenſi *, cujus loci eccleſiæ (diœceſim vetus auctor appellat) juſſu Geneſii Arvernorum præſulis prælatus fuit, antequam diaconus ordinaretur. Die ſancto paſchæ de more ad matrem eccleſiam venit, quo die Geneſius epiſcopus in ſolario, id eſt ſuperiori cubiculo, multis, etiam ſæcularibus ac nobilibus viris, convivium exhibuit. Hos inter aderant tres abſtinentes, quibus carnes edere erat religio: quæ res tempori & loco parum conveniens pleriſque viſa, riſum & cachinnos excitavit. Eorum partes tueri cœpit Præjectus; Deus vero ſubito ſolarii lapſu irriſores ultus eſt. Candidinenſi ᵃ virginum cœnobio a Felice Geneſii ſucceſſore præfectus, monaſticam ibidem diſciplinam cum ædificiis valde promovit. Felice mortuo, & poſt paucos dies Giroaldo ejus ſucceſſore, electus Geneſius, non minus pietate, quam Senatoria dignitate illuſtris, ſacerdotio indignum ſe reputans, cleri

a V. lib. 14. n. 58

ti ac populi ſuffragia in Præjectum rejecit. Adſcitus in muneris conſortium Evodius, vir religioſus, incertum an diverſus ab Evodio, quem Felix epiſcopus Magnilocenſi monaſterio præfecerat, plurimos ſanctis adhortationibus ad cæleſtia deſideria iocitavit. Cum rara tuoc temporis cœnobia virginum eſſent apud Arvernos, Geneſio viro illuſtri, cujus modo meminimus, auctor fuit Præjectus, ut, deficiente prole, eccleſiam Dei ſibi pro liberis adoptaret. Aſſenſit vir pius, & io loco Arvernorum ſuburbano, Camelaria nomine, monaſterium puellarum condidit ſub regula ſanctorum Benedicti, Cæſarii, & Columbani, ea ſcilicet, quam Dooatus Veſontionum pontifex ex tribus prædictorum patrum regulis concinnaverat; rebuſque ſuis largiſſime dotavit: ubi Præjectus feminam illuſtrem, ſibi dudum notam, Gundilaoam nomioe, abbatiſſam cooſtituit; reliqua bona, quæ habebat ampliſſima, Geneſius variis eccleſiis legavit. Erant io caſtro Camelaria eccleſiæ qoinque ab eo exſtructæ: una ſub nomine Salvatoris, ſecunda ſanctæ Mariæ, tertia beati Petri apoſtoli, quam virginibus ſacris aptavit: quarta ſanctæ Cæciliæ, quæ monachos habuit: quinta in memoriam exaltationis ſanctæ Crucis, quam clericis aſſignaſſe dicitur. Præjectus vero aliud monaſterium puellarum io agello Caſariæ, Arvernis itidem proximo, exſtruxit, quod non aliud quam Cantoennenſe Savaroni videtur. Xenodochium quoque in loco, Columbario dicto, ædificavit, ubi ſemper vigioti ægroti curarentur; rebuſque illud omnibus ac medicis inſtruxit. Io libro ſecundo de eccleſiis Claromootenſibus S. Thecla requieſcere dicitur in monaſterio Camalarienſi, quod Savaro perperam cum Teclatenſi confundit, ut alias [a] oſtendimus. Certe in Camalarienſi eccleſia, modo collegiata canonicorum ſæcularium, habetur capſula, S. Theclæ continens reliquias: quæ capſula cum anno M DC XCIX. reſerata eſſet, ut ex illis reliquiis quædam particulæ illuſtriſſimo Pariſienſi archiepiſcopo ad decorandum puellaris S. Theclæ ſodalitii oratorium concederentur; reperta eſt intra capſulam plumbea lamina, cui antiquiſſima inſcriptio inſculpta erat, de reliquiarum veritate faciens fidem in hæc verba, quæ totidem apicibus hic exhibere juvat.

ANN. CHR. 665.

[a] lib. 4. n. 40.

HE SVNT
REL'QV E
BEATE
TECL·E:VR
GINIS ET MAR
TIRIS:QVE HIC
NIEORIVNDA
FVT DE HINC VE
ROA PAVLO: AP LO
CONVERSA SE
LVDAMREQVI
EVIT:

Doroangenſe S. Amarini monaſterium.

Forte aliquando Præjectus ad aulam Childerici Auſtraſiorum regis, cui Arverni parebaot, proficiſceos, Voſagi vaſta ſolitudine, arduiſque montium jugis ſuperatis, pervenit tandem ad locum, quem Doroangum gentili lingua barbari tum vocitabant. Haud procul cellulam ſeu parvum monaſterium venerabilis Amarinus Abbas, permiſſu ac favore Warnecharii optimatis, magno labore exſtruxerat: ubi pauci monachi vivebant io tanta rerum egeſtate, vix ut ſinguli ſingula paximatia cum aqua in ſingulos dies perciperent. Illic Amarinum febre fatiſcentem cum offendiſſet Præjectus, ſigno crucis facto mox ſanavit, eumque ad refectionem ſibi aſſidere juſſit. deinde iter proſecutus ad Childericum priocipem, eccleſiæ ſuæ privilegium auctoritate principis roborari petiit. quod cum obtinuiſſet, actis regi optimatibuſque gratiis, ad eccleſiam ſuam reverſus eſt. Locus, ubi Amarinus monaſterium ſub regimine ſuo habebat, in vetuſtis codicibus varie legitur, nonnullis *Claroangus*, aliis *Doroangus* appellatus. Nec etiam ſitus loci hactenus exploratus, quem alii ultra Voſagum, alii in Morago ponont. Verum hæc ſitus diverſitas pæne nulla eſt, cum unus idemque locus ultra Voſagum eſſe poſſit, tametſi poſitus in Morago, quam lectio-

ANN. CHR. 665.

* *le Saint-gaun.*

* *S. Damarin.*

* *Rangun*

* *la vieille-Thanne.*

nem quidam codices præferunt. Mihi vero perſuaſum eſt, locum hunc haud alium eſſe ab opido ſancti Amarini, intra Voſagi moutes poſito in pago Sugintenſi *: ubi non multis ab opido paſſibus, in anguſto vallis receſſu, ceu quodam angiportu, exſtat vetus ſancti Amarini eccleſia, peregrinorum cultu hactenus non incelebris, cum ruderibus everſi monaſterii, ad exiguum rivulum, *Thur* vulgo dictum: qui Alſatiam a Sugintenſi pago dirimit. Sancti Amarini * opido mons Rangus * proximus eſt, vico & caſtello cognomini celebratus: adeo ut ex rivuli ac montis nominibus conflatum videatur vocabulum *Thuroangus*, tum *Duroangus*, & *Doroangus*; tributumque opido, quod poſtmodum a S. Amarino appellationem accepit. Huic opido proxima erat monaſtica quondam, dein collegiata ſancti Amarini eccleſia, ad duas inde leucas primum ad Thannas * veteres in eccleſia ſancto Amarino ſacra, modo a Dominicanis virginibus occupata; demum ad novas-Thannas ante annos ducentos tranſlata eſt ad elegantiſſimam ſancti Theobaldi eccleſiam, ſanctorum Præjecti & Amarini reliquiis conceſſis monaſterio Murbacenſi, cum Thannenſes canonici dominium opidi S. Amarini aliis poſſeſſionibus cum Murbacenſibus noſtris commutarunt, collegiatæ hujus eccleſiæ canonici ſucceſſerant monachis in bona ejus monaſterii, quod Amarinus prope Duroangum regebat. Hæc fere me monuit reverendiſſimus abbas Mediani-monaſterii Hiacynthus Alliotus, jam ſuperius laudatus, laudanduſque in conſequentibus.

ANN. CHR. 666.

XLVIII. S. Mariæ Sueſſionenſis privilegium.

a *Hiſtoire N. D. p.* 421.

Anno inſequenti, ſæculi ſeptimi ſexageſimo-ſexto, Drauſcio ſeu Drauſius, Sueſſionum epiſcopus, beatæ Mariæ puellari monaſterio, quod ea in urbe ipſius hortatu conſtructum diximus, privilegium conceſſit, a noſtro Michaële Germano editum a, quod *Dominis ſanctis & apoſtolicis fratribus*, comprovincialibus ſcilicet epiſcopis, Nivoni ſeu Nivardo Remenſi, Landeberto Catalaunenſi, Mummuleno Noviomagenſi, Audeberto Cameracenſi, item Audeberto Silvanectenſi, Clementi Bellovacenſi, Bertefrido Ambianenſi, & Audomaro Teruanenſi inſcripſit.
» Privilegii ſumma eſt, ſe ab inluſtri viro Ebroino majore-domus, ejuſque conjuge
» Leutrude, ac Bovone unico eorum filio rogatum, ut privilegium largiretur baſili-
» cis ſanctæ Mariæ, & ſancti Petri, & ſanctæ Genovefæ, ceterorumque ſanctorum,
» conſtructis intra muros urbis Sueſſionicæ, ubi puellæ virgines ac Deo ſacratæ ſub
» regimine Ætheriæ abbatiſſæ, relicta pompa ſæculi, ſub regula beatiſſimorum pa-
» trum, ad laudes Chriſti die noctuque canendas ſunt collocatæ. Proinde ſtatuere,
» ut prædictæ virgines, ſecundum ſanctam inſtitutionem ſexui ſuo convenientem, in-
» tra ſæpta monaſterii reclauſæ eſſe debeant, detracta omni foras exeundi licentia;
» ibidemque caſte Domino militare ſecundum regulam & curſum ſancti Benedicti,
» & ad modum Luxovienſis monaſterii, quem beatus Columbanus tenuit. Ad hæc,
» ut quidquid prædicto monaſterio, Deoque ſacratis virginibus, ſub evangelica reli-
» gione viventibus, a prædictis inluſtri viro Ebroino majore-domus, ejuſque inluſtri
» matrona, ac filio Bovone, vel regio munere, vel a quibuſlibet chriſtianis, in agris,
» mancipiis, ſacris voluminibus, aliiſque ſpeciebus & ornamentis eccleſiaſticis colla-
» tum fuerit, nullus pontificum, clericorum, aut regum inde auferre auſit. Præterea
» ut mortua abbatiſſa, alia inſtituatur, quam tota illa congregatio ancillarum Dei ex
» ſe ipſis elegerit; & quotieſcumque altaria, vel tabulæ altaris, aut chriſma, aut veſtes
« ſacræ benedicendæ erunt, a quocumque pontifice id fieri poſſit. Nulli virorum liceat
« quicquam cibi & potus, præter communionem ſanctam, ibidem percipere, ſi
« vero pontifex rogatus eo acceſſerit ad orationem, ſolus cum religioſis ſacerdotibus
» illuc ingrediatur, celebrato ac peracto divino myſterio egreſſurus. Actum Auguſta-
» Sueſſionum VI. kalendas Julii, anno decimo Chlotharii glorioſiſſimi regis. Subſcri-
bunt epiſcopi, præter comprovinciales ſupra memoratos, Geneſius Lugdunenſis, Audoënus Rotomagenſis, Leutgarius Auguſtodunenſis, Boſo Gratianopolitanus, Gauciobertus Carnutenſis, Deſideratus Cabilonenſis, Virgilius Autiſſiodorenſis, Importunus Pariſiorum, Burgundofaro Meldorum, Abbo Tricaſſium, Ragnobertus Bajocaſſium, Audo Aurelianorum, Conceſſus Ebroïcarum, Leudeboldus Lingonum, præter Emradium epiſcopum incerti loci. Princeps baſilica beatæ Mariæ ſacris virginibus aſſignata erat; altera S. Petri monachis, qui ipſis ad ſacra miniſtranda inſerviebant; tertia ſanctæ Genovefæ, infirmorum & peregrinorum erat. Secunda baſilica ſancti Petri jam dudum clericis ceſſit, qui vicem ſupplent monachorum ve-

ANN CHR. 666.

terum : ex quorum numero cenſendus eſt ſanctus Vodoalus recluſus, cujus hodie quoque recluſionis turrim oſtendunt. In litaniis Carolinis[a] invocatur poſt ſanctos Benedictum & Columbanum, ſed ante ſanctum Drauſium, ſanctus Vodoalus cum ſancto Leudardo, quem ibidem itidem monachum exſtitiſſe, ac piſtoris officio functum eſſe tradunt.

[a] *Analect. to. 2. p. 684. & ſeq.*

XLIX. S. Vedaſti tranſlatio & monaſterium.

Circiter hoc tempus contigit tranſlatio corporis ſancti Vedaſti epiſcopi Atrebatenſis ex majori eccleſia ſanctæ Mariæ, ubi per annos ferme centum viginti & octo jacuerat, in eum locum, ubi nunc illuſtre ejus monaſterium cernitur. Hæc tranſlatio ab Alcuino refertur in hunc modum. Cum ſanctus Autbertus, ſeptimus a beato Vedaſto epiſcopus, quadam die poſt hymnos matutinos in oratione perſiſteret ; vidit eminus, trans fluviolum Crientionem *, virum præfulgidum, baſilicæ cujuſdam formam virga metientem : quo indicio ſancti Vedaſti corpus eo transferendum eſſe intellexit. Invitatus ad hanc celebritatem adfuit Audomarus Teruanæ Morinorum epiſcopus, qui in ea tranſlatione amiſſum jam dudum oculorum lumen recepiſſe perhibetur ; ſed precibus a Deo petiiſſe & impetraſſe, ut illud denuo amitteret, parvi pendens ſcilicet lumen carnalium oculorum præ lumine ſanctorum. Eo in loco ubi ſacrum corpus repoſitum eſt, oratorium ſancti Petri rudi opere ab ipſo beato Vedaſto quondam exſtructum fuerat : quod ſanctus Autbertus in auguſtiorem formam reſtituit, eidemque mouaſterium adjunxit. Locus pro ſui nobilitate, ait Alcuinus, Nobiliacus primo eſt appellatus, procedente tempore tam inſignis effectus, ut urbis nomine comprehendatur ; adeoque largitionibus fidelium locupletatus, ut agmine monachorum & aliorum Deo devotorum grege refertus ſit, idemque miraculorum ſignis illuſtratus. Monachos tamen primus illuc induxiſſe videtur ſanctus Vindicianus, qui beato Autberto ſucceſſit. Notanda ſunt Alcuini verba de *aliorum Deo devotorum grege* præter monachos : quo nomine ſecundi ordinis religioſos viros intelligit, quales poſtea fuere fratres oblati ſeu donati, qui monachorum nomine nequaquam cenſebantur. In codice ſacramentorum, ſcripto juſſu Ratoldi abbatis Corbeienſis, notatur pridie nonas Junii *tranſlatio ſancti Vedaſti in crypta*, & IX. kalendas Martii *dedicatio eccleſiæ ſancti Vedaſti* *, cujus nomine Nobiliacenſe monaſterium paullo poſt inſignitum eſt. De nova hujus monaſterii baſilica, a Theoderico rege exſtructa, inferius agemus.

* *le Crinchon.*

* *S. Vaſt.*

L. S Germani abbatis martyrium.

Mortuo Gundoino duce, qui Alamannorum genti præerat, ſucceſſit in ejus locum dux Bonifacius, alio nomine Cathicus, qui Grandivallenſibus monachis, quos dux Gundoïnus magnis beneficiis affecerat, viciniſque incolis infeſtiſſimns fuit. Is innocentes opprimendi cauſam commentus, eis objecit, quod deceſſori ſuo ſemper rebelles exſtitiſſent ; atque hac ſpecie alios exſilio multavit, alios bonis ſpoliavit ; ceteros, conducta Alamannorum phalange, omnino delere conſtituit. Armatis occurrit Germanus abbas Grandivallenſis, comitante Randoaldo monaſterii præpoſito, cum pignoribus ſanctorum & libris ſacris, & Bonifacium cum Erico comite in baſilica ſancti Mauricii colloquentem convenit, eum increpans, quod ſæviret in chriſtianos inſontes, ſuumque monaſterium evertere animo deſtinaret. Ille primo humilitatem ſimulare, veniam petere de commiſſo facinore, polliceri ſe ad damna reparanda eſſe paratum. At nihilo minus baſilica egreſſus, per totam convallem graſſatus eſt cum furentium manu, qui luporum inſtar, in vicinos monaſterii accolas irruerunt, eorumque domos igne concremarunt. Quin etiam quidam ex eis nefarii homines Germanum abbatem, cum Randoaldo in monaſterium revertentem, aggreſſi, veſtibus exſpoliant, unuſque ex eis, ceteris ferocior & immanior, ambos lancea confodit. Eorum corpora primo in baſilicam ſancti Urſicini a Germano exſtructam ; deinde in baſilicam ſancti Petri delata ſunt. Acta hæc in vigilia cathedræ ſancti Petri, quæ VIII. kalendas Martii olim apud pleroſque ſola celebris erat. Libellum de geſtis & martyrio ſancti Germani, & ſocii ejus Randoaldi in litteras primus retulit Bobolenus preſbyter ac monachus, eorum fere æqualis, eumque viris religione ac ſanctitate eximiis, Deicolo, Leudemundo, & Ingofrido patribus nuncupavit, præfatus ea ſe ſcribere, quæ tam per ſe ipſe, quam per venerabiles viros, Chadoaldum & Aridium, etiam tum ſuperſtites, didicerat. Tres illi patres haud dubie abbates erant, ex quibus Deicolus forſan Grandivallenſi præerat, Leudemundus ſancti Urſicini monaſterio ; Ingofredus haud dubie Luxovienſi, jam ſuperius laudatus. Ceterum Grandivallenſe monaſterium ab annis quingentis tranſiit ad

canonicos ſæculares, qui ſuperiori patrum noſtrorum ſæculo in vicinum opidum Telſbergam ſeu Delemontem, vitandæ hæreticorum violentiæ cauſa, commigrarunt.

Ad res Hiſpanicas quod attinet, in concilio Emeritenſi, quod hoc anno celebratum eſt, nihil definitum invenio, niſi quod canone undecimo præcipitur, ut tam preſbyteri, quam abbates & diaconi, epiſcopo ſuo honorem debitum impendant; & quandocumque contigerit ab eo ſuam viſitari parochiam, digne eum ſuſcipiant. Ad res noſtras quodam modo etiam pertinere videtur canon quintus, quo præſcribitur, ut epiſcopus, qui concilio per ſe adeſſe non potuerit, non diaconum, ſed aut archipreſbyterum, aut preſbyterum ſuo nomine dirigat, qui a tergo epiſcoporum inter preſbyteros ſedeat, & quæcumque in eo concilio acta fuerint, ſciat, & ſubſcribat. quod obſervare viſum eſt propter abbates & monachos, qui non raro vice epiſcopi ſui ad concilia mittebantur. Obſervandus eſt obiter ejuſdem concilii canon decimus-nonus, quo ſtatutum eſt, ut preſbyter, cui plures, ob redituum defectum, commiſſæ fuerint eccleſiæ, in ſingulis Deo ſacrificium offerat ſingulis dominicis diebus: cujus rei haud ſcio an ullum antiquius veſtigium invenias.

DUm in Hiſpania verſamur, nobis commemorandus venit Hildefonſi Toletani epiſcopi obitus, qui anno ſequenti videtur accidiſſe, & quidem x. kalendas Februarii, poſt novem epiſcopatus annos, binoſque menſes: quo die ejus memoria in eccleſiis Hiſpanicis celebris eſt. Conditus eſt in eccleſia ſanctæ Leocadiæ ad pedes Eugenii junioris, deceſſoris ſui, pari cum eo gloria donandus. Succeſſorem habuit Quiricium, qui forſan haud alius fuerit a Quiriaco abbate, qui octavo concilio Toletano ſubſcripſit. Hildefonſum in primis commendant cultus beatiſſimæ virginis Mariæ, & liber ab eo editus de perpetua ejus virginitate. Vita ejus a Juliano & Zixilane epiſcopis ſcripta.

Non longo poſt intervallo ſuperſtes fuit Wandregiſilus, cognomento Wando, ſanctiſſimus abbas monaſterii Fontanellenſis in agro Rotomagenſi. Longa ætate defectus, cum Chriſtum intueri ſummopere deſideraret, levi ægritudine tentatus eſt, totuſque in Deum aliquando raptus, tribus diebus ac totidem noctibus ſilentium tenuit. Mox ad ſe ipſum reverſus, rogantibus diſcipulis ſuis, de ipſius inſtante obitu mæſtiſſimis, ecquid poſt ſuum diſceſſum facere deberent, paucis in hunc modum reſpondit: Pro certo ſcitote, ſi modo ſermonibus ac monitis meis obtemperare pergatis, atque in caritate, unitate & humilitate fundati, nihil inter vos diſſenſionis habueritis, conditionem veſtram ſtabilem ac perpetuam fore, Deumque vobis in cunctis neceſſitatibus conſolatorem atque adjutorem adfuturum. Nec plura dicere extrema debilitas ſivit. Haud defuit optimus ille in opportunitatibus auxiliator bonus Deus, qui diabolum viro ſancto pavores ingerentem percuſſit, fugavitque. Nec defuit etiam morienti conſolatio ſanctorum, quos obviam Chriſtus diſceſſuro ſubmiſit. Eos ut vidit, unum ex his Agathonem, forte ex diſcipulis quondam ſuis, cujus vitam & mores noverat, iterata voce appellavit. Auditi etiam pſallentium angelorum concentus, qui ſanctam illam animam in cælum deduxere lætantes, cum tota congregatio monachorum, quæ præſens aderat, gemitibus cælum pulſaret. Ejus obitus contigit XI. kalendas ſextiles. Hæc ex monacho anonymo Wandregiſili æquali, qui facta ejus primus litteris mandavit, quorum multa ipſe viderat, cetera ab oculatis teſtibus acceperat. Ejuſdem vitam paullo poſt, id eſt tempore Lantberti abbatis, ſcripſit alter anonymus monachus Fontanellenſis, cujus liber quædam a priori auctore prætermiſſa continet, at quibuſdam in locis interpolatus. Hic auctor Wandregiſilum ait nonageſimum-ſextum ætatis egiſſe annum, regiminis decimum nonum, cum e mundo migravit; trecentoſque ſub eo monachos Fontanellæ vixiſſe: qui numerus ibidem perſeveravit uſque ad tempus Teutſindi ſeptimi abbatis, ſeu potius tyranni, cujus diebus nobiliſſimum hoc cœnobium ad extremam abjectionem redactum eſt. Addit poſterior ille anonymus, inclytum Rotomagenſis eccleſiæ pontificem Audoënum in beati viri tranſitu præſentem adfuiſſe; ac demum ſacrum ejus corpus humatum fuiſſe in baſilica ſancti Pauli. Mirum eſt, virum a Deo celebrem ab Uſuardo & Adone prætermiſſum, & Wandelberto notum fuiſſe.

In Wandregiſili locum ſucceſſit Lantbertus ejus diſcipulus, qui poſtea Lugdunenſis eccleſiæ regimen adeptus eſt. Hic nobiliſſima ortus proſapia in pago Teruanico

apud Morinos, patre Erleberto viro clariſſimo, in aula juvenculi regis Chlotharii ANN CHR. 667.
ſub ſæculari primum habitu militavit: at ejuſdem regis anno octavo, abjecta regis
mortalis militia, ad Chriſti caſtra ſub patre Wandregiſilo convolavit, tonſuramque
ab eodem accepit ante annum quartum, quam Wandregiſilus ex hac vita diſcederet.
Eum ob egregios mores & caſtam converſationem tanti faciebat beatus pater, ut
morti proximus eumdem ſibi ſucceſſorem deſignaſſe memoretur. Nec virum Dei
ſefellit vana ſpes. nam eo abbate Fontanellenſe monaſterium adeo nullum paſſum
eſt detrimentum, ut contra magnum incrementum, tam in numero piorum monachorum,
quam in terreno cenſu fecerit. Acceptiſſimus fuit Chlothario, Childerico,
& Theoderico regibus, qui in diplomatibus ipſi conceſſis, domnum & in Chriſto
venerabilem patrem ſuum venerabilem Lantbertum appellare conſuevere. Avunculi
ei fuerunt, an patrui, (nam æquivocum eſt paſſim avunculi nomen apud infimæ
latinitatis ſcriptores) Rotbertus, ſummus palatii tunc referendarius, & Altbertus,
clariſſimi ac nobiliſſimi viri: quorum poſterior Altbertus ab ipſo Lantberto abbate
clericatus habitum ſuſcepit, ut vetus auctor loquitur, id eſt monaſticum: quod ex
aliis ejuſdem auctoris, aliorumque locis perſpicuum eſt. ſic apud Aigradum Anſbertus,
a Wandregiſilo ad converſionem admiſſus, *clericatus habitu* decoratus fuiſſe
perhibetur. Huc revocanda ſunt ea, quæ in ſuperioribus diximus de clericorum vocabulo,
monachis olim aptato. Lantbertus ea die, qua præciſi ſunt ipſi capilli, inter
alia diverſi generis donaria, auri ſolidos ſeptuaginta prædicto patri contulit, in balteo
videlicet, zonis, & armillis.

Anſbertus, Lantberti affinis, ejuſdemque in Wandregiſili ſchola collega, & in LV.
abbatiali dignitate ſucceſſor, ac demum Rotomagenſis antiſtes, æque illuſtri genere Anſbertus ejuſdem affinis fit
in Calcegio * vico pagi Vilcaſſini ad Ittam ſeu Eptam fluvium natus eſt. A patre monachus.
Siwino ſeu Siguino, viro illuſtri ac prænobili, in aulam adductus, ut acuto erat ingenio, * Chauſſy.
aulicus ſcriba & referendarius factus dicitur, cujus erat officium regias litteras
ac diplomata ſcribere, anulumque principis gerere, quo ejuſmodi diplomata
obſignabantur. quod officium non niſi maturæ viro ætatis, expertæque virtutis ac
prudentiæ tribui ſolet. Tunc id accidiſſe exiſtimo, quod Aigradus præmittit, ut Angadriſma velatur.
Siwinus, Anſberti parens, nobilem puellam, Angadriſmam nomine, filiam Rotberti
ſuperius memorati, qui anuli regii gerulus ſub Chlothario erat, Anſberto deſponſaret.
At illa, virginitatis propoſitum ſervare volens, precibus a Deo obtinuit,
ut ſua ipſius formoſitas in deformitatem verteretur. quæ res eam, communi parentum
voluntate, qui divinis conſiliis obſequentiſſimi erant, a conjugio Anſberti diſſociavit.
Hæc, velamine ab Audoëno Rotomagenſi pontifice accepto, priſtinam formam
recepiſſe fertur; eademque proceſſu temporis rectrix & abbatiſſa evaſit cœnobii
Oratorii, quod *prope muros* urbis Bellovacorum poſitum erat. Angadriſmæ
haud dubie exemplo Anſbertus ſæculo nuntium remittere conſtituit, ac Lantbertum,
ſoceri ſui ex fratre, an ſorore filium, ſequi in monaſterium Fontanellenſe, ubi
Wandregiſilus cum magno monachorum agmine *ſub ſanctæ Regulæ jugo* eximiam
vitam ducebat. Audita ejus poſtulatione pater ſanctus, inducias ad id negotii petiit,
ut, *ſicut apoſtolica & monaſtica docet regula*, Anſberti vocatio probaretur. Conſultis
hanc in rem fratribus, ejus votis ab omnibus aſſenſum eſt, & *clericatus habitus*,
quo nomine monaſticum Aigradus intelligit, ei conceſſus. Mox ille orationi & lectioni
ſanctarum ſcripturarum totum ſe dare; & , ſecundum Hieronymi conſilium,
ſic vivere in monaſterio ſub unius patris diſciplina, ut ab alio caritatem, ab alio
humilitatem diſceret, ceteraſque virtutes in hunc modum. Tantus autem in eo devotionis
fervor erat, ut propoſito ejus exemplo Wandregiſilus alios objurgaret, quod
a juvene recens converſo ipſi, jam dudum in religione aſſueti, ſuperarentur. Hinc
eum præ ceteris diligebat vir ſanctus, *ſicut monaſtica norma docet*, id eſt, Benedictina [a],
quæ nullum præ aliis fratrem diligi ſinit, niſi quem abbas in bonis actibus a S. Bened. c. 2.
invenerit meliorem. Sacerdotio initiatus ab Audoëno, vineam, a cœnobio quingentis
fere paſſibus diſtantem, plantavit. quam cum excoleret, Theoderico regio
adoleſcenti, ad ſe inter venandum accedenti aſſeveranter prædixit, eum quandoque
regnaturum. Ille vero, ſi id accideret, Anſbertum fore epiſcopum reſpondit. Interim
Lantbertus abbas, cui Anſberti comperta prudentia erat, nihil eo inconſulto
in monaſterii regimine gerebat.

His Wandregiſili eximiis diſcipulis adjungendus eſt Godo, ejus fratris an ſororis LVI.

ANN. CHR. 667.

S. Godo Vvandregiſili nepos

* d'Oye.

* S. Gon.

filius, cujus non ſemel jam ſuperius meminimus. Is monaſterium Augienſe ſeu Oyenſe *, in confinio Campaniæ & Briegenſis pagi ad Sezanam opidum, at in diœceſi Trecenſi, condidit, primuſque loco abbas præfuit. Everſum a Normannis inſtauraſſe dicitur Eva comitiſſa, ob receptam ſancti Godonis * meritis ſanitatem. Nunc cella eſt abbatiæ ſancti Petri Cellenſis, olim commendata Claudio Eſpenceo theologo Pariſienſi, qui grati animi cauſa carmen edidit de ſancto Godone, orſus a loci deſcriptione in hunc modum.

Eſt locus, Herculea forſan cognominis Auga,
Augia nomen habet: medius ſaltumque Brigenſem
Campanumque ſolum limes partitur, eremus
Perpetuas inter monachis habitata paludes;
In paſtoris agro & ſacra ditione Trecani.
Ante quadringentos abbatia nobilis annos,
Mandraque pradives: poſt everſoribus Anglis,
Perpetuo Gallorum odio flagrantibus Anglis,
*Subruta, primatus * nunc are monaſticus arto,*
Religione patrum lapſis celeberrimus annis.

* f. prioratus.

Deinde convenarum in eum locum religionem deſcribit, atque frequentes iſtuc convenire ſolitos cum cereis, donaria ex ære, cera, cannabe, aliiſque id genus conferentes. Tum, relatis ſancti Godonis actis, everſionem ab Haſtingo Normannorum duce factam; ac conſequenter loci reſtitutionem per piam illam comitiſſam commemorat; ac demum ſancti Godonis reliquiarum delationem occaſione peſtis, quæ Briegenſe, Campanumque ſolum dire depopulata, ſacri loculi geſtatione penitus repreſſa eſt. In vetuſto breviario Fontanellenſi colitur ſanctus Godo IX. kalendas Auguſti.

LVII. S. Audomari epiſcopi mors.

Hoc etiam anno collocandus videtur obitus ſancti Audomari epiſcopi Teruanenſis, poſtquam corpus Chriſti & ſanguinem in eccleſia pronus ad altare percepiſſet. Corpus ejus, prout ipſe teſtamento mandaverat, in Sithienſem beatæ Mariæ baſilicam, ab ipſo exſtructam, ſollemni pompa delatum a Bertino abbate ac Sithienſibus monacbis, ibidem magna cum veneratione conditum eſt. Obiit V. idus Septembris, quo die in martyrologiis Uſuardi & Adonis ejus memoria conſignatur, ſub nomine ſancti Autmari apud Adonem, qui Audomarus Uſuardo appellatur. Sacræ ipſius reliquiæ in Sithienſi ſancti Bertini baſilica aſſervantur, præter caput & oſſa nonnulla, quæ in illa beatæ Mariæ eccleſia, nunc epiſcopali, habentur. Vidimus pallium ejus pluviale in ſacrario ſancti Bertini cum capitio eidem aſſuto contra pluviæ injurias, unde iſtiuſmodi ornamentum nomen accepit.

LVIII. S. Maximini epiſcopi Trevirenſis tranſlatio per S. Hildulfum.

Eidem anno conſignatur tranſlatio corporis ſancti Maximini epiſcopi Trevirenſis ex crypta, ubi illud beatus Paulinus Trevirorum antiſtes ex Aquitania revectum collocaverat. Tranſlationis occaſio nata eſt ex aquarum illuvie, quæ uſque ad cryptam illam defluens, atque in pavimento ad cubiti altitudinem reſtagnans, ita ſepulcrum ſancti confeſſoris ambitu ſuo einxerat, ut tamen ab ejus crepidine abſiſteret, teſtante Servato Lupo, non ſine miro intuentium ſtupore, qui ad ſacrum loculum accedere non poterant. Id in cauſa fuit, ut ſacrum corpus ex oratorio ſancti Hilarii in proximam ſancti Johannis Evangeliſtæ ædem, recens conſtructam, una cum ſacris ſanctorum martyrum Thebææ legiotus, necnon Agrœcii ac Nicetii pontificum reliquiis tranſponeretur IV. kalendas Junii. Sollemnis pompæ auctores fuere venerabiles epiſcopi, Hildulfus, Clemens atque Goſbertus. Hildulfus Trevirorum antiſtes fuiſſe traditur, idemque novæ baſilicæ auctor, atque adjuncti monaſterii inſtaurator, ubi revocata diſciplina, ad centum cœnobitas ibidem inſtituiſſe ac dotaſſe perhibetur. Hinc tanta loco celebritas, ex ſancti Maximini præſertim miraculis, acceſſit, ut unum ex illuſtrioribus ordinis noſtri monaſteriis evaſerit ſub titulo ſancti Maximini. Cujus loci epiſcopi fuerint Clemens atque Goſbertus, incertum. Certe nulli his nominibus comprovinciales tunc regebant eccleſias; Mettenſem, Virdunenſem, aut Tullenſem. Mettenſi quippe præerat Chlodulfus, Virdunenſi Giſloaldus, Tullenſi Eborinus. Conjectaveram aliquando Clementem haud alium forte eſſe a Willibrordo Friſiorum apoſtolo, qui alio nomine Clemens voca-

ANN CHR. 667

batur. At longe poſt hunc annum Willibrordus in illas partes aceeſſit. De Hildulfi etiam Trevirenſi pontificatu non levis difficultas, nempe Trevirorum epiſcopus, an chorepiſcopus fuerit; &, ſiquidem epiſcopus fuit, quo tempore ſedem illam tenuerit. In veteri catalogo Trevirenſium epiſcoporum, qui exſtat in bibliotheca monaſterii ſancti Giſleni in Hannonia, cujus prima manus deſinit in Marino, Trevirenſes illorum temporum pontifices nudis nominibus hoc ordine recenſentur: MODUALDUS, NUMERIANUS, BASINUS, LIUTWINUS, MILO, WIOMADUS. Qui Hildulfum Trevirenſibus epiſcopis accenſent, omnes autem accenſent, alii Modualdo, alii Miloni ſubſtituunt. At certum eſt eum Modoaldi & Numeriani temporibus vixiſſe. quod vel ex Servati Lupi libello de vita beati Maximini ſatis intelligitur, ubi, relata ejus tranſlatione per Hildulfum facta, ſubjicitur miraculum de reſtituta Carolo principi ſanitate, qui in accepti beneficii memoriam, *cœnobium ſancti Maximini prædiis auxit, quorum unum Patricſola, aliud Vvitmaris eccleſia, tertium Comtiacus vocatur.* quod de Carolo Tudite ſeu Martello interpretandum eſſe rerum ſeries & conſequentia demonſtrat, in primis miraculum patratum in Brunconem clericum palatinum, impuris obſeſſum ſpiritibus, quem rex Pippinus, Caroli Magni genitor, per Hellarium archidiaconum ad tumulum beati Maximini ſanandum deſtinavit. Itaque ante Caroli Martelli principatum vixit Hildulfus, quem Trevirorum archiepiſcopum fuiſſe probat non modo Trevirenſium antiſtitum vetus hiſtoria, ſed etiam privilegium * Vallis-Galilææ monaſterio ab ipſo pontifice, aliiſque epiſcopis indultum; ad hæc Petrus Damiani in opuſculo decimo-nono, necnon anonymus monachus Vallis-Galilææ in libro de vita ſancti Deodati, ante annos ſeptingentos ſcripto, in quo hæc ſancti Maximini tranſlatio anno præſenti facta dicitur per ſanctum Hildulfum, qui ejuſdem ſancti Maximini reliquias prædicto Deodato, Nivernenſi quondam epiſcopo, conceſſiſſe memoratur. Numerianum ergo præceſſerit Hildulfus, Modoaldi proinde ſucceſſor, qui, forte quod Trevirenſem eccleſiam breviſſimo tempore adminiſtravit, in quibuſdam ejus eccleſiæ pontificum indiciibus omiſſus ſit.

* *infra n. 69*

LIX. Deodatus epiſcopus monaſteria condit.

Non minus obſcurus Deodati Nivernenſis pontificatus, qui, abdicato epiſcopatu, in Alſatiam primo, deinde in Voſagum, cum tribus ſociis, Wiligodo, Domnolo & altero Deodato, ſeceſſiſſe traditur: ubi monaſteria quædam ædificavit. Profectus in Alſatiam, in Sancta-ſilva *, juxta oppidum Hagenowiam, aliquamdiu conſedit: ſed inde pulſus invidorum injuriis, commigraſſe ad Ebersheimenſe monaſterium, eique non multo tempore præfuiſſe fertur, familiaritate uſus Arbogaſti epiſcopi Argentinenſis, origine Scotti; ac deinde beati Florentii, ejuſdem Arbogaſti ſucceſſoris & conterranei. Novi frequentantium tumultus Deodatum etiam ex illo monaſterio abire coëgerunt. Inde ventum in quamdam vallem juxta Amalrici-villare, ubi ad locum Willaram Alemannica lingua dictum, tantiſper ſubſtitit, loco cedere iterum coactus incolarum improbitate, qui viro ſancto quaſdam a fidelibus poſſeſſiones conferri non ſuſtinebant. Hinc proinde migrandum fuit ad Hunum ſeu Hunonem quemdam illuſtrem virum, qui in vicinia cum uxore ſua Huna commanebat. Interim natus eſt eis filius, quem vir ſanctus baptizavit, & ex ſacro fonte ſuſcepit. Sed non multo poſt novæ rurſus eidem vexationes ex invidia vicinorum accolarum, quorum laceſſitus jurgiis ac minis, illinc etiam migrare compulſus eſt, Hunone in primis gemente, idque gravate ferente, qui juris ſui poſſeſſiones ad commanendum ei offerebat. Verum cum ille optatam requiem invenire illis in locis non poſſet, in vaſtam & ignotam ſolitudinem ſecedere conſtituit; & per abrupta montium juga, per concava ſqualidarum vallium, tandem pervenit in Vallem-Galilæam, quam Morta fluvius interluit; ibidemque in ſpelunca per aliquod tempus delituit, herbarum tantum agreſtium & pomulorum eſu vitam ſuſtentans: donec Hunonis hoſpitis quondam ſui, cui ejus inopia divinitus revelata fuerat, liberalitate recreatus eſt, ſagmariis, id eſt equis oneriferis, per ignotam eremum ad ejus cellam nullo duce adductis.

* *Heiligevorſt.*

LX. Ebersheimenſe ſeu Novientenſe monaſterium a quo conditum.

Redeo ad Ebersheimenſe monaſterium *, Novientum ſeu Novietum, ut quidam ſcribunt, olim appellatum: cujus primus auctor dux Atticus, beatæ Odiliæ virginis parens, fuiſſe traditur. Poſitum eſt in Alſatia ad Illam fluvium, haud procul a Seleſtadio. Sunt qui Eberhardi-monaſterium dictum malunt ab Eberhardo ſeu Erhardo primo loci abbate, qui forte idem ſit cum Erhardo, quem Ratiſponenſem

* *Ebersmunſter.*

ANN. CHR. 667.

epiſcopum fuiſſe tradunt, & ſanctæ Odiliæ lumen reſtituiſſe. Verum primitus *Ebursheimenſe* dictum fuiſſe veterrimum Augiæ * necrologium probat, ubi Theotbaldus ejus loci abbas laudatur. Hujus monaſterii baſilicam Deodatus epiſcopus mox laudatus XIII. kalendas Julii dedicaſſe fertur: idemque eidem loco aliquantum temporis præfuiſſe. Lazius in libro octavo de Suevis refert diploma Theoderici regis,
„ inſcriptum Attico duci & Adelberto comiti, ceteriſque fiſci exactoribus, quibus ſi-
„ gnificat, venerabilem virum patrem ſuum Erhardum abbatem, & miſſum ejus Rud-
„ bertum monachum, ſerenitati ſuæ ſuggeſſiſſe de hominibus ingenuis, qui erant in
„ mundeburde monaſterii Novietenſis, conſtructi in honore ſancti Mauricii, ſociorum-
„ que ejus, ut eis tale beneficium concederet, hoc eſt de loco nuncupato *Hilteshaim*,
„ quem ipſe eidem monaſterio tradiderat, ut a judicibus ſuis uullam inquietudinem
„ aut exactionem paterentur, nihilque cuiquam, præterquam ſupra dicti monaſterii
„ actoribus, penderent. Hoc diploma datum eſt die nona Februarii, anno decimo regni ipſius Theoderici: quas temporis notas, a Lazio prætermiſſas, ex veteri ejus loci chronico ſupplemus. In his vero regiis litteris non exprimitur tempus conditi monaſterii, cujus originem ad Childerici principatum plerique referunt; confirmationem ad Theodericum ejus fratrem ac ſucceſſorem, ut ſatis innuit præmiſſum ejus diploma: in quo mirum eſt, Atticum ſeu Athicum, cui ipſum diploma inſcribitur, non dici ejus monaſterii conditorem.

* Analect. to. 4. p. 644.

Legi vetus ejus loci chronicon, multis reſperſum fabulis: quibus excuſſis, huc referre viſum eſt quod ſequitur. Novientum, a primo poſſeſſore ſuo *Stannembruch* antiquitus appellatum, ſanctus Maternus Trevirorum primus antiſtes, everſis idolorum ſimulacris, expurgaſſe, & eccleſia in honorem ſancti Petri conſecrata decoraſſe fertur. Poſtea Dagoberti principatu, fortaſſe illius Auſtraſiorum regis, quem ex Hibernia revocatum diximus, idem locus *Ebersheim* appellatus, id eſt manſio apri, quod eo in loco filius regis inter venandum ab apro cæſus credatur; poſtmodum a beato Arbogaſto Argentoratenſi epiſcopo e mortuis excitatus. Deinde iſtuc acceſſiſſe Deodatus epiſcopus Nivernenſis, qui monaſterium ibidem ac monachos inſtituerit, obtentis ab Ambroſio Agaunenſi abbate ſancti Mauricii, ejuſque ſociorum reliquiis, quas in nova baſilica repoſuerit, ſanctis Petro atque Mauricio ab ipſo dedicata XIII. kalendas Julii. Impenſas novo exſtruendo monaſterio, non modo fundum, ſuppeditaſſe traditur dux Atticus, ac viginti curtes cum ſuis appendicibus eidem in dotem tradidiſſe. Falſum eſt id quod de ſancti Deodati obitu in eodem chronico legitur, eum nempe *apud Novientum* XIII. kalendas Julii migraſſe ad Dominum, quem in monaſterio Vallis-Galilææ deceſſiſſe conſtat.

Quod attinet ad Atticum ducem, is filium ſuum, Adalbertum nomine, propria manu interemiſſe dicitur, atque heredibus deſtitutus patrimonium in quatuor partes diviſiſſe; primam pro anima filii aſſignans partim Mediano-monaſterio, partim cœnobio ancillarum Dei, in Argentinenſi urbe in honorem ſancti Stephani condito, ubi filium ſuum ſepelierat: alteram ſancto Mauricio monaſterii Novientenſis: tertiam monaſterio Hohenburgenſi, ubi dux ipſe cum uxore ſua Berſwinda humatus ſit: quartam cognatis ac propinquis ſuis: quæ portio poſtea devoluta eſt ad duos fratres, quorum unus nuncupatus Eberhardus, conditor monaſterii Murbacenſis; alter Maſo, cognominis parthenonis auctor. Ceterum Odilia, ejuſdem Athici filia, multa etiam prædia Noviento conceſſiſſe traditur.

Abbates ejus loci.

Erhardo primo abbati Novientenſi ſucceſſit Columbus abbas, vixitque ad tempora Pippini regis: quo tempore venerabilis Iringus preſbyter cellam ſancti Petri exſtruxit, a beato Pirminio dedicatam. Columbum excepit Benedictus, cui Pippinus rex litteras immunitatis conceſſit. Benedicto ſuffectus Iſenhardus, tum Diebaldus, qui a Carolo Magno ſimile privilegium obtinuit, in quo vir illuſter Adalricus ſeu Atticus dux, & conjux ejus Berſwinda monaſteriom Novientum in pago Alſacienſi ſuper fluvium Illam conſtruxiſſe memorantur. Hic ſine dubio eſt Theotbaldus abbas, quem in Augienſi necrologio laudatum ſuperius diximus, ſuo loco iterum commemorandus. Hæc ſatis ex rudi illo chronico Novientenſi, quod præterire nobis non licuit.

LXI. Athici genus & poſteri.

Longe aliter de Athici ducis poſteris ſcribit Lazius, quod antequam exponam, de ipſius Athici progenitoribus quædam præmittenda ſunt. Hunc ex nobiliſſimis parentibus, *Gallienſium territorio* oriundum ait vitæ ſanctæ Odiliæ ſcriptor

anonymus,

anonymus, eique patrem tribuit Liuthericum, qui in palatio Childerici majoris-domus honore ſublimatus fuiſſe dicitur. Id de Leudeſio Erchinoaldi filio interpretatur auctor fragmenti hiſtorici, ab Urſtiſio præfixi chronico Alberti Argentinenſis, quod ab Andrea Cheſnio poſtea recuſum eſt. Ait quippe auctor ille, Leudeſium Erchinoaldi filium, *cum major-domus eſſet*, uxorem duxiſſe ex proſapia ſancti Sigiſmundi Burgundiæ regis, ex qua Atticum ſeu Adalricum ſuſceperit: qui, patre adhuc ſuperſtite, & Childerico regnante, uxorem duxerit Berſwindam, filiam ſororis ſancti Leodegarii, ſororem videlicet reginæ, & ob hanc conſanguinitatis cauſam a prædicto rege ducatum Germaniæ adeptum eſſe; ac ſedem habuiſſe in villa regia *Ehenheim*, quæ modo *Obernheim* appellatur, & in caſtro Hoëmburgo; ac demum genuiſſe Odiliam, quæ a ſancto Erhardo Ratiſponenſi epiſcopo & Hildolfo Trevirenſi baptizata, in ſacro fonte viſum recepit. Verum hæc nequaquam conſtare poſſunt. Primo enim Leudeſius, *cum major-domus eſſet* ſub Childerico, reginæ ſororem in matrimonium ducere non potuit: cum nonniſi poſt mortem Childerici hanc dignitatem obtinuerit. Deinde Athicus ex illo natus conjugio, ſuperſtite Childerico paucorum annorum rege, habilis gignendis liberis eſſe non potuiſſet, qui tamen Odiliam filiam Childerico regnante habuit. Immo Adalbertus, Athici filius, ſub eodem rege monaſterium ſancti Stephani intra muros veteris Argentorati exſtruxit, atque ab eodem Childerico pragmaticam in ejus rei confirmationem obtinuit. Mitto quod Attala, ejus loci prima abbatiſſa, ejuſdem Adalberti filia dicitur. Denique Berſwinda uxor Athici, ut fuerit reginæ ſoror, non filia ſororis ſancti Leodegarii, ſed ſoror matris ſancti Leodegarii, nempe Sigradæ, appellatur ab anonymo vitæ ſanctæ Odiliæ ſcriptore, cui potior fides, quam anonymo Urſtiſiano. Itaque ſatius eſt dicere, Liuthericum Athici patrem haud alium eſſe ab Leuthario duce Alamannorum, qui in chronico Fredegariano [a] laudatur: cujus in ducatum filius ejus Athicus ſucceſſerit: quo titulo in præmiſſo Theoderici regis diplomate inſignitur. Certe in monte ſanctæ Odiliæ exſtat inſculpta lapidi valde antiqua ſexcentorum circiter annorum effigies, in qua ETICHO DUX, ut ſubſcriptio præfert, coronam in capite regiæ ſimilem ger[illegible] uno filio ornatam ad frontem, cum capillorum cirris in humeros hinc inde fl[illegible]antibus, uti & ODILIA, quæ illi adhæret, velum habens in capite, pallium oblongum ad pectus fibula adſtrictum, revulſumque ſupra manum ſiniſtram, cum toga talari & calceis acuminatis: cui Eticho librum exhibet, donationis ipſi factæ in[illegible]cium. Tertius adeſt SANCTUS LEUDEGAR. utpote ipſorum propinquus, cum pedo ceteriſque pontificalibus ornamentis.

Hic erat ſine dubio illius parthenonis virginum habitus eo tempore, quo ſanctæ Odiliæ effigies in prædicto lapide efficta eſt, id eſt ante annos circiter ſexcentos. Ubi mirari ſubit, quod hæc, ſanctimonialis cum eſſet, crines cirris implicatos gerat; cum ceteræ ſanctimoniales, etiam Nivialenſes, crines tonſos haberent. Exiſtimaveram his cirris ſignificari, ut hodie quoque illis in partibus, virginitatem: at contrarium ſuadent conſimiles cirri Athici ejus patris. Proceſſu temporis multo longius & pretioſius fuit pallium ejuſmodi ſanctimonialium, quæ ad canonicalem ſtatum declinarunt: ut patet ex icone ſanctæ Attalæ, Odiliæ neptis, quæ pallium muſtella alba intus aſſutum geſtans exhibetur, & quidem cum velo & vuimpla religioſis, ſed abſque crinium cirris. Prædictarum imaginum ſanctæ Odiliæ ejuſque parentis, necnon ſancti Leodegarii ectypum in ſequenti pagella exhibere viſum eſt.

[a] Fredeg. c. 88.


ETICHO DVX.
S.ODILIA.
S. LEVDEGAR.

ANN. CHR. 667.

Ad Athici liberos quod attinet, Lazius quatuor maſculos ei tribuit, Adelbertum ſeu Adalbertum, qui comes in ſuperiori Theoderici diplomate vocatur; Hattonem, Hugonem & Bataconem; duaſque filias, Odiliam & Roſwindam, quæ velo ſacro ſuſcepto monaſticen profeſſæ ſunt. Adalbertus monaſteria duo extruxiſſe dicitur: unum Benedictinorum monachorum in inſula Honovio, paullo infra Argentoratum: alterum virginum intra mœnia ejuſdem urbis ſub patrocinio ſancti Stephani; ubi ipſius Adalberti filia, Attala nomine, abbatiſſam primam egerit. Hatto, Adalberti germanus alter, Hattonis-monaſterium *, ab auctore ſic dictum, condidiſſe fertur. Hic duos filios reliquit, Hugonem ſecundum & Albericum: Hugo Ettonem, ſancti Gregorii in valle abbatem, vocatum inde ad regimen Divitis-Augiæ, & poſtremo ad apicem ſedis Argentoratenſis: in qua conſtitutus, Hattonis-cellam, avi ſui opus, ad abbatiæ dignitatem extulit, & nomine beati Lendelini conſecravit. Quartus Athici filius Bataco Beronenſe monaſterium exſtruxit in Limpurgenſi comitatu. Ceterum Adalberti ducis filius Eberhardus nobili Murbacenſi monaſterio, de quo nos alias, originem dedit, illudque in honorem ſancti Leodegarii conſecrari curavit, propterea quod ex ejuſdem ſancti matertera Bereſwinda, Sigradæ Leodegarii matris ſorore, Athici ducis conjuge, prognatus eſſet.

Alſatiæ alia monaſteria.

* Ettenhemmunſter.

LXII. Odiliæ virginis vitæ compendium.

Ad Athici filias quod attinet, illuſtrior eſt Odilia ſeu Othilia natu-major, quæ, cum cæca nata eſſet, ob idque a patre, ſi qua veteri ſcriptori fides, juſſa necari; matre curante in quoddam monaſterium, Palmam vocabulo, ſubducta fuit: ubi ab Erhardo epiſcopo, qui ex partibus Bajoariorum Dei monitu eo acceſſiſſe dicitur, luſtralibus aquis expiata lumen recepit. Hildulfum epiſcopum, cujus ſupra meminimus, ejuſdem Erhardi fratrem exſtitiſſe ferunt, eidemque hoc in facto adſtitiſſe. Verum apud Ratiſponam ſerius inſtituta videtur epiſcopalis ſedes, quæ Bonifacium Moguntinum antiſtitem fundatorem agnoſcit. Reducta in paternam domum, repugnante patre, Odilia a fratre ſuo, qui ob id iram patris incurriſſe, ac fuſte ab eo percuſſus interiiſſe dicitur; demum patri reconciliata, Hoëmburgenſe parthenium condidit, eidemque tanta religione præfuit, ut inter ſanctas virgines meruerit adſcribi. unde prædicto monti ſanctæ Odiliæ appellatio hæſit. Qui de ſanctæ Odiliæ geſtis ſcripſit vetus auctor anonymus, eidem Odiliæ fratrem fuiſſe ait, nomine Adalardum, cui tres filias tribuit, Eugeniam, Attaliam, & Gunlindem, quæ in Hoëmburgenſi parthenone velum ſuſceperint. Hunc Adalbertum vocat Lazius, ex quo ejus poſteros ſuperius deduximus. Quod ſupereſt, idem vitæ ſanctæ Odiliæ ſcriptor tradit, Athicum, ad expiandam necem filii ſui, quem ipſe haud nominat, reliquum vitæ exegiſſe in monaſterio, nempe Hoëmburgenſi, ubi & ſepultus fuit. Palma cœnobium virginum, in quo educata fuit Odilia, ipſum eſſe creditur, quod decimo a Veſontione milliario ex oppoſito Grandifontis poſitum eſt, cujus originem Johannes Jacobus Chiffletius [a] refert ad Deſiderati epiſcopi tempus, hoc eſt ad ſæculum quartum; reſtitutionem vero tribuit Warnario comiti, qui in baſilica Palmenſi humatus eſt ineunte ſæculo ſeptimo.

Palma monaſterium virginum.

a *Chifflet. Veſont parte 2. p. 63.*

Ad res ab Odilia geſtas quod attinet, hæc reverſa in domum patris, Britannicæ cuidam ſanctimoniali inſtituenda committitur. Pater exinde factus placatior, monaſterium in caſtello ſuo Hoëmburgenſi ædificat, eique Odiliam filiam præficiendam curat, quæ *ſub cura ſui regiminis numerum monialium quaſi centum triginta* habuiſſe traditur. Illic ad finem vitæ mortem filii ab ſe cæſi expiavit ipſius pater, cujus animam Odilia purgatoriis pœnis, ſuis precibus & lacrymis exemit. Viſitur etiam nunc in illo monte oratorium, quod Lacrymarum vocatur, unum e ſeptem ejus monaſterii oratoriis, quorum ſex adhuc ſuperſunt, nempe ad portam monaſterii unum rotundi operis, omnibus ſanctis Alſaticis dedicatum: alterum princeps ſanctæ Mariæ, recens a fundamentis inſtauratum: tertium huic adhærens ſanctæ Crucis: quartum eidem contiguum ſancti Johannis Baptiſtæ, ubi ſepulta ſancta Odilia; quintum ſanctorum Angelorum, in quod Odilia ſecedere ſolebat; ſextum, de quo mox diximus, Lacrymarum: ſeptimum erat beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, modo deſtructum. Ad portam exteriorem monaſterii habitaculum erat duodecim canonicorum, qui virginibus ſacra miniſtrabant. His adjuncti ſæculo duodecimo Præmonſtratenſes, qui modo ſoli ſacrum montem occupant. Hæc omnia cingebat murorum ambitus porrectus ad tres leucas, quorum etiam nunc rudera inſignia cernuntur. Sed quia in editiſſimum & abruptum illum montem, ex quo in totam fere Alſatiam

ANN CHR. 667.

proſpectus eſt, non facilis acceſſus erat: aliud inferius monaſterium Odilia in declivi montis ſpatio cum ſororum ſuarum conſilio & aſſenſu exſtruxit, atque eccleſiam in honorem S. Martini, adjuncto xenodochio ad excipiendos peregrinos: quod Inferius monaſterium, vulgo *Nidermunſter* appellatum, nunc ſolo æquatum eſt, redactumque in villam coloni. Illuc Brittones & Scotti olim frequentes conveniebant. In ſuperiori tamen monaſterio virgo ſancta verſari ſolita erat, ſæpius inſtrans baſilicam ſancti Johannis Baptiſtæ, cui ob receptum in baptiſmate lumen oculorum impenſius addicta erat. Illic regulari ſeu monaſticæ vitæ canonicam prætuliſſe traditur ab auctore anonymo, qui id ſcripſiſſe videtur habita ratione ſui temporis, quo ſanctimoniales Hoëmburgenſes ad inſtitutum canonicarum defecerant. Sane hoc inſtitutum ante principatum Caroli Magni necdum adinventum erat. Sed, etſi inventum fuiſſet, non aliam quam ſancti Benedicti regulam illæ canonicæ ſectatæ fuiſſent, ut modo canonicæ Andelacenſes in Alſatia, Romarici-montenſes, & Spinalienſes in Voſago, quantumvis hæ ſanctum Benedictum ejurare velint. Erat ſane Odilia orationi & lectioni omnino addicta, tantæque abſtinentiæ, ut, præter dies ſollemnes, nihil cibi præter panem hordeaceum & legumina ſumeret. In lecto urſinam pellem adhibere, & pro plumario lapidem capiti ſuo ſupponere conſueverat. Dum hæc monaſterium regeret, ad eam acceſſerunt religionis cauſa tres ex fratre Adalardo neptes, Eugenia, Attalia, & Gunlindis, ſic eas vocat anonymus: quæ ejus fama excitæ, ſæculum relinquere, & amitæ ſuæ magiſterio ſe ſe mancipare conſtituerunt.

Attala abbatiſſa S. Stephani.


Altera earum videtur eſſe Attala illa, quam Adalbertus Odiliæ frater Argentoratenſi ſancti Stephani parthenoni ab ſe conſtructo præficiendam curavit. quod ſi ita eſt, idem fuerit Adalbertus, qui anonymo Adalardus appellatur: quo nomine nullus inter Athici filios a Lazio, aliiſve inſignitus eſt. De origine ſancti Stephani monaſterii nullum luculentius invenimus teſtimonium, quam in diplomate Lotharii auguſti, in quo Adalbertus hoc cœnobium condidiſſe perhibetur in parte ſuæ hereditatis, inter ruinas veteris Argentorati, pro opportunitate ſolitudinis, ad fluenta Bruſci fluvii; illudque dotaſſe ex prædiis ſuis; ibidemque Atalam (ſic enim in autographo) ſanctiſſimam virginem abbatiſſam præſidere juſſiſſe, & eumdem locum per
» pragmaticam regis Childerici immunitatis libertate communiri impetraſſe, eo pacto,
» ut, ſalva per omnia reverentia ſacroſancti antiſtitis, nullus judex publicus in loca
» vel poſſeſſiones ejus monaſterii quicqnam tentaret. Hæc ex illo diplomate, in quo tamen Atala nequaquam Adalberti filia dicitur. Si qua fides illius monaſterii vetuſtis periſtromatis, dux Obreht (ſic forte Adalbertus apud vulgus) Atalæ pater fuit, Gerlindis mater, noverca Balthildis, quarum corpora cum duobus parvulis in uno tumulo inventa; denique Savina ejus ſoror erat, in alio tumulo itidem reperta.

a Chron. Conig to.1 p.513.

In ejuſdem Attalæ legenda, ut vocant, quam Schilterus [a] edidit, ejus parentes, dux Adalbertus & Gerlindis, eam cum ipſius ſororibus, Eugenia & Gundelinde, *ſub diſciplina Dei* erudiiſſe dicuntur. Dein tres illæ ſorores in conventu ancillarum Dei apud Hohemburgum ab amita ſua Odilia educatæ: ex quibus Attala, cum præ ceteris pie viveret, præfecta fuit ad viginti annos cœnobio, quod pater ejus Adalbertus in urbe Argentina ſecus flumen Bruſcæ in honorem Deiparæ condiderat *ad uſum triginta canonicarum & quatuor canonicorum*, multiſque prædiis in honorem ſancti Stephani protomartyris copioſe dotaverat. Hæc abbatiſſa ſororibus ſuis *regulam canonicam, in femineo ſexu facilius, quam ſancti Benedicti obſervabilem*, propoſuiſſe fertur: quod etiam ſanctæ Odiliæ vitæ ſcriptor anonymus notare non omiſit, ut ſanctimoniales illæ primarium ſuum inſtitutum dediſcerent. Poſt Attalæ obitum, qui anno vitæ quinquageſimo-quarto accidit, per quinque hebdomadas corpus ejus, ob deſiderium ſororum, inſepultum fuiſſe traditur. Audito ejus obitu, Werentrudis, Hohemburgenſis poſt Odiliam abbatiſſa, quæ cum ea illic educata fuerat, ejus reliquias habere cupiens, nuntium ad ſancti Stephani cœnobium miſit. Ille Attalæ nondum ſepultæ dexteram abſcidit, indeque aufugiens, cum ſe Hohemburgum adveniſſe crederet, in S. Stephani eccleſia ſe deprehenſum obſtupuit. Virginis ſanctæ corpus occultatum dicitur ob Wideroldum anno DCCCC LXX. Argentinæ epiſcopum, qui ejus honori & monaſterii exaltationi invidiſſe fertur. Hæc ſumma illius legendæ, quæ res, tametſi non tantæ auctoritatis, haud prætermittendæ viſæ ſunt. Idem Schilterus in æs incidi curavit hiſtoriam ſanctæ Attalæ, vetuſtis periſtromatis impreſſam, in qua ejuſdem Attalæ & ſororum ejus habitus, qualis poſterioribus

ſæculis erat, exhibetur. Hæc togam talarem ſubnigram, pallium oblongum, muſtella alba intus aſſutum, geſtat cum velo & vuimpla, ut vocant, qui tunc illorum ſanctimonialium habitus erat, prout in ſubjecta pictura cernere licet. ANN. CHR. 669.





Velum aliquando ex panno ſubatri coloris, aliquando ex panno lineo albo. Idem fere habitus modo eſt, excepto velo, Romaricenſium nobilium canonicarum, quas ſancti Benedicti regulæ perpetuo addictas fuiſſe ſuperius [a] oſtendimus. Ceterum non ab re fuerit hic obſervare, hoc cœnobium in veteri Argentorato conditum fuiſſe, & quidem eo in loco, ubi olim ſteterat caſtellum Romanum. quod teſtatur vetus inſcriptio lapidi decurtato, qui ſacriſtiæ muro exterius appoſitus eſt, inſculpta in memoriam Juliani, qui provinciam a Barbaris liberaverat, Auguſtus dictus, ut relicti ſequentes characteres docent

a lib. 14. n. 27.

JULIAN
AUG. PR
OVINC.

Hæc me monuit humaniſſimus Schimidius Argentoratenſis. Sed de his ſatis: ad res Anglicanas redeo.

Approbato, uti ſuperius diximus, in miſſionem Britannicam Theodoro, Vitalianus pontifex Romanus eum tandem epiſcopum ordinare conſtituit. Et ille quidem primo ſubdiaconus ordinatus, quatuor exſpectavit menſes, donec, coma ſuccreſcente, in coronæ modum Romanorum more attonderi poſſet, qui græcanicam orientalium tonſuram gerebat. quippe monachi Græci tunc temporis penitus detonſi erant, raſiſque ſimiles, ad imitationem, ut certe putabant, ſancti Jacobi fratris Domini & Pauli apoſtoli, teſtante Germano patriarcha Conſtantinopolitano in theoria ſua. quod etiam de clericis Græcis affirmat Ratramnus [b], quibus mos ineſt, inquit, barbam quidem non tondere; caput vero crine totum nudare. Theodorus dein epiſcopus ordinatus eſt ab ipſo Vitaliano papa anno dominicæ [c] incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo-octavo, ſub die ſeptimo kalendarum Aprilium, quæ dies dominica erat; eique datus a pontifice collega & conſiliarius Hadrianus abbas Niridani in Campania Neapolitana monaſterii, vir ſtrenuus ac prudens; adjunctuſque ſimul Benedictus, cognomento Biſcopus, monachus ex Britannia religioſiſſimus, qui tum forte Romæ voti cauſa verſabatur. Huic Vitalianus ordinatum cum ſuis omnibus commendavit epiſcopum, præcepitque, ut, omiſſa peregrinatione, quam

ANN. CHR. 668. LXIII. Theodorus in Britanniam accedit cum Hadriano & Biſcopo.

b Ratramn. lib. 4. contra Græc. c. 5.

c Beda lib. 4. c. 1.

Digitized by Google

ANN. CHR. 668.

Chriſti amore ſuſceperat, majoris utilitatis cauſa in patriam reverteretur, eo doctorem veritatis tantopere expetitum adducturus: cui, ſive illò proficiſcenti, ſive ibidem docenti, ducis pariter & interpretis officium exhiberet. Paruit Benedictus jubenti pontifici; iterque io Britanoiam ab eis ſuſceptum eſt VI. kalendas Julias, tametſi non aote annum ſubſequentem eo perveoire potuerunt. Illi igitur navi Maſſiliam appulſi, Theodorus ſcilicet & Hadrianus abbas cum Benedicto & ſociis, dein pedibus Arelate accedunt, ac Johanni ejus civitatis epiſcopo commendatitias Vitaliani litteras tradunt, quibus ille proſequendi itineris poteſtatem facit. Theodorus ad Agilbertum Pariſiorum epiſcopum, qui diu occidentalium Saxonum in Britannia antiſtes fuerat, ſe contulit, atque ab eo benigne exceptus, non modico tempore apud eum permanſit, dum ſibi in Britanniam trajiciendi facultas ac temporis opportunitas (nam hiems tum ingruebat) concederetur. Hadrianus vero, qui jam bis in Galliam ante acceſſerat, ad quoſdam ſibi in duabus peregrinationibus notos ſe recepit, & cum eo forte Benedictus; ac primum apud Emmonem Senonum pontificem hoſpitatus eſt, deinde apud Farooem Meldorum epiſcopum; nempe, ut veri ſimile eſt, in ſuburbano ſanctæ Crucis monaſterio, in quo peregrini monachi admitti ſolebant. Comperto Theodori in Galliam adventu, Egbertus rex Cantuariorum ſtatim Redfridum præfectum ſuum ad eum adducendum direxit. qui, cum in Galliam veniſſet, permiſſu Ebroini Theodorum aſſumtum ac navi impoſitum perduxit ad regem, comitante Benedicto: Hadrianum vero Ebroïnus, hominem Græcorum imperatori addictum, ob idque ſuſpectum, aliquamdiu retinuit, quaſi mandata imperatoris contra regnum Francorum ad reges Britanniæ perferret: ſed poſtea purgatum & innocentem repertum abire, ac Theodorum ſubſeqoi permiſit.

LXIV. Wilfridus regulam S. Benedicti propagat.

Inter ea Wilfridus audiens Theodorum adventare, e Cantia diſceſſit, in qua epiſcopalia munia per tres fere anoos, dum Ceadda ſedem ejus Eboracenſem occuparet, omnibus carus & acceptus exercuerat; & cum cantoribus Æddio & Æona, cumqne cæmentariis, variiſque artificibus io patriam ſuam Northumbrenſem *revertens cum regula ſancti Benedicti*, quam ex Cantiæ monaſteriis acceperat, inſtituta eccleſiarum ac monaſteriorum in melius reformavit, ut ex eodem Æddio diſcimus.
» Hinc eſt qnod Wilfridus ipſe apud Willelmum Malmeſburieoſem monachum glo-
» riatur, ſe primum fuiſſe, qui verum paſcha io Northanimbria, Scottis ejectis, do-
» cuerit; qui cantus eccleſiaſticos antiphonatim inſtituerit; qui ſanctiſſimi Benedicti
» regulam in illa regione obſervari juſſerit, uti in Cantiæ monaſteriis a tempore Auguſtini obſervabatur. Sed ipſum Æddium, a quo hæc Willelmus accepit, audire præſtat, qui Wilfridum in concilio Eſtrefeldenſi ita loquentem inducit. *Nonne & ego primus poſt obitum primorum procerum, a ſancto Gregorio directorum, curavi, ut Scoticæ virulentæ plantationis germina eradicarem; ad verumque paſcha, & ad tonſuram in modum coronæ, quæ antea * poſteriori capitis abraſa parte, ſecundum apoſtolicæ ſedis rationem totam Ultra-Humbrenſium gentem permutando converterem: aut quomodo, juxta ritum primitivæ eccleſiæ, conſono vocis modulamine, binis adſtantibus choris perſultare, reſponſoriis, antiphoniſque reciprocis inſtruerem: vel quomodo vitam monachorum* SECUNDUM REGULAM SANCTI BENEDICTI PATRIS, *quam nullus prior ibi invexit, conſtituerem?* His verbis tria Wilfridus ſibi tribuit: unum, quod verum paſcha, tonſuramque Romanam Transhumbraois perſuaſerit: deinde quod cantum etiam Romanum eo induxerit: ac demum quod vitam monachorum *ſecundum Regulam ſancti Benedicti patris* illis in partibus inſtituerit; eaque omnia præſtiterit poſt obitum primorum procerum a ſancto Gregorio directorum, qui ſimilia apud Anglos inſtitueraot. Hanc autem ſancti Benedicti regulam non aliunde acceperat, quam ex Cantuaria civitate, ubi ſcilicet eam Auguſtinus monachis impoſuerat: qua ex urbe Wilfridus in patriam revertens, hanc regulam ſecum retulit, adductis etiam indidem cantoribus Æddio & Æona monachis Cantuarienſibus, quorum ope Romanus caotandi ritus apud Northumbros receptus eſt. Hunc vero Æddium non alium eſſe ab Eddio cognomine Stephano, qui librum de Wilfridi geſtis ſcripſit, manifeſtum eſt ex venerabili Beda [a], aſſerente, primum,
» poſt Jacobum quemdam, cantandi magiſtrum Northanimbrorum eccleſiis, Eddi,
» cognomento Stephanum, fuiſſe invitatum de Cantia a reverendiſſimo viro Wilfrido,
» qui primus inter epiſcopos, ex Anglorum gente ortos, catholicum vivendi morem,
» quem Anglicanis eccleſiis traderet, diſcere ſtuduit.

* f. anteriori capitis.

a Beda lib. 4. c. 2.

ANN. CHR. 669.

LXV. Theodori geſta in Anglia.

PErvenit Theodorus Cantuariam anno a conſecratione ſua ſecundo, VI. kalendas Junias, die dominica; moxque inſulam totam perluſtrans, quaquaverſum Anglorum gentes commorabantur, rectum vivendi ordinem, canonicum celebrandi paſchatis ritum, comitante & cooperante in omnibus Hadriano abbate, inſtituit, univerſis Anglorum eccleſiis, quod nulli ante archiepiſcopo tributum fuerat, ei conſentientibus. Et quia litteris ſacris ae profanis ambo affatim inſtructi erant, cum græcis, tum latinis; humaniores artes, metricam, aſtronomicam & computum eccleſiaſticum, atque utriuſque linguæ peritiam, cum ſtudio ſacrorum voluminum auditoribus ſuis tanta cum diligentia infuderunt, ut eorum diſcipuli latinam, græcamque linguam, non ſecus ac propriam, callerent, & quicumque ſacrarum litterarum ſcientia erudiri cuperent, in promtu magiſtros ac doctores haberent. Neque umquam prorſus, ex quo Angli in Britanniam acceſſerunt, feliciora fuere tempora, dum & fortiſſimos chriſtianoſque haberent reges, qui cunctis barbaris nationibus eſſent terrori; & ſapientes magiſtros, a quibus, quicumque libris ſacris operam navare vellent, erudirentur. Cum Theodorus Anglicanas obiret eccleſias, locis opportunis ordinans epiſcopos, & ea quæ minus perfecta reperit, emendans; rem contra canones male geſtam intellexit, nempe Ceaddam epiſcopum in eccleſiam Eboracenſem, excluſo Wilfrido, intruſum fuiſſe. quod perperam factum arguenti Theodoro, Ceadda, ut humillimo erat animo, modeſte reſpondit: Si epiſcopatum, inquit, non rite a me ſuſceptum fuiſſe putas, libenter ab officio diſcedo: quippe qui me prorſus eo indignum reputabam, nec niſi obedientiæ cauſa id ſubieram. qua reſponſione placatus Theodorus, epiſcopalem ei honorem non abrogavit, ſed ordinationem ejus, a quarta-decimanis factam, denuo catholico ritu reformavit, eumque in ſedem Liccidfeldenſem tranſtulit, agente apud Wlfarium Merciorum regem Wilfrido, qui hunc locum a principe ſibi amiciſſimo ad deſigendam ſibi, aut cuicumque vellet, epiſcopalem ſedem acceperat.

LXVI. Vvilfridus ſedi Eboracenſi impoſitus quid egerit.

Sic tandem in poſſeſſionem Eboracenſis eccleſiæ introductus Wilfridus, baſilicam, quam S. Paulinus primus ejus epiſcopus erexerat, jam fatiſcentem ac ſemirutam inſtaurare aggreſſus, culmina antiquata & perſtillantia plumbeis tabulis texit; feneſtras, avibus nidificantibus pervias, vitris obduxit; ac parietes incultos & imbrium lapſu muſcidos reformavit, varia etiam ſuppellectile vaſorum & ornamentorum ad cultum altaris, & terrenis opibus ad uſum ſacrorum miniſtrorum collatis. Quin etiam in Ripenſi monaſterio ſuo baſilicam polito ex lapide a fundamentis exſtruxit in honorem ſancti Petri, variiſque columnis & porticibus ſuffultam erexit ac conſummavit: ad cujus dedicationem chriſtianiſſimos reges, Egfridum & Ælwinum fratres, cum abbatibus, præfectis & ſubregulis, variæque dignitatis perſonis, invitavit. Tunc, habito ad principes alioſque omnes ſermone, donationes a prioribus regibus factas percenſuit: ac demum, peracto dedicationis ritu, ſollemne trium dierum epulum regibus atque univerſo populo exhibuit. Ad hæc, quatuor evangelia in membranis purpureis exarari litteris aureis, necnon ſacros bibliorum codices auro puriſſimo, gemmiſque pretioſiſſimis compaginari juſſit, quæ omnia Eboracenſi eccleſiæ pro animæ ſuæ remedio largitus eſt.

Cum aliquando parochiam ſuam ad epiſcopalia munia obeunda, nempe ad baptizandum, conſignandum, & erudiendum gregem ſibi creditum, perluſtraret; inter alios infans exanimis ei oblatus eſt a matre, quæ eum hoc pacto excitandum ſperabat. Nec eam fefellit exſpectatio. nam infans vitam recepit ad preces ſancti antiſtitis, qui eum mox ſacro fonte abluit, ablutumque ſanum & incolumem genitrici reddidit, ea conditione, ut ſibi ſeptimo ejus ætatis anno ad ſerviendum Deo repræſentaretur. Verum cum mulier, ſuadente marito, puerum elegantem Wilfrido tradere refugeret, eumdem præfectus epiſcopi domino ſuo vindicavit. Eodwaldo nomen erat, cognomen Filio-epiſcopi, qui poſtea in Ripenſi monaſterio in Dei ſervitio vixit, uſque dum graſſante peſte exſtinctus eſt.

LXVII. Benedictus abbas Cantuariæ.

Ubi Theodorus ſedem Cantuarienſem iniit, Benedictus Biſcopus ſuburbanum ſancti Petri monaſterium ipſius juſſu regendum poſt Nathanaelem abbatem accepit, duobuſque annis rexit, ejus adminiſtratione deinde relicta Hadriano abbati, ut poſtea videbimus. Utrumque diſcimus ex libro primo Bedæ venerabilis de origine monaſterii ſui, qui in hiſtoria [a] gentis Anglorum, prætermiſſo Benedicto, monaſterium ſancti Petri, ubi Cantuarienſes archiepiſcopi ſepeliri ſolent, Hadriano tradi-

[a] Beda lib. 4. c. 1.

AN. CHR. 669.

„ tum fuiſſe ſcribit, ſtatim ut is Cantuariam pervenit: propterea quod Theodoro ex
„ Urbe diſceſſuro præceperat domnus apoſtolicus, ut Hadriano in ſua diœceſi locum
„ provideret daretque, in quo cum ſuis apte poſſet degere. Verum hæc compendio dicta diſtinctius expoſuit idem auctor in libro de geſtis Benedicti, ſeu de hiſtoria monaſterii Wiremuthenſis, adeoque alterum ex altero ſupplendum eſt. Fallitur ergo Willelmus Thornos, qui, omiſſo Biſcopo, Nathanaëli abbati, poſt duos vacationis annos, Hadrianum proxime ſubjungit. Ejuſdem itaque inſtituti cenſebantur Benedictus & Hadrianus cum Cantuarienſibus illis monachis, regulæ noſtræ addictis. Hoc vero inſtitutum Benedictus hauſerat in Lirinenſi monaſterio ſub Aigulfo abbate, qui ſancti Benedicti corpus e monte Caſino in Floriacenſe monaſterium tranſtulerat.

LXVIII. Agilbertus Pariſiorum antiſtes Leutherium in Angliam mittit. a *Beda lib. 3. c. 7.*

Hoc ipſo anno rex occidentalium Saxonum Cenwalchins, cum multa damna, graviſſimaſque clades pertuliſſet, idque vitio ſuo, propterea quod provincia epiſcopi deſtituta eſſet præſidio, imputaret; Agilbertum Gallum, quondam ejus gentis antiſtitem, ſed in patriam ab ſe remiſſum, revocare conſtituit; miſitque legatos [a], qui ſuo nomine deprecarentur injuriam, & eum ad ſedem ſuam denuo recipiendam invitarent. Sed Agilbertus, qui jam Pariſiorum eccleſiam regendam ſuſceperat, regis precibus non acqnievit, cauſatus, ſe propriæ civitatis ac parochiæ epiſcopatu adſtrictum retineri. Ne tamen piis votis omnino deeſſe videretur, Leutherium nepotem, fratris an ſororis filium, ad regem miſit, ordinandum, ſi princeps vellet, epiſcopum, quo munere eum dignum judicabat. Acceptus honorifice a rege populoque Leutherius, paullo poſt a Theodoro Cantuarienſi pontifice ordinatus eſt, multiſque annis Geviſſorum (ſic populus ille vocabatur) epiſcopatum ex ſynodica ſanctione ſolus diligenter ac ſedulo adminiſtravit. Hic eſt Leutherius epiſcopus, qui Malmeſburienſis monaſterii principiis favit, locumque exſtruendo cœnobio conceſſit Aldhelmo abbati, ut inferius dicemus.

LXIX. Deodatus monaſterium Vallis-Galilææ extruit.

Revertor ad Vallem-Galilææ, ubi Deodatus hoc anno conſedit, exſtruxitque monaſterium, erecta in honorem ſancti Martini baſilica, in qua ſancti antiſtitis, aliorumque ſanctorum reliquias collocavit. Cum multi prædia & poſſeſſiones novæ monachorum coloniæ ſuppeditabant, tum amicus ejus Huno ſeu Hunus in primis erga virum ſanctum munificus fuit, qui inter alia prædium juris ſui in ſuperiori Alſatia, ex ſuo nomine Hunivillare * nuncupatum, ei conceſſit cum eccleſia ejuſdem loci, in qua ipſe cum conjuge ſancta ſepultus, miraculis poſt mortem inclaruiſſe traditur. His acceſſit Childerici regis liberalis munificentia, qui ex fiſco regio Vallem-Galilææ, ab exortu cunctorum rivulorum in eamdem vallem influentium, uſque ad eorum ab ea exitum, eidem loco aſſignavit. Præter ſancti Martini baſilicam, alia etiam ſub titulo & invocatione ſanctiſſimæ virginis Mariæ Dei genitricis, omniumque apoſtolorum, necnon præcipuorum Trevericæ urbis pontificum, Eucharii, Valerii, Materni & Maximini, quorum reliquias ab Hildulfo epiſcopo acceperat, ædificata eſt ad collem, *Juncturas* ideo appellatum, quod Robachus & Morta fluvioli non longe ab ejus pede ſimul jungantur. Hinc *Junctura* dictum primitus, alias Vallis-Galilææ monaſterium, quod poſtmodum ab auctore nomen accepit. Qui librum de geſtis ſancti Deodati ſcripſit anonymus ejus loci monachus, aſſerit ſe vidiſſe in quibuſdam ejuſdem cœnobii chirographis ſeu inſtrumentis, regali & pontificali auctoritate firmatis, unum beati patris Hildulfi archiepiſcopi, con-
„ ceſſum ad poſtulationem venerabilis viri Deodati epiſcopi, qui in Valle-Galilæa,
„ quam ex regis fiſco promeruerat, cœnobia apud Juncturas conſtruxit primus, ubi
„ monachos vel peregrinos, ſub ſanctiſſimorum patrum Benedicti & Columbani re-
„ gula victuros, collocare deliberabat: cui communi decreto ſanctorum antiſtitum,
„ numero duodecim, conceditur, ut nulli regum, vel principum, aut epiſcoporum, ſeu
„ quorumcumque clericorum, in ſuos uſus uſurpare liceat quidquam eorum, quæ ad
„ Dei famulos, ibidem ſub evangelica perfectione degentes, pertinere videntur, &
„ quæ ab ipſo patre Deodato epiſcopo acquiſita fuerint, ſive regio munere, ſeu reli-
„ quorum collatione fidelium, tam in ſacris voluminibus, donariiſque altaris, & ec-
„ cleſiaſticis ornamentis, quam in his, quæ deinceps ipſi ſervi Dei proprio labore ad-
„ dere potuerint. Et quandocumque idem Deodatus, qui tum pater ipſius monaſterii
„ erat, a Deo vocatus fuiſſet, ille ſubrogetur abbas, quem illa congregatio ex ſeſe
„ unanimiter elegerit. Ad hæc, ut ad altaria benedicenda, vel ſacros ordines perci-
„ piendos, ejuſdem loci fratres quem voluerint epiſcopum advocent; nullique epiſco-

porum

* Hunwiller.

AN. CHR. 669.

porum, niſi invitatione aut permiſſu totius congregationis, ſæpta ipſius monaſterii ingredi liceat: qui vero invitatus fuerit, inde expleto miniſterio diſcedat abſque ullius muneris requiſitione. quod ideo fit, ut ſub ſancta regula viventes de perfecta quiete exſultent, & pro ſtatu catholicæ eccleſiæ plenius Deum exorent. Quod ſi in aliquo regulæ ſuæ leges violaverint, & a proprio paſtore corrigi non poſſint; tunc abbas alios abbates, eamdem regulam profeſſos, ad ipſum monaſterium convocet, qui ſententia regulari ſcandalum reprimant. Secus facientibus diræ intentatæ. Hoc privilegium, quod a duodecim epiſcopis ſubſcriptum fuiſſe dicitur, *abſentibus ad ſubſcribendum* directum eſt per venerabiles viros, Bibliobaldum preſbyterum & Labinum diaconum. quo exemplo confirmatur id, quod alibi diximus, privilegia non raro per abſentes fuiſſe ſubſcripta, immo & per ſubſequentes epiſcopos. Huic privilegio inter alios ſubſcripſiſſe dicitur Bodo, alio nomine Leudinus, Tulli-Leucorum antiſtes, & quidem anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo, qui Hildulfi in Voſagum adventum præceſſit. Ceterum ex hoc privilegio novum eruitur argumentum pro Hildulfi [a] pontificatu: qui, ſi Trevirenſis vere epiſcopus non fuiſſet, ejuſmodi privilegium tot epiſcoporum auctoritate roboratum concedere non potuiſſet. *a V. ſupra n. 58.*

LXX. Judoci obitus.

Ad hæc tempora revocari poſſunt obitus ſancti Judoci, ac ſanctorum Serenici & Serenedi confeſſorum. Judocus obiit idibus Decembris, cujus in locum ſeu eremum ſucceſſerunt duo ejus nepotes, Winnochus & Arnochus, qui corpus beati viri diu incorruptum frequenter lavare aqua, ac tondere conſueverant. Deoctrico duci, qui Haimoni in ducatu Pontivenſi ſucceſſerat, de illa incorruptione dubitanti, ob idque ſacrum corpus revelare auſo, loquela cum auditu ſublata, ac totius corporis inflicta debilitas: cujus ſalutem uxor ut a ſancto confeſſore impetraret, villam proprietatis ſuæ, nomine Criſpiſiacum, aliaque ad Quantiam fluvium prædia conceſſit. Sancti Judoci ſacerdotis & eremitæ vitam primus ſcripſit anonymus ſæculo, ut videtur, octavo, eamque nobiliſſimis eccleſiæ filiis, dulciſſimiſque in Chriſti caritate fratribus, egregii patris Judoci monaſterio conſiſtentibus, nuncupavit. Hunc libellum præ oculis habuit Florentius ejus loci abbas anno milleſimo-quinto, cum aliam de ſancto Judoco lucubrationem edidit. quo etiam tempore tertius auctor de eodem ſcripſit. Apud Wandelbertum idibus Decembris ſic de eo legitur:

——Judo:h ſariter colerſque ſacerdos
Egregie, ocea: c dunt cui ſæpe procellæ.

Variis nominibus ejus monaſterium, antequam in abbatiam erigeretur, appellatum invenitur, Cella ſancti Judoci, Wicus, Crucis-monaſterium, Cella-maritima, ſed diſtinguenda ab ea, in qua Wilgiſum, ſancti Willibrordi patrem, ſepultum fuiſſe Alcuinus tradit. Cellam ſancti Judoci vocat Lupus abbas Ferrarienſis, cui Ludovicus auguſtus hanc cellam tribuit. Ab annis amplius ſeptingentis hæc cella in abbatiæ dignitatem erecta eſt, perſeveratque hactenus in eo ſtatu ſub Benedictina congregatione ſancti Mauri.

LXXI. Serenicus & Serenedus fratres.

Serenicus & Serenedus germani fratres, claris parentibus in Italiæ urbe Spoletina orti, poſt navatam ſtudiis operam, Romam petunt, ubi ambo diaconi cardinales creati dicuntur. Fugiendi honoris cauſa in Galliam profecti, primum apud Cenomannos in vico Salvia * conſiſtunt. tum Serenicus cum Flavardo miniſtro ſeceſſit in proximum pagum Oximenſem * principatu Chlodovei junioris, quem auctor anonymus Chlotharium vocat, ibique ſedem fixit in ſcopuloſo monte, quem anfractus Sartæ fluminis ex tribus partibus ambit. Cella exſtructa cum oratorio beati Martini antiſtitis, quod Mileharius Sagiorum epiſcopus abſolviſſe fertur, iſtuc plurimi confluxere diſcipuli ad centum quadraginta, teſtante Orderico [b] Vitali, quorum lapidea, inquit, ſepulcra palam adventantibus inter baſilicam & in circuitu ejus teſtimonio ſunt, cujus meriti & reverentiæ inibi homines requieſcunt. Eo in loco ſupereſt municipium ſancti Serenici * nomine, cui parœcialis eccleſia nuncupata eſt. Is, præter peculiares preces, quotidie Romanum ſeu Gallicanum, necnon & ſanctorum Patrum Benedicti ac Columbani curſum ad horas ſingulas decantaſſe, id eſt recitaſſe, memoratur: ut Chriſto Domino eorum officia perſolveret, quorum exempla ſibi imitanda propoſuerat. Serenedus in vico Salvia

** Sauge.*
** d'Hyeſmes.*
b Orderic. lib. 8.
** S. Celerin.*

ANN. CHR. 669.

* S. Sereni.

a Orderic. ibid.

* Chateau-Thierry

ſubſtitit, ibique vivendi finem fecit, poſtquam Cenomannos fame, peſte, ac bello liberaſſet. Cum vicus ille in dominium veniſſet Andecavenſis epiſcopi, qui Vicum epiſcopi in commutationem dederat; is corpus ſancti Serenedi * tranſtulit in epiſcopalem ſancti Mauricii eccleſiam, ubi ſollemne ejus feſtum quotannis recolitur XII. kalendas Auguſti. Corpus vero ſancti ᵃ Serenici, Carolo Simplice regnante, cum Haſtingus Danus Neuſtriam depopularetur, a fidelibus in Caſtrum-Theoderici * tranſlatum eſt, ac diſperſis monachis ſancti Serenici monaſterium deſtructum.

LXXII. S. Theodardo epiſcopo ſuccedit Landebertus.

Non ultra hunc annum differri poteſt martyrium Theodardi epiſcopi ex abbate Stabulenſi, qui in ſaltu Biwalto, prope Nemetum ſeu Spiram, cum iſtuc Childericum regem contra invaſores eccleſiæ ſuæ prædiorum conveniret, ab ipſis eccleſiæ prædonibus interfectus eſt. In ejus locum, favente rege, ſuffectus vir eximiæ probitatis Landebertus ſeu Lantbertus, opido Trajecto parentibus locupletibus, & inter loci præſides venerandis, oriundus. Herigerus abbas, & ex eo alii, patrem ipſius Aprum, virum illuſtrem & comitem; matrem Heriſplendem, æque nobilitate claram, vocant. Landebertum adoleſcentem pater ejus Theodardo epiſcopo commendavit, divinis dogmatibus ac monaſticis diſciplinis *in aula regia* erudiendum. quod ita interpretor, ut aulæ regiæ obſequio deſtinatus ſit a patre, ob idque Theodardi commiſſus diſciplinæ, ut eum ad aulam regiam, id eſt ad aulæ regiæ miniſterium, erudiret. Neque enim veri ſimile eſt, Theodardum, virum ſanctum, & ſolitariæ vitæ aſſuetum, aſſidue in aula regis verſatum fuiſſe, ut Landebertus in aula regia inſtitutus dicatur. Tantam vero gratiam apud eumdem pontificem obtinuit, ut quaſi filium & heredem eum haberet, eumdemque ſucceſſorem deſignaturus fuiſſet, ſi canones id permiſiſſent. Theodardo mortuo, viri optimates & palatii rectores Landeberti meritum Childerico regi approbarunt, eum ſacerdotio dignum, & pontificali parem eſſe conteſtati: adeo ut, accedente cleri & populi electione, rex non ægre aſſenſerit, ut is in demortui locum ſubrogaretur, & quidem anno ætatis ſuæ viceſimo-primo, ſi Ægidio Aureæ vallis monacho credimus. Hac in dignitate ſummum apud principem locum obtinuiſſe traditur. Initio pontificatus magiſtri ac deceſſoris ſui corpus ex martyrii loco vix tandem impetravit, & in villa publica Legia ſeu Leodico ſepelivit cum eo honore, qui martyrem decebat.

LXXIII. S. Placidi monaſterium Meſſanæ vaſtatum.

Sub hæc tempora, cum Sarraceni, Siciliam appulſi, Syracuſas in primis devaſtaſſent, ex Anaſtaſio, & cæſis aut ſpoliatis incolis, magnam inde prædam Alexandriam referrent, eamdem etiam cladem Meſſanæ civitati intuliſſe dicuntur, ac ſuburbanum ſancti Placidi monaſterium cum prædiis ad ipſum pertinentibus penitus devaſtaſſe, monachis pleriſque martyrio affectis. Exſtant apud Baronium ad hunc annum
» reliquorum Meſſanenſium monachorum litteræ, congregationi Caſinenſi Lateranis degenti inſcriptæ, quibus ad ferendam miſeris opem, & ad ſubſidium inſtaurando ſancti Placidi monaſterio conferendum Lateranenſes monachos cohortantur. His
» litteris accedunt aliæ Vitaliani papæ, directæ dilectis in Chriſto filiis ſub patris
» Benedicti & Placidi dominio in Sicilia conſtitutis: quos ſimiliter hortatur pontifex ad ferendas pio operi ſuppetias, & ad cooperandum Lateranenſibus monachis,
» quos de Caſinenſi congregatione ad monaſteria reſtauranda, & ad civitates, caſtra,
» poſſeſſiones, & villas recuperandas in Siciliam direxerat. Has vero litteras Baronius conſulto retulit ex appendice chronici Caſinenſis, ne eas *invidioſe* prætermiſiſſe videretur: his verbis ſatis innuens, eas ſibi non omnino probari: maxime quod Anaſtaſius hanc Sarracenorum in Siciliam impreſſionem ſub Adeodato Romano pontifice accidiſſe dicat, non ſub Vitaliano, quem Baronius obiiſſe hoc anno perperam exiſtimavit: cum ſuperſtes fuerit ad annum ſeptingenteſimum-tertium: qui calculus, ne quid diſſimulem, prædictas litteras magis ſuſpectas reddit.

ANN. CHR. 670.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEXTUS-DECIMUS.

Ab anno Chriſti 670. ad annum 679.

I. Chlotharii regis mors.

AD annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum diſtulimus obitum Chlotharii regis eo nomine tertii, quem Francis ſeu Neuſtraſiis ac Burgundionibus ab anno ejuſdem ſæculi quinquageſimo-ſexto, quo eum Chlodoveo patri ſucceſſiſſe diximus, per annos quatuordecim imperaſſe conſtat. Sane Wandregiſilus abbas Fontanellenſis Balthildi Chlotharii matri trium ejus filiorum ſucceſſiones & obitus prædixiſſe memoratur: « e quibus HLotharius, qui natu-major erat, quartum-decimum regni annum ejus agens, conſortiis humanis ſubito caruerit. » Ex quo patet large falli eos, qui eum annis dumtaxat quatuor regnaviſſe putant, quibus liber de geſtis regum Francorum mendoſiſſimus fucum fecit. Deceſſit Chlotharius, nullis liberis, qui ſibi ſuccederent, relictis; ſepultuſque eſt in baſilica monaſterii Calenſis, quo Balthildis ejus parens ſe ſe incluſerat. Regis tumulus hodie quoque viſitur in majori ſanctæ Mariæ baſilica, tametſi hæc non ante ſæculi noni initium exſtructa videtur a Giſela abbatiſſa, quæ ſanctimoniales in eam baſilicam tranſtulit ab eccleſia ſanctæ Crucis, ubi etiam nunc ſanctæ Balthildis lapis ſepulcralis in ſubterranea crypta exſtat. Inter ea quæ Chlotharius locis ſacris donavit, Caput-cervium * Floriacenſi monaſterio, prædium in finibus Biturigum Autharii vel Otherii inter Aquitaniæ proceres nobiliſſimi, quem ob perfidiam occidi, ejuſque bona publicari juſſerat, contuliſſe perhibetur apud Adrevaldum; & vicum Exonam in pago Pariſiaco beati Dionyſii monaſterio legaviſſe: ad hæc Godebertæ virgini ſuum Noviomenſe palatium cum ſuburbano oratorio ſancti Georgii martyris, duaſque villas fiſcales ad cœnobium virginum inſtituendum.

* Sacergi.

Childericus ſolus regnat.

Supererant Chlotharii fratres duo, Childericus ac Theodericus: ex quibus Childericus ab anno ejus ſæculi ſexageſimo rex Auſtraſiorum agnitus fuerat, & Mettis ſedem regiam habebat. Theodericus apud Balthildem matrem, Chlothariumque fratrem hactenus privatam vitam egerat. Hunc Ebroïnus præfectus palatii Neuſtraſiis ac Burgundionibus loco demortui fratris regem imponere conſtituit: ut ipſe, ſicut ante Chlotharii, ſic adoleſcentis regnum procuraret. Verum Neuſtraſiis ac Burgundionibus optimatibus aliter viſum eſt, qui Ebroïni jugum, tantopere ſibi grave ac moleſtum, excutere cupientes, Childericum ex Auſtria evocarunt, ubi eum ad id tempus ſecunda fama regnaſſe compererant. Ejus conſilii auctor in primis

ANN. CHR. 670.

exſtitit Leodegarius, Ebroïno jam dudum ſuſpectus, propterea quod nec minis ſuis eum terreri aut frangi poſſe, nec ipſi adulari velle intelligeret; ob idque edixerat, nequis de Burgundia in Chlotharii palatium, niſi ab ſe vocatus, veniret. Legatis e Neuſtria miſſis, confeſtim advolat ex Auſtria Childericus cum Wlfoaldo palatii ſui præfecto, multiſque aliis proceribus, & ab omnibus Neuſtraſiis & Burgundionibus rex conſalutatur. Ebroïnus vero jam ſe a ſuis deſertum videns, in eccleſiam confugit, mortemque tandem evaſit, Leodegario in primis deprecatore; & in monaſterium Luxovienſe eſt relegatus, ut admiſſa facinora inedia, vigiliis, & orationibus expiaret. Uxor ejus Leudetrudis in Sueſſionenſe beatæ Mariæ cœnobium, quod ipſa viro favente conſtruxerat, ſe recepit. Theodericus vero Childerici juſſu tonſus, & in monaſterium ſancti Dionyſii martyris ſecedere juſſus eſt, poſtquam Dei judicium appellaſſet; ibique ſervatus, donec ipſi coma recreſceret.

Childericus hoc modo totius Franciæ rex conſtitutus, principio quidem prudenter ſe geſſit, uniuſcujuſque provinciæ leges & conſuetudines obſervari juſſit, ſuoſque ſingulis aſſignavit rectores, quos vetuit ex una provincia in aliam invadere. Uſus eſt tum conſiliis Leodegarii epiſcopi Auguſtodunenſis, quem ſecum in palatio jugiter retinuit, donec demum pravorum conſiliis & invidia corruptus, de ejus pernicie cogitare cœpit. Illud maxime Childericum accendebat in pium ſacerdotem, quod is regem arguebat ob leges ac conſuetudines patrias contra proprium edictum immutatas, & propter inceſtum ejus conjugium, utpote qui conjugem haberet *filiam avunculi ſui*, id eſt patrui, ut ego quidem interpretor, nempe Sigiberti, cujus proinde filia fuerit Bilichildis Childerici conjux. Hinc eſt quod Imnechildis, Sigiberti quondam uxor, plurimum auctoritate valuerit apud Childericum, dum in Auſtria regnaret: ut varia probant diplomata, quibus ipſa cum Childerico, aliquando etiam cum Bilichilde regina ſubſcripſit. Itaque ejuſmodi objurgationes, conſpirantibus æmulis, Childericum in Leodegarium ita commoverunt, ut e palatio abſcedere & in urbem ſuam ſe recipere elegerit, ubi ipſi ne quidem tuto eſſe licuit.

II. Vvandeberctus abbas S. Dionyſii.

Cum Theodericus in S. Dionyſii monaſterium retruſus eſt, ibidem abbatis officium gerebat Wandeberctus, Aigulfi an proximus ſucceſſor, in vulgatis indicibus omiſſus, in quibus Leobeſarius abbas Aigulfo ſubſtituitur. Verum inſtrumenta, in quibus Leobeſarii nomen invenitur, ſubleſtæ fidei ſunt, nec ullam merentur auctoritatem. Wandebercti abbatis mentio eſt in quodam diplomate authentico, in papyro ægyptiaca ſcripto, ſed mutilo, in quo regis nomen cum primis verſibus avulſum eſt.
» Is Chlotharius videtur eſſe rex ille, qui, uti poſtulabat Wandeberctus abbas, de ba-
» ſilica peculiaris patroni ſui domni Dionyſii, quem Dioninſem vocat, ubi ipſe in
» corpore requieſcit, eidem baſilicæ confirmat loca nuncupata Aguciacum, Cuſdu-
» num, Magninovillam, Medianovillare & Gellas, ſitas in pago Belloacinſe, ad ma-
» tricolarios prædictæ baſilicæ: quæ loca ante conceſſerat cum avia ſua Nantechilde
» Chlodoveus ipſius pater, dum adoleſcens eſſet, nec poſſet adhuc ſubſcribere, ut-
» pote manu ejus trepidante & calamo: ſed poſtea idem Chlodoveus adultior factus
» ſubſcripſerat. Chrodinus obtulit, unus ex referendariis. Mutilus eſt ultimus etiam verſus, in quo diplomatis chronicæ notæ adſcriptæ erant. Hoc diploma nobis cum aliis nonnullis exciderat, revolventibus tabularium Dionyſianum, cum opus de re diplomatica meditaremur. Ejuſdem regis videntur eſſe alia duo placita, itidem in principio & in fine mutila: quorum unum eſt agentium baſilicæ ſancti Dionyſii adverſus Beracharium epiſcopum, de quibuſdam poſſeſſionibus, quas epiſcopus ille ſibi vindicare moliebatur. Dum itaque rex una cum optimatibus palatii ſui, quo-
» rum nomina exciderunt, ac ſeneſcalcis Widrachado & Anſbercho, necnon Cha-
» doaldo comite palatii, ad univerſorum cauſas audiendas & terminandas reſideret;
» veniſſe dicuntur agentes monaſterii domni Dionyſii, ubi ipſe precioſus domnus in
» corpore requieſcit, adſerentes adverſus virum apoſtolicum domnum Beracharium
» epiſcopum, quod Ermelenus quondam, & filius ſuus Godo quamdam donationem
» baſilicæ ſancti Dionyſii feciſſent. Contra vero Beracharius aſſerebat, quod ab ipſo
» Ermeleno epiſtolas donationis genitori ſuo conſcriptas haberet, & in præſentia dom-
» ni & genitoris ſui *inclytæ recordationis* (ita rex loquebatur) Chlodovii relectas, ex
» quibus perſpicuum erat, hæc loca hereditario jure ad ipſum Beracharium perveniſſe.
» Sed reclamabant agentes ſancti Dionyſii, dicentes, ejuſmodi donationes, quas Er-

AN. CHR. 670.

menaldus Beroaldo, ejuſque heredibus fecerat, declaratas fuiſſe vacuas & inanes; ipſiſque Ermeleno & Godoni relictam eſſe facultatem de eis rebus pro libito ſuo diſponendi. Ex adverſo interceſſit quidam Madroaldus, contendens duas partes illarum rerum ſibi deferri, quas a Berachario per venditionis titulum ſibi comparaverat. Sed tandem, auditis partibus, inluſter vir Chadoloaldus comes palatii, qui initio Chadoaldus dicitur, hæc loca ſancti Dionyſii baſilicæ adjudicavit, quæ ſunt Simpliciacus, Tauriacus, Stupellæ, Flaviniacus, Pociuſciniacus, Burgonnus, Alintummæ, Saſtivale, Cambariacus, Burſiacus, Coriacus, & Munciacus; placuitque Berachario epiſcopo duas illas partes baſilicæ ſancti Dionyſii reſtituere, pollicitus, ſe has poſſeſſiones adverſus Madroaldi interceſſionem vindicaturum. Beracharius ille non alius videtur eſſe a Berario epiſcopo Cenomannenſi, qui ortus ex nobiliſſimis parentibus, partim Francus[a] ſeu Neuſtraſius, partim Aquitanicus, tempore Chlodovei junioris, ac filiorum ejus Chlotharii, Childerici ac Theoderici, eccleſiam illam rexit. In alio placito ſubſequenti Ingoberta jugalis ſeu uxor quondam prædicti Ermeleni contendebat, Tauriciacum* villam ab eo ſibi conceſſam fuiſſe. Contra monaſterii ſancti Dionyſii actores id pernegabant. Sed quidam pontifex, cujus nomen ex autographo mutilo avulſum eſt, forte idem qui ſupra Beracharius, oſtendit precariam ab ipſa femina de eadem villa factam, qua conſtare videbatur, Ermelenum ei hanc donationem feciſſe. Ar contra S. Dionyſii actores venditionem & precariam ab eodem Ermeleno factam germano ipſius Chugliberćto oſtendebant, de omni corpore facultatis ſuæ in his villis conſcriptas; & quod ipſas duas partes ab eodem Chugliberćto accepiſſent. Demum inluſter vir Chadoloaldus comes palatii ſententiam tulit ſecundum monachos. Theoberćtus rogatus ſubſcripſit in menſe Novembri, anno tertio regni, incertum an ejuſdem regis, tametſi in utroque placito idem eſt palatii comes Chadoloaldus ſeu Chadoaldus, ſed qui ſub ſequente rege, forte Childerico, idem munus gerere potuit, jam mortuo Ermeleno, qui in ſuperiori placito ſuperſtes erat. Horum omnium fragmenta habentur in appendice ad hunc tomum.

III. Brogarienſis parthenonis fundatio.

Inſignis eſt hoc anno conditio monaſterii Brogarienſis in pago Stampenſi ad fluviolum Urbiam per illuſtrem feminam Deo devotam, nomine Chrothildem, quæ neptem ſuam Mummolam ibidem abbatiſſam inſtituit. Ejus hac de re litteræ a nobis vulgatæ ſunt in libro ſexto[b] de re diplomatica, ubi Chrothildis, ad abſtergenda facinora ſua, ſimul ad æterna gaudia promerenda, monaſterium ædificare ſtatuit, in quo chorus ſanctarum virginum divinas laudes jugiter devota mente canere poſſit. Et ideo in Dei nomine & in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & aliorum ſanctorum, quorum pignora in ipſo loco jam habebantur, monaſterium puellarum fundare decrevit in loco nuncupato Brogaria, in pago Stampenſi, prope fluviolum Urbiam, ubi neptem ſuam Mummolam inſtituit abbatiſſam, ea ratione, ut ſub evangelica & apoſtolica traditione *& regula ſanctorum patrum*, perpetuis temporibus ibidem vivatur; & præcipue ut nulla monacha in eodem monaſterio quippiam peculiare habere præſumat, ſed ſint illis omnia communia. Ad hæc ut, cum abbatiſſa ejuſdem loci de hoc ſæculo fuerit evocata, quam cuncta congregatio unanimiter regula bene inſtructam elegerit, in loco ipſius ſucceſſor inſtituatur. Pro dotatione vero monaſterii aſſignantur duæ partes ex vico Luctuoſo, medietas ex Pladano, medietas item ex Fontaneto, cujus alia medietas, quam dicta Chrothildis inluſtri viro Charicaldo delegaverat, poſt ejus obitum ad ipſum monaſterium revertere debeat. Huic chartæ ſubſcribit inluſtris Deo devota Chrothildis, & poſt eam Aggilbertus epiſcopus, haud dubie Pariſienſis, in cujus diœceſi monaſterium ſitum erat; tum Ermenrigus, Vaningus, Ghiſlemarus, aliique optimates, aliunde noti; Chrodecarius abbas, aliique. Actum apud Morlacas vicum publice, quod fecit menſis Martius dies decem, anno ſexto-decimo regni Chloracharii regis. Rigobertus rogante & præſente Chrothilde ſcripſit & ſubſcripſit. Inſignis eſt hæc chronologica nota Chlotharii regis, cui anni dumtaxat quatuordecim regni ab aliis ejus ævi ſcriptoribus accuratioribus tribui ſolent, præterquam in libello de vita ſancti Vincentiani confeſſoris, cujus dedicatio eccleſiæ per Rnſticum Arvernenſem epiſcopum facta dicitur *poſt obitum viri Dei Vincentiani octo menſibus jam tranſactis, quintodecimo ſcilicet kalendas Septembris, ſub rege Chlothario quinto-decimo anno.* qui calculus ut cum alio componatur, dicendum eſt, Chlotharium forte vivente patre de-

[a] Analect. to. 3 p. 167.
* f. Toury.
[b] Diplomat. p. 468.

ANN. CHR. 670.

ſignatum fuiſſe regem; aut ea diverſitas rejicienda eſt in annos cavos. Ut ut eſt, inſignis eſt hæc charta Chrothildis feminæ illuſtris ac Deo devotæ, quam regii ſanguinis fuiſſe veri ſimillimum eſt ex ſubſcriptionibus virorum illuſtrium, qui ejus litteris nomen ſuum appoſuerunt. Eſt autem Brogaria * vicus diœceſis Pariſienſis in pago Stampenſi, haud procul a Caſtris * opido, inter duos amnes, Urbiam *, & Remandam*; Caſtellum vulgo dictus, ad diſcrimen Altæ-Brogariæ, ubi cœnobium eſt Fontis-Ebraldi, cum nullum modo ſuperſit in Caſtello-Brogaria.

* Bruyere le chasteau. * Châtres. * l'Orbe. * Remande.

IV. Chrodegarius abbas Corbeienſis poſt Theodefredum.

Chrodecarius, in ſuperiori laudatus inſtrumento, mihi non alius aliquando viſus eſt a Chrotcario ſeu Rotgario abbate ſecundo Corbeienſi, ſucceſſore Theodefredi ſeu Teudofredi abbatis primi, eum is ad pontificalem apicem promotus eſt. Verum, poſt maturius examen, mihi videntur plane diverſi, propterea quod nonniſi mortuo Chlothario, quo regnante Chrodecarius abbas prædictæ chartæ ſubſcripſit, Theudoſredus abbas regimen Corbeienſis monaſterii Chrodegario reſignavit. Id patet ex diplomate Theoderici regis, confirmantis electionem Eremberti ejuſdem loci abbatis poſt mortem Chrodegarii, *quem apoſtolicus vir domnus & pater noſter*, regis verba ſunt, *Theodefredus epiſcopus, dum & ille onus pontificale meruit accipere, per noſtram voluntatem & præceptionem, ad regendum & dominandum monaſterio ſupra ſcripto conſtituit.* Ex quibus verbis intelligitur, Chrodegarium, Theodefredo facto epiſcopo, in regimine monaſterii Corbeienſis non ſucceſſiſſe ante ipſius Theoderici principatum, qui ejus ſubſtitutionem probavit, ſive id contigerit ſtatim a morte Chlotharii, cum Theodericus ad breve tempus Neuſtriæ & Burgundiæ regnum iniit: ſeu poſt mortem Childerici exturbatoris ſui, cum ſolus Francorum regno tandem potitus eſt. Eo certe regnante Theodefredus ex abbate epiſcopus evaſit, eamque dignitatem etiam retinebat eo tempore, quo ſcriptor ille anonymus libellum de vita ſanctæ Balthildis ſcribebat, id eſt paullo poſt ipſius reginæ obitum, quam auctor ille merito laudat a condito monaſterio Corbeienſi, *ubi*, inquit, *venerablis vir domnus Teudofredus, nunc jam epiſcopus, tunc vero abbas, magno gregi fratrum præfuit.* Epiſcopus ergo fuit Theudofredus toto fere Theoderici principatu: at cujus loci, non convenit inter auctores, quorum alii eum Ambianenſem, alii Cameracenſem faciunt. Verum, ut Cameracenſis fuerit, tametſi huic opinioni favent quædam ſchedæ recentiorum temporum, non facile aſſenſerim: tum quia Theodefredi nomen deeſt apud Baldericum in chronico Cameracenſi: tum quia toto fere Theoderici regis principatu hanc eccleſiam rexit Vindicianus, qui eam poſt ſanctum Autbertum Chlothario ſuperſtite obtinuit. An autem Ambianenſis antiſtes fuerit Theodefredus, affirmare nolim, etſi locum habet in vulgatis indicibus poſt ſanctos Honoratum & Salvium, qui, ſi tempore Theoderici tertii eam ſedem tenuerint, nullum Theodefredo vacuum relinquunt locum ſub hoc rege, quo tamen regnante eum epiſcopum factum eſſe conſtat ex diplomate ejuſdem regis, confirmantis, ut jam diximus, electionem Ermemberti abbatis poſt Theodefredi promotionem epiſcopalem, qui eum ſibi ſucceſſorem ſuggeſſerat. Ex quibus refelluntur quidam Corbeienſium abbatum indices, in quibus Theodefredus Cameracenſis epiſcopus dicitur, eidemque tres dumtaxat anni abbatialis regiminis tribuuntur. In veterrimo kalendario ſanctorum, qui libro paſtorali beati Gregorii præmittitur in codice quodam Corbeienſi, notatur VII. *idus Octobris Corbeia monaſterio depoſitio Teodefridi abbatis*, nulla epiſcopalis ejus dignitatis, tametſi aliunde exploratæ, mentione facta. Nullam ejus memoriam faciunt in divinis officiis noſtri Corbeienſes.

V. Vigilius epiſcopus Autiſiodori monaſterium B. Mariæ condit.

Autiſiodorenſem eccleſiam per id tempus cum multa laude adminiſtrabat Vigilius epiſcopus, qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia, monaſterium in ſuburbio civitatis Autiſiodorenſis exſtruxit, plurimiſque donis ac prædiis ditatum in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ dedicavit, quod muro circumcinctum monachis attribuit, inſtituto ibidem xenodochio in uſus pauperum. Ita fere legitur in veteri hiſtoria epiſcoporum Autiſiodorenſium, ubi Vigilii hac de re teſtamentum ſeu inſtrumentum laudatur. Hujus teſtamenti exemplum habemus, prolixum [a] quidem, ſed
» in fine mutilum, quod inſcriptum eſt ſanctæ ac venerabili baſilicæ domnæ Mariæ,
» genitricis domini noſtri Jeſu-Chriſti, quam ipſe Vigilius opere ſuo in ſuburbio civi-
» tatis Altiſioderi ait ſe conſtruxiſſe, & monachis ibidem deſervientibus tradidiſſe.
» Tum ſubdit, ſe donare eidem baſilicæ in alimoniam pauperum ibidem reſidentium,
» vineas illas, ubi ipſa baſilica conſtructa eſt; aliaſque ad ſtradam publicam, quæ a

[a] V. Append.

AN. CHR. 670.

porta Pariſiaca ad Senones ducit; ad hæc areas *infra*, id eſt intra, muros ipſius civitatis, quas cum inluſtri viro Helchileno commutaverat, aliaſque extra muros ejuſdem civitatis, juxta portam ſuperius dictam, quas a Lupono abbate dato pretio comparaverat. Præter ea prata ſuper fluvio Belchæ * ex agro Bercuiacenſi, quem genitores ſui tenuerant; & terram portionis ſuæ in villa Cauliaca * ſuper fluvio Icauna, quantumcumque genitores ſui ibidem tenuerant. Ex quibus intelligitur, Vigilium ex urbe Autiſiodoro fuiſſe oriundum. Pari modo Pauliacum * villam pagi Autiſiodorenſis ad fluvium Ligeris, aliaque in aliis locis; itidemque in pago Tornotrinſi * portiones ſuas de villa Flauniaco *, quas ab inluſtri viro Helchileno, & germana ſua Frautilde receperat; aliaque nonnulla. Similiter portiones ſuas in villis pagi Senonici & Tornotrinſis, Treviciaco, Melarione, Cadugio, & Imantia, quas Aſper quondam tenuerat, & a germano ipſius quondam abbate Gregorio comparaverat; inſuper portiones ſuas in agro Matiriacenſi, & Solemniacenſi, ſitas in pago Tornotrinſi, quas Diddo quondam epiſcopus, vel filii ipſius Claudius & Waiferius tenuerant. Denique, ut plurima alia omittam, villam Dulcium, quæ conjacet juxta fines Intramninſes *, quam amita ſua Flotildis teſtamento ſibi dederat; & portionem ſuam in colonica Quaciariæ, quam cum germana ſua Avolana commutaverat; necnon agellum ſuum, qui vocatur Lano-villa, quem de Ebroaldo abbate, vel heredibus ſuis receperat. Cujus loci epiſcopus fuerit Diddo, cujuſve monaſterii abbates Luponus, Gregorius & Ebroaldus, non liquet. Vigilius juſſu Warattonis majoris-domus necatus memoratur, ac ſepultus in monaſterio ſanctæ Mariæ ab ſe exſtructo, quod proceſſu temporis canonicis ſæcularibus ceſſit, Præmonſtratenſibus demum conceſſum ab Hugone dicto Matiſconenſi, Autiſiodorenſi epiſcopo, optione ſæcularibus canonicis data, ut aut inde recederent, aut ſupervenientium fratrum ſe ſe ordini conformarent. Ceterum monaſterium olim extra, nunc intra muros urbis poſitum, priſcum nihilo minus vocabulum Noſtræ-dominæ-extra-muros hactenus retinet.

* la Belche.
* Coulange ſur Yonne.
* Pouilly.
* de Tonnerre.
* Flogny.
* d'Antrain.

VI. S. Fructuoſi epiſcopi obitus.

Ad hunc annum revocamus mortes illuſtrium virorum, Fructuoſi Bracarenſis epiſcopi, Adelphi abbatis Habendenſis, & quorumdam Deſertinenſium monachorum, necnon Wlfetrudis abbatiſſæ Nivialenſis. Fructuoſus febre correptus, prænuntiatum ſibi olim obitum imminere ſentiens, diſcipulis brevi ſe moriturum aſſeruit. Cunctis flentibus ſolus ille exſultabat. Rogatus num mortem timeret: Nun timeo plane, inquit. Scio enim, quod, etſi peccator, ad præſentiam Domini mei proficiſcor. Poſt hæc in eccleſiam ſe deportari juſſit, domuſque ſuæ rebus omnibus ordinatis, unum e miniſtris ſuis Decentium, qui ſibi ab adoleſcentia ſervierat, impoſita manu abbatem ordinavit Turonil monaſterii, quod prope Bracaram ſitum erat. Tum ille *pænitentiam legitime* accepit, nec amplius ab eccleſia receſſit, ſed reliquum diei & ſubſequentis noctis ſpatium ante ſanctum altare proſtratus jacuit. Ad lucis crepuſculum, expanſis ad orandum manibus, ſanctum & immaculatum Deo reddidit ſpiritum. Corpus ejus ſepulturæ mandatum eſt in Montellenſi monaſterio, quod ipſe inter Dumium & Bracaram exſtruxerat: poſtea a Gelmiride primo Compoſtellæ archiepiſcopo Compoſtellam tranſlatum, magna ibidem fidelium veneratione colitur. Ejus feſtus dies apud Bracarenſes & Compoſtellanos celebris eſt XVI. kalendas Maii. Librum de ejus geſtis compoſuit auctor ejus temporis, qui narrationis ſuæ teſtes adducit ejuſdem Fructuoſi diſcipulos, Benenatum, Julianum, & Caſſianum. Hunc auctorem quidam recentiores exiſtimant eſſe Valerium abbatem ſanctum, qui Fructuoſo in regimine monaſterii ſancti Petri de Montibus ſucceſſit, tametſi non levis apparet ſtili diverſitas inter hanc vitam & fragmentum ſermonis ipſius ſancti Valerii, qui refertur in Concordia regularum.

VII. Adelphii item abbatis Habendenſis.

Adelphus ſeu Adelphius abbas monaſterii Habendenſis ſeu ſancti Romarici in Voſago, ubi duplex congregatio erat, virorum ac puellarum, ſub idem tempus itidem ſupremum diem abſolvit in Luxovienſi monaſterio, quo pænitentiæ cauſa ſeceſſerat ſub Ingofredo abbate. Aderat extrema dies, qua vir ſanctus jam effetus e terreno corpore migraret. Cum hora ſurgendi ad orationem inſtaret, dixit ſancto fratri Fmmoni, cui cura hoſpitum, adeoque ipſius Adelphi incumbebat: Qua hora vis, domne Emmo, ut eamus ad orationem? At ille tantiſper exſpectandum dixit, dum ſignum pulſaretur; moxque Emmone digreſſo foras, ejus *officialis* ſeu famulus remanſit cum Adelpho: qui ſubito brachii dolore ſupra modum vexatus, famulum

Digitized by Google

ANN. CHR. 670.

accerſiit. Mox ſigno crucis ſuper frontem & corpus ſuum facto, dicto ſemel & iterum, *Chriſte adjuva*, animam exhalavit. Nuntio de ejus morte ad Habendenſes perlato, mox vir illuſtris domnus Garichramnus abbas, qui Adelpho ſuffectus fuerat, de nocte conſurgens, cum monachorum ſuorum turma, & promiſcua turba populi, Luxovium perrexit, acceptumque corpus ſancti viri cum ſanctorum reliquiis, cereis & crucibus, ſollemoi pompa tranſtulit in caſtellum Habendenſe. Accedentibus obviam proceſſit ſancta Tetta abbatiſſa, alio nomine dicta Cebetrudis ſeu Gebetrudis, una cum ſanctis ſororibus, quæ ſanctorum reliquias cum cereis & crucibus præferebant. Sic proceſſere omnes præcedentibus choris monachorum cum ſancti viri corpore, choro virginum cum Tetta abbatiſſa eminus ſubſequente: quos ſequebatur populus turmatim diviſus io tres cuneos. Utriſque choris in Dei laudes effuſis, vocibus pſallentium & canentium tota illa terra perſonabat. Tandem ventum eſt ad ſacrum montem, Deoque diſpooente contigit, ut eo ipſo die, quo ſancti Amati feſtivitas agebatur, ejus filioli corpus in eadem baſilica ſepeliretur, id eſt in baſilica ſancti Petri, ubi in urnam paratam depoſitum eſt. Eo humato, cæleſtes canentium voces in oratorio non ſemel auditæ, tum a quodam diacono procuratore monaſterii, tum a quibuſdam ſanctimonialibus, quæ in eadem baſilica voces tamquam miſſas celebrantium audierunt. Libellum de vita ſancti Adelphi, jubente Tetta abbatiſſa, ſcripſit anonymus quidam monachus, qui etiam ſanctorum Amati & Romarici abbatum facta litteris mandavit.

VIII. Monachorum Deſertinenſiũ cædes.

Sub idem tempus effera gens Avarum ſeu Hunnorum, quos Grimoaldus rex Langobardorum adverſus Lupum ducem Foro-julienſem auxilio evocaverat, Forojulio ab eodem pulſa, hinc inde errabunda, in Rætias invaſit, atque in totam circumquaque regionem, atque adeo in Deſertinenſe monaſterium ejuſque monachos, dire graſſata eſt. nam quotquot in monaſterio reliqui erant, gladio peremerunt, & ablatis rebus omnibus locum in deſertum redegerunt. Cum illos eo adventare comperiſſet Adalbero, qui poſt beatum Sigiſbertum ejuſdem loci regimen tenebat, venerabiles ejus reliquias una cum oſſibus ſancti Placidi martyris e loculis extulit, & Turegum * mature aſportari curavit, ſimulque theſaurum eccleſiæ, cu-
» jus ſingulæ partes in veteri codice recenſentur in hunc modum. Sarcophagus para-
» tus uous (quod de feretro ſacrarum reliquiarum interpretor;) tabulæ altaris quin-
» que, capſæ tres, evangelia parata duo, codices novem, cruces tres majores, & tres
» minores, ſigillus unus, calices argentei quatuordecim, patenæ duodecim, calix au-
» reus cum patena una, urceus unus argenteus, ampulla una argentea, cola una ar-
» gentea, (colatorium erat ad expurgandum vioum ſacrificii;) vas incenſi unum, tu-
» ribula duo, coronæ tres argenteæ, circuli ſeptem, campana novem: baſes quatuor,
» palliola novem-decim, facieterculi viginti-quatuor, dalmaticæ duæ, cingula quatuor,
» ſtola una, caſula una, candelabra duo. Hæc omnia Turegum allata cum reliquiis ſanctorum. Hunni, occiſis monachis, qui apud Deſertinam reliqui erânt, incenſoque monaſterio, & ipſi demum a Rætis circumventi, ad internecionem perierunt. Accidit autem hæc Deſertinæ clades hoc anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo, ut habet vetus codex, & quidem tertio nonas Auguſti. Reverſus Turego Adalbero abbas cum aliquot monachis, reliquias ſacras loco reſtituit, ac monaſterium reſarcire pro modulo curavit.

* Zurich.

IX. Sancta Vlfetrudis abbatiſſa Nivialenſis obit.

In Belgio eodem anno contigit obitus Wlfetrudis abbatiſſæ Nivialenſis, quam beata Gertrudis, ejus amita, in ſui locum ſubſtituerat. Hæc Gertrudis *neptis*, ab ipſis fere incunabulis monaſticæ diſciplinæ innutrita, in Gertrudis locum vicennis puella ſucceſſit, mitis in ſubditos, erga ſuperbos conſtans & quodam modo dura, caritate in Deum & proximum fervens, eximia caſtitate prædita. Contigit autem *ex odio paterno*, ait primus ejus vitæ ſcriptor, ut reges, reginæ, atque etiam ſacerdotes, id eſt epiſcopi, ex invidia illam primum quidem ſuaſionibus, deinde per vim, ſuo eam loco abſtrahere conarentur; ut res monaſterii inique occuparent. Sed ipſa Dei & ſanctorum ope adverſariis invicta reſtitit, tantamque ei Dominus gratiam contulit, ut qui antea per cupiditatem ejus accuſatores exſtiterant, poſtea largitate & beneficiis ejus ſe defenſores exhibuerint. Hunc locum male reddidit Surius & qnod in genuina primi auctoris ſcriptione *ex odio paterno* in Wlfetrudem factum dicitur, id ita reddidit Sorius, quaſi *pater ejus id effeciſſet*, quippe qui doleret *eam id vitæ genus complexam.* omnino contra mentem auctoris. Rectius Bollandi continuatores

ANN. CHRI 670.

elnuatores id factum cenſent eveniſſe ob invidiam & odium Grimoaldi, quem Wlfetrudis patrem exiſtimant: qui ob relegatum in Hiberniam Dagobertum, Sigiberti regis filium, intruſumque ejus loco filium ſuum Childebertum, offenſam regum, reginarum ac ſacerdotum incurrerit; adeoque non mirum, ſi eo mortuo iidem reges ac ſacerdotes in Wlfetrudem patris injuriam ulciſci voluerint.

Anno poſt Gertrudis obitum decimo in Nivialenſi monaſterio exortum eſt tam vehemens incendium, *ut nullus monachorum vel virginum*, inquit illius temporis ſcriptor, ſeu hominum eo concurrentium, ullam ſpem ſervandi monaſterii haberet. Egreſſis e monaſterii ſæptis ancillis Dei, viſa eſt in faſtigio refectorii beata Gertrudis in ipſo habitu quo olim induta fuerat, velo ſuo flammam abigere; moxque incendium reſtinctum eſt. His aliiſque ſignis inducta Wlfetrudis, lectum, ubi virgo ſancta poſt vigiliarum, orationumque defatigationem tantiſper quieſcere ſolebat, in ſancti Pauli baſilicam honorifice deferendum curavit: ad quem puella quædam cæca amiſſum lumen recepit.

Tandem Wlfetrudis undecimo regiminis ſui anno, omnibus recte diſpoſitis, & Chriſti eccleſiis reſtauratis, in graviſſimum languorem incidit; ex quo per dies amplius quinquaginta decumbens, ſolito more in pauperes & egenos largas eleemoſynas diſtribuit, omnibus ſecundum evangelium injurias remiſit, ab omnibus pacem ac benedictionem accepit: ac demum triceſimo ætatis ſuæ anno inter ſpirituales Dei ancillas animam Deo reddidit IX. kalendas Decembris, & in baſilica ſancti Petri apoſtoli ſub marmoreo tumulo condita eſt. In ejus locum *cuncta familia* unanimi conſenſu omnes Agnetem, nobili genere ortam, a ſancta Gertrude itidem educatam, elegerunt abbatiſſam. Interpolator vitæ ſanctæ Gertrudis Hagnem vocat, eamque ait ſucceſſiſſe Dominicæ abbatiſſæ, quam & beatæ Gertrudis neptem dicit. Verum, ſi binominis Hagne non fuit, potius dicendum eſt Dominicam abbatiſſam Hagnæ ſuffectam fuiſſe: propterea quod primus vitæ ſanctæ Gertrudis ſcriptor, qui in ſecundo libro Wlfetrudis obitum, atque Hagnæ electionem commemorat, ait ſe id operis ſcribere aggreſſum eſſe, *ſacra puella Dominica abbatiſſa, ac ſancta congregatione Nivialenſis monaſterii poſtulante*: quæ Dominica proinde alia erat ab ea, quæ Agnetem præceſſerat; non alia ſine dubio, quam Wlfetrudis. Interpolatorem in errorem induxit locus male intellectus ex libro ſecundo ſcriptoris primi, ubi *prædicta Dei famula domina abbatiſſa, neptis ſancta Gertrudis, quæ ſecus pedes ejus fuerat nutrita*, lectulum ejus in baſilicam ſancti Pauli intuliſſe dicitur. quæ verba cum legiſſet interpolator, qui Dominicam olim Niviallæ abbatiſſam fuiſſe noverat, hunc locum, quem de Wlfetrude in libro primo iiſdem verbis laudata primus ſcriptor intellexerat, de Dominica perperam interpretatus eſt. Itaque Agnetem excepit Dominica abbatiſſa, non præceſſit, utpote cui primus vitæ ſanctæ Gertrudis ſcriptor opus ſuum, Agnete mortua, nuncupavit. Porro Agnes ſuo tempore baſilicam in honorem ſanctæ Gertrudis amitæ ſuæ ædificavit, in qua ſeptem lucernæ ſeu lampades, tempore ſaltem vigiliarum & matutinorum, ardere conſueverant, atque in eam lectum beatæ illius virginis tranſtulit.

Agnes ei ſuccedit.

rum Dominica.

X. Oſvvii regis Northumbriæ mors.

His omnibus adjungenda eſt mors Oſwii [a] regis Northanimbrorum, qui gravi vexatus infirmitate votum vovit, ſe, ſi ex ea convaleſceret, Romam ad loca ſancta cum Wilfrido epiſcopo profecturum, ibidemque reliquum vitæ exacturum. Verum res aliter habuit ac optaverat, tandemque hoc anno mortuus eſt XV. kalendas Martias, anno ætatis ſuæ quinquageſimo-octavo, atque Egfridum filium regni heredem reliquit. Egfrido regnante, pax & gaudium in populis, ait Eddius Stephanus, anni frugiferi, victoriæ in hoſtes ſubſecutæ, ejuſdemque favore Wilfrido epiſcopo omnes obedientes facti ſunt. Egfridns conjugem habuit Ethelredam ſeu Etheldritam reginam ſanctiſſimam, filiam Annæ regis orientalium Anglorum, de qua inferius multa dicendi erit occaſio.

[a] *Beda lib. 4. c. 5.*

XI. Vvilfridi epiſcopi virtutes, & quædã facta.

Eidem reginæ maxime familiaris fuit ſanctus Wilfridus epiſcopus, qui eam in epiſcopatu abſtinentiam ſervabat, ut vix phialam parviſſimam, quantivis caloris tempore, in potum inſumeret; ea continentia, nt corpus impollutum & intaminatum ad finem uſque cuſtodierit. Ejus rei cauſa in aqua benedicta & ſanctificata ſingulis per hiemem & æſtatem noctibus lavare ſolitus erat, dum Johannes papa id ipſi interdixit. Huic abbates & abbatiſſæ cœnobiorum pæne omnes ſua monaſteria cum rebus ſuis committebant; eidemque principes ac nobiles viri filios ſuos

ANN. CHR. 670.

erudiendos tradebant, ut aut divinis obſequiis ſe manciparent, ſi vellent; aut adultos regiæ militiæ, ſi mallent, idoneos redderet. quæ omnia invidiæ atque odii fomitem ipſi ſubminiſtrarunt.

ANN. CHR. 671.

XII. Biſcopus iterum it Romã.

ANno inſequenti Benedictus Biſcopus tertium e Britannia Romam iter, quod quartum in ſumma Romanum erat, aggreſſurus, ſuburbani ſancti Petri apud Cantuariam monaſterii regimen, quod duobus annis tenuerat, dimiſit, illudque reſignavit Hadriano abbati, quem Theodorus archiepiſcopus miſſionis ſuæ ſocium a Vitaliano pontifice acceperat, eum eo, ut in diœceſi ſua locum ei provideret, in quo * *cum ſuis*, ait Beda, apte ac decenter poſſet degere. Ex quo intelligitur, Hadrianum cum aliquot monachis ſuis in Britanniam acceſſiſſe. Romam profectus Biſcopus, libros omnigenæ eruditionis ſacræ non paucos, cum pretio, tum amicorum dono comparatos ſecum inde retulit; alioſque quos Viennæ Allobrogum emtitios reliquerat apud amicos, itidem in patriam aſportavit. Mortuo quippe Coinwalchio occidentalium Saxonum rege, amico ſuo, quem convenire decreverat, in patriam nativumque ſolum reverſus eſt, adiitque Egfridum Tranſhumbranæ provinciæ regem, cui omnium peregrinationum ſuarum rationem & ſucceſſum, omniaque conſilia ac ſtudia ſua, quo nempe religionis deſiderio arderet; quid eccleſiaſticæ ſeu monaſticæ inſtitutionis Romæ ac circumquaque didiciſſet, quot ſacra volumina, quales ſanctorum reliquias attuliſſet, ſingillatim expoſuit; tantamque apud principem gratiam invenit, ut terram ſeptuaginta familiarum condendo in honorem ſancti Petri monaſterio ab eodem acceperit.

* Beda lib. 4. c. 1.

XIII. Lantberto Fontanellæ abbati Childericus munificus.

Interim cum ſumma prudentiæ laude Lantbertus abbas Fontanellenſe Galliæ monaſterium adminiſtrabat. Hæc prudentia maxime enituit exſtincto Chlothario rege, cum, orta inter ejus fratres Childericum & Theodericum de regno Neuſtriæ ſimultate, quæ Francos in diverſas partes diſtraxit, aliis Childerico, aliis Theoderico faventibus, ita ſe cautum vir prudentiſſimus exhibuit, ut in neutram partem declinaret: donec Childericus ſuperior factus, Neuſtriæ principatum tandem adeptus eſt. Deinceps vero apud regem tanto in honore eſt habitus, ut quidquid ab eo petiiſſet, facile obtineret. Argumento ſunt donationes quædam, eidem venerabili patri, ejuſque monaſterio ab rege factæ. Una eſt ad petitionem Bilhildæ reginæ, ipſius Childerici uxoris, & rogatu venerabilium epiſcoporum, Leodegarii Auguſtodunenſis, poſtea martyrio affecti, Nivonis Remenſis, & Emmonis Senonenſis; atque illuſtrium virorum, Fulcoaldi, Amalrici, Wlfoaldi majoris domus regiæ, Bavonis, Waningi, Adalberti, & Gaërini fratris ſancti Leodegarii: quorum interventu rex prædicto venerabili patri largitus eſt fiſcos duos, Ulmium & Warinnam, ſitos in pago Tellavenſi * juxta fluvios Tellam & Warinnam, cum univerſis eorum appendicibus; ſimulque terram ſuper litus maris, & areas ſalinarum piſcationumque, quæ ibidem inſtructæ erant; ad hæc vineas in vico pagi Vilcaſſini, nomine Warnaco, ad fluvium Sequanam ſitas. Edita eſt hæc regia largitio Arelauno jocundo palatio apud Caletos *, undecimo anno regni ejuſdem principis in Auſtria, in Neuſtria primo. Inſuper eidem abbati Childericus partem de ſaltu Gemeticenſi, præter alias poſſeſſiones, conceſſit: cujus donationis occaſione orta eſt lis non modica inter ipſum Lantbertum, & Filibertum abbatem Gemeticenſis monaſterii de ſua utriuſque in eodem ſaltu portione, ejuſque terminis: quam litem magnus Rotomagenſis eccleſiæ pontifex Audoënus, cum ſua, tum Childerici regis, qui ad ipſum ea de re ſcripſit, auctoritate compoſuit, viroſque ſanctos ad concordiam revocavit; ſilva Gemeticenſi inter utrumque æqua ſorte diviſa. Et quia Lantberti abbatis portio aliquanto major videbatur, idem pontifex cum ejus conſenſu proximæ ſancti martyris Dyoniſii baſilicæ, apud Duroclarum * ad Sequanam ſitæ, cui Lidoaldus præerat, abundantem portiunculam aſſignavit.

* le Tallou.

* le pays de Caux.

* Duclair.

XIV. Hildulfus epiſcopus condit Medianum monaſterium.

Cum multa eſſent in Voſago monaſteria, potiora quinque erant in modum crucis diſpoſita. Bodonis monaſterium virginum a Bodone Tullenſi epiſcopo, ſanctæ Salabergæ fratre, quaſi in capite conditum ad ſeptemtrionem, cui Thietbergam filiam præfecerat; Senonienſe ad orientem a Gundelberto Senonenſi præſule; Stivagium ad occidentem, incerto auctore; Juncturæ ad Meridiem, quaſi in pede crucis, a Deodato Nivernenſi epiſcopo; ac Medianum-monaſterium in meditullio poſitum, quod Hildulfus Trevirenſium antiſtes ædificavit. Hunc anno poſt ſexcenteſimum

ANN CHR. 671.

ſeptuageſimo-primo, abdicata dignitate, in Voſagum ſeceſſiſſe tradit ſcriptor vitæ ſancti Deodati, qui-cum magna ſemper ei neceſſitudo interceſſit. Hildulfo locum ſeceſſui aptum deſignaſſe dicitur Jacob Tulli-Leucorum epiſcopus; idque Petrus Damiani [a] in libro de geſtis S. Hildulfi legit. Verum, ſi duo ejus nominis Tullenſes epiſcopi per illa tempora non fuerunt, ut certe non videntur fuiſſe; haud dubie erratum eſt in nomine Tullenſis epiſcopi: cum Jacob, qui unus in vulgatis indicibus & in actis mſſ. habetur, ad principatum Caroli Magni pertineat. Idem peccatum in Milone pſeudepiſcopo Trevirenſi, cui Hildulfum ſubſtituunt. Locus ille Hildulfo deſignatus ab epiſcopo Tullenſi, poſitus eſt ad fluviolum, qui ob rapidum curſum Rabado * appellatur, a Senonia in Medianum-monaſterium defluens. Hic duæ ab Hildulfo exſtructæ baſilicæ: prima ſub beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ patrocinio, VIII. kalendas Martii ab ipſo dedicata: altera ſub titulo ſancti Petri, omniumque apoſtolorum XVII. kalendas Novembris. Ad hæc monachorum ſolitudini ac quieti præcavens vir Dei, oratorium ſancti Johannis Baptiſtæ ad portam monaſterii exſtruendum curavit, ubi hoſpites ad divina audienda convenirent. Ibidem doliolum erat aqua exorcizata plenum ad energumenos curandos. Denique oratorium ſancti Gregorii ſtatuit in cœmeterio fratrum, quod etiam nunc ad auſtrale latus principis baſilicæ cernitur. Cum monachorum numerus ita excreſceret, ut omnes in tam arto & anguſto loco una conſiſtere non poſſent; ſupplementi cauſa in circumjacentibus locis cellas Hildulfus exſtruxit, nempe ad Septem-abietes, ad ſanctum Johannem, apud Orbacum, apud ſanctum-Præjectum, apud Viſi-vallem, ad Altampetram, quæ monaſterio ſupereminet; ad Roberti fontem, & denique ad locum, qui olim a donatore Beggonis cella, nunc ſancti Blaſii vocatur. Hunc locum cum adjacentibus nemoribus & prædiis Beggo quidam, vir nobilis ac locuples, ad monaſterium amplificandum contulerat ſancto Hildulfo, qui beatum Spinulum monachum cum quibuſdam fratribus ibidem conſtituit, eumdemque non multo poſt mortuum in Mediano-monaſterio ſepelivit, & quidem in oratorio beati Gregorii, quod ipſe cum adjuncto cœmeterio conſecraverat. Edita a beato Spinulo miracula, ſimulque exorti ad hortum monaſterii tres ſalinarii fontes, tantam populorum multitudinem eo conciverunt, ut Hildulfus monaſterii ſui ſolitudinem ac quietem hac confluentium turba interturbari, ſuoſque a regulari propoſito deflectere animadvertens, eumdem ſanctum a patrandis miraculis ex obedientia ceſſare præceperit. Videres mortuum, quaſi viveret, magiſtro jubenti obedire, ceſſantibus deinceps ſignis miraculorum, & aquis ſalſis in priorem dulcedinem denuo converſis. Ceterum omnes illi monachi, numero fere trecenti, vivebant ſub regimine & diſciplina beati Hildulfi epiſcopi & abbatis: qui demum contemplationi, altioribuſque ſtudiis animum occupare cupiens, totius congregationis regimen in Leutbaldum abbatem, virum ſanctimonia & doctrina inſignem, rejecit.

[a] Petr Dam. opuſc. 19.

* Rabodeau.

XV. Erhardus ejus frater.

Cum in hac Voſagi ſolitudine Hildulfus commoraretur, ad eum acceſſit Erhardus, frater ejus, ut tradunt, & epiſcopus, cujus ſuperius meminimus. Hunc baptizata Odilia, Athici ducis filia, cui lumen etiam oculorum a natura negatum contuliſſe dicitur, Ratiſponam reverti ſſe, & in ea urbe Inferius beatæ Mariæ cœnobium puellarum condidiſſe, ibidemque ad latus ſeptemtrionale baſilicæ humatum, miraculis etiam coruſcaſſe perhibent. Quin etiam ſeptem ab eo monaſteria ædificata dicuntur. Quæ ut vera ſint, haud veri ſimile eſt eum fuiſſe Ratiſponenſem epiſcopum: cum ejus urbis eccleſia non ante ſæculum ſequens in epiſcopalem ſedem a Bonifacio epiſcopo & martyre erecta fuerit. In veteri theca ſancti Hildulfi reliquias continente, quæ ſæculo duodecimo facta creditur, Hildulfus & Erhardus archiepiſcopali pallio inſignes exhibentur. Mediano-monaſterio nunc præeſt R. P. domnus Hyacinthus *Alliot*, qui multas in noſtros Annales ſuppetias contulit.

XVI. S. Deodato privilegium a Numeriano conceſſum.

Hildulfo in ſedem Trevirenſem ſucceſſiſſe videtur Numerianus, a quo Deodatus epiſcopus & abbas Vallis-Galilææ privilegium immunitatis obtinuit, inſcriptum *Dominis ſanctis, & ſummi culminis apice, pontificaliſque cathedra ſpecula preſidentibus in Chriſto patribus, Chlidulfo, Giſloaldo, & Eberino epiſcopis* comprovincialibus: quibus ſignificat id a ſe poſtulaſſe Deodatum epiſcopum, qui baſilicas intra eremi locum, Galilæam nomine, prius Juncturas vocatum, ac monaſterium exſtruxit: ubi monachos & peregrinos ſub regula beati Benedicti & ſancti Columbani abbatis collocaverat. quod privilegium ideo ab ſe indultum ait, ut monachi ſub ipſa ſancta regula

viventes, beatorumque patrum vitam ſectantes, pro ſtatu eccleſiæ catholicæ, & pro ſalute Childerici glorioſiſſimi regis plenius Dominum valeant exorare. Privilegii hujus notæ chronologicæ deſunt in fragmento, quod penes nos eſt. Chlidulfus ſeu Chlodulfus Mettenſis erat epiſcopus, Giſloaldus Virdunenſis, Eborinus Tullenſis.

DE Altivillarenſis monaſterii primordiis ſuperius [a] egimus, deque Berchario primo ejus abbate: qui divinum cultum amplificare cupiens, alium locum exſtruendo novo cœnobio circumquaque perquiſivit, tandemque idoneum reperit in diœceſi Catalaunenſi ad fluvium Vigeram *, haud procul a Puteolo *, in ſilva Dervo appellata, unde Monaſterio-Dervenſi * nomen inditum eſt. Quia vero locus ad fiſcum pertinebat, ejus impetrandi cauſa Childericum regem adire vir ſanctus decrevit. Rex facile ejus petitioni annuit, adjecto Puteolo villa regia, in qua Bercharius baſilicam in honorem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli erigendam & conſecrandam curavit. Aberat duobus paſſuum millibus ab eo vico prædictus Dervi locus, a Berchario impetratus ad novam monachorum coloniam inſtituendam. Exſtat hujuſce donationis regium præceptum apud Camuzatum in Promtuario Tricaſſinenſi, & ex eo apud Carolum Cointium. Præcepti hæc ſumma eſt. Adiit ſerenitatem regiam venerandus ac religioſus abbas Bercharius, ſupplicans, ut locum ſibi concederet in ſilva Dervo, & in finibus villæ regiæ fiſci Vaſciaci, in quo monaſterium & cellas monachorum congregationi aptas exſtruere ſibi liceret; ſimulque ſumtus ac prædia ad complendum opus ſuppeditare dignaretur, concederetque inſuper monaſterio regiam immunitatem. Rex conſenſu epiſcoporum & optimatum ſuorum, precibus tanti viri aurem accommodans, ratam habuit ejus ſupplicationem, approbavitque donationes eidem factas, vel in poſterum a chriſtianis faciendas, cum ea immunitate, ut nihil ex rebus monaſterii a viris fiſcalibus exigeretur. quæ immunitas ut firmior haberetur, eam princeps epiſcoporum & optimatum ſubſcriptionibus roborari juſſit. Subſcribunt poſt regem Nivardus epiſcopus Remenſis, Leodegarius Auguſtodunenſis, & Atelanus Laudunenſis. Deinde Wlfaudus major-domus, & Almaricus optimas. Datum IV. nonas Julii Compendio palatio, anno tertio Childerici regis. In editis apud Camuzatum legitur loco Nivardi ſignum Renli epiſcopi ejus ſucceſſoris: ſed hoc mendum recte corrigit Cointius, ut in chartaceo codice, poſt Adſonem vitæ ſancti Bercharii ſcriptorem, qui regium diploma, faventibus Leodegario, Nivardo, & Atelano epiſcopis, a Berchario impetratum fuiſſe teſtatur. Hoc itaque modo conſtructum eſt monaſterium Dervenſe ſuper fluvium Vigeram in honorem apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque ſanctorum: ubi Bercharius homines captivos octo, quos cum totidem puellis itidem captivis pretio redemerat, primos inſtituit monachos, quibus plurimi alii ſubinde acceſſerunt. In veteri martyrologio Uſuardi bibliothecæ regiæ, olim ad uſum Dervenſis monaſterii, notatur XIV. kalendas Decembris, *Dervo monaſterio dedicatio prima baſilicæ in honorem beatorum apoſtolorum Petri & Pauli:* ſecunda VIII. kalendas Decembris.

Præter hoc virorum monaſterium, aliud etiam puellare haud procul a Dervo, itidem ad Vigeram, erexit Bercharius ſub patrocinio beatæ Mariæ, fundum ſuppeditante nobili ac locuplete matrona, Waltilde nomine, cujus neptem ibidem abbatiſſam inſtituit, admiſſis ad profeſſionem monaſticam octo illis captivis puellis, quas pretio redemtas ab ipſo Berchario mox diximus. Exciſum eſt ab annis fere ſeptingentis hoc monaſterium, etſi locus hodie quoque vulgare Puellaris-monaſterii* vocabulum retinet, una tantum leuca diſſitus a cœnobio Dervenſi, ſed diœceſis Tricaſſinæ. In ea quoque poſitus eſt locus, quem Lutoſas * vocant, pari a Dervo intervallo: ubi Bercharius pariter cellam ædificaturus, ad Childericum acceſſit, & ſuffragantibus ipſi atque faventibus piis viris, Leodegario & Mummoleno epiſcopis, altero Auguſtodunenſi, altero Noviomenſi; Amalrico quoque & Wlfaudo optimatibus, facultatem impetravit condendæ eo in loco baſilicæ, quam in honorem ſancti Martini dedicari curavit, ac circumſitæ ſilvæ quoquoverſus leucam unam, hoc eſt paſſus mille & quingentos, accepit. Quin etiam cellulam juxta villam Puteolum ſupra memoratam, Monaſteriolum dictum, ſub titulo ſancti Mauricii condidit, atque inſuper ſancti Sulpicii eccleſiam ſuper fluvium Vigeræ. Hæc Adſo ait a Berchario exſtructa, antequam Dervenſem locum nobili monaſterio aptiorem inveniſſet, quæ omnia potius principi monaſterio poſtea acceſſiſſe exiſtimo. Hæc vero

ANN. CHR. 672.

monaſteria, in primis Dervenſe, ſanctorum reliquiis illuſtraturus Bercharius, Jeroſolymam ſemel, Romam ſæpius adiiſſe dicitur, atque ex iis locis plurimas ſanctorum reliquias detuliſſe, eaſque in prædictis locis honorifice repoſuiſſe: ex quibus corpus ſanctæ Theodoſiæ virginis, quæ apud Cæſaream-Palæſtinæ necem pro Chriſto paſſa eſt, in Dervenſi monaſterio etiam nunc aſſervatur. Exſtat apud Camuzatum inſtrumentum ipſius Bercharii abbatis, donantis monaſterio, cujus vocabulum eſt Puteolus, ſupra fluvium Vigeræ, quod proprio labore, ex conceſſione regum ſe ædificaſſe ait, hereditatem ſuam in villa Diſeio ultra Ligerim, ſupra fluvium Cretæ, cum appendicibus ſuis permultis: quæ omnia ex ſucceſſione paterna & materna ſibi legibus obvenerant. Hanc vero donationem ideo facit, ut monachi, qui ibidem deſerviunt, die noctuque pro peccatis ipſius, & regum, & totius populi deprecentur. Actum Remis civitate III. kalendas Septembris, præſente domno & glorioſo Childerico rege, anno quarto regni ejus. Subſcribunt poſt Nivardum Atelanus Laudunenſis, Leodegarius Auguſtodunenſis & Mummolenus Noviomenſis, epiſcopi; & poſt eos Hermarus & Hilduinus abbates, ultimo loco Bercharius abbas, qui hanc chartam donationis fieri juſſit. Multa in hoc inſtrumento loca recenſentur, quæ Bercharius ſibi ex paterna, maternave ſucceſſione obveniſſe aſſerit: ex quibus apparet, eum ex locupletiſſimis Aquitanis parentibus ortum fuiſſe.

XIX.
S. Faro epiſcopus ſepultus in monaſterio S. Crucis.

Sub idem tempus rebus humanis exceſſit beatus Faro Meldorum epiſcopus, qui a Chlotharii ſecundi principatu ad Childericum eam eccleſiam rexit, ſepultuſque eſt in ſuburbani monaſterii baſilica, quam in fundo proprietatis ſuæ ſub titulo ſaluriferæ Crucis, necnon beati Johannis Baptiſtæ, omniumque apoſtolorum condiderat. Viſitur etiam nunc ſub majori altari loculus ejus lapideus; reliquiæ in theca ſummo altari impoſita. Monaſterio forte jam tunc præerat Maïolus abbas, de quo in conſequentibus agemus. Faroni in ſede Meldenſi ſucceſſit Hildevertus, Datlevertus dictus in libro de ejus vita, quem Hildegarius Meldenſis ſæculo nono antiſtes videtur ſcripſiſſe, multis admiſtis erratis, quorum pleraque Carolus Cointius animadvertit, excepto pontificatu Walberti abbatis Luxovienſis, quem Meldenſem fuiſſe epiſcopum cum Hildegario perperam exiſtimavit. De Datleverto memoriæ proditum eſt, eum tum ex imperitia divinorum dogmatum, tum ex invidia, voluiſſe ædificare ingentis pompæ & magnitudinis baſilicam *in honore ſancti Chriſti* contra fidem ſanam, juxta baſilicam ſanctæ Crucis a ſancto Farone exſtructam. Verum illam baſilicam divino nutu ſponte corruiſſe, ejuſque auctorem in ſynodo ab epiſcopali officio ſuſpenſum fuiſſe, dum tandem reſipuiſſet. Et re quidem vera ita reſipuit, ut ſanctorum numero adſcribi meruerit.

XX.
Hatta abbas Nobiliacenſis.

Tunc etiam Hatta, Blandinienſis apud Gandavum monachus, a Vindiciano Atrebatenſi epiſcopo inſtitutus eſt abbas in monaſterio Nobiliacenſi ſeu ſancti Vedaſti, quod ante annos circiter ſex condi cœptum fuerat, quo vix ullum in toto Belgio nobilius. Hattam abbatem inſtituit Vindicianus ordinationis ſuæ anno ſecundo, eidemque privilegium indulſit, quo *omnes inquietudines* [a] a monaſterio S. Vedaſti excluſit, ut quiete *& ſecundum Regulam ſancti Benedicti* monachi viventes Deo ſervirent. quæ verba gravis altercationis materiam inter Rothardum epiſcopum & Fulradum ejus loci abbatem ineunte ſæculo undecimo præbuerunt. Hattam excepit Hadulfus monachus, qui poſtea Vindiciano in ſedem Atrebatenſis eccleſiæ ſubrogatus eſt. Plura de percelebris monaſterii primordiis dicere cupientem deficiunt vetera inſtrumenta, quæ mihi inſpicere non licuit, tametſi ejus rei cauſa iſtuc profecto.

[a] *Balderic. lib. 1. c. 106.*

Hadulfus ejus ſucceſſor.

XXI.
Hunegundis abbatiſſa Humolarienſis.

Regebat per id tempus Hunegundis virgo puellarum monaſterium Humolarienſe*, quod prope Auguſtam-Viromandorum ſeu Quintinopolim etiam nunc poſitum eſt, ſed modo virorum ab annis amplius ſeptingentis. Nata erat Hunegundis nobili proſapia in villa pagi Viromandenſis, quam Lembaïdem vocant. Hanc a ſancto Eligio, necdum epiſcopo, e ſacro fonte ſuſceptam fuiſſe tradunt. Deſponſata præter voluntatem Endaldo paris nobilitatis viro, eumdem ad pias peregrinationes ſervandæ continentiæ cauſa induxit. Romam cum eo profecta, velum a pontifice, nempe Martino ejus nominis primo, accepiſſe dicitur. Reverſa in patriam, univerſa bona ſua Humolarienſi, quod jam tum incerto auctore exſtabat, monaſterio contulit, ſponſo id gravare admodum ferente, ſed tandem approbante, qui poſtmodum ſemetipſum

* *Homblieres.*

ANN. CHR. 672.

Deo ſervum perpetuum cum ſuis omnibus obtulit coram altari Dei genitricis Mariæ, in cujus honorem hic locus ſacratus erat, voto facto, ſe, quamdiu viveret, monaſterii in rebus exterioribus procuratorem futurum. Ibidem poſt mortem condignam habuit ſepulturam, curante Hunegunde, quæ tum eo in loco abbatiſſæ officium gerebat.

XXII. Ethildrita condit monaſterium Elienſe.

Aliud cælibis vitæ inſigne exemplum nobis exhibet Ethildrita ſeu Edilreda, quam Adelredam alii appellant. Hæc Annæ regis orientalium Anglorum filia, primum quidem in matrimonium tradita eſt principi auſtralium Girviorum, nomine Tondberto: ſed, cum ille poſt modicum tempus obiiſſet, Egfrido Northanimbrorum regi nupſit: in cujus conſortio per annos duodecim, ut cum priori ſponſo, integram virginitatem ſervavit, rege nequiquam interpellante, etiam interpoſita auctoritate Wilfridi epiſcopi, cui Egfridus prædia & pecunias multas obtulit, ſi reginæ, quam nullum virorum ſe amplius amare certo ſciebat, ejus uti connubio perſuadere poſſet. Verum id ab ea numquam obtineri potuit, immo hæc tandem apud regem evicit, ut ſæculi curas ac pompam relinquere, atque in monaſterio tantum vero regi Chriſto ſervire ſibi liceret. Regis itaque permiſſu ægre demum impetrato, ſeceſſit in monaſterium Ebbæ abbatiſſæ, Egfridi regis amitæ, poſitum in loco, quem Coludi urbem vocant; ibique *velamen ſanctimonialis habitus*, ut Beda [a] loquitur, a Wilfrido antiſtite hoc anno accepit. Forte jam ante id tempus de condendo alio monaſterio cogitaverat: quippe quæ poſt annum a ſuſcepto velo facta eſt abbatiſſa in monaſterio Eligenſi ſeu Elienſi, cujus eam auctorem eſſe conſtat. Eſt autem Elige in provincia orientalium Anglorum, regio, inquit Beda, familiarum circiter ſexcentarum, in ſimilitudinem inſulæ, vel paludibus circumdatæ, vel aquis: unde & a copia anguillarum, quæ in eiſdem paludibus capiuntur, nomen accepit. In monaſtica vita ita ſe geſſit regia virgo, ut numquam lineis, ſed tantum laneis veſtimentis uti voluerit, raroque in calidis balneis lavare, præterquam in majoribus ſolemnitatibus, utputa paſchæ, pentecoſtes, & epiphaniæ, & quidem poſtquam id officii omnibus monaſterii ſui virginibus exhibuiſſet. Raro etiam, extra illa feſta vel urgentem infirmitatem, pluſquam ſemel per diem corpus reficere ſolita erat; a tempore autem matutinæ ſynaxeos uſque ad ortum lucis precibus inſiſtebat. Erant Ethildritæ tres ſorores germanæ, Sexburga, Ethelberga, atque Witburga: quæ omnes monaſticum propoſitum amplexæ ſunt, Sexburga quidem natu-maxima, poſtquam Ercomberto Cantuariorum regi nupta fuiſſet, & Witburga in Elienſi monaſterio ſub Ethildrita abbatiſſa ſorore ſua; Ethelberga vero in Brigenſi Galliæ parthenone, ut ſuperius vidimus.

a Beda lib. 4. c. 19.

XXIII. Monaſterium ibi duplex.

Erat etiam in Elige inſula monaſterium duplex pro more illius ætatis, præter aliud virorum, quod Felix epiſcopus orientalium Anglorum ad introitum ejus inſulæ apud Dummocum [b] condidiſſe perhibetur, ubi non minima congregatio monachorum ordinem ſanctæ regulæ ſub Werfredo abbate obſervavit. Adjunctum quippe erat alterum ædibus virginum monaſterium virorum: quos inter floruit ſanctus Hunna [c] preſbyter, vir magnæ humilitatis & virtutis, antiquis monachis non impar, quem Ethildrita in primis colebat, hortantemque libenter auſcultabat. Idem hujus ſanctæ virginis funus curavit, ac demum in exiguam quamdam inſulam, Elienſi proximam, quæ ab ejus nomine Huneïa dicta eſt, ſeceſſit uni Deo vacaturus, ibidemque glorioſo fine quievit. In utroque monaſterio ſancti Benedicti regulam, quam Wilfridus in Northumbrenſi regione ubique ſuſcipi curavit, primitus obſervatam fuiſſe nemo negaverit, qui Ethildritam ab ipſo velatam & inſtitutam abbatiſſam advertet.

b Acta ſæc. 2. p. 743.

c Ibid. 759. & ſeq.

XXIV. Ebba abbatiſſa Coludenſis.

Ejuſdem inſtituti erat Coludenſe monaſterium itidem duplex, cui præerat Ebba abbatiſſa, cum iſtuc Ethildrita ſe recepit. Urbs hæc, Coldingham vulgo appellata, poſita eſt in Merſia Scotiæ provincia, quæ olim Berniciorum cenſebatur. Monaſterii Coludenſis conditrix fuiſſe videtur Ebba, ſoror Oſwini & Oſwaldi regum ex patre Ethelfrido rege Northumbrorum, non minus religione, quam ſanguinis nobilitate honorabilis, cujus invitatu aliquando ſanctus Cuthbertus exhortationis gratia ad idem monaſterium acceſſit, ibique dies aliquot permanſit. In eodem loco, inquit Turgottus, diverſis tamen ſeparatæ manſionibus, erant monachorum, ſanctimonialiumque congregationes, quæ paullatim a regularis diſciplinæ ſtatu defluentes, inhoneſta invicem familiaritate decipiendi occaſionem inimico præbuerunt. In-

ANN. CHR. 671.

Adamnanus monachus monaſterii incendium prædicit.

a Beda lib. 4. c. 25.

cendium ob eam rem divino judicio eventurum prænovit Adamnanus Scottus, monachus ejuſdem monaſterii, qui aliis ſomno oppreſſis ſolus ad orationem vigilans, futuri diſcriminis oraculum cælitus accepit, idque Ebbæ abbatiſſæ indicavit. Rem iſtam venerabilis Beda [a] ſic commemorat. Erat in Coludenſi monaſterio vir de genere Scottorum, nomine Adamnanus, vitam in continentia & orationibus devotiſſimam ſic gerens, ut nihil umquam cibi vel potus, excepta die dominica & quinta ferja, perciperet, ad expiandum videlicet aliquid ſceleris, quod in adoleſcentia commiſerat. Id enim piaculi a ſacerdote quodam, cui reatum ſuum confeſſus fuerat, ſibi ad tempus impoſitum, primum ex neceſſitate, dein ex uſu ipſo conſuetudinis, ad finem vitæ obſervavit. Is quondam noctem in pſalmis & precibus pervigilem ducens, ſubito adſtantem adſpexit vultus incogniti virum, qui bono eum animo eſſe juſſit, laudavitque, quod, ceteris ſomno oppreſſis, vigiliis & orationibus inſiſteret: ſe monaſterii caſas, anguloſque omnes ſingillatim perluſtraſſe, ſed ex monachis aut puellis neminem inveniſſe præter eum, qui non aut ſomno inerti torperet, aut ad peccata vigilaret, domunculis, quæ ad orandum vel legendum factæ erant, in commeſſationum, potationum, fabularumque diverticula converſis: dum ex alia parte virgines Deo dicatæ, ſpreta reverentia ſuæ profeſſionis, ubi vacarent, texendis ſubtilioribus indumentis darent operam, quibus aut ſe ipſas, ſponſarum inſtar, aut amicos ornarent. Ideo monaſterium in favillas divino judicio brevi redigendum. Viſum Adamnanus ægre retulit Ebbæ abbatiſſæ, veritus ne moleſtiam ei faceſſeret: ſed tamen hoc eidem ſolatii loco adjecit, talem plagam ea vivente non eventuram. Admoniti hac de re omnes, cœperunt corrigere mores ſuos: at mortua abbatiſſa nedum ad priſtinas ſordes relapſi, etiam pejora denuo commiſerunt. Inter hæc, dum pacata & tranquilla crederent omnia, digna ultionis pœna multati ſunt. Hæc Beda venerabilis ait ſe accepiſſe ab Edgiſlo monacho, qui tunc in illo Coludenſi monaſterio degebat, & qui poſt illud incendium ſe receperat in Wiremuthenſe, ubi extremum diem obiit. Adamnanus iſte diſtinguendus videtur ab alio cognomine, abbate Hiienſi, cujus opera plurimi Scottorum paſcha & ritus Romanos accepiſſe memorantur apud eumdem [b] Bedam. Diſtinguenda etiam Ebba hæc Coludenſis abbatiſſa ab alia Ebba ejuſdem etiam loci abbatiſſa ſæculi noni, quæ ad vitandam Danorum inſaniam, virginibus ſecum degentibus auctor fuit, ut ſervandæ virginitatis cauſa naſum ſibi præciderent.

b id. lib. 3. c. 17.

XXV. Pertharitus in regnum reſtitutus.

Dum amicitia & favore principum res Wilfridi epiſcopi florerent, contigit Dagobertum, Sigiberti Auſtriæ quondam regis filium, ab Auſtraſiis ex Hibernia, ubi Grimoaldi præfecti palatii factione ad id tempus exſulaverat, in regnum ex paterna ſucceſſione ſibi debitum revocati; & Wilfridi hoſpitio & ſubſidio in itinere uſum, in Auſtriæ thronum jam tandem admoveri. Idem eodem fere tempore accidit Pertharito Langobardorum regi, quem Grimoaldus, ex duce Beneventano rex factus, ſolio deturbaverat. quod utrumque qua ratione, quove anno præciſe contigerit, quoniam ad rerum noſtrarum aſſequendam notitiam conducit, paullo accuratius inveſtigandum eſt. Flavio Ariperto Langobardorum rege vita functo, Pertharitus & Gundebertus ejus filii paternum regnum inter ſe ſe partiti ſunt anno ſupra ſexcenteſimum ſexageſimo-primo, aut inſequente, qui ſeptimus erat a morte Sigiberti Auſtriæ regis, & a relegatione in Hiberniam filii ejus Dagoberti. Gundebertus, Perthariti frater, ſua ſorte haud contentus, eum de regno dejicere ſtatuit, ob idque Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldum Beneventanum ducem petitum auxilium miſit, ſororemque ſe, ſi mature ſibi adeſſet, nuptui daturum ſpopondit. Garibaldus legati mentitus officium, Grimoaldum, non ad ferendum auxilium, ſed ad regnum ſibi ex opportuna fratrum diſcordia vindicandum invitavit. Grimoaldus in ſpem regni evectus, mature contractis copiis, Papiam ocius advolat. Ubi Placentiam venit, Gundeberto præſentem ſuum adventum ſignificat per Garibaldum, qui ei auctor fuit, ut Grimoaldo lorica ſub veſte indutus occurreret. Tum ad Grimoaldum reverſus, perfide eum admonuit, ſibi ut caveret a Gundeberto, quippe quem occidendi ipſius cauſa lorica indutum ſibi obviam venturum probe ſciret. Id facile credidit Grimoaldus, aut certe ſe credere ſimulavit. nam id ex compoſito inter ipſum & Garibaldum factum non dubito. Itaque cum in regiam advenienti Gundebertus loricatus honoris cauſa occurriſſet, vereque eum, ut Garibaldus monuerat, lorica munitum ſenſiſſet Grimoaldus, id ad cædem ſui para-

ANN. CHR. 672.

tum criminatus, ſtricto gladio Gundebertum confodit, ejuſque regnum invaſit. Ea re accepta Pertharitus, qui Mediolani regnabat, in timorem ſui adductus, quanta maxima celeritate potuit, ad Cacanum Hunnorum ducem ſibi confugiendum exiſtimavit. quo accepto Grimoaldus, qui Mediolanum occupaverat, per legatos Cacanum interpellavit, Pertharitum e regno ſuo dimitteret; ni faciat, bellum minatur. Pertharitus ad Grimoaldi clementiam confugit, & privata ſorte contentus, Papiæ reſidere permiſſus eſt.

Verum non multo poſt ſuſpectus Grimoaldo redditus, paratas ſibi inſidias evaſit, & in Franciam ſe recepit. Ejus commiſeratione rex Francorum, Chlotharius an Childericus, commotus, proximo anno bellum Grimoaldo infert, quod parum proſpere ceſſit. Mortuo Grimoaldo, cum Pertharitus e Francia late patentem ejus potentiam fugiens in inſulam Britanniam cogitaret; oceanum tranſmiſſurus repente vocem audivit, ſe in patriam revocantis, quod Grimoaldus die ante tertio obiiſſet. Bono nuntio credulus, magnis in Italiam itineribus redire maturavit, erectuſque animo Papiam adiit, &, Garibaldo Grimoaldi filio minorenni exturbato, regnum ipſe tandem recepit. Poſtero anno, ut Deo, cujus beneficio vitam & regnum retinuerat, ſe gratum oſtenderet; ab ea Ticini parte, qua olim evaſerat, monaſterium Novum ſanctæ Agathæ virgini & martyri exſtruxit, idque multis virginibus congregatis, & poſſeſſionibus attributis illuſtre effecit: cujus exemplum uxor Rodelinda ſecuta, ædem ſanctæ Dei Genitrici regia magnificentia ædificavit, ad-Perticas [a] ideo dictam, quod perticæ ad tumulos ſingulorum defunctorum illic defixæ ſtarent, cum columba in ſummo, quæ ad locum ſepulturæ cujuſque deſignandum conversa erat. Hic eſt Pertharitus ſeu Bertaridus, ab Eddio Stephano Berchterus Campaniæ rex appellatus, qui Wilfridum Romam adeuntem perhumaniter excepit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

S. Agathæ cœnobium exſtruit.

[a] Paulus Warnefridus lib. 5. c. 34.

XXVI. Dagobertus ſtidem reſtitutus.

Quæ cauſa Pertharito fuerit fugiendi e Francia in Britanniam, ex Paulo [b] Warnefridi intelligimus. Is enim teſtatur, hac tempeſtate Grimoaldum Langobardorum regem pacis fœdus iniiſſe cum Dagoberto *apud Gallias*, id eſt in Auſtria, tum regnante: cujus Grimoaldi invidiam Bertaridus in Francorum regione conſtitutus metuens, e Gallia in Britanniam inſulam ad Saxonum regem properare conſtituit: ſed audita, ut diximus, Grimoaldi morte, in Italiam confeſtim remeavit. Grimoaldus anno hujus ſæculi ſexageſimo-tertio regnare occœpit, cum ſexto regni ſui anno, menſe Julio, indictione undecima, id eſt anno ſexageſimo-octavo, edictum Rotharis ſe emendaſſe, & auxiſſe dicat. Idem novem annos, Paulo atteſtante, regnavit. Ejus proinde obitus anno ſeptuageſimo-primo, aut inſequenti, non ſeptuageſimo-tertio, uti Baronio viſum eſt, contigit. Jam ergo ante id tempus in Auſtriæ regnum admotus erat Dagobertus, quippe qui ante ejus mortem fœdus cum illo pepigerat; ob idque Bertaridus fugam in Britanniam cogitabat. Ex quo conſequens eſt, Dagobertum mortuo Chlothario ex Hibernia in Galliam ab Auſtraſiis revocatum fuiſſe, cum Childericus ad capeſſendum Neuſtriæ regnum advolaſſet; tumque fœdus iniiſſe cum Grimoaldo rege, ut ejus amicitia & ope adverſus æmulos ſe tutum præſtaret. Non tamen ſtatim integro Auſtriæ regno potitus eſt: ſiquidem Childericus utrumqne principatum ſibi retinere pro virili inſtiuit, & poſt eum Theodericus ejus frater, quo regnante Ebroïnus major-domus Trajectenſem ad Moſam epiſcopatum, qui Auſtriæ regno continebatur, expulſo Landeberto, commiſit Faramundo, ſuarum partium aſſeclæ & fautori. Itaque veri ſimillimum eſt id, quod ait Henſchenius, Dagoberto Alſatiam & provincias dumtaxat tranſrhenanas principio paruiſſe, eumque de cetero pacem tenuiſſe cum Childerico, non vero cum Theoderico ejus ſucceſſore, cum quo de finibus regni conſerto prœlio poſt annos abhinc quinque dimicavit. Certe Childericus bene affectus fuit erga Imnechildem reginam, ipſius Dagoberti matrem, ut ſuperius vidimus; nec forte ægre paſſus eſt, Dagobertum aliqua paterni regni portione potiri. Quid ad Dagoberti reditum contulerit Wilfridus Eboracenſis epiſcopus, quive ejus reditus auctores fuerint, primus expoſuit Eddius Stephanus, teſtis rerum oculatus, ubi ait, „Dagobertum, quem Daëgberth vocat, in juventute ſeu pueritia ſua ab inimicis regnantibus, Grimoaldo ſcilicet præfecto palatii, qui Childebertum filium ſuum in Auſtria regem conſtituere volebat, in exſilium pulſum in Hiberniam appuliſſe; & poſt aliquot annos amicos & propinquos ejus, cum eum viventem, & perfecta ætate

[b] ibid. cap. 32.

ANN. CHR. 672.

ætate florentem eſſe a navigantibus comperiſſent, miſiſſe nuntios ad beatum Wilfridum epiſcopum, petentes, ut eum de Scotia ſeu Hibernia ad ſe invitaret, & in Auſtriam ad ipſos eum remitteret, regio ſolio imponendum. Id vero perfeciſſe ſanctum pontificem, qui eum ex Hibernia venientem ſuſceperit, atque omnibus ad reditum neceſſariis inſtructum, cum idoneo comitatu & magnifico apparatu ad ſuam regionem remiſerit.

XXVII. Theoderada Beneventi monaſterium condit.

Beneventanum ducatum poſt Grimoaldum adminiſtravit Romualdus ejus filius, cujus uxor Theoderada, femina piiſſima, baſilicam in honorem [a] beati Petri apoſtoli extra muros Beneventanæ urbis condidit, ibique multarum Dei ancillarum cœnobium inſtituit. Hoc videtur eſſe monaſterium beatæ Mariæ [b] & ſancti Petri, fundatum in loco, qui dicebatur Maſſanum, cui Juſtinianus quidam civis Beneventanus, cum uxore ſua Domila, res ſuas offert, approbante Romualdo duce, indictione ſecunda, quæ anno hujus ſæculi ſeptuageſimo-quarto reſpondet, ſi de Romualdo Grimoaldi filio hic agitur. Exſtabat tunc temporis intra muros Beneventi monaſterium ſancti Benedicti cum adjuncto xenodochio, ſed incerti conditoris: cui monaſterio bonæ recordationis [c] domina Theoderada, cum domino Giſolfo filio ſuo, quaſdam poſſeſſiones cum colonis ſeu ſervis obtuliſſe memoratur. Hoc monaſterium poſtea unitum fuit Beneventano ſanctæ Sophiæ monaſterio: cujus loci abbas Mauricius eoſdem colonos, quos Zacharias abbas ſancti Benedicti *contra canonicam regulam* libertate donaverat, monaſterio ſuo denuo aſſeruit. Nec præter eundum hoc loco aliud eodem tempore conſtructum monaſterium ſancti Modeſti levitæ & martyris, in cujus honorem Doda Parda [d], nobiliſſima Beneventana mulier, eccleſiam condidit ad Olivolam, beatæ Mariæ ab ſe itidem amplificatæ contiguam, inque ea Hildebrandus Beneventanus antiſtes ſacros martyres recondidit: quam eccleſiam dux Grimoaldus opibus & poſſeſſionibus locupletavit, inſtinito ejuſdem monaſterii & eccleſiæ abbate Benregrando patruo ſuo, avunculo Rodoaldi ducis. Hanc Olivolæ abbatiam ſub titulo ſanctæ Mariæ ante Gregorii magni tempora ſanctimoniales, poſtea monachi occuparunt.

S. Benedicti monaſterium ditat.

S. Marci ibidem monaſterii.

a *idem lib. 6. c. 1.*

b *Ital. ſac. to. 8. col. 617.*

c *ibid. col. 618.*

d *ibid. col. 21.*

ANN. CHR. 673.

XXVIII. Vitaliano papæ ſuccedit Adeodatus ex monacho.

POſtero anno ineunte, VI. kalendas Februarii e vita migravit Vitalianus papa, quem Baronius ante quatuor annos mortuum perperam exiſtimavit, decurtato, ut ſuperius diximus, Martini & ſubſequentium pontificatu. Vitaliano ſuffectus Adeodatus, ortu Romanus, profeſſione monachus, educatus in monaſterio ſancti Eraſmi, quod eſt in Cælio monte: cujus monaſterii fabricam novis ædificiis auxit, multiſque eidem prædiis attributis, abbatem ibidem, & monachorum congregationem inſtituit.

XXIX. Frodobertus abbas Cellenſis obit.

Sub exitum anni ſuperioris, ut videtur, Frodobertus Tricaſſinæ Cellæ abbas morbo extremo corripitur, & de inſtanti morte certus totum animum ad Deum convertit, de Dei miſericordia ſecurus, quippe qui non præſenti ſæculo, ſed Deo vixerat, & ſuæ voluntati divinam ſemper prætuleтat. Imminente feſto Chriſti nativitatis, duos e ſuis diſcipulos, Leonem ſcilicet, virum ſanctiſſimum, qui tum in eodem ſuburbio abbas erat; itemque Lupellum, qui breve de ejus geſtis compendium ſcripſit, ad Abbonem ejus urbis epiſcopum miſit, obnixe rogaturos, ut novum, quod ipſe aucto monachorum numero condiderat, oratorium ipſa die nativitatis dominicæ conſecrare dignaretur. At, pontifiee ſollemnitatis occupationes excuſante, hæc celebritas dilata eſt in octavum diem, qui ejuſdem viri ſancti ſupremus fuit: ut una eademque die & baſilica conſecrationem, & abbas ſanctus ſepulturam acciperet. Itaque ſub noctem, quæ kalendas Januarias præcedebat, cum ad exitum properaret, prædictum Lnpellum acciri juſſit, ut ſanctum evangelium coram ſe legeret. Ille vero perlegendo dolorem capitis, quo in ipſo lectionis exordio torquebatur, omnino levatum ſenſit. Expletis nocturnis vigiliis, vir ſanctus univerſos denuo adeſſe jubet diſcipulos: dumque coram ipſo textus dominicæ paſſionis legeretur, feliciter ad Deum migravit ipſis kalendis Januariis. Ejus obitum mox reverendiſſimus ejuſdem nepos, & in regimine monaſterii ſucceſſor Waldinns, Gibitrudi cœnobii ſancti Quintini abbatiſſæ nuntiavit, quæ tanti viri obitum cum ſuis, tamquam ſalutis ſuæ partem ablatam lugens, ad ſancti viri exſequias quam citiſſime properavit. Confeſtim etiam adfuit Abbo epiſcopus, abbatum ſuburbanorum, clerique ac populi comitatus agmine, qui, peracta novæ baſilicæ dedicatione, corpus

ANN. CHR. 673.

ſacrum in eam intulit, & in lapideo monumento, quod ab illuſtri viro Walberto emtum fuerat, repoſuit. Crevit exinde loci celebritas, tum ex miraculorum frequentia, tum ex devotione fidelium, qui ejus tumulum frequentabant, &, collatis donis ac poſſeſſionibus multis, eo in loco ſe humari cupiebant. Hæc miracula cecinit illius temporis poëta minime malus, alius a Lupello monacho mox laudato, qui compendium ſancti Frodoberti vitæ ſcripſiſſe memoratur. Ex ejuſdem loci cœnobitis complures poſtmodum in Tricaſſina urbe exſtitere antiſtites, in primis ſæculo octavo Aldobertus, vir ſummi ingenii, & præcipuæ ſanctitatis; atque Bobinus, patria Aquitanus: qui ambo magna eidem monaſterio commoda, cum in ædificiis, tum in aliis rebus, contulere; & intra ſæpta baſilicæ ſepulturam ibidem elegere. Hanc baſilicam amplificavit Bobinus, ob cujus in eum locum merita Cella-Bobini appellata eſt. Hoc opus commendat anonymus poëta jam laudatus his verſibus:

Cujus opus, Bobine ſacer, te præſide crevit,
Antiſtes meritis magnificande tuis.

Ex quo intelligitur, poëtam illum ſcripſiſſe poſt Lupellum monachum, Frodoberti diſcipulum, qui Bobino ætate ſuperior fuit. Eamdem baſilicam, præ vetuſtate jam collabentem, ſæculo nono Cellenſes inſtaurarunt, eamque per Prudentium epiſcopnm conſecrari curarunt. Vixit poſt id tempus auctor ille, qui geſta ſancti Frodoberti fuſius litteris mandavit, haud dubie Adſo abbas Dervenſis, qui Odonis abbatis Cellenſis precibus ſæculo decimo hanc vitam ſtilo ſimplici, ſed veraciſſimo exaraſſe perhibetur. Magnum ejuſdem monaſterii decus in primis exſtitit S. Robertus abbas, qui illuſtri Ciſtercienſi Ordini, cum per ſe, tum per ſuos, originem dedit. Nec prætereundus Petrus abbas, Cellenſis cognominatus, poſtmodum epiſcopus Carnutenſis. Sed hæc prolixius ſuis locis. De puellari monaſterio ſancti Quintini id tantum reſcimus, quod Adſo de Rocula & Gibitrude ejus loci abbatiſſis commemorat. Nunc cella eſt a Moliſmenſi abbatia pendens.

XXX. Leodegarius Childerico inviſus, exagitatur.

Per hos tres annos Leodegarius Æduorum antiſtes plurimum auctoritate valuerat in palatio, ejuſque conſiliis Childericus rex multum tribuerat. unde multa pie cum in Auſtria, tum in Neuſtriæ & Burgundiæ regno, a principe geſta hactenus legimus. Verum, juvenili, ut fit, impellente ætate, male ſanis quorumdam aulicorum conſiliis credulus, multa perperam agere cœpit, nec leges aut conſuetudines cujuſque gentis proprias, ut initio pollicitus fuerat, ſervavit, nec matrimonio contrahendo ullam affinitatis rationem habuit, contrahendis nuptiis, ut jam diximus, cum filia avunculi ſui. Hinc arrepta occaſione malevoli homines, Leodegario principis invidentes gratiam, quæcumque perperam in regno gerebantur, antiſtiti imputabant. qui ut invidiam a ſe amoliretur, regem de violatis patriis legibus, & de inceſtis nuptiis ſtrenue arguere. cœpit, Deum vindicem minitans, niſi prave geſta emendaret. Sacerdotis libertatem primo in bonam partem rex interpretari viſus eſt: ſed tandem invidorum aſſentationibus impulſus, amorem in odium convertit, atque eum a ſe ablegare, & palatio interdicere conſtituit. Regis mutatum animum ſenſit Leodegarius, ſtatimque relicta aula ad eccleſiam ſuam ſe recepit.

Dehinc, imminente paſchali ſollemnitate, cum forte Childericus haud longe ab Auguſtoduno-Æduorum verſaretur, Leodegarius opportunam reconciliandi ſibi principis occaſionem oblatam ratus, eum rogavit, ut in urbem ſuam, ſacratiſſimam diem reſurrectionis Domini celebraturus, accederet. Aſſenſit rex, ſive ſacerdoti nondum plane offenſus, ſive conceptum odium diſſimulans: & ad feſtum diem Auguſtoduni adſuit. Eodem jam venerat Hector Maſſiliæ patricius, cauſam apud regem dicturus adverſus Præjectum Arvernorum epiſcopum; a quo bona quædam Claudiæ ſocrûs ſuæ, injuſte, uti aſſerebat, Arvernenſi eccleſiæ attributa, repetebat. Hectori favebat Leodegarius, quæ res calumniæ anſam præbuit ejus æmulis, hac occaſione uſis, utrumque ut perderent, regi ſuadentes, ambos ideo una conveniſſe, ut ſceleſta in regem ac regnum conſilia molirentur. Ex eorum numero erat Marcolmus quidam, in proximo ſancti Symphoriani martyris monaſterio corpore, non animo incluſus, a Childerico habitus pro Dei propheta, qui regis animo faces in Leodegarium accendebat. Ejus conſilio Childericus in eccleſiam cum epiſcopo venire noluit, ſed cum paucis adulatoribus in baſilica ſancti Symphoriani ſacram communionem percipere non dubitavit. Deinde vino madens, ceteris jejunis ſollemnia

ANN. CHR. 673.

ſpectantibus, eccleſiam ingreditur, Leodegarium vociferando appellitans, ut eum inde fugere compellat, cui antea denuntiari juſſerat, futurum brevi, ut gladio confoderetur. Tum baptiſterium intrat, ubi aderat epiſcopus: ſed ſacrorum myſteriorum pompa, cereorum fulgore, ac chriſmatis odore obſtupefactus, præſentem agnoſcere non potuit; moxque inde diſcedens ad domum epiſcopi, ubi convivium paratum erat, reſedit. Ceteris epiſcopis in hoſpitia ſua digreſſis, Leodegarius ſacris peractis regem adir, ac lenibus verbis percontatur, cur in eccleſiam ad vigilias non veniſſet, & cur tam ſacra feſtaque nocte iram non depoſuiſſet. Ad hæc rex ſuſpectum ſibi eſſe Leodegarium reſpondit.

Tum Leodegarius actum de ſe, ni diſcederet, intelligens, ſimul de intentata ſibi morte a Berchario monacho ſubmonitus, ſaluti ſuæ fuga conſulendum exiſtimavir, veritus maxime, ne ſacri dies ipſius cæde violarentur; idemque Hectori fugam itidem perſuaſit. Itaque Leodegarius & Hector diverſi aufugiunt. Fugientes regii ſatellites perſequuntur, amboſque aſſecuti, Hectorem quidem ſtrenue ſe defendentem interficiunt: Leodegarium vero comprehenſum regi denuntiant. Hunc rex, ſuadentibus optimatibus & epiſcopis, qui eum ſervare magnopere cupiebant, in monaſterium Luxovienſe abduci jubet, donec de eo ſtatueretur. Habito hac de re conſilio, una omnium procerum ſententia fuit, ut, vita ei conceſſa, perpetuo exſilio addictus, in Luxovio permaneret. Interim Ermenario, viro venerabili, abbati baſilicæ S. Symphoriani, Childericus, petente populo, Auguſtodunenſem eccleſiam commendavit. Leodegarius Luxovium profectus, Ebroinum ex præfecto palatii tonſum, ac monaſtica veſte indutum, illic invenit, rogavitque, ut, data invicem venia, mutua inter ſe ſe concordia jungerentur. Aſſenſiſſe viſus eſt Ebroinus, vultu verbiſque concordiam ſimulans. Ambo tamen Ingofredi abbatis juſſu ſeparati, inter monachos ita ſe geſſere, ut in eorum contubernio ſemper manſuri viderentur. At Leodegarii æmulis aliter viſum, quorum conſilio Childericus eum Luxovio abduci, & ſacerdotio privari decreverat. Verum interceſſit Ermenarius abbas, qui regis pedibus ſæpius advolutus, tandem obtinuit, ut Leodegarius in Luxovio quietus ac ſecurus remaneret. quod ſubdole ab Ermenario factum retinendi epiſcopatus cauſa nonnulli criminati ſunt, ſed ſalſo: cum contra is Leodegario, quoad vixit, neceſſaria pro facultate ſua ſubminiſtrare non deſierit.

XXXI. Præjectus epiſcopus ab Hectore vexatus.

Ad Præjectum quod attinet, ejus vexandi, ut jam dixi, hæc cauſa fuit, quod nobilis Arvernenſis matrona, Claudia nomine, cujus filiam Hector conjugem duxerat, res ſuas omnes ac poſſeſſiones ampliſſimas Arvernenſi eccleſiæ contuliſſet. Hector id gravate ferens, Præjectum apud Childericum accuſavit, quaſi prædia Claudiæ injuſte ſibi vindicaret. Is in vigilia paſchæ juſſus cauſam dicere, religione diei ſe impediri cauſatur, ſiquidem ſeptenis ante & poſt paſcha diebus canones ac lex Romana fora clauſa eſſe, ac forenſes ſtrepitus ceſſare jubebant: additque ſe negotia eccleſiæ ſuæ Blithildi reginæ (ſic in nonnullis codicibus legitur, aliis Imnichildi) commendaſſe. Cæſo deinde Hectore, Præjectus, favente Wlfoaldo præfecto palatii, cauſam facile obtinuit; ſicque auctoritate principis prædia omnia, quæ Hector repopoſcerat, eccleſiæ Arvernicæ adjudicata. Tum rege ac regina, optimatibuſque regni ſalutatis, antiſtes Arvernos revertit.

XXXII. Childerici regis cædes ac ſepultura.

Non diu poſt Leodegarii relegationem, cædemque Hectoris ſupervixit Childericus, qui nova præteritis facinora in dies adjiciens, tandem ad unum devenit, quod excidium ſibi, atque uxori prolique ſuæ accerſivit. Erat inter nobiles Neuſtraſios Bodilo quidam, quem rex, incertum quam ob cauſam, humi ad ſtipitem alligatum ac extenſum contra legem cædi juſſerat. Neuſtraſii optimates idem ſibi periculum ex tam immani furore imminere reputantes, Bodilonis injuriam, non ſecus atque ſuam, ulciſci conſtituunt. Adjuncti Bodiloni Amalbertus, Ingobertus, Lupus, aliique factionis præcipui auctores. Forte Childericus in Lauconiam ſilvam, Calæ monaſterio, ut pleriſque videtur, proximam, venandi cauſa, cum paucis ſeceſſerat. Hunc in aula ſecure ſedentem, nec-opinantem illi aggreſſi, ipſum, unaque reginam prægnantem, nomine Bilihildem, trucidant. Dagobertum filium minorennem addit ſcriptor vitæ ſancti Lantberti [a] epiſcopi Lugdunenſis, ex cujus fragmento Childerici funus ab Audoëno Rotomagenſi epiſcopo curatum fuiſſe colligimus. Hunc regem una cum uxore & filio apud Pariſios in ſuburbana baſilica ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii, quæ modo ſancti Germani a Pratis dicitur, ſepultum fuiſſe conſtat, non in baſilica

[a] Acta Ord. S. Bened. to. 4. p. 461.

ANN. CHR. 673.

ſancti Petri, nunc ſancti Audoëni apud Rotomagum, ut Fridegodus in libro de vita
ſancti Audoëni ſcribit. Id noſtra ætate compertum eſt ex detectis Childerici ejuſ-
que uxoris ac filii Dagoberti tumulis, qui anno ſeptimi-decimi ſæculi quadra-
geſimo-ſexto repertus fuit, cum baſilica noſtra repararetur. Factum referam ipſis
Hadriani Valeſii verbis, immo ex noſtro Luca Acherio, qui præſens aderat. Jace-
» bant in ſepulcris corpora regis ac reginæ, veſtibus etiam tum incorruptis tecta. In-
» ſantulus, ſcilicet prædictus Dagobertus, clauſus erat arcula, reginæ matris ſuæ ſe-
» pulcro impoſita. Operæ noctu, monachis abſentibus, occaſione uſæ, pretioſiſſima
» quæque ornamenta ex argento & auro furto ſubduxiſſe creduntur, uti anno
» milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto certiſſimis indiciis cognitum eſt. Cum
» enim monachi loci hæc ſepulcra iterum aperuiſſent, ac diligenter inſpicerent; cun-
» cta ſuſque deque everſa, veſtimenta omni ex parte corrupta, nihil denique ibi præ-
» ter oſſa cadaverum invenerunt. Tantum in ſepulcro regis ampulla vitrea ſupererat,
» ſiccum odoramentum, necdum vetuſtate plane hebetatum, continens: ſupererant
» & gladii ac pugionis rubigine conſumtorum particulæ; necnon fibula aurea, pen-
» dens uncias circiter octo ac ſemiunciam; bullæ præterea ex argento quadratæ, qua-
» rum ſingulis lateribus clavi argentei infixi erant: in medio ſerpens biceps amphiſ-
» bæna cælata. Hæc fibula & hæ bullæ lamellæve baltei regis fuiſſe videbantur, (im-
» mo potius cinguli regalis, ut in Childerico I. Tandem poſt aliquot dies, cum utrum-
» que ſepulcrum in eum baſilicæ locum, ubi nunc eſt, transferri oporteret; egeſta
» inde humo, apparuit in ima interioris ſarcophagi regis parte, ſuper quam corpus
» jacuerat, inſcriptio majoribus litteris Romanis, quales vulgo unciales vocant, to-
» tam tumuli latitudinem occupans, quæ talis eſt, CHILDR̄ REX. Hæc verba præter
» ceteros monaſterii prior, & bibliothecarius Lucas Acherius, vir doctus & candidus,
» legere. Sepulcro reginæ nihil inſcriptum, nihil adnotatum eſt viſum: quod juxta
» viri monumentum placuit collocari. Utraque arca eſt e lapide ſcabro ac male ca-
» vato: regis quidem alta admodum, & longa ſex pedes ac dimidium, ex duobus la-
» pidibus conſtat, quorum alter principis reliquias continet, alter pro opertorio eſt,
» ac in acumen deſinit. Ceterum operæ ad rerum ablatarum reſtitutionem, ac ne ad
» confeſſionem quidem furti, nulla ratione compelli potuerunt. tantummodo regem
» diademate ex auro textili, cujus partem & monachis reddidere, caput cinctum ha-
» buiſſe confitebantur: cui faſciæ aureæ margaritas ex more inſutas fuiſſe credibile
» eſt. Hoc autem ſepulcrum cum nec Childerici Chlodovei Magni patris, qui idola
» coluit, & Tornaci ſepultus fuiſſe dicitur; nec ultimi Merovingorum regum, qui cæ-
» lebs fuit, & regno dejectus atque tonſus in monaſterio Sithiu obiit, eſſe monumen-
» tum poſſit: dubitandum non eſt, quin Childerici noſtri, Chlodovei junioris filii, tu-
» mulus ſit, quandoquidem alii convenire non poteſt. Ceterum prædicta Childerici
ſecundi fibula omnino ſimilis eſt ejus, quæ in tumulo Childerici primi Tornaci re-
perta eſt, qualem Chiffletius in Anaſtaſi ipſius Childerici primi æri inciſam repre-
ſentari curavit. Amphiſbænæ vero, in tumulo Childerici ſecundi apud nos repertæ,
ſpecimen hic exhibere viſum eſt.



Ex hac Childerici cæde evaſit unicus filius Chilpericus, ſucceſſor Dagoberti junioris, Theoderici Calenſis deceſſor, qui in diplomate Corbeienſibus conceſſo genitorem ſuum Childericum, avunculum ſeu patruum ſuum Chlodecharium, & avam Baldechildem vocat. Regnavit Childericus in Auſtria annos quatuordecim, in Neuſtria quatuor. Poſt ejus mortem principatus Theoderico fratri, qui in monaſterio ſancti Dionyſii privatus Dei judicium exſpectabat, poſt varios optimatum motus, demum reſtitutus eſt; palatii præfectura delata Leudeſio, Erchinoaldi quondam majoris-domus filio, quem Ebroinus brevi e medio ſuſtulit, ut poſtea dicturi ſumus.

XXXIII. Heorutfordenſis ſynodi decreta.

Hoc ipſo anno in inſula Britannia ſynodus Heorutfordenſis celebrata eſt, præſi-
dente Theodoro Cantuarienſi pontifice, cui Wilfridus Eboracenſis antiſtes, Biſius
orientalium Anglorum, Leutherius occidentalium Saxonum, Winfridus Mercio-
rum, & Putta Roffenſis epiſcopi præſentes adfuerunt. In ea ſynodo conditi ſunt
» canones decem, quorum tertio ſtatutum eſt, ut quæque monaſteria Deo conſecrata
» nulli epiſcoporum liceat inquietare, nec quidquam de eorum rebus violenter ab-
» ſtrahere. Quarto, ut ipſi monachi non migrent de loco ad locum, hoc eſt de mo-

AN. CHR. 673.

naſterio ad monaſterium, niſi per dimiſſionem proprii abbatis; ſed in ea permaneant obedientia, quam tempore ſuæ converſionis promiſerunt. Non multo poſt ſynodum tempore offenſus a Winfrido Merciorum epiſcopo ob quamdam inobedientiam Theodorus metropolitanus, eum de epiſcopatu depoſuit poſt annos accepti epiſcopatus non multos; & in loco ejus Sexwlſum ordinavit epiſcopum, qui erat conſtructor & abbas monaſterii Medeshamſtedenſis: depoſitus vero Winfridus rediit ad monaſterium ſuum Adhearve, ibique laudabili & pia converſatione vitam finivit.

Vvinfrido epiſcopo ſuffectus Sexvulfus abbas.

AN. CHR. 674

XXXIV.

S. Præjecti & S. Amarini martyrium

PRoximo poſt Childerici necem anno ineunte cæſus eſt Præjectus Arvernorum antiſtes a Radberto quodam Saxone, quem forte primores pagi Arvernenſis, incentore in primis Agricio, ad id facinoris conduxerant, ulturi ſcilicet mortem Hectoris patricii popularis ſui, Præjecti cauſa, aut certe occaſione interfecti. Cum Præjecto etiam interiit Amarinus abbas, quem ex Voſagenſi monaſterio cum Præjecto ad Arvernos veniſſe ſuperius [a] vidimus. Hunc cum irruentes in Præjecti domum ſicarii primum offendiſſent, pro Præjecto trucidarunt, fruſtra conantem eorum furorem verbis mitigare. Revertentibus ſicariis, qui Præjectum interiiſſe credebant, ſanctus antiſtes occurriſſe traditur, dicens, ſe eſſe quem quærerent. quo audito, Radbertus pugionem in ejus pectus immerſit, ſtatimque gladio caput ejus percuſſit, ita ut cerebrum in terram ſit reſperſum. Eorum corpora in eodem loco ſepulta ſunt, nempe apud Volvicum *: ubi, cum ad eorum tumulos miracula fieri Avitus epiſcopus comperiſſet, baſilicam ibidem exſtruxit cum monaſterio, cui Godonem, Præjecti conſanguineum, abbatem præfecit. Diſtat hic locus quinque paſſuum millibus ab urbe Arvernorum, totidemque a Mauzaco ordinis Cluniacenſis abbatia, cui Volvicus, tenuis modo prioratus, ſubjectus eſt. Sancti Præjecti reliquiæ pars in Flaviniacenſe monaſterium, quod ſæculo inſequenti in ejus honorem conditum eſt; pars in ſancti Quintini opidum tranſlatæ ſunt, ubi hodie quoque ordinis noſtri cœnobium eſt, ſancti Præjecti nomine inſignitum. Murbacenſes etiam noſtri, nedum Mauzacenſes, reliquias ſanctorum Præjecti & Amarini ſe habere gloriantur, eo tranſlatas ex Thannenſi * eccleſia collegiata, olim vicina ſancti Amarini * opido in Voſagi faucibus poſito, quod olim Daroangus vocabatur, ut ſuperius diximus. Res a ſancto Præjecto geſtas ſcripſere anonymi duo ejus æquales, ex quibus etiam ea, quæ ad ſanctum Amarinum pertinent, accepimus.

Volvicenſe monaſterium.

a *lib.* 13. *n.* 47.

* *Volvic.*

* *de Thanne.*

* *S. Damarin.*

XXXV.

Leodegarii iterata vexatio per Ebroinum.

Audita Childerici morte Leodegarius Luxovio egreditur, ſimulque Ebroinus, retenta monaſtica veſte, quam numquam depoſiturus videbatur; at ſtipatus agmine eorum, qui una cum eo Childerici juſſu relegati fuerant. Ambo itaque ſimul profecti, Auguſtodunum verſus tendunt. In itinere Ebroinus impulſus a ſuis, in Leodegarium, qui cum in gratiam redire viſus fuerat, manus injeciſſet, ni Geneſius Lugdunenſis pontifex prohibuiſſet. Leodegarius ab Æduenſibus ſuis exceptus eſt cum aliquo triumphi genere, qualis tantum antiſtitem decebat. Poſtridie ambo urbe pariter egrediuntur, ut ad Theodericum una pergant. at Ebroinus in medio itinere a Leodegarii comitatu receſſit, domumque ſe contulit. Ibi, clericatu cum veſte monaſtica depoſito, uxori etiam, ut velamen ſacrum abjiciat, perſuadet, eamque e Sueſſionenſi beatæ Mariæ parthenone eductam in torum recipit. Tum regi Theoderico, cui ſe inviſum eſſe ſciebat, negotia faceſſere pergit, objecto ei pſeudorege quodam Chlodoveo, quem Chlotharii filium eſſe jactitabat. Ejus commento in primis ſuffragabantur Deſideratus, cognomento Diddo ſeu Dido, atque Bobo ejus collega, ejuſdem farinæ homines, quorum alter Cabilonenſi, alter Valentinæ eccleſiæ incubabant. Acceptus a Theoderico rege Leodegarius, eidem auctor fuit, ut palatii præfectum inſtituat Leudeſium, Erchinoaldi quondam majoris-domus ſub Chlodoveo filium. Hac opportunitate uſus pius antiſtes, ſynodum epiſcoporum habuit, in qua multa, præſertim ad monaſticæ diſciplinæ obſervationem, ſalubriter ſancita; eodemque tempore teſtamentum condidit. Hæc pluribus poſtea exponemus.

Verum, Leudeſio e medio ſublato, Ebroinus per vim ejus locum occupat. Dein conſilium capit perdendi Leodegarii, quem tyrannidis ſuæ adverſarium eſſe non dubitabat. Hunc ergo per diſpoſitos voluntatis ſuæ ſatellites, Didonem mox dictum, & Waimerem ducem Campaniæ, comprehendere molitur. Illi ocius Auguſtodunum advolant, urbem obſident, proxima quæque vaſtant. Leodegarius interim lances

ANN. CHR. 674.

argenteas & alia vaſa plurima minutatim frangi, & monaſteriis utriuſque ſexus, tam in urbe quam in pago Auguſtodunenſi poſitis, egentibuſque diſtribui juſſit. tum Meroaldum abbatem, forte ſuburbani ſancti Martini cœnobii, ad Didonem miſit, petiturum, ut accepta, quantumcumque vellet, pecunia diſcederet. Verum, eo recuſante, Leodegarius opidanorum rebus conſulens, ſponte ſe dedidit inimicis; & ſtatim ad Waimerem, hominem nequiſſimum, adductus, crudeliter, uti Ebroinus juſſerat, luminibus orbatus eſt. quod dum fieret, pius invictuſque antiſtes manus ſuas vinciri noluit; nec modo non gemuit, ſed etiam Dei laudes pſalmoſque cecinit. Eadem Geneſium Lugdunenſem epiſcopum manebat fortuna, ni ſe intra ſuam urbem ſtrenue defendiſſet adverſus eoſdem Ebroini ſatellites. Hi Bobonem, Valentina ſede olim dejectum, Auguſtoduno epiſcopum imponunt, qui theſaurum eccleſiæ & ſacram pecuniam, quæ quinque aureorum millibus æſtimabatur, Didoni ac Waimeri diſtribuit. Leodegarium Waimeres in domum ſuam abducit, adeoque pii ſacerdotis ſermonibus mollitus eſt, ut argentum eccleſiæ, quod paullo ante pro redemtione Auguſtodunenſium acceperat, ei reſtituerit. id antiſtes per Bettonem abbatem Auguſtodunum egenis diſtribuendum remiſit. Waimeres nihilo minus, in perfidiæ ſuæ pretium, Tricaſſinæ eccleſiæ epiſcopus per fraudem & dolum conſtitutus eſt, juſſuſque interim Leodegarius cuſtodiri in quodam monaſterio, ubi fere biennio abditus latuit, & eximia exhibuit conſtantiæ ac demiſſionis exempla. Forte hoc Dervenſe monaſterium erat, cujus loci abbas Bercharius Waimerum, *tormentorum ſancti Leodegarii reum*, Jeroſolymam ſecum duxiſſe fertur.

Confirmata tyrannide, Ebroinus pſeudoregem ſuum Chlodoveum abjicit, & ad Theoderici partes, jam de ſua poteſtate ſecurus, accedit, non tam palatii, quam ipſius regis in poſterum dominationem habiturus. Mox ille præteritarum injuriarum oblivionem regis nomine univerſis ſanxit, ſic tamen, ut ſibi in omnium fortunas ac vitam ſævire liceret. Nemo qui ipſi adverſatus fuiſſet, id tulit impune. Quin etiam nobilium virginum monaſteria Ebroini juſſu diruta; & primariæ ſanctimoniales, ætate ac pietate venerabiles, quibus vel barbari captis pepercissent, nullo reſpectu in exſilium actæ, direptis eccleſiarum ornamentis ac theſauris. Hæc uno tenore commemorare viſum eſt, quod ſingula ſuis annis conſignare vix liceat. In veteri martyrologio Gregoriani in Alſatia monaſterii memoratur VIII. kalendas Septembris *excæcatio ſancti Leodegarii*; atque ipſo die *ſanctus Garinus frater ejus*, qui *innumera multitudine telorum confoſſus, & inteſtinis ſtipiti circumrotatis, horrendo martyrio vitam finivit*. Eumdem ſignat diem aliud martyrologium Mediani-monaſterii, in quo præciſe fit mentio Garini & Leodegarii.

XXXVI. Leodegarii teſtamentum.

Si vulgato Leodegarii teſtamento integra ſtaret fides, Leudeſium majorem-domus ad Theoderici tertium annum perveniſſe, nec Leodegarium ante id tempus ab Ebroino comprehenſum fuiſſe extra controverſiam eſſet. Verum in editis vitioſi ſunt characteres chronologici, tametſi ipſa teſtamenti ſubſtantia legitima ſit, con-
» ſtetque ex aliis indubitatis inſtrumentis. Leodegarius in illo teſtamento ait, ſe pro
» amore divinitatis, pro remiſſione peccatorum ſuorum, & pro pia recordatione
» domni Chlotharii & Baldechildis reginæ, necnon pro ſtatu regis Theodorici & re-
» gni, ac cunctorum procerum ejus, de ſuis rebus heredem conſtituere beati Nazarii
» eccleſiam, ſui præſulatus titularem. cujus rei meminit Jonas ſæculo nono epiſcopus
in litteris[a] pro canonicis Æduenſibus, quibus quoddam prædium legat ea conditione,
» ut non ſolum pro principibus, *ut ſanctus inſtituit Leodegarius*, ſed pro rectoribus to-
» tius eccleſiæ & univerſo grege jugiter divinam exorent miſericordiam. Ad hæc Leo-
» degarius in prælaudato teſtamento eccleſiæ ſancti Nazarii donat partem ſuam de
» Mariniaco * villa ſuper Stantiam fluvium, quam a prædicta regina acceperat; & de
» Tiliniaco * villa ſuper fluvium Sagonam *, quæ de jure materno ab avis & proavis
» ſibi obvenerat; aliaque de Canavis * villa, quam a Bodilone & Sigrada Deo devota
» circa Divionem acquiſierat. Id ipſum confirmat Johannes octavus, aſſerens villam
» Tiliniacum proprietatis jure[b] ad ſanctum Leodegarium pertinuiſſe, & ſancto Na-
» zario ab eodem collatam. Itaque de validitate ejus teſtamenti nequaquam dubitandum eſt, tametſi vitioſi ſint, ut jam dixi, characteres chronologici. nam, præter annum incarnationis imperite ei præfixum, & indictionem octavam, factum dicitur
» regnante Theodorico filio Chlotharii glorioſi regis, majore vero domus Leodegiſo
» filio Herchinoaldi, ſeptimo anno epiſcopatus ſui. & in fine, *acta Chriſtiaco publice*,

[a] Perard. pag. 147.
* Marigny.
* Tillenay.
* la Saone.
* Chenoves.
[b] Ibid. p. 4.

ANN. CHR. 674.

tertio anno regni Theodorici regis. quæ ſane ſimul cohærere non poſſunt. ſiquidem Leodegarius Chlotharii regis anno quarto promotus ad epiſcopatum Auguſtodunenſem, agebat annum præſulatus circiter decimum -ſextum aut decimum ſeptimum, cum Theodericus annum tertium regni ſui ageret. De Chriſtiaco loco, ubi teſtamentum conditum eſt, præmittitur, quinquaginta-quatuor epiſcopos *a principibus noſtris*, ait Leodegarius, *Chriſtiaco* congregatos fuiſſe: quibus præſentibus & quorum conſilio hanc donationem eccleſiæ Æduenſis matriculæ fecerit. Principes illos interpretor Theodericum Neuſtraſiorum, & Dagobertum Auſtraſiorum reges, qui ſuæ quiſque partis epiſcopos in unum coëgerint ad res eccleſiaſticas & civiles componendas. Quis locus ſit Chriſtiacus, non facile dixerim. niſi ſi legendum eſt Chriſciacus *, quæ villa regia erat in Pontivo, ubi Theodericus hoc tempore ab Ebroïno comprehenſus, atque in poteſtatem ejus redactus erat.

* Crecy.

XXXVII. Auguſtodunenſis ſynodi canones.

Forte eodem in loco, eodemque tempore habita eſt ſynodus, Auguſtodunenſis dicta, & circa annum Theoderici regis quartum a Sirmundo collocata, in qua multi canones conditi ſunt ad ſanciendam, ſarciendamque monaſticam Benedictinæ regulæ diſciplinam. quæ ſynodus forte non ob aliam cauſam Auguſtodunenſis dicta eſt, quam quod agente in primis Leodegario Auguſtodunenſi epiſcopo ejus canones conditi fuerint. Præcipui ſunt, ut abbates vel monachi peculiare non habeant, & monachi ab abbate victum & veſtitum conſuetum accipiant. Ut in civitatibus errare non inveniantur. Ut mulieribus in monaſterium monachorum nullatenus ingredi liceat. Ut ſint monachi omnes omnino obedientes, frugalitatis decore pollentes, in opere Dei ferventes, orationi inſtantes, in caritate perſeverantes: ne propter negligentiam aut inobedientiam, hoſte circumeunte ac rugiente, & quærente quem devoret, cibus efficiantur. Sit eis cor unum & anima una. Nemo ſuum aliquid eſſe dicat, ſed ſint eis omnia communia. In commune laborent: hoſpitalitatis omnino ſint receptores. Obſervatione in primis dignus eſt canon quintus-decimus. *De abbatibus vero vel monachis ita obſervare convenit, ut quidquid canonicus ordo vel regula ſancti Benedicti edocet, & implere, & cuſtodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitime apud abbates vel monaſteria conſervata, & numerus monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.* quo illuſtrius nihil aut luculentius dici poteſt, ad commendandum tam in genere monaſticum inſtitutum, quam in ſpecie regulam ſancti Benedicti: quam in Gallicanis monaſteriis non primum recipi, ut quidam contra canonis ſententiam putant, ſed jam receptam & admiſſam *impleri & cuſtodiri* ſynodus præcipit.

Legimus hanc ſynodum in veteri codice Einſidlenſi apud Helvetos cum totidem canonibus, quot exſtant apud Sirmundum, nulla fere contextus diverſitate, niſi quod in canone quinto-decimo, ubi habetur in editis *canonicus ordo*, in illo codice legitur *canonum ordo*, quæ genuina eſt ejus loci interpretatio, ut ex conſimili Gregorii Magni textu ſuperius [a] docuimus. Ad hæc in ultimo ſynodi articulo præfert codex, *in confirmationem regularum monachorum*, & ſuſpenſionem *a communione & menſa*, non *miſſa*, ut in editis legitur. Neque omittendum in veteri quodam indiculo [b] novæ collectionis Baluzianæ poſt Marculfum, laudari *canones Auguſtidunenſes*, ac proferri canonem decimum, ut nullus monachum alterius abſque permiſſo abbatis ſui præſumat retinere. quod regulæ noſtræ capiti ſexageſimo-primo conſentaneum eſt. Ex dictis, hoc tempore ubique in Gallicanis tam Neuſtriæ & Burgundiæ, quam Auſtriæ monaſteriis vigebat regula ſancti Benedicti: ſiquidem non ad ejus receptionem, ſed ad ejus obſervationem & conſervationem Gallicanos abbates & monachos hortantur patres ſynodi Auguſtodunenſis, quæ nationalis cenſeri poteſt, utpote conſtans quinquaginta quatuor epiſcopis, Chriſtiaci ſeu Chriſciaci a principibus Theoderico & Dagoberto, ut mihi quidem videtur, congregatis. Sed jam ad Ebroïnum ejuſque facinora redeamus.

a lib. 10. n. 28.

b Capitul. to. 2. col. 577.

XXXVIII. Ragneberti martyrium & monaſterium.

Inter eos qui Ebroini crudelitatem ac ſævitiam experti ſunt, præter Leodegarium, quem unum præ omnibus aliis, cum fratre ejus Gaërino inhumanius excruciavit, fuere in primis Lupus dux in exſilium miſſus, cujus nonnullæ poſſeſſiones monaſterio Floriacenſi a Theoderico rege donatæ; Ragnebertus martyrio affectus; Filibertus abbas in cuſtodiam ejus cauſa vel occaſione miſſus; Landebertus Tungrorum, & Amatus Senonum, an Sedunorum, epiſcopi in exſilium deportati. Ragne-

ANN. CHR. 674.

berto, Radeberti populorum inter Sequanam & Ligerim incolentium quondam ducis filio, objecit Ebroinus initum cum Bodone, & Vimiſcando palatii proceribus, regis occidendi conſilium. Ragnebertus, ut erat non minus magnanimus quam pius, cum objectum crimen nec confiteri vellet, nec infitiari, deprecante Audoëno Rotomagenſi antiſtite, Ebroini amico, non continuo interfectus eſt, ſed Theudefredo, Burgundioni nobili ac potenti, in cuſtodiam traditur. Dehinc ad eremum quamdam Ebroini mandato interimendus perducitur, atque in loco Bredone appellato, ubi Domitianus eremita exiguam Geneſio martyri baſilicam exſtruxerat, Deum in ea baſilica precandi facultate ei negata, noctu ſuper lapidem ſedens lancea confoditur idibus Julii, martyr pro more illorum temporum appellatus & habitus. Ejus corpus ſepultum eſt in porticu baſilicæ Bebronenſis, ſed ob mirabiles virtutes in ipſam baſilicam poſtea tranſlatum, juxta analogium conditum eſt. quo ex tempore* Bebronenſe monaſterium, in locis Jurenſibus apud Sebuſianos* ſitum, a ſancto Ragneberto vulgo Ramberto, nomen deinceps accepit, non confundendum cum opido ſancti Ragneberti, quod in pago Forenſi ſuperiore ad ripas Ligeris poſitum eſt, de quo nos alias.

* le Bugi.

XXXIX. Filibertus multa etiam paſſus.

Eamdem martyrii ſortem pie ambiens Filibertus, Gemeticenſis monaſterii conditor atque abbas ſanctitate eximius, peſtiferum Ebroinum adiiſſe dicitur, hominemque apoſtatam appellaviſſe, ac prorſus indignum, qui-eum ullus chriſtianus communicaret, quippe qui Luxovium, ubi coma detonſa clericum ſeu monachum egerat, per ſummum nefas egreſſus, in ſacerdotes & nobiles Francos continue fureret. qua libertate vir ſanctus Ebroinum in ſe concitatum iri, ſeque martyrii palmam conſecuturum non dubitabat. Sed contra quam ſperaverat accidit, inviolatuſque ab Ebroino dimiſſus eſt. Id forte ab eo conceſſum neceſſitudini amici ſui Audoëni epiſcopi Rotomagenſis, qui Filibertum magnopere diligebat. Aſt Audoënus ipſe paullo poſt a quibuſdam eccleſiæ ſuæ clericis, ut fertur, impulſus, Filibertum in carcerem detruſit, quam vir Dei injuriam cum gaudio excepit, & obſcurum fœtidumque ergaſtulum ſplendore & odore ſanctitatis ſuæ illuſtravit, expurgavitque.

Verum brevi agnita ejus innocentia dimiſſus, acceptis ab ipſo Audoëno litteris commendatitiis, Anſoaldum Pictavorum in Aquitania epiſcopum, virum nobilem ac potentem, cœnobii exſtruendi cauſa adiit, quod unum omnes ad ſe confluentes monaſterium capere non poſſet. Perſpecta Filiberti ſanctitate Anſoaldus, qui ab eo ſecrete correptus, multa ſibi eventura didicerat, ejus ſe conſiliis totum permiſit, & cum *ſub religionis norma* epiſcopalem potentiam inclinaſſet, & Filibertum eremi vaſtitatem quærentem ſecum in urbe retinere non valeret; in inſula maris Pictonici Herio ſeu Hero monaſterium ejus cauſa exſtruxit, magniſque opibus ac prædiis ditavit, illudque Filibertus evocatis e Gemetico monachis implevit, ac religione, doctrina, & opere illuſtravit, Herienſe* ſeu Herenſe a poſteris appellatum. Interea, eum in Neuſtriam reverti nollet, ne cum Ebroino communionem inire videretur; Audoënus epiſcopus Chrodoberto Gemeticenſi monacho, cujus filium necdum converſi Filibertus e ſacro fonte exceperat, ceteris fruſtra repugnantibus, & Filiberto quam promiſerant obedientiam ſervare cupientibus, monaſterium Gemeticenſe regendum commiſit. Deinde ejus in locum, dira morte ſublati, Ragertramnum archidiaconum ſubſtituit abbatem, qui poſtea Abrincatenſis eccleſiæ epiſcopus factus eſt.

Herienſe monaſterium condit.

* Normoutier.

XL. Landebertus epiſcopatu dejectus, Stabulaum ſecedit.

Eadem Ebroini tempeſtate involutus eſt Landebertus Tungrenſis antiſtes, non minus ſanctitate morum, quam dignitate excellens: qui Childerico quondam fidiſſimus, idemque amiciſſimus fuerat, ob id forte falſis criminibus inſimulatus, & epiſcopatu dejectus, intruſo in ejus locum Faramundo, quem Colonienſem fuiſſe clericum tradunt. In tanta rerum perturbatione Landebertus tempori cedendum ratus, in monaſterium, quod Stabulaus* vocatur, non procul a flumine Amblava a Sigiberto rege in Arduenna ſilva exſtructum, ſeceſſit, duobus tantum pueris comitatus: ex quorum uno, nomine Theodoëno, Godeſcalcus ipſius vitæ ſcriptor multa de ejus geſtis ſe accepiſſe dicit. Antiſtitem ſanctum ea qua par erat reverentia pater monaſterii, totaque congregatio excepit, & coluit. Huic mos erat, furtivis precibus nocturnas occupare vigilias, &, ne fratrum ſomnum interturbaret, acceptis in manus ſandaliis, nudis pedibus per dormitorium in eccleſiam progredi. quod dum aliquando exſequi vellet, contigit unum e ſandaliis excidere manibus in pavimentum,

* Stavelo.

ANN. CHR. 674.

mentum, ejuſque caſu & ſonitu fratres excitari. Hoc audito, monaſterii pater (Sigolinus is erat, Baboleni ſucceſſor) ignorans quis hoc egiſſet, facti auctorem pœnitentiæ cauſa juſſit ire ad crucem, quæ ad expiandas conſimiles culpas in medio clauſtri pratello poſita erat, ut jam alias [a] obſervavimus. Ilico ſanctus antiſtes obe[illegible]ns, ad crucem nudis, ut erat, pedibus, aſpero tantum cilicio indutus perrexit, ibique nive defluente, nam hiems erat, permanſit uſque ad finem nocturnarum vigiliarum. quibus finitis, cum fratres ad ignem conveniſſent, quæſitus vir ſanctus, ad crucem orans, totus nive conſperſus, repertus eſt. Mox pater monaſterii cum tota congregatione ad ejus pedes abjectus, errati veniam poſtulavit, fratreſque parato balneo, calefactum veſtimentis aliis induerunt.

[a] lib 15. n. 47.

XLI. Amatus epiſcopus exſulat.

Eodem tempore Amatus pontifex itidem falſo accuſatus, ac perperam damnatus, in caſtrum Veromanduorum, Theoderici, vel potius Ebroini juſſu, perducitur, atque Ultano abbati in cuſtodiam traditur. Ultano mortuo, mandatum Mauronto, Adalbaldi comitis & Rictrudis filio, ut epiſcopum ſecum abduceret, eum in ſua cuſtodia habiturus. Hunc itaque aliquamdiu in Hamatico virginum cœnobio, a Gertrude proavia ſua exſtructo; deinde in monaſterio Broïlo, quod ipſe haud procul a Lætia in honorem ſancti Petri condiderat, cuſtodivit. Eo in locu pius antiſtes cellulam ſibi juxta baſilicam fabricari præcepit, in qua vigiliis, inedia & orationibus attritus exſpiravit idibus Septembris. Hunc non Senonenſium, ſed Sedunenſium epiſcopum fuiſſe ait Hucbaldus monachus in libro de vita ſanctæ Rictrudis. Sane tunc temporis Amatum ex abbate ſancti Mauricii factum eſſe epiſcopum Sedunenſem vulgati indices produnt. Hugo monachus ſancti Mariani in chronico Autiſiodorenſi hunc ſanctum Amatum fuiſſe quidem Senonenſem epiſcopum dicit, ſed proxime poſt Lupum. quod temporum rectæ rationi repugnat. ſiquidem Amatus, ſi Senonenſi eccleſiæ præfuit, collocari non poteſt niſi poſt Emmonem, ut cum Theoderici priucipatu convenire poſſit. Sed hæc alii viderint.

XLII. Aicadrus Quinciaci monaſterii auctor.

Ex his quæ ſuperius de Filiberti ſucceſſoribus, in regimine Gemeticenſis monaſterii ab Audoëno inſtitutis, Chrodoberto ſcilicet atque Ragertramno, diximus, dubia videri poſſunt, quæ de Aicadro leguntur, eum nempe a Filiberto in ſui locum ſubſtitutum fuiſſe, ubi primum Filibertus ad Anſoaldum epiſcopum ſe recepit, & Gemetici abbatem deinceps perſeveraſſe: cum tamen Filibertum, exſtincto Ebroino, Gemeticum revertiſſe, nec niſi poſt ſuum inde in Herum inſulam reditum, Aicadrum Gemeticenſibus ab eo præfectum fuiſſe conſtet. De Aicadro ita commemorant. Aicadrus in Pictavenſi ortus ſuburbio, nobilibus parentibus, Anſchario & Ermena, cuidam magiſtro tunc temporis nominatiſſimo, Anſfrido ſcilicet, monaſterii ſancti Hilarii in eadem urbe *cœnobitæ*, inſtituendus tradimr. Adoleſcens monachum induit in Anſionenſi monaſterio ſancti Jovini. Dehinc eum inceſſit cogitatio exſtruendi monaſterii in quadam ſuorum parentum poſſeſſione, nomine Quinciaco, quem locum ejus parentes, non minus pii quam nobiles, monaſterio Gemeticenſi ac Filiberto abbati, cujus fama ſanctitatis ad ipſos pervenerat, ſubjectum eſſe voluerunt. Situs eſt hic locus haud ita procul ab urbe Pictavorum verſus orientem ad Miltionem * amnem; diſtinguendus ab alio Quinciaco ſuper Auranciam * poſito. Piis eorum conſiliis Anſoaldus Pictavorum antiſtes faviſſe dicitur, ejuſque loci oratorium ſub patrocinio ſanctæ Dei genitricis Mariæ conſtruxiſſe. Conditione accepta, Filibertus monachos e ſuis duos, Sidonium & Prædonem, Quinciacum direxit, quos *in domum auditorii* deductos Aicadrus, lotis, ut regula jubet, pedibus, perhumane excepit. Reverſi nuntii Filiberto novi monaſterii ſtatum explicant. Ipſe vero locum luſtrare cupiens, eo pergit: Anſoaldo epiſcopo mentem ſuam de conſtruendo cœnobio Herenſi aperit, ſimulque de ſubſtituendo in ſui locum Aicadro in regimine Gemeticenſis monaſterii, quod propter Ebroini vexationes deſerere coactus erat. Impoſitum ſibi munus, probante Anſoaldo, Aicadrus ſubiiſſe fertur, &, Probo Quinciaci abbate ordinato, Gemeticum adiiſſe, ubi tum nongenti monachi cum famulis mille quingentis exſtitiſſe dicuntur, eumque locum pie ac prudenter adminiſtraſſe. cujus tempore Aſtadius quidam, nobilis Pictavenſis, villam Tortoniacum Deo & ſancto Petro in Gemetico donaviſſe traditur. Hæc, aliaque minoris momenti, ſcribebat anonymus Gemeticenſis monachus ſæculo decimo, idemque poſt eum Fulbertus alter vitæ ſancti Aicadri ſcriptor: quibus præponenda eſt ſententia libri de vita ſancti Filiberti, utpote ſupparis auctoris, monachi itidem

An S. Filiberti ſucceſſor.

* Mixon.
* Auranc.

ANN. CHR. 674.

Gemeticenſis, qui, nulla Aicadri mentione facta, Chrodobertum & Ragertramnum Filiberto viventi ab Audoëno ſuffectos fuiſſe ſcribit. Quamquam hæc forte ita conciliari [a] poſſint, ut Aicadrus a Filiberto deſignatus, miſſuſque ſit ad regendum ſui vice monaſterium Gemeticenſe; ſed prohibitum fuiſſe ab Audoëno, qui primo Chrodobertum monachum, tum eo mortuo Ragertramnum archidiaconum, reluctantibus licet monachis, Gemetico præfecerit. Quinciacum, antequam Filiberto committeretur, ſub laxiori forſan Anſionenſium inſtituto aliquamdiu exſtitiſſe colligitur ex actis ſancti Filiberti, in quibus vir ſanctus, *veteribus deturbatis erroribus*, locum ipſum monachis impleviſſe traditur, ubi Chriſtus jugiter per famulos collaudatur in ſanctis. niſi ſi id explices de ſuperſtitioſis erroribus gentilium ibidem relictis, quos Filibertus, monachis eo in loco inſtitutis, eliminaverit. Proximum erat jam tum Quinciaco monaſterium Nobiliacenſe, de quo egimus in libro ſuperiori. Quinciaci colitur ſanctus Benedictus confeſſor, quem Samariæ epiſcopum fuiſſe, & ob perſecutionem ad Pictones tempore ſancti Hilarii veniſſe ferunt, ubi juxta Gravionem caſtellum eremiticam duxerit vitam, ibidemque deceſſerit. At certius eſt id quod in kalendario Godelgaudi monachi Remigiani, anno XXXI. Caroli Magni ſcripto legitur: XI. *kal. Novembris, in pago Herbatilico* * *depoſitio ſancti Benedicti presbyteri.* qui pagus in Brittonum & Pictonum confinio jacet. Ab eodem ſancto Benedicto monaſterium ſancti Benedicti de Quinciaco nomen accepit.

[a] V. lib. 17. n. 28.

* d'Herbauge.

XLIII. Sidonius Filiberti diſcipulus, & abbas.

Unus e duobus monachis, quos Filibertus Quinciacum ad Aicadrum miſit, vocatur Sidonius, natione Scottus ſeu Hibernus, qui a Filiberti diſcipulis, redimendorum captivorum gratia in Britanniam miſſis, Gemeticum adductus dicitur, & ab ipſo Filiberto monachorum numero adſcriptus. Certe in libello de vita ſancti Filiberti cellerarius monaſterii, Sidonius nomine, memoratur, qui penuriam olei viro ſancto indicavit, reſponſo accepto, brevi ejus copiam cælitus proventuram. cujus rei nuntius ſub veſperam ejus diei advenit e portu maris, navim eo appuliſſe ſignificans, ex urbe Burdegala ab amicis viri Dei ſubmiſſam, quæ olei modios quadraginta ad uſus monaſterii deferret. Idem Sidonius locum exſtruendo monaſterio apud Caletos in agro Rotomagenſi a Theoderico rege obtinuit, ejus nomine poſtea inſignitum: ubi Leutfredus, futurus abbas Madriacenſis, ſe recepit. Deinde vero Audoëno Romam proficiſcenti adhæſiſſe fertur, mortuus demum XVIII. kalendas Octobris, quæ dies in ſacris faſtis memoria ſancti Sidonii inſignis eſt. Ejus moaſterium redactum eſt in cellam, Fontanellæ modo ſubjectam: vicus adjunctus Sancti-Sidonii * nomen hactenus retinet.

* S. Saëns.

XLIV. S Diſibodus, ejuſque monaſterium.

Diſibodum itidem Scottum hoc etiam anno ex Hibernia in Germaniam aceſſiſſe anctor eſt Marianus Scottus in chronico, aut forte Dodecbinus monaſterii ſancti Diſibodi abbas ejus continuator. Diſibodi res reſtas locis fere communibus amplificavit ſancta Hildegardis, librumque hae de re ſcripſit rogatu Helingeri abbatis ejuſdem monaſterii, anno dominicæ incarnationis ſupra milleſimum centeſimo ſeptuageſimo; aitque ſe facta ejus ex divina revelatione accepiſſe, cum ipſa corpore & animo vigilaret. Libri ejus breviarium referre nobis ſat erit. Diſibodus in Hibernia natus, ibidem epiſcopus fuiſſe dicitur. Poſt decem peregrinationis ſuæ annos ſubſtitit in pago Moguntiacenſi. Tranſmiſſo Glanno fluvio, cum tribus ſociis Giſwaldo, Clemente & Saluſtio, in declivi montis excelſi ac ſilvigeri habitationem fixit, oratorio exiguo in montis deſcenſu verſus orientem ædificato, in quo divina officia cum ſuis celebraret. Horti cum tuguriis ad vitæ uſus neceſſariis in planitie conſiti ab ejus diſcipulis, qui frequentes ad eum confluebant. His regulam ſancti Benedicti præſcribere placuit, aliudque oratorium ad occidentem condere in ſupercilio montis, ne adventantis populi ſtrepitu interturbarentur. Tandem poſt multos exantlatos labores, poſt multas cruces & afflictiones toleratas, anno ætatis ſuæ octogeſimo-primo in cælum migraſſe dicitur VIII. idus Julii. Rabanus tamen in martyrologio *natale ſancti Diſibothi confeſſoris celebrari* ait VI. *idus Septembris in ſuburbanis Moguntiacenſis eccleſiæ*, hoc eſt in tractu ſeu pago Moguntiacenſi, ubi Rabanus confeſſorem dumtaxat Diſibodum appellat, non epiſcopum; ſecus Mariani chronicon, in quo is, *epiſcopatu abdicato*, ex Hibernia egreſſus dicitur: qui titulus pleriſque Scottorum in exteras gentes migrantium affingi ſolet. Sacrum ejus corpus ſepultum eſt in exiguo oratorii, quod ipſe ſibi paraverat, umbraculo; inde poſtea, jubente ac præſente ſancto Bonifacio Moguntino pontifice, ſublatum in

ANN. CHR. 674.

monaſterium, quod ad occidentalem montis plagam exſtructum erat. Locum poſtea ſæculares homines occupavere; ſed eum Willigiſus Moguntinus antiſtes monachis reſtituit labente ſæculo decimo. Monaſterium ineunte duodecimo denuo inſtauratum, demum ad ſæculares canonicos proceſſu temporis migravit. Situm erat in diœceſi Moguntina, & quidem in comitatu Spanheimenſi, duobus a Cruciniaco*, & uno a Spanheimio monaſterio milliaribus, ubi Naha & Glanus confluunt. Naha fluvius augetur Glano a dextra, deinde influit in ſiniſtram Rheni ripam apud Bingium, ubi Hildegardis abbatiſſa, quæ ejus vitam ſcripſit, cœnobio virginum a ſe condito præerat.

* *Creutznac.*

XLV. S. Medardi abbates.

Inſigne ſancti Medardi monaſterium apud Sueſſionas regebat his temporibus Autbertus vir venerabilis: cui regia præceptione ſucceſſit quidam ᵃ Warinbertus, moribus longe diſſimilis, homo aulicus, & inter regis domeſticos multæ auctoritatis. Initio cœnobium haud ignobiliter regere viſus eſt: ſed poſtmodum Sueſſionicam ſedem adeptus, retenta etiam abbatiali dignitate, in monachos graſſatur. Id contigit poſt mortem Drauſii ſeu Drauſcionis epiſcopi, qui in parthenone beatæ Mariæ, ſuis curis, ſed Ebroini ejuſque conjugis impenſis exſtructo, honorifice conditus, ibidem etiam miraculis claruit. Eo mortuo, Warinbertus epiſcopatus & abbatiæ rebus ne quidem contentus, ut erat ſupra modum opum appetens atque avarus, prædia & fiſcalia monachis aſſignata devorare cœpit. Erat in pago Cenomannico nobilis villa, vocabulo Matvallis, quam Sigibertus rex quondam monaſterio ſancti Medardi contulerat. Eo ex loco plauſtra quotannis, melle ac ſale, aliiſque ſpeciebus onuſta, in uſus monachorum devehi ſolebant: quæ epiſcopus ſibi uſurpare, & in ſuum epiſcopium diverti curabat. Eo abſente, forte contigit plauſtra de more Sueſſionas advenire, quæ monachi, ea occaſione uſi, in ſuum monaſterium perduci curarunt. Hoc audito, epiſcopus furore accenſus, minatur ſe quam primum adfuturum, & animadverſurum in monachos. Inter ea illi iram epiſcopi & intentatum ſibi exitium formidantes, concurrunt ad eccleſiam, ac per triduum precibus cælum fatigant, altaria diſcooperiunt, lampadas exſtinguunt, baſilicæ portas obſtruunt, & campanarum ſonitum, cantumque divinorum officiorum ceſſare jubent. Reverſus in urbem epiſcopus, ilico in monaſterium advolat, oſtia clauſa reſerari imperat: ubi non paretur, ea concuti & quaſſari præcipit. Apertis tandem oſtiis, idem in caput æditui, qui ſibi oſtia reſeraverat, baculum vibravit tam valide, ut is totus ſanguine cruentaretur. Pergit intrare epiſcopus, ad ſancti Medardi tumulum cruentis manibus oraturus. Verum, ubi ad ſancti confeſſoris tumulum genua flexit, mox effuſis viſceribus animam exhalaſſe traditur. Ejus corpus in cœmeterio monaſterii congruo nihilo minus honore ſepultum eſt. De primis abbatibus monaſterii ſancti Medardi vix ulla certa notitia. Poſt Danielem, qui primum locum tenet, recenſentur Gairaldus, Audobertus, Santellius, Gairaldus ſecundus, Wlfadins & Autbertus Warinberti deceſſor, qui forte idem eſt cum Audoberto. Nomedius poſt Warinbertum abbas erat Childeberti tertii principatu, & poſt eum Hugobertus.

ᵃ *Spicil. to. 8. p. 408.*

XLVI. S. Martini baſilicæ privilegium.

Circiter hunc annum Adeodatus papa, poſtulante Ægirico presbytero & abbate, confirmavit privilegium, quod Chrotpertus Turonenſis antiſtes ſancti Martini baſilicæ ac monaſterio cum Gallicanorum epiſcoporum conceſſu indulſerat. Ejus rei gratia Romam ad apoſtolorum limina ſe contulerat Ægiricus, ſupplicaturus, ut
prædictum privilegium obtineret. Hæſit tantiſper pontifex, propterea quod mos Ro- «
manæ eccleſiæ tunc temporis vix amplius ferret, ut a regimine epiſcopali religioſa «
loca eximerentur. Verumtamen, inſpecto privilegio Chrotperti Turonenſis eccle- «
ſiæ præſulis, a Gallicanis epiſcopis ſubſcripto, quo monachis Martinianis libertas «
conceſſa erat; nequaquam rationi & canonicæ regulæ contrariam exiſtimavit con- «
ſonam tantorum epiſcoporum ſententiam; ob idque pro ſua poteſtate idem privile- «
gium hoc pacto confirmavit, ut abbas & monachi, ibidem degentes, apoſtolica fulti «
auctoritate, nulla a quoquam epiſcoporum gravamina, nullaſque vexationes aut in- «
jurias, per occaſionem regularis diſciplinæ rimandæ atque ſcrutandæ, nec prætextu «
hoſpitalis juris, ſuſtinere cogantur: ſed integra immunitate gaudeant, ſalva mona- «
chicarum regularum cuſtodia; epiſcopo Turonenſi reſervata dumtaxat ordinatione «
ſacerdotum atque levitarum, & conficiendi eo in loco chriſmatis facultate. Ubi, «
cum ordinationem tantum ſacerdotum & levitarum excipit pontifex, inferiorum clericorum ordinationem in abbatis arbitrio vel poteſtate relinquere videtur. Idem

ANN. CHR. 674. XLVII. *Biſcopus condit monaſterium Vuiremuthenſe.*

privilegium Ibbo epiſcopus poſtea novis litteris confirmavit, ſuo loco referendis.

Interim apud Northumbros Benedictus Biſcopus, quem venerabilis Beda magno patri Benedicto comparat, accepta ab Egfrido rege ſeptuaginta familiarum poſſeſſione, monaſterium ad oſtium fluminis Wiri, Wiremuthenſe idcirco appellatum, exſtruere cœpit in honorem beati Petri apoſtolorum principis. Id factum anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto, indictione ſecunda, anno quarto imperii Egfridi regis. Hoc monaſterium Benedictus annis ſexdecim, inter varios itinerum, infirmitatumque labores, magna religione ac ſedulitate rexit. Aliud deinde monaſterium ſub patrocinio ſancti Pauli idem ædificavit in territorio Girwenſi, ut poſtea dicemus, atque ita alteri conjunctum eſſe voluit, ut ex duplici una veluti congregatio fieret, unique abbati ſubjecta. Superiori anno natus eſt venerabilis Beda, ejuſdem congregationis decus & ornamentum. ſiquidem hiſtoriam ſuam abſolvit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo, annos natus ſexaginta novem, ut ipſe teſtatur in fine ſuæ epitomes, quæ in melioris notæ exemplaribus in prædicto anno deſinit.

Bedæ nativitas.

ANN. CHR. 675. XLVIII. *Benedictus Biſcopus ex lapide eccleſiam ſtruit.*

ANno proximo ab inchoato Wiremuthenſi monaſterio Benedictus, oceano tranſmiſſo, Gallias petiit, cæmentarios, qui lapideam ſibi eccleſiam juxta ritum Romanorum facerent, adducturus. Vitri etiam factores indidem accerſiti ſunt, Britanniis ad id tempus incogniti opifices, ad cancellendas eccleſiæ, porticuumque & cænaculorum ejus feneſtras. Quin etiam artifices ad concinnanda clauſtra, & vaſa, variaque ornamenta, quæ ad altaris miniſterium neceſſaria erant, quia in illa regione deerant, ex tranſmarinis partibus advecti. Tanta vero celeritate univerſum opus confectum eſt, ut intra unius anni circulum, culminibus impoſitis, miſſarum inibi ſollemnia celebrata ſint. Verum, quia etiam in Gallia multa ad eccleſiæ & monaſterii ornamenta & complementum deerant, quartum iter e Britannia Romam aggreſſus eſt Benedictus, ut earum rerum ſupplementum inde afferret, quemadmodum in conſequentibus videbimus. Regulam ſancti Benedicti principio ibidem viguiſſe, teſtis eſt ejus loci alumnus Beda venerabilis, immo Biſcopus ipſe in extremo ſermone, quem morti proximus ad diſcipulos habuit, eos monens & exhortans, ut » ne aliunde ſibi patrem accerſerent, ſed *juxta quod regula magni quondam abbatis* » *Benedicti*, ac privilegii ſui decreta continebant, in ſuo ipſorum cœtu perquirerent, » qui ſecundum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam (quæ regulæ noſtræ verba ſunt) » aptior ad tale miniſterium perficiendum, digniorque haberetur. Idem etiam Ceolfridus abbas ejuſque ſucceſſor, mare tranſmiſſurus, inculcaſſe traditur, referente Beda in hiſtoria monaſterii ſui. Hinc eſt quod in Wiremuthenſi monaſterio *eccleſia beati patris Benedicti* ab initio erecta memoratur ab eodem auctore. Unde Albinus[a] » Flaccus, ſcribens ad Wirenſes & Girwenſes fratres, eos hortatur, ut regularis vitæ » obſervationem, quam ipſis ſtatuerant ſanctiſſimi patres Benedictus & Ceolfridus, » diligentiſſime cuſtodirent, hoc eſt regulam ſancti Benedicti, quam monet in con» ventu fratrum propria exponi lingua, ut intelligi poſſit ab omnibus.

[a] *Alcuin. ep. 49.*

XLIX. *Aldhelmus fit abbas Maildunenſis.*

Eamdem regulam eodem tempore Maildunenſi ſeu Malmeſburienſi apud occidentales Saxones monaſterio impoſitam fuiſſe conſtat, agente in primis Aldhelmo, qui hoc anno ibidem abbas inſtitutus eſt. Huic monaſterio principium, uti & primarium nomen, dedit Maildulfus quidam Scottus, qui in proximo caſtello Bladovenſi ſemiruto tugurium primo ſibi conſtituit, ſcholareſque ibidem adunavit, ad vitæ neceſſaria ſibi comparanda. Brevi tempore ſcholares in magnam turbam coaluere: quorum conſortio adjunctus Aldhelmus, primis pietatis ac litterarum elementis ab eodem magiſtro informatus eſt. Hunc ex illuſtri Saxonum genere ortum tradunt, patre Kentenio, qui Inæ occidentalium Saxonum regi ſanguine conjunctus fuiſſe perhibetur. Sane Aldhelmus ipſe ſe Saxonica proſapia genitum, & ſub arctoo axe a teneris infantiæ eunabulis enutritum dicit in epiſtola quadam ad Cellanum monachum Scottum, qui In Perronenſi ſancti Furſei monaſterio degebat. Aldhelmus a Mailduno perrexit ad Hadrianum abbatem ſuburbani monaſterii Cantuarienſis ſancti Petri ſeu ſancti Auguſtini, in philoſophia eruditum, ut ab eo artem dialecticam diſceret. quod ipſe atteſtatur in epiſtola, cujus hæc inſcriptio eſt in prolixiori ejuſdem vita: *Reverendiſſimo patri, meeque rudis infantiæ venerando præceptori Adriano, Aldhelmus vernaculus familiæ Chriſti, & veſtræ pietatis ſupplex alumnus, ſalutem.*

& in contextu: *Fateor, mi cariſſime, quem gratia puræ dilectionis amplector, poſtquam a ſociali contubernio veſtro ante triennium circiter diſcedens, a Cantia ſequeſtrabar, quod noſtra parvitas hactenus ad conſortium veſtrum ardenti deſiderio flagrabat; & quod jam dudum cogitarem, quemadmodum in votis eſt, adimplens perficere, ſi rerum ratio ac temporum viciſſitudo pateretur, & niſi diverſa impedimentorum obſtacula retardarent, præſertimque corporea fragilitatis valetudine, medullitus tabentia membra coquente, non ſineret. qua quondam, dum poſt prima elementa iterum apud vos eſſem, domum redire coactus ſum.* Dein ad Maildulſum reverſus, in monachum attonſus eſt. Exinde pedem e monaſterio, niſi neceſſitas exigeret, numquam extulit, legendo, orandoque omne tempus abſumere ſolitus, ut, ſicut ipſe in quadam epiſtola « ſcribit, legendo Dei loquentis vocem audiret, orando Deum ipſum alloqueretur. « Victus ei tenuis & parciſſimus, ut ſpiritui carnem ſervire cogeret. Ejus rei cauſa vicino cuidam fonti, qui nomen ejus poſtea ferebat, ſe ad humeros noctu immergere ſolitus erat, dum totius pſalterii, quaſi penſum nocturnum, precationes abſolviſſet. Id genus pœnitentiæ alii etiam ejuſdem gentis homines exercebant, in primis ſanctus Cuthbertus, & Drithelmus monachus Mailroſenſis.

His dotibus præditus cum eſſet Aldhelmus, non alius magis idoneus regendo novo monaſterio viſus eſt Leutherio Weſtſaxonum epiſcopo Gallo, qui a vicinis rogatus abbatibus, Aldhelmum ibidem abbatem primum inſtituit, datis hoc anno litteris VIII. kalendas Septembris. Cum igitur novi abbatis induſtria favori epiſcopi acceſſiſſet; tunc res monaſterii in immenſum ferri, tunc monachi undique aggregari cœperunt, teſtante Willelmo ejuſdem loci cœnobita doctiſſimo. Currebatur ad Aldhelmum totis compitis, cum ob vitæ ſanctimoniam, tum ob ſcientiam litterarum. Hunc non modo populares, ſed etiam exteri litteris frequentabant, conſulebantque, ad quos ille reſcribebat. Harum epiſtolarum fragmenta quædam retulit Willelmus Malmeſburienſis in prolixiori opuſculo de ejus geſtis. *Aldhelmo archimandritæ Saxonum* epiſtolam inſcribit *Cellanus* quidam, *in Hibernienſi inſula natus, in extremo Francorum limitis latens angulo exſul*, nimirum Perronæ, *ad locum, ubi domnus Furſeus in ſancto & integro pauſat corpore;* ab eoque quoſdam ipſius ſermones poſtulat. cui reſpondet vir ſanctus mirari ſe, quod ſe tantillum homunculum de famoſo & florigero Francorum rure interpellet. Hic vero non ſolum litteris, ſed etiam ornando & amplificando monaſterio ſuo egregiam navabat operam. In his erexit auguſtiorem baſilicam in honorem Chriſti ſalvatoris, & primorum apoſtolorum Petri & Pauli: cui alia duo adjeciſſe dicitur, unum ſanctæ Mariæ, alterum ſancti Michaëlis. Quin etiam, juvantibus principibus, Formenſe ſeu Fromenſe & Bradefordienſe monaſteria conſtruxiſſe memoratur, idemque Romam profectus dicitur: ubi a Sergio papa, quem ab imputato crimine purgavit, privilegium pro libertate monaſteriorum ſuorum impetravit, ab Ina rege poſtea confirmatum. Ejuſdem conſilio idem rex Glaſtonienſe monaſterium, aliaque ædificavit. Sed hæc in conſequentibus.

L. Condedus Fontanellæ monachus.

Per idem tempus Condedus ex Britannia inſula in Galliam appulit: &, cum apud Fontanam-Walarici aliquamdiu conſtitiſſet, acceſſit ad Fontanellenſe monaſterium, adductus fama Lantberti ejus loci abbatis. Suſcepto ibidem monaſtico habitu, facultatem petiit ſecedendi in vicinam inſulam Sequanæ, vocabulo Belcinnacam, villæ regiæ Arelauno proximam, alio nomine Lutum olim appellatam, quod ex eluvionibus Sequanæ per hiemem cœnoſa eſſet ac lutulenta. Habebat tum in longitudine tria millia paſſuum, in latitudine paſſus mille quingentos; ſed proceſſu temporis ſepulta & obruta aquis Sequanæ, paucis abhinc annis ex illa undarum illuvie cœpit emergere. Cum in illa inſula Condedus jucundos ſolitariæ vitæ fructus delibaret, contigit Theodericum regem in regia ſilva Arelaunenſi, quam Brotonam poſteri appellavere, venationi autumnali operam dantem, Condedi famam ſanctitatis haurire, atque ad virum Dei accedere. cujus adſpectu ac virtute recreatus, hanc inſulam cum agris & pratis eidem contiguis, atque ſaltum vicinum ei donavit, ut tam ipſe, quam poſteri ejus eo in loco monachi abſque ullius infeſtatione hæc « poſſiderent, ac pro ſe, totiuſque regni tranqoillitate libere Domini clementiam ex- « orarent. His adjutus ſubſidiis vir ſanctus, in illa inſula ædificavit baſilicam in honorem beatæ virginis Mariæ; alteram quoque ſub nomine ac titulo beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, cum ſacello ſeu altari in memoriam ſancti Walarici confeſſoris, cujus venerationem apud Fontanam-Walarici hauſerat. Erant inſuper in

ANN. CHR. 675.

eadem inſula particulæ quædam prædiorum, quas eidem Condedo vir quidam prædives ac nobilis Schiwardus contulit. Hæc omnia cum tota inſula ac monaſterio ab ſe condito Condedus cœnobio Fontanellæ ſubjecit anno tertio Theoderici regis. Eamdem ſubjectionem itidem confirmavit tempore Anſberti abbatis, præſente Warattone majore domus regiæ, ac ſubſcribente apud Fontanellam, adſtipulantibus quoque Cinomaïlo, Zacchæo, & Johanne, ipſius Condedi diſcipulis, qui cum eo ex tranſmarinis partibus advenerant. Brandulfus preſbyter ejus rei inſtrumentum ſcripſiſſe dicitur.

L I. Duſeræ monaſterium. * *Donzere.*

Tunc etiam Lantberto abbati Theodericus rex prædium quoddam, vocabulo Duſeram *, ad Rhodanum in Provincia poſitum, largitus eſt, eo pacto, ut inde oleum ad luminaria eccleſiæ Fontanellenſis ſuppeditaretur. Eo in loco Lantbertus egregium inſtituit cœnobium monachorum, quos e Fontanella illuc direxit. Hoc cœnobium Fontanellenſi ſubjectum permanſit uſque ad tempus Agarenorum ſeu Sarracenorum, a quibus funditus cum aliis multis everſum dicitur. Et tamen recenſetur inter ea monaſteria ſæculi noni, quæ tantum orationes regi debebant. Situm erat hoc monaſterium, ut dixi, in Provincia ad Rhodanum, inter Monticulum-Ademari * & Tricaſtinum * urbem epiſcopalem, ad cujus diœceſim pertinet, hactenus opidulum, quod priſcum vocabulum ſervat.

* *Montelimar.* * *Trois-chateaux.*

L I I. Hermenlandus Fontanellæ monachus. * *l'Oiſe.*

Unus e præcipuis diſcipulis Lantberti Fontanellæ abbatis fuit Hermenlandus ſeu Ermelandus, nobiliſſimis parentibus Noviomagi ad Iſaram * natus, qui in aula Chlotharii tertii pocillatorum præpoſitus, nuptiis cum ſæculo inſuper habitis, rege annuente, ad Fontanellam monaſterium ſub Lantberti diſciplina ſe recepit. Expleta probatione, perfectionis votum ſacra promiſſione firmavit, ac brevi poſt tempore dignus eſt habitus, qui ab Audoëno diœceſano epiſcopo ſacerdos ordinaretur. Hoc in munere ita ſe geſſit, ut, cum ſacram oblationem Deo quotidie devote offerret, maceratione corporis ipſe vivens hoſtia fieret.

Namnetas miſſus.

Inter ea contigit, Fontanellam advenire nuntios a Paſchario epiſcopo Namnetenſi, qui monachorum coloniam in illas partes, ubi monaſteria tunc rara erant, e Fontanella deduci expetebat. Admiſſi in præſentiam nuntii, ſic legationis ſuæ cauſam Lantberto exponunt. Sanctitatis ſuæ amatorem Paſcharium pontificem, cum propria devotione, tum populi ſui precibus ac votis impulſum, magnopere optare, ut in ipſius parochia monaſtica religio & vita regularis inſtituatur ad profectum eccleſiæ, perpetuamque Dei laudem. Ex fama longe lateque vulgata ei compertum, Fontanellenſium congregationem religionis decore ceteris præcellere. Rogare proinde, ut Lantbertus probatiſſimos e ſuis monachos mittat, qui hoc vitæ inſtitutum optime tenere, aliiſque tradere norint, quo ſancti antiſtitis, piique populi vota impleantur. His auditis, Lantbertus, cum Hermenlandum ac ſocios aliquot ad id
» operis deſtinaſſet, legatis in hunc modum reſpondit. Etſi ægre filiorum meorum ſo-
» latio & auxilio deſtituar, votis tamen ſanctiſſimi epiſcopi, ejuſque pii gregis faciam
» ſatis, ſi modo mihi conſtiterit, hos fratres (Hermenlandum ejuſque ſocios digito
» monſtrabat) ita in iſtis locis conſtituendos, ut, quoad fieri poſſit, nullius infeſta-
» tione conturbentur. Vita ſiquidem noſtri ordinis ſummam exigit quietem, utpote
» cæleſtibus contemplandis tota addicta: adeoque magnum diſpendium patitur, ſi pra-
» vorum vexationibus a tam ſancto officio avocetur. Et fortaſſe, dum vivet Paſcharius,
» nemo eis moleſtiam faceſſet: at poſt obitum ejus, ſi futurum cœnobium ſub domi-
» nio ſucceſſoris ſui reliquerit, pravorum cupiditate & inſtinctu (ut paſſim in aliis mo-
» naſteriis accidiſſe comperimus) quibuſvis injuriis expoſiti, inde tandem exire coacti
» erunt, & errabundi circumquaque vagari. quod ſane & ipſum debita mercede fru-
» ſtrabit, & in meum ipſius caput recidet. Proinde, ſi perpetuæ mercedis intuitu ſan-
» ctiſſimus antiſtes monaſterium ædificare cupit, precor, ut regali illud poteſtati ac
» tutelæ committat, ut nemo loci incolis quidquam moleſtiæ ingerere auſit; & illi
» regali fulti præſidio, pro rege totiuſque regni pace ac tranquillitate ſecuri divinam
» clementiam interpellent. Tum vero legati ejuſmodi ſuſpiciones purgant, certioremque Lantbertum reddunt de prudentia & bonitate patris ſui Paſcharii, quem nullis rebus & opportunitatibus defuturum pollicentur.

L I I I. Antrenſe monaſterium condit.

His confirmatus promiſſis abbas ſanctus, venerabilem Hermenlandum cum duodecim ſociis iſtuc mittit ad deſtinatum opus perficiendum, eoſque monet in primis, ut *regulam ſanctam* pro virili obſervent. ſicque benedictione munitos, poſt mutuos

ANN CHR. 675.

complexus fletuſque, cum legatis ad Paſcharium bono animo ire jubet. Hi vero tandem Namnetas ingreſſi, primum in majorem beatorum apoſtolorum Petri & Pauli eccleſiam precaturi conveniunt: quibus obviam factus Paſcharius, religioſos viros paterna caritate complexus eſt, ac perhumane excepit. Dein ſuum eis votum ac deſiderium aperit condendi opportuno in loco monaſterii; atque, ubi Hermenlandus patris ſui Lantberti conditiones expoſuit, ſecuros facit, ſe ratas habere conditiones, daturumque operam, ut, obtento regali diplomate ac præcepto, novum monaſterium ſecundum canonicam auctoritatem regiæ dominationi ac tutelæ committatur; atque in ſumma, quidquid commodum ac utile ad perpetuam loci quietem fuerit, procuraturum. Unum ſupereſſe, ut locum monaſterio aptum in ſua parochia perquirant. Ceterum quaſdam ad Ligerim inſulas huic inſtituto maxime idoneas ſibi videri. Irent itaque, & loca luſtrarent: cetera in ſe ſuſcipere.

Poſtridie Hermenlandus navicula conſcenſa in unam e deſignatis inſulis divertit, ceteris ut ampliorem, ſic & commodiorem; quippe quæ ad viginti-quatuor ſtadia porrecta erat, & per mediam ſui longitudinem in clivum aſſurgens, a fluvii eluvionibus & oceani fluxu ac refluxu tuta & expedita; ad hæc abſque navali ſubvectione omnino impervia & inacceſſa, tum opacitate arborum tecta, quam ideo Antrum * Hermenlandus appellavit. Exſtat & alia inſula huic vicina & meridiana, priori quidem ſpatio minor, ſed non commoditate, diminutivo vocabulo Antricinum * ab eodem nuncupata, in qua exiguum beati Martini oratorium repertum eſt. In his inſulis nullæ aliæ niſi avium voces: ſumma quies a ſtrepitu hominum; adeoque ſolitariæ vitæ ſedes maxime opportuna.

* Aindre.

* Aindrette.

Cum itaque locus iſte Hermenlando arriſiſſet, monaſterii fabricam Paſcharius quantocius accelerari præcepit. Nec mora, conducti in opus certatim incumbunt artifices, brevique conſtructa regularia fratrum ædificia cum duabus baſilicis, quarum unam ſancto Petro apoſtolorum principi, alteram ſancto Paulo pontifex nuncupavit. Idem, omnibus abſolutis, Hermenlando, ejuſque ſociis hujuſmodi privilegium conceſſit, ut nullus ſucceſſorum ſuorum quidquam ex rebus monaſterio collatis umquam auferre tentaret. quod ut firmius ac validius eſſet, regem cum Hermenlando convenit, atque ab eo præceptum obtinuit, ut nulla poteſtas monachis eo in loco conſtitutis aliquam moleſtiam, aut vexationem ingerere auderet, ſed regali defenſione freti, abſque cujuſvis impedimento libere pro eo, totiuſque regni pace & ſtabilitate Chriſti deprecarentur clementiam. Childebertum ejus privilegii auctorem ſuggerit anonymus vitæ ſancti Hermenlandi ſcriptor fere æqualis: confirmatorem potius crediderim. Neque enim veri ſimile eſt, tantum temporis inſumtum fuiſſe ad perficiendum Antrenſe monaſterium, tanta celeritate inchoatum, utpote quod primis Theoderici regis temporibus incœptum eſt. ſiquidem Lantbertus abbas Fontanellenſis, qui Hermenlandum Paſchario direxit, ad Lugdunenſem epiſcopatum quarto, vel quinto admodum Theoderici anno evectus fuit. Brevi tempore magnus ibidem monachorum numerus coaluit, qui ſub tanto patre tam perfecte converſabantur, ut fama ſanctitatis eorum quaquaverſus diffunderetur. Mos erat Hermenlando tempore quadrageſimæ in Antricinum inſulam ſecedere, ubi ſancti Aniani oratorium exſtruxerat: quo in loco incedentis veſtigia niveo candore impreſſa ad tempus anonymi ſuperfuiſſe dicuntur, ad munditiam ejus orationis deſignandam. Idemtidem vir ſanctus luſtrabat monaſterii ſui prædia & cellas, quarum duæ in Aquitaniæ partibus erant, *Creon* & *Colon* appellatæ. Utramque procurabat pius quidam monachus, cujus ille animam in cælum ſublimem ferri ſuſpexit.

Itidem, dum quadam nocte inſomnis in baſilica beati Petri orationis cauſa per- LIV.
ſiſteret, vidit animam venerabilis Maurontii abbatis ſancti Florentii monaſterii, in monte Glonna poſiti ad Ligerim, quod a monaſterio ſuo triginta paſſuum millibus diſtabat, vinculis corporis ſolutam ab angelis in cælum ferri. Mox ſigno pulſato, fratribus in unum collectis præcepit, ut ejus exitum Domino precibus commendarent. Mirantibus omnibus, quomodo hæc res in ejus notitiam veniſſet, ſequenti die adfuit nuntius, qui Maurontii obitum nuntiaret. Depoſitio beati Maurontii abbatis & confeſſoris in monte Glonna ſignatur in tribus vetuſtis loci kalendariis quinto idus Januarii, non ſexto, ut in vulgatis martyrologiis. Sepultus eſt beatus Maurontius in baſilica Salvatoris prope tumulum ſancti Florentii: ſed reliquiæ ejus ex eo loco elatæ, ſummo altari impoſitæ modo cernuntur. Patronus eſt ſecundarius mo-

Maurontii abbatis anima ei viſa.

ANN CHR. 675.

naſterii ſancti Florentii, Veteris dicti ad diſcrimen novi, quod itidem ad Ligerim prope Salmurum opidum conditum eſt.

LV.
Vinum miraculo auctum.

Alia erat cella Antrenſis monaſterii in villa Oglanda pagi Conſtantienſis in Neuſtria: quam cellam cum aliquando viſitaret Hermenlandus, a quodam viro illius provinciæ nobili, Launo nomine, ad prandium invitatus eſt cum multis ejus amicis. In loco vini minime ferace appoſitum eſt vaſculum perexiguum, quaternas vini metretas vix capiens, quod omnibus non modo convivis, ſed egenis & pauperibus erogatum, minime deminutum, ſed plenum in fine ſuperfuit. quod viri Dei ſanctitati & benedictioni tributum eſt. Eodem in loco ruſticus quidam labulum e ſella viri Dei furatus, ſubitis ignibus incendi cœpit. Mox latens furtum e ſinu in medium projecit, quod tempore anonymi auctoris in teſtimonium pendebat in oratorio beati Petri apoſtoli apud Oglandam cellam, ubi hoc geſtum eſt. Affine eſt ſuperiori miraculo id, quod viro ſancto contigit, cum vir inclytus Agatheus, Namnetarum & Redonum comes, locumque epiſcopatus in iiſdem occupans urbibus, Antrenſem inſulam adiit orationis cauſa. Hunc pater ſanctus humaniſſime excepit, & benigne de ejus male factis increpitum, poſt orationem in refectorium duxit, eique meri calicem præberi juſſit. Media vini parte delibata, Agatheus calicem fratri miniſtranti reddidit. Eum ſigno crucis impreſſo vir Dei rurſus eidem porrexit, quem ſubito virtute divina repletum ac ſupereffluentem cum accepiſſet Agatheus, ad pedes ſancti ſacerdotis venerabundus ſe abjecit, rogans, ut Deum pro ſuorum erratorum venia precaretur. Is eſt Agatheus, qui poſt Paſcharium invenitur in epiſcoporum Namnetenſium indice Thuaneo, ubi dicitur *vocatus, ſed non epiſcopus.* quod convenit cum auctore noſtro anonymo, apud quem is Namneticæ & Redonicæ urbium comes, earumdem epiſcopatus occupaſſe perhibetur.

LVI.
S. Amandi teſtamentum.

Agebat apud Elnonem in Belgio ſeniles annos Amandus ſanctiſſimus antiſtes, octogenario major, cum de condendo teſtamento cogitare cœpit, & de corpore ſuo commendando cariſſimis Elnonenſibus ſuis, quod unum teſtamento legandum habebat. Hoc teſtamentum laudat Milo monachus Elnonenſis, relatum in codice Elnonenſi poſt vitam ſancti Amandi, illudque Philippus Bonæ-ſpei abbas libro de ſancti Amandi geſtis a ſe ſcripto inſeruit, cujus hæc ſumma eſt. Præmittit vir
„ ſanctus, *miſerrimus*, ut ſe ipſe dictitat, *& peccator*, ſe multis defunctum periculis &
„ laboribus, quos diſcurrendo per multas longe lateque provincias ac gentes ad ver-
„ bum Dei annuntiandum, conferendumque baptiſmum ſuſtinuerat, jam feſſum &
„ corpore pæne præmortuo, ſummaque ſenectute confectum, de hoc mundo exitum
„ præſtolari in monaſterio ſuo Elnonenſi, quod ex regia largitate proprio labore conſ-
„ truxerat. Si eo in loco moriatur, optare ſe, ut corpus ſuum ibidem ſepeliatur: ſi ve-
„ ro in itinere, aut ubivis locorum; liceat abbati & fratribus ejuſdem monaſterii eo-
„ dem hoc deportare. Tum obſecrat obteſtaturque epiſcopos, abbates, & quaſlibet
„ poteſtates, ut ne extremæ voluntati ſuæ contrarii exſiſtant: ſecus facientibus in-
„ fauſta omnia imprecatur. *Facta epiſtola in monaſterio Helnone, anno ſecundo regni domni noſtri Theoderici regis, ſub die* XV. *kal. Maii.* Subſcribunt poſt Amandum, ſuppreſſis ſedium ſuarum nominibus, Reolus Remenſis, Mummolenus Noviomenſis, Vindicianus Cameracenſis, epiſcopi; Bertinus abbas Sithienſis, item Aldebertus abbas, ac Johannes rogatus a domno Amando. Baudemundus preſbyter & monachus Elnonenſis ejuſdem juſſu hoc teſtamentum ſcripſit, & ſubſcripſit.

Notanda in picturis epiſcoporum & abbatum.

Horum omnium imagines eleganter depictæ habentur in minori codice Elnonenſi poſt ſancti Amandi teſtamentum, quo ex codice potiores exhibere viſum eſt in folio hic inſerto. Prima eſt ſancti Amandi, & Baudemundi preſbyteri & monachi ejus teſtamentum ſcribentis cum penna vulgari ex avibus. Conſimilem etiam pennam habet Amandus, epiſcopalibus veſtibus indutus, cum pileo ſeu mitra humiliori, (uti & ſanctus Vindicianus epiſcopus Cameracenſis) non bifida, ſed ſuperne clauſa, qualem ante annos ſexcentos geſtabant epiſcopi complures, ut patet ex tumulo Radulfi-Viridis archiepiſcopi Remenſis, humati in baſilica ſancti Remigii, quo in tumulo epiſcopi cum ejuſmodi pileis repræſentantur. Amandus tabulam quadratam ad caput habet, quæ ſanctum adhuc viventem denotat: at mirum eſt, caput Baudemundi, qui ſanctus etiam dicitur, eſſe radiatum. quod tantum ſanctis mortuis convenit.

Secunda pictura eſt Reoli epiſcopi Remenſis & Mummoleni Noviomenſis, qui

mitris

528a
(2)
2-+7
Vol I

Digitized by Google





Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google

mitris carent, amboque ſancti dicuntur. Reolus baculum ſancti Remigii geſtat cum ornamento pectorali, (*rationale* vocant) quod Remenſes archiepiſcopi olim geſtare conſueverant. Hoc baculo in manus accepto, Gervaſius Remorum archiepiſcopus in Philippi primi Francorum regis inunctione palam profeſſus eſt, ad ſe pertinere conſecrationem regis; & per hunc baculum cum hac poteſtate totius Galliæ primatum ſancto Remigio, ejuſque ſucceſſoribus a Romano pontifice collatum fuiſſe. Hic baculus in Remigiana baſilica cum ſancti Remigii corpore hactenus aſſervatur. Illud in Mummolino ſingulare, quod coronam Scoticam [a] habeat, qualem ſcilicet olim gerebant Luxovienſes monachi, inter quos monachus fuerat: tametſi haud veri ſimile videtur, ejuſmodi coronam a Mummolino epiſcopo ſervatam fuiſſe, quod non facile paſſuri fuiſſent epiſcopi Gallicani, qui eam improbabant, ut ſuperius vidimus. Certe Bertinus abbas in tertia pictura, quamvis & ipſe Luxovio eductus, Scoticam illam tonſuram non habet, ſed Romanam ſeu Benedictinam.

[a] V. lib. 15. n. 52.

Johannes cum Bertino depictus, uti & Aldebertus cum Vindiciano, cappis induti, abbates fuere: Johannes quidem monaſterii Blandinienſis, Aldebertus vero Gandenſis ſeu ſancti Bavonis: tametſi neuter abbatem ſe dicit in ſubſcriptione teſtamenti ſancti Amandi: ſic vero ſanctus Bertinus, qui & paſtoralem baculum recurvum habet, ut abbates; Johannes autem & Aldebertus longe diſſimiles. Quamquam Johannes in libello de vita ipſius relato a Sandero, abbas vocatur, ſucceſſorque Florberti primi Blandinienſis abbatis; idemque *pedum paſtorale incurvum* ſancti Amandi ab eo accepiſſe dicitur, necnon *cucullam*, qua ſanctus pontifex indui ſolitus erat.

Quarta denique pictura eſt ſanctæ Aldegundis Melbodienſis abbatiſſæ, cui angelus ſanctum Amandum oſtendit in cælos abeuntem. Aldegundi ampliſſimum a capite velum dependet. veſtis interior ad talos defluens, albi eſt coloris; tunica paullo brevior ſubrubei, pallium violacei, floribus reſperſum. Sed hæc forte ex ingenio pictoris, qui Aldegundis habitum, qualem nempe tunc gerebant Melbodienſes abbatiſſæ, utcumque exprimere voluit. Certe in altero codice poſt annum M C VII. ſcripto, in quo ſimiliter vita ſancti Amandi habetur, multæ etiam picturæ extſtant, in quarum una quædam abbatiſſa eodem habitu induta cernitur: at ſanctimonialis ei aſſiſtens, ſimplici velo & cuculla induta. In eodem codice epiſcoporum mitræ bifidæ ſunt, ſecus quam in aliis picturis mox dictis. Initio præmittitur vita ſancti Stephani protomartyris cum ejus effigie in habitu diaconi, in qua ſtola anterius, ut in ſacerdotibus, ex utraque parte pendet. In quibuſdam, quas vidimus, picturis archidiaconi ſtolam gerunt in ſiniſtro humero, anterius & poſterius pendentem. Verum longius hæc me ferunt, ad propoſitum redeo.

LVII. Dagobertus munificus in Vveiſſenburgenſes.

Celebre erat tunc temporis in Nemetenſi ſeu Spirenſi epiſcopatu Weiſſenburgenſe monaſterium, cui Ratfridus abbas tum præerat. Ejus rogatu thermas Badenſes eidem cœnobio largitus eſt Dagobertus ſecundus Auſtriæ rex hoc anno, regni ſui ſecundo, ut fidem faciunt tabulæ a Jodoco Coccio relatæ, viris illuſtribus, ducibus videlicet, comitibus, domeſticis, & omnibus agentibus inſcriptæ. His ſignificat princeps, ſe ad ſuggeſtionem viri venerabilis Ratfridi abbatis monaſterii, quod dicitur Weiſſenburg, conſtructi in honorem ſancti Petri in pago Spirenſi, eidem monaſterio concedere balneas illas trans Rhenum, in pago Auciacenſi ſitas, quas Antoninus & Hadrianus quondam imperatores ſuo opere ædificaverant. Datum ſub die undecima Auguſti, anno ſecundo regni ſui.

LVIII. S. Memmii miraculum & monaſterium Catalauni.

Ipſo ejuſdem regis anno contigit ſancti Memmii * miraculum in urbe Catalauno, quæ ad regnum Auſtriæ pertinebat. Hoc miraculum primus ex codice Montis-regalis retulit Hadrianus Valeſius, & ex eo Dagoberti ſecundi reſtitutionem confirmavit, probavitque monachos tum exſtitiſſe in Catalaunica ſancti Memmii baſilica, quam poſtea tenuere canonici regulares Auguſtiniani. Viſum eſt operæ pretium idem miraculum antiquiſſimi ſcriptoris totidem verbis huc referre. *Poſtquam tantis effulſit virtutibus & miraculis Deus per ſervos ſuos*, Memmium, Donatianum, ac Domitianum, *claruitque; noviſſimo tempore, in anno ſecundo ſub imperio Dagoberti regis, (ipſe eſt qui poſt longam preſſuram reverſus eſt ad propria regna) in menſe quinto, in quinta die menſis, ſecunda vigilia noctis,, cum ei noſtri nos fratres celebrantes adſtarent, ſic res nova, nec antea umquam viſa, ad caput ſancti ſepulcri, ut patrem ſe apoſtolicumque eo tempore declararet, apparuit, precibus cælum aperiens, quod nec*

* S. Menge.

ANN. CHR. 675.

tribus menſibus pluerat ſuper terram; dum & vehemens fremebat ſiccitas, ita ut omnes putei in pulverem redacti ſint: ſic Deus mox terram irrigavit & compluit, & aquam, quæ deſcenderat ab imo per pedes quadraginta, ad ſublimia conſcendere fecit, & eam uſque ad quartam vigiliam deſuper fontem manare fecit, ut omnes vigilantes viderent, & tremerent omnes fratres uno voto concinentes. Conſummata eſt quidem ea nocte vigilia, & celebrata feſtivitas. Verum ab ipſa die uſque ad diem octavam nullatenus cantus ceſſavit pſalmorum, in una fide pulſantium in nomine Jeſu-Chriſti domini noſtri. Tum multa ſubjiciuntur de eo fonte, qui manavit ad ſepulcrum beati Memmii, & de quibuſdam virtutibus ad illum factis, *quas enarrare viſum non eſt & enumerare, longumque per ordinem texere. Verum ea quæ vidimus*, inquit auctor ille anonymus, *hæc ſcripſimus & narramus.* Quibus ex verbis colligit Valeſius, hunc ſcriptorem æqualem Dagoberti Auſtraſiorum regis ſecundi, & Catalaunici monaſterii beati Memmii monachum fuiſſe; atque anno ſecundo Dagoberti, quo anno fons iſte manare cœpit, eumdem floruiſſe, & quinto die menſis ſexti potius quam quinti, quo die natalis ſancti Memmii celebratur, ſupra dictum miraculum accidiſſe. Præclarus ſane hic locus ad comprobandam Dagoberti ſecundi reſtitutionem in paternum regnum, quem auctor apprime a Dagoberto ſeniori diſtinguit his verbis: *iſte eſt qui poſt longam preſſuram reverſus eſt ad propria regna.* Idem locus valet ad probandum, quod Valeſius ipſe agnoſcit, in Catalaunica baſilica ſancti Memmii tunc extitiſſe monachos, quos auctor ille anonymus *fratres* vocat. Eamdem ipſiuſmet Dagoberti in patrio regno ſeſſionem præ omnibus luculenter probat Eddii-Stephani liber de vita ſancti Wilfridi epiſcopi, a nobis vulgatus, jamque laudatus, iterumque laudandus inferius.

LIX. S. Aigulfi martyrium.

Poſtquam biennium in Caprariæ inſulæ monaſterio cum ſociis ſuis degiſſet Aigulfus abbas Lirinenſis; reverſus Epheſo ſævus Columbus, ſanctos a monaſterio abſtrahit, & navi rurſus imponit. Perducti ad inſulam Amatim, quæ inter Corſicam & Sardiniam poſita eſt, ejuſdem Columbi juſſu interfecti ſunt III. nonas Septembris. Quo mortis genere confecti ſint, diſerte non exprimit Adrevaldus Floriacenſis, ejus vitæ ſcriptor. Eorum cædes Lirinum Ricoinus quidam nuntiavit Rigomiro abbati, qui Aigulfo in ejus loci regimine ſuffectus fuerat; ejuſdemque nuntii particeps facta eſt Angariſma, quæ vicino Arlucenſi virginum cœnobio præerat, a ſancto viro quondam inſtituta. Interfectorum corpora Lirinum deferri curavit Rigomirus abbas, Aigulfi capite & uno brachio conceſſis Angariſmæ abbatiſſæ Arlucenſi, quam Adrevaldus cum Angadriſma Bellovacenſi Oratorii abbatiſſa confundere videtur. Hunc emendavit Vincentius Baralis in libello de vita ſancti Aigulfi, ubi vir ſanctus virginum cœnobium in loco, qui Arlucus dicitur, reparaſſe melius, quam conſtruxiſſe dicitur, utpote jam longe ante exſtructum; eique præpoſuiſſe ſanctimonialem virginem, nomine Angariſmam, Bleſenſem, quam cum aliis virginibus eo accerſierat. Ceterum Columbus, Aigulfi perſecutor, a Theoderico rege publico Francorum judicio capitis damnatus dicitur. Sancti Aigulfi reliquias Lirinenſes hactenus ſe habere gloriantur, ſed cum aliis triginta-trium ejus ſociorum permiſtas: tametſi Pruvinenſes noſtri eaſdem ſibi vindicant, e Floriacenſi monaſterio allatas tempore Haſtingi Normannorum ducis, quas Sewinus Senonum antiſtes ſub finem decimi ſæculi, præſente Stephano comite & Adela comitiſſa cum aliis multis, argentea theca incluſit, eaſque repoſuit in baſilica Pruvinenſis monaſterii ſancti Aigulfi, qui prioratus eſt abbatiæ Cellenſis apud Trecas. De ſancti Aigulfi reliquiis ibidem aſſervatis agit non uno in loco Petrus Cellenſis.

LX. Toletanum concilium undecimum.

Habitum eſt hoc anno undecimum Concilium Toletanum, in eccleſia ſcilicet beatæ virginis Mariæ, poſt annos octodecim, quam, intermiſſis ea in provincia conciliis, decimum celebratum fuerat. Unde patres in præfatione concilii, quo nullum in cunctis Toletanis elegantius, nullum purius, ſibi gratulantur, quod beneficio Wambani principis ſimul convenire, ſe invicem conſpicere ac intueri datum ſit, ſimulque deflere, quid lacrymarum de præteritis Domino deberent. *Eramus enim*, inquiunt, *hucuſque prolabentis ſæculi colluvione inſtabiles; quia annoſa ſeries temporum, ſubtracta luce conciliorum, non tam vitia auxerant, quam matrem omnium errorum igorantiam otioſis mentibus ingerebat.* Quare in fine Wambæ regi gratias agunt, quod annua concilia reſtituerit. Præclara eſt in primis fidei confeſſio, præmiſſa canonibus numero undecim, quorum in tertio ſtatuitur, ut in una provincia

AN. CHR. 671.

nulla ſit divinorum officiorum diverſitas, ſed uniuſcujuſque provinciæ pontifices unum eumdemque in pſallendo teneant modum, quem in metropolitana ſede cognoverint inſtitutum: ut, juxta majorum decreta, ſedes, quæ unicuique ſacerdotalis mater eſt dignitatis, ſit & eccleſiaſticæ magiſtra rationis. De monaſteriis vero id ſancitum, ut abbatibus, præter indulta officia, quæ juxta voluntatem ſui epiſcopi regulariter illis implenda ſunt, cetera officia publica, id eſt veſperam, matutinum, ſive miſſam, aliter quam in principali eccleſia, celebrare non liceat. Quia enim fideles his officiis, ſaltem feſtis ac dominicis diebus, intereſſe poterant, monachis injunctum erat, ut metropolitanæ eccleſiæ morem in his tribus ſequerentur: permiſſu, ut in aliis officiis regulæ ſuæ ritum ab epiſcopo approbatum implerent. Quo ex loco intelligitur, publica officia in monaſteriis Hiſpanicis celebrata fuiſſe, quibus fideles intereſſe potuerint. quod in Italia, ſaltem Gregorii Magni pontificatu, aliter uſu veniſſe ſuperius vidimus. Ex canone undecimo prædicti concilii intelligitur, infirmis ſacrum viaticum ſub utraque ſpecie collatum fuiſſe, ubi agitur de quibuſdam ægrotis, qui optatum ſacræ communionis expetentes viaticum, collatam ſibi a ſacerdote euchariſtiam rejiciebant; non quod infidelitate hoc agerent, ſed quod, *præter dominici calicis hauſtum*, traditam ſibi non poſſent euchariſtiam deglutire. Concilio poſt epiſcopos ſeptemdecim, & vicarios epiſcoporum diaconos duos, ſubſcribunt ante metropolitanæ ſedis archidiaconum ſex abbates, Julianus *eccleſiæ monaſterii ſancti Michaëlis abbas*, Valderedus *eccleſiæ monaſterii ſanctæ Leocadiæ abbas*, Gratindus *eccleſiæ monaſterii ſanctorum Coſmæ & Damiani abbas*, Abſalio *eccleſiæ monaſteris ſanctæ Crucis abbas*, Florentinus *eccleſiæ monaſteris ſanctæ Eulaliæ abbas*, Avila *eccleſiæ monaſteris ſancti Juliani Agalienſis abbas*: qui omnes, Toletanæ provinciæ haud dubie abbates, hæc geſta ſynodica a ſe edita conſentientes ſubſcribunt. Obſervandus eſt & ritus abbatum in illis ſubſcriptionibus, ubi *eccleſiæ monaſterii*, non ſimpliciter monaſterii, abbates ſe dicunt. Ex quo videas eos allucinari, qui monaſteriorum oratoriis eccleſiæ nomen antiquitus tributum negant, abutentes decretalium titulo, *de capellis monachorum*.

Abbatum ſubſcriptiones notandæ.

LXI.
Bracarenſis concilii canon contra epiſcopos ſævientes.

Eodem etiam anno convocatum eſt Bracaræ in Luſitania concilium tertium, in quo nihil in rem noſtram definitum eſt, niſi quod canone ſeptimo reprimitur licentia quorumdam epiſcoporum, qui paſſim *in honoratos ſubditos*, id eſt preſbyteros, abbates ac levitas, verberibus atrociter ſæviebant. Quare præcipiunt patres ſub excommunicationis ſententia, ut hi deinceps, præterquam in gravioribus & mortalibus culpis, nullis verberibus ſubjacerent. Ejuſmodi ſævitiam reprimit etiam canone ſexto ſuperius concilium Toletanum undecimum, ubi ſacerdotibus, id eſt epiſcopis, interdicitur, ne truncationes quaſlibet membrorum quibuſlibet perſonis aut per ſe inſerant, aut inſerendas præcipant. Idem etiam principatu Caroli Magni ſtatutum contra abbates nonnullos, qui eamdem in monachos ſuos ſævitiam exercebant.

ANN. CHR. 676.

LXII.
Leodegarii rurſus repetita perſecutio.

POſtquam in monaſterio quodam Campaniæ juſſu Ebroïni per Waimerem cuſtoditus fuiſſet Leodegarius, eodem Ebroïno curante coram Theoderico rege ſiſtitur una cum Gaerino ſeu Gairino fratre, novis ſubjiciendus ſuppliciis. Cum in conſpectum principis veniſſent, multis ab Ebroïno contumeliis & opprubris affecti dixerunt, ſe quidem hæc merito pati, qui in Deum ſæpius peccaſſent: ipſum vero miſerum, qui totam Francorum gentem tyrannide ſua conturbaret, alios fortunis ſpoliando, alios proſcribendo & mittendo in exſilium; aliis denique vitam eripere moliendo: quæ omnia ipſi aliquando certi exitii cauſa futura eſſent. His auditis, excandeſcens Ebroïnus, alterum ab altero ſeparari juſſit: & Gairinum quidem abductum & ad palum alligatum ſaxis obrui; Leodegarium vero, ut lento ſupplicio ad deſperationem impelleret, laceratis plantis, abſciſſa lingua, labiiſque mutilatis, Waningo tradi, veritus, ne, ſi eum, uti vir ſanctus optabat, ſimul conficeret, omnes eum pro martyre haberent. Tanti antiſtitis pœnas miſeratus Winobertus abbas, ægre a Waningo cuſtodibuſque impetravit, eum ut adire ac curare fineretur. Ingreſſus ſanctum virum in ſtramine jacentem reperit, ac vetuſto tentorii ſegmento opertum, vixque tenui ſpiritu palpitantem, ita ut brevi exſpiraturus videretur. Sed, res mira! quem exciſa lingua, labiiſque exſectis, mutum credebat, inter ſputamina ſanguinum nihilo minus diſerte loquentem offendit. Itaque qui Leodegarii funus curaturus venerat, de curandis ejus vulneribus cogitare cœpit, remque Ermena-

ANN CHR. 676.

rio, Æduenſi poſt Leodegarium epiſcopo, confeſtim nuntiavit, quem Waningus
» ægre, ob tyranni metum, ad virum Dei admiſit. Omnes enim, ait auctor æqualis,
» ut leonem iratum metuebant Ebremerdum, id eſt Ebroïnum. Ambo itaque, Ermenarius ſcilicet ac Winobertus, omni metu poſtpoſito, mutilati vulnera pro virili curant, corpus cibo ac potu reficiunt, eumque meliori veſte induunt. quod mirum eſt a Waningo, viro alioqui pio, tunc prætermiſſum fuiſſe. Sed nimirum ita crudelis tyranni edicta ferebant. quamquam cur talis furiæ ſe miniſtrum præſtare? Interim, dum in Waningi domo retinetur ſanctus antiſtes, ipſius labia & lingua recreſcere cœperunt, ac ſolito more ex ejus ore verba profluere. quo miraculo flexus tandem Waningus, mitius cum eo agere non dubitavit, & martyrem Dei agnoſcens, in monaſterium Fiſcamnum, quod ipſe exſtruxerat, & Childemarcæ abbatiſſæ regendum commiſerat, Leodegarium perduxit; ibique cuſtodiri, ſed tamen humanius tractari curavit. quo in loco dum habitavit, per annos autem fere duos habitavit, inimicos ſuos, crimine perduellionis damnatos, & partim in exteras regiones profugere coactos, partim occiſos eſſe cognovit, eoſque luxit vir pius, maxime quod ante actam pænitentiam periiſſent. In his præcipui erant duo, Waimeres & Dido, quibus ad capiendum excruciandumque Leodegarium miniſtris uſus fuerat Ebroïnus, quos poſtea ſibi inviſos interemit.

LXIII. Epiſtola ejuſdem conſolatoria ad matrem.

Poſt mortem Gairini fratris Leodegarius, poſtque amiſſos oculos & labia inciſa, conſolatoriam ſcripſit epiſtolam ad Sigradam matrem ſuam, quæ tum Sueſſione vitam monaſticam in puellari beatæ Mariæ cœnobio agebat ſub diſcipliua Ætheriæ abbatiſſæ. Epiſtola inſcripta eſt *Dominæ & ſanctiſſimæ genitrici Sigradæ, quæ antea per cognationem carnis, modo per conjunctionem ſpiritus facta eſt vera mater.* In ea epiſtola miræ caritatis elucet exemplum, quod ne verbum quidem habet vir ſanctus de Ebroïni ſævitia, immò nec de ſuppliciis ſibi ab eo inflictis; ſed tantum genitricem hortatur ad ferendum patienter adverſa, in primis Gairini mortem, ad amorem ini-
» micorum, & ad religioſæ vitæ propoſitum fideliter exſequendum. Et primo quidem
» ei non modo patientiam, ſed etiam gaudium perſuadere conatur, quod ſoluta a vin-
» culo familiarium, & libera ab omni compede mundi, vacet & vivat Domino, guſ-
» tetque, quam ſuavis eſt Chriſtus. Felicem eſſe mortem, quæ vitam tribuit; felicem
» amiſſionem rerum, quæ divitias reſtituet ſempiternas; felicem denique triſtitiam,
» quæ gaudium affert angelorum. In hoc probari Chriſti clementiſſimam erga eam be-
» nignitatem, qui, devotione ſpiritali & contemtu mundi ipſi inſpirato, pignora uteri
» ejus de ærumna hujus ſæculi & de errore præſentis vitæ eripuit, & dedit ſpem vitæ
» æternæ iis, quos hæc lugere poterat mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſet in mundo.
» Nunc ab omnibus ſæculi & carnis vinculis expeditam, ex animo abjicere oportere,
» quidquid ex vetuſta contagione & corruptela reliquum eſſe poſſit, maxime odium
» inimicorum, quo nihil magis contrarium Chriſti diſciplinæ: & ſi qui ſunt, quos
» perverſitas vitæ a communione noſtra ſeparat, non tamen odio habendos, immo
» diligendos ex eo quod conditi ſunt, & propter præcepta Dei. Denique genitrici gra-
» tulatur, quod, remotis omnibus impedimentis, divinæ contemplationi vacare poſſit,
» & die ac nocte vacare pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, & *obedientiam ſanctæ*
» *regulæ* cuſtodiens, venturum Dominum præſtolari. *O bona Domina*, inquit, *quod tibi pius Dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendere poteſt. Qualiter in præſentem vitam te Dominus remuneravit, audi & auſculta. Pro obſequio famularum, dedit tibi omnes fratres ſanctos*, nempe monachos, qui in beatæ Mariæ parthenone ſanctimonialibus obſequebantur; *pro ſervitio ancillarum, dedit tibi ſorores ſanctas, quarum conſortio frueris: pro labore præſentis vitæ, quietem in congregatione monaſterii; pro amiſſione rerum, ſcripturam divinam, & meditationem ſanctam, & orationem aſſiduam: pro amiſſione parentum*, id eſt conſanguineorum & cognatorum, *habes venerabilem & ſanctam dominam Itheriam abbatiſſam. Eſt tibi mater, eſt tibi ſoror, eſt tibi filia. Tu itaque ei viciſſitudinem redde: quia, ut certus ſum, in Chriſto Jeſu eſt vobis cor unum & anima una. Ideo te confido ita omnia accepiſſe: quia non meis meritis, ſed ſola miſericordia Chriſti, per tuam orationem & ſanctitatem omnia mihi a Chriſto collata ſunt.* Sic ſanctus martyr pro magno beneficio reputabat, quod tanta pro Chriſto pati divinitus ſibi conceſſum fuiſſet. In veteri kalendario quondam parthenonis beatæ Mariæ Sueſſionenſis, nunc Longi-pontis, ab annis quingentis ſcripto, nonis Auguſti fit mentio *Sigradæ* cum officio duodecim lectionum; & ſexto-decimo kalendas Aprilis, *Sigradæ commemoratio.*

Ad hoc tempus revocari poſſunt primordia monaſteriorum Suraburgenſis, Haſe- ANN. CHR. 676.
lacenſis, ſancti Sigiſmundi, & Regiopontani in diœceſi Argentoratenſi, quorum con- LXIV.
ditio Dagoberto ſeniori jam pridem tribuitur, ob ignorationem Dagoberti ſecundi Monaſteria a
Auſtraſiorum regis, cui potiori jure tribuenda eſt. Sunt qui Scutteranum etiam præ- Dagoberto
dictis annumerant, præter Horreenſe virginum cœnobium beatæ Mariæ, quod Da- fundata.
gobertus in gratiam Irminæ filiæ exſtruxiſſe memoratur. Suraburgenſe ſeu Surbur- Suraburgenſe.
genſe, quod a proximo amne Sura nomen accepit, ſub Deiparæ virginis & ſancti
Martini Turonenſis epiſcopi patrocinio conditum eſt ob meritum ſancti Arbogaſti
Argentoratenſis epiſcopi, qui ante initam epiſcopalem dignitatem hunc locum ſuo
ſeceſſu illuſtravit. In libello ſocietatum Augienſium laudatur Hildimundus abbas ex
monaſterio *Saraburc*. Haſelacenſe a S. Florentio Arbogaſti ſucceſſore originem acce- Haſelacenſe.
pit. Is cum in Haſela ſilva montis Voſagi ad Bruſcam fluvium ſolitarius degeret, Da-
goberto regi innotuiſſe dicitur, in Kirchimenſi palatio tunc reſidenti, qui ipſius ſan-
ctitate & virtutibus tactus, ampliſſimum ei fundum in illa ſilva, ex qua Haſelacenſi
monaſterio vocabulum inditum eſt, conceſſit. Jodocus Coccius hujuſce donationis
litteras retulit, ſed fidei prorſus & auctoritatis expertes. In prædicto necrologio Au-
gienſi laudatur *ex monaſterio Haſala Victor abbas*. Hæc duo monaſteria, Suraburg-
genſe & Haſelacenſe, jam dudum ad ſæculares canonicos defecerunt; uti & mona-
ſterium ſancti Thomæ, ab eodem Florentio, ut perhibent, Argentorati pro Scottis
conditum, quod anno triceſimo ſupra octingenteſimum ſæculari toga donatum eſt.
Cella ſancti Sigiſmundi, (ſic primitus nomen ferebat) proxime Rubeacum * itidem S. Sigiſmundi.
in Alſatia erectum eſt, eidemque primus abbas præfectus Immerius, vir doctrina non * *Rufach.*
minus, quam virtutibus celebratus, quem ſanctorum albo adſcribunt. Monaſterii
rebus in deteriora collapſis, a Leone papa nono, dum illas partes luſtraret, conſe-
crata eſt nova baſilica, addito titulo ſancti Marci, & in præpoſituram locus dege-
neravit, quæ ſancti Georgii monaſterio, in Hercinia ſilva poſito, hactenus ſubjecta
eſt. Regiopontanum * ſanctæ Silvæ * adſitum, nunc Præmonſtratenſium virginum Regiopontanum.
cœnobium, Dagoberto itidem auctori tribuunt, tametſi nulla ejus rei monumenta * *Konigsbruch.*
proferuntur. Scutteranum * monaſterium trans Rhenum poſitum eſt ad Scutteram * *Heilingenforſt.*
fluvium in Mortinavia * ditione. Primam ejus originem tribuunt Offoni cuidam, Scutteranum,
Angliæ, ut ferunt, regi, a quo Offonis-cella primum, dein Scuttera a præterla- ſeu Offonis-
bente fluvio dictum ſit. Exſtitiſſe olim in illis partibus Offonem principem, qui mo- cella.
naſterium ſuo nomine erexerit, perquam veri ſimile eſt. Hunc forte cum ignora- * *Schutern.*
rent poſteri, lecto Offæ Anglorum regis nomine, Offonem principem eumdem eſſe * *Mortnau*,
putarunt cum Offa rege, qui Caroli Magni æqualis fuit. Sunt qui hujus monaſterii
conditionem referunt ad ſæculum inſequens, tribuuntque Pirminio abbati ſanctiſſi-
mo, quem alii dicere inſtauratorem malunt.

Alia eſt Offonis-villa, monaſterio item inſignis, quæ in diviſione facta inter Ca- LXV.
rolum Calvum & Ludovicum ejus fratrem, Carolo obtigit. Sita erat in pago Por- Offonis-villa
tenſi diœceſis Veſontionenſis; abbatia vero ſancto Leodegario nuncupata. Bodo Tul- diverſa.
lenſis antiſtes *monaſterium Offonis-villa in honore ſancti Leodegarii, jure paterno ſibi ad
ſervitium Dei conceſſum*, eccleſiæ ſuæ tradidiſſe memoratur in actis nondum editis
epiſcoporum Tullenſium. Hic Bodo non alius eſt, ut jam dixi, quam Leudinus, Sa-
labergæ germanus frater, alio nomine Bodo appellatus, etſi in prædictis actis a Leu-
dino diſtinguatur. Verum illud obſtare videtur, quod monaſterium Offonis-villæ
tunc exſtructum fuiſſe dicitur *in honore ſancti Leodegarii*, qui Bodoni-Leudino ſu-
perſtes fuit, ſiquidem Deodatus, ejus in ſede Tullenſi ſucceſſor, concilio Romano in
cauſa Wilfridi epiſcopi ſubſcripſit eo anno, quo Leodegarius martyrio affectus fuit.
Verum forte anticipato dictum eſt monaſterium ſancti Leodegarii, qui Offoni-villæ
poſtea patronus acceſſerit. Hanc abbatiam, ſimulque Faverniacenſem, ſitam in eo-
dem pago Portenſi, Ludovicus Tranſmarinus Francorum rex, rogatu Ugonis comi-
tis, cuidam fideli [a] ſuo, nomine Adalardo, ejuſque conjugi Addilæ in beneficium [a] *Perard. p. 165.*
concedit anno tertio regni ſui, indictione tertia, ſeu anno ſupra nongenteſimum
quadrageſimo. Poſt annos fere centum Burchardus comes [b] locum, Offonis-villam [b] *Spicil. to. 1. p. 472.*
dictum, nobilem quondam abbatiam, in honorem ſancti Leodegarii conſecratam, Di-
vionenſi ſancti Benigni monaſterio tribuit, eo pacto, ut monaſticus ordo ibidem per
Halinardum abbatem repararetur. Hactenus prioratus eſt eidem ſancti Benigni mo-
naſterio ſubjectus. Ad priorem Offonis-cellam an potius referendum id, quod le-

ANN. CHR. 676.

a Analect. n. 4. p. 643.

gitur in libello a ſocietatum Augienſium, *ex monaſterio Offimvuillare domnus abbas Beretrix, Vvenibertus abba, Madalbertus abba, Petrus abba*, alii judicent. Sane id mihi veri ſimilius. nam Offonis-villa non ejus videtur fuiſſe dignitatis, ut proprios tot abbates habuerit, quæ potius cella & præpoſitura etiam olim erat, quam ex numero inſigniorum monaſteriorum, quæ proprios abbates habuerint. Quamquam in ejuſmodi ſocietatum libellis, ubi de cellis agitur, nonnumquam recenſentur abbates præcipuorum, a quibus illæ pendent, monaſteriorum. ſic in prædicto libello ſocietatum Augienſium ad cellam ſancti Hilari referuntur abbates quidam monaſterii ſancti Dionyſii, cui hæc cella ſubjecta erat.

LXVI. Horreenſe cœnobium regit Irmina.

* Oeren.

Dagoberto ſecundo Auſtraſiorum regi duæ tribuuntur a recentioribus filiæ, Irmina & Adela ſeu Addula, ambæ Deo conſecratæ: quarum altera Horreum * beatæ Mariæ monaſterium, altera Palatiolum condidiſſe ac rexiſſe memorantur. Adela in ſubſequens ſæculum remiſſa, de Irmina hoc loco, deque monaſterio Horreenſi agendum eſt. Ut Irmina Dagoberti ſecundi filia fuerit, Horreum beatæ Mariæ cœnobium non ab ea primum conditum, ſed forte amplificatum ac dotatum fuiſſe colligitur ex libro de miraculis ſanctæ Gertrudis abbatiſſæ Nivialenſis, ab auctore ejus temporis ſcripto, in quo Modeſta Trevirenſi monaſterio beatæ Mariæ præfuiſſe eo tempore perhibetur, quo beata Gertrudis e corpore migravit. quod ſub annum hujus ſæculi duodeſexageſimum accidiſſe diximus. Non aliud per id tempus eſſe poterat Trevirenſe beatæ Mariæ cœnobium virginum præter Horreenſe, quod prædictus auctor ſatis videtur indicare his verbis: *Erat quadam abbatiſſa in monaſterio Treverenſe, cui nomen erat Modeſta; & hac ipſa ab infantia ſua Domino conſecrata fuerat, & ſancta Geretrudi in amicitia divina familiariter conſtricta videbatur.* Tum ſubditur, beatam Gertrudem ipſa hora ſui obitus apparuiſſe Modeſtæ, *ante altare beata Maria* ad orationem proſtratæ. *Cum autem craſtinus adveniſſet dies, civitatis epiſcopus, nomine Chlodulfus, venit ad monaſterium prædicta Dei famula Modeſta*, quæ interrogavit epiſcopum de ſanctæ Gertrudis habitu & ſpecie; ex eoque ipſam eſſe intellexit, quæ ſibi apparuerat. Chlodulfus epiſcopus erat urbis, non Trevirenſis, ſed Mettenſis: unde Henſchenius in præmiſſo contextu legendum merito cenſet, *Mettenſis civitatis epiſcopus*, non *ejuſdem*, ut de ſuo addiderat vitæ ſanctæ Gertrudis vetus interpolator, qui priorem locum ſic reddiderat: *Erat in civitate Treverenſi ſanctimonialis quadam, Modeſta nomine, qua præerat cœnobio ſancta Dei genitricis Maria.* Non dubium itaque quin legerit apud anonymum Gertrudis æqualem: *Erat quadam abbatiſſa in monaſterio Treverenſe*, uti ſuperius retulimus. Henſchenio tamen viſum eſt legendum, *in monaſterio Avendenſi* ſeu Habendenſi: quod tamen ad diœceſim Tullenſem ſpectat, non ad Mettenſem. Retinenda proinde videtur lectio de monaſterio Trevirenſi, quod interpolator explicat de cœnobio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, cui Horreum monaſterium dicatum erat. Jam ergo tum exſtitiſſet Horreenſe monaſterium; nec proinde conditricem habere potuit Irminam abbatiſſam, ſi hæc Dagoberti ſecundi filia fuit, ſed potius inſtauratricem. Sane inter Romaricenſes antiſtitas vix, ac ne vix quidem locum Modeſtæ per id tempus invenias. Prima ſiquidem abbatiſſa fuit Mactefledis: ſecunda Cæcilia, alio nomine Clara, quæ in ſæculo Gegoberga dicta fuerat: tertia Tetta, cognomento Gebetrudis, cui ſancta Perpetua ſucceſſiſſe dicitur. Hæc ex ſuperioribus libris videntur explorata. Nihil moror vulgatos ejus loci abbatiſſarum indices, quos mendoſiſſimos eſſe conſtat. Irminæ vitam litteris mandavit ſæculo undecimo Theofridus abbas monaſterii Epternacenſis, cui loco pia virgo multa prædia donavit. Hæc nobili & egregiæ indolis Hermanno comiti deſponſa, in dotem multas poſſeſſiones *in Tiraſio* * ſeu Teoracia, aliiſque locis accepiſſe fertur: at, ſponſo ipſa die nuptiarum immatura morte prærepto, non alium a Chriſto ſponſum deinceps voluiſſe; atque, annuente patre, quidquid ex hereditate paterna, maternave, aut ex dote ſibi aſſignata contingere poterat, ædificandis ſanctorum locis contuliſſe. In primis vero ejus munificentia effulſit in exſtruendo ſeu inſtaurando monaſterio beatæ Mariæ apud Treviros in ſuburbano loco, qui Horreum dicitur: quem locum fundis, prædiis, & ampliſſimis reditibus ditavit, aggregato ibidem numeroſo cœtu ſanctimonialium, quarum abbatiſſa facta eſt. Exſtat apud Henſchenium in libro ſecundo de tribus Dagobertis ejus argumenti diploma Dagobertinum, ſed mendoſum, quo rex conjugis ſuæ rogatu, monaſterio in

* la Tierache.

» Treverica valle, in honore ſanctæ Dei genitricis ab Irmina filia ſua conſtructo, &

AN. CHR. 676.

ſanctimonialium congregatione decorato, plurimas villas, tum ex rebus proprietatis ſuæ, tum ex allodio, quod Irmina ipſa in Laudunenſi epiſcopatu ab Hermanno ſponſo in dotem acceperat, conceſſiſſe fertur anno quinto regni Dagoberti. quod diploma, qualecumque tandem ſit, valet ſaltem ad deſignandas poſſeſſiones antiquas monaſterii Horreenſis, quod a ſæcularium canonicarum ſtatu nuper ad monaſticum denuo converſum eſt.

LXVII. Bellendis monacha.

Sub idem tempus piiſſima virgo Bellendis in Morſellenſi parthenone monaſticum habitum ſuſcepit. Pater ejus Odelardus comes apud Antuerpienſes, genitrix Nona ſeu Nonna, beati pontificis Amandi germana ſoror. Bellendem a patre exheredatam tradunt, quod patris lepra affecti ſcypho non prius poſt eum uſa eſſet, quam ſcyphum aqua purgaſſet. quo facto iratus pater Niviallam petiiſſe, & ad ſanctæ Gertrudis tumulum, quidquid prædiorum & ſervorum ancillarumque habebat, cum cæſpite & ramo, cultelloque manubrio albo inſtructo, (quod genus traditionis apud veteres ſollemne erat) donaviſſe fertur. Sic Bellendis facta exheres, in cœnobio Dei genitricis Mariæ, quod in vico Morſella prope Teneramundam opidum ſitum erat, ſacri velaminis habitum ſuſcepit. Huic monaſterio S. Gudila virgo principium dedit, quæ Wigeri ducis, ſub quo vixit Odelardus Bellendis pater, & Amalbergæ filia erat. Accepta morte patris Bellendis, permittente monaſterii matre, Merbeccam perrexit, qui Brabantiæ vicus eſt in diœceſi Mechlinienſi, haud procul a Ninovia Flandriæ opido, patris funus curatura, cujus corpus in eccleſia beati Petri ab eo conſtructa ſepeliendum curavit. Ibidem reliquum vitæ pia virgo exegit ob vaſtationem monaſterii Morſellenſis a barbaris factam, nihil eo in loco de priſtino inſtituto remittens. Quippe in laudibus Dei aſſidua, cilicio continue uſa dicitur; jejuniis ſic dedita, ut bis tantum in hebdomada, præter dies dominicos & apoſtolorum ſollemnitates, reficeretur; nec umquam carnes, rariſſime piſces, ad cibum adhiberet.

LXVIII. Hedda epiſcopus Dorciceſtrenſis.

Hoc ipſo anno Heddius ſeu Hedda creatus eſt epiſcopus, ut in chronologia Saxonica Bedæ adjuncta legimus. Ante epiſcopatum *monachus fuerat & abbas*, teſtante Willelmo Malmeſburienſi monacho; alius ab Ætla Streaneshalenſi monacho, qui Dorciceſtriæ in provincia Merciorum epiſcopus a Wilfrido poſt Theodori obitum ordinatus apud Bedam [a] memoratur. Alia fuit apud occidentales Saxones Dorciceſtria urbs epiſcopalis, cui poſt Leutherium Heddius a Theodoro præfectus eſt. Is eſt Hæddi abbas, qui Leutherii deceſſoris ſui litteris pro Maildunenſi ſeu Malmeſburienſi monaſterio ſubſcripſiſſe reperitur: ex quo intelligitur, ejus monaſterium apud occidentales Saxones exſtitiſſe. Glaſtonienſibus Heddium accenſet Willelmus, teſtatus, ipſius nomen inter aliorum præclarorum virorum & abbatum nomina olim ibidem in pyramide lectum fuiſſe. Theodoro Cantuarienſi epiſcopo familiaris fuit Heddius, cui ille Pænitentiale nuncupavit, uti intelligitur ex ſubjecto rythmo, qui pænitentiali Theodori in membraneo codice collegii Corporis Chriſti Cantabrigienſis præmitur in hunc modum:

[a] *Beda lib. 4. c. 23.*

Te nunc, ſancte ſpeculator,
Heddi, pie preſul precor,
Pontificum ditum decor,
Pro me tuo peregrino
Preces funde Theodoro.

LXIX. Glaſtonienſe monaſterium.

Obſcura eſt origo monaſterii Glaſtonienſis ſeu Gleſtonienſis percelebris, in regione occidentalium Saxonum poſiti, cujus loci viris illuſtribus Willelmus Heddium annumerat. Primus ex Anglis locum rexit Brithwaldus, cui qualdam fecit [b] donationes rex Kinewalchus, quem Birinus, primus occidentalium Saxonum antiſtes, Chriſti myſteriis imbuit. Poſt Kinewalchi mortem, quæ anno hujus ſæculi ſeptuageſimo-ſecundo accidit, Sexburga ejus conjux anno uno regnum adminiſtravit; & poſt eum Eſcwinus, ex chronologia Saxonica, ubi hoc anno deceſſiſſe memoratur. Hunc excepit Kentwinus, qui, promoto in archiepiſcopatum Britwaldo, ad petitionem Heddæ Weſtſaxonum epiſcopi & monachorum Glaſtonienſium, Hemgiſlum abbatem ibidem anno ſeptuageſimo-octavo conſtituiſſe dicitur in Monaſtico Anglicano. Verum id ſtare non poteſt: tum quia Theodorus ſedem Cantuarienſem tenuit ad annum nonageſimum: tum quia Britwaldus ejus ſucceſſor, non

[b] *Monaſt. Anglic. to. 1. p. 12.*

ANN. CHR. 676.

Glaſtonienſis monaſterii, ſed Raculfenſis abbas erat, ut ſuo loco videbimus. Bertwaldo Kentwinus Glaſtoniam ab omni ſervitio liberam præſtitiſſe fertur, ejuſdemque loci fratribus jus conceſſiſſe eligendi & conſtituendi ſibi rectorem ſecundum regulam ſancti Benedicti. Poſt annos regni novem in cœmeterio monachorum ſepultus, pyramide ad ejus ſepulcrum exſculpta, Cedwallam habuit ſucceſſorem: cui ſuffectus Ina, Glaſtonienſe monaſterium ex integro ædificavit, primus ejus auctor ob id a nonnullis creditus.

LXX. Abendonienſe. a ibid. p. 97. & ſeqq.

Kentwino item regnante, Abendonienſe beatæ Mariæ monaſterium condi cœptum ab Heano [a] viro ſancto, qui fundum a Ciſſa ſubregulo, patruo an avunculo ſuo, impetravit. Locum hunc ante incolere cœperat vir quidam pius, nomine Aben, qui poſtea in Hiberniam ſeceſſit. Hinc Abendoniæ appellatio hæſit, cujus ſitus ad Tamiſium fluvium erat. Heani ſoror, nomine Cilla, fratris exemplo, cœnobium virginum itidem juxta Tamiſium in loco, *Helneſtou* dicto, exſtruxit in honorem ſanctæ Crucis & ſanctæ Helenæ, multis ſanctimonialibus ibidem aggregatis, quarum ipſa mater & abbatiſſa exſtitit. Poſt mortem ejus ſanctimoniales Wittehamum tranſlatæ, demum bello inter Offam regem Merciorum & Kinewlfum regem occidentalium Saxonum exardeſcente, hac illacque diſſipatæ, cum locus ad exſtruendam arcem eſſet occupatus. Effoſſo Cillæ virginis loculo, crux ferrea ſuper ejus pectus reperta, quæ cum magna religione aſſervata fuit in eccleſia Abendonienſi. Hoc monaſterium in longum habebat centum ac viginti pedes, in orbem diſpoſitum. In circuitu cellulæ duodecim, cum totidem oratoriis, muro cinctæ erant, & in ſingulis cellulis ſinguli monachi præter abbatem, ſeorſim manducantes & dormientes. Nulli monaſterii portam egredi licebat, niſi pro maxima neceſſitate aut utilitate, ex permiſſu abbatis. Feminis illuc aditus prorſus interdictus. Monachis nigri panni pro veſte erant, ſed abſque ſtamineis. Pelliciæ in hieme conceſſæ: in præcipuis feſtivitatibus cucullæ ſericeæ. Jacebant monachi ſuper cilicia, catinis coopertoriis utentes. Nullus carnium eſus, præterquam in gravi infirmitate. Erat juxta monaſterii portam domus pro locutorio, ubi cum exteris, ſi quando adveniſſent, colloquerentur. Diebus dominicis ac feſtis ſimul conveniebant in eccleſiam, miſſæ ſollemnia celebraturi; poſtea ſimul refecturi. Hæc diſciplina erat Abendonienſium monachorum ſub Heano abbate. Succeſſores ejus Conanus, & longo poſt intervallo Rethunus epiſcopus Merciorum. Ejus tempore Andreſeiam inſulam, quæ monaſterii poſſeſſio erat, viri quidam divites incolere cœperunt, monaſtico habitu ſuſcepto, ſed ſibi reſervata poſſeſſionum ſuarum adminiſtratione, quæ poſt eorum obitum Abendonienſi monaſterio proveniebant. Hujus inſulæ amœnitate captus rex Offa, regias ædes ibidem exſtruxit, ac pro ea Rethuno abbati alium locum conceſſit. Hanc inſulam poſtea Rethunus redemit a Kenulfo rege, qui Abendonienſibus libertatis privilegium largitus eſt. Ethelwolſus, Wintonienſis ſæculo decimo epiſcopus, monaſterio novum ſplendorem, novamque diſciplinam attulit.

LXXI. Cuthbertus in Farne ſolitarius.

Poſtquam Cuthbertus in Lindisfarnenſi monaſterio per ***multa annorum curricula***, inquit Beda, id eſt duodecim annos, cum fratribus loci communem vitam duxiſſet, ſubiit animum privatæ ac ſolitariæ vitæ amor, & cum abbatis fratrumque gratia, primo quidem in ſecretiorem monaſterii locum ſeceſſit, ubi cum inviſibili hoſte oratione ac jejuniis ſingularis aliquamdiu decertavit: dein majora aggreſſus, remotiorem ab hominum conſortio locum certaminis adiit. Farne dicitur inſula, medio poſita in mari, aliquot paſſuum millibus a Lindisfarne ſepoſita, ubi cellulam ſibi & oratorium exſtruxit. Cellula pæne rotundi operis, a muro ad murum quattuor vel quinque perticarum longitudine diſtenta erat, ejuſque murus exterius longitudine ſtantis hominis altior; interius exciſa rupe multo altior, ad cohibendam oculorum laſciviam, ut pius incola nil præter cælum poſſet intueri. Murus ipſe non ex ſecto lapide vel latere aut ex cæmento conſtabat, ſed ex impolitis lapidibus & rudi cæſpite, quem e proximo loco fodiendo ſuſtulerat. Cellulæ culmen lignis informibus & fœno tectum erat, uti & oratorii, rudi a cellula pariete ſeparati. Ad portum inſulæ major domus erat, in qua viſitantes eum fratres excipi poſſent ac quieſcere, nec longe ab ea fons eorum uſibus accommodus, cujus ſimilem in rupe ſua ſaxoſa ſuis ac fratrum precibus a Deo impetravit. Hoc in loco vixit aliquot annos Cuthbertus, ita ſolitarius, ut tamen adventantes fratres quandoque exciperet, eorum pedes aqua calida lavare ſolitus, dum ille vix poſt unum menſem, aliquando

nonniſi

ANN. CHR. 676.

nonniſi poſt annum, redeunte paſchali ſollemnitate, propter lotionem pedum, quæ in cæna Domini fieri ſolet, tibialia pellicea deponeret. Deinde, fervente majoris perfectionis ſtudio, in cellulam ita ſe recluſit, ut rarum cum adventantibus colloquium haberet, & quidem per feneſtram, primum apertam, demum occluſam, quam nonniſi dandæ benedictionis, vel certæ cujuſdam neceſſitatis gratia reſerabat. Illic principio permodicum ab adventantibus panem in victum ſuum accipiebat, poſtmodum proprio manuum labore ſanctorum patrum exemplo vivere ſtatuit, acceptis inſtrumentis ad excolendam terram, & tritico ad ſerendum. Verum ſeminata verno tempore terra, nullos uſque ad medium æſtatis fructus ferebat. Unde viſitantibus ſe de more fratribus: Forſitan, inquit, aut telluris hujuſce natura, aut Dei voluntas non eſt, ut hoc in loco mihi triticum naſcatur. Afferte rogo hordeum, ſi forte vel illud fructum poſſit facere. ſin alias, ſatius eſt mihi reverti ad cœtum fratrum, quam alieno hic labore ſuſtentari. Allatum hordeum, intempeſtive licet ſeminatum, fructum copioſum dedit; ſed matureſcentem ſegetem volucres depaſcebant, ad quas ille, ut jucundo ſuo more fratribus poſtea retulit: Quid tangitis, ait, ſata, quæ non ſeviſtis? an forte vos plus me opus habetis? ſi tamen a Deo licentiam accepiſtis, facite quod ipſe permiſit: ſin autem, recedite, neque ulterius aliena lædatis. Dixerat, & ad primam jubentis vocem univerſa illa volucrum multitudo receſſit, nec ulterius comparuit. Non ſolum autem aëris, ait Beda, ſed & maris animalia, immo & ipſum mare, ſicut & aër, & ignis, viro venerabili præbuere obſequium. quod ille exemplis probat. Nec mirum ſane. Qui enim Auctori omnium creaturarum fideliter & integro corde famulatur, non eſt mirandum, ſi ejus imperiis ac votis omnis creatura deſerviat. At nos plerumque idcirco ſubjectæ nobis creaturæ dominium perdidimus, quia Domino & Creatori omnium ipſi ſervire negligimus.

LXXII. Qualia ad ſe venientibus dat monita.

Confluebant ad virum Dei multi, non ſolum ex proximis Lindisfarnenſium finibus, ſed etiam ex remotioribus Britanniæ partibus, fama virtutum ejus excitati, qui vel ſua, quæ commiſiſſent, errata; vel dæmonum, quæ paterentur, tentamenta confitentes; vel certe communia mortalium, quibus affligerentur, incommoda & adverſa exponentes, a tantæ ſanctitatis viro ſe conſolandos ac relevandos ſperabant. Nec eos fallebat ſpes. Nullus enim ab eo abſque conſolationis gaudio receſſit: nullum dolor animi, quem illo attulerat, redeuntem comitatus eſt. Ita vero ſe univerſorum neceſſitatibus accommodabat, ut mæſtos pia exhortatione refoveret, afflictis gaudia vitæ cæleſtis ad memoriam revocaret; tentatis fidem pro remedio adhibendam doceret. Atque, ut ne privata & ſolitaria ejus vita imbelles fratres ad idem vitæ genus ampiectendum induceret, hoc eis crebrius ſolebat intimare, ut ne ipſius inſtitutum quaſi quiddam ſublime admirarentur; ſed contra cœnobitarum vitam potius ſuſpicerent ac præferendam ducerent: quippe qui abbatis in omnibus ſubjiciantur imperio; cujus ad arbitrium cuncta vigilandi, orandi, jejunandi, atque operandi tempora moderentur: ex quibus plurimos ſanctimonia & prophetiæ dono inſignes, in his venerabilem Boiſilum Mailroſenſem monachum & præpoſitum, ſibi notos fuiſſe teſtabatur.

ANN. CHR. 677.

LXXIII. Adeodato papæ ſuccedit Donus.

ANno ſeptimi ſæculi ſeptuageſimo-ſeptimo Adeodatus papa e vivis exceſſit VI. kalendas Julias: in cujus locum poſt menſes quatuor ſuffectus eſt Donus, domo Romanus. Is, cum in monaſterio Romano, quod Boëtianum vocabatur, monachos Syros, Neſtorii errore infectos, deprehendiſſet; hos in diverſa monaſteria diſtribuit, eorumque loco ſubſtituit monachos Romanos, id eſt Latinos, Romanis ritibus ac regulis addictos. Nec plura de hoc monaſterio, quod Boëtianum haud dubie dictum erat a Boëtio auctore.

LXXIV. Adalrici bona Beſuæ tradita.

In Gallia interim Ebroinus furere pergebat, nec amicis parcens, nedum inimicis. Ad hos evertendos & vexandos uſus eſt in primis Waimere Campaniæ duce, & Adalrico itidem duce. Et Waimerem quidem ob malefacta promovit ad epiſcopatum Trecenſem, ſed poſtea ſibi ſuſpectum & inviſum e medio ſuſtulit: Adalricum vero, Provinciæ patriciatum ambientem, in Auſtriam fugere coëgit. Tum ejus bona regio fiſco adjudicata; quæ Theodericus rex Beſuenſi Burgundiæ monaſterio attribuit, dato diplomate in gratiam Waldaleni abbatis menſe Septembri, anno quarto regni ſui. Confiſcationis cauſa in diplomate [b] hæc ſuggeritur, quod Adalri-

b Spicil. to. 1. p. 501.

AN. CHR. 677.

» cus dux, Deo ſibi contrario, regi infidelis apparuiſſet, ſeque Auſtraſiis conſociaſſet,
» qui tum cum Neuſtraſiis bello decertabant. Tunc enim accidit id, quod in libello
» de vita ſanctæ Salabergæ abbatiſſæ legitur, ut civile bellum inter reges Francorum,
» Theodericum & Dagobertum, de finibus regni moveretur; adeoque, vicinis qui-
» buſque locis vaſtatis & depopulatis, villæ, ædes etiam ſacræ, immo ipſa, prô nefas!
» ſanctorum corpora igni cremarentur. eujus rei provida & præſagiens Salaberga,
monaſterium virginum, in finibus Lingonum a ſe conditum, longe ante cum ſuis de-
ſeruerat, & in munitiſſimam urbem, Lugdunum-Clavatum, ſe receperat. Itaque
quod Adalricus Ebroini metu in Auſtriam refugiſſet, id in crimen rapuit Ebroinus,
"ejuſque bona publicari curavit. quæ omnia Theodericus rex liberaliter aſſignavit,
ut mox dicebam, Fontis-Beſuæ monaſterio, ubi tunc Waldalenus abbas adhuc præ-
erat. Ejus tempore, ait Johannes Beſuenſis [a] chronographus, monaſticus ordo
maxime floruit, & ſub ejus ſucceſſoribus Bercando, Ferreolo & Syranno, qui pater-
nos ejus mores in regulari inſtitutione imitati ſunt. Verum, iis mortuis, ea rerum
converſio facta eſt, ut monaſterium perditæ cuidam feminæ Anglæ, non cuſto-
diendum, ſed diripiendum traderetur.

[a] ibid. p. 502.

LXXV. Dagoberti regis munificentia in Stabulenſes.

Præerat hoc tempore monaſteriis Stabulenſi & Malmundarienſi Goduinus ab-
bas, cujus rogatu Dagobertus Auſtraſiorum rex donationes quaſdam prædictis mo-
naſteriis, a Sigiberto patre ſuo factas, confirmavit kalendis Auguſti, anno regni ſui
quarto. Regi quippe ſuggeſſerat vir venerabilis Goduinus abbas de monaſterio
» Stabulau & Malmundario, dominum & genitorem ejus Sigibertum regem ſancto
» Remaclo ad uſus eorum monaſteriorum contuliſſe, quidquid ſui juris eſſet in Ger-
» miniaco * villa pagi Remenſis, & in Cumaria ſuper fluvio Suppia *; petebatque,
» ut Dagobertus eaſdem donationes ratas haberet. quod princeps facile annuit. Hæc
cœnobia poſt ſanctum Remaclum abbatem primum rexerant Theodardus ante
epiſcopatum, tum Papolenus ſeu Babolenus, & Sigolinus, is qui Landebertum epiſ-
copum in Stabulenſi monaſterio excepit, ſucceſſorem ſortitus Goduinum, qui
ſancti Remacli corpus ex oratorio ſancti Martini, quæ modo parœcialis eccleſia
eſt, in principem ſancti Petri baſilicam tranſtulit, lectumque ſeu tumulum ejus
auro & argento ornandum curavit.

* Germigny.
* la Suppe.

Stabulenſes abbates.

LXXVI. Hamenſis monaſterii origo.

Ad annum etiam quartum regis Theoderici referenda videtur origo monaſterii
Hamenſis, diœceſis Conſtantienſis, haud procul ab oceano, modo cellæ ſeu priora-
tus ſub titulo ſancti Petri de Hamo. Frotmundus epiſcopus Conſtantienſis in Neu-
ſtria, in vulgatis indicibus dictus Rotmundus, hujus monaſterii primus conditor
fuit, uti diſerte probat inſcriptio triplex, ibidem ſub altari matutinali reperta pau-
cos ante annos, id eſt, anno ſuperioris ſæculi nonageſimo-tertio, quadrato trium
pedum lapidi inſculpta, cum crucis ſigno in medio & in quatuor angulis.

Prima inſcriptio ſuperficiem lapidis tribus verſibus occupabat in hunc modum:

CONSTANTIANIENSIS URBIS RECTUR DOMNUS
FRODOMUNDUS PONTIFEX, IN HONORE ALMAE
MARIAE GENETRICIS DOMINI HOC TEMPLUM, HOCQUE
ALTARE CONSTRUXSIT FIDELITER, ATQUE DIGNE DEDICAVIT
MENSE AGUSTO MEDIO, & HIC FESTUS CELEBRATUS
DIES SIT PER ANNOS SINGOLOS.

Secunda inſcriptio in exteriori margine ſuperiori lapidis quatuor itidem verſibus;
totidemque in inferiori tertia habebatur, ex quibus ſequentia tantum exſculpere
licuit.

ANNO III.....
IIII. * AN. REGNANTE THEODORICO REGE
IN FRANCIA HOC CENUBIUM CINGXIT. PATRAVIT
CAUSAS QUAM PULCHERRIME, NEC AMOR SUBIT INVASI
VOLUIT ... & MARIAE ALMISSIMA CUM IPSA VIVANT
ET EXULTENT IN AETERNA SAECULA. PRIMUS
CEPIT STRUERE MONASTIRIUM DOMNUS PONTIFEX
ABENS CURAM PASTURALEM IN AMORE DOMINI SUARUM

* V. append.

OVIUM PASCUA PERPETUA CHORO NEXAS VIRGINALE
SUMMA. ITIM LOCUM REX CONCESSIT AD ISTUM CENUBIUM.
IPSE ETENIM DOM*. PLURIMAS ATQUE CETERAS
PARN. EPTINARI* NOM, ERO.

ANN. CHR. 677.
* domnus.
* f. Septinari numero.

Ex triplici hac inſcriptione colligimus, Frodomundum ſeu Frotmundum, Conſtantienſis eccleſiæ præſulem, hoc templum cum adjuncto cœnobio virginum in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ extruxiſſe anno tertio ſui pontificatus, quarto anno Theoderici regis, qui locum conceſſerat ; & templum quidem dedicaſſe medio menſe Auguſto, quo die Aſſumtio beatæ Mariæ recolitur : quem diem ſeſtum ſingulis annis recurrentibus celebrem eſſe voluit. Hamenſis hic prioratus ab inſtauratione ſua beatum Petrum apoſtolum patronum agnoſcit, idemque ab annis ſeptingentis ſubjectus eſt Carnutenſi abbatiæ ſancti Petri ex dono Areſaſti fratris Gonoris, uxoris quondam Richardi primi Nortmannorum ducis. Colitur apud Neuſtraſios, qui olim apud Anglos maxime itidem colebatur, ſanctus Frotmundus, vulgo Fremundus, ſub cujus patrocinio exſtat opidulum & prioratus in diœceſi Conſtantienſi, & in pago Caletenſi eccleſiæ nonnullæ : ſed quis ſit Frotmundus ille, incompertum, quem Offæ Anglorum regis filium fuiſſe recentiores quidam perperam dicunt. Facile crederem haud alium eſſe quam Frodomundum ſeu Frotmundum epiſcopum Conſtantienſem, ſi de ejus cultu conſtaret, aut veri ſimile eſſet, ejuſdem cultum ad Anglos propagatum fuiſſe.

S. Frotmundus.

VErum, his omiſſis, in inſulam Britanniam nos vocat tempeſtas in Wilfridum Eboracenſem epiſcopum poſtero anno excitata, cujus anni menſe Auguſto cometa cœpit apparere, & per tres continuos menſes, teſte [a] Beda, conſpicuus fuit, excelſam radiantis flammæ quaſi columnam ab horis matutinis præferens. Florebat per id tempus Wilfridus, unus Northumbrorum antiſtes, non minus ſæculari gloria & rerum opulentia, quam virtutibus & ſanctitate inſignis. Erant ei magnificæ ædes, multa clientium frequentia, qui regalibus veſtimentis & armis induti eidem obſequebantur. Multa item cœnobia ab eo vel condita, vel inſtituta, cum innumeris monachis parebant, adeo ut regiam pompam præ ſe ferre videretur. Ad hæc Ethildritæ, Egfridi regis quondam uxori, tunc piiſſimæ abbatiſſæ, valde familiaris erat, quæ omnem vitæ ſuæ rationem fingebat ad ipſius conſilia. Hæc omnia graviter ferens Ermenburga, quam Egfridus poſt Ethildritæ receſſum ſuperduxerat, magnam antiſtiti fecit invidiam, viroque ſuo eum ſuſpectum & inviſum reddidit, quaſi ei nihil præter regium nomen deeſſet. Optimum itaque conſultu regi viſum eſt ad minuendam ejus poteſtatem, ſi ejus parochia in tres epiſcopatus divideretur. In hujus conſilii aſſenſum rex & regina Theodorum Cantuarienſem muneribus facile pertraxerunt. Duo in Wilfridi abſentis & inconſulti locum ordinati ab eo epiſcopi ex monachis, Boſa, qui Deirorum ſeu Eboracenſium ; & Eata, qui Berniciorum ſeptemtrionalem provinciam gubernaret ; prior Eboraci, poſterior in Haguſtaldenſi ſeu Lindisfarnenſi eccleſia cathedram habens epiſcopalem : quibus tertius adjunctus epiſcopus in provincia Lindisſarorum, quam Egfridus nuperrime, ſuperato Wlfario Merciorum rege, obtinuerat. His commotus Wilfridus, regem & archiepiſcopum adit, de injuria ſibi facta expoſtulat, & ſe inauditum & innocentem non ſolum epiſcopatu, ſed & rebus ſuis ſpoliatum graviter queritur. Illis ad hæc nullum ei crimen ſe objicere, ſed tamen quod factum eſſet revocare ſe nolle affirmantibus : ipſe cum coepiſcoporum ſuorum conſilio, ad ſedem apoſtolicam appellavit, tum converſus ad aulicos ſibi illudentes : Hoc anniverſario, inquit, die, qui nunc ridetis meam, quæ «
ex ſola invidia facta eſt, condemnationem, tunc præ confuſione & mærore amare «
flebitis. quod ſancti antiſtitis vaticinium completum eſt, Elfwino Egfridi regis [b] fratre, ipſa die recurrente, cum ſummo omnium dolore occiſo in gravi prœlio, quod cum Ethelredo Merciorum rege conſertum fuerat. Diſceſſurus e Britannia Romam Wilfridus, *multa millia monachorum* ſub manu novorum epiſcoporum relinquebat, omnes mærentes ac lugentes, ejuſque itineris proſperum Domino ſucceſſum precibus obnixe commendantes. Contra ejus adverſarii eum recta profecturum, & ad Quentavicum portum oceano tranſmiſſo appulſurum exiſtimantes, nuntios ad Theodericum regem Francorum, & ad Ebroïnum præfectum palatii, quem Eddius-Ste-

ANN. CHR. 678.
LXXVII.
Wilfridi epiſcopi expulſio.
a *Beda l. 4. c. 5.*
«b *Id. ib. c. 21.*

ANN CHR. 678.

phanus *Eſruinum impium ducem* vocat, cum muneribus præmittunt, ut eum vel in exſilium loogius ablegarent, aut cæſis ejus ſociis, univerſa ſubſtantia ſpoliareot. Nec difficile fuit id eis perſuadere: quippe cum Wilfridus Daguberti ex Hibernia in Auſtriam reditum, ac in paternum ſolium reſtitutionem adjuviſſet. Forte accidit, ut eodem tempore Winfridus epiſcopus Liccidfeldenſis ab Ethelredo Merciorum rege, quod Egfridi partibus faviſſet, ſede ſua expelleretur. Ambo itaque epiſcopi, Wilfridus & Winfridus, parem fere injuriam paſſi, ſede apoſtolica appellata, eodem tempore in Galliam traoſituri eraot. Prior Winfridus cum litus Gallicum attigiſſet, in manus iocidit exploratorum, quos Theodericus & Ebroinus ad comprehendendum Wilfridum diſpoſuerant. Illi ſimilitudine oominis decepti, Winfridum pro Wilfrido comprehendunt, &, comitibus ejus occiſis, rebuſque ablatis, nudum abire paſſi ſunt. qui Eadbarnam ſe contulit, in cœnobium a Ceadda epiſcopo inſtitutum, ibique ſanctiſſime reliquum vitæ exegit. At Wilfridus, quem inimicorum ſuorum conſilia & inſidiæ non latebant, ſecundo vento provectus in altum, proris io eurum obverſis, in Friſiam proſpere cum ſuis omnibus appulit, exceptuſque ab Adalgiſo rege & populo, etſi paganis, perquam honorifice; ibi totam hiemem exegit. Nec vana & otioſa illic ſancti antiſtitis mora. nam Chriſti evangelium, facultate a rege accepta, genti illi prædicavit, & multa Friſiorum millia, cum omnibus eorum principibus, chriſtianis myſteriis initiavit, primo fidei fundamento ibidem poſito, ſuper quod poſtea ſanctus Willibrordus epiſcopus, in Ripenſi monaſterio ſub ipſius diſciplina educatus, Friſiacam eccleſiam ædificavit.

Inter ea Ebroïnus comperto ſe deluſum eſſe, & Wilfridum in Friſia morari; in Egfridi & Ermenburgæ gratiam Adalgiſo ſcripſit, ut vel epiſcopum ad ſe vivum, aut cæſi caput mittendum curaret, pollicitus plurima aureorum millia, ſeu, ut Eddii verbis utar, *modium plenum ſolidorum aureorum, pretium utique ſceleſte*, ſi alterutrum feciſſet. At regulus epiſtolam, ipſo Wilfrido audiente, cum perlegiſſet, in fruſta cooſcidit, conſciſſamque in igoem projecit, nuntiis dicens: Sic rerum Conditor regnum ejus cum vita diſperdat, quicumque fidem amico datam violaverit. Ita nuotii pudore ſuffuſi, re infecta, ad Ebroïnum reverſi ſunt.

LXXVIII. S. Leodegarii exauctoratio & martyrium.

Quam iu Wilfridum exercere non valuit Ebroïnus, hanc in ſanctum martyrem Leodegarium ſævitiam explevit. Ejus quædam veluti præludia fuere oculi ſanctiſſimo antiſtiti evulſi, labra conciſa, reſecta lingua, cujus nihilo minus uſus & officium divinitus ei reſtitutum eſt. Jam biennium in Fiſcamoenſi mooaſterio exegerat ſub cuſtodia Waningi viri illuſtris, cum in palatium ſiſti jubetur; &, oe gratis puniri videretur, Theoderico regi tyranous ſuadet, Leodegarium Childerici regis necis conſcium fuiſſe; inſiſtuntque ambo, rex & Ebroïnus, ut hanc culpam ipſe agnoſceret. quibus conſtanter reſpondit, ſe quidem hominem eſſe, & humanorum delictorum nequaquam expertem: at tanti facinoris plane inſontem eſſe, ſuamque innocentiam Deo magis, quam hominibus perſpectam. Aderant in palatio plurimi de more epiſcopi, quibus in uoum convenire, & de Leodegarii cauſa ſententiam ferre mandatum eſt. Productus in medium vir ſanctus, poſtquam ſeorſim regi multa futura prædixiſſet, tamquam reus in ordinem redactus eſt: ejus tunica ſacerdotali a capite conſciſſa, qui ritus exauctorandorum epiſcoporum erat, ut io cauſa Prætextati Rotomagenſis factum Gregorius [a] Turonicus refert. Alio modo Dido pſeudepiſcopus paullo ante Leodegarium, itidem io alia ſynodo epiſcoporum, *e ſancta congregatione* expulſus fuerat, capite penitus decalvato, ut in eo coronæ ſacerdotalis inſigne omnino abraderetur. qualem pœnam monacho, infaodi criminis reo, Fructuoſus [b] epiſcopus in regula prima decernit. Sic in ordinem laïcorum redactus Leodegarius, qui numquam epiſcopatu digoior fuerat, quibuſlibet Ebroïni injuriis ac ſuppliciis opportunus & expoſitus, Chrodoberto comiti palatii cuſtodiendus traditur, dato ex nomine regis mandato, ut quantocius hominem in vaſtæ ſilvæ ſecretiori loco interficeret, ac mortui corpus in puteum projiceret, obturato putei ore, ne quis mortuo honos haberetur. Mandato ægre accepto, Chrodobertus probata viri Dei ſanctimonia flexus, quatuor miniſtris ab Ebroïno ſubmiſſis id exſequendum permittit, plorante ipſius uxore, quod tam atrox mandatum viro ſuo impoſitum fuiſſet. Hanc vero conſolatus eſt Leodegarius, pollicitus, necem ſuam nequaquam ei in maledictionem, ſed contra in benedictionem convertendam, dum ipſa corpori ſuo ſepulturæ honorem impendi curaret. Tum in deſignatam ſilvam abducitur a prædictis

[a] Greg. Tur. lib. 5. c. 19.

[b] Fructuoſ. reg. c. 16.

ANN. CHR. 678

quatuor ſatellitibus, ex quibus tres ad ejus pedes provoluti veniam & indulgentiam petunt. Is vero omnibus, qui ſe vexaverant, bene precatus, gratiis Deo actis, quod ſe hoc mortis genere dignaretur, cervicem barbaro carnifici, Wadhardo nomine, qui quartus e miniſtris erat, præcidendam obtulit, ſicque martyrium conſummavit VI. nonas Octobris. Silva, in qua interfectus eſt, hodie quoque ſancti Leodegarii nomine inſignis eſt in pago Atrebatenſi. Chrodoberti uxor corpus ſacrum in vicum ejuſdem pagi Sarcinium *, quem Baldericus in confinio Cameracenſis epiſcopii & Morinenſis locat, clam deportari, & cum veſtibus ejus in oratorio ejuſdem vici ſepeliri juſſit, ubi ad tres annos jacuit, uſque dum ad Maxentianum monaſterium transferretur, clareſcentibus miraculis, quantumvis ea Ebruinus occultari, ac ſilentio premi curaret, minis ac ſuppliciis iis intentatis, qui illa vulgarent.

* *Sarcin.*

LXXIX. Chramlini item epiſcopi deſtitutio.

Quo in loco habita ſit ſuperior ſynodus epiſcoporum, in qua Leodegario epiſcopalis dignitas abrogata eſt, conjicimus ex diplomate Theoderici regis, in quo mentio fit de conventu epiſcoporum Marlaci habitu, ubi Chramlinus Ebredunenſis ª antiſtes ſede ſua dejectus fuit. Vulgatum eſt a nobis hoc monumentum in libru ſexto de re diplomatica, *Viris inluſtribus Audoberctho & Rocco patriciis, omnibuſque ducibus & comitibus vel actoribus publicis* inſcriptum. Cum itaque epiſcopi, tam ex Neuſtria, quam ex Burgundia, in palatio villæ regiæ Marlaci pro ſtatu eccleſiæ ac confirmatione pacis una conveniſſent; quidam ex eorum numero, regi infideles inventi, & ſecundum canones judicari dicuntur: in his Chramlinus filius Miecii, qui epiſcopatum Ebredunenſem ſua præſumtione per falſas litteras, non regio permiſſu acceperat, nec ſollemni ritu ab epiſcopis conſecratus fuerat. Aderant in eo conventu metropolitani quinque, Geneſius, Chadunus, Blidramnus, Landoberctus, & Terniſcus, aliique epiſcopi quamplures: quorum ex ſententia Chramlino veſtis conſciſſa, & epiſcopatus abrogatus eſt. Eidem tamen ex regis clementia, & procerum aſſenſu, res ſuæ propriæ reſervatæ ſunt, permiſſumque, ut pro exilio perpetuo, quod ipſi decretum fuerat, in monaſterium, ſancti Dionyſii corpore inſigne, ei ſecedere liceret ſub Charderici abbatis regimine, ibique ſub obedientia & regulari ordine reliquum vitæ ſuæ perageret. Aghlibertus regium diploma recognovit, datum Marlaci * medio menſe Septembri, anno quinto Theoderici regis. quod tempus recte convenit iis, quæ de ſancti Leodegarii morte mox retulimus. Locus autem videtur eſſe Marlacus ſeu Morlacus in Campania ad Saltum amnem. Ceterum de hoc Chramlino epiſcopo interpretandum videtur teſtamentum Abbonis patricii pro monaſterio Novalicienſi, itidem relatum in libro ſexto de re diplomatica.

ª *V. ibi. anum.* 50.

Seceſſus in monaſterium S. Dionyſii.

* *Morlay.*

LXXX. Geneſio Lugdunenſi ſuccedit Lantbertus.

Ex quatuor metropolitanis, qui prædictæ ſynodo interfuerunt, primus recenſetur Geneſius Lugdunenſis, ſecundus Chadunus incertæ ſedis, tertius Blidramnus Vienenſis, quartus Landeberctus Senonenſis, quintus Terniſcus ſeu Terniſius Veſontionenſis. Ex quo intelligitur, Geneſium non ante hoc tempus e vivis exceſſiſſe, id eſt non ante ſubſequentes kalendas Novembres, quo die ejus obitus recolitur. Mirum eſt huic ſynodo non adfuiſſe Reolum Remenſem, & Dadonem ſeu Audoënum Rotomagenſem, qui Ebroïno amici & addicti erant.

Anſbertus abbas Fontanellæ poſt Lantbertum.

Geneſio defuncto, Lugdunenſis eccleſia præſulem ſortita eſt Lantbertum Fontanellæ abbatem, quem ejus merita Theoderico regi plurimum commendaverant. Huic calculo conſentit libellus de vita ſancti Condedi monachi, ubi annus ſeptimus regni Theoderici comparatur cum anno ſecundo regiminis Anſberti abbatis Fontanellenſis, qui poſt Lantbertum abbas electus eſt unanimi fratrum conſenſu. Is ſacerdotio præditus, confluentium ad ſe confeſſiones excipere ſolebat, & ſalutaria eiſdem monita dare, quibus ad perfectam converſionem adducerentur. Hinc auctæ monaſterii poſſeſſiones ex ſpontaneis fidelium oblationibus. Ille vero, monaſterii rebus pie diſpenſandis, quam amplificandis longe attentior, xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum duodenorum, inſtar collegii apoſtolici, inſtituit, certis rebus ei attributis, ex quibus ſufficiens eis annona ſuppeditaretur. Alias quoque duas in eodem cœnobio conſtituit manſiones pauperum debilium, numero octoginta, quos octonos ſingillatim diſtribuit: quibus quotidianum victum perpetuo aſſignandum curavit. Horum munus id unum erat, ut divinis officiis ad horas diurnas, nocturnaſve adeſſent, precibus ac rebus divinis vacaturi; maxime *tempore ſancti ſacrificii*, pro temporali ac æterna ſalute populi chriſtiani, & pro eccleſia catholica ubique diffuſa. Sanctus Audoënus Rotomagenſis antiſtes Anſberto abbati auctor fuiſſe

ANN CHR. 672.

dicitur, ut baſilicam ſancti Stephani prope inſulam Belcinnacam ad Sequanam exſtrueret, cum xenodochio pauperum, cui quoddam prædium, vocabulo Childriacum, in pago Dunenſi legavit. Hæc origo ejuſmodi xenodochiorum in monaſteriis noſtris ex regulæ præſcripto, quorum redditus in alienos uſus contra regulæ mentem nunc a ſæcularibus convertuntur.

LXXXI. Chardericus abbas S. Dionyſii, dein epiſcopus.

a *Diplomat. lib. 6. n. 12.*

Tunſonis-vallis monaſterii auctor.

b *Ibid. n. 22. & 24.*

Ex ſuperiori item diplomate intelligitur, Chardericum abbatem hoc anno præfuiſſe Dionyſiano apud Pariſios monaſterio, nimirum poſt Wandeberctum, cujus ſuperius meminimus. Idem Chardericus abbas memoratur in alio præcepto ejuſdem Theoderici [a] pro immunitate omnimoda a teloneis, ſancti Dionyſii carris per Galliam conceſſa. Idem poſtea factus epiſcopus, forte Bellovacenſis ante Conſtantinum, Tunſonis-vallis monaſterium in pago Camliacenſi apud Bellovacos condidiſſe perhibetur. Id patet ex duobus præceptis [b] Childeberti regis eo nomine tertii, in quorum priori *Chardericus quondam abba*, in altero idem *quondam epiſcopus* fuiſſe dicitur. Utrumque vero præceptum a rege obtinuit venerabilis vir Magnoaldus, abbas monaſterii de Tunſune ſeu Tuſone-valle, quod *in honore ſancti Dionyſii & ſancti Marcelli* Chardericus, quondam abbas & epiſcopus, in proprio fundo ædificavit *ſub ſancta regula*, ibidemque venerabilem virum Magnoaldum abbatem conſtituit rectorem. Quid factum ſit illo Tunſonis-vallis monaſterio; an eo in loco poſitum fuerit, ubi modo abbatia Vallis-beatæ Mariæ ordinis Ciſtercienſis ad Iſaram, ſub diœceſi Pariſienſi, mihi fateor eſſe incompertum. Charderico abbati in regimine monaſterii Dionyſiani ſucceſſit Chaino, de quo inferius.

LXXXII. Autharius abbas S. Germani, aliique poſt eum.

Eodem tempore ſuburbanum apud Pariſios ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii monaſterium regebat Autcharius ſeu Autharius abbas, laudatus in litteris Theoderici regis, quibus confirmatur donatio eccleſiæ ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii facta a Galterio quodam, ejuſque conjuge Goda, de rebus ſuis in Bituricenſi pago ſitis, quarum hæc nomina: Fraxinum cum eccleſiis; Caſdunum cum eccleſia domni Movialis confeſſoris ſuper Chroſam fluvium; Graëgilidum, Dolum cum eccleſia domni Germani, Agentonem cum eccleſia, vel quidquid ultra Ligerim poſſidere videbantur: ita videlicet, ut poſt obitum Galterii, ſi Goda ejus conjux ſuperſtes eſſet in corpore, Deo ſacrata foret, & in eccleſia domni Movialis cum puellis Deo ſacratis quam pluribus ſibi aſſociatis Deo deſerviret. Idem Autcharius abbas perſeveravit ad annum ſeptimum-decimum Theoderici regis, quo anno Vandemiris vir inluſtris, ejuſque conjux Ercamberta, villas Oxmam in pago Dorcaſſino, & Noviolium in Andegavino donaverunt baſilicæ domni Vincentii vel domni Germani, ubi vir venerabilis domnus Autcharius abbas præerat. Ei jam ſucceſſerat Waldromerus abbas anno Childeberti regis tertio; id probantibus ejus litteris commutationis factæ cum quodam Adalrico de nonnullis rebus, in villa Mauriliaco ſitis. In veterrimo necrologio ſancti Germani notatur x. kalendas Maii *depoſitio Wandremari abbatis, qui dedit Cellam * ſuper Sequanam ſancto Germano*, a quo hactenus hic locus pendet, ſitus in pago Pariſienſi. Hæreo an Wandremarus iſte idem ſit cum Waldromero, an diverſus; is ſcilicet, de quo mentio fit in charta Vandemiris viri illuſtris, inferius memoranda. Waldromerum excepit Thedelmarus, memoratus in placito authentico Childeberti regis, quo cœnobium Lemauſum * pagi Stampenſis, monaſterio ſancti Germani conceſſum a quodam Gamone & Adalgude ejus conjuge, vindicatur adverſus Agatheum quemdam, qui mortuo Gamone locum illum repetebat nomine Adalgudis, tum Deo ſacratæ in prædicto cœnobio Lemauſo. Thedelmaro ſucceſſit Babo abbas, cujus tempore Chulberta femina teſtatur, ſe per venditionis titulum monaſterio ſanctæ Crucis & domni Germani ceſſiſſe res ſuas in villis Bodaſio & Mantla; eaſdemque tempore famis precario recepiſſe anno quinto Chilperici regis. Litteræ illæ inſcriptæ ſunt *Domno & in Chriſto venerabili patri Baboni abbati, vel omni congregationi monaſterii veſtri ſancti Vincentii vel ſancta Crucis & domni Germani, ubi ipſe precioſus domnus in corpore requieſcet.* Baboni ſuffectus videtur Sigofridus, qui monaſterio Germanenſi præerat anno decimo Theoderici regis, haud dubie Calenſis; miſſuſque forte a Carolo principe ad regem Hiſpaniæ, ubi a Sarracenis captus, & in carcerem conjectus ſit. Hinc corrigendi veteres etiam indices abbatum hujus monaſterii, in quibus abbates hoc ordine recenſentur poſt Germanum: Sigo, Sigofridus, Babo, Childerannus, Hunfridus, Wandremarus, Thedelmarus, Lantfredus: qui ſic ordinandus videtur poſt Sigonem: Childerannus, Hunfridus, Au-

* *la Celle.*

* *Limours.*

ANN. CHR. 678.

tharins, (male primus abbatum locatus ante Droctoveum) Wandremarus, Chedelmarus ſeu Thedelmarus, Babo, Sigofridus, & Lantfredus, de quo nos plura ſuo loco.

ANN. CHR. 679. LXXXIII. S. Amandi epiſcopi obitus.

POſtero anno humanis exemtus eſt ſanctus Amandus epiſcopus in Elnonenſi ad Scarpum monaſterio, quod poſtremis vitæ ſnæ annis ipſe rexit. Per id tempus accidit, ut præpoſito monaſterii Chrodobaldo, qui forte in quadam vicina cella reſidebat, vehicula ad vinum in uſus fratrum devehendum tranſmitti juberet. Hic autem vehiculorum defectum mandato patris obtendens, cum factum excuſaturus ad eum vellet pergere, ſubito in paralyſim incidit, ut nec manum, nec pedem movere valeret. Scaphæ itaque impoſitus, Elnonem venit, cum Amandus ſumeret cibum. De ejus adventu & infirmitate admonitus vir ſanctus, ſubridens dixiſſe fertur, majora ei reſervari pericula, nimirum nb jactantiæ & inobedientiæ vitium, cui valde obnoxius erat. Miſſus tamen a ſancto patre preſbyter, calicem vini cum fragmento panis ægroto attulit, mandatumque ei eſt, in craſtinum ut Amando ad ipſum accedenti obviam occurreret. quod ille haud difficulter exſecutus eſt, membrorum integra ſoſpitate poſt ſumtas eulogias ſtatim recepta. Hunc autem vir Dei, indulta venia, ut mores deinceps in melius componeret, admonuit, atque eum ſanum ad monaſterium redire præcepit, Morti proximus ſanctus pater, venerabilem Andream abbatem, quem Bariſiaco ante præfecerat, ſucceſſorem ſuum in Elnone conſtituit: nec multo poſt in cælos migravit VIII. idus Februarii, die dominica, ut ſcribit Milo monachus in ſupplemento ad libellum Baudemundi: quæ notæ chronologicæ huic anno apprime conveniunt. Fallit Milonis calculus, quamtumvis elaboratus ipſi viſus, & vetuſtis libris lapidibuſque inſculptus, qui Amandi obitum anno ejus ſæculi ſexageſimo-primo locat. Erroris manifeſtum argumentum eſt, quod Amandus Childerico regi ſupervixit, atque anno Theoderici regis ſecundo teſtamentum condidit. Sepultus eſt condigno cum honore in ſuo, uti juſſerat, Elnonenſi monaſterio, & quidem in baſilica ſancti Petri, quæ quoniam tanti præſulis virtutibus anguſtior & minus congrua viſa eſt, ac ſequiori ſexui propter monachorum habitationem inacceſſa, paullo poſt locum fecit majori baſilicæ, utrique ſexui opportunæ & ſufficienti, in qua ſancti præſulis corpus anno ab ejus morte ſexto-decimo collocatum eſt. Sancti Amandi animam in cælos ſubeuntem beata Aldegundis conſpexiſſe traditur.

Vitæ ejus ſcriptores.

Primus ejus vitam ſcripſit Baudemundus monachus ipſius diſcipulus, idemque ejuſdem teſtamenti ſcriptor. Baudemundo ſupplementum cum hiſtoria elevationis & tranſlationis adjecit Milo Elnonenſis itidem monachus medio ſæculo nono, eamdemque vitam quatuor libris metrice edidit; atque Haimino abbati Vedaſtino nuncupavit. Tertio poſt eum ſæculo Philippus Harvengius, cognominatus ab-Eleemoſyna, abbas Bonæ-ſpei ordinis Præmonſtratenſis, idem argumentum retractavit. His adde anonymum quemdam Aquitanum, qui ſancti Amandi geſta ſub nomine ſancti Alani in compendium redegit. In codice Elnonenſi habetur prolixus de ſancto Amando ſermo, in quo vir Dei domos ſpatioſas & excelſas, atque laqueariorum cameras, colorum fucis linitas cum menianis ſuis, quaſi phantaſticas ſomniorum imagines, deſpexiſſe dicitur; aurum & argentum, quaſi lutum, habuiſſe; veſtes holoſericas, gemmis ornatas, & obrizo in bratteas tenuato contextas, nec habuiſſe, nec habere voluiſſe; pane tantum hordeaceo, & quidem cinere miſto, & aqua pura uſum fuiſſe, adeoque vaſa pretioſa ad menſam reſpuiſſe.

LXXXIV. Vvilfridi iter Romam.

Vere appetente Wilfridus, poſtquam in Friſia hiemaverat, cœptum iter ad apoſtolicam ſedem perſequi inſtitit, & inter eundum Dagobertum Auſtriæ regem, quem ex Hibernia in regnum patrium redeuntem perquam honorifice tractaverat, adire ac ſalutare conſtituit. Rex, accepti beneficii non immemor, hoſpitem ſuum benigne excepit, multiſque precibus fatigavit, ut in ſuo regno remanere, & pro Eboracenſi parochia ſibi erepta, Argentoratenſis eccleſiæ, quam vulgo Strateburgenſem vocabant, *epiſcopatum maximum* accipere ne abnueret. Verum, cum Wilfridus civiliter repugnaſſet, a rege cum magnis donis ac muneribus dimiſſus eſt, adjuncto ipſi Deodato epiſcopo, haud dubie Tullenſi, qui ſubſequenti Romanæ ſynodo cum Wilfrido interfuit. Ambo itaque pergentes, ad Pertaridum Langobardorum regem pervenerunt, quem *Berchterum regem Campaniæ*, ob amœniſſimos

Digitized by Google

ANN CHR. 679.

& late patentes Liguriæ campos appellat Eddius-Stephanus, ejus itineris comes. Sanctos peregrinos humaniſſime e.cepit modeſtiſſimus princeps ac Dei timens, Wilfridumque monuit, ex Britannia nuntios ab ejus inimicis miſſos eſſe, dona ingentia ſibi pollicitos, ſi epiſcopum, uti aiebant, fugitivum, ab aditu ſedis apoſtolicæ prohiberet, & apud ſe remoraretur. Se vero rei tam nefariæ haudquaquam aſſentientem, nuntiis in hunc modum reſpondiſſe: exſulem ſe aliquando ab adoleſcentia pulſum ad regem Hunnorum idolis addictum confugiſſe, qui ſibi per idolum deum ſuum promiſerit, quod nulla umquam conditione prodendus eſſet inimicis. id quod poſtea declaravit eventus. nam miſſis qui *aureorum modium plenum* ſibi promitterent, ſi ſe illis ad internecionem daret, nequaquam conſentientem dixiſſe: Hanc mihi vitam dii ſuccidant, ſi pactum in eorum nomine firmatum violavero. Si hæc paganus; quid ſibi faciendum, qui verum coleret Deum? Itaque ſanctum pontificem cum ſuis comitibus honorifice ab ſe emiſit, ducibus ad apoſtolicam ſedem ei datis.

Ejus in ſynodo Romana reſtitutio.

Cum itaque Wilfridus Romam proſpere perveniſſet, adventus ejus cauſa toti jam civitati innotuerat per Coënwaldum religioſum monachum, qui a Theodoro Cantuàrienſi epiſcopo cum litteris eo miſſus fuerat, ut pontificis audientiam adverſus Wilfridum præveniret. Præerat tunc apoſtolicæ ſedi Agatho papa ex-monacho, Dono ſuffectus ab anno ſuperiori. Indicta ſtatim ab ipſo ſynodus ſanctiſſimorum epiſcoporum & preſbyterorum amplius quinquaginta in baſilicam Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur; unaque omnium ſententia fuit, Wilfridum nullius ſceleris aut facinoris convictum, immo prorſus innocentem, non canonice, ſed injuſte gradu dejectum, ob modeſtiam merito laudandum eſſe: quippe qui, contentionibus prætermiſſis, cauſæ ſuæ cognitionem ad apoſtolicam ſedem retuliſſet. Admiſſus in ſecretarium Wilfridus, petitionem ſuam ſacro cœtui relegendam obtulit, cujus
» hæc ſumma erat. Se humilem & indignum Saxoniæ epiſcopum ad hoc apoſtolicum
» faſtigium, tamquam ad locum munitum, firmiſſimumque cujuſvis præſidium, acceſ-
» ſiſſe, ut cauſæ ſuæ juſtitiam ejus cognitioni ſubjiceret. Sibi, nulla culpa in ſe in-
» venta, nedum probata, ereptum epiſcopatum, quem per annos amplius decem pro
» modulo rexerat; traditumque tribus invaſoribus, qui, contra canonicas regulas ac
» definitiones, in conventu Theodori ſanctiſſimi archiepiſcopi, & quorumdam alio-
» rum epiſcoporum ei adhærentium, ſe non acquieſcente promoti ſint. Ceterum quid
» cauſæ fuerit, ut Theodorus ſanctiſſimus archiepiſcopus eo devenerit, malle ſe diſſi-
» mulare ob ejus reverentiam, & honorem ſedis apoſtolicæ, quæ eum in Britanniam
» direxerat. Paratum ſe eſſe ad excipiendam ab apoſtolica ſede ſive deſtitutionis, ſive
» reſtitutionis ſententiam: at ſi in priſtinum epiſcopatum reſtituendus ſit, precari,
» ut epiſcopatus invaſores ex occupatis parochiis ſynodali decreto pellantur; &, ſiqui-
» dem in ſua provincia præſules augere ſynodo viſum fuerit, tales eligantur ex ipſo
» eccleſiæ clero, quales congregatis epiſcopis eo honore digni viſi fuerint, ut non
» ab extraneis & alienis novæ eccleſiæ regantur, ſed a domeſticis, cum quibus una-
» nimi concordia Deo deſervire poſſit. Placuit Agathoni papæ atque univerſæ ſynodo Wilfridi juſta modeſtaque petitio, eaque communi omnium decreto admiſſa, ſancitaque eſt. Habita fuit hæc ſub Agathone ſynodus menſe Octobri, indictione ſeptima, anno viceſimo Conſtantini auguſti, quæ notæ præſenti anno conveniunt. Ea peracta, non ſtatim dimiſſus eſt in patriam Wilſridus, ſed pontificis juſſu per quatuor amplius menſes Romæ permanſit. Præter ea in exemplari hujus ſynodi apud Spelmannum, ſtatutum legitur inter alia, ut in Britannia inſula duodecim conſtituantur epiſcopi, computaro archiepiſcopo, qui eos canonice ordinet, ea conditione, ut nullus ex his in alterius jura quicquam aggrediatur. Deinde ut Theodorus archiepiſcopus univerſalem illic ſynodum congreget, in qua de eccleſiaſticis ſtatutis, eorumque obſervatione diligens inquiſitio fiat. Idcirco ſynodus virum prudentem & eccleſiaſtica doctrina recte imbutum illuc dirigendum cenſuit, qui Theodoro & conſilio futurus ſit, & adjumento rei bene gerendæ. Electus ad id officii venerabilis Johannes, archicantor eccleſiæ beati Petri apoſtoli & abbas monaſterii beati Martini, qui ſynodi Romanæ ſub Martino papa contra Monothelitas habitæ exemplum Theodoro deferret.

LXXXV. Biſcopus Romam rurſus petit.

Eodem tempore Benedictus, cognomento Biſcopus, ex Britannia quartum iter Romam, cum Ceolfrido collega ſuo, aggreſſus (quæ quinta illuc ejus profectio erat, nam in ſecundo e Britannia diſceſſu bis Romam petierat:) plurima eccleſiæ ſuæ ornamenta

ANN. CHR. 679.

ornamenta & munimenta ex urbe retulit, uberiori, quam ante, ſpiritalium bonorum fœnore cumulatus. Nam innumeram omnis librorum generis copiam, plurimaſque ſanctorum apoſtolorum ac martyrum reliquias, atque imagines beatæ Mariæ, duodecim apoſtolorum, evangelicæ hiſtoriæ & apocalypſis advexit. Deinde ab Agathone papa cum Egfridi regis conſenſu ac favore privilegium accepit in gratiam monaſterii ſui, quo ab omni prorſus extrinſeca irruptione tutum perpetuo ac liberum præſtaretur, & libera eligendi abbatis electio concederetur. Idem itineris in reditu ſocium habuit jam dictum archicantorem eccleſiæ beati Petri apoſtoli, Johannem videlicet Romani monaſterii ſancti Martini abbatem, qui & monachis ſuis, & Anglis omnibus cantum Romanum, immo res eccleſiaſticas traderet. quod Johannes non ſolum in Wiremuthenſi Biſcopi monaſterio, ſed & in aliis pæne omnibus ejuſdem provinciæ fecit. Sancti Martini monaſterium, cujus abbas erat, proximum erat baſilicæ ſancti Petri.

LXXXVI. Ethildritæ abbatiſſæ obitus.

Interim ad cæleſte regnum migravit ſanctiſſima virgo Ethildrita, ſponſa quondam Egfridi regis, tunc vero abbatiſſa Elienſis monaſterii, poſt annos ſeptem, quam abbatiſſæ officium geſſerat. Virginis corpus ſacrum, prout ipſa juſſerat, ligneo loculo compoſitum, & in communi cœmeterio ſepultum eſt. Deceſſit vero ex peſtilentia, ſive ex tumore maxillæ, qua inciſa, melius tantiſper habuit, ita ut convaleſcendi aliqua ſpes videretur; ſed poſt triduum ad locum perpetuæ ſalutis tranſlata eſt IX. kalendas Julii. Hoc morbi genere plurimum lætabatur, ſolita dicere, ſe merito in collo pondus morbi ac doloris ferre, in quo adoleſcens ſupervacua monilium pondera geſtaverat.

Sexburga ei ſuccedit, tum aliæ.

In abbatiſſæ officio ſucceſſit ſoror ejus Sexburga, & ipſa ſanctiſſima, olim conjux Erconberti Cantuariorum regis, quæ poſt annos ab illius obitu ſexdecim, ſororis corpus, prorſus incorruptum repertum, e cœmeterio in eccleſiam transferri curavit, & lotum, noviſque veſtibus indutum, in marmoreo loculo reponi curavit, dum *omnis congregatio, hinc fratrum, inde ſororum*, ait [a] Beda, *pſallens cirumſtaret*. Sexburgam excepit filia ejus Ermenilda, uxor quondam Wlfarii Merciorum regis, quæ cum matre ſua juxta materteram Ethildritam condita eſt, relicto monaſterii regimine ſorori ſuæ Werburgæ virgini, quæ in moraſterio Heanburgenſi ſepulturam elegit. Ethildritæ vitam ſcripſit præter Bedam Thomas Elienſis monachus ſæculo duodecimo; & forte etiam libellos de geſtis ſanctarum Ermenildæ & Werburgæ ab ipſo laudatos, qui nondum in lucem prodierunt. In eodem Elienſi cœnobio monaſticæ vitæ in multis profeſſionem fecit ſub Ethildrita Huna preſbyter magnæ humilitatis & abſtinentiæ, qui facile ſe antiquis monachis ſtudio religionis æquaverat. Ethildrita mortua, cui præ ceteris familiaris erat & acceptus, ad quamdam exiguam inſulam, Elienſi proximam, ſeceſſit, ex ejus nomine Huneiam dictam, ubi procul a turbis puriſſimam & tranquillam vitam exegit. Ejus corpus ibidem ſepultum, poſtea Torneiam tranſlatum fuiſſe memoratur.

[a] Beda lib. 4. c. 19.

Huna ſacerdos & monachus.

LXXXVII. S. Deodati epiſcopi obitus.

Eodem anno conſignatur mors ſancti Deodati, epiſcopi quondam Nivernenſis, monaſterii Vallis-Galilææ auctoris, poſt annos decem a condito monaſterio, anno vero ſeptimo ab inita ſocietate cum ſancto Hildulfo epiſcopo, qui in ſuo Medianomonaſterio reſidebat. Ab eo tempore Deodatus haud procul a fratribus ſuis in oratorio ſancti Martini ſeorſim degebat, ſoli Deo vacaturus, identidem tamen ad fratres laborantes accedere ſolitus. Morte inſtante, Hildulfum ad ſe confeſtim venire rogavit, ut ſibi viaticum præberet, & mortuo os & oculos, manus & pedes componeret; ſimulque ut ei commendaret fratres ac diſcipulos ſuos, quos ipſi tamquam patri in omnibus parere juſſit. His expletis, inter ejus manus animam ſanctam Deo reddidit XIII. kalendas Julii, dominica die anni præſentis, ab ingreſſu ipſius in Vallem-Galilæam *anno undecimo mediante*, ut ſcribit anonymus monachus Vallis-Galilææ, qui ſæculo decimo vixit. Ejus funus ea qua par erat reverentia curatum eſt, corpuſque ſacrum in baſilicam beatæ Dei genitricis Mariæ deportatum, ubi condigno cum honore terræ mandatum eſt. Per viginti-octo annos ac dimidium, quibus viro ſancto ſuperſtes fuit Hildulfus, ejus gregi ſibi commendato ſedulo invigilavit, per præpoſitos locum illum adminiſtrans, abbatis ſibi reſervans officium, quamvis ſui Mediani-monaſterii congregationi vice ſua proprium abbatem præfeciſſet. Et primo quidem ab ejus obitu anno locum ſæpius adire ſolebat, ibique ad ſanctum corpus miſſarum ſollemnia celebrare; ut Deum ei propitium red-

Hildulfus ejus monaſterium regit.

ANN. CHR. 679. deret, ſi quid veteris maculæ expiandum ſupereſſet: poſtea vero nonniſi ſemel quotannis, ut vivente Deodato, illuc accedebat. Huic autem ad Vallem-Galilæam accedenti occurrebant ſancti Deodati diſcipuli, patris ac inſtitutoris ſui tunicam præferentes, quam is reverenter exoſculabatur; idemque ritus ſervabatur in ejus reditu ad Medianum-monaſterium.

LXXXVIII. *Mummoli abbatis mors.* Sub idem tempus obiit Mummolus ſecundus abbas Floriacenſis, poſt annos triginta regiminis; ſepultuſque traditur Burdigalæ in eccleſia monaſterii ſanctæ Crucis, ut docet vetus epitaphium, ubi Mummolenus appellatur, in hæc verba.

** recordationis.* HIC REQUIESCET BONAE RECORDATIONES *
HUMILIS CHRISTI MUMMOLENUS,
** annos.* QUI VIXIT ANNUS * CIRCITER SEPTUAGENTA.
APUD QUEM NULLUS FUIT DOLUS MALUS.
** ſine.* QUI FUIT SENE * IRA JOCUNDUS.
HOC EST ACCEPIT TRANSITUM
SUB DIE VI. IDUS AGUSTAS.
** Auguſtus.* UBI FECIT AUGUSTOS * DIES SEPTEM.
ANNO V. REGNUM DOMINI NOSTRI
CHLODOVEI REGIS.

Hunc, dum in Hiſpaniam voti cauſa tenderet, Burdigalæ morte interceptum tradunt in monaſterio ſanctæ Crucis, quod proinde jam tum exſtitiſſet. Forte in illas partes profectus fuerat ad ordinandum proximum Regulæ monaſterium, quod ante Nortmannorum tempora Floriacenſibus ſubjectum fuiſſe inſtrumentum ejus reſtitutionis docet. Certe parum differunt Mummolus & Mummolenus, eodemque die conſignatus legitur obitus Mummoli abbatis in pervetuſto martyrologio Floriacenſi, ante annos ſexcentos ſcripto, his verbis: VI. *idus Auguſti Burdegalis depoſitio S. Mummoli abbatis.* quo die in illa urbe, uti & apud Floriacenſes, ejus memoria feſtive celebratur. Ceterum monachos ſuperiori, hoc eſt ſexto, ſæculo Burdigalæ jam exſtitiſſe intelligitur ex Gregorio Turonenſi epiſcopo, cujus caput triceſimum-quartum libri quarti *de Burdegalenſi monacho* inſcriptum eſt. Incertum quis ille rex Chlodoveus, cujus anno quinto Mummolenus obiiſſe dicitur. an Chlodoveus rex ille fictitius, quem Ebroinus Chlotharii regis filium dicebat, & in locum Theoderici ſupponere volebat? Sane ultra Theoderici principatum differri non poteſt Mummoli obitus, quem Chlodoveo ejus patre regnante aliquamdiu abbatem exſtitiſſe, nec niſi annos triginta Floriacenſibus præfuiſſe conſtat ex antiquiſſimo indice abbatum Floriacenſium, deſinente in Theodulfo: in quo Mummoli ſucceſſores hoc pacto recenſentur. *Tertius abbas Leodardus habuit annos decem. Quartus abbas Ido annum unum & dimidium. Quintus abbas Auderannus dimidium annum. Sextus Flatbertus annos tres. Septimus abbas Adalbertus annos viginti-novem. Octavus abbas Geilo annos novemdecim. Nonus abbas Medo annos viginti-unum.* Hic eſt Medo abbas, cujus tempore tentata fuit relatio corporis ſancti Benedicti in Caſinenſe monaſterium, & quidem pontificatu Zachariæ papæ, ut ſuo loco videbimus, hoc eſt, ſub annum ſubſequentis ſæculi quinquageſimum: qua ex ſumma ſi annos ſexaginta-tres, quibus Mummoli ad Medonem ſucceſſores monaſterii regimen tenuiſſe ex illo indice colligitur, cum primis Medonis abbatis annis ſubduxeris, Mummolum paullo ante hunc annum, id eſt, ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum, deceſſiſſe facile admiſeris.

LXXXIX. *Baronti viſio.* Hoc fere anno, Theoderici regis ſexto, contigit celebris viſio Baronti monachi Longoretenſis apud Bituricenſes. Is nobili ortus progenie, poſt initum matrimonium, ad monaſticen converſus, in cœnobium Longoretenſe, quod a S. Sigiranno in pago Bituricenſi exſtructum diximus, una cum Aigloaldo filio ſe recepit, cum Francardus abbas locum adminiſtraret. Forte aliquando, finitis laudibus matutinis, cum ad lectulum rediiſſet, repente febre correptus, & ad extrema anhelans, Aigloaldum filium ſuum vocat, jubetque, ut ad ſe Eodonem diaconum accerſat. Mox accurrit diaconus, ſed Barontum jam fere exanimem & vocis expertem invenit. Tum pavore correptus, orare, aqua luſtrali locum purgare: at Baronto extenſis brachiis, clauſiſque oculis, nullus ſenſus. Hora tertia convocati fratres, preces fre-

quentant, & per totum diem pſalmos ad Baronti lectum recitant. Tandem illis pſallentibus Barontus, quaſi e gravi ſomno excitatus, prima hæc verba tertium ingeminat: Gloria tibi Deus. Interrogatus quid eo per id tempus factum eſſet, reſpondit: ſe, ubi poſt matutinas laudes in lecto ſe compoſuiſſet, ſubito ſopore oppreſſum a duobus tetris dæmonibus correptum fuiſſe, ſed a ſancto Raphaële archangelo liberatum, deductumque ad Dei judicium. Et primo quidem ſe perveniſſe ad monaſterium Millebeccum, Longoretenſi vicinum, cujus loci tum Leodoaldus abbas, tempore veſpertini officii Raphaëlem orantem, & monacho ibidem ægrotanti bene precantem ſuſpexit. Adductum inde ad primam portam paradiſi, complures e fratribus ſuis illic ſe vidiſſe diem judicii præſtolantes. Ibi Corbolenus & Fraudolenus ſeu Fraudolus preſbyteri; ibi Auſtrulfus diaconus; ibi denique Leudoaldus & Ibbo ſeu Ebbo lectores, omnes ſuo tempore monachi probatiſſimi. Prætergreſſo tertiam portam ibi occurriſſe unum e fratribus, nomine Corbolenum, jam dudum mortuum, qui manſionem abbati ſuo Francardo, ſuo ab infantia nutritori, præparatam oſtendit. Erat quippe Francardus Dei timens, ac valde pius, ſacris lectionibus inſtructus, nutritor & doctor filiorum nobilium, per cujus religionem multæ monaſterio poſſeſſiones accreverant; & tandem longa infirmitate ad æterna gaudia capeſſenda purgatus. Poſt quartam portam inventus Baudolenus ſeu Betolenus, unus itidem e fratribus, qui aliquando contractus ad fores monaſterii jacuerat; cœpitque Barontum arguere, quod in Longoretenſi ſancti Petri eccleſia lumen noctu deficeret, & non per ſingulas horas arderet. Tum accitus a Raphaële ſanctus Petrus apoſtolus, ut Barontum, ſui utique cœnobii monachum, vindicaret contra dæmonem, qui eum ad ſe pertinere contendebat, tum quia tres uxores habuerat, tum quia multa alia crimina perpetraverat. At repoſuit beatus Petrus, illum ejuſmodi peccata *ſacerdotibus confeſſum* fuiſſe, pœnitentiam & eleemoſynas feciſſe; denique, relictis omnibus, ſemetipſum Chriſto in ſuo monaſterio conſecraſſe. At nihilo minus repugnantem ad hæc dæmonem beatus Petrus in ejus caput vibrare voluit *tres claves*, quas in manu tenebat ſub forma, quam inferius ſubjiciemus. Inde Ibbonis fratris rogatu deductum ad infernum, ibidem inter alios conſpexiſſe Wlfredum ſeu Wlfoleodum ac Didonem epiſcopos. Tandem duce Framnoaldo monacho, qui in puerili ætate Longoreti deceſſerat, ad ſuum monaſterium reductum fuiſſe. Hanc viſionem prolixius ſcripto mandavit monachus anonymus, qui Barontum hæc referentem audivit, conteſtatus omnia hæc acta fuiſſe VIII. kalendas Aprilis, ſexto anno Theoderici regis Francorum. Legerat hanc viſionem ſæculo nono Ratpertus monachus ſancti Galli, qui ejus meminit in libro de caſibus monaſterii ſui. Exſtat tota hæc narratio in codice Remigiano, ante annos octingentos elegantiſſime ſcripto, in quo exhibetur non ſemel pictus Barontus cum veſte monaſtica, qualis eo tempore geſtabatur a monachis noſtris extra divina officia, hoc eſt cum talari toga candidi coloris, & ſcapulari ſubnigro ad genua tantum pertingente, cum faſciis ſeu ligaculis ad utrumque latus. Hanc Baronti effigiem hoc loco repreſentare viſum eſt, cum alia paullo diverſa, in fornice baſilicæ ſancti Albini apud Andecavos depicta ante annos ſexcentos: ex quarum comparatione patet, ejuſdem propemodum formæ ad ſæculum uſque undecimum fuiſſe apud noſtros ſcapularis monaſtici formam, qualis ſæculo ſeptimo in uſu erat. In illa tamen ſancti Albini pictura, ſecus quam in Baronti figura, nullæ apparent faſciæ ad utrumque latus; quas nihilo minus ad ſæculum undecimum uſitatas fuiſſe a noſtris, præterquam forte apud Cluniacenſes, ex eo intelligitur, quod Cartuſienſes principio hunc morem a noſtris accepiſſe videantur: unde ejuſmodi faſciam *ſancti Benedicti vittam* appellarunt. Baronti effigies eſt ea, quæ prima hic notatur, ad dexteram intuentium in æs inciſa.

ANN. CHR. 679.



Memoratur in ſuperiori narratione Wlfredus, ſeu, ut Remigianus codex præfert, Wlfoleodus & Dido epiſcopi: ex quibus Dido forte eſt Cabilonenſis ille epiſcopus, cognomento Deſideratus, qui ſanctum Leodegarium juſſu Ebroini tantopere vexavit: an autem alter ſit Wlfoleodus Bituricenſis poſt Sulpicium Pium antiſtes, nec conjicere velim, propterea quod vitæ ſanctitate præclarus in Patriarchio Bituricenſi laudatur. Sed etſi fortaſſe de eo Baronti viſio intelligatur, tanti habenda non ſunt hujuſmodi ſomnia, quaſi ad aſſerendam cujuſquam ſive ſanctitatem, ſive damnationem valeant. Hæc enim plerumque accidere ſolent hominibus certis imaginationibus affectis, quæ poſtea ipſi, ſui ipſorum compotes redditi, pro viſis indubitatis habent. Non tamen penitus rejiciendæ ſunt id genus viſiones, quod plurima ſæpius, tum ad mores, tum ad hiſtoriam pertinentia contineant. Et forte ejuſmodi narrationibus uſi ſunt nonnulli, tamquam apologis conſulto compoſitis ad ſui temporis mores emendandos. Quamquam non adinventas, ſed veras, aut certe vere creditas nonnullas fuiſſe infitiari nolim: quales fuerint viſiones ſancti Furſei a venerabili Beda relatæ. qualis fuit & viſio Wettini monachi Augienſis, ab Hettone proſa, & a Walafrido-Strabone ſtricta oratione deſcripta; qualis & forte hæc ipſa Baronti, quam breviter modo exhibuimus.

Viſionum ejuſmodi qualis auctoritas.

Poſt hæc Barontus abbatis ſui permiſſu in Italiam profectus fuiſſe dicitur, &, perluſtratis Romæ locis ſacris, dum per Tuſciam remearet, in locum territorii Piſtorienſis, ſolitariæ vitæ maxime congruum, ab orientali plaga montibus circumſæptum, ſeceſſiſſe; ibique geminorum inter radices montium parvam exſtruxiſſe cellulam, ubi, perforata rupe, vivi fontis venam aperuerit. Ibi cum degeret, ad eum acceſſit vir quidam venerabilis, nomine Deſiderius, ejus exemplo & doctrina erudiendus, cui alii quatuor adoleſcentes ſe adjunxerunt.

Baronti ſeceſſus in Italiam.

XC. Deſiderius ille diſtinguendus eſt ab alio cognomine, qui in cœnobio Longoretenſi paullo ante id tempus ſancti Sigiranni diſciplinæ ſe commiſerat. Deſiderius hic ſenior

Deſiderius ejus

ANN. CHR. 679

Blaviacenſi prope Burdigalam territorio ex nobili ſtirpe oriundus erat. Is perfectioris vitæ deſiderio ad Sigirannum acceſſit, & ad ejus pedes provolutus, in monachorum Longoretenſium cœtum admitti poſtulavit. Voti compos factus, ita pie ſe geſſit, ut Sigirannus eum ſacerdotio dignum exiſtimans, clericali tonſura inſignierit, & per conſuetos gradus ad ordinem ſacrum promoveri curaverit. Inde in locum territorii Bituricenſis, vocabulo Rurriacus, tranſmiſſus eſt a Sigiranno Deſiderius, ut oratorium ſanctæ Dei genitricis virginis Mariæ & beati Galli, ab eodem ſancto patre conditum, incoleret. Multis ad ipſum undique confluentibus, cellulam cum oratorio ſancti Martini exſtruxit, ubi in quoddam veluti ergaſtulum ſe recluſit, aſſidue precibus, vigiliis ac jejuniis vacans. Cum ea eſſet illius vitæ ſanctimonia, fideles ei multa dona offerebant, ex quibus, quæ præter victum ipſi ſupererant, in egentes refundebat. Cæci duo ejus contactu & ſigno crucis ibidem lumen recepiſſe dicuntur. Denique multis defunctus inediis & laboribus, ex illa cellula ad cælum liber evolavit XIV. kalendas Novembris; ubi cum ſummo honore in oratorio beatæ Mariæ ſepultus eſt. Ex quibus intelligitur, eum longe diverſum eſſe a Deſiderio Baronti diſcipulo, qui cum magiſtro ſuo in Piſtorienſis territorii monaſterio vixit, ibidemque ſepultura donatus eſt cum quatuor condiſcipulis ſuperius memoratis. Porro Barontus longo feſſus ſenio ad requiem ſempiternam migravit VIII. kalendas Aprilis, & in baſilica, quam ipſe condiderat, honorifice depoſitus eſt. Longo poſt tempore, dum plurimis miraculis ejus tumulus coruſcaret, a quibuſdam ejus loci primoribus conſtructum eſt ſæculo undecimo in ejus honorem monaſterium, in quod ſacræ ejus reliquiæ a Reſtaldo Piſtorienſi epiſcopo tranſlatæ ſunt; nec multo poſt contubernalis ejus Deſiderii corpus eodem allatum cum aliis aliorum quatuor ejuſdem diſcipulorum corporibus, VI. kalendas Aprilis, anno Domini MXVIII.

Deſiderius alius à Deſiderio monacho Longoretenſi.

Baronti obitus & cultus.

XCI. S. Petri tres claves.

In præmiſſa Baronti viſione ſanctus Petrus *tres claves* habuiſſe dicitur, eique oſtenſæ referuntur ſub quadam forma in codice Remigiano expreſſa, quam inferius ſubjiciemus. Hæc inter ſomnia retuliſſem, niſi hanc de tribus ſancti Petri clavibus opinionem illis temporibus invaluiſſe alia quoque antiquitatis indubitata mihi argumenta perſuaderent. Unum eſt *in triclinio*, ut Anaſtaſius vocat, palatii Lateranenſis, ubi Leo III. ſui pontificatus initium aut reſtitutionem, ſimulque Carolo Magno traditæ poteſtatis memoriam aliqua inſigni pictura exornare volens, medium inter utrumque muſivo depingi curavit ſanctum Petrum ſedentem, Leoni pallium, Carolo lanceam ſupplicibus tradentem; &, quod ad rem nunc facit, tres claves ſuper genua habentem, ut patebit ex tabella, quam in ſequenti volumine [a] proferemus. Alia ejuſdem generis imago ſancti Petri teſſellato itidem opere ad tumulum Ottonis Magni imperatoris hodie quoque depicta cernitur Romæ in crypta confeſſionis ſancti Petri, ubi Chriſtus Dominus inter beatos apoſtolus Petrum a ſiniſtris, & Paulum a dextris exhibetur; & Petrus quidem crucem dextera, ſiniſtra tres claves præferens, ut videre licet in ectypo, quod Nicolaus [b] Alemannus in æs incidi curavit. Dicet forſan aliquis, utramque hanc figuram a Romanis, qui dignitatem ſuam amplificare ſtudent, excogitatam fuiſſe. Verum huic objectioni occurrit tertia pictura, quam idem Alemannus [c] eruit ex veterrimo bibliothecæ Vaticanæ codice græco, cujus antiquitatem libri quadrata forma, quadratique apices teſtantur: quo in codice ſanctus Petrus itidem cum tribus clavibus depingitur. Ex quo intelligas, hunc morem non modo apud Romanos, ſed etiam apud Græcos receptum fuiſſe, non tamen univerſim, ſiquidem alias [d] ſancto Petro duæ claves in ipſo Leonis III. triclinio tribuuntur, ubi Chriſtus Dominus duodecim apoſtolos mittit ad prædicandum evangelium, immo aliquando unica clavis [e] ſancto Petro tribuitur, ut apud eumdem Alemannum videre licet. Non ingratum fore puto lectori, ſi duas ex illis picturis, quæ ſanctum Petrum eum tribus clavibus exhibent, hic protulero; primam quidem ex prædicto codice græco bibliothecæ Vaticanæ; ſecundam vero ex codice Remigiano pervetuſto, in quo viſio Baronti deſcripta eſt.

[a] lib. 18. num. 87.

[b] Aleman. Later. pariet. p. 88.

[c] Ibid. p. 86.

[d] Ibid. p. 46. & 56.

[e] Ib. p. 61.

ΠΕΤΡΟϹ



Cur vero tres illæ ſancti Petri claves? Duabus prioribus poteſtatem ligandi atque ſolvendi ſignificari nemo negaverit: tertiam vero Alemannus[a] putat adhibitam fuiſſe ad denotandum munus illud, quod ex ligandi atque ſolvendi jure conſequi ait, nempe ſæcularia ad ſpiritualia dirigendi auctoritatem. Si conjecturas hic meas proponere licet, veri ſimilius puto, idcirco ſancto Petro, cui Chriſtus claves regni cælorum dediſſe memoratur, tres ejuſmodi claves affictas fuiſſe, quod cæleſti civitati Jeruſalem, in quadro poſitæ, ex parte qualibet tres portæ apud Ezechielem[b], & in Apocalypſi[c] beati Johannis aſſignentur: quibus aperiendis tres illæ claves beato Petro aptatæ ſint. Niſi quis compendioſius dicat, tribus illis clavibus ſignificari cælum, purgatorium, & eccleſiam militantem; aut certe tres orbis partes tunc notas (nam America tunc ignota erat) in quas S. Petri extendebatur auctoritas. Hæ conjecturæ meæ: alii forte melius divinabunt.

a Ibid. p. 87.
b Ezech 48. v. 31 & ſeq.
c Apocal. 21. v. 13.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

ANN CHR. 680.

LIBER DECIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 680. *ad annum* 689.

1. *Vvilfridi reditus in Britanniam.*

INTERVALLO illo quatuor menſium, quo Wilfridus in urbe poſt ſynodum Romanam remoratus eſt, varii epiſcoporum conventus ibidem habiti ſunt, in quibus ejus innocentia magis magiſque purgata fuit. Antequam vero illinc diſcederet, juſſu Agathonis pontificis interfuit ſynodo centum viginti-quinque epiſcoporum, (Willelmus quinquaginta ſupra centum habet) adverſus Monothelitas habitæ feria tertia paſchæ, quod feſtum hoc anno, præſentis ſæculi octogeſimo, in Martii viceſimum-quintum incidebat. Hinc reditum in patriam aggreſſus cum reliquiis ſanctorum, quas ex variis acceperat eccleſiis, per Campaniam Liguriæ & alpes inſtituit in regionem Francorum Auſtraſiorum, aditurus Dagobertum regem, a quo benigniſſime in ſuo verſus Romam itinere exceptus fuerat. Verum optimum principem & amicum interiiſſe comperit, inſidiis occiſum, & factione ducum, ac conſenſu prô nefas! quorumdam epiſcoporum, eorum haud dubie, qui Ebroini partibus favebant. Ex illorum numero forſan erat Faramundus, ipſius Ebroini poteſtate intruſus in locum Landeberti epiſcopi Trajectenſis. Is, ſeu quivis alius epiſcoporum ex illa conſpiratione, redeunti occurrit Wilfrido cum armatorum manu, eum ad Ebroini judicium pertracturus. Ecqua, inquiens ille, fiducia & temeritate per Francorum regiones iter habere audes, cum ſis morte dignus: quippe qui ab exſilio huc reduxeris, non regem, ſed tyrannum, diſſipatorem urbium, ſeniorum conſilia deſpicientem, populos opprimentem tributis inſtar Roboami filii Salomonis, & eccleſias Dei cum ſuis præſulibus contemnentem? Et ecce modo facinorum ſuorum meritas pœnas cæſus luit, ejuſque corpus luce indignum ſepulcri tenebris abditum eſt. Ad hæc Wilfridus: ſe quidem hunc virum ab exſilio domum revertentem ſecundum leges a Deo præſcriptas excepiſſe, ac ſubſidiis adjuviſſe, non in damnum ac perniciem ſuorum, ſed ut inſtaurator eſſet urbium afflictarum, conſolator civium, conſiliator ſenum, ac defenſor eccleſiarum, uti ipſe præ ſe ferebat. Quid faceret epiſcopus, ſi ſimilis ſibi occaſio ſe offerret? His dictis placatior factus epiſcopus, Wilfridum valere jubet, eique fauſta precatur. Ille vero, mari tranſmiſſo, in patriam cum ingenti ſuorum gaudio acceptus eſt.

II. *Dagoberti regis cædes.*

Non leviter hoc loco prætereunda eſt Dagoberti regis cædes, cujus mortis genus, tempus & auctores, etiamquam breviter, ex uno Eddio-Stephano diſcimus. Ejus proinde locus integer, utpote magni hanc in rem momenti, totidem verbis referendus videtur. *Pergente ſancto præſule noſtro ab apoſtolica ſede cum triumphali ju-*

Digitized by Google

ANN. CHR. 680.

dicio per Campaniam, & montana tranſſcendente, in regionem Francorum pervenit; ibique nuper amico ſuo fideli Daegberhto rege per dolum ducum, & conſenſu epiſcoporum (quod abſit) inſidioſe occiſo: ex quibus unus cum ingenti exercitu obviavit, cogitans impie in corde ſuo inſidias, niſi Deus reſtitiſſet ei, ſodales ſuos omnes ſpoliatos aut in ſervitutem redigere, aut vendere ſub corona, ſeu rebellantes occidere, atque paſtorem ſanctum noſtrum anxiatum in cuſtodia ad Efruini ducis reſervare judicium. Interrogavitque eum epiſcopus, dicens: Qua fiducia tam temerarie per Francorum regionem pergis, qui dignus es morte, quia nobis regem, ſubſidio tuo factum, exſilio emiſiſti? Diſſipator erat urbium, conſilia ſeniorum deſpiciens; populos, ut Roboam filius Salomonis, tributo humilians; eccleſias Dei cum præſulibus contemnens: quorum malorum pœnas luens occiſus, cadaver ejus humatum jacet. Sanctus vero pontifex noſter humiliter reſpondit epiſcopo: Veritatem dico in Chriſto Jeſu, & per ſanctum Petrum apoſtolum non mentior, quia talem virum exſulantem, & in peregrinatione degentem, ſecundum Dei præceptum populo Iſraëlitico, qui accola fuit in terra aliena, auxiliatus enutrivi & exaltavi in bonum, & non in malum veſtrum: ut ædificator urbium, conſolator civium, conſiliator ſenum, defenſor eccleſiarum Dei, in nomine Dei ſecundum promiſſum ejus eſſet. O rectiſſime epiſcope, quid aliud habuiſti facere, ſi exſul de genere noſtro & ſemine regio ad ſanctitatem tuam perveniret, quam quod ego in Domino feci? Reſpondit epiſcopus: Dominus cuſtodiat introitum tuum, &c. Væ mihi peccatori, da intelligentiam, quia, ſecundum Judam patriarcham, video te multo juſtiorem me eſſe. Sit Dominus vobiſcum, & ſanctus Petrus apoſtolus in auxilio veſtro. Hactenus Eddius, ex quo intelligimus, Dagobertum interiiſſe in illo temporis ſpatio, quod inter Romanam Wilfridi profectionem, quæ anno ſuperiori ſub vernum tempus accidit, ejuſque ex urbe reditum, quem hoc anno poſt paſcha contigiſſe conſtat. Deinde Dagoberti mortem Wilfrido nondum compertam, antequam in Franciam perveniret, ac proinde recentem fuiſſe: ut ſub finem anni ſuperioris, vel ſubſequentis initium accidiſſe dicenda ſit. Cauſa necis, ſive vera, ſive potius conficta, quod rex urbium diſſipator, ſubditorum oppreſſor, ſpretor eccleſiarum & ſacerdotum, & optimatum regni conſiliorum contemtor diceretur, forte quod contra conſilia epiſcoporum & procerum, qui Ebroini partibus favebant, bellum cum Theoderico rege iniiſſet, ex quo ſubſecuta eſſent urbium & eccleſiarum, ut fit, ac populorum gravamina. Auctores denique ejus cædis dicuntur duces cum conſenſu epiſcoporum. quod hoc pacto factum videtur. Mortuo Childerico rege, Ebroinus Luxovio egreſſus, ubi in monachum attonſus fuerat, majoris-domus officium apud Auſtraſios invadere conatus eſt, obſiſtente Wlfoaldo, cui Auſtraſiorum pars adhæſit, pars Ebroino. Wlfoaldus cum ſuis aſſeclis Dagobertum, opitulante Wilfrido, ex Hibernia reverſum, & Auſtriæ tranſrhenanæ forte jam imperantem, toti Auſtriæ regno præficere moliebatur. Ex adverſo Ebroinus perſonatum regem, Chlodoveum nomine, quem Chlotharii quondam regis filium fingebat, Francis omnibus imponere tentabat, ut ſub fictitio illo rege ipſe regnaret. Tum is, ut plures per fas nefaſque ſibi conciliaret, epiſcopatus perverſis hominibus tradidit, legitimis paſtoribus ejectis. Sic Trajectenſem Faramundo in locum Landeberti in exſilium pulſi; Trecenſem Waimeri Campaniæ duci, alioſque aliis dedit. Dein, cæſo Leudeſio præfecto palatii in Neuſtria, Ebroinus cum Theoderico rege in gratiam rediit, & in priſtinam dignitatem reſtitutus eſt. Ex quo accidit, ut, Ebroino apud Neuſtraſios occupato, ſummam rerum apud Auſtraſios ſibi paullatim vindicaverit Dagobertus, & de regni finibus, ut in libello de vita ſanctæ Salabergæ legitur, collatis cum Theoderico rege ſignis dimicaverit. Sed cum forte pſeudepiſcopos illos, alioſque Ebroini fautores exagitaret; hi, conjuratione in ipſum facta, necem ipſi intulerunt.

Quantum pateret tunc Dagoberti principatus, ex eodem Eddio colligimus. Quippe non modo Strateburgenſis epiſcopatus, quem Wilfrido idem obtulerat princeps, ejus imperio ſubjectus erat, ſed etiam Tullenſis, cujus loci Deodatus epiſcopus Wilfrido Romani itineris dux ac ſocius ab eodem rege datus eſt, Eidem etiam tum paruit Laudunenſis ᵃ epiſcopatus, forte etiam Remenſis: quarum urbium epiſcopi, Regulus ſeu Reolus, & Attola, Ebroïno addicti erant. Ceterum hunc Dagobertum regem Auſtraſiorum non dubitem ipſummet eſſe, qui Satanaci * humatus, cultuſque, ac pro martyre jam dudum habitus eſt de more illius ætatis, propterea quod innocens ab inimicis nefarie occiſus ſit. Et ſiquidem ejus martyrii diem x. kalendas Januarii

a *V. infra num.* 23.

* *Stenay.*

ANN. CHR. 680.

nuarii recte ſtatuit anonymus auctor, qui de Dagoberto Satanacenſi imperite ſcripſit, eum deſinente anno ejus ſæculi ſeptuageſimo-nono periiſſe dicendum eſt. Certe eumdem quoque diem aſſignat vetus kalendarium, pſalterio Emmæ Francorum reginæ, Lotharii regis uxoris, præfixum, in hæc verba: x. *kalendas Januarii ſancti Dagoberti regis & martyris.* Is apud Satanacenſes colitur IV. nonas Septembris, qui tranſlationis ejus eſt dies, quo ex proxima ſilva Waurenſi * ſeu Wabrenſi, in qua a Johanne filiolo ſuo necatus dicitur, tranſlatus fuit in eccleſiam beati Remigii, quæ olim a Gorzienſi monaſterio pendebat. Hæc obſervare viſum eſt ad illuſtrandam hujus Dagoberii memoriam, quem plerique veterum ac recentiorum cum Dagoberto ſeniore ejus avo confuderunt, nepotis donationes avo tribuentes. In multis aliis auctor anonymus, qui ſeriem epiſcoporum Tullenſium digeſſit ante annos ſexcentos, ubi de Teufrido epiſcopo agit, ipſum ait apud glorioſiſſimum regem Dagobertum, *interventu venerandæ genitricis ipſius Chimechildis reginæ*, acquiſiviſſe villam *Blandenau*, cum ſuis adjacentibus villis; & ab eodem rege obtinuiſſe fiſcum Noviante in pago Bedenſi ſuper fluviolum Vidum, cum palatio regio & eccleſiis ibidem conſtructis; fiſcum quoque Viskerium, cum regio palatio. quod auctor ille de Sigiberti regis fratre, non patre, interpretari debuerat.

* de Voivre.

III. Vvilfridus in carcerem conjectus.

Poſt varia periculorum itinerumque diſcrimina Wilfridus in patriam reverſus, Egfridum regem adit, eique apoſtolicæ ſedis ſcita, *bullis & ſigillis* obſignata, prætendit, ſimulque epiſcopis ibi tunc congregatis pontificis decreta ſignificat. His coram omnibus lectis, adeo debitam obſervantiam non detulerunt, ut contra, hæc ſcripta *pretio redemta* eſſe dicerent; regique perſuaſum, ut ſanctum antiſtitem in carcerem ad novem menſes ſub cuſtodia Oſfridi præfecti retruderet, ablato eidem *chriſmario* ſeu theca reliquiarum, quam Ermenburga regina uſurpavit. Dum in hac cuſtodia verſaretur vir ſanctus, multis promiſſis pertentatus eſt, ut apoſtolicæ pro ſe definitioni nuntium remitteret, aut certe eam extortam pretio, non legitimo impetratam judicio fateretur. Ille vero conſtanter reſpondit, malle ſe capite truncari, quam id contra veritatem confiteri. Interim ejus innocentia & ſanctitas variis miraculis in carcere probata: adeo ut Oſfridus præfectus regi ejus cuſtodiam reſignaret, aſſerens ſe malle mori, quam vexare innocentem. Hinc rex iratus, eum alteri præfecto, nomine Tidlino, cuſtodiendum, ferreiſque vinculis mancipandum tradit. Sed, vinculis divinitus reſolutis, regina ipſa a dæmone abrepta eſt, quod ſancto pontifici reliquias abſtuliſſet. qua occaſione uſa Ebbe abbatiſſa Coludenſis, Oſwini regis ſoror, Egfrido regi, cujus amita erat, perſuaſit, Wilfridum ut vexare deſineret, ſineretque liberum abire. quo facto, regina penitus convaluit; eademque poſt mariti obitum, habitu m..ato, religioſe ſcelus expiavit.

Auſtrales Saxones converſi.

Wilfridus itaque e carcere dimiſſus, ſed natali ſolo pulſus, ad auſtrales Saxones pergebat, cum Beorthwaldus præfectus, vir nobilis, filius quippe Ethelredi regis Merciorum, Wilfridi caſum miſeratus, eum, ut apud ſe hoſpitaretur, miſſis nuntiis invitavit, locumque conſtruendo monaſterio aſſignavit. Vix eo in loco cellam exſtruxerat vir Dei, cum Ethelredus rex Beorthwaldo mandavit, ut quantocius Wilfridum inde expelleret. Id factum in aſſentationem Egfridi Northumbrorum regis, cujus ſororem Oſtridam Ethelredus uxorem duxerat. Pulſus denuo Wilfridus, relictis in ea cella monachis ſuis, regem occidentalium Saxonum Centwinum adit: ſed odio reginæ, quæ Ermenburgæ ſoror erat, rurſus abſcedere coactus, nec citra vel ultra mare, ubi Egfridi poteſtas prævalebat, tuto conſiſtere valens, profugus ad auſtrales Saxones, adhuc paganos, ſe contulit, cui apud chriſtianos nullus ad latendum ſupererat locus. Auditis ejus peregrinationis cauſis, rex Ethelwachius hanc ei tutelam promittit, ut eum inimicis nec prece, nec pretio, nec etiam belli metu proderet. Nec tardus fuit in repenſando beneficio ſanctus antiſtes. nam primum regi ac reginæ chriſtianam fidem, mox provincialibus prædicavit, ac facile perſuaſit. Rex continuo baptizatus, ceteros exemplo ſuo ad idem faciendum animavit: tum villam regiam, quam familiarius incolebat, vocabulo Selæſiam, Wilfrido tradidit, quam ipſe in monaſterium convertens, futuram epiſcopatus ſedem initiavit. Erat tunc in illis locis Cedwala, factione principum Weſtſaxonum regno ejectus, quem frequenter ad ſe conſilii cauſa venientem ſanctus præſul humaniſſime reficiebat, & rebus neceſſariis inſtruebat. Is vero demum, cæſis æmulis, in proprium regnum reſtitutus, Wilfridum ad ſe accerſivit, ampliſſimis poſſeſſionibus

ANN. CHR. 680.

ditavit, cumque in omnibus regni negotiis conſiliarium adhibuit, nihil in tota provincia ſine illius aſſenſu agere ſolitus, uti Eddius tradit. Addit venerabilis [a] Beda, Vectam inſulam tum Chriſti myſteriis imbutam fuiſſe per Wilfridum, cui Cedwala, *nondum regeneratus*, ejus inſulæ quartam partem pollicitus fuerat. Cedwalæ in regnum reſtitutionem anno ejus ſæculi octogeſimo-ſecundo accidiſſe chronologia Saxonica docet.

a *Beda lib.* 4. *c.* 16.

IV. Johannis abbatis Romani obitus.

Habita eſt biennio ante ſynodus Hætfeldenſis juſſu Theodori archiepiſcopi Cantuarienſis, prout Agatho papa ei mandaverat, ut fides catholica contra graſſantem in orientis partibus Monothelitarum hæreſim aſſereretur. Interfuit huic ſynodo Johannes archicantor eccleſiæ ſancti Petri & abbas Romani ad ſanctum Martinum monaſterii: qui expleto legationis ſuæ munere, Romam reverſurus cum exemplo prædictæ ſynodi, quod pontifici offerendum a Theodoro acceperat, oceano tranſmiſſo, morbo in Gallia interceptus, defunctuſque eſt. Corpus ejus ab amicis propter amorem ſancti Martini, cujus monaſterio præfuerat, Turonos delatum, atque in baſilica ſancti Martini honorifice ſepultum fuit, ubi in acceſſu in Britanniam cum Biſcopo exceptus fuerat, *rogatuſque* [b] *multum a fratribus*, ut Romam revertens, eodem diverteret. Ejus obitus contigit ſub finem ejus anni, quem præ manibus habemus.

b *id. ibid. c.* 18.

V. Balthildis item reginæ Francorum.

Sub idem tempus Balthildis, ex regina Francorum monacha cœnobii Calenſis, quod ipſa condiderat, dira iliorum paſſione in mortem urgeri cœpit. In his doloribus magis in cæleſti Medico, quam in terrenis medicis ſpem ſalutis reponens, Deo gratias agere pro ſua caſtigatione, & ſororibus formam pietatis ac patientiæ exhibere non ceſſabat. Identidem etiam cum Bertilana ſeu Bertila matre monaſterii colloquebatur, monebatque, ut regem ac reginam, immo & proceres eulogiis ſeu munuſculis pro more proſequeretur, ut eorum benevolentiam cum bona monaſterii fama retineret. Ex quo intelligitur, jam tum in more fuiſſe, quod principatu Ludovici auguſti ſtatutum fuit, ut quædam monaſteria regi annua dona perſolverent. In primis vero piiſſima regina curam egenorum & hoſpitum abbatiſſæ commendavit, quam *eum ſummo ſtudio pro miſericordia & dilectione* ipſis impendi præcepit. Sed & abbatiſſa ipſa viciſſim morienti ſalutaria conſilia dabat, quæ illa pie ac ſtrenue exſequebatur. Imminente hora mortis, ſcalam in cælos erectam ad altare beatæ Mariæ conſpexit, ſimulque adſtantes angelos, qui ſe ad conſcendendam ſcalam invitabant. quod matri monaſterii, ceteriſque ſororibus, quæ illic tunc præſentes non erant, ſileri juſſit, ne ſui diſceſſu nimium contriſtarentur, eas interim conſolans, quaſi ab infirmitate ſua tantiſper convaleſceret. Ubi exitum ſuum adeſſe ſenſit, præſentibus interdixit, ne id aliis ſororibus ſignificarent, aut domnæ abbatiſſæ, quæ & ipſa periclitabatur ex morbo præ triſtitia contracto. Erat reginæ ſanctæ infantula quædam ſeptennis, Radegundis nomine, e ſacro fonte ab ipſa ſuſcepta, quam ſecum in cælum venire præcepit. Et hæc quidem repente e corpore excedens, Balthildem ad tumulum præceſſit. Tunc regina ſancta ſigno crucis ſe munivit, erectiſque in cælum manibus, vinculis carnis ſoluta cælum ſubiit, obviam procedente cum angelis amico ſuo quondam fideliſſimo Geneſio Lugdunenſi epiſcopo, qui paullo ante deceſſerat. Ipſa obitus hora divinus ſplendor in cubiculo morientis coruſcaſſe traditur, præſentibus ſacerdotibus ſolis, qui beatiſſimam ejus animam Domino commendaverant. Sepulta eſt cum ſummo honore & multa reverentia in baſilica ſanctæ Crucis, in cujus crypta ſubterranea hodie quoque lapideus ejus loculus viſitur. Bertilana ejus morte cum ceteris ſororibus ſupra modum conſternata, & pro ſtudio pietatis de ipſius æterna ſalute ſollicita, curavit, ut per complures eccleſias ſancti ſacerdotes ejus memoriam *in ſacris oblationibus* facerent, quod multis in locis diu frequentatum eſt. Ad ejus tumulum multæ virtutes atque infirmorum ſanationes patratæ: in quibus Leudegangus epiſcopus, amicus & familiaris ejus monaſterii, ex partibus Provinciæ iſtuc acceſſit cum puero energumeno, qui ad ſacri tumuli contactum repente ſanatus eſt. Balthildis obitus contigit III. kalendas Februarii, male apud Adonem ſeptimo, & apud Wandelbertum ſexto eaſdem kalendas. Tertium enim ſignat non modo ſincerus Uſuardus, ſed etiam vitæ ſanctæ Balthildis ſcriptor, non quidem prior, qui diem non expreſſit, ſed poſterior, apud quem Balthildis, *ut vera monacha, ſub integra religione* beatam vitam feliciter conſummaſſe, atque *tertio kalendas Februarias* terrena deſeruiſſe perhibetur.

ANN. CHR. 680.

Ipſo die in Calenſi monaſterio hactenus ejus memoria ſollemniter recolitur, itidemque in Corbeienſi, quod eamdem fundatricem agnoſcit, ac merito veneratur.

Ejus vitam ſcriptores duo antiquiſſimi litteris mandarunt: unus æqualis, Theoderico ejus filio, & Theodefredo abbate primo Corbeienſi, tunc epiſcopo, ſuperſtitibus: alter ſubæqualis, quippe qui ait, Balthildem ſuis temporibus effloruiſſe, & ſe quædam mirabilia ab ea geſta noviſſe ac vidiſſe. Poſterior iſte auctor id operis aggreſſus eſt *præſule Remigio*, idque ipſe atteſtatur in ſecundo prologo, qui in codice Corbeienſi legitur. quod vix de alio, quam de Remigio archipræſule Rotomagenſi, Pippini regis fratre, interpretari licet. In fine libelli Balthildem jure comparat cum pientiſſimis Francorum reginis Chrothilde, Ultrogotha & Radegunde, huic in primis conferendam, quod exemplo ejus ex captiva, immo ex ancilla regina, ex regina monacha facta ſit, & in monaſterio a ſe condito ſancte vitam exegerit, abbatiſſæ, quam ipſa conſtituerat, obſequentiſſima. In veteri codice ſacramentorum Calæ aſſervato habetur miſſa non ſolum pro ſancta Balthilde, ſed etiam pro ſancta Radegunde ſeptenni illa puella, quæ Balthildem in cælos præceſſit, ut in appendice videre licet.

VI. Hildæ item abbatiſſæ.

Ad hunc annum venerabilis Beda [a] revocat obitum ſanctæ Hildæ abbatiſſæ in majori Britannia Streaneshalenſis, quæ olim in Calenſi monaſterio religioſam vitam ducere ſummopere optaverat. Cum multis annis monaſterio ſuo præfuiſſet, diuturno febrium languore per annos ſex continuos vexata, Deo inceſſanter gratias agebat; nec commiſſum ſibi gregem publice ac privatim erudire ceſſabat, omnes monens, ut ſalutem corporis in Dei cultum impenderent, & in morbis rebuſque adverſis Deo ſemper gratias referrent. Septimo infirmitatis ſuæ anno, converſo ad interiora dolore, ad extrema redacta eſt; & ſub galli-cantum, *percepto viatico ſacræ communionis*, cum ancillas Dei, quæ in eo monaſterio erant, ad ſervandam ſecum invicem, immo cum omnibus pacem adhortata eſſet, inter verba orationis animam exhalavit. Ejus obitum ſtatim cognovit piiſſima quædam ſanctimonialis monaſterii longius poſiti, quod tredecim fere millibus paſſuum inde diſtabat, vocabulo Haconos, eodem anno ab ipſa Hilda exſtructum. Hegu quippe (id ſanctimoniali nomen erat) cum in dormitorio ſororum ſomnum caperet, campanæ ſonitum ſubito audivit, qualem pulſare ſolebant, cum ad orationes excitarentur vel convocarentur, aut cum quis eorum e corpore migraſſet. Mox apertis oculis, fuſa deſuper luce, vidit ſanctæ Hildæ animam in cælum ab angelis ferri. Tum e ſomno excita, currens ad virginem, quæ tunc abbatiſſæ vice monaſterio præerat, nomine Frigitham, cum multis lacrymis communem omnium matrem a ſæculo migraſſe nuntiavit. quod ſequenti die fratres, qui ex Streaneshalenſi monaſterio ad id ſignificandum advenere, verum eſſe confirmarunt. Idem etiam revelatum eſt cuidam ſorori Streaneshalenſi, quæ *in extremis monaſterii locis* ſeorſim poſita erat, ubi recens venientes ad converſionem feminæ ſolebant probari, donec regulariter inſtitutæ in ſocietatem congregationis admitterentur.

[a] Beda lib. 4. c. 23.

VII. Cædmonis etiam poëtæ.

Erat in eo [b] monaſterio frater quidam, Cædmon nomine, peculiari gratia inſignis, qui, cum poëticen numquam didiciſſet, carmina religioni ac pietati apta ex tempore anglica lingua pangebat, ac perite canebat, nihil umquam frivoli aut profani componere ſolitus, ſed ea tantum, quæ ad religionem pertinebant. Hanc gratiam cum in illo probaſſet Hilda abbatiſſa, ex famulitio eductum in monaſterio fratrum numero conſociavit, eumque ſacræ hiſtoriæ ſeriem edoceri juſſit. Is vero erat Cædmonis in regularibus diſciplinis fervor, ut adverſus negligentes maximo zelo inflammaretur. Idem morti proximus miniſtrum ſuum rogavit, ut ſibi locum quieſcendi præpararet in proxima caſa, *in quam infirmiores, & qui prope morituri videbantur, induci ſolebant*. Eo inductus, adſtantes interrogavit, an *euchariſtiam intus haberent*, eamque ſibi afferri petiit. *qua in manum accepta*, ab eis rurſus quæſivit, an placidam erga ſe mentem haberent, nihilque rancoris aut rixæ ſecum haberent. Reſpondentibus cunctis, ſibi cum illo nihil omnino querelarum aut diſcordiæ intercedere; is viciſſim pacatiſſimo cum illis animo ſe eſſe affirmavit; moxque cæleſti ſe viatico ad vitæ alterius ingreſſum munivit. Tum interrogavit, quam prope eſſet hora, qua fratres ad canendas Domino nocturnas laudes excitandi eſſent. Audito non longe abeſſe, jam enim *mediæ noctis tempus tranſcurſum erat*: Bene, inquit, ergo exſpectemus horam illam. Dein muniens ſe ſigno crucis, ſpiritu ſuo in manus Dei

[b] idem ibid. c. 24.

ANN CHR. 680.

commendato, caput in cervical reclinavit; ac tantiſper obdormiſcens, placidiſſima morte, ceu ſomno, vitam finivit. Ex hoc loco intelligimus, in domo infirmorum peculiarem caſam ſeu cellulam fuiſſe, in quam moribundi inſerrentur. an autem eo tempore Anglicani monachi in cinerem depoſiti vitam finirent, quod ſæculis poſterioribus uſu venit, non prodit Beda: qui tamen ipſe in oratorium delatus, ſubſtrato cilicio animam exhalavit. Idem in Gallia uſu jam tum receptum fuiſſe exempla [a] docent.

a *V. infra n.* 8.

VIII. Beda in monaſterium admiſſus.

Hic idem annus Bedæ acceſſu in monaſterium inſignis eſt. Annorum quippe undeſexaginta erat, cum hiſtoriam ſuam abſolvit. Eam autem abſolvit anno ſeptingenteſimo triceſimo-primo. Natus proinde anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, uno anno ante jacta fundamenta monaſterii Wiremuthenſis, ubi a Benedicto abbate admiſſus eſt, priuſquam Girwenſe ædificatum eſſet. Attamen poëta [b] illius temporis canit, eum ſeptennem in Girwenſe monaſterium ſubiiſſe, ibique totum libris ac ſacris ſtudiis adhæſiſſe:.

b *Acta S. Benedicti to. 4. p. 162.*

Qui mox a puero libris intentus adhæſit,
Et toto ſtudiis ſervivit pectore ſacris:
Utpote ſeptennem quem fecit cura parentum
Arta monaſterii Girvvenſis clauſtra ſubire.

Sed parum intereſt, Wiremuthæ, an Girwi primum acceptus fuerit: cum una utriuſque loci congregatio eſſet, & de uno in alium locum facilis migratio propter viciniam. Audiendus Beda ipſe de ſeipſo. *Natus*, ait [c] ille, *in territorio monaſterii beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, quod eſt in Vvirimuda & in Girvum, cum eſſem annorum ſeptem, cura propinquorum datus ſum educandus reverendiſſimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido; cunctumque ex eo tempus vitæ in ejuſdem monaſterii habitatione peragens, omnem meditandis ſcripturis operam dedi, atque inter obſervantias diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui.* Summa ergo hæc vitæ ipſius fuit, meditatio ac ſtudium ſcripturarum, obſervantiæ regulares, ſtatæ divinorum officiorum horæ: ad hæc diſcere, docere, ſcribere. Idem ipſe [d] teſtatur, Trumberhtum monachum, Ceaddæ Liccidfeldenſis epiſcopi diſcipulum, unum fuiſſe ex his, qui ſe in ſcripturis erudierant. Hunc alium eſſe puto a Trumberhto, qui epiſcopus Haguſtaldenſis [e] a Theodoro archiepiſcopo Cantuarienſi ordinatus eſt poſt annos tres abſceſſionis Wilfridi, id eſt hoc anno, aut inſequenti. quo tempore Beda ſeptennis diſcendis ſcripturis necdum habilis & idoneus erat. Audiendus iterum prædictus poëta de eodem venerabili Beda.

c *Beda in epitome.*

d *id. lib. 4. c. 3.*

e *ibid. c. 12.*

Ergo monaſterio Bedan nutritus in illo,
Ornavit teneros praeclaris moribus annos.
Diſcere nempe ſagax juvenis, ſeu ſcribere ſemper
Fervidus inſtabat, non ſegni mente laborans.
Et ſic proficiens eſt factus rite magiſter.

Bedæ alii duo.

Alter fuit Beda *major* ſeu ſenior, Lindiſfarnenſis monachus ac diſcipulus ſancti Cuthberti, cui morienti adfuit, teſte venerabili Beda, ſuperſtes proinde ad annum DC LXXXVII. qui Cuthberti ſupremus fuit. Alius proinde fuerit Beda ille *electus doctor, dignuſque ſacerdos*, cujus obitum anno DC LXXXI. conſignat Lutinus ejus diſcipulus in rudi ejus epitaphio [f] his verſibus.

f *Analect. to. 4. p. 521.*

Sexagies-decimus jam tunc & novies nonus
Annus ab adventu Chriſti de Virgine nati
Fluxerat, & trina triplex indictio vivit,
Nonaque Febrarii ter triplicaveras horas,
Cum gaudens anima ad Chriſti perducitur aulam.

qui omnes characteres prædicto anno DC LXXXI. manifeſte conveniunt. Hujus epitaphii auctor nomen ſuum ſic prodit in ultimo diſticho.

Diſcipulus cecinit cujus hos Lutinus amoris
Verſus ; & miſerum me ſancte tuere magiſter.

In codice mſ. ſubjicitur eidem epitaphio hymnus de eodem Beda, & in fine hæc verba : VI. *idus Maii*, *natalis ſancti Bedæ presbyteri*. an dies ejus nativitatis, an tranſlationis ? nam Beda ille nona Februarii obiiſſe dicitur in epitaphio.

IX. Leſtingaeu monaſterium.

Trumberhtus a Ceadda inſtitutus fuerat in monaſterio Leſtingaeu, quod Ceddus, Ceaddæ germanus frater, exſtruxerat in ducatus Eboracenſis parte boreali. Ceddus ex monaſterii ſui regimine eductus eſt ab Oſwio Weſtſaxonum rege, miſſuſque ad Sigebertum regem orientalium Saxonum, multos ex eis ad fidem Chriſti convertit, ob id factus eorum epiſcopus. Eo his officiis occupato, monaſterium rexit Cymbil, ejus itidem frater ; & poſt eum Ceadda Trumberhti inſtitutor. Porro Ceadda diſcipulus erat Aidani epiſcopi ex-monacho Scotti, iiſdemque actibus ac moribus ſuos [a] inſtituit auditores. Conſecratus juſſu Oſwii regis antiſtes ab epiſcopis Scottis anno ejus ſæculi ſexageſimo-quarto, eccleſiaſticæ doctrinæ & pietatis ſtudio, humilitati, continentiæ ac lectioni totum ſe dedit, necnon evangelicæ prædicationi per opida, rura, caſas, vicos & caſtella, quæ non equitando, ſed apoſtolorum more pedibus incedendo peragrabat. Ejus ordinatione [b] catholico ritu conſummata, Theodorus eum Merciorum ac Lindisfarorum populis epiſcopum præfecit, eidemque præcepit, ut deinceps, in longis maxime itineribus, equo veheretur. Sedem epiſcopalem habuit Liccidfeldæ, ſed non procul ab ea eccleſia domunculam ſibi fecit, in qua ſecretius cum ſeptem vel octo fratribus, quoties a labore & miniſterio verbi vacaret, orationi ac lectioni operam dare ſolebat. Ad hæc monaſterium exſtruxerat in loco, qui dicebatur Adbearve, id eſt ad-nemus, cui exſtruendo rex Wlferius terram quinquaginta familiarum ei conceſſerat.

Ceadda ex abbate epiſcopus.

a *Beda lib.* 3. *c.* 28.

b *Id lib.* 4. *c.* 1. & 2.

Ovvinus monachus.

Forte aliquando in illo ſeceſſu degebat cum uno ſocio Owino, magni meriti monacho, qui quondam Ethildritæ reginæ primus miniſtrorum & princeps domus ejus fuerat. Is ad converſionem tanto animi fervore acceſſit, ut, relictis omnibus quæ habebat, ſimplici ac vulgari indutus habitu, ſecurim & aſciam in manu ferens, venerit ad monaſterium Leſtingaeu, cui tum abbas Ceadda præerat, hoc habitu ſignificans, ſe non ad otium, ut quidam, ſed ad laborem in monaſterium venire. Et ipſe quidem quo minus meditationi ſcripturarum ſufficiebat, eo amplius operi manuum ſtudium impendebat. Ergo, ut dicere cœperam, cum ille ſolus cum epiſcopo in domuncula illa reſidens, foris laboraret ; audivit repente ſuaviſſimam cantantium atque lætantium vocem cælitus in terras demiſſam verſus oratorium, in quo Ceadda orationi vacabat. quo indicio hic obitum ſuum imminere intellexit, mandavitque fratribus, in eccleſiam cathedralem digreſſis, ut quantocius exitum ſuum Domino commendarent, interdicens Owino, ne ſe vivente audita vulgaret. Mox languore correptus, ſeptimo, ut ei promiſſum fuerat, die, *poſtquam obitum ſuum dominici corporis & ſanguinis perceptione* muniviſſet, ad cæleſtes ſedes migravit VI. nonas Martii ; vir divinorum judiciorum timore ita plenus, ut ad quamlibet ventorum tempeſtatem continuo Dei miſericordiam pro genere humano imploraret, in faciem procidens, ſi violentior ingrueret, aut ad eccleſiam confugiens. Cauſam ſciſcitantibus reſpondebat, Dei nutu ideo hæc procurari, ut mortalium animi ad futuri judicii memoriam revocentur, ſuperbia diſſipetur, & audacia. Ejus animam in cælos ſubeuntem cuidam viſam fuiſſe ſanctus Egbertus retulit viro ſanctiſſimo & continentiſſimo Higbaldo abbati in provincia Lindiſſi, qui ad ſe gratia viſitationis e Britannia acceſſerat. In locum Ceaddæ Theodorus ordinavit Winfridum, virum bonum & modeſtum, qui de clero ejus erat, & diaconatus officio ſub eo diu functus fuerat.

X. Glocestrenſis monaſterii origo.

Antequam e Britannia diſcedamus, juvat agere de primordiis cœnobii Glocestrenſis, quod in provincia Merciorum hoc anno in honorem ſancti Petri condere cœpit Oſricus, tunc ſubregulus Wicciorum, & poſt Kenredum rex Northumbrorum, qui ibidem poſt mortem ſepeliri voluit. Hoc monaſterium, in urbe Glocestria ſitum, haud procul a Malmeſburienſi, primitus virginum fuit, cui Oſricus ſororem ſuam Kineburgam præfecit, a Boſello Wigornienſi primo epiſcopo conſecratam, quæ monaſterium illud annis ferme triginta rexiſſe traditur. Multa eidem cœnobio largitus eſt Ethelredus rex Merciorum, cujus anno quinto illud condi cœpit ; multa item Adeldredus ſubregulus Wicciorum. Kineburgæ anno ſeptingenteſimo decimo ſuc-

ANN CHR. 680.

ceſſit cognata ejus Edburga regina, uxor Wlferi regis Merciorum, quæ poſt mortem viri ſui, relicto ſæculo, in Gloceſtrenſe monaſterium ſeceſſerat, cui præfuit annos viginti-quinque. Hanc excepit Eva, aliis Gaffe abbatiſſa, ex regina & uxore Wiferi filii Pendæ regis Merciorum, locumque pie ac ſollicite rexit per annos triginta-tres, multis bonis eidem cœnobio acquiſitis, quæ in ſynodis confirmari curavit. Obiit anno ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo: poſt cujus deceſſum ceſſarunt abbatiſſæ & regimen in ipſo monaſterio regulare, ſanctimonialibus ob internecina bella hac illac diſſipatis, uſque ad tempus Wolſtani epiſcopi Wigornienſis, qui monaſterium illud pro monachis inſtauravit ſæculo undecimo procedente. Hæc ex monaſterii ejus monumentis in Monaſtico [a] Anglicano vulgatis. Paullo aliter de illius origine ſcribit Willelmus monachus Malmeſburienſis, nempe in urbe Gloceſtria, tempore Elfredi regis, filiam ejus Elfledam cum conjuge ſuo Ethelredo, tunc Merciorum comite, poſtea rege, monaſterium ædificaſſe nulla parſimonia ſumtuum, nulla inopia victualium; illucque ex Bardeneïo reliquias ſancti Oſwaldi regis tranſtuliſſe. Verum, monaſterio Danorum tempore deſtructo, aliud eodem in loco inſtauratum fuiſſe ab Alredo archiepiſcopo Eboracenſi, a Serlone abbate poſtmodum valde auctum & amplificatum.

[a] *Monaſt. Anglic to. 1. p. 108. & ſeqq.*

XI. S. Rodingi abbatis obitus.

In Gallia ſub idem tempus mortalem vitam immortali commutavit ſanctus Rodingus abbas Bellilocenſis in pago Argoënnenſi. Paullo ante obitum, extrema appetente ſenecta, cum ſibi quiddam perfectionis ex regiminis ſollicitudine & tractatione negotiorum temporalium ſubtrahi ac deeſſe animadverteret; compoſitis monaſterii rebus, ſucceſſorem cum fratrum conſenſu inſtituit Stephanum monachum ceteris religioſiorem, & cum unico ſocio receſſit in ſecretiorem locum inter opaca ſilvarum, dimidio tantum milliario a monaſterio diſſitum: ubi ab hominum remotus conſortio, divinæ contemplationi ſedulo vacabat, diebus dominicis ad monaſterium redire ſolitus, miſſarum ſollemnia celebraturus, & ſpiritalibus colloquiis refecturus fratres, quos idemtidem ad nocturnas vigilias reviſebat. Graviſſima tandem febre vexatus, Stephanum abbatem monet, ut fratres exitum ſuum commendarent. Tum ſuper humum, cilicio tantum ſubſtrato, jacens, lugentes fratres conſolari cœpit, docens mortem iſtam non timendam, ſed magis appetendam, per quam fit tranſitus de morte ad vitam. Rogantibus diſcipulis, ut ſe ad monaſterium deferri ſineret, non acquievit. Sub extrema, viaticum petiit: ſicque dominici corporis & ſanguinis communione refectus, fixis in terram genibus, manibuſque ad cælum extenſis, cum eccleſiæ preces pro moribundis inchoaſſet, fratribus cum gemitu proſequentibus, corporis vinculis ſolutus eſt xv. kalendas Octobris. Corpus ad monaſterium delatum, & ante aram ſancti Johannis Evangeliſtæ, ut ipſe vivens mandaverat, cum debita veneratione conditum eſt. Dado Virdunenſis epiſcopus ineunte ſæculo decimo [a] conſtituit, ut ſingulis annis trium monaſteriorum ſacræ reliquiæ ſimul in quemdam medium deferrentur locum: nempe ex urbe Virduno ſanctus Vitonus & ſanctus Agericus; ſanctus vero Baldericus ex monaſterio Montis-falconis, & ſanctus Rodingus de Vaſlovio ſeu Bello-loco. quod argumento eſt, ſancti Rodingi cultum ante id tempus in eccleſia receptum fuiſſe. Richardus ſancti Vitoni abbas undecimo ſæculo ſcripſit libellum de illius vita, cujus inſcriptio in Virdunenſi codice is eſt, *Vita ſanctiſſimi ac beatiſſimi Chraudingi epiſcopi & abbatis*, tametſi nulla in hoc libello mentio eſt de epiſcopali ejus dignitate.

[a] *Frodoard. lib. 4. c. 41.*

XII. Vvamba ex rege monachus.

Res memorabilis hoc anno accidit in Hiſpania, ſcilicet Wambæ regis exauctoratio ob ſuſceptum in extremis pænitentiæ habitum. Quo ritu id fieret, ſuperius obſervavimus ex Toletanis conciliis tertio & quarto, ex quibus diſcimus, eos, qui peculiari pietatis inſtinctu pænitentiam in morbis profitebantur, tonſura & veſte in hanc rem inſigni accepta, perpetuæ & irrevocabili pænitentiæ addictos fuiſſe. Is habitus, ſi non ab ipſa ritus origine, ſaltem proceſſu temporis, non alius fuit quam monaſticus: quo ſemel ſuſcepto, in ſæculum reverti olim fas non erat. atque adeo pænitentes illi in monaſteria, ſiquidem convaluiſſent, ſe ſe recipiebant, reliquum vitæ ibidem exacturi. Id a Wamba rege factum memorant ſcriptores Hiſpanici, tametſi rem non uno modo explicant. Wambæ æmulus erat Ervigius, Receſuinthi quondam regis propinquus, magna inter proceres auctoritate, ſed majori præditus cupiditate regnandi: qui nullam ſibi regni ſpem niſi in ſcelere ratus, primum Sarracenorum claſſem in Hiſpaniam induxiſſe creditur: deinde, ubi fraus non proceſſit,

ANN. CHR. 680.

Wambæ potionem, toxico infectam, propinandam curavit. Ea venis concepta, cum Quiricus Toletanus epiſcopus & optimates regem *abſque memoria jacentem*, ſeu vix mentis compotem, *vidiſſent, ſtatim ei confeſſionis & pænitentiæ remedium contulerunt*, ut ſcribit Alfonſus epiſcopus Salmanticenſis, id eſt, eum ordini confeſſorum & pænitentium adſcripſerunt. unde pænitentes illi *confeſſores* appellabantur apud Hiſpanos. Male ergo Lucas Tudenſis id explicat de unctione ſacri olei & communione Chriſti corporis; nec melius Rudericus Toletanus antiſtes, cum ait, Quiricum epiſcopum & optimates, cum viderent regem memoria deſtitutum, ſtatim ei confeſſionis & pænitentiæ antidotum obtuliſſe; regem vero devote ſuſcepiſſe, & religionis habitum poſtulaſſe, & ad monaſterium convolaſſe in villa, quæ Panniſplica dicebatur. Regi enim neſcienti pænitentiæ ordinem impoſitum fuiſſe manifeſte probant ſequentia Alfonſi verba: *Cumque rex a potione convaluiſſet, intelligens ordinem ſibi impoſitum, monaſterium petiit, ibique, quam diu vixit, in religione permanſit.* Monaſterium ſancti Vincentii de Pampliega vulgo appellatur, modo ignotum, quod nonnulli, teſte Mariana, in Mognonii valle ſitum fuiſſe ſuſpicantur. Ex eo monaſterio Alfonſi regis juſſu, cui cognomentum Sapienti fuit, defuncti regis corpus Toletum in ſanctæ Leocadiæ baſilicam delatum eſt. Sic Ervigius, amoto Wamba, Hiſpaniæ thronum inſedit, inauguratus a Juliano Quirici ſucceſſore. Deceſſit Wamba ante Toletanum concilium tertium-decimum, tertio abhinc anno habitum, in cujus præfatione, quæ Ervigii eſt, Wamba *divæ memoriæ* appellatur.

ANN. CHR. 681.

XIII. Claudius ex-epiſcopo monachus & abbas Condateſcenſis.

AFfine eſt huic exemplum Claudii epiſcopi, qui, relicta dignitate ſedis Veſontionenſis, ſeceſſit in monaſterium Condateſcenſe, ibique, depoſitis epiſcopalibus infulis, monachum induit ſub Injurioſo abbate. quod anno ſequenti accidiſſe Cointius exiſtimat, ſed mera conjectura. Res ab eo geſtas nullus veterum memoriæ prodidit. nam quem habemus de ejus vita libellum, a Petro Equilino totidem verbis relatum, recentioris eſt auctoris, ex quo vix quidquam certi licet exprimere. Ex monacho abbas factus, videns ex imminutione rei familiaris priſcum monachorum numerum valde imminutum, ad recuperandas amiſſas facultates animum adjecit, ejuſque rei cauſa Chlodoveum regem, Theoderici filium, Pariſios adiiſſe dicitur, recuperaturus poſſeſſiones, quas olim Burgundionum & Francorum reges* Condateſcenſibus contulerant: & Chlodoveum quidem ejus petitioni benigne annuiſſe, ac monaſterio reſtituiſſe ſummam quinquaginta modiorum tritici, totidemque hordei, cum ſumma quinquaginta librarum denariorum argenti: quæ omnia prædicto monaſterio a ſe deberi confeſſus ſit. Hujus rei diploma Chlodovei propriis oculis in archivis dicti monaſterii ſe vidiſſe auctor ille affirmat, additque Claudium perveniſſe ad annum Childeberti regis quartum, quo tempore de ejus obitu agemus. In vulgato indice abbatum ejus monaſterii Claudius bis monachum ibidem induiſſe dicitur, primo quidem ante, deinde poſt adeptam epiſcopalem dignitatem: ſed nullo, ut mihi videtur, fundamento. Nihil quippe ejuſmodi legitur ſive in qualicumque illo libello de ejus vita, ſive in rythmo veteri de abbatibus Condateſcenſibus ſeu Jurenſibus ſancti Augendi, quem vulgo Eugendum vocant. Hanc tamen ſententiam probat Petrus Franciſcus Chiffletius in illuſtrationibus Claudianis, quas editas habes in Junio Bollandiano, ubi multa de ſancto Claudio afferuntur, ſed non admodum explorata.

* *v. lib. 2. n. 57. & Greg. Tur. de vita Patr. c. 1. n. 3.*

XIV. Aigliberti epiſcopi benefacta in noſtros.

Cenomannenſem eccleſiam tunc temporis regebat Aiglibertus epiſcopus, in ordinem ſancti Benedicti non parum munificus, quem ab anno ſaltem Childerici regis undecimo ſucceſſiſſe Berario conſtat ex regiis litteris [a] emunitatis de Arduno. Theoderici regis annum tertium [b] aſſignat ejus diploma, Cenomannenſi eccleſiæ eo anno ad preces Aigliberti aſſerentis Tuſſiacum monaſterium, cui tunc Aidila abbatiſſa præerat, nimirum ante Adibelganem, ipſius Aigliberti [c] ſororem, quam ille ibidem abbatiſſam inſtituit. Idem præſul *archicapellanus* [d] (quæ dignitas nondum forte inſtituta erat, Caroli Magni principatu illuſtris) *& princeps epiſcoporum regni* fuiſſe dicitur, ob idque pallium a Romano pontifice impetraſſe, & chorepiſcopum habuiſſe, nomine Petrum, quo adjutore uteretur, *quando ipſe praoccupatus in regali ſervitio erat.* Quin etiam *archiepiſcopus* [e] appellatur, nempe ob acceptum pallium: quam ob cauſam quidam etiam Meitenſes epiſcopi hoc titulo inſigniti fuere. Idem monetæ [f] cudendæ facultatem eccleſiæ ſuæ a Theoderico rege obtinuiſſe fertur, primus certe, ſi id verum eſt, aut inter primos.

a *Analect. to. 3. p. 210.*
b *Ib. p. 197.*
c *Ib. p. 189.*
d *Ib. p. 193.*
e *Ib. 194.*
f *Ibid. p. 200.*

ANN. CHR. 681.

Ad res noſtras quod attinet, ſancti Georgii monaſterium, quod *in condita* ſeu territorio Labrincenſi Ultrogotha [a] quondam regina, favente Childeberto rege, exſtrui curaverat, ſedi ſuæ vindicavit, illudque reſtruxit, ac mirifice decoravit, ſexaginta monachis ibidem inſtitutis ſub regula S. Benedicti. Ad hæc in ipſa urbe Cenomannica aliud monaſteriolum in honorem ſancti Albini & ſanctæ Mariæ a fundamentis ædificavit, ibique *ſanctimoniales monachas* ſub regula victuras collocavit. qua de re poſtea fuſius agemus. Eodem etiam adjuvante Siviardus abbas Aninſulenſis in monaſterio ſancti Carileſi exſtruxit, ornavitque eccleſiam S. Petri, cui *villulas duas* Petrus chorepiſcopus Aigliberti nomine tradidiſſe perhibetur. Exſtat [b] ipſius Aigliberti privilegium, propinquæ ſuæ Adrehildæ ſeu Adrechildæ (ſic enim pronuntiabant) conceſſum de monaſteriolo ſanctæ Mariæ, a parentibus ſanctæ Teneſtinæ conſtructo inter fluvium Sartæ & muros civitatis: quo privilegio ſanctimoniales illas, *ſi humiles ac devotæ ibi conſiſtant*, a cenſibus oneroſis eximit, quos deceſſores ipſius in ſignum ſubjectionis illi monaſterio impoſuerant; eiſque facultatem tribuit eligendi ex ſe ipſis abbatiſſam, quando monaſterium rectrice orbatum fuerit. quæ quidem ea conditione indulget, ut ipſæ ſanctimoniales ſub poteſtate Cenomannenſis epiſcopi perſiſtant, veſtimenta eccleſiaſtica faciant, reficiantque, & lintea ſacra lavent. Subſcribunt huic privilegio plurimi epiſcopi, plerique ignoti; omnes abſque deſignatione ſedis; in his Theodefredus, idem fortaſſe, qui primus abbas Corbeienſis fuerat. Datum eſt Cenomannis civitate, anno undecimo Theoderici regis. Eidem monaſterio decimæ quarumdam [c] villarum ab eodem conceſſæ anno ſecundo Chlodovei regis.

a ibid. p. 190. & ſeqq.

b ibid. p. 201. & ſeqq.

c ibid. p. 200

XV. Adrechildis abbatiſſa.

Inſcriptum eſt, ut mox dicebam, hoc privilegium *Dilectiſſimæ propinquæ* ſuæ Adrehildæ, quam in illo monaſterio abbatiſſam conſtituit. Dubitare licet, an eadem ſit domna Ada ſeu Adrechildis, propinqua itidem Berarii, quam is primam ejuſdem loci abbatiſſam inſtituit. Ego vero eamdem eſſe puto, nec proinde primum ab Aigliberto inſtitutam, ſed tantum confirmatam abbatiſſam, quæ utriuſque epiſcopi propinqua fuerit, Berarii ſcilicet, ejuſque ſucceſſoris Aigliberti. Sane ambo partim Aquitanici genere dicuntur, & nobilibus parentibus exorti. Ceterum Ada ſeu Adrechildis ex Sueſſionenſi monaſterio ſanctæ Mariæ educta traditur ad regendum Cenomannenſe monaſterium ſanctæ Mariæ, quæ modo parœcialis eccleſia eſt; dein ad cœnobium ſancti Juliani de Prato, quæ inſignis eſt ſanctimonialium Benedictinarum abbatia, ubi ſancta Adrechildis, vulgo Adneta, colitur. Verum ſi hæc abbatia tum exſtabat, potius virorum fuiſſe videtur, quam puellarum, ea ſcilicet ſanctorum apoſtolorum eccleſia, in qua ſanctus Innocens [d] monachos inſtituit, ubi & ſepulturam cum ſuis deceſſoribus, Victuro & Victurio, elegit. *Monaſteriolum ſancti Juliani* appellatur in quodam diplomate [e] Caroli Magni, ubi monaſteria Cenomannicæ ſubjecta eccleſiæ recenſentur. Ceterum prædicto monaſterio beatæ Mariæ Arvina abbatiſſa præerat anno decimo Caroli Magni, quo anno Merolus Cenomannorum antiſtes, præcipiente Carolo rege, eidem Arvinæ de hoc monaſterio precariam [f] fecit.

d ibid. p. 76.

e ibid. p. 264.

f ibid. p. 107.

XVI. Monaſterium S. Theotfredi.

Monaſterium-ſancti-Theotfredi *, ita dictum a ſancto Theotfredo ſecundo ejus abbate, primitus Calmelienſe appellatum nonnullis creditur a Calmelio conditore, aliis a Calmilio vico ejus loci. Poſitum eſt in diœceſi Anicienſi * apud Velaunos * ad Anſam amnem, ad radices montis Meſentii, ex quo Ligeris fluvius oritur. Eo in loco dux Calmelius monaſterium ſub patrocinio ſancti Petri exſtruere ſtatuit, Lirinumque profectus, monachorum coloniam inde deduxit, in his Eudonem moribus probatiſſimum, qui ceteris abbas præficeretur. Erat Eudo ex nobili Arauſicæ civitatis genere procreatus, uterinus frater Leotfredi nobiliſſimi viri, qui ex Leutilda conjuge Theotfredum filium ſuſcepit, Eudonis patrui diſcipulum, ac ſucceſſorem futurum in regimine cœnobi Calmelienſis. Hunc puerum ſecum adduxit Eudo in novum monaſterium, eique regularibus diſciplinis apprime inſtituto exteriorem monaſterii curam commiſit. Is dum aliquando Arvernicum pagum pro ſuo munere peragraret, Meneleum quemdam Andecavenſem cum duobus ſodalibus, Saviniano & Conſtantio, offendit, eiſque, ut ſe ſequerentur, perſuadet. qui poſtquam per ſeptem annos ibidem inſtituti fuere, ad Arvernos reverſi, Menatenſe monaſterium condiderunt. Mortuo Eudoni abbati ſufficitur Theotfredus, qui mulieres aditu baſilicæ interdixit.

* Monaſtier-S.-Chafre.

* le Puy.

* le Velay.

ANN. CHR. 681.

XVII. Menatenſe cœnobium. * la Sioule.

Rogatus a Meneleo ut ipſum viſeret, novi monaſterii Menatenſis dedicationi interfuit, factæ ab Euſebio ſeu Bonito (nam binominis erat) Arvernenſi epiſcopo in honorem Salvatoris ac ſanctæ Mariæ virginis. Menate ſeu Menatum in Valle-Vaveris ad Siolam * fluviolum jam tum exſtabat ſæculo ſexto, cum Carileſus ex eo loco in Miciacenſe monaſterium ſe recepit. Non ergo primus ejus monaſterii auctor, ſed inſtaurator Meneleus, qui *regio ſemine ortus* dicitur a Smaragdo in libro de vita Benedicti abbatis Anianenſis, cui Ludovicus auguſtus hunc locum melioribus inſtitutis informandum commiſit. In libello de Menelei geſtis multa fabuloſa invenias, quæ a veris diſcernere vix licet. Ejus pater Amanulfus, nobiliſſimus Andecavenſis, Meneleo filio præter ejus voluntatem Baronti ducis filiam copulare in animum induxit. Verum has ille nuptias declinaturus, quippe qui ſeptennis perpetuæ continentiæ voto ſe obligaſſet, in pagum Arvernenſem clam ſe contulit, ubi Eudonis conſilio vitæ monaſticæ nomen dedit cum duobus ſociis, quorum ſupra meminimus. Dum Menate verſaretur, audita ejus fama, Docula genitrix cum ſorore Bocula, & ſponſa, nomine Senſa, eum conveniſſe dicitur: in quarum gratiam cœnobium virginum a Meneleo haud procul a vico Menate conſtructum ſit, beatæ virgini Mariæ ſacrum. Barontus, abductæ filiæ impatiens, Meneleum adit, minas intentat, manus in eum injicit, ſive ſecum eum abducturus, ſeu mortem, ut alii volunt, ei illaturus. Hoc facinus auſo dextera diriguit, ſed ad Menelei preces reſtituta eſt cum lumine oculorum, quo nonnulli eum orbatum tradunt. Tanto beneficio flexus Barontus, multis ſoſpitatorem ſuum donis afficit, Triſagium ei monaſterium tradit, conſecratum in honorem ſancti Saturnini epiſcopi Toloſani, ſive eccleſiam a ſe ædificatam ſuper ripam Viſeræ in Avolca vico pagi Exandonenſis. Cetera prætereo quæ dubiæ fidei videntur, ne dicam falſa, qualia ſunt quæ de Brunechilde regina referuntur.

XVIII. Mauzacum.

Non procul a Menate exſtat itidem apud Arvernos Manzacum monaſterium, ſic dictum ab ejus ſitu inter aquas prope Ricomagum opidum, cujus monaſterii primordia etiam Calmilio ſeu Calmelio duci tribuuntur. Baſilica loci conſecrata eſt ſub invocatione ſancti Petri apoſtoli & ſancti Capraſii martyris, forte Lirinenſis, eorumque reliquiis honorata, aliiſque ſancti Stremonii eo poſtea tranſlatis, ut ſuo loco dicemus. Primus ejus monaſterii abbas Euterius memoratur in diplomate [a] Pippini Aquitanorum regis ejus inſtauratoris, ubi Mauziacum a nobiliſſimo ſenatore Romanorum, nomine Calmilio, ejuſque uxore Namadia conſtructum fuiſſe dicitur cum auctoritate Theoderici regis.

a *Gall. chri. to. 4. p. 630.*

XIX. S. Giſleni obitus.

Ad hoc tempus pervenit ſanctus Ghiſlenus ſeu Giſlenus abbas Cellenſis monaſterii in Hannonia, ſancto Amando epiſcopo & beatæ Aldegundi abbatiſſæ Melbodienſi ſuperſtes. Obiit VII. idus Octobris, ſepultuſque eſt in baſilica ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quam Elefans abbas auguſtius inſtauravit Caroli Magni principatu. Giſlenum epiſcopum dicunt recentiores, ſed nullo veterum fundamento. neque enim ullam epiſcopalis ejus dignitatis mentionem faciunt ipſius vitæ ſcriptores, ſive anonymus, ſive Rainerus monachus Cellenſis, aut Philippus ab Eleemoſyna; neque Hucbaldus in libello de vita ſanctæ Aldegundis, nec denique Baldericus epiſcopus in chronico Cameracenſi. Primus epiſcopi nomen ei adſcripſiſſe videtur poëta anonymus in vita ejus metrica, ſed recentior, nec tantæ auctoritatis, ut ei fides tuto adhiberi poſſit. Rainerus libellum ſuum nuncupavit Rathbodo abbati Cellenſi, quem ante medium ſæculum undecimum deceſſiſſe Vinchantius tradit.

XX. Farfenſe monaſterium inſtauratur a Thoma abbate.

Hoc etiam tempore inſtauratur a Thoma abbate Farfenſe monaſterium in Sabinis, in ducatu Spoletano, a monte dictum etiam Acutianum, quod a Langobardis everſum, ad id uſque tempus ruinis conſepultum jacuerat. Thomas preſbyter, Maurienna Galliæ tranſalpinæ civitate oriundus, voti cauſa ſepulcrum Chriſti Domini aditurus, Romam venit; adjunctiſque ſibi ex Italia ſociis, Marciano videlicet, qui poſtea Firmanæ eccleſiæ epiſcopatum adeptus eſt, & Martyrio, qui apud beati Petri eccleſiam poſtmodum monaſterio, forte ſancti Martini, præfuit, loca ſancta inviſit. Marciano & Martyrio in Italiam reverſis, ipſe per tres annos perſtitit ad ſepulcrum Domini, ubi, accepto jugis compunctionis dono, a beatiſſima Virgine de repetenda Italia in ſomnis admonetur. In reditu nihilo minus Epheſi ad ſepulcrum beati Johannis Evangeliſtæ moratus, iterum ad inſtaurandam beatæ Mariæ Farfenſem baſilicam cælitus animatur. Nec mora iter arripit cum ſociis, locum ad Tres-

ANN. CHR. 681. cypreſſos indicatum reperit, ſuiſque ac ſociorum precibus luſtrat. Admonitus hac de re dux Faroaldus, eo nomine ſecundus, novis colunis Deiparæ admonitu operi confert, expenſas, multaſque donationes ſurgenti monaſterio ſuppeditat. Thomæ perlata circumquaque ſanctitatis ſama, plurimi ad eum, tam de remotis, quam de proximis regionibus certatim concurrere cœperunt.

XXI. Ibi ab eo excepti Paldo Taſo, & Tato. Hac iter fuit tribus nobiliſſimis Beneventanis, Paldoni, Taſoni, & Tatoni, qui divino ſuccenſi amore, relicta patria, in Galliarum partes contendebant, ut monaſticum ibi inſtitutum amplecterentur. Exceptos cum magna caritate, & comitate non impari Thomas Romam comitatur: ubi, hoſpita religioſa matrona conſulente, repetendæ Farſæ conſilium ineunt. A parentibus perquiſiti, vix eis ſe ſe videndos exhibuère juſſu Thomæ abbatis; nec tamen ad repetendam patriam adduci potuere. Eis demum auctor fuit Thomas, ut in Samnii provinciam redirent. Ibi ſe, dum ex orientis partibus reverteretur, locum inveniſſe maxime ſolitarium ad ripam Vulturni fluminis, haud procul ab ejus ſonte; ibidemque exſtare beati Vincentii martyris oratorium, denſiſſima obſitum ſilva, ubi nulla, præterquam ferarum, & forte latronum, habitatio. Irent ſecuri, & confiſi divinæ protectionis auxilio, quæ ipſos a cunctis adverſis illæſos ſine dubio præſtaret; certi ſe a principe loci, duce videlicet Beneventano, qno inconſulto patriam deſeruerant, præceptum ſeu litteras firmitatis obtenturum, atque in ejus gratiam eos revocaturum. Hæc fuſe narrat monachus Farfenſis anonymus in libello de vita Thomæ abbatis: ſed fuſius & diſtinctius Ambroſius Autpertus, abbas monaſterii ſancti Vincentii ad Vulturnum, in elogio primorum ſuorum inſtitutorum, Paldonis, Taſonis, & Tatonis. Hi ex nobili genere orti, & jure conſanguinitatis propinqui erant, utpote ex duobus fratribus; Paldo quidem ex uno, Taſo vero & Tato ex altero procreati. Illis ad evangelicam vocem divino amore inflammatis, una omnibus ſententia, unum conſilium votumque fuit, ut patrium ſolum, opes ac parentes relinquerent, Gallias adituri, ut, luſtratis diverſis ejus regni monaſteriis, in uno eorum, quod religione præſtantius eſſet, monaſticam vitam profiterentur. Verum, ne carnalium parentum nexibus retinerentur, iter Romam ad beatorum apoſtolorum limina prætendunt. Mox præſto adſunt famuli, equi, & omnia ad iter, ut viris nobilibus, opportuna. Egreſſi e finibus Beneventanis, cum in Marſorum ſeu Latii provinciam perveniſſent, equis cum famulitio domum remiſſis, iter pedibus ſe conficere ex voto debere aiunt. Tum occurrentibus ſibi pauperibus veſtes ſuas largiuntur, ut eorum vili habitu ſe induant. Sic in Farfenſe monaſterium glorioſæ Dei genitricis Mariæ accepti, a Thoma nihilo minus abbate, dum ipſorum pedes lavaret, ex oris ae membrorum compoſitione, quales eſſent, agnoſcuntur; & quid conſilii animo agitent, produnt. quo audito, Thomas nolle ſe eorum propoſito adverſari, immo cooperari velle teſtatur, eoſque Romam uſque ad Apoſtolorum limina comitari. Voto & oratione completis, eis ſuadet prudens pater, ut in monaſterium ſuum revertantur, probaturi monaſticæ inſtitutionis propoſitum, quod arripere volebant; & tum demum, quo Dominns eos vocaret, pergerent. His dictis aſſenſum præbent, & pauco tempore totam vitæ religioſæ diſciplinam perfecte condiſcunt. Interim circumquaque perquiruntur a propinquis, qui Romam profecti, tandem eos in Sabinis verſari audiunt, in monaſterio ſcilicet Dei genitricis Mariæ. Mox illi eo convolant, &, ut ſuorum adſpectu & colloquio fruerentur, a monaſterii patre flagitant. Hi vero ægre obediunt imperanti. Tum Taſonis ac Tatonis pater, aliique propinqui non ſine lacrymis conqueruntur, cur ſe deſererent, ut quid ſuæ ſalutis curam abiicerent? Nullumne eis ineſſe pietatis affectum, nullam conſanguineorum commiſerationem? Obteſtari & obſecrare per Deum cæli & terræ conditorem, ne ſe relinquerent, quippe ad Chriſtum converti, ac ſæculum penitus relinquere paratos. ſin autem, ſanguinem ſuum de manu eorum a Deo repoſcendum. Talibus dictis & lacrymis nequaqnam commoti Chriſti commilitones, ſe, uti Deo promiſerant, in Gallias proficiſci velle reponunt. Verum medium ſe interponens pius abbas: Audite, inquit, filii, conſilium meum, & horum preces ne abjicite. Ego locum vobis oſtendam, qui utrorumque votis ſatisfaciat.

XXII. S. Vincentii monaſte- » Eſt locus in Samnii partibus ſuper ripam Vulturni fluminis, mille fere paſſibus » ab ejus fonte, ubi ſitum eſt oratorium, beati Vincentii martyris nomine dedicatum. Ibi exſtat ex utraque fluminis parte ſilva denſiſſima, feris tantum, & ſorte latroni-

bus, inhabitata. Si me anditis, illuc ſecedite. Omnipotens Deus, cujus ſervitio vos ipſos mancipare vultis, eo in loco illæſos ſervabit, nec rebus neceſſariis deficere ſinet. Emolliti his ſermonibus tirones Chriſti, ab incœpto revocant animos, & benedictione a ſancto patre accepta, ad deſignatum locum properant, nihil ſecum in alimoniam, præter exiguum viaticum, in ſportella ferentes. Cum ad locum acceſſiſſent, oratorium Dei laudibus frequentant, de nocte humo ſtrati ſomnum capiunt. Interim fores oratorii pulſat homo ignotus, modium farinæ, tantumdemque vini piis peregrinis afferens. In hac rerum penuria illic degentes, plurimos nihilo minus alliciunt. Primus ſacro gregi præfuit Paldo, nmnium mitiſſimus, amator Chriſti paupertatis, nec, ſicuti carnales ſolent, æſtuans rerum terrenarum cupiditate. quem affectum ut diſcipulis ſuis inſpiraret, dixiſſe fertur: Mihi credite, fratres, quiſquis in hoc monaſterio uſque ad finem perſtiterit, æterna ſupplicia nequaquam ſuſtinebit, ſed ad vitam æternam pertinget; hocque monaſterium uſque ad finem ſæculi ad ſalvandas animas perſtabit. Quod quidam, ait Ambroſius Autpertus, male interpretantes, falſa ſeipſos ſecuritate decipiunt, quaſi male viventes, & *contra regulam patrum*, id eſt ſancti Benedicti, facientes, ſalvi eſſe poſſint: cum omnibus conſtare debeat, neminem, qui in crimine perſeveraverit, vitæ æternæ participem eſſe poſſe. Si quod igitnr ejuſmodi privilegium monachis quibuſcumque aſſeritur, id iis tantum aptandum eſt, qni majorum ſuorum ſobriam, caſtamque vitam, ac laudabilem paupertatem imitati fuerint.

AN. CHR. 681.
rium ad Vulturnum.

Paldo abbas primus.

Cum eo in loco degere cœperunt viri ſancti, Thomas mox laudatus abbas, promiſſi memor, Beneventum pedeſter acceſſiſſe ad principem traditur, ab eoque locum prædictum in gratiam ſanctorum fratrum obtinuiſſe; reverſuſque ad eos, ſalutaria eiſdem dediſſe monita, & quo loco refectorium, dormitorium, hoſpitum cella, aliaque neceſſaria habitacula conſtruenda eſſent, docuiſſe. qua de re nulla mentio apud Autpertum, ſed tantum apud anonymum Farfenſem: qui addit, memoratos viros, eorumque ſucceſſores per multos annos congruis temporibus ad monaſterium ſanctæ Dei genitricis Mariæ accedere ſolitos, ut coquinæ officium, ſicut ceteri Farfenſes fratres, ibidem per hebdomadas ſuas explerent; ac ſancti Vincentii monaſterium a domno Thoma, ejuſque ſucceſſoribus ordinatum fuiſſe. Hæc anticipato ſimul retulimus de monaſterii Vincentiani origine, licet ejus fundamenta vix ante annum ſeptingenteſimum tertium jacta ſint, perfectio vero collocanda non ſit ante annum ſeptingenteſimum ſeptimum. Ex his intelligimus, quanta in opinione tum apud exteros fuerit Gallicanorum monaſteriorum religio, qua ita permoti ſint Beneventani illi proceres, ut Gallias ceteris Europæ regionibus, ubi de amplectenda monaſtica profeſſione agebatur, prætulerint.

XXIII.
Auſtraſii a Neuſtraſiis victi.

Dagoberto Auſtraſiorum regi non diu ſuperſtes fuit Wlfoaldus ejus palatii præfectus: quo mortuo, Pippinus, Anſigiſili, ut diximus, filius, & Martinus frater ejus patruelis, utpote Chlodulfo Anſigiſili fratre ante epiſcopatum Mettenſem genitus, in Auſtraſia dominari cœpere, Auſtraſiis metu & odio Ebroïni faventibus; bellumque Theoderico regi ultro intulere. Ambo igitur, maximo Auſtraſiorum exercitu coacto, contra Neuſtraſios procedunt. Pugnatum eſt apud Lucofaum ſeu Locoficum, ubi magna utrimque facta cædes: ſed victi demum Auſtraſii terga verterunt. Et Pippinus quidem fuga in Auſtriam elapſus eſt: Martinum vero, Ebroïno inſequente, Lugdunum-clavatum ſeu Laudunum, quæ Auſtraſiorum urbs erat, fugientem excepit. Ebroïnus, poſt cædem fugientium depopulationemque regionis Auſtraſiorum, venit in villam Ercherecum ſeu Ercrecum, ubi Theodericus poſt pugnam ſubſtiterat; miſſiſque ad Martinum Ægilberto, ac Regulo Remorum epiſcopo, qui ei fidem incolumitatis ſuper vacuas ſanctorum reliquiis capſas pollicerentur, ut Ercherecum veniret, perſuaſit. Verum ubi eo advenit Martinus, nullo fidei datæ reſpectu, juſſu Ebroïni cum omnibus ſuis oppreſſus eſt, ſuperſtite Pippino, qui, accepta clade felicior, ſummam ſibi deinceps in Auſtria poteſtatem vindicavit. Ercherecum ſeu Ercrecum * villam, ubi Martinus periit, vicum illum eſſe puto, qui in Campania Remenſi ad Axonam fluvium poſitus eſt paullo infra Caſtrum-Porciani; at remotior videtur Lucofaus ſeu Lncoficus, in geſtis Francorum Luſao dictus, ſi is ipſe ſit locus Luſaus pagi Tullenſis, ab Herico monacho memoratus in libro de geſtis [a] epiſcoporum Autiſiodorenſium: ubi Hainmarus epiſcopus ab inſequentibus adverſariis conſuſſus occubuit. Carolus Cointius Regulum & Ægilbertum, non ſine veri ſimili-

* Ercy.

a Heric. to. 1. bibl. Labbe. p. 430.

Reguli epiſcopi

ANN. CHR. 681.

innocentia purgata.

tudine, purgare conatur a fraude Martino impoſita; & quod de vacuis capſis dicitur, fabulam redolere exiſtimat. Regulum quippe non adeo ſtolidum fingi poſſe, ut putarit, jusjurandum vacua capſa inane irritumque fieri; juranteſque, & eos, quorum nomine jurabant, apud Deum minime obligari. Regulum itaque bona fide juraſſe, Martinum inviolatum fore, ſi Ercherecum ad regem veniret: ſed datam fidem ab Ebroïno violatam fuiſſe. quod ſane de Reguli ſanctitate (nam in Remenſi eccleſia pro ſancto habetur) opinari æquum videtur. Fuit quidem ille ob accepta beneficia obſtrictus Ebroïno, quo ſuffragante [a] Orbacum pro monaſterii exſtructione a Theoderico rege obtinuit: at virum ſanctum perjurio gratiam Ebroïno rependiſſe non facile credi poteſt. Idem de Ægilberto dicendum, quem Hadrianus Valeſius eumdem eſſe putat cum Agilberto Pariſiorum epiſcopo probatæ itidem virtutis. Quamquam an idem ſit ille Ægilbertus, dubitari poſſit, quem nullo epiſcopi nomine indigitat Fredegarii continuator: tametſi Regulo eum præponit, ubi Ebroïnus Lugdunum-Clavatum nuntios direxiſſe dicitur *Ægilbertum, ac Regulum Remenſis urbis epiſcopum: ut, fide promiſſa in incertum ſuper vacuas capſas, ſacramenta falſa darent.* Veri tamen ſimilius eſt, utrumque fuiſſe epiſcopum, ad deferendas reliquiarum capſas, & ſacramenta recipienda aptiores.

[a] *Frodoard. lib. 2. c. 10.*

XXIV. *Anſtrudis abbatiſſa cælitus ſervata.*

An forte is fuit Acglibertus, qui eodem tempore Anſtrudem abbatiſſam Laudunenſem ſanctimonialium precibus muniri curavit contra inimicorum criminationes apud Ebroïnum? ſic rem commemorat ejus vitæ ſcriptor anonymus. Fuerat Anſtrudi inter alios germanus frater Balduinus, quem ob aſſerta monaſterii bona e placito redeuntem adverſarii necaverant. Hi, infeſtum ſemper animum adverſus Anſtrudem gerentes, injurias eidem inferre modis omnibus moliebantur. Adfuit opportuna eis occaſio, cum Theodericus, interfecto Martino, Laudunum *hoſtiliter* ingreſſus eſt. Tunc enim Anſtrudem, Ebroïno jam ſuſpectam, forte quod Martino faviſſet, aut eum propinquitate attineret, apud regem accuſant calumniatores, inſtantque, ut a monaſterii regimine amoveretur. Mox Ebroïnus monaſterium adit furibundus, & ſanctam virginem ſibi adductam duriſſime objurgat. Dum is aſpera loquitur, & pejus ſe facturum minatur; *quidam vir boni deſideris Acglibertus*, ait auctor, quaſdam ſorores perfectæ ætatis & vitæ monet, animo ne frangantur, ſed Deo potius confidant, iuſtentque orationi, ut ne a ſpiritali matre ſua avellantur. Simul fuſæ preces, ſimul exauditæ, factæ illæ quidem cum multo ejulatu & valido clamore: quo ita perculſus eſt Ebroïnus cum ſuis, ut ſimul omnes exterriti ac conſternati fuerint, viſo inſuper globo igneo, qui e cælo ad turrim eccleſiæ pertingebat. His ſignis emollitus Ebroïnus, ad pedes matris advolutus veniam petit, eique ac monaſterio ejus benevolentiam ſuam pollicetur; ſicque reverſus eſt ad palatium *amicus religionis*, qui hoſtili & averſo animo eo acceſſerat. Unus ex Anſtrudis adverſariis quidam Chariveus erat, qui, orta inter ſe ſe ſimultate, contra Dei famulam ita excanduit, ut eam gladio confodere tentaverit, eoque animo in eccleſiam beatæ virginis Mariæ ad altare orantem perſecutus ſit. Verum, ut eam minis ſuis interritam vidit, in ſe reverſus, divini judicii metu in terram ſe abjecit, veniam ab ea imploraturus. At illa continuo facinus ei remiſit, nec multo poſt mortui corpus eo in loco honorifice humari curavit. Idem officium exhibuit Ebrohardo, viro præpotenti, qui cum ſatellitibus ſuis Laudunum noctu ingreſſus, ut Giſlehardum conſanguineum ſuum, urbis forte comitem ſeu rectorem, occideret; igne in domos injecto, cum latitantem minime inveniret, furore percitus ad monaſterium venit, Anſtrudem aſperioribus verbis laceſſit, tamquam ſibi contrariam, & dominationi, quam exſtinguendo Giſlehardo quærebat, adverſantem; juſſitque ut quantocius ſibi monaſterii claves reſignarentur, perquiſituro, an Giſlehardus inibi lateret. Verum, ubi claves accepit, ante ipſius monaſterii fores divino perculſus judicio interiit.

Non poſt multum tempus novam denuo vexationem a Madelgario epiſcopo beata virgo paſſa eſt, qui ejus monaſterium dominio ſuo vindicare moliebatur. Cauſa ad Pippinum delata per Wlfoldum Anſtrudis conſanguineum, epiſcopi molitio repreſſa. Pippinus enim, propinquæ ſuæ legatione benigne accepta, ſtatim Grimoaldum filium ſuum direxit Laudunum, graviter interminans, ne deinceps Madelgarius quidquam moleſtiæ aut vexationis abbatiſſæ, ejuſve monaſterio inferret. Addit vitæ interpolator, Laudunenſes epiſcopos nullam poſthac in eum locum poteſtatem habuiſſe, præterquam abbatiſſarum, dum ibi ſanctimoniales perſtiterunt; illiſque ejectis abbatum benedictionem.

ANN. CHR. 681.

XXV. Orbacenſe monaſterium a Reolo conditum.

Regulus ponrifex Remorum, ſuperius laudatus, quem Frodoardus [a] Reolum vocat, monaſterium Orbacenſe exſtruxit in loco, quem dono regis Theoderici, ſuffragante Ebroïno majore-domus, obtinuerat. Poſitus eſt hic locus in parochia ſeu diœceſi Sueſſionenſi, quatuor a Sparnaco [*] leucis, ad rivulum exiguum, qui in Matronam fluvium paullo ſupra Caſtrum-Theoderici devolvitur. Exſtructis novi cœnobii ædificiis, Reolus a monaſterio Reſbaco ſex monachos impetravit, qui *ſanctæ regulæ* diſciplinam Orbaci inſtituerent, Leudemaro abbate eis præpoſito, qui prædictum monaſterinm ad finem vitæ ſuæ rexit. nam licet ab Odone quodam fuerit expulſus, a Childeberto tamen rege poſtea reſtitutus eſt. Poſt ejus obitum Rigobertus archiepiſcopus locum ipſum recepit, ac rexit, teſte Frodoardo. Ex eo tempore Orbacenſe monaſterium, ut ſcribit [b] Marlotus, manſit in providentia Remenſis archiepiſcopi, unde eo inconſulto abbatem eligere non licebat: electus vero ſtatim fidem eccleſiæ Remenſi præſtare debebat, juſque erat ejus loci monachis mittendi unum e ſuis, qui electioni archiepiſcopi Remenſis intereſſet. Ibidem ſepultus eſt ſanctus Reolus, cujus tumulus hodie quoque in eadem eccleſia cernitur. Ejuſdem feſtus dies quotannis in Orbacenſi monaſterio recolitur, non in Remenſi eccleſia, quæ tamen eum ſanctum in publicis litaniis appellat. Sed is fere mos eſt in inſigni illa eccleſia, ut eos tantummodo ſanctos peculiaribus feſtis colat, quorum reliquias ſaltem in urbe, vel prope urbem poſſidet. In vita nondum edita ſancti Reoli corpus ejus ſepultum dicitur in baſilica ſancti Remigii pontificis, & quidem in crypta ad lævam partem altaris ſancti-Laurentii martyris. quod ſi ita eſt, non multo poſt tranſlatum fuit in Orbacenſe monaſterium, ubi hactenus ejus reliquiæ aſſervantur; caput quidem in ſcrinio argenteo nuper a noſtris affabre facto, ceteræ vero reliquiæ in loculo peculiari, qui ſummo altari impoſitus cernitur. De hoc monaſterio dicendi recurret materia occaſione Goteſchalci ejus loci monachi. Frodoardus laudat hujus cœnobii monachum, nomine Hueboldum, quem Hungari ſuo tempore, id eſt incunte ſæculo decimo, trucidare conati ſunt, ſed nequaquam ferro aut ſagittis configere potuerunt. Unde eum pro aliquo deo habentes, cum reverentia ſecum duxerunt, donec redemtus a quodam epiſcopo, atque dimiſſus, in proprium monaſterium reverſus eſt. Sæculo tertio-decimo, & quidem anno M CC XXXIX. orta eſt de ſubjectione Orbacenſis monaſterii controverſia inter Henricum Remenſem archiepiſcopum & Jacobum epiſcopum Sueſſionenſem, quæ hoc pacto [c] compoſita eſt: ut Orbacenſes, mortuo abbate, eligendi ſucceſſoris facultatem peterent ab archiepiſcopo, cui electus abbas præſentaretur confirmandus; inde remittendus ad epiſcopum Sueſſionenſem, ut ab eo benediceretur, eique profeſſionem faceret: deſtitutio autem abbatis ad ſolum archiepiſcopum pertineret. Præter Orbacenſe monaſterium, Reolus Berchario Derventi abbati fundum ad condendum cœnobium virginum ſuppeditavit, ut inferius videbimus.

[a] Frodoard. lib. 2. c. 10.
[*] Eſpernay.
[b] Metrop. Rem. lib. 2. c. 43.
[c] V. Append.

XXVI. Chrodegario abbati Corbeienſi ſuccedit Erembertus.

Hoc fere tempore Chrodegarius ſeu Rodgarius ſecundus abbas Corbeienſis e vivis exceſſit, fecitque locum Eremberto tertio abbati, cujus electionem Theodericus rex dato diplomate confirmavit. Inſcriptum eſt regium præceptum *Epiſcopis & viris illuſtribus*, quibus ſignificat princeps, ad regalem ſuam præſentiam veniſſe monachos & «
viros Dei timentes ex ſacroſancto monaſterio, nuncupato Corbeia, conſtructo in «
pago Ambianenſi, & clementiæ ſuæ auribus ſuggeſſiſſe, venerabilem virum Chro- «
degarium abbatem, quem apoſtolicus vir domnus & pater ſuus Theodefredus epiſ- «
copus, cum ille onus epiſcopale ſuſcepit, ex ſuo permiſſu ejus loci rectorem conſti- «
tuerat, de hac luce ad Dominum migraſſe: quo mortuo, tota ejuſdem monaſterii «
congregatio petierit, ut ſecundum privilegium ſuum ex ſemetipſis rectorem eligere «
ſibi liceret. Eos vero, accepta a rege facultate, cum voluntate ſupra dicti domni «
Theodefridi epiſcopi, elegiſſe venerabilem virum Erembertum, in ipſo monaſterio «
enutritum: cujus electionem princeps ſe ratam habere teſtatur, adeo ut ipſe Erem- «
bertus deinceps omnium ejus loci rerum & poſſeſſionum providentiam habeat, ſicut «
ſancta regula docet, ſancitque ſacer ordo monachorum. Hoc diploma in chartaceis «
atque editis libris deſtitutum eſt chronologicis notis. Eremberto abbati tribuuntur antiquiora ſtatuta, nondum vulgata, monaſterii Corbeïenſis, quæ poſteriorum temporum eſſe conſtat. In eis agitur de electione abbatis, deque inſtitutione omnium officialium, id eſt majoris-prioris, clauſtralis prioris, circuitorum, armarii, camerarii, cellerarii, granatarii, pincernæ, hoſpitalarii, hortulani, refectorarii, conſta-

ANN. CHR. 681.

buli, eleemoſynarii, & infirmarii: quorum omnium officia & munia, recentiorum ſane temporum, in illis ſtatutis præſcribuntur. Eremberto ſucceſſit Sebaſtianus abbas quartus, cui rex Chilpericus diploma conceſſit, a nobis inferius memorandum.

XXVII. Toletanum concilium duodecimum.

In duodecimo Toletano concilio, quod hoc anno in regia urbe habitum eſt in baſilica ſanctorum apoſtolorum, confirmata fuit Flavii Ervigii ſubſtitutio in locum Wambæ regis, cujus eo in concilio ſcriptura lecta eſt, manibus ſeniorum palatii roborata, qua Wamba regno ſe abdicabat ob venerabilis tonſuræ ſignaculum a ſe acceptum; ſimulque inclytum dominum Ervigium poſt ſe regnaturum, & ſacerdotali benedictione ungendum deſignabat. quibus lectis & approbatis, epiſcopi populum vinculo juramenti, quo Wambæ ſe obſtrinxerat, ſolutum declarant, atque Ervigium ejus loco pro rege agnoſcendum. Et ne forte Wambæ repetendi principatus voluntas aliquando ſubreperet, canone ſecundo interdicunt, ne iis, qui ſemel tonſuræ venerabile
» ſignum atque habitum religionis in extremis morbis, etiam non ſentientes, acce-
» perint, ea denuo abjicere liceat: ſed, ſicut baptiſma, quod neſcientibus parvulis in
» fide tantum proximorum accipitur: ita pænitentiæ donum, quod neſcientibus con-
» fertur, inviolabiliter teneatur. Subſcribunt huic concilio poſt epiſcopos abbates quatuor, Waldreudus, Florentius, Gratinus, & Fanſtinus, ſed abſque ulla mentione monaſteriorum ſuorum. Horum poſtremus forte non alius ſit quam Fauſtinus abbas Caſtrenſis, eo nomine ſecundus: cujus ſucceſſor Citruinus tertio-decimo concilio Toletano interfuit nomine Stephani epiſcopi Carcaſſenſis. Invenitur in eodem concilio Gratinus preſbyter, agens vicem Argebadoni epiſcopi Eliberitani, forte idem cum Gratino abbate.

ANN. CHR. 681.

XXVIII. Ebroino interfecto Filibertus redit Gemeticum.

EBroïnus, poſt fuſos prœlio Auſtraſios longe impotentior ac ferocior, dum Francos inſolenter ac crudeliter opprimit, ipſe ſibi exitium maturavit. Cum enim uni eorum, quem Ermenfridum vocant, multa minitaretur, eumque bonis ſpoliare ſtatuiſſet; ille, coacta ſuorum manu, dominica die ante lucem irruit in Ebroïnum, qui tum pro more laicorum fidelium ad matutinam ſynaxim domo egrediebatur, eumque nec-opinantem obtruncat. Hoc facto, Ermenfridus fuga in Auſtriam evaſit incolumis, & ad Pippinum ducem cum opibus ſuis pervenit. Interfecto Ebroïno, Audoënus mitigatus Filibertum abbatem miſſis nuntiis in cœnobium Gemeticum revocavit anno nono ineunte, quam illud reliquerat, & cum eo in concordiam rediit. Neuſtria tota de tanti viri reditu gratulatur, & monachorum turba cum canticis & ſanctorum reliquiis obviam effuſa, revertentem in monaſterium cum triumpho recepit. Mox duo illi ſacerdotes, veluti totidem patriæ, ne dicam mundi, luminaria, una conveniunt, & venia invicem poſtulata & accepta, poſt mutuos amplexus, ita vinculo caritatis connexi ſunt, ut nulla deinceps cordium ſciſſura in eis remanſerit. Deinde inter ſe ſe convenit, ut, quia Filibertus duo ſimul monaſteria, multis locorum ſpatiis disjuncta, Gemeticenſe videlicet ac Herenſe, regere non valebat; alterutrum ſibi ad manendum eligeret, & alteri unum ex ſuis rectorem præficeret. Fluctuanti viro Dei intervenit Anſoaldus Pictavorum antiſtes, idque apud eum evicit, ut, præpoſito Gemeticenſibus Aicadro, ipſe in Herenſe monaſterium reverteretur. Id gravate admodum tulerunt Gemeticenſes, ſed tandem obedientiam Aicadro promiſerunt ſecundum decretum optimi patris, cujus abſceſſum inconſolabiliter luxere. Poſtquam itaque eos hortatus eſſet, ut ſemper in monaſticæ diſciplinæ accurata obſervatione perſeverarent; Deo commendatos benedixit, atque in Herum inſulam reverſurus, primo quidem in Quinciactum monaſterium venit, ubi cum ingenti omnium gaudio acceptus eſt: tum, Gemetici præfectura Aicadro commiſſa, ejus loco Probum Quinciacenſis monaſterii rectorem inſtituit. Ragertramnus archidiaconus, quem Audoënus abſenti Filiberto poſt Chrodobertum [a] ſubrogaverat, locum Aicadro haud ægre admodum ceſſit, utpote meliori ſorte in ſedem Abrincatenſem tunc vacantem promotus. Reverſus demum in Herenſem inſulam Filibertus, ibidem uſque ad ſupremum exitum perſeveravit.

a V. ſupra lib. 16. n. 40.

XXIX. Monaſterium-Villare conditur.

Poſt Ebroïni mortem Franci, inito inter ſe ſe conſilio, Warattonem majorem domus regiæ conſtituunt, qui prædium in Caletis, nomine Villare, ad condendum virginum monaſterium Filiberto dedit. Inſignis eſt etiam nunc hæc abbatia virginum Benedictinarum, Monaſterium-Villare * dicta, ſub patrocinio ſanctiſſimæ virginis Mariæ, ſi non a principio, ſaltem ab inſtauratione, quæ a Richardo ſecundo

* Montier-Villiers.

ANN. CHR. 682.

Normanniæ duce facta eſt. Hoc alterum eſt virginum cœnobium inſtitutum a ſancto Filiberto, nempe poſt Pauliacenſe, cui ſancta Auſtreberta prima præfuit. Quænam fuerint Monaſterii-villaris abbatiſſæ ante inſtaurationem, ignoramus. Plura alia virorum monaſteria informavit Filibertus. nam præter Gemeticenſe, Herenſe, & Quinciacenſe, etiam cœnobium Lucionenſe ſanctæ Mariæ in Pictonibus, cujus originem Lucio cuidam imperiali tribuit chronographus Malliacenſis, rexiſſe fertur; forte etiam monaſterium S. Michaëlis ad-Eremum, quod Anſoaldus Pictavorum epiſcopus ædificavit. Omnia hæc monaſteria Normannorum tempeſtate ſolo æquata ſunt, ſed poſtmodum inſtaurata, ut ſuis locis exponemus.

Lucionenſe & S. Michaëlis in-Eremo.

XXX. S. Leodegarii tranſlatio ad S. Maxentiū.

Interim creſcentibus in dies ad ſancti Leodegarii tumulum miraculis, eorumque fama facile in aulam Theoderici mortuo Ebroino perlata, de transferendo ejus corpore contentio inter epiſcopos, qui tum in palatio frequentes erant, exorta eſt, tertio anno, quam martyrium expleverat. In bis Anſoaldus Pictavenſis antiſtes, vir magnæ ſanctitatis, corpus ſacrum ſibi deberi contendebat, tum ob conſanguinitatem, quia ſancto martyri erat conjunctus: tum quia in ipſius parochia ille ad honores eccleſiaſticos adoleverat, primo quidem ſub Didone epiſcopo Pictavenſis eccleſiæ archidiaconus, tum abbas in ſancti Maxentii monaſterio, priuſquam ad epiſcopatum Auguſtodunenſem proveberetur. Contra Hermenarius, qui ei in Auguſtodunenſi epiſcopatu ſucceſſerat: Jure mihi, inquiebat, hoc corpus debetur: quoniam ibi eum requieſcere æquum eſt, ubi is epiſcopus fuit. Utrique intercedebat Vindicianus præſul Atrebatenſis titulo poſſeſſionis, quippe cum ſanctum illud depoſitum in pago Atrebatenſi, ubi cæſus fuerat, jam requieſceret. Ad finiendam controverſiam jejunia cum precibus indicta: & tribus ſchedulis ſubter pallam altaris appoſitis, poſt ſacra miſſarum ſollemnia, a miniſtro altaris Anſoaldi ſchedula prima producitur; atque adeo beati martyris corpus ei hac ſorte adjudicatur. Anſoaldus hoc modo ſuperior, Audulfo monaſterii ſancti Maxentii abbati curam transferendi ſacri corporis committit: ut, ubi prius cultum Dei vir ſanctus profeſſus fuerat, ibidem etiam poſt mortem, uti lucerna, in perpetuum emicaret. Rem haud ſegniter Audulfus exſequitur accepta regis facultate, qui univerſis, quacumque ſanctum corpus tranſiret, mandaverat, ut ſollemni cultu ubique honoraretur. quod factum a pago Atrebatenſi ad Pictavenſem, omnibus tam clericis quam monachis, infinita promiſcui vulgi multitudine comitante cum crucibus, accenſiſque cereis & ſuavitatum odoribus ubviam effuſis, ita ut vix ad ſacrum ſcretrum accedere liceret. Nec defuit honorando martyri divina potentia, tot patratis in via miraculis, ut quiſquis, quavis detentus infirmitate, feretrum aut pannum, quo tegebatur, manu tangere potuiſſet, confeſtim ſanitatem recuperaret. Accedenti ad urbem Turonum ſacræ pompæ obviam proceſſit Bertus ſeu Theodebertus ejuſdem civitatis pontifex cum choris pſallentium & luminibus, & ſacrum corpus uſque ad Pictavorum fines deduxit. Anſoaldus epiſcopus, audito ſanctum jam appropinquaſſe corpus, ex villa ſua Interamni pauperibus & promiſcuo vulgo vinum ſuppeditari juſſit, quod in vaſculis nequaquam defuit, immo exuberavit, quantumvis exhauſta vaſcula crederentur. Sedato ad Vigennam * fluvium vento, proceſſum eſt ad Gelnacum villam, ubi Anſoaldus cum ſuo clero occurrit ſacro corpori, cujus contactu in ſuburbana baſilica ſanctæ Radegundis unus paralyticus ſanatus, itidemque alter in baſilica ſancti Hilarii, quam unus ex hujus tranſlationis ſcriptoribus *monaſterium ſancti Hilarii* vocat. Ab urbe Pictavorum elatum corpus monachi Maxentiani magno numero & comitatu, ſed majori gaudio excipiunt, atque in ſuum deferunt monaſterium, paſtorem quondam ſuum cum magna devotione ſuſcipientes. Ibi nullus miraculorum modus in quoſvis debiles & ægrotos, quibus incolumitas reſtituta eſt.

* *la Vienne.*

De his miraculis libellum ſcripſit Audulfus abbas, tranſmiſitque ad Ermenaram abbatiſſam cujuſdam monaſterii in pago Cadurcino poſiti, quæ in primis impulit monachum Auguſtodunenſem anonymum, ut ſcribendis ſancti Leodegarii actis operam daret. Fecit ille primus, libellumque ſuum, impolite quidem, ſed graviter ſcriptum, Hermenario Auguſtodunenſi epiſcopo nuncupavit. Paullo poſt, aliam de eodem ſancto præſule lucubrationem Anſoaldo Pictavorum antiſtiti inſcripſit Urſinus peccator, ſic ſe ipſe vocat, & quidem hortatu Audulfi abbatis monaſterii ſancti Maxentii: quem Urſinum non alium eſſe puto ab Urſino Locociagenſis monaſterii præpoſito, de quo in libro primo ª diximus. Tertius vitæ Leodegarianæ ſcriptor,

ª *lib. 1 n. 21.*

ANN. CHR. 682.

ut ceteros omittam, monachus natione Alamannus, opus ſuum dicavit abbati Murbacenſis in Alſatia monaſterii, ubi caput ſancti Leodegarii jam inde a primordiis loci, id eſt a ſæculo octavo, aſſervari creditur; tametſi illud ſe poſſidere glorientur noſtri in Neuſtria Gemeticenſes & Pratellenſes. Tranſlatione corporis facta, Anſoaldus epiſcopus Audulfo abbati auctor fuit, ut auguſtiorem in ejus honorem baſilicam exſtrueret: quod ille impigre exſecutus eſt, erecta miræ magnitudinis eccleſia, cujus fabrica aliis multum diſſimilis fuiſſe dicitur. Tranſlatio hæc facta eſt medio menſe Martio: dedicatio vero novæ baſilicæ III. kalendas Novembris.

XXXI. Aicadri recte facta in regimine Gemeticenſium.

Aicadrus Gemeticum profectus, incredibile eſt quanta religione locum rexerit, quantam ſui non ſolum apud domeſticos, ſed etiam apud exteros opinionem excitarit. In vigiliis pernox, in oratione aſſiduus, in jejuniis frequens. Hac virtutum fama excitus inter ceteros nobilis quidam Pictavenſis, nomine Aſtaſius, villam ſuam Tortoniacum Deo & ſancto Petro in Gemetico donavit pro remedio animæ ſuæ: quin etiam ſe ipſe in Dei cultum ibidem mancipavit; ſicque regularibus ſe ſubdidit diſciplinis, ut ſancte inter ſanctos vitam abſolverit. Quanta Gemeticenſium eſſet religio, vel uno hoc exemplo patet. Mos loci erat, ut monachi ſingulis ſabbatis *novitia exercerent*, ſic illi loquebantur, id eſt tonſuras renovarent, ſed ante horam nonam, quo ex tempore ſequentis dominicæ obſervatio tunc incipiebat. Forte Aicadrus poſt illam horam imprudens cuidam monacho procuratori ſuo juſſit, ſibi ut capillos cum forcipe adæquaret. Mox illi hoc erratum dæmon inſultando objeciſſe dicitur. Tum Aicadrus reatum ſuum agnoſcens, tonſuram imperfectam in piaculum reliquit, & proſtratus in eccleſia coram fratribus veniam petiit, & obtinuit. Cum vero familia illa ad nongentos monachos, præter famulos quingentos, excreviſſet; angeli monitu Aicadrus didicit, mediam ejus familiæ partem intra triduum peſte a dæmone infligenda abſumtum iri. Ille autem mox fratres ad nocturnas vigilias excitavit, abſolutoque nocturnali & matutinali officio, omnes de facta ſibi revelatione & de inſtanti morte admonuit, eos exhortans, ut ad mortem prævia ſe ſe confeſſione & communione præpararent. Res evenit, uti Aicadro prædicta fuerat, atque intra tres dies quadringenti quadraginta duo monachi hac clade e medio ſublati ſunt. Horum omnium corpora in uno cœmeterio in lapideis tumulis honorifice, ut eccleſiæ mos eſt, Aicadrus ſepeliri curavit, ſeque poſt ſuum ex hac vita egreſſum inter illos humari præcepit: quo in loco quidam viri ſancti etiam ſepulturam elegerunt. His annumerat auctor anonymus ſanctos Hugonem epiſco-
« pum Rotomagenſem, Conſtantinum Belvacenſem, Peregrinum Anglicanum cum
» ſancto Flavio: quorum ſancta lipſana, inquit, in Domino cum illis manent humata.

XXXII. Landebertus ab exilio revocatur.

Hoc eodem tempore, ſcilicet poſt necem Ebroïni, ab exſilio revocatus eſt Landebertus epiſcopus Trajectenſis, atque in ſedem ſuam, expulſo Faramundo, poſt annos ſeptem reſtitutus eſt, jubente Pippino principe, ægre avulſus e monaſterio Stabulenſi, ubi per id tempus monaſticam vitam egerat. Præerat tum Stabulenſibus Goduinus abbas, qui a Theoderico rege privilegium obtinuit, quo donationes omnes monaſteriis Stabulau & Malmundario hactenus factæ confirmantur. Editum eſt, ſed ſine chronicis notis, hoc diploma, quod Carolus Cointius recte tribuit Theoderico Chlodovei junioris filio, contra eorum ſententiam, qui illud Theoderico, cognomento Calenſi, tribuendum putant.

ANN. CHR. 683.

XXXIII. S. Audoënus moritur.

Audoënus pontifex, paullo poſt reconciliatum ſibi Filibertum, ſupremum diem abſolvit, cum eccleſiæ Rotomagenſi annos quadraginta-tres cum tribus menſibus & diebus aliquot magna cum laude præfuiſſet. Obiit in villa regia Clipiaco*, Luteciæ Pariſiorum proxima, pace compoſita inter Neuſtraſios & Auſtraſios, cujus rei cauſa, poſt Giſlemari majoris-domus mortem, qui eam turbaverat, Coloniam Agrippinam ad Pippinum ducem a Theoderico rege miſſus fuerat. Warattonis præfecti palatii filius erat Giſlemarus, homo fallax & ambitioſus. Hic, nequiquam deterrente Audoëno, ac brevi periturum dictitante, niſi a cœpto deſiſteret, patrem honore dejecerat, præfecturamque palatii occupaverat. Idem pacis violator cum Pippino a patre initæ, vix uno anno integro dignitatem retinuit, propter ſua facinora immatura morte punitus. Eo mortuo, Waratto priſtinum honorem recepit, & Audoëno in Auſtriam miſſo pacem cum Pippino reformavit. Hujus legationis rationem vir ſanctus ubi Theoderico reddidiſſet, Clipiaci febre interceptus deceſſit

* *Clichy*

deceſſit IX. kalendas Septembris, uno fere anno ante Filibertum abbatem, delatuſque Rotomagum, in baſilica beati Petri apoſtoli extra muros cum multo honore ſepultus eſt. Mortui corpus, cum Clipiaco efferretur, rex Theodericus & regina Chrothildis, necnon major-domus regiæ Waratto cum cunctis proceribus uſque ad Pontem-Iſaræ * ſunt proſecuti: unde multi epiſcopi & abbates, quos inter Anſbertus abbas Fontanellenſis cum aliquot monachis ſuis adfuiſſe traditur, cum hymnis & canticis Rotomagum detulerunt, & in baſilica ſancti Petri, quæ monachorum ante id tempus erat, depoſuerunt. Sepulcrum beati præſulis ab Anſberto ejus ſucceſſore auro gemmiſque ornatum, collocato ibidem lecto, quem undique auro incluſum Audoënus ipſe Jeroſolymam mittere cupierat, ut in ſancta Anaſtaſi ſeu baſilica dominicæ reſurrectionis poneretur. Villa regia Clipiacus ejus nomine ſancti Audoëni * poſtmodum inſignita eſt, uti & baſilica ſancti Petri, ubi ſepulturam accepit, nobile etiam nunc, ſi quod aliud, noſtrorum in Neuſtria monaſterium, jamdudum muris urbis incluſum: cujus baſilica vix ulli eccleſiæ, non modo totius provinciæ, ſed regni, elegantia & amplitudine cedit.

ANN. CHR. 683.

* Pontoiſe.

* S. Ouën.

XXXIV. Anſbertus ei ſuccedit.

Mortuo Audoëno, Rotomagenſes unanimi conſenſu Anſbertum, qui Lantberto Fontanellenſi abbati ad Lugdunenſem epiſcopatum promoto ſuffectus fuerat, epiſcopum elegere, atque a Theoderico rege petiere, eum ut ſibi paſtorem juberet conſecrari. Rex, qui Auſberti ſapientiam ac pietatem probe noverat, quippe qui ſibi a confeſſionibus & conſiliis erat, ilico electionem comprobavit, electumque Clipiacum accedere juſſit, verbo, ut, ſicuti conſueverat, ejus conſilio in publicis negotiis uteretur; re autem vera, ut ordinatio ejus in frequenti epiſcoporum ac procerum conſeſſu fieret. Intellexit ſtatim Anſbertus, regem electioni aſſenſum præbuiſſe, nec ob aliam cauſam ſe in palatium evocari, quam ut epiſcopus ordinaretur. Ille itaque excuſare, indignitatem ſuam cauſari, denique nuntiis remiſſis delatam ſibi dignitatem omnino refutare. His effugiis non ceſſit Theodericus, ſed, miſſis ad eum aliis nuntiis, id tantum ſignificavit, ſe cum ipſo colloqui velle, nec epiſcopale onus invito imponi paſſurum. Fidem nuntiis habuit Anſbertus, vir magnæ & chriſtianæ ſimplicitatis, pio dolo deceptus; ac Clipiacum tandem venit: ſed, contra quam ſperaverat, inſtantibus Rotomagenſibus, qui præſentes aderant, regis principumque ſummo applauſu, a Lantberto Lugdunenſi antiſtite, ſuo quondam in regimine Fontanellenſis cœnobii anteceſſore, aliiſque qui eo convenerant epiſcopis, Rotomagenſis pontifex conſecratur, ſucceſſorem ſortitus Hiltbertum in regimine monaſterii Fontanellenſis. Si Fridegodo credimus, Audoënus moriens regi ſucceſſorem Anſbertum ſuggeſſit. Talem igitur habuit ſucceſſorem, qualem optaverat, utique genere, ſæculari dignitate, ſed maxime ſanctitate ſibi non diſſimilem. Anſbertum ab eo ſola diſtinguebat monaſtica profeſſio, quam tamen Audoënus ſemper valde adamavit, nam ante clericatum, etſi in palatio militarem habitum ac cultum prætenderet, tamen fere a cunctis monachus potius, quam laïcus habebatur, & ſub pretioſis veſtibus ſæpe cilicium corpori applicitum gerebat. Idem in Briegio ſaltu monaſterium exſtruxerat, inſtruxeratque magnifice, quod ipſe Jeruſalem, ceteri a rivulo præterfluente Reſbacenſe nuncuparunt.

XXXV. S. Eligii vita ab Audoëno ſcripta.

Scripſit Audoënus de vita ſanctiſſimi præſulis Eligii Noviomenſis, amici quondam ſui, libros duos, in quibus de monachis non raro ſermonem facit, maxime de diſcipulis beati Columbani abbatis, erga quem impenſe affectus fuit. Duos hoſce libros Rodoberto papæ ſeu epiſcopo legendos, emendandoſque obtulit. Rodobertum hunc alii Chrodobertum Pariſienſem, alii Chrotbertum Turonenſem epiſcopum eſſe exiſtimant. Mihi vero neuter videtur eſſe. Non Chrodobertus Pariſienſis, qui jam obierat, antequam Audoënus hos libros abſolviſſet. Obiit quippe Chrodobertus ante Chlotharium regem, quo mortuo Audoënus [a] librum ſecundum ſcribebat, Childerico regnante. Non Chrotbertus Turonenſis, nam Audoënus Rodobertum illum fratrem cariſſimum, aut præciſe fratrem vocat, eique, quaſi majoris auctoritatis, hanc vitam examinandam committit, uſurus civiliori elogio, ſi metropolitanus ille fuiſſet. Ad hæc Rodobertus ut majori reſpondet, venerabilem patrem Audoënum appellans, ejuſque *juſſioni* ſerius ſe obtemperaſſe excuſat. quæ ſane epiſcopum arguunt dignitate inferiorem, & forte Rotomagenſis metropolis ſuffraganeum. Verum ita imperfecti & mutili ſunt earum eccleſiarum indices epiſcoporum, ut hac de re ſententiam ſuſpendere ſatius ſit, quam temere proferre.

[a] *Audoën. lib.* 2 *c.* 30.

ANN CHR. 683. XXXVI.
Audoëni tempus mortis expenditur.

De anno, quo Audoënus diem functus eſt, non levis etiam difficultas. Primus ejus vitæ ſcriptor anonymus tantum ait eum deceſſiſſe Waratone ſubregulo ſeu præfecto palatii, principatu Theoderici regis. Calculum obſcuravit alter ejus vitæ „ ſcriptor Fridegodus, dum ſcrupuloſius explicare voluit, ubi ait Audoënum rexiſſe „ Rotomagenſem eccleſiam annos quadraginta-tres, menſes tres, dies decem; nonage- „ narium vero migraſſe ad Dominum IX. kalendas Septembris, die dominica, & qui- „ dem anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, aliis octavo. Verum, ut cetera diſſimulem, neutro anno dominica in nonum kalendas Septembris incidebat. Certior eſt epocha ab annis quadraginta-tribus regiminis cum tribus menſibus, quos Fridegodus ei aſſignat. Si enim Audoëni pontificatus initium a Maio menſe anni ſexcenteſimi quadrageſimi deſumas, ejus obitum hoc anno octogeſimo-tertio facile collocabis. Favet huic calculo Anſberti ejus ſucceſſoris privilegium pro monaſterio Fontanellenſi, datum anno Theoderici regis ſexto-decimo, aliis tertio-decimo, Anſberti pontificatus quinto: qui vix ante annum ſequentem octogeſimum-quartum conſecrari potuit, ſi Audoënus hoc anno ſub finem menſis Auguſti mortuus eſt. Sed dimittamus has tricas, quas fuſius explicatas vide ſis apud Carolum Cointium ad hunc annum. Quam brevi poſt ſancti Audoëni obitum ejus cultus etiam extra Rotomagenſem provinciam receptus fuerit, infra docebit nos Herlemundus Cenomannorum epiſcopus, qui paucis poſt annis monaſterium in ejus honorem ædificavit.

ANN. CHR. 684. XXXVII.
S. Aldegundis abbatiſſæ obitus.

ANno ſequenti beata Aldegundis virgo & abbatiſſa Melbodienſis ad immortalem Sponſum tranſlata eſt, & quidem III. kalendas Februarii, quo die ejus depoſitio apud Wandelbertum memoratur, recoliturque quotannis in eccleſia Melbodienſi: tametſi alii alios dies ſignant, ob varias ejus tranſlationes. Mortis ſuæ ante aliquot annos divinitus præſcia, eam prædixit ſanctis Giſleno Cellenſi & Humberto Maricolenſi abbatibus, qui paullo ante ipſam e vivis migrarunt. Multas viſiones & revelationes ante obitum ſibi factas indicavit religioſo viro *Subino abbati de Nivialenſi monaſterio*. Pauperum in primis & egenorum curam & ſollicitudinem habuit, eiſque veſtimenta & alimenta per unum e miniſtris ſuis ſuppeditavit ex multis ſolidis, quos ipſius mater ſibi reliquerat. Quin etiam univerſa, quæ *a proximis jure hereditario pereeperat*, (tunc enim propinquorum hereditates inibant etiam monachi & ſanctimoniales) in pauperes & ornatum eccleſiarum diſtribuit, aurum, argentum, gemmas & veſtes pretioſas, præter vile, quod ſibi reſervavit, veſtimen- „ tum cum victu quotidiano, ſolita dicere, Melius eſſe unum ſolidum manu propria „ pauperibus dare, quam centum poſt mortem promittere. Quinto ante obitum die germanæ ſuæ Waldetrudi abbatiſſæ Caſtrilocenſi viſa eſt ab angelis & ſanctis apoſtolis deduci ad Niviallam monaſterium, ubi ſoror utriuſque ſancta Gertrudis humata erat. Ibidem *die paraſceves*, id eſt feria ſexta, ante ſabbatum, quo deceſſit famula Dei Aldegundis, puella quædam ejuſdem cœnobii, *ante triennium velata*, quæ miræ ſimplicitatis & obedientiæ erat, circa noctis medium ingentem conſpexit lucem, audivitque pſallentium voces, reſonantes ab eccleſia ſancti Petri, in qua beatæ Gertrudis corpus quieſcebat; eaſdemque etiam aliæ ſanctimoniales non ſine ſtupore audierunt; eoque indicio ſacratæ virginis Aldegundis obitum ſignificari intellexerunt. Sepulta eſt primum in villa ſuæ quondam ditionis Curtiſolra, ubi mortem obiit; indeque paullo poſt Melbodium tranſlata eſt, curantibus principe, & nepte ejus Aldetrude, quæ ipſi in regimine monaſterii Melbodienſis ſucceſſit, & poſt eam Madelberra, ambæ ſororis ejus Waldetrudis filiæ.

Canonicarū quale inſtitutum.

Primus ſanctæ Aldegundis vitam in litteras retulit auctor anonymus ipſius æqualis, ceteris aliis præferendus, qui eam *matrem cœnobitarum*, puellas ejus monaſterii *ſanctimoniales* ac *ſorores* vocat, & *velatas* fuiſſe dicit. quæ certe nequaquam conveniunt recentiori ſtatui Melbodienſium canonicarum, quas monachas fuiſſe non dubito, uti & Caſtrilocenſes. quod de Nivialenſibus, Romaricenſibus, aliiſque ejuſdem inſtituti in ſuperioribus oſtenſum eſt. Certe, ut jam dixi non ſemel, idque hoc loco repetere juvat, ejuſmodi canonicarum in his partibus nomen & propoſitum inauditum fuit ante Ludovici Pii principatum, cujus anno tertio regula condita eſt in ſynodo Aquiſgranenſi pro canonicabus, cujus tamen inſtitutum longe probabilius erat, quam hodiernarum canonicarum, quippe quod perpetuæ continentiæ

ANN. CHR. 684.

voto puellas illas adſtringebat. Neque tamen inſtitutum illud a Romanis pontificibus probatum fuit, immo valde improbatum, ut patet ex concilio Romano ſub Nicolao II. quod ſuo loco integrum referemus: in quo diſerte legitur, ante prædictam Aquiſgranenſem ſynodum, nullam aliam, quam ſancti Benedicti, univerſalem regulam apud Latinos receptam fuiſſe. Romani concilii hæc verba ſunt. *Et certe hujuſmodi ſanctimonialium*, ſcilicet canonicarum, *inſtitutionem uſque nunc tota Aſia, Africa ſimul & Europa, excepto uno minimo angulo Germaniæ, nec ſcivit, nec recepit: quem quotquot receperunt, a tempore præfati Ludovvici recepiſſe comprobantur. Unde conſtat, ante illum, ſanctimoniales ubivis terrarum habuiſſe quam ſequerentur regulam, a ſanctis patribus ſibi conſcriptam: velut in Latina lingua a beato Benedicto, aliquibus dictionibus a virili ſexu ad femineum tranſlatis: quam utique in ſui regni provinciis inventam, nec Ludovvicus mutare qualibet ratione debuit, aut potuit ſine auctoritate & conſenſu ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis.* Hactenus verba concilii Romani, quibus nihil luculentius ad propoſitum afferri poteſt. Conſule quæ de ſanctæ Aldegundis, aliarumque id generis canonicarum habitu ſuperius [a] diximus. Annum ſanctæ Aldegundis obitus colligimus ex die ſabbati, quod hoc anno biſſextili convenit tertio kalendas Februarii.

a lib. 15. n. 61. & 62. & lib. 16. n. 56.

XXXVIII. Graſellenſis monaſterii origo.

Ipſis Februarii kalendis hujus anni ſcriptum fuit primarium inſtrumentum de conditione monaſterii de Graſello, quod Aredius, alio nomine Petruinus, epiſcopus Vaſionenſis, *in ſuburbano civitatis* ſuæ exſtruxit. quo ſuburbani nomine totum non modo urbis alicujus territorium, ſed etiam pagum, immo aliquando diœceſim totam ſignificari jam ſæpius obſervavimus. Ejus rei litteræ, quas in appendice integras referemus, hoc modo inſcriptæ ſunt: *Dominis venerabilibus atque dilectiſſimis & ſanctis fratribus noſtris comprovincialibus, ſanctarum eccleſiarum Domino diſpenſante rectoribus, Aredius ſive Petruinus ſedis eccleſiæ Vaſenſis civitatis, acſi indignus, Domino diſpenſante pontifex.* & infra: *monaſterium aliquod in ſuburbano civitatis, in loco, cujus vocabulum Graſello, quod nos in honore ſancti Victorii & ſancti Petri, vel reliquorum dominorum ſanctorum eccleſiarum viſi ſumus conſtruxiſſe, placuit nobis, ut ſub inſtituta ſanctorum patrum ipſum monaſterium firmatum eſſe deberetur, ubi congregatio monachorum, auſpice Domino, in ſupra ſcripto monaſterio debeant deſervire: ut ſecundum normam venerabilis viri ſancti patris Benedicti abbatis, vel ſancti Macarii, ſeu ſancti Columbani degere vel habitare deberent.* En trium regularum inſignis conjunctio, quales antehac plurimas jam obſervavimus. *Factum kalendis Februarii anno decimo domini noſtri Theoderici regis.* Inſtrumento ſubſcribunt Petruinus epiſcopus, & cum eo alii epiſcopi octo, Wolbertus, Agliacus, Ambroſius, Tredicus, Godebertus, Leodegarius, Paſcaſius, Ruſticus. Deinde Ago abbas, Paſcaſius presbyter, Delfinus abbas, Maurontus archidiaconus, Genno diaconus. Eccleſia Vaſenſis ſeu Vaſionenſis, quæ modo Avenionenſi ſubeſt, ſuffraganea tunc erat metropolis Arelatenſis, ſub qua octo erant epiſcopatus, ſcilicet Avenionenſis, Maſſilienſis, Tricaſtinenſis, Tolonenſis, Arauſicanus, Carpentoractenſis, Vaſenſis, & Cabellicenſis: qui tres poſtremi modo ſubjacent archiepiſcopo Avenionenſi. Novem ſubſcribunt prædictis litteris epiſcopi, id eſt metropolitanus Arelatenſis cum octo ſuffraganeis ſuis; ſed cujus ſedis ſinguli fuerint, incertum, præter Aredium ſeu Petruinum Vaſenſem, qui primus ſubſcribit, & Wolbertum ab eo proximum, qui tunc erat pontifex Arelatenſis. Chlodoveus rex ſuo diplomate approbavit conditionem ejus monaſterii, quod Petrus Vaſenſis antiſtes anno unde-ſexageſimo ſupra milleſimum Maſſilienſi ſancti Victoris abbatiæ ſubjecit, cujus nunc cella [b] eſt ſub titulo ſanctæ Mariæ & ſancti Petri ac S. Victoris de Graſello, vulgo Granſello.

b V. Caſſian. illuſt. p. 447.

XXXIX. S. Filiberti abbatis obitus.

Sub idem tempus ſanctus Filibertus abbas in Herenſi monaſterio ad cælum migravit XIII. kalendas Septembris, quo die in vetuſtis martyrologiis laudatur. Quid in ejus morte acciderit, non prodit ejus vitæ ſcriptor monachus Gemeticenſis anonymus ſubæqualis, qui libellum hac de re ſcripſit juſſu Coſchini abbatis poſt Aicadrum Gemeticenſis, atque etiam Centulenſis poſt Ocioaldum ſancti Richarii ſucceſſorem. Ermentarius monachus Gemeticenſis, dein vagæ Herenſis congregationis ſæculo anno abbas, hanc ipſam lucubrationem Hilduino abbati nuncupavit, cum duobus libris miraculorum ab ſe conditis: non quod ejus auctor haberi vellet, ſed ut antiquioris illius vitæ, uti & miraculorum lectione Hilduinus moveretur ad impetrandum a Carolo Calvo refugii locum Herenſibus monachis, qui tum palabundi

Coſchinus abbas ejus diſcipulus.

ANN. CHR. 684.

per Gallias cum ſancti Filiberti corpore ob tempeſtatem Nortmannorum vagabantur. Non audiendus itaque ſive Petrus Franciſcus Chiffletius, qui Coſchinum ad ſæculum nonum remittit; ſive Carolus Cointius, qui Clotinum Centulenſem abbatem pro Coſchino ſupponit, ut Coſchinum ad idem tempus differat. Utrique præponderare debet Hariulfus chronographus Centulenſis, qui Coſchinum abbatem, non Clotinum, habet Ocioaldi ſucceſſorem, eumdemque ſancti Filiberti diſcipulum fuiſſe ex majorum relatu tradit. Sancti Filiberti cultum ſæculo octavo jam in Gallia viguiſſe docet Alcuini epigramma CXXXV. ubi aram ipſi erectam memorat hoc diſticho:

Hanc pater egregius aram Filibertus habebit,
Plurima conſtruxit qui loca ſancta Deo.

Inter eximias ejus virtutes, mendacium, tamquam mortale venenum, fugiſſe traditur.

XL. Mummolinus epiſcopus Noviomenſis moritur.

Filiberto non diu ſuperſtes fuit Mummolinus epiſcopus Noviomenſis, mortuus XVII. kalendas Novembris, poſtquam per viginti & ſex annos eccleſias Noviomenſem & Tornacenſem rexiſſet. Corpus ſuum moriens in communi cœmeterio extra urbis mœnia ſepeliri mandavit: ſed tamen humatum fuit in æde ſanctorum apoſtolorum, ubi ſancta Godeberta virgo ſepulta fuerat. Hæc eſt Godeberta, quam a multis procis in matrimonium expetitam ſanctus Eligius, Mummolini deceſſor, aureo anulo ſuo virginem conſecravit: cui Chlotharius rex, ut jam dixi, aſſentientibus principibus, ſuum Noviomenſe palatium cum ſuburbano oratorio beati Georgii martyris, duaſque villas fiſcales, & aliquot puellas regendas dediſſe perhibetur: ex quo inditus Godebertæ abbatiſſæ titulus. Sancti Mummolini corpus in eccleſia Noviomenſi aſſervatur, præter partem ejus capitis, quæ habetur in Sithienſi monaſterio, ubi monachus & abbas ante adeptum epiſcopatum fuerat.

XLI. Hunulficurtenſe monaſterium S. Bertino conceſſum.

a Diplomat. p. 607.

Præerat tunc temporis huic monaſterio Bertinus abbas, cui vir illuſter Amalfridus tradidit puellare monaſterium, quod ipſe in prædio ſuo Hunulficurte, in pago Cameracenſi ad Scaldim exſtruxerat, regendumque filiæ ſuæ Aurianæ tradiderat. Editæ ſunt a nobis hujus donationis litteræ in libro ſexto [a] de re diplomatica, quibus Amalfridus teſtatur, „ſe conceſſiſſe atque delegaſſe ad monaſterium *Sitdiu*, ubi venerabilis vir Bertinus abbas præeſſe videtur, una cum voluntate vel convenientia filiæ ſuæ Aurianæ, quæ ibidem rectrix eſſe videtur, monaſterium ſuum, cujus vocabulum eſt Hunulfocurtis, in pago Cambricenſe, ſuper fluvio *Scald*, quod ipſe in proprietate ſua exſtruxerat in honore ſanctæ Mariæ, vel ſancti Petri, ſeu ſancti Martini, ſeu ſanctæ Pollinæ, ubi ipſa pretioſa gemma requieſcit in corpore. Tum obteſtatur Sithienſes fratres, eorumque rectores, ut ipſi monaſterio dimiſſa, de curſo ſeu officio divino, & de luminaribus provideant, & de hoſpitibus ac peregrinis curam habeant, nomenque ſuum adſcribant in libro vitæ, id eſt in diptychis ſeu necrologio monaſterii Sithienſis. Actum Vermandis *, quod fecit menſis Februarius dies octo, in anno duodecimo regni domini noſtri Teuderici glorioſiſſimi regis.“

* Vermans.

b Ibid.

Hanc donationem confirmavit [b] idem princeps in Cariſiaco palatio kalendis Aprilis, anno quarto-decimo regni ſui; eique conſenſum Childebertanæ Amalfridi uxoris interveniſſe ait. Addit Johannes Iperius, Amalfrido Aurianaque defunctis, a Bertini ſucceſſoribus monachos in locum monialium ſuffectos fuiſſe; ſed tandem, qua occaſione incertum, monaſterii Sithienſis poteſtate excidiſſe. Baldericus epiſcopus in chronico [c] meminit monaſterii ſancti Petri in villa *Hunulcort*, quod illuſtris vir Amalfridus cum uxore Childebertana fundavit, deputatiſque ſanctimonialibus cum clericis, id eſt monachis, filiam ſuam Aurianam præfecit, poſtquam Vindicianus Cameracenſis antiſtes, accerſitis ſecum non paucis epiſcopis, unaque etiam beato Lantberto Leodicenſi martyre, illud conſecraverat. Balderici tempore, id eſt ſæculo undecimo, hoc monaſterium ad paucos canonicos redactum erat. nunc abbatia eſt ordinis ſancti Benedicti, priſcum retinens * nomen, ſeptem paſſuum millibus ab urbe Cameraco, haud procul Vermandis *, ubi donationis Bertino factæ inſtrumentum confectum eſt. Diſtinguendus hic locus ab Auguſta-Viromandorum ſeu Quintinopoli, epiſcopali ſede, ut quibuſdam videtur, inſigni, antequam hæc in urbem Noviomagum ſeu Noviomum transferretur. quamquam nonnulli Vermandis opido, quod quinque circiter millibus ab Auguſta diſtat, id tribuendum contendunt. In

c Balderic. lib. 1. c. 10.

* Humecourt.

* Vermans.

ANN. CHR. 684.

duobus epiſcoporum Noviomenſium antiquis indicibus, quorum prima manus, unius quidem medio ſæculo decimo in Hadulfo, alterius in Lamberto ſæculo ſequenti deſinit; in his, inquam, duobus indicibus poſt Alomerum ponitur ſanctus Medardus, de quo hæc ſubduntur: *Hic propter Vermandi*, in alio *Viromandi*, *ſubverſionem*, *Noviomum ſedem conſtituit epiſcopalem: qui etiam poſt ſancti Eleutherii epiſcopi Tornacenſis obitum regendam ſuſcepit eccleſiam Tornacenſem.* Hæc obiter. Ante biennium Theodericus rex eidem Bertino præceptum ſeu diploma immunitatis [a] dederat de his, quæ in fiſco Attiniacenſi comparaverat.

[a] *Diplomat. p. 606.*

XLII. Toletana concilia XIII. & XIV.

Hoc anno, Ervigii regis quinto, habitum eſt Toletanum concilium quartum-decimum, in quo ſextum univerſale concilium adverſus Monothelitas receptum fuit, nullis ſtatutis in rem monaſticam editis, uti neque in præcedenti Toletano concilio, anno ſuperiori celebrato, cujus canone ſeptimo cautum eſt, ut ne deinceps occaſione jurgiorum aut gravaminum acceptorum, quod a viris etiam ſanctis factum legimus, altaria ornamentis exuerentur, aut luminaria, vel divinorum ſacrificiorum aut officiorum cultus ſubtraherentur. qui mos nihilo minus, ſaltem in Gallia, diu poſt illud tempus perſeveravit, ut videbimus. Huic concilio tertio-decimo poſt epiſcopos ſubſcribunt abbates quinque, Abſalius*, Fauſtinus, Gerontius, Caſtorius, ac Siſebertus, & inter vicarios epiſcoporum Pacatus abbas agens vicem Sunifredi epiſcopi Narbonenſis, Freidebadus abbas vice Valderodi epiſcopi Cæſarauguſtani, Veremundus abbas vice Clari epiſcopi Elenenſis, Citruvinus abbas vice Stephani epiſcopi Carcaſſenſis, Audebertus abbas vice Gadiſcaldi epiſcopi Oſcenſis, Leopardus abbas vice Potentini epiſcopi Uticenſis, Vincentius abbas vice Gaudentii epiſcopi Valerienſis, Segarius abbas vice Gundilani epiſcopi Impuritani, Stabilius abbas vice Auſterii epiſcopi Tyraſſonenſis, Johannes abbas vice Reginci epiſcopi Aucenſis, Leopardus abbas vice Aurelii epiſcopi Aſturicenſis, & fortaſſe alii nonnulli, qui ſub titulo preſbyteri vel diaconi ſubſcribunt. quod etiam de aliis conciliis obſervandum. Ex his omnibus abbatibus unus nobis cognitus eſt Citruinus abbas Caſtrenſis, qui poſtea epiſcopus Albigenſis factus eſt, ſcilicet poſt Richardum, & quidem anno [b] ejus ſæculi nonageſimo-ſecundo. Is ritus antiquos reſtituiſſe fertur, rigidus utique cenſor, quo nomine afficitur in ſubjectis [c] verſibus.

* *al.* Aſalius.

Citruinus abbas Caſtrenſis.

[b] *Spicil. to. 7. p. 336.*

[c] *Ibid p. 339.*

Heſperias rigidus cenſor pervenit ad oras,
Ritusque antiquos reſtituiſſe ferunt.
In Toletano cœtu Citruinus obivit
Carcaſſonenſis munus epiſcopii.
Cumque cathedra ſuo Albiga ſeſſore careret,
Antiſtes factus judicio eſt populi.

Cujus rei cauſa profectus ſit ad Heſperias oras, quod vel de Hiſpania, vel de Italia interpretandum, optandum eſſet ut poëta ille nobis clarius expoſuiſſet. Si de Hiſpania, ut concilio intereſſet; ſi de Italia, forte itineris cauſa fuit, ut monaſticos ritus puriores addiſceret, eoſque induceret in ſuum Caſtrenſe ſancti Benedicti monaſterium, cujus tertius abbas erat, nempe poſt Robertum & Fauſtinum, qui duo primi abbates ejus loci memorantur. Plerique ex prædictis abbatibus ſubſcribunt quarto-decimo concilio Toletano, ſed alii etiam præter eos, cum proprio nomine, cum vice epiſcoporum ſuorum: quos abbates hic commemorare nihil juvat, cum monaſteria eorum ignoremus. Ex his Maximus abbas, qui in hoc concilio vices egit Stephani metropolitani Emeritenſis, idem eſſe videtur Maximus Emeritenſis antiſtes, qui Toletano concilio quinto-decimo poſt annos quatuor ſubſcripſit.

ANN. CHR. 685.

XLIII. Bercharius abbas Dervenſis cæditur.

ANno ſexcenteſimo octogeſimo-quinto conſignanda videtur mors Bercharii abbatis Dervenſis, & Condedi monachi Fontanellenſis. Bercharius præter Altivillarenſe monaſterium, & Dervenſe, in quo deceſſit; unum etiam virginum, Puellare-monaſterium vulgo dictum, non procul a Dervenſi extruxerat, eique Waltildem præpoſuerat abbatiſſam. Cum mortem ſibi imminere intelligeret, inſtante paſchali ſollemnitate, feria quinta, qua cæna Domini celebratur, virginum cœnobium adiit, eiſque ſalutaria monita dedit; tum data illis benedictione & ſalutatione extrema, in ſuum Dervenſe monaſterium reverſus eſt. Erat eo in loco quidam mona-

ANN. CHR. 685.

chus nequam, Daguinus nomine, quem Bercharius ex ſacro fonte ſuſceperat, & monaſtica ibidem veſte induerat. Hunc cum ob facinora acriter, ut par erat, identidem objurgaret, tanto ille animi furore tandem correptus eſt, ut pium patrem interficere, prô nefas! monſtrum illud ſuſtinuerit. nam virum ſanctum in lecto decumbentem noctu aggreſſus, arrepto cultello perfodit, & pii patris ſanguine impius filius manus proprias maculavit. Mox, projecto in proximam piſcinam cultello, qui aquis ſupernataſſe fertur, eccleſiam petiit, cruentis manibus ſignum pulſavit, demens, quaſi monachos ſceleris ſui teſtes convocaturus. Hi vero concurrunt ad patrem, quem ſemianimem inveniunt. Mox cædis auctorem adducunt, ſcire cupientes, quid de admiſſo tanto ſcelere ſtatueret. Hic vero, exempli Chriſti domini non immemor, facinus Dagnino condonavir, eum hortatus, ut condigna pænitentia id expiarer, ejuſque rei cauſa Romam pergeret, indulgentiam a principe apoſtolorum imploraturus. Profectus inde Daguinus, ſecundum præceptum viri Dei Romam petiit, unde poſtea non eſt reverſus. Bercharius vero, letali vulnere in dies pejus habente, demum ad extrema venit, & ex hac mortali vita ad immortalem tranſivit VI. kalendas Aprilis. Sepultus eſt in quodam loco extra eccleſiam, haud dubie in communi fratrum cœmeterio, inde paullo poſt tranſlatus in baſilicam ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum, quam ipſe ædificaverat, & retro alrare depoſitus XVI. kalendas Martii: ex cujus ſepulcro oleum in vas ſubjectum, infirmis valde ſalubre, per longum tempus defluxiſſe dicitur. Alia ejuſdem tranſlatio facta eſt XVII. kalendas Novembris: quo die in Uſuardi martyrologio ſecunda manu adſcriptus legitur his verbis: *Dervo monaſterio ſancti Bercharii martyris atque abbatis.* Sic martyres appellabant pios homines, qui injuſte, ſeu nullam ob cauſam necati fuerant. Librum de vita ſancti Bercharii ſcripſit ſæculo decimo labente Adſo ejus loci abbas, inchoavitque librum alterum de ejuſdem miraculis, quem anonymus quidam continuavit. Initio chartarii Dervenſis præmittitur manu non admodum antiqua index abbatum Dervenſium: in quo Bercharius hoc anno, id eſt Chriſti domini ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, poſt annos regiminis viginti & unum, de hoc ſæculo migraſſe, eidemque Synaulius abbas ſucceſſiſſe traditur. Synaulii ſucceſſores ignoti uſque ad Hautonem abbatem Stabulenſem ſimul ac Dervenſem, qui, favente Ludovico auguſto, Dervenſes ad priſca inſtituta revocavit.

Gaugiaci parthenum an condiderit.

Habetur in eodem chartario charta [a] Reoli epiſcopi Remenſis, a quo Beracharius
» abbas obtinuiſſe dicitur, ad puellarum monaſterium conſtruendum, locum de rebus
» eccleſiæ Remenſis, *infra urbem Cathalaunenſium, in pago Pertenſi ſupra fluvium Matronam*, id eſt villam, quæ dicitur Gaugiacus, ſive alio vocabulo Epiſcopi-villa, quam
» ſanctimonialis femina, nomine Ama, quæ ſub titulo religionis vitam finivit, per
» ſuas chartas eccleſiæ Remenſi donaverat. Hanc autem donationem Reolus ſe feciſſe
» ait cum conſenſu fratrum ſuorum, vel concivium Remenſium, *hoc eſt tam archidiaconibus, abbatibus, presbyteris quoque & diaconibus, vel omni clero eccleſiarum, ſeu &*
» *inluſtribus viris, qui infra urbem commanere videntur*, conſentientibus, quorum no-
» mina eidem chartæ ſubſcripta ſunt. Atque ut hæc donatio fieret citra Remenſis ec-
» cleſiæ detrimentum, eidem eccleſiæ in compenſationem a Reolo datur in pago Le-
» movicino villa Tinnovero, quam de Vetranione diacono dato pretio comparaverat,
» & caſa in Novo-caſtro, *conſtructa in ipſa urbe Lemovicina.* Quod ſi forte ſanctimonia-
» les illæ ex villa Gaugiaco in alium locum migrare vellent; ipſa villa revertatur ad
» monaſterium Altivillare, *quod anteceſſor noſter*, inquit, *domnus & pater Nivardus quondam epiſcopus ſuo opere conſtruxit. Actum in villa Compendio ſub die kalendarum Maii, anno tertio-decimo regni domni noſtri Theoderici regis.* Subſcribunt poſt Reolum Anſooldus epiſcopus, forte Pictavenſis, Petrus abbas, Harmarus abbas, Hilduinus abbas, & Leocadius abbas, præter alios, haud dubie clericos, quos in appendice noſtra hic habes, ubi integrum inſtrumentum referemus. Ex his vero chronologicis notis diſcimus, Bercharium non ante annum Theoderici regis tertium-decimum, qui hoc anno, vel certe inſequenti incœpiſſe videtur, e vivis exceſſiſſe. Mirum eſt nullam hujuſce parthenonis mentionem fieri ab Adſone, aliiſve, qui de ſancto Berchario ſcripſerunt. Veri ſimillimum eſt, Bercharium, paullo poſt mortuum, rem imperfectam reliquiſſe. Certe in chartaceo codice antiquiori Dervenſes habere dicuntur in Gogiaco manſum indominicatum unum cum terra arabili ad ſeminandum modios triginta, & cum vinea, ubi poſſunt colligi vini modii tres; nulla monaſterii

[a] V. Append.

ANN. CHR. 685.

mentione facta. Ceterum quatuor illi abbates, qui litteris Reoli epiſcopi ſubſcripſerunt, videntur præfuiſſe quatuor, quæ jam tunc prope Remos erant, monaſteriis, nempe ſancti Remigii, ſancti Theoderici, ſancti Baſoli & Altivillarenſi. Duo ex his ſubſcripſerunt ipſius Bercharii litteris de alodiis propriis, quæ Dervenſi monaſterio contulit, nempe Harmarus & Hilduinus abbates. Leocadius cancellarius eas litteras ſcripſit, idem haud dubie, qui jam abbas ſuperiori chartæ ſubſcripſit. Videntur in illis ſubſcriptionibus multi deeſſe, quos Reolus eidem chartæ ſubſcripſiſſe in contextu teſtatur. Nunc Epiſcopi-villa * pertinet ad Altivillarenſe monaſterium, prout Reolus ſtatuerat, deficientibus nimirum eo loci ſanctimonialibus.

* Voqueville.

XLIV. Condedus moritur.

Condedus monachus haud longe a Fontanellæ monaſterio in Belcinnaca Sequanæ inſula, cum per annos aliquot contemplativam vitam duxiſſet; ad claram Dei viſionem raptus eſt XII. kalendas Novembris, ſepultuſque eſt in baſilica beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ab ſe conſtructa, ubi multa ſe invocantibus beneficia contuliſſe dicitur. Poſt aliquot annos, cum inſula illa fluvii eluvione abſorberetur, ſancti viri corpus inde Fontanellam tranſlatum eſt, depoſitumque in baſilica beati Petri apoſtoli juxta oratorium ſancti Martini ad plagam meridianam, appoſito ad ejus ſepulcrum epitaphio, quod in ejus actis retulimus. Sancti Condedi depoſitio apud Fontanellenſes colitur ipſo ejus obitus die, ſcilicet XII. kalendas Novembris; tranſlatio vero VII. kalendas Junii, quando ipſius corpus a Rotberto pontifice Rotomagenſi una cum corpore ſancti Eremberti epiſcopi Toloſani uno in loculo repoſitum eſt anno Domini milleſimo viceſimo-ſeptimo. Is fuit exitus Condedi anachoretæ, qui ex Britannia inſula in Galliam pro more gentis acceſſerat.

XLV. Girvvenſe monaſterium conditur.

* Jarrow.

Interim Northumbrenſium aquilonares partes ſua, diſcipulorumque ſuorum ſanctitate illuſtrabat Benedictus, cognomento Biſcopus, qui præter Wiremuthenſe beati Petri monaſterium, aliud in proximo loco, cui Girvo * nomen erat, in honorem ſancti Pauli molitus eſt. Huic pio conſilio Egfridus rex, qui fundum ad primum illud exſtruendum conceſſerat, recte collocato delectatus beneficio, quadraginta familiarum poſſeſſionem poſteriori conſtruendo largitus eſt. quo familiæ nomine portionem terræ, quanta unius aratri culturæ ſufficiens erat, veteres illi Brittones ſeu Anglo-Saxones intelligebant, *hidas* alio vocabulo, ſeu *carrucatas* appellare ſoliti. Inchoata fuerat ante annos quatuor Girwenſis monaſterii fabrica, cui demum hoc anno ſuprema impoſita eſt manus, probante antiqua ejus loci inſcriptione, in qua dedicatio eccleſiæ ſancti Pauli VIII. kalendas Maii, anno quinto-decimo Ecfridi «
regis, facta dicitur, & quidem Ceolfridi ejuſdem eccleſiæ auctoris anno quarto, «
quem Ceolfridum Biſcopus ibidem abbatem præfecerat ſeptem-decim monachis, ex majori ſancti Petri monaſterio iſtuc adductis. Hoc vero monaſterium conſultu, immo etiam juſſu regis ita ordinatum eſt, ut una & indivulſa utriuſque loci pax & concordia eſſet, eademque utrobique neceſſitudo & familiaritas perpetuo conſervaretur: ut, ſicut corpus a capite, per quod ſpirat ac vivit, non poteſt avelli: ita unum ab altero monaſterium, fraterna ſocietate ſic conjunctum, nullo pacto ſeparari ac diſturbari poſſet. Is eſt Ceolfridus monachus, quem a primordiis inſtituti prioris monaſterii Biſcopus non ſemel in Romano itinere ſocium & adjutorem habuerat.

Ceolfridus abbas.

XLVI. Eſtervvinus Biſcopi coadjutor vir eximius.

Sed quia eidem Biſcopo Romam denuo repetendi neceſſitas incumbebat, Eaſterwinum ſeu Eſterwinum, ſancti Petri monachum, eidem monaſterio ſui loco abbatem præfecit, ut, quem ſolus non poterat, ſocia dilectiſſimi commilitonis virtute laborem levius ferret. Nec ab re videatur, duos uni monaſterio ſimul præfuiſſe abbates. nam præterquam quod id antiquis exemplis non carebat, hoc ſane exigebat frequens Biſcopi in tranſmarinas partes profectio, incertuſque reditus. Hanc præfecturam iniit Eaſterwinus nono anno a conditione monaſterii Wiremuthenſis, quod anno ejus ſæculi ſeptuageſimo-quarto exſtructum diximus, eamque ad obitum ſuum annis quatuor retinuit. Erat is patruelis abbatis ſui Benedicti, ſed nullo carnis reſpectu ab eo electus ob eximias dotes, quas in ſæculari dignitate olim exſeruerat, cum eſſet Egfridi regis miniſter. At, relictis ſemel negotiis ſæcularibus, abjectiſque armis corporeis, in ſpiritali militia tam pie ac modeſte ſe geſſit, ut fratrum ſimillimus aliorum, ventilare cum eis frumentum & triturare non erubeſceret, immo nec oves vitulaſque mulgere, atque in piſtrino, in horto, in coquina, ceteriſque monaſterii humilioribus officiis exerceri gauderet. Sæpe, cum ad procurandā monaſterii negotia foras egreſſus, eodem reverteretur; ſi quando laborantes inve-

ANN. CHR. 685.

niret fratres, ſtatim cum eis in opus ſe adjungebat, ſive aratri ſtiva regenda, ſive malleo domandum ferrum, ſeu ventilabrum manu excutiendum eſſet, aut quidvis aliud faciendum. Erat ille quidem mitis & benignus adverſus omnes; ſed, ubi res exigebat, fortis & infractus, adeoque peccantes regulari diſciplina opportune coercens; magis tamen ex ingenita diligendi conſuetudine ſedulo admonens, ut ne quis peccare vellet, aut nativam vultus ipſius lucem nubilo cujuſvis aſperitatis infuſcare. Ceterum eodem quo ceteri fratres cibo, eodemque in refectorio veſcebatur; ipſoque, quo, priuſquam abbas eſſet, communi dormiebat in loco: adeo ut extremo etiam morbo correptus, duos adhuc dies in dormitorio fratrum quieſceret. quod quaſi inſolitum Beda conſulto videtur obſervaſſe. Reliquos quinque vitæ ſuæ dies in ſecretiori cella exegit, ex qua die quodam egreſſus, & ſub divo reſidens, accitis ad ſe cunctis fratribus, oſculum pacis mærentibus, & tanti patris abſceſſum lugentibus dedit. Obiit pridie nonas Martias, dum fratres matutinis laudibus vacarent, annos natus dumtaxat triginta-ſex: ex quibus viginti-quatuor in ſæculo, duodecim in monaſterio annos vixit, ſeptem quidem in ſacerdotio, quatuor in monaſterii regimine. Florentius Wigornienſis auctor eſt, eum hoc anno octogeſimo-quinto peſte ſublatum fuiſſe: quo mortis genere ipſum cum multis ejus fratribus deceſſiſſe Beda teſtatur. Forte Florentius annum hunc numeravit ſecundum veterem calculum, qui annus ſecundum novum eſſet octogeſimus ſextus. Cum enim annus nonus a condito Wiremuthenſi monaſterio coincidat in annum octogeſimum-ſecundum, quo Eaſterwinum Biſcopus in coadjutorem ſeu coabbatem adoptavit; Eaſterwini regiminis annus, quo deceſſit, quartus facile in Martium menſem anni octogeſimi-ſexti extendi poteſt. Sed id levioris momenti.

XLVII. Biſcopi novum iter Romam.

Eaſterwino ſancti Petri, & Ceolfrido ſancti Pauli monaſterio præpoſitis, Biſcopus quarta vice ex Britannia ſolvit, Romam denuo petiturus; atque inde innumeris eccleſiaſticæ ſupellectilis donis locupletatus rediit, magna ſcilicet ſacrorum voluminum copia, & ſanctarum imaginum, quæ concordiam veteris ac novi teſtamenti concinno artificio exhibebant. Exempli cauſa, una Iſaacum ligna, quibus immolaretur, portantem; & e regione altera Chriſtum Dominum ſuam crucem geſtantem repræſentabat: aliæ duæ ſerpentem in eremo a Moſe erectum, & Chriſtum ipſum in crucem ſublatum oſtendebant. Attulit etiam inter alia, pallia duo holoſerica incomparandi operis, quibus poſtea ab Aldfrido rege, qui Egfrido interfecto hoc anno ſucceſſerat, terram trium familiarum ad oſtium Wiri fluminis comparavit. Verum lætum ac felicem ejus reditum illud obſcuravit, quod Eaſterwinum, quem

Sigfridus coabbas poſt Eſtervvinum.

diſceſſurus ſancti Petri abbatem inſtituerat, peſte ſublatum cum monachis ejuſdem loci non paucis accepit. At dolorem hunc relevabat electio Sigfridi diaconi ex eodem monaſterio, viri moribus probatiſſimi ac mitiſſimi, ſcientia ſcripturarum non mediocriter inſtructi, ſed corporis infirmitate ex vitio pulmonum laborantis, quem fratres una cum Ceolfrido coabbate in locum Eaſterwini ſubſtituerant.

XLVIII. Egfrido regi ſuccedit Aldfridus

a Beda lib. 4. c. 26.

Reperit etiam in reditu mortuum Egfridum regem Northanimbrorum, qui in bello temere ſuſcepto occubuerat. Is anno ſuperiore in Hiberniam [a] Scottorum inſulam miſſo exercitu duce Berhto, innoxiam gentem & Anglorum nationi amiciſſimam, miſere vaſtavit; ita ut nec eccleſiis quidem aut monaſteriis parceret hoſtilis manus. Tum hac victoria elatus, imprecantium Scottorum vim orationum expertus eſt, cum hoc anno eamdem ſtragem in Pictorum provinciam, Britanniæ aquilonarem, inſerre tentavit, multum renitentibus ejus familiaribus, maxime beato Cuthberto, qui recens ordinatus epiſcopus erat. nam ducto in Pictos exercitu, ſimulantibus fugam hoſtibus, inacceſſorum montium illatus in anguſtias, periit cum maxima parte copiarum ſuarum, anno ætatis quadrageſimo, regni quinto-decimo, die tertio-decimo kalendarum Juniarum. Hinc Picti effuſi in terras Anglorum, alios gladio ceciderunt, alios in citeriores Britanniæ partes refugere compulerunt. Ex his Trumwinus epiſcopus Pictorum auſtralium, qui genere Anglus erat, ſe recepit in Streaneshalenſe monaſterium, auxilio futurus regiæ virgini Elfledæ, Egfridi germanæ ſorori, quæ una cum Elfleda matre illi cœnobio præerat: ibique cum paucis ſuorum, quorum ceteros variis monaſteriis commendaverat, in monaſtica diſtrictione multo tempore vitam duxit, ac poſt mortem ſepultus eſt. Egfrido in regnum ſucceſſit Aldfridus, frater ejus creditus, & putatitius filius Oſwii regis, diſtinguendus ab Alchfrido, Egfridi germano fratre, qui cum Oſwio patre aliquamdiu

diu regnaverat, eodemque ſuperſtite mortuus fuerat. Erat Aldfridus verſatiſſimus in ſcientia ſanctarum ſcripturarum, quarum ſtudio ſe contulerat in Scottorum inſulas, amore ſapientiæ ſpontaneum paſſus exſilium, inde cæſo Egfrido ad capeſſendum regnum hoc anno in patriam revocatus. ANN. CHR. 685.

XLIX. Cuthbertus ordinatur epiſcopus.

Cuthbertus ab annis novem in Farne inſula ſolitariam ducebat vitam, cum promotus eſt invitus ad epiſcopatum, prout Boiſilus præpoſitus Mailroſenſis olim ipſi prædixerat. Id factum paullo ante Egfridi regis exitium, cujus vaticinium Elfledæ Streaneshalenſi abbatiſſæ ejus ſorori aliquando protulerat. Hæc, ſancti viri zonæ contactu ex graviſſimo languore penitus relevata, ejus conſpectu & colloquio frui ſummopere cupiebat. Acceſſit ille, ipſa flagitante, ad inſulam Coquedi, fluminis oſtio præjacentem, quæ ab eodem fluvio nomen accepit, & ipſa monachorum cœtibus inſignis. Inter colloquendum regia virgo, Cuthberti pedibus advoluta, eum adjuravit, ut ſibi diceret, quam longo tempore victurus eſſet Egfridus frater ipſius, & quem ſucceſſorem eſſet habiturus. At vir Dei vix tandem adduci potuit, ut unius tantum anni vitam regi ſupereſſe diceret, cui Aldfridum ſucceſſurum non obſcure ſignificavit. Tum de futura ſua dignitate ſciſcitanti reſpondit, ſe quidem, quamquam indignum, divino judicio ad epiſcopatum deſtinatum eſſe; ſed poſt annos haud amplius duos priſtinæ ſolitudini reſtituendum. Poſtea reverſus ad inſulæ ſuæ receſſum, non multo poſt congregata ſynodo epiſcoporum, cui Theodorus archiepiſcopus præſidebat, in præſentia Egfridi regis unanimi omnium conſenſu electus eſt ad epiſcopatum. Miſſis ad eum hujus rei nuntiis, nequaquam loco moveri potuit, dum rex ipſe, & cum eo ſanctiſſimus epiſcopus Trumwinus, aliique proceres, & religioſi viri quam plurimi, ad inſulam Farnem profecti, genibus flexis cum lacrymis per Dominum obteſtantur omnes, ut ſe vinci pateretur. Tum illum lacrymis quoque madidum extrahunt e latebris, & ad ſynodum pertrahunt, atque impoſitæ dignitatis oneri collum ſubmittere compellunt. Non tamen ſtatim ordinatus eſt; ſed tantum peracta hieme, & quidem in ipſa paſchali ſollemnitate, quæ VII. kalendas Aprilis hoc anno celebrabatur, ejus conſecratio facta eſt Eboraci coram Egfrido rege & ſeptem epiſcopis, quorum princeps Theodorus erat. Electus eſt primo ad epiſcopatum Haguſtaldenſem pro Trumberhto exauctorato: ſed quoniam Lindisfarnenſi eccleſiæ, in qua converſatus fuerat, præfici maluit; placuit, ut ejus regimen ſuſciperet loco Eatæ epiſcopi, abbatis quondam ſui, qui ad ſedem Haguſtaldenſem reverſus eſt. In epiſcopatu commiſſam ſibi plebem precibus fovebat aſſiduis, admonitionibus ſaluberrimis ad cæleſtia vocabat, non magis verbo informans quam exemplo. Mœſtos ac puſillanimes recreare, male gaudentes ad ſalubrem revocare triſtitiam; eſurientibus alimenta, algentibus veſtes præbere; in montanis & agreſtibus locis, ubi eccleſiæ ejus comitatum non capiebant, fixis tentoriis prædicare; ſuper baptizatorum capita adhibita ſacra unctione manus imponere; denique ſolitam in victu parſimoniam, & in ipſa turbarum frequentia monaſticæ vitæ rigorem ſollicitus obſervare.

Egfrido contra Pictos dimicante, verſabatur in Luguralia civitate, Carleolo * alias dicta, cum Ermenburga regina, quæ ibidem in ſuæ ſororis monaſterio eventum belli exſpectabat. Cuthbertus infauſtum regis interitum cælitus agnovit. Mox reginam adiens, erat autem dies ſabbati: Vide, inquit, ut illuceſcente ſecunda ſabbati aſcendere currum feſtines, (Anglis quippe die dominico curru vehi non licebat) & in regiam civitatem quantocius properes, ne forte rex occiſus ſit. quod re vera ita eſſe docuit eventus. Rege mortuo, Ermenburga ſeu Irminburga repente mores mutavit, invidiam, qua in Wilfridum flagrabat, depoſuit; &, ut Eddii verbis loquar, ex lupa agna Domini, id eſt ſanctimonialis, & perfecta abbatiſſa ac materfamilias optima effecta eſt, nempe in cœnobio Carleolenſi ſuperius memorato, cui tum ejus ſoror præerat. Iſtuc non multo poſt necem regis Cuthbertus epiſcopus rogatus advenit, ut ibidem ſacerdotes conſecraret, & reginam ipſam *habitu ſanctæ converſationis* indueret. Virum Dei ibidem convenit Herebertus venerabilis preſbyter, jam dudum ei ſpiritalis amicitiæ fœdere copulatus, qui in inſula Deorwentionis fluvii ſolitariam vitam agebat, & ad eum ſingulis annis venire conſueverat. Is, intellecto ſeſe amplius invicem non viſuros, provolutus ejus genibus profuſis lacrymis flagitavit, ne ſe in terra ſuperſtitem moriens relinqueret. quod Cuthbertus a Deo precibus obtinuit.

* Carlile;

Ermenburga regina fit monacha.

Herebertus anachoreta.

ANN. CHR. 685. L. Theodorus cum Wilfrido pacem reformat.

Eadem Egfridi cædes Theodoro redintegrandæ cum Wilfrido pacis occaſio fuit. Dolebat ille ſe regis ac reginæ conſiliis nimisquam obſequentem, vexandi ſancti antiſtitis conſcium & miniſtrum fuiſſe. Accedebant frequentes in affecta ætate morbi, qui ipſum de proximo ſuo exitu admonebant. Itaque Wilfridum, unaque Erchenwoldum Lundonienſem epiſcopum ad ſe ut veniant invitat. Illis præſentibus totius vitæ ſuæ curſum coram Domino ſincere expoſuit; & ad Wilfridum:
» Hic maxime, inquit, ſcrupulus me premit, quod in te, ſanctiſſime antiſtes, inno-
» centem erratum commiſerim, regibus aſſentiendo, qui te & propriis ſpoliaverunt
» ſubſtantiis, & in longum exſilium ablegarunt. Hanc in primis culpam Deo con-
» fiteor, & ſancto Petro. Vos autem, ô ſancti epiſcopi, ſponſionis meæ teſtes eſto-
» te, me pro virili daturum operam, ut cunctos proceres & principes amicos meos
» huic ſancto antiſtiti pro remiſſione peccati mei reconciliem, & quocumque modo
» volentes, nolenteſve eidem adſtringam. Te vero, pontifex ſancte, per Deum &
» ſanctum Petrum obſecro & conteſtor, ut te, quem totius veſtræ gentis ſapientiſſi-
» mum, & in rebus præſertim Romanis eruditiſſimum agnoſco, in ſede mea archie-
» piſcopali a me ipſo inſtitui patiaris, ne hæc noxa mihi brevi ex hac vita diſceſſuro imputetur. Ad hæc Wilfridus totius ſuæ controverſiæ veniam Theodoro apprecari, amicum ſe fore perpetuum polliceri. Mitteret nuntios cum litteris ad quoſcumque amicos ſuos, ut ſuam in Domino reconciliationem agnoſcerent, & comperta ipſius innocentia, Theodoro obteſtante, ſecundum præceptum apoſtolicæ ſedis partem aliquam ſubſtantiæ ipſi reſtituerent. quod ſupereſt de futuro ejus ſucceſſore, id cum ejus conſenſu in majori concilio finiendum. Concordia firmata, Theodorus Aldfridum regem Northanimbrorum litteris interpellavit, ut tam ob Dei timorem & apoſtolicæ ſedis præceptum, quam pro redemtione animæ Egfridi regis concordiam cum Wilfrido iniret. Ejuſdem argumenti epiſtolas ſcripſit ad quoſcumque amicos ſuos, qui hujus facinoris ſocietate conſtricti erant, præſertim ad ſanctam virginem Elfledam abbatiſſam Streaneshalenſem, necnon ad Ethelredum regem Merciorum, qui ſanctum pontificem libenter ſuſcepit, eique monaſteria ac prædia omnia, quæcumque juris ejus erant, reſtituit, & fidelis ejus amicus uſque ad finem vitæ perſeveravit. Quin etiam Aldfridus, anno regni ſui ſecundo, ſanctum præſulem ad ſe benigne revocavit, eidemque Haguſtaldenſe primum cœnobium cum adjunctis poſſeſſionibus; tum propriam ſedem epiſcopalem in Eboraca civitate reddidit cum monaſterio Ripenſi & reditibus ejus, alienis epiſcopis inde expulſis. Verum hæc concordia non ultra quinque annos tenuit, nimirum poſt Theodori archiepiſcopi obitum a rege violata.

LI. Richimiri abbatis Cenomannici geſta.

Interea florebat in Galliis apud Cenomannos Richimirus ſeu Richmirus abbas, ex Turonenſi pago, qui iſtuc acceſſerat Gilberto ſeu Agliberto epiſcopo eam eccleſiam regente. Ejus favore vir ſanctus cellulam, id eſt monaſteriolum, ædificavit, in eoque fratres *ſub ſancta regula* viventes inſtituit. Ad perficiendum hoc opus pius antiſtes quemdam locum locupletem ei dare voluit. quod ille renuens:
» Non quæro, ait, locupletem, nec multis ædificiis inſignem locum, ſed pauperem,
» in quo ego pauper pauperem Chriſtum ſequi & imitari merear. At epiſcopus eum ordinavit ſacerdotem, conceſſa facultate prædicandi in ſua diœceſi ad lucrandas Chriſto animas, & monaſterium conſtruendi quovis in loco; deditque ei comites ſacerdotes, qui eum, quocumque vellet, deducerent. Ubi pervenit ad fluvium Lidum * ſeu Ledum, locum illum, qui Turris-dominica dicebatur, expurgare cœpit ad exſtruendam cellam: ſed alium vicinum prætulit ad Gundridum fluviolum, ubi monaſterium ædificavit cum eccleſia in honorem ſancti Petri & aliorum apoſtolorum. Dum aliquando ea in eccleſia miſſam celebrare vellet, quidam cæcus ad eum acceſſit, enixe rogans, ut Deum ſibi propitium redderet. Cui vir Dei dixit:
» Vade, & da prius uni ſacerdoti pure confeſſionem tuam; eaque data, precibus &
» ſanctæ meditationi animum applica inter hoc apoſtolorum altare & ſanctorum reliquias. Fecit ille quod ipſi mandatum erat; & peracto miſſæ officio, ubi Richmirus ſuper oculos ejus ſignum crucis impreſſit, mox cæcus lumen recepit. Non multo poſt, cum vir ſanctus Cenomannorum urbem petiiſſet, Aglibertus epiſcopus ei curam injunxit puellaris monaſterioli, quod ipſe in honorem ſancti Albini ad portam ſuæ civitatis condiderat, ubi ſanctimoniales poſuerat *ſub regula pii patris Benedicti viventes*. Renuit ille primo hanc provinciam; ſed tandem eam invitus

* le Loir.

Digitized by Google

ANN. CHR. 685.

ex obedientia ſuſcepit, cum nullum alium reperiret epiſcopus huic muneri magis idoneum. Prima ejus parthenonis abbatiſſa fuiſſe dicitur Abidelgama, ipſius Agliberti ſoror, quam ipſe Tuſſiaci abbatiſſam prius conſtituerat. Cella ſancti Albini laudatur in diplomate Caroli Magni, qui eam Cenomannicæ eccleſiæ ſubjectam eſſe præcepit: ſed jam dudum in eccleſiam parœcialem hæc cella converſa eſt. Quadrageſimæ tempore ſanctus ille Dei famulus non niſi arido cibo veſcebatur, & pane tantum hordeaceo. Hordeum ipſe manu propria molebat, labore manuum ſuarum vivere delectatus. Inter multa ipſius miracula, duos e monachis ſuis, unum Dodonem oculis orbatum; alterum, nomine Silvanum, febricitantem ſanaſſe traditur.

LII. Vulframni donatio facta Fontanellæ.

Eodem fere tempore Wlframnus, qui poſtea Senonum antiſtes creatus eſt, poſſeſſionem ſuam, quæ dicitur Mauriliacus, ſitam in territorio Waſtinenſi *, Fontanellæ monaſterio contulit, nimirum anno duodecimo Theoderici regis: cujus donationis litteras Erembertus, ex monacho Toloſanus epiſcopus, ſua ſubſcriptione firmavit. Morgiſlus quoque, ipſius Wlframni dictus nepos, patrimonii ſui prædium, Maniacum ſive Villare appellatum, poſitum in pago Milidunenſi *, eidem loco largitus eſt; qui factus ibidem monachus, regularibus diſciplinis accurate parens, ſpretis terrenis rebus, nonniſi cæleſtia ſapiebat. Wlframni donationem Jonas, ſive ejus interpolator, factam eſſe tradit tempore Anſberti abbatis, antequam is pontificatus gradum conſcendiſſet. Sed hic calculus non facile conciliari poteſt cum anno duodecimo regis Theoderici, multo minus cum quinto-decimo, quem annum codices nonnulli præferunt. Verum errat paſſim annorum & temporum in rebus Fontanellenſibus calculus, quem ad rectam computandi rationem reducere vix quiſquam poſſit. Certe hæc minutiora ſunt, quam ut in his ambagibus extricandis tempus & operam perdamus.

* le Gaſtinois.

* de Melun.

LIII. Berta Blanziacenſe monaſterium condit.

Anno ipſo Theoderici regis duodecimo Berta, nobilis femina, virginum cœnobium apud Morinos extruxit in vico pagi Teruanenſis Blanziaco, a quo monaſterio nomen inditum eſt. Hæc Rigoberti viri illuſtris ac comitis palatini & Urſanæ filia, Sigifrido nobiliſſimo ac locupletiſſimo primum nupta fuerat: ex quo filias quinque, Gertrudem, Deotilam, Emmam, Geſam & Geſtam procreaſſe dicitur: ex quibus duæ poſtremæ in albis deceſſere. Viro orbata, totam ſe divino cultui mancipavit, & monaſterium ac baſilicam in modum crucis extruxit in loco amœniſſimo Blanziaci opidi ſecus fluvium Toënam*. Eccleſia in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ dedicata v. idus Januarii, rogavit præſentes epiſcopos, ut ſibi ac duabus filiabus ſuis, Gertrudi ac Deotilæ, ſacrum velamen imponerent. Gertrudis nihilo minus in matrimonium petitur a Ruotgario, viro inter palatinos proceres illuſtri. Berta Gertrudis votum & conſecrationem petenti opponit. Ille vero, hac repulſa excandeſcens, Bertam apud regem violatæ fidei accuſat. Rex nimium credulus Bertam ſibi ſiſti jubet: at, perſpecta ejus innocentia, ſecuram in monaſterium redire præcepit. Reverſa novas ædificavit eccleſias, unam ad portam monaſterii ſub titulo ſancti Audomari epiſcopi & confeſſoris pro clericis ſeu ſacerdotibus, qui monaſterio ſerviturí erant: duas alias in honorem ſancti Martini, cui etiam alias ſeptem in prædiis ſuis erigi & ſacrari curavit. Deotila ipſius loco facta abbatiſſa, Berta cellulam ſibi juſſit præparari ad dexteram partem majoris baſilicæ, ex qua feneſtra patebat, altari ſanctæ crucis contigua, per quam & ſacra myſteria ſuſciperet, & ſpiritalia monita ſanctimonialibus ſuis daret. Illic ab epiſcopis ſollemni ritu recluſa, uſque ad finem vitæ perſtitit.

* le Ternois.

ANN. CHR. 686.

LIV. Vvaldetrudis abbatiſſæ obitus.

Poſtero anno conſignandus videtur obitus Landelini abbatis Criſpinienſis, & Waldetrudis *Caſtrilocenſis abbatiſſæ. Hæc prima e vivis exceſſit v. idus Aprilis, non multo poſt ſororem ſuam Aldegundem, quæ morienti conſpicuam ſe dediſſe traditur. Virginem vocat Waldetrudem Baldericus [a] in chronico, nimirum ob præſtantiam monaſticæ profeſſionis: quo titulo etiam Rictrudis Marcianenſis abbatiſſa quandoque affecta eſt. Waldetrudis corpus religioſe aſſervatur in eccleſia Caſtrilocenſi, nunc canonicarum ſæcularium, apud Montes-Hannoniæ, quæ eccleſia a ſancta Waldetrude appellationem deinceps accepit. Ejus vitam ſcripſit anonymus quidam, qui ad eam ſcribendam *religioſorum fratrum ac ſororum*, haud dubie Caſtrilocenſium, *caritate* ſe compulſum fuiſſe, & miracula ad ejus reliquias facta quotidie ſe videre teſtatur. Hanc ſcriptionem plerique Philippo abbati Bonæ-ſpei tribuunt.

* *S. Vaudru.*

[a] *Balderic. lib. 3. c. 8.*

ANN. CHR. 686.

Olbertus abbas Gemmelacenſis antiphonas ſuper matutinales laudes in tranſitu ſanctæ Waldetrudis compoſuiſſe dicitur.

LV. Landelini item abbatis.

Poſtquam Adelenum Criſpinio, & Domitianum Laubiis præfeciſſet Landelinus, ad Chriſtum migravit XVII. kalendas Julii, & quidem in monaſterio Criſpinienſi, quod, uti & Laubienſe, ipſe condiderat. Librum de ejus geſtis compoſuit anonymus ante Philippum Bonæ-ſpei abbatem. Nortmannorum tempeſtate everſum eſt Criſpinienſe * monaſterium, ad canonicos ſæculares redactum tempore Balderici epiſcopi Cameracenſis, qui locum abbatiolam [a] vocat; poſtea reſtitutum monachis, qui illud hactenus cum ſancti Landelini reliquiis poſſident. De Laubienſi monaſterio ampliſſima erit in conſequentibus dicendi ſeges ac materia. Præter ea Landelinus duo alia ædificaſſe monaſteria traditur, Alnenſe, & Waſlerenſe, cui ſanctum Dodonem abbatem præpoſuit, Balderico [b] teſtanre. Quamquam utrumque monaſterium Fulcuinus abbas Laubienſis ſancto Urſmaro tribuit. Ex his Waſlerenſe modo everſum jacet, Alnenſe, nobile cœnobium eſt inſtituti Ciſtercienſis.

* *Criſpin.*

a *Id. lib.* 2. *c.* 42.

b *Ibid. c.* 33.

LVI. Egbertus Germanorum converſionem meditatur.

Eo tempore venerabilis Chriſti ſacerdos ac monachus Egbertus [c] Anglus verbum Dei Friſonibus, aliiſque Germaniæ populis, qui nondum Chriſti fidem receperant, prædicare; aut certe, ſi id minus ſuccederet, Romam adire, & ſacra illius urbis loca venerari animo propoſuit. Verum quo minus id perficeret, ſuperna ei oracula ſimul & opera reſtiterunt, ſancto Boiſilo, præpoſito quondam Mailroſenſi, cuidam ex ejus diſcipulis Dei voluntatem in ſomnis ſuggerente, nempe ut ad ſancti Columbæ abbatis Hiienſis monaſteria potius erudienda ipſe pergeret. Iterato viſo ac præcepto, idem nihilo minus in ſententia perſtitit, & diſpoſitum iter cum aliquot ſociis tentavit. At impoſitis in navem omnibus, quæ ad illud iter neceſſaria erant, inſecuta nocte tam ſæva tempeſtas oborta eſt, ut, amiſſis fere omnibus rebus, præter ea, quæ Egberti erant, navis ipſa in latus jactata ſalo adhæreret. Tunc ille divinæ tandem cedens voluntati, in Britannia ſubſtitit, ad Hiienſes monachos poſtea profecturus; & convertendorum Friſonum ac Germanorum provinciam Willibrordo, Suidberto, ac Bonifacio reliquit.

c *Beda lib.* 5. *c.* 10.

ANN. CHR. 687.

LVII. Cuthbertus relicto epiſcopatu ad mortem ſe parat.

VIx annos ab electione ſua duos in epiſcopatu exegerat Cuthbertus, cum præſcius imminentis obitus ſui, curam paſtoralem deponere, & ad optatam Farnæ inſulæ ſolitudinem redire decrevit: ubi, omni externa ſollicitudine excuſſa, inter libera orationum & pſalmodiæ ſtudia diem mortis, vel potius vitæ cæleſtis ingreſſum præſtolaretur. Verum, ante quam id exſequeretur, totam circuire parochiam ſuam voluit, & ſubjectam ſibi plebem exhortationibus confirmare. quod dum ageret, rogatus a nobiliſſima & ſanctiſſima virgine Chriſti Elflede abbatiſſa Streaneshalenſi, venit ad poſſeſſionem quamdam monaſterii ejus, Oſingadum nomine, monachorum cœtu pollentem, novam ejus loci eccleſiam dedicaturus. Illic, dum hora refectionis ad menſam conſediſſent, ſubito Cuthberti animum a carnalibus epulis divina contemplatio abſtraxit, & attonitis contra morem oculis, mutato vultus colore, ſedenti cultellus, quem manu tenebat, decidit in menſam. Mox inclinatus ad abbatiſſam viri Dei preſbyter, tacite dixit, interrogaret epiſcopum quid vidiſſet. Ille poſt multa diverticula, tandem ait, cujuſdam ſancti animam ex ejus monaſterio ad gaudia regni cæleſtis evolaſſe, juſſitque ejus ſibi nomen die craſtino miſſas celebranti indicari. Miſſus in illud *Majus-monaſterium* nuntius retulit, ipſa hora unum e paſtoribus, bonæ vitæ virum, ex arbore cecidiſſe, & contrito corpore interiiſſe. Inde vir ſanctus venit ad monaſterium tunc virginum, paullo poſt virorum, quod non longe ab oſtio Tini fluminis poſitum erat, ob id Tinighamenſe appellatum: ubi a religioſa & nobiliſſima Chriſti famula Verca abbatiſſa honorifice ſuſceptus, poſt meridianam quietem, aquam ſibi dari ad bibendum rogavit, quæ, ſacta benedictione, in vinum converſa eſt. Ad eremum tandem ſuam reverſus poſt ſollemnitatem nativitatis Domini, cum ad eum audiendæ exhortationis gratia fratres Lindisfarnenſes ſolito more aliquando acceſſiſſent, eos in domo ad hoc parata refici juſſit, & aucam in cibum adhiberi. Tum, illo in cellulam ſuam recluſo, fratres aliis cibis abunde ſuppeditatis, pia quadam religione aucam [d] intactam reliquere. At, cum refecti naviculam conſcendere vellent, exorta ſubito tempeſtas immanis omnem eis trajiciendi ad ſeptem dies facultatem abſtulit. Mox inobedientiæ admoniti, ubi avem, ut ſibi mandatum fuerat, ſumſerunt, ſedatis fluctibus facile ad propria trajecerunt. quod venerabilis

d *V. lib.* 13. *c.* 2.

ANN. CHR. 687.

Beda non a quolibet auctore, ſed a venerabili, qui præſens aderat, Cynimundo, ejuſdem monaſterii preſbytero & monacho, ſe accepiſſe aſſerit. Ubi obſervare convenit illorum fratrum religionem, qui inſolita eſca veſci refugiebant, nec niſi quodam miraculi genere (quod hac in re adhibitum fuiſſe mirum eſt) ad eam ſumendam adacti ſunt.

LVIII. Ejuſdem obitus.

Cum duos fere menſes in cellulæ ſuæ gratiſſima quiete, ſed cum magna corporis & animæ diſtrictione vir Dei tranſegiſſet, ſubita correptus infirmitate, temporali dolore ad perpetua gaudia præparari cœpit. Tunc temporis Lindisfarnenſe monaſterium ſub Cuthberto epiſcopo regebat Herefridus preſbyter & abbas pietatis eximiæ, cujus relatu venerabilis Beda ea, quæ in ſancti antiſtitis obitu contigere, diſertis verbis accepit. Acceſſit ille aliquando ad virum Dei, ſolitæ benedictionis & exhortationis ab eo ſolatia requiſiturus. Salutanti ad feneſtram cellulæ ſuſpirium pro reſponſo Cuthbertus reddidit; ſeque gravi languore pulſari rogatus dixit. Abbas vero eum de veteri ſua infirmitate locutum ratus, nec plura interrogans, benedictionem petiit, quia jam tempus renavigandi, ac domum remeandi aderat. At ille: Ite, inquit; & domum ſalvi redite. Tantum, cum Deus ex hoc ſæculo animam meam ſuſceperit, corpus meum in hac manſione ſepelite juxta oratorium ad meridiem, contra orientalem plagam ſanctæ Crucis, quam ibidem erexi. Eſt ad aquilonalem ejuſdem oratorii partem ſarcophagum terræ cæſpite abditum, quod olim mihi Cudda venerabilis abbas donavit. In hoc corpus meum reponite, involventes ſindone ibidem depoſita, quam dilecta Deo femina, Verca videlicet abbatiſſa, mihi quondam dono miſit. His auditis, Herefridus virum Dei brevi moriturum intelligens, aliquos e fratribus ad ipſi miniſtrandum ut ibi relinqueret, rogavit. Ille vero; Ite, ait, modo, tempore autem opportuno redite; nempe quando Deus ſiverit.

Abbate itaque ægre tandem recedente, quinque diebus obſtitit tempeſtas, ne quiſquam redire poſſet. Reddita tranquillitate, inventus eſt vir Dei in hoſpitio, quod adventantibus ad ſe in ea inſula parari olim curaverat. Herefridus ad eum regreſſus, confeſtim patri miniſterium exhibere, calida ejus abluere pedem, cui ex diutino tumore jam tunc ulcus inerat; rogare, ut tantillum vini calefacti perciperet. Interrogatus, quid per illos quinque dies cibi accepiſſet; ille, retecto lectiſternio, in quo ſedebat, cepas quinque ibi reconditas oſtendit; ex quibus una tantum vix dimidia parte corroſa videbatur: &; Hic mihi victus erat, inquit, quinque illis diebus; hoc refrigerio os meum, quotieſcumque ariditate ac ſiti ardebat, tantiſper recreare curavi. & addidit, ſe numquam graviores in hac inſula perſecutiones a dæmouibus, quam illis quinque diebus, pertuliſſe. Herefridus non auſus interrogare, quænam iſtæ eſſent tentationes, rogavit ſaltem ut miniſtrum penes ſe retineret. Annuit ille, & Bedam * majorem, (ſic ad diſcrimen junioris Bedæ venerabilis dicebatur) & ipſum preſbyterum, quo miniſtro uti conſueverat, apud ſe remorari paſſus eſt, una cum alio fratre, Walchſtod nomine, qui diutino ventris fluxu ægrotabat. Abbas denuo ad epiſcopum reverſus, inſtinctu ſuorum rogavit, ut ſe in Lindisfarnenſi monaſterio ſepeliri ſineret. Vix tandem ille aſſenſit, ut in interioribus baſilicæ humaretur. Creſcente languore, ſe in cellulam ſuam referri præcepit. Ubi ad portam ventum eſt, quia nullus præter ipſum ab annis plurimis eo intraverat, ſecum ut miniſtrum admittat rogatur. Walchſtodum admiſit, qui mox ſanitatem recepit. Eodem nihilo minus admiſſus circa horam nonam Herefridus abbas, ab eo quæſivit, ecquemnam demum hereditarium ſermonem fratribus relinqueret. Tum ille diſſerere pauca, ſed fortia, maxime de pace, humilitate, & de hoſpitalitate, ac de cavendo conſortio eorum, qui ab unitate catholicæ pacis, & a legitima paſchæ celebratinne recederent; ſatius ſibi eſſe aſſerens, ut corpus ſuum inde in exteras regiones auferretur, quam ut ipſi ſchiſmaticorum jugo colla ſubderent. Ad hæc catholica patrum ſtatuta diligenter obſervari mandavit, atque inſtituta vitæ regularis, quæ per ipſum ibidem præſcripta fuerant. Ubi conſuetum nocturnæ orationis tempus adfuit, *ſalutaribus ſacramentis*, videlicet *dominici corporis & ſanguinis communione*, Herefrido miniſtrante, exitum ſuum munivit, atque ſublatis in cælum oculis, extenſiſque in altum manibus, animam Deo reddidit, feria quarta, & eo quidem tempore, quo fratres Lindisfarnenſes *ſub ordine nocturnæ laudis* dicebant pſalmum quinquageſimum-nonum, cujus initium eſt, *Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos.* quod idcirco ſignanter obſervo, ut vel hoc uno ex loco appareat, Lindisfarnenſes obſervaſſe re-

* V. ſupra n. 8.

ANN. CHR. 687.

gulam ſancti Benedicti, qui ita vigiliarum ſeriem ordinat, ut in feriæ quartæ vigilias hic pſalmus incidat. Cuthberto mortuo, ſtatim unus e fratribus qui prope ipſum relicti erant, acceptis in manus duabus candelis, eminentiorem inſulæ locum aſcendit, & Lindisfarnenſibus (ſic enim inter eos condictum erat) viri Dei mortem ſignificavit. Ita mortuus eſt vir ſanctiſſimus, trium hebdomadarum continuo languore expurgatus. ſi quidem quarta feria ægrotare cœpit, itidemque quarta feria migravit ad Dominum, & quidem XIII. kalendas Aprilis, qui dies hoc anno cum feria quarta coincidebat. Corpus Lindisfarnem navigio delatum, omnino lotum, ſudario capiti impoſito, oblatis ſuper ſanctum ejus pectus poſitis, veſtimenta ſacerdotalia indutum, ſindone cerata ſuperjecta, in ſepulcro lapideo in baſilica ſancti Petri, uti mandaverat, ad dexteram altaris humatum eſt.

Turbæ Lindiſfarnenſes.

Non multo poſt, tanta eccleſiam illam tentationis afflavit procella, ut plures e fratribus loco cedere, quam tanto intereſſe diſcrimini mallent. Epiſcopatum illum uno anno rexit venerabilis antiſtes Wilfridus, donec eligeretur qui pro Cuthberto epiſcopus ordinandus eſſet. Electus eſt ad id muneris vir magnarum virtutum Eadbertus, qui, fugatis perturbationum procellis, tranquillitatem Lindisfarnæ reſtituit, & diſperſos iſtuc revocavit. Ex quo conjicere licet, has procellas Wilfridi occaſione, certe ejus tempore, exortas fuiſſe. Bollandi continuatores id ab eo factum divinant, quod is antiqua ſtatuta patrum a Cuthberto ibidem præſcripta convellere & abrogare voluerit, ſancti Benedicti regulam iſtuc introducendo, aut ſolam obſervari jubendo. quæ mera divinatio, ne dicam allucinatio eſt, cum hæc regula ante mortuum Cuthbertum Lindisfarnæ obſervata ſit, ex mox dictis; & poſt ejus mortem, etiam ſerenatis rebus, ibidem cuſtodita, teſtante anonymo, qui eo tempore vitam ſancti Cuthberti quatuor libris exaravit; libro tertio aſſerens, regularem vitam quam Lindisfarnæ Cuthbertus inſtituerat, *cum regula Benedicti* ad ſuum tempus ibidem obſervatam fuiſſe. Poſt anonymum venerabilis Beda, præter ea quæ de ſancto Cuthberto in hiſtoria ſua ſcripſit, libros de ejus geſtis duos, unum proſa, alterum metro compoſuit. Et primum quidem ſancto ac beatiſſimo patri Eadfrido, qui Eadbertum Cuthberti ſucceſſorem excepit, ac toti congregationi fratrum Lindisfarnenſium; alterum Johanni preſbytero nuncupavit. Ita ſe habuit obitus præſtantiſſimi antiſtitis, qui ſanctitatis ſuæ & ingentis pænitentiæ merito martyris titulum & honorem in nonnullis etiam Galliæ eccleſiis obtinuit. Eidem in cella & recluſione Farnæ ſucceſſere unus poſt alterum Edilwaldus & Felgildus, & ipſi poſt diuturnam vitæ cœnobiticæ probationem anachoretæ religioſiſſimi. Edilwaldus monachus fuerat Ripenſis, miraculis illuſtris, quæ occultare ſatagebat. Farnæ annos duodecim perſtitit. Felgildus adhuc ſuperſtes erat, Beda hæc ſcribente, ſeptuagenario major, cum magno vitæ futuræ deſiderio terminum vitæ præſentis exſpectans.

LIX. Rictrudis abbatiſſa moritur.

Eodem anno Rictrudis abbatiſſa Marcianenſis in Gallia Belgica deceſſiſſe IV. idus Maii memoratur, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo-quarto, regiminis quadrageſimo; ſepulta ante altare ſanctorum Johannis Baptiſtæ & Andreæ apoſtoli ad dexteram partem altaris. Res ab ea geſtas Hucbaldus monachus vicini monaſterii Elnonenſis, petente Stephano Leodicenſi epiſcopo, ſcripſit deſinente ſæculo nono; & inſequenti Johannes, monachus itidem Elnonenſis, rogatu Erluini epiſcopi Cameracenſis. Rictrudi in regimine Marcianenſi Clotſindis ejus filia ſucceſſit. Andreas Silvius in chronico Marcianenſi, nondum in lucem edito, laudat diploma Caroli imperatoris, præcipientis omnia, quæ juris erant Marcianenſium, a fratribus & ſororibus Deo ibidem ſervientibus abſque omni ſæculari exactione libera in perpetuum poſſideri; ita ut, ſi illi aliquo indigerent, de dominicatu regio ſuppleretur. quod diploma idem auctor in archivis ejuſdem eccleſiæ ad ſuum tempus, id eſt ad finem ſæculi duodecimi, aſſervatum fuiſſe aſſerit: tametſi Marcianenſe monaſterium cum aliis, quæ ad Scarpum fluvium poſita erant, tempeſtate Normannica deſtructum dicat, atque in ea deſtructione periiſſe omnem ornatum ejus eccleſiæ, in chartis videlicet, privilegiis, libris & geſtis ſanctorum, ceteriſque rebus ad decorem & uſum loci pertinentibus. Idem auctor meminit Judith abbatiſſæ, quæ eidem loco præfuit tempore Lotharii imperatoris: quo tempore corpora beatæ Rictrudis abbatiſſæ, ſanctorumque Mauronti ejus filii, & Jonati abbatis in tumulis lapideis, ad quos altaria poſita erant, adhuc quieſcebant. Ab inſtauratione ſua Marcianenſe monaſterium ſolorum virorum fuit, ſanctimonialibus deinceps excluſis.

Digitized by Google

ANN. CHR. 687.

LX. Aicadrus item abbas Gemeticenſis.

Filiberto abbati triennio tantum ſupervixiſſe dicitur ſanctus Aicadrus abbas Gemeticenſis, idemque ſexagenarius ac ſanctitate plenus, facta confeſſione & ſuſcepto viatico, inter verba orationis exſpiraſſe XVII. kalendas Octobris. Vitam ejus in litteras primus retulit auctor anonymus monachus Gemeticenſis paullo poſt cladem Nortmannorum, ejuſdemque monaſterii inſtaurationem, quæ a Willelmo primo Nortmannorum duce facta eſt ſæculo decimo procedente. Eamdem vitam expolivit Fulbertus, monachus, ut quidem puto, cœnobii ſancti Audoëni Rotomagenſis, flagitantibus Gemeticenſibus monachis, quibus libellum ſuum nuncupavit, idem qui librum de vita & miraculis ſancti Audoëni epiſcopi ſcripſit, ac Nicolao abbati ſuo dicavit. Rollo dux Nortmannorum, baptiſmo accepto, prædium quoddam conceſſit *ſancti Petri & ſancti Aicadri Gemeticenſi eccleſiæ*, teſte Willelmo [a] ejus loci monacho. Ex quo intelligitur, ſancti Aicadri cultum ante id tempus ita ſollemnem fuiſſe, ut inter patronos Gemeticenſis eccleſiæ cenſeretur. Ejus reliquiæ cum corpore ſancti Hugonis archiepiſcopi Rotomagenſis, ob Nortmannorum infeſtationes, in villam pagi Cameracenſis, Haſprum vocabulo, delatæ ſunt, eo loci hactenus aſſervatæ in monaſterio ibidem poſtea exſtructo, quod Gemeticenſibus ſubjectum fuit uſque ad tempus Gerardi epiſcopi Cameracenſis & Atrebatenſis, cujus juſſu hæc cella, commutatione coram Rotberto Francorum rege facta, Ledvino abbati ſancti Vedaſti tradita eſt, qui pro Haſpro Gemeticenſibus Anglicuriam, diœceſis Bellovacenſis villam, rependit. Jacobus Guiſius auctor eſt, Pippinum majorem-domus Auſtraſiorum, victo Theoderico Galliæ rege, fundaſſe Haſprenſem cellam, cœnobitis Benedictinis Gemetico celebri diœceſis Rotomagenſis monaſterio evocatis. quod Baldericus epiſcopus, Jacobo longe ſuperior, ignoravit, ſcribens [b] incertum eſſe, an hæc villa ante hanc tranſlationem ſubjecta fuerit prædicto monaſterio: an excipiendis horum ſanctorum reliquiis ab aliquo rege aut principe tradita. Cella hæc ſeu præpoſitura Vedaſtina jacet Cameracum inter ac Valentianas. Aicadro abbati ſuffectus eſt Coſchinus, cui librum de vita ſancti Filiberti abbatis anonymus monachus Gemeticenſis inſcripſit. Coſchinum excepit Dructegangus, de quo nos ſuo loco.

[a] Willelm. Gemetic. lib. 2. c. 18.

[b] Balderic. lib. 2. c. 19.

LXI. S. Galli cella violata.

Ad hoc fere tempus referendum videtur, id, quod Walafridus Strabo de violato ſancti Galli ſepulcro commemorat, cum anni quadraginta poſt tranſitum ejus evoluti fuiſſent, quo tempore Otwinus quidam, illarum partium præfectus, conducto exercitu pagum Turgowienſem, in quo cella ſancti Galli poſita erat, cum Conſtantienſi territorio & maxima parte pagi Arbonenſis devaſtaſſe, ac ſuccendiſſe traditur, incolis, quotquot inveniri poterant, occidione occiſis, mulieribus cum parvulis in captivitatem abductis. In tam funeſto rerum diſcrimine Arbonenſes ad cellam ſancti Galli cum omnibus quæ habebant, refugerunt, reſque ſuas humo infoſſas, lini ſemine ſuper-inſperſo, recondiderunt. Eo accedens Erchonaldus præfecti vicarius, locum, ubi omnia repoſita erant, a quodam mendico reſcivit, atque inde omnia ſuſtulit, & his, qui ſecum erant, diſtribuit. quo facto, illi paſſim talia occultata putantes, hac illac diſcurrerunt, *loca ſingula ſignis quibuſdam* (quod hodie quoque Germani actitant) *ſollicite explorantes*. Ingreſſus oratorium Erchonaldus pavimenti planitiem pulſat, & poſt altare, ubi ſonitum a ſancti Galli tumuli cavitate reddi ſenſit, locum effodi jubet. At ubi cœperunt fodere pollinctores infeſti, mox tremore & horrore immani correpti, fugam arripuerunt, & ſe ſe mutuo gladiis conciderunt. Erchonaldus ipſe capite ad oſtii ſuperliminare illiſo corruit, & abalienata mente, vix ad propria remeavit cum perpetua infamis deformitatis nota. His auditis, Boſo Conſtantienſis præſul eo accurrit cum clericis ſuis, cellulam deſolatam invenit, ſancti Galli corpus e ſepulcro ejectum, altaria nudata, duoſque fratres ſolos illic ſuperſtites, Magnoaldum & Theodorum. Tum loculum ſacri corporis aſſumens, inter parietem orientalem & altare depoſuit, arcam ſeu fornicem ſuper illud exſtruxit, foſſam terra replevit. Ad hæc veſtimenta fratribus largitus eſt, collatis ſubſidiis, unde alerentur.

Poſt multum temporis, cum Pippinus major-domus, (ſic eum Walafridus vocat) adductis ad ſubigendam provinciam copiis, hoſtili incurſu omnia depopularetur; quinque ejus principis ſatellites idem oratorium ingreſſi, ſimiles fere dedere pœnas ob quaſdam mulieres abductas, quæ illuc confugerant. De Pippino Heriſtallenſi, an de ejus nepote Pippino principe, poſtmodum Francorum rege, id intelligendum ſit,

ANN. CHR. 687.

parum intereſt, tametſi id potius poſteriori convenit, qui Alamanniam anno ſeptingenteſimo quadrageſimo-quinto, adverſus fratrem Carolomannum rebellem debellavit. Certe idem Walafridus Carolomannum in conſequentibus majorem-domus itidem appellat: & hæc Pippini expeditio *poſt multum temporis* ab impreſſione Otwini facta eſt, cujus tempore Pippinus Heriſtallenſis Galliæ principatum obtinebat. Ceterum hæc Walafridus retulit ex antiqniori ſcriptore, qui eadem facta impolito ſermone exaraverat. Boſoni Conſtantienſi epiſcopo ſuperius memorato ſucceſſit Audoinus, qui anno ſeptingenteſimo triceſimo-ſexto obiiſſe perhibetur in annalibus Petavianis.

ANN. CHR. 688.

LXII. Vulmarus auctor & abbas monaſterii Silviacenſis.

ANno inſequente octogeſimo-octavo ſupra ſexcenteſimum, Ceadwala rex occidentalium Saxonum e majori Britannia Romam proficiſcens, Wlmarum abbatem convenit, cum baſilicam monaſterii ſui vir ſanctus exſtruxiſſet. Is natus in pagi Bononienſis villa Silviaco, non longe ab oceani litore, Wlpertum & Dudam parentes haud ignobiles, fratrem Wamarum habuiſſe traditur. Ineunte ætate deſponſatam ſibi conjugem alteri proco cedere coactus, petiit Altimontenſe monaſterium pagi Hainoënſis, ubi boum paſcendorum ac ligni in uſus fratrum miniſtrandi cura ipſi commiſſa. Cum eum abbas litteris addiſcendis intentum animadvertiſſet, ſcholis ipſum tradidit; & jam eruditum fieri clericum, ac demum ob virtutes preſbyterum ordinari curavit. Deinde in eremum ſeceſſit Wlmarus in pago Mempiſco

* Montcaſſel. prope Montem-cattorum *, Ipram inter & Audomaropolim; poſtea in natale ſolum reverſus, aliquamdiu in ſilva proxima delituit, annonam ſuppeditante Wamaro fratre, qui eum ad videndam matrem adducere non potuit. Haream veteres locum illum appellabant, Silviaco adjacentem. Poſt aliquod tempus, eremus illa diſcipulorum cœtu frequentior facta eſt. Tum Wlmaro ſubiit cogitatio ædificandi baſilicam ſub patrocinio beatiſſimæ virginis Mariæ & ſancti Petri principis apoſtolorum; eoque tempore evenit, ut Ceadwalla rex catechumenus, baptiſmi cauſa Romam pergens, viri Dei fama ſanctitatis permotus, eum inviſeret, datiſque ad ornandam eccleſiam triginta ſolidis, orationum ſuffragia ab eo poſtularet. Romanæ eccleſiæ tunc præerat Sergius pontifex, qui ſub finem anni ſuperioris Cononi ſuc-

a Beda lib. 5. c. 7. ceſſerat; ab eoque Ceadwala ſacro fonte [a] perfuſus die ſancto paſchæ, indito Petri nomine, non multo poſt in albis deceſſit.

Exſtructo virorum aſceterio Wlmarus, de muliebris etiam ſexus ſollicitus ſalute, puellare monaſterium condidit, haud longe ab alio, Vilerienſe appellatum, cui Bertanam, fatris ſui filiam, præfecit. Ex hoc parthenone nihil veſtigii modo ſupereſt præter vulgare nomen Vileriæ ſeu Vieriæ in-ſilva, qui locus uno lapide diſtat ab opido & monaſterio ſancti Wlmari, quod recentiores truncato, ut fit, vocabulo Samerium, id eſt Sanctum-Vulmarum, corrupte appellant.

LXIII. Anſtrudis abbatiſſa obit.

Vix hunc annum exceſſit Anſtrudis abbatiſſa Laudunenſis. Inſtante obitu, ſorores omnes convocari juſſit, cunctiſque indulgentia data, ſibi ut pariter indulgerent, obnixe petiit. Biduo antequam e vita migraret, immenſa claritas ejus cellam circumfulſit, & quaſi ſtella radians in os ipſius ſubire viſa eſt. Anima etiam ejuſdem inſtar columbæ, quod de ſancta Scholaſtica beati Patris Benedicti ſorore legitur, ad ſuperos evolavit. Corpus in baſilica ſanctæ Mariæ dictæ Profundæ ſepultum, poſtea in baſilicam ſancti Johannis Baptiſtæ tranſlatum, & una cum oſſibus ſanctæ Salabergæ matris ſuæ ibidem reconditum eſt. Multis adverſis probata eſt viventis conſtantia, nec ſibi ipſa parcebat. Exceptis diebus ſollemnibus natalis Domini & ſancti paſchæ, atque Dominicis, nihil cibi potuſve ſumebat, niſi prius pſalterium ex ordine cum hymnis & canticis recitaſſet. Refectio ejus hora nona, aut veſpertina. Nocturnis horis fere tota erat in vigiliis & pſalmodiis. Locum in eccleſia ſibi ultimum ad oſtium elegerat, ubi, parvula cathedra poſita, expleto curſu ſingularum horarum, paullulum quieſcebat, lectuli uſum jam dudum ſibi negans. Luceſcente die, monaſterii eccleſias, quæ ſeptenæ erant, circuibat, ſororum preces ſibi depoſcens: deinde infirmantium cellas viſitabat, eiſque cum magno pietatis affectu opitulabatur. In ſumma, ita ſe piis exercebat officiis, ut nulla hora, nullum temporis momentum pio opere vacuum eſſet. Non mirum proinde, ſi Deus viventem & mortuam ſupernis virtutibus illuſtraverit. E ſanctimonialibus Chramnegundi, dextera ſuper ejus oculos impoſita, lumen amiſſum; alteri, nomine Scho-

laſticæ

ANN. CHR. 688.

laſticæ, exanimi vitam reſtituit. Dolore capitis liberavit Adalſindam, quæ in monaſterii regimine poſtea ipſi ſuffecta eſt; eidemque *lectum*, ut vetus auctor loquitur, tumulum, an altare, ipſius Anſtrudis admonitu, erigendum curavit. Hæc ea vivente patrata. Non minora poſt ejus mortem miracula, quæ conſulto prætermittimus, præter unum de filia Gautſuini ducis, nomine Oda, quæ ab infantia graviter a dæmonio vexata, & ſanctimonialis nihilo minus effecta, poſt annos vexationis quindecim ad ſepulcrum beatæ Anſtrudis liberata eſt. Depoſitio ejus accidit XVI. kaleodas Novembris, quo die in veteri martyrologio Artoſienſi * diœceſis Aquenſis celebratur his verbis: *Lauduno-clavato natale ſanctæ & illuſtriſſimæ Anſtrudis virginis & abbatiſſæ, quæ ab ipſis infantiæ rudimentis mira Dei gratia prædita, & virtutibus ac miraculis glorioſa migravit ad Chriſtum.* Libellum de rebus ab Anſtrude geſtis ſcripſit auctor anonymus ejus fere æqualis, quem anonymus alter ſæculo duodecimo expolire conatus eſt.

* Artoux.

LXIV. Concilium Toletanum XV.

Hoc eodem anno Ervigio, Veſigotthorum in Hiſpania regi, ſucceſſit Egica ſeu Egicanes ejus gener, qui ſtatim a regni ſui exordio Toleti concilium epiſcoporum, ordine quintum-decimum, celebrari curavit, in quo duorum ſacramentorum a ſe præſtitorum, quæ ſibi contraria videbantur, interpretationem & ſolutionem poſtulavit. Horum unum erat, ut Ervigii prolem regiam in omnibus defenderet; alterum, ut commiſſis ſibi populis juſtitiam non negaret, qui multa injuſte ab Ervigio pertulerant, ab ejus filiis emendanda. Non enim potero, aïebat Egica, perjurii effugere notam, ſi aut jam dicti principis contra juſtitiam defendendo prolem, non reddidero populis veritatem; aut propter veritatem populorum zelans negotia, erga filios ejus promiſſionis meæ non impleveto vota. Poſterius ſacramentum priori præferendum eſſe patres cenſuerunt: quia in illa juratione acceptio privatarum cogitata eſt perſonarum: in hac autem generalis protectio plebium. Alterum caput in hac ſynodo agitatum fuit de ſenſu epiſtolæ, a Juliano Toletano ad Benedictum papam ſecundum, Leonis itidem ſecundi ſucceſſorem, miſſæ contra Monothelitas. quam epiſtolam pontifex reprehenderat ob quaſdam locutiones de divina eſſentia ſuſpectas & ambiguas, quas patres in hoc concilio explicarunt. Huic conſilio ſubſcripti reperiuntur abbates novem incertorum monaſteriorum, præter alios duos abbates vicarios epiſcoporum.

ANN. CHR. 689.

LXV. Fontanellæ privilegium concedit Anſbertus epiſcopus.

NOn ſic intentus erat procurandis parochiæ ſuæ rebus Anſbertus pontifex Rotomagenſis, quin Fontanellenſis monaſterii quondam ſui curam & ſollicitudinem non minimam gereret. Quapropter in frequenti epiſcoporum ſynodo Rotomagi celebrata Fontanellæ privilegium inſigne conceſſit, ut per ſuccedentia tempora ſecundum ſancti patris Benedicti regulam, & ut præcedentium regum, Chlodovei videlicet & Chlotharii, ſimulque Childerici, necnon & Theoderici, privilegiorum auctoritates docent, (quæ privilegia excidiſſe magnopere dolemus) ex ſemetipſis ſibi perennibus temporibus abbatem eligerent: præſentes futuroſque, qui ibidem Domino militaturi eſſent, conſtringens, ut, *ſicuti ſub ejus regimine*, ita & deinceps & ipſi, & poſteri eorum ſecundum regulam ſancti patris Benedicti fideliter Chriſto deſervirent. Quod ſi aliquando, peccatis exigentibus, aut negligentia paſtorali, a via rectitudinis & obſervatione regulæ ſancti Benedicti in futuro deviare conarentur, aut cogerentur; tunc convocatio ſanctorum ſacerdotum, reliquorumque militum Chriſti unanimiter fieret, eorumque per conſilium in priſtinum reducerentur ſtatum. Si vero, hac pontificali auctoritate poſtpoſita, qualibet cavillatione ſiniſtram electuri eſſent viam ac converſationem tenere; ſub vinculo anathematis æternaliter ſe damnandos ſcirent. Datum eſt hoc privilegium anno ſexto-decimo Theoderici regis in ſynodo generali Rotomagi habita, ubi multa alia decreta ſancita ſunt, quorum nulla nobis notitiaupereſt. Concilio ſubſcribunt epiſcopi ſexdecim cum quatuor abbatibus. Inter epiſcopos occurrunt metropolitani duo præter Anſbertum, Radbertus Turonenſis, & Regulus Remenſis. Abbates quatuor ſubſcribunt, Celſus, Audomarus, Scladio, & Boſochindus: ſed quibus monaſteriis præfuerint, incertum. Cavillatur hoc loco Carolus Cointius, cum ex hoc privilegio colligit, regulam ſancti Benedicti Fontanellam introductam fuiſſe ab Anſberto abbate: cum antea ſub Wandregiſilo & Lantberto abbatibus *norma ſanctorum patrum*, id eſt regula ex ſcriptis variorum patrum collecta, (ſic ille interpretatur) inibi obſervata fuiſſet. quod ex Aigrado probare conatur. Verum ex Aigrado ipſo confutatur

ANN. CHR. 689.

Cointiana opinatio. Is enim in libello de vita ſancti Anſberti, deſcribens modum, » quo a beato Wandregiſilo acceptus Fontanellæ eſt, ait virum ſanctum audita Anſ- » berti poſtulatione dixiſſe, inducias conſulendi ſuper hoc habere ſe velle, ut, *ſicut apoſtolica & monaſtica docet regula, ſciret ad quid venerat.* quæ ſane verba ſpectant regulæ Benedictinæ caput ſexageſimum, in quo ſanctus pater ſæculari ſacerdoti in monaſterium admitti cupienti nihil relaxari præcipit, *ut ſit, ſicut ſcriptum eſt, Amice, ad quid veniſti?* Apoſtolica vero regula, quam Wandregiſilus in admittendo Anſberto ſecutus eſt, ex prima Johannis epiſtola deſumitur, capite quarto monentis, probari ſpiritus, an ex Deo ſint: quem locum beatus Benedictus in capite duodeſexageſimo laudat, agens de ſuſcipiendis novitiis. Neque vero inſolens eſt, ut regula ſancti Benedicti dicatur norma ſeu regula ſanctorum patrum. Ita enim vocatur in Ordine Romano; ita in epitaphio ſancti Wilfridi epiſcopi Eboracenſis ejuſdem regulæ propagatoris, apud Bedam; ita denique in libello Ambroſii Autperti de vita ſancti Paldonis abbatis ſancti Vincentii ad Vulturnum. quæ fuſius a nobis pertractata vide ſis in præfatione ſecunda ad acta ſanctorum ſæculi tertii Benedictini.

LXVI. Ebremundus abbas Fontanetenſis.

Inter epiſcopos, qui ſynodo Rotomagenſi ſubſcripſerunt, exſtat Aunobertus epiſcopus Sagienſis, qui Ebremundum ſeu Evremundum abbatem monaſterii Fontanetenſis inſtituit. Hic illuſtri apud Bajocaſſenſes genere ortus, ampliſſimos in palatio honores geſſiſſe dicitur. tum matrimonio alligatus, conjuge ſponte velata, ipſe bonis ſuis in egentes diſtributis, detonſo capite, in quamdam eremum, quam alii Excunicas, alii Exivias vocant, receſſiſſe, ubi cœnobia monachorum ac ſanctimonialium exſtruxerit. Dein Fontaneti in pago Sagienſi ſex condidit eccleſias, ubi non minimam monachorum turbam congregavit. Hoc accepto, Aunobertus ſeu Annobertus Sagienſis præſul Fortunatum archidiaconum eo direxit, exploraturus an vera eſſent, quæ de ejus ſanctitate ad ſuas aures fama pertulerat. Probata veritate, Ebremundum adduxit ad cathedralem eccleſiam ſanctorum Gervaſii & Protaſii, eumque abbatem conſecravit in loco, qui vocatur Mons-majoris. Cetera Ebremundi facta deſiderantur. Ejus corpus ſepultum fuit in monaſterio Fontanetenſi *, quo a Nortmannis everſo, tranſlatum eſt primo in cœnobium Uticenſe ſancti Ebrulfi, dein Aurelianos, poſtremo Credolium * ad Iſaram; ac demum a Calviniſtis combuſtum præter caput, quod in collegiata ejuſdem opidi eccleſia aſſervatur. Radulfus Taxo inſtanravit ſæculo undecimo ſancti Stephani monaſterium Fontanetenſe, qnod hactenus exſiſtit ordini Benedictino ſubjectum in diœceſi Bajocenſi.

* *Fontenay.*

* *Creil.*

LXVII. Bonitus fit epiſcopus Arvernenſis.

Cum Avitus epiſcopus poſt S. Præjectum annis fere quindecim Arvernicæ eccleſiæ præfuiſſet, ei ſubrogatus eſt Bonitus, ab Avito fratre moriente & clero ejus urbis electus, qui pincernæ primum & referendarii munus in palatio geſſiſſe, tum Maſſiliæ primæ provinciæ præfectus fuiſſe memoratur. Relatio de ejus electione ad regem Theodericum de more miſſa, probataque ab eo eſt, aſſentiente in primis Pippino præfecto palatii, penes quem ſumma rerum, tum in Auſtria, tum in Neuſtria erat poſt pugnam Textriciacam *, ante duos annos contra Theodericum apud Viromanduos pugnatam, in qua Pippinus victor, fuſis Theoderici copiis, eoque in poteſtatem redacto, cæſo Berthario majore-domus Warattonis ſucceſſore, regiam apud Francos auctoritatem obtinuerat, viamque ad regnum ſibi, poſteriſque ſuis hoc modo aperuerat. Suſcepto epiſcopatu Bonitus non ſe arbitratus eſt honorem accepiſſe, ſed onus: nec occaſione pontificalis curæ diſtrictionem prioris vitæ remiſit, immo potius auxit in jejuniis & vigiliis, ſeceſſum petere in quadrageſima ſolitus ad vacandum lectioni, meditationi ac ſilentio, ad triduum, aliquando ad quatriduum jejunio protracto: ut non tam ſacerdotem, quam monachum ſanctiſſimum agere videretur. Forte imbrium penuria ingruente, ſupplicationem in ſancti Laurentii baſilicam cum triduano jejunio indixerat, ipſe crucem præferre non dedignatus, tantam pluviæ copiam cælitus impetravit, ut ad majorem eccleſiam, ne quidem altera die, cum populo reverti liceret. Interim in oratione & jejunio vir ſanctus libens perſtitit, votis ejus ſuffragante Bobone abbate Magnilocenſi, qui ſupplicationi interfuerat. Sacrorum canonum ſtudioſiſſimus fuiſſe prædicatur, & de illis ſæpe cum preſbyteris ſuis collationem habuiſſe. Etſi tam digne in epiſcopatu ſe gereret, religione tamen pulſatus eſt, quod a germano ſuo hunc honorem dono accepiſſe videretur; ſubiitque animum abdicandi honoris, ut poſtea videbimus.

* *Tertry.*

LXVIII. S. Chiliani martyrium.

Theoderico item regnante Kilianus ſeu Chilianus Scottus ex Hibernia inſula Ro-

ANN. CHR. 689.

mam migraſſe, & a Conone pontifice ante annos tres nuda & ſine ſede epiſcopali dignitate donatus fuiſſe dicitur; tum in Franciam orientalem, quam recentiores Franconiam vocant, acceſſiſſe: ubi plurimos a Dianæ cultu ad chriſtianam religionem adduxerit, eoſdemque ſacro fonte luſtraverit, in primis Gozbertum regionis ducem, Hetani ſenioris filium, Ruodis nepotem, quem Rabanus in martyrologio judicem, Sigebertus principem Wirtziburgenſium vocat. Erat Gozberto uxor, Geila nomine, ante ipſius fratri nupta: quam cum ſe dimiſſurum Chiliano eſſet pollicitus, femina furore accenſa & libidine, ſanctum virum, repudii auctorem, unaque ejus diſcipulos, VIII. idus Julii hoc anno clam interimendos, & cum ſacris libris ac veſtibus humandos curavit; nec multo poſt ipſa miſere periit. Gozbertus a ſervis ſuis item occiſus: Hetanus ejus filius principatu dejectus. Chilianum monachum & abbatem fuiſſe ſcribit vitæ ejus interpolator: Hiienſem addit Trithemius: eumdemque Ordericus Vitalis ac recentiores primum Wirtziburgenſis ad Mœnum civitatis epiſcopum dicunt, ſed perperam: ſiquidem in ea urbe ſedem epiſcopalem ante Bonifacii pontificis & martyris tempus haud ſtabilitam fuiſſe conſtat. Duos tantum Chiliani martyrii ſocios habet Rabanus, quos minime nominat. Quatuor ejus diſcipulos, Colomannum, Gallonem, & Arnwalem preſbyteros, ac Donatum diaconum cum eo ex Hibernia diſceſſiſſe tradit antiquior ejus vitæ ſcriptor, qui diſcipulos ejus omnes cum eo capite truncatos fuiſſe aſſerit. Ainardus, natione Teutonicus, monaſterii ſancti Petri ad Divam in Neuſtria primus abbas, neſcio qua occaſione, hiſtoriam Kiliani epiſcopi cantibus decoravit, teſte Orderico [a] Vitali: quam hiſtoriam Johannes Erfordienſis monachus ante annos quinquaginta ſupra ducentos verſibus cecinit.

[a] Orderic. lib. 4. p. 544.

LXIX. Euſebia abbatiſſa obit.

Circiter hunc annum Euſebia abbatiſſa Hamaticenſis in Belgio ad immortalem vitam migravit VII. kalendas Aprilis. Corpus ejus ſepultum in ædicula baſilicæ S. Petri ad auſtralem plagam adhærente, atque ad ejus pedes ara erecta. Huic ſucceſſit Gertrudis abbatiſſa, quæ eccleſiam beatæ Mariæ virginis non longe a prædicta baſilica exſtruxit, eamque XIV. kalendas Decembris a Vindiciano epiſcopo Cameracenſi dedicari curavit, præſentibus plurimis eccleſiaſticis viris, quos inter aderat Hatta Vedaſtini monaſterii abbas, ſimulque Gandenſis ſancti Petri, quod in monte Blandinio ſitum eſt. In eamdem eccleſiam ipſa dedicationis die tranſlatum eſt ſanctæ Euſebiæ corpus, quod V. kalendas Novembris e tumulo elatum fuerat; tempore ſubſequente in Marchianenſem abbatiam deportatum. quod factum puto a tempore Nortmannorum, qui Hamaticenſe monaſterium everterunt.

LXX. Plectrudis Coloniæ cœnobium condit.

Per id tempus Pippinus præfecturam palatii in Neuſtria, ut prius in Auſtria, adeptus, inflatus rebus ſecundis, animum etiam libidine contaminavit, &, Plectrude legitima conjuge neglecta, Alpaïdem ſuperduxit. Plectrudis contra, adverſa fortuna optime utens, Coloniam ſeceſſit, & in capitolio ſeu palatio ejus urbis inſigne monaſterium virginum in honorem ſanctiſſimæ Dei Genitricis exſtruxit, ibique pie ac religioſe vixit cum Noitburge nepte ſua ex ſorore, donec a Pippino melius conſulto revocata eſt. Pippinus ex Plectrude Drogonem & Grimoaldum ſuſcepit, ex Alpaïde Carolum principem, cognomento Tuditem ſeu Martellum, de quibus multa erit inferius ſcribendi materia.

LXXI. Ina rex Glaſtonienſe.

Mortuo, ita ut diximus, Romæ Ceadwalla occidentalium Saxonum in Britannia rege, Ina regnum capeſſivit, tenuitque annos triginta-octo: quo tempore Glaſtonienſe monaſterium tam magnifice exſtruxit, ut primus ejus habitus ſit auctor. Locum hunc a primis illarum partium fidelibus excultum tradunt; ibidemque ſanctum Patricium abbatem fuiſſe, cui Benignus abbas ſucceſſerit. quo minus mirandum eſt, ſi Gildas Sapiens ibidem aliquamdiu habitaverit. Certius eſt id, quod de Bertwaldo, Theodori archiepiſcopi ſucceſſore, legitur, eum nempe Glaſtonienſis monaſterii prælaturæ prætuliſſe Raculfenſem, ex qua in ſedem Cantuarienſem aſſumtus ſit. de eo in libro ſequenti. Glaſtonia, nonnullis corrupte Glaſconia, villa erat pagi Somerſetenſis in epiſcopatu Wellenſi, in quodam paluſtri receſſu poſita, nec ſitu, nec adſpectu jucunda: ut ſcilicet eo tenacius monachi ſupernis inhiarent, quo caſtigatius terrena haurirent. Willelmus Malmeſburienſis monachus, cujus verba modo retulimus, ait ſe elaboraſſe librum de ejuſdem monaſterii antiquitate, quem librum excidiſſe puto, alium proinde ab eo, qui editus eſt initio primi voluminis Monaſtici Anglicani. Hoc monaſterium primo ædificaſſe ab eodem auctore dicitur rex Ina

ANN. CHR. 689.

conſilio beatiſſimi Aldhelmi, cujus ille monita libenter auſcultabat, nec minus hilariter exſequebatur. Glaſtonienſis hiſtoriæ auctor anonymus in Monaſtico Anglicano tantum habet, Inam conſilio ſancti præſulis Aldhelmi in melius reformaſſe hoc monaſterium, quod rerum turbinibus fere poſſeſſionibus ſuis deſtitutum, ac privilegiis orbatum fuerat. Exſtant ibidem Inæ litteræ de libertate monachis Glaſto-
» nienſibus conceſſa, ut ſine impedimento ſæcularium rerum, & abſque tributo fiſ-
» calium negotiorum, liberis mentibus ſoli Deo ſervire, & monaſticam diſciplinam re-
» gulariter exercere valeant, pro ſtatu & proſperitate regni regiſque Dominum pre-
» caturi: quibus ex litteris intelligimus, Glaſtonienſem eccleſiam beatæ Dei genitricis Mariæ & ſancti Patricii titulo inſignitam fuiſſe. Verum præter hanc rex Ina eccleſiam majorem in honorem Domini Salvatoris, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli in orientali parte vetuſtæ eccleſiæ condidiſſe dicitur pro anima cujuſdam propinqui ſui, nomine Mollonis, quem Cantuaritæ flammis tradiderant. Varia fuit inſigniſſimi hujus monaſterii fortuna uſque ad Danorum ſub Alfredo rege adventum. quo tempore, ut cetera fere omnia, monachorum cœtu omnino deſtitutum fuit. Verum quidquid bellorum turbine diſſipatum fuerat, egregie inſtauravit Dunſtanus, qui primum eo in loco ſolitariam vitam duxerat.

LXXII. Biſcopus & Sigfridus in extremo morbo ut ſe gerunt.

Non multo poſt ſuum ex urbe Roma regreſſum Benedictus Biſcopus Wiremuthenſis abbas, paralyſi in triennium tentari cœpit, dum Sigfridus ejus coadjutor longa interiorum moleſtia torqueretur. Sic vero ille corporis languore affectus erat, ut inferiorum membrorum partes præmortuæ eſſent, ſuperioribus tantum, ſine quorum vitali adminiculo vivi non poteſt, ad officium patientiæ, virtutemque reſervatis. Studebant ambo in doloribus ſuis Conditori ſemper gratias agere, ſemper Dei laudibus, exhortandiſque fratribus vacare. Hos ſæpe admonebat Benedictus de ſervan-
» da regula a ſe præſcripta. Neque vero putaveritis, aiebat, me hæc vobis ex arbitrio
» & ex propria minerva protuliſſe. Ex ſeptemdecim quippe monaſteriis, quæ inter
» frequentes peregrinationum mearum diſcurſus optima comperi, hæc univerſa didici,
» & vobis ſalubriter obſervanda contradidi. Ad hæc bibliothecam, quam Roma copioſiſſimam & præclariſſimam advexerat, ſollicite ſervari integram præcepit, ita ut libri nec per incuriam fœdarentur, nec ſparſim diſſiparentur. In primis eiſdem ſedulo id inculcabat, ut ne in eligendo abbate generis proſapiam, & non magis vitæ ac doctrinæ ſinceritatem ſpectarent, eis conteſtans, e duobus malis id multo ſibi tolerabilius eſſe, ut monaſterium a ſe conditum in æternam ſolitudinem redigeretur, quam ut frater ipſius carnalis, quem a recto tramite aberrare noverat, in eo
» regendo ſibi ſuccederet. Ideoque multum cavete, fratres, aïebat, ne ſecundum ge-
» nus umquam, neu ab externis vobis patrem quæratis: ſed juxta id quod *regula ma-*
» *gni quondam abbatis Benedicti*; & juxta id quod privilegii veſtri decreta continent,
» in conventu veſtræ congregationis communi conſilio eum perquiratis, qui ſecun-
» dum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam (magni Benedicti [a] verba hæc ſunt) ap-
» tior ad tale miniſterium perficiendum, digniorque probetur; & quem omnes una-
» nimi caritate & conſenſu optimum cognoſcentes elegerint, hunc vobis, accito epiſ-
» copo, rogetis abbatem conſueta benedictione firmari. Nam qui carnali modo car-
» nales filios generant, carnales terrenæ ſuæ ſubſtantiæ heredes quærere ſolent: at
» contra ſpiritales patres decet, ut ſpiritalia ſemper præ oculis habeant, & inter ſpiri-
» tales filios ſuos eum, qui ampliori Spiritus-ſancti gratia præditus ſit, aliis præferant. Jam vero ad temperandum longæ noctis tædium, quam præ infirmitatis doloribus ducebat inſomnem, accerſito lectore, vel Jobi hiſtoriam in patientiæ exemplum, vel alium librum ſcripturarum, quo relevaretur animus, & ad cæleſtia erigeretur, coram ſe lectitari jubebat: & quia nequaquam ſurgere ad orandum, nec facile ad explendum ſolitæ pſalmodiæ curſum linguam, vocemve attollere valebat; per ſingulas diurnæ vel nocturnæ orationis horas quoſdam e fratribus evocabat, ut illis, pſalmos conſuetos duobus in choris concinentibus, quoad poterat, adjungeretur; ſicque quod per ſe ſolum non valebat, eorum conſortio & adjutorio suppleret.

[a] S. Bened. c. 64.

Cum uterque ad extrema, Benedictus nempe & Sigfridus, deveniſſent, ſeque invicem videre & alloqui ante ſuum exitum ſummopere cuperent; Sigfridus in ſella geſtatoria delatus eſt in cubiculum, ubi Benedictus jacebat; atque ambo eodem in lecto compoſiti, mutuum ſibi oſculum dederunt. Tum Benedictus communi Sigfridi, cunctorumque fratrum conſilio Ceolfridum abbatem Girwenſis ſancti Pauli mona-

ſterii arceſſit, virum ſibi non tam carnis neceſſitudine, quam virtutum ſocietate propinquum, & eum utrique monaſterio, univerſis probantibus, præponit; ſaluberrimum & utiliſſimum ratus ad conſervandam pacem & unanimitatem utriuſque loci, ſi unum perpetuo patrem rectoremque haberent. Poſt hæc, duobus revolutis menſibus, venerabilis Deoque dilectus abbas Sigfridus, pertranſito igne & aqua tribulationum temporalium, inductus eſt in refrigerium æternæ quietis; eumque poſt menſes quatuor Benedictus ſecutus eſt. Sigfridum venerabilis Beda, uti Benedictum, Eaſterwinum ac Ceolfridum, ſanctum vocat, ejuſque natalem ſeu depoſitionem collocat XI. kalendas Septembris, quo die in faſtis Benedictinis colitur. ANN. CHR. 689.

In ſincero, ut creditur, Bedæ martyrologio, quod Bollandi continuatores tomo ſecundo Martii præmiſere, nulla Sigfridi abbatis mentio fit, immo neque Benedicti Biſcopi, cujus tamen depoſitionis diem ſollemni ritu ipſius Bedæ tempore apud ſuos celebratum fuiſſe conſtat ex ejuſdem [a] homilia de ipſo Biſcopo, quem Beda *beatæ memoriæ patrem* ſuum vocat, *cujus hodie*, inquit, *venerandam aſſumtionis diem debita ſollemnitate recolimus*. Neque vero ejuſdem Benedicti, nedum Sigfridi & ſequentium abbatum, mentio fit in metrico ejuſdem Bedæ martyrologio, quod in Spicilegii tomo decimo vulgatum eſt. Id vero ea de cauſa factum veri ſimile eſt, quod Beda ſuis faſtis nominatiſſimos tantum ſanctos adſcripſerit, & fere ubique receptos, non quoſvis peculiares. Porro prædictam de beato Benedicto Biſcopo homiliam Bedæ genuinum eſſe fetum docet nos Paulus Warnefridi, diaconus ac monachus Caſinenſis, qui loco illius homiliæ, quæ in lectionario Caſinenſi quinquageſima erat, aliam de ſanctiſſimo patre noſtro Benedicto ſubſtituit, quam initio ſecundæ Appendicis noſtræ ad hunc tomum proferemus. Ceterum in illa Bedæ homilia de Biſcopo, quoddam ejus vitæ inſigne compendium legitur, in quo nonnulla paullo aliter explicat Beda, quam in ipſa ejuſdem vita. Unum eſt, quod in hac vita Biſcopus *poſſeſſionem terræ ſuo gradui competentem* ab Oſwio rege accepiſſe dicitur, eaque relicta, Romam profectus fuiſſe: in homilia vero, *relictis* omnibus Chriſtum ſecutus, *quando ſpretis eis, quæ in miniſterio regali acquiſierat, ad beatorum Apoſtolorum limina peregrinaturus advolavit*. Sic locum hunc reſtituo, cum in editis legatur, *in monaſterio*. qualis error in Fredegarii vulgatis libris ante novam noſtri Ruinarti editionem commiſſus eſt, ubi Dagobertus Nantechildem, *unam ex puellis de miniſterio* in matrimonium accepiſſe genuina lectio habet. Deinde in eadem homilia ſubditur, Biſcopum *ibi*, id eſt Romæ, eruditum in Chriſto, *illis in partibus attonſum, ibidem monaſterialibus imbutum fuiſſe inſtitutis*. quod idem Beda in ejus vita factum dicit in Lirinenſi monaſterio, quod tunc temporis regebat Aigulfus abbas, poſtea martyr, aſſumtus ex ſancti Benedicti monaſterio Floriacenſi. Denique in eadem homilia ſub finem legitur, Biſcopum, quoties corporis infirmitate premeretur acerbius, ſemper interim debitas gratiarum « actiones Deo egiſſe; & de monaſteriorum, quas didicerat, regulis ſervandis; ſem- « per de eccleſiaſticis obſervationibus, quas per omnes civitates, & maxime Romæ « viderat; ſemper de locis ſanctis, quæ ſe luſtraſſe juvenem meminerat, frequenter « loqui dulce habuiſſe. Hæc ex illa homilia, quam integram legere non pigebit, delibare viſum eſt ad tanti viri memoriam commendandam.

[a] Beda to. 7. p. 333.

ANN. CHR. 690.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER DECIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 690. ad annum 700.

I. Benedictus Biſcopus moritur.

POST menſes quatuor, quam Sigfridus abbas è vivis exceſſerat, Benedictus vitiorum victor, virtutumque patrator egregius, ut Bedæ verbis utar, victus demum infirmitate corporis ad extrema pervenit. Hoc nuntio conſternati fratres, convenerunt ad eccleſiam, ibidemque orationibus & pſalmis noctem tranſigunt inſomnes, & paternæ deceſſionis mærorem immenſum, continua divinæ laudis modulatione lenire conantur, dum alii moribundo aſſiſtunt. Evangelium tota nocte pro doloris levamine (quod & aliis noctibus fieri conſueverat) a preſbytero legitur: tum dominici corporis & ſanguinis ſacramentum, hora exitus inſtante, in viaticum datur; ac demum felix illa anima, diuturno laborum ac dolorum igne expurgata, in cælum evolat, dum fratres, pſalterium in choro recitantes, ad octogeſimi ſecundi pſalmi verſum perveniſſent primum, *Deus quis ſimilis erit tibi?* Obiit vir ſanctus pridie idus Januarii, anno conditi monaſterii Wiremuthenſis ſexto decimo; ſepultuſque eſt in baſilica ſancti Petri apoſtoli, haud procul ab altari. Sexdecim annis monaſterium ſuum rexit, ſolus quidem primis octo, reliquis totidem annis cum venerabilibus & ſanctis viris Eaſterwino, Sigfrido, & Ceolfrido, quos paſtoralis officii coadjutores ſibi adſciverat. Et primus quidem, id eſt Eaſterwinus, quatuor annos regiminis cum eo exegit, Sigfridus tres, unum vero Ceolfridus, qui ei ſupervixit in annos viginti-ſeptem. Is fuit Benedictus Biſcopus, quem cum magno Benedicto venerabilis Beda merito comparavit. Quantum ejus ſtudium in rem monaſticam fuerit, teſtantur variæ ejus peregrinationes in Galliam & in Italiam, ubi, ſeptemdecim monaſteriis luſtratis, diſciplinæ regularis normam accurate exploravit. Non minor ejus cura & ſollicitudo fuit tum de ornatu eccleſiæ ſuæ, tum de inſtruenda bibliotheca, cujus rei cauſa quinquies Romam profectus eſt. Res ab eo, tribuſque ejus coabbatibus, & ab Huvetberto eorum ſucceſſore geſtas, duobus libellis Beda proſecutus eſt. Tantus vir cum eſſet Benedictus, nulla tamen ejus memoria in vulgato Bedæ apud Bollandianos martyrologio invenitur. tametſi eum vivente Beda publico cultu honoratum fuiſſe dubitare non ſinit homilia, quæ in ejus laudem ab ipſo Beda edita eſt, quam Bedæ fetum eſſe ex Paulo Warnefridi conſtat, ut ſuperius diximus.

ANN. CHR. 690.

II. Ceolfridus ejus ſucceſſor.

Ceolfridus ex coadjutore factus in ſolidum abbas utriuſque monaſterii, Wiremuthenſis & Girwenſis, vir erat multa religione & induſtria præditus, qui cuncta opera a ſuo incœpta deceſſore gnaviter perficere curavit. Oratoria quippe quædam exſtruxit, eccleſiæ & altaris ornamenta & ſupellectilem ſacram auxit, ac bibliothecam utriuſque monaſterii, inſuper terram octo familiarum ab Aldfrido rege dato pretio comparavit. Idem, miſſis Romam monachis, a Sergio papa privilegium monaſterio ſuo impetravit inſtar illius, quod Benedictus ab Agathone acceperat, illudque in frequenti ſynodo, epiſcoporum, ipſiuſque regis Aldfridi ſubſcriptione confirmari ſategit.

Beda an Romam vocatus Sergio papa.

Exſtat apud Willelmum Malmeſburienſem monachum fragmentum epiſtolæ, a Sergio papa ad Ceolſridum ſcriptæ, qua pontifex petit, ut *religioſum Dei famulum Bedam presbyterum* Romam dirigat ad examinanda quædam cauſarum eccleſiaſticarum capitula. Quamquam vix Sergio comperta eſſe potuit Bedæ preſbyteri ordinatio, quippe ipſo anno devixit, quo Beda preſbyter ordinatus eſt: nec ante ſuſceptum ſacerdotium vacare cœpit ſcribendis libris, qui famam ejus Romam uſque pertulerint. Verum hæc non ſufficiunt elevandæ penitus epiſtolæ hujus auctoritati, in qua nihil aliud ſuſpectum occurrit. Ut ut eſt, numquam patrium ſolum vertiſſe videtur Beda, quippe qui cunctum vitæ ſuæ tempus in ſui monaſterii habitatione, ut ipſe de ſe teſtatur, peregit: ſic tamen ut nonnumquam ad vicinas eccleſias docendi cauſa diverteret, ut de Eboracenſi in tomo ſequenti videbimus. Quid? quod Roma ſuppetias ad ſcribendam hiſtoriam ſuam, non per ſe ipſe, ſed per Nothelmum accepit. Neque porro unus fuit ex illis monachis, qui anno DCC I. a Ceolfrido abbate Romam miſſi ſunt: cum dicat, ſe ab eis didiciſſe inſcriptionem, cereis ſanctæ Mariæ in natali Domini Romæ appoſitam, quibus annus a paſſione Domini adſcriptus erat. Ab illis tamen monachis Sergius reſcire potuit hanc de Bedæ doctrina exiſtimationem, quæ ipſis, utpote domeſticis, ante ſcriptos ab eo libros ſatis ſuperque comperta erat. Ejuſdem Ceolfridi tempore veteranus ac religioſus Dei famulus Withmerus, in omni tam ſæculari, quam ſacra ſcripturarum eruditus ſcientia, monaſterio beati Petri ſe mancipavit cum terra decem familiarum, quam ab Aldfrido rege in poſſeſſionem acceperat, ibidemque ſanctiſſime vixit, dignus qui ſanctis ejus loci abbatibus conſepeliretur.

Vvithmer monachus piiſſimus.

III. Theodori epiſcopi Cantuarienſis obitus.

Poſt octo circiter menſes a morte Benedicti, exſtinctum eſt alterum Britanniæ lumen, Theodorus pontifex Cantuarienſis, quem Vitalianus papa eo direxerat. Obiit vero XIII. kalendas Octobris ejus anni, ſenex & plenus dierum, id eſt annorum octoginta & octo, cum in epiſcopatu annos viginti-duos tranſegiſſet. Vir magnus, niſi quod humani quiddam in Wilfridum Eboracenſem antiſtitem paſſus eſt: cujus rei ante mortem magnopere ipſum pœnituit. Sepultus eſt in ſuburbana ſancti Petri baſilica, ubi omnium Cantuarienſium pontificum corpora condita erant. In ejus tranſlatione, quæ ſæculo undecimo facta eſt, inventum corpus ejus, uti a primordio compoſitum fuerat, *integra forma, metropolitani ſacerdotii pallio*, ait Gotſelinus, *& monachali tantum obductum cuculla*. Eo mortuo, vacavit ſedes per duos annos, tandemque in ejus locum ſuffectus eſt Berchtwaldus abbas Raculfenſis, vir & ipſe ſcientia ſcripturarum imbutus, teſte Beda, & eccleſiaſticis, ſimulque monaſticis diſciplinis optime inſtructus, tametſi deceſſori ſuo minime comparandus. Theodorus ſcripſit librum pœnitentialem, in quo laxata tantiſper pœnitentiæ diſciplina, conceſſa facultate [a] communicandi poſt annum, immo aliquando poſt ſex pœnitentiæ menſes: cum veteres canones communionem nonniſi peracta pœnitentia concederent. Illud in rem noſtram facit, quod abbas [b] in monachi ordinatione ſeu profeſſione caput ejus in ſeptem dies cuculla velabat, & ſeptima velamen illud auferebat, ut recens baptizatis preſbyter: quod profeſſio monaſtica ſecundum baptiſma judicio patrum cenſeretur. Ritus ille ex Theodoro fluxit ad noſtros Cluniacenſes, & forte ab utriſque ad Romanæ eccleſiæ cardinales, recens inſtitutos, quibus poſt octo dies os reſolvi dicitur.

a Spicil. to. 9, p. 13.

b Ibid. p. 52, & apud Petitum, p. 3.

IV. Vvillebrordi & Suidberti miſſio in Friſiam.

Eodem tempore Willibrordus cum ſociis duodecim, in quibus Suidbertus unus e præcipuis erat, in Friſiam tranſmiſit, ut gentem illam, paganicæ ſuperſtitioni etiam tum deditam, ad Chriſti fidem adduceret. Ejus converſionem jam tentaverat Egbertus, nobilis Anglus & monachus: at ſupernis deterritus monitis, atque exorta tempeſtate rejectus in patriam, huic profectioni ſe ſubtraxerat, ad Hiienſium mo-

ANN CHR. 690.

nachorum correctionem divinitus reſervatus. Unus tamen ex ejus ſociis, Wigbertus nomine, & ipſe cootemtu ſæculi & doctrinæ ſcientia inſignis, qui multos annos anachoreticam in Hibernia vitam ſectatus fuerat, in Friſiam trajecit, ac duobus continuis annis genti illi, regique ejus Radbodo verbum ſalutis prædicavit. Sed cum nullum tanti laboris fructum ex barbaris illis retuliſſet; reverſus ad dilectæ ſolitudinis locum, ſolito in ſilentio rebus divinis vacare inſtitit; & qui externis prodeſſe ad fidem noo potuerat, ſuarum virtutum exemplis prodeſſe ſuis ſtuduit. Verum his difficultatibus nequaquam victus vir Domini Egbertus; quod nec per ſe, nec per Wigbertum perficere valuit, per alios ſanctos & induſtrios ex Britannia viros id denuo aggreſſus eſt. Delecti ad id muneris viri duodecim ex monachis, in qnibus Willibrordus & Suidbertus preſbyterii gradu & virtutum merito præcellebant. Natus erat Willibrordus in provincia Northumbrana ex Wlgiſlo religioſo admodum patre, genere Saxone, qui tandem, relicto habitu ſæculari, monaſticam vitam amplexus eſt, ae demum ſolitariæ vitæ ſtudio ſeceſſit in promontoria, quæ mari Oceano, & Humbri flumine cinguntur: ubi modicam Deo ſervientium congregationem adunavit, & poſt multos ſancti laboris agones mortuus, ſepultuſque eſt. Hanc cellam *maritimam* vocat Alcuinus, qui eam *per ſucceſſiones legitimas* gubernandam ſuſcepit, uti & cellam itidem maritimam ſancti Judoci non longe a freto Gallici Oceani. Statim ut ablactatus eſt Willibrordus, infantulum tradidit pater Ripenſis eccleſiæ fratribus alendum, ac ſtudiis ſacriſque litteris erudiendum, ubi nihil videret niſi honeſta, nihil niſi ſancta audiret. Illic brevi adeo profecit, ut novus Samuel haberetur. Puer clericatus tonſuram ibidem aceepit, & pia profeſſione monaehum ſe fieri inſtitit, nulli humilitatis officio ſecundus, nulli lectionis ſtudio inferior. Dein, audita ſanctorum virorum in Hibernia tum eruditione, tum ſanctimonia, eorum religione incitatus, præcipue Egberti mox laudati, quem ſanctum vocabant, & Wigberti venerabilis ſacerdotis, qui ambo ob cæleſtis patriæ amorem, domo, patria, cognatione relictis, in Hiberniam ſeceſſerant; cum permiſſu abbatis & fratrum ſuorum ad eos contendit, ut eorum contubernio & ſancta converſatione frueretur; ibique duodecim annis, inter eximios piæ religioois ſimul & ſacræ lectionis magiſtros, futurus ipſe multorum populorum prædicator, eruditus, informatuſque eſt. Triceſimo-tertio ætatis ſuæ anno, cum jam aliis erudiendis maxime idoneus videretur, ab Egberto in Friſiam miſſus eſt cum ſociis numero duodecim: in quorum numero, ut jam dixi, Soidbertus erat, abbas Dacoreoſis monaſterii, quod juxta amnem Dacorum in Cumbria poſitum, ab illo amne nomen aceepit. Omnes tranſmiſſo oceano, cum ad caſtellum Trajectum, ad Rheni fluminis ripam poſitum, ubi poſtea Willibrordus epiſcoparus ſedem habuit, perveniſſent; Pippinum Francorum ducem, qui paullo ante citeriorem Friſiam, expulſo Radbodo, ſubegerat, conveniendum cenſuere, ut ab eo prædicandi verbi Dei facultatem obtinerent. Hos omnes Pippious benigne audiit, excepitque, præfectiſque regionis ſcripſit, darent operam, ne quis externis illis hominibus verbum Dei prædicantibus moleſtus eſſet, aot ullam inferret injuriam; pollicitus, ſe eos, qui Chriſti fidem recepiſſent, beneficiis aucturum. Unde factum eſt, opitulante gratia divina, ut multos brevi Willibrordus cum ſuis comitibus a dæmonum cultu ad chriſtianam religionem converteret.

V. Evvaldi duo cæſi. Horum ſecuti exempla duo monachi [a] ac preſbyteri, natione Angli, qui in Hibernia diu commorati fuerant, in Saxoniam veterem, ampliſſimam, Germaniæ regionem, venere, tentaturi, an forte aliquos Chriſto paganos poſſent acquirere. Ambo aotem Ewaldi vocabantur, ſed a colore capillorum alter Niger, alter Albus cognominatus, ut eodem nomine, ſic eadem uterque pietate, eodemque ſtudio prædlti, niſi quod Niger Ewaldus in ſacris litteris peritior erat. Cum in eam provinciam veniſſent, in domum cujuſdam villiei diverterunt, petieruntque ab eo, ut ad illius pagi ſatrapam ducerentur: habere ſe mandata magni momenti, quæ ad eum deferrent. Veteres quippe Saxooes regem non habebant, ſed plurimos ſatrapas, ſingulos ſingulis pagis præpoſitos: ex quibus unum, ingruente bello, ſortis beneficio eligebant ducem, cui omnes alii obtemperarent; confecto bello, æquali, ſicut ante, poteſtate futuri. Ambos ergo Ewaldos villicus perhumaniter excepit, pollicitus, ſe id quod petebant facturum; eoſque domi diebus aliquot retinuit. quos cum barbari ejus loci incolæ a ſuis moribus, religionibuſque differre animadvertiſſent, (nam pſalmis ſemper orationibuſque vacabant, & quotidie ſacrificium Deo victimæ ſalutaris

[a] Beda lib. 5. c. 11.

taris ſuper tabulam ſacratam offerebant) timere cœperunt, ne, ſi cum ſatrapa ſuo colloquerentur, eum a cultu deorum ſuorum averterent, & ad chriſtianam fidem adducerent; ſicque paullatim tota provincia patrios vetereſque ritus novis mutare cogeretur. Itaque ambos ſubito corripiunt, & Album quidem gladio confodiunt; Nigrum autem dire excruciatum membratim in fruſta ſecant, atque utrumque in Rhenum projiciunt. quo accepto, ſatrapa factum graviter tulit, & immiſſis militibus, vicanorum omnium cæde ſanctorum necem ultus eſt, vicumque ipſum incendio conſumſit. Martyrium paſſi ſunt ſancti illi duo monachi v. nonas Octobris: quo die in vetuſtis martyrologiis eorum memoria recolitur. Horum corpora adverſo flumine per quadraginta fere millia paſſuum ad eum locum, ubi illorum ſocii erant, nullo remige perducta fuiſſe memorantur, & cæleſtibus ſignis illuſtrata; & quo loco jacerent revelatum uni ex eorum ſociis, cui nomen erat Tilmon, viro illuſtri & in ſæculo quondam nobili, qui ex milite monachus factus fuerat. His cognitis, glorioſiſſimus dux Francorum Pippinus corpora martyrum ad ſe deferri juſſit, & in eccleſia Coloniæ-Agrippinæ, ubi habitare conſueverat, honorifice reponi curavit. ANN. CHR. 692.

Eamdem ob cauſam, eodemque tempore Wlframnus Senonum antiſtes, dimiſſo epiſcopatu, non ſemel in Friſiam itidem profectus eſt, ut ejus incolas & ipſe Chriſti myſteriis imbueret. Erat is Wlberti viri nobilis filius, in vico pagi Waſtinenſis * Mauriliaco, agro paterno natus: quem vicum Fontanellæ monaſterio poſtea donavit. Hic primum clericus in aula Chlotharii ac Theoderici, curam eccleſiaſtici ordinis egiſſe traditur: tum ad epiſcopatum Senonenſem promotus, ſubinde, petito a Theoderico rege commeatu, Fontanellam [a] acceſſit, ibidemque monaſticas veſtes ſuſcepit, Goërico in locum ſuum ſuffecto. Dein, comitibus ab Hildeberto abbate acceptis, in Friſiam contendit, ubi multos tum liberos, tum etiam nobiles, a cultu ſimulacrorum ad chriſtianam fidem adduxit ac baptizavit, in primis Radbodi Friſiorum ducis filium, qui in albis mortuus eſt; & alios quinque ex his, quos barbari illi pagani ritu patrio certis diebus dæmonibus pro victimis immolare conſueverant. Ferunt & Radbodum ducem, cum catechumenus, & chriſtianis ſacris initiandus, jam alterum pedem demiſiſſet in fontem, petiiſſe a Wlframno, ubi major principum, nobiliumque Friſiorum multitudo eſſet, in cælo, quod ſibi, ſi chriſtianus eſſet, polliceretur; an apud inferos, quo cunctos chriſtianæ fidei experres detrudendos diceret. tum reſponſo accepto, pedem e ſacro ſonte extuliſſe, profeſſum, malle ſe vel apud inferos cum ſuæ gentis principibus viris æternum manere, quam eorum convictu carentem in cælo cum paucis & abjectis hominibus reſidere. Idem nihilo minus Radbodus Willibrordum per nuntios rogaſſe dicitur, ut ad ſe chriſtianis myſteriis imbuendum veniret: at vir ſanctus accedere noluiſſe, ne ſe, uti Wlframnum, Radbodus ludificaretur. Ex his, quos Wlframnus dæmonum immolationi ſubduxit, unus ſuit Ovo, quem in patibulo mortuum excitavit, poſtea Fontanellenſis monachus & egregius ſcriptor, qui plurimos codices & multas teſtamentorum litteras exaraſſe perhibetur. Alii duo fuere Evrinus & Ingomarus, quos, ne immolarentur, a principe impetravit, & ipſi poſtmodum monachi facti apud Fontanellam, ubi religioſiſſime multo tempore vixerunt. Ex Fontanellenſibus monachis, qui Wlframnum in Friſiam comitati ſunt, unus erat Wando, tunc diaconus, demum preſbyter, ejuſdemque monaſterii abbas: quo referente traditum eſt, viro ſancto ſacrificium in navi, dum in Friſiam per mare Morinorum regioni adjacens trajiceret, celebrante, miniſtro tenenti patenam e manibus excidiſſe in mare, ac ſancti ſacerdotis precibus recuperatam fuiſſe: quam patenam vir Dei e Friſia reverſus cum ſuo calice, aliiſque ſacris inſtrumentis Fontanellæ conceſſit.

VI. Vulframnus itidem in Friſiam pergit.

* *in Gaſtinenſi.*

a *Spicil. to. 2. p. 706.*

Ad hunc etiam annum revocamus obitum ſanctæ Hunegundis abbatiſſæ, quæ cum apud Humolarias * in pago Viromandenſi ex morbo decumberet, converſa ad eos, qui ſibi aſſiſtebant, preſbyteros, unctionis oleum & communionem expetiiſſe dicitur, ac demum ad Dominum migraſſe VIII. kalendas Septembris. Librum de ejus vita unum, alterum de ejuſdem tranſlatione ſcripſit Bernerus abbas Humolarienſis, qui primus ejus loci rector fuit ab expulſione ſanctimonialium & ſubſtitutione monachorum, medio ſæculo decimo facta.

VII. Hunegundis abbatiſſæ obitus.

* *Humblieres.*

Theodericus rex Francorum anno regni ſui ſexto-decimo, cum conſilio pontificum & optimatum ſuorum, Latiniacum prædium pagi Meldici, Siccum vulgo appellatum, tradit monaſterio ſancti Dionyſii, ubi tunc venerabilis Chaino abbas præ-

VIII. Theodericus rex Latiniacũ S. Dionyſio concedit.

AN. CHR. 690.

» erat plurimæ turmæ monachorum, quæ ad laudes Deo canendas ibidem adunata erat. Hoc prædium antea ſibi uſurpaverant, unus poſt alium, Ebroinus, Waratto, & Ghiſlemarus præfecti palatii: ſed, cum iis mortuis ad fiſcum revertiſſet, *illud* ad ſuggeſtionem præcelſæ reginæ Chrodechildis, & illuſtris viri Bercharii majoris-domus, pro remedio animæ ſuæ Theodericus ſancto Dionyſio in uſus luminarium conceſſit, præter quamdam ejus portionem in loco, quem Siliacos vocat, quæ quondam Arulfi cujuſdam fuerat, ſed tunc *apoſtolico viro domno Godino epiſcopo*, an Lugdunenſi, aliis litteris ab eodem principe conceſſa. Hujus donationis præcepto, quod III. kalendas Novembris, anno regni Theoderici ſexto decimo, Compendii datum eſt, ſubſcribit *in Chriſti nomine Theudericus rex*, quæ ſolita ejus formula erat; & poſt eum, *Vulfolaëcus juſſus obtulit & ſubſcripſit.* Editum eſt hoc diploma cum ſequenti charta Vandemiris in libro ſexto de re diplomatica: ex quo intelligimus Chainonem tum abbatem fuiſſe monaſterii ſancti Dionyſii prope Pariſios, eumque Charderico abbati ſucceſſiſſe. Is eſt venerabilis vir Chaino diaconus, cui Theodericus rex villas Saucithum, Montecellas, & Abniti conceſſit anno quinto regni ſui, Charderico abbate.

ANN. CHR. 691.

IX. Vandemiris donationes factæ monaſteriis.

ANno decimo-ſeptimo ejuſdem regis, Vandemiris, vir illuſtris, plurimas, eaſque locupletes donationes facit monaſteriis, præſertim urbis & agri Pariſienſis, aſſentiente Ercamberta ipſius uxore. Magnopere dolendum eſt, inſigne hoc antiquitatis monumentum lacerum eſſe in authentico, ſcripto in charta Ægyptiaca, ex quo illud eruimus. In primis quæ jam concedit *baſilicæ domni Stephani in Pariſius*, ubi Sigofridus pontifex præerat. Erat unus ex præcipuis Pariſienſis eccleſiæ patronis ſanctus Stephanus, cujus baſilica eccleſiæ matri adjuncta erat, eſtque etiam nunc. Deinde in ſuperiori teſtamento laudatur venerabilis Landebertus abbas baſilicæ domni Germani, cui villa Fraxinetus tribuitur; tum venerabilis Audcharius abbas baſilicæ domni Vincentii vel domni Germani, cui villæ duæ, una in pago Dorcaſſino *, vocabulo Oxma; altera, Noviolium dicta, in pago Andegavino, donantur. Is eſt Audcharius, vulgo Autharius dictus, jam ſuperius laudatus, abbas monaſterii ſancti Germani, quod a Prato ſeu a Pratis poſtea cognomentum accepit. Prior illa baſilica domni Germani ea eſt, quæ ſancti Germani Teretis ſeu Antiſiodorenſis nuncupata, tunc forte monachorum erat, modo canonicorum ſæcularium in ipſa urbe Pariſiaca. Qui in conſequentibus memoratur Vandremarus abbas, forſan is eſt, qui Cellam ſuper Sequanam ſancto Germano dediſſe perhibetur in veterrimo necrologio prædicti monaſterii ſancti Germani Pratenſis. Dehinc Vandemiris donat domno Chriſtivilo, monaſterio ſcilicet puellarum *in Pariſius*, ubi Landetrudis abbatiſſa præeſſe videbatur, Noviliacum in pago Camiliacenſi. Sunt qui exiſtimant, domnum Chriſtivilum non alium eſſe a ſancto Chriſtophoro, qui patronus titularis eſt xenodochii eccleſiæ Pariſienſis, cui tunc forte Landetrudis præfecta erat. Poſt hæc aliæ donationes fiunt baſilicæ domni Dionyſii martyris, ejus corpore inſignitæ, cui venerabilis Chaëno ſeu Chaino abbas tum præerat. Incognita ſunt ſubſequentia monaſteria, tum illius, cujus Vigur ſeu Vigor abbas; tum Fortmauri, cujus abbas Amalcarius. Notiſſimum eſt monaſterium Fontanellæ ſancti Petri: ſed ubi in editis legitur, *Funtanelle ad domno Petro, ubi domnus Landoinus corpore requieſcit*, poſtea conſulto rurſus exemplari ſic locum hunc reſtitui, ubi domnus Vando in corpore requieſcit, ſcilicet ſanctus Wandregiſilus, qui alio nomine Wando nuncupabatur. Ignotum eſt in eodem inſtrumento domni ſeu ſancti Deſiderii monaſterium, cui Adroaldus abbas præerat; cujuſve monaſterii abbas Carone ſeu Caronus exſtiterit. Monaſterium domni Martini (ſic ſanctos vulgo domnos appellabant) in vico Priſciaco * pagi Camiliacenſis ad Iſeram ſitum, cui Farulfus abbas tum præerat, forte eo in loco exſtabat, ubi modo cernitur Benedictinarum virginum cœnobium prope ipſum Priſciacum, quod S. Martini de Borano appellatur, non abbatia, ſed conventualis, ut vocant, prioratus Paraclitenſis. Qui priori loco in prædicto Vandemiris teſtamento laudatus eſt Landebertus abbas baſilicæ domni Germani, idem eſſe videtur Landebertus abbas, qui cum Magnoaldo abbate monaſterii Tucioniſvallis ſeu Tuſoniſvallis commutationem quamdam fecit villæ Franconecurtis in pago Pinciacenſi pro Rocconecurte, quam a Magnoaldo abbate accepit. Ejus rei inſtrumentum authenticum, in papyro ægyptiaca exaratum, ſupereſt in archivo

* Drom.

* Proy.

ANN. CHR. 69¹.

Dionyſiano, ſed in principio, multiſque locis mutilum, cui præter Landebertum & Magnoaldum abbates ſubſcripſere Madolandus abbas, Walgoaldus, Fladebertus, & Remedius preſbyteri, Berthfredus diaconus, Ingobertus lector, Bertinus optimas, aliique teſtes. Hæc ſatis de teſtamento Vandemiris, qui etiam nonnulla Magnoaldo abbati videtur conceſſiſſe, quantum ex lacero inſtrumento intelligi poteſt.

X. Theodericus rex ſepultus in S. Vedaſti.

Sub hunc annum Theodericus Francorum rex, regni ſui anno ſeptimo-decimo, morbo confectus deceſſit. Sepultus eſt in baſilica monaſterii ſancti Vedaſti apud Atrebatas, quam *is pro injuſta interfectione ſancti Leodegarii* Æduorum præſulis pænitens fundaverat, teſtante Orderico Vitali, cui Andreas Marcianenſis & Albericus ſubſcribunt, nempe quod Ebruïno auctore ſub ſuo ipſius principatu commiſſum fuit, hoc ſibi religioſus princeps merito imputavit. Hanc autem ſancti Vedaſti baſilicam non primus exſtruxit, ſed refecit, quippe quæ Childerico ejus fratre regnante jam condita erat. Idem monaſterium ſancti Johannis Baptiſtæ prope Teruanam, patrum noſtrorum memoria Ipras tranſlatum, exſtruxiſſe perhibetur. Exſtant ad ejus tumulum verſus octo, ſed recentiorum temporum, in quibus anno ejus ſæculi nonageſimo-quarto falſo obiiſſe dicitur. Succeſſorem habuit filium Chlodoveum minorennem, ejus nominis tertium, quem ex Chrodechilde ſeu Chrothilde regina habuerat, una cum Childeberto itidem tertio, qui fratri poſt quadriennium ſucceſſit.

XI. Wilfridus denuo exagitatus refugit ad Mercios.

In Britannia majori Northumbrorum rex Aldfridus, mortuo Theodoro Cantuarienſi antiſtite, novas denuo procellas in Wilfridum Eboracenſem epiſcopum excitavit, ſopitæ ab annis quinque diſcordiæ turbinem iterum movente æmulorum invidia, qui facem diſſenſionis rurſus accenderunt. Rixæ cauſa & occaſio nata eſt ex veteri diſcordiæ origine. Quippe Aldfridus Ripenſis monaſterii eccleſiam, ſancto Petro nuncupatam, poſſeſſionibus propriis mutilare volens, epiſcopatum illic inſtituere moliebatur, aſſerens, decretis Theodori epiſcopi inhærendum, non primis & ultimis, quæ Wilfridi cauſæ favebant, ſed illis, quæ medio tempore contra Wilfridum protulerat. Quo facto, ejus eccleſiæ perimebatur libertas, quam ſanctus Agatho, ipſique reges ei aſſeruerant. Huic procellæ cedendum ratus ſanctus antiſtes, ad Ethelredum regem Merciorum ſibi amiciſſimum refugit, magnoque cum honore ab eo acceptus, eo volente Liccidfeldenſem eccleſiam, Sexwlfi epiſcopi morte vacantem, regendam ſuſcepit. Per id tempus Ætlam Wicciorum [a] epiſcopum in locum Boſeli, infirmitate præpediti, ordinavit, cum necdum alius pro Theodoro Cantuariæ pontifex ordinatus eſſet. Quin etiam Suidbertum itidem epiſcopum, nulli certæ eccleſiæ addictum, ſed ad prædicationem & miſſionem evangelicam, conſecravit, cum nondum Berchtwaldus Theodori ſucceſſor [b], qui trans mare ordinandus ierat, ad eccleſiam ſuam revertiſſet.

a *Beda lib.* 4. c. 23

b *idem lib.* 5. c. 12.

XII. Ætla epiſcopus alius ab Hedda.

Falluntur qui Ætlam Wicciorum epiſcopum cum Heddio ſeu Hedda Dorciceſtrenſi antiſtite confundunt. Errandi occaſio orta eſt ex ſede Dorciceſtrenſi, quæ duplex fuit, una apud occidentales Saxones, cui Heddius a Theodoro pontifice impoſitus: altera Wicciorum apud Mercios, ad quam Ætla ſeu Acla epiſcopus poſt Theodori mortem ordinatus fuit a Wilfrido, cum hic apud mediterraneos Anglos exſularet. Is eſt Ætla monachus, qui cum in utroque [c] Hildæ abbatiſſæ monaſterio, Streaneshalenſi nimirum & Heorienſi, lectioni & meditationi ſcripturarum operam dediſſet, dein ad perfectiora adſpirans, Cantiam acceſſit ad Theodorum epiſcopum: ubi, poſtquam aliquamdiu ſacris lectionibus vacaſſet, demum Romam, quod tum magnæ virtutis officium erat, profectus eſt. Inde reverſus divertit ad provinciam Wicciorum, cui tunc rex Oſricus præerat; ibique verbum Dei prædicando, & recte vivendi normam exemplo ſuo exhibendo promeruit, ut in locum Boſeli languentis eligeretur, & juſſu Ethelredi regis ordinaretur Dorciceſtræ epiſcopus a Wilfrido, qui tunc temporis mediterraneorum Anglorum, ut diximus, epiſcopatum gerebat. Itaque Ætla ſucceſſerat in Dorciceſtrenſem apud Mercios epiſcopatum in locum Boſeli, qui virum ſtrenuiſſimum [d] & doctiſſimum Tatfridum, de monaſterio Streaneshalenſi pariter electum, deceſſorem habuerat. Verum Heddius, a Theodoro conſecratus, ſucceſſerat Leutherio in ſedem Dorciceſtrenſem provinciæ occidentalium Saxonum: Leutherius vero Winam, Agilbertum, & Birinum deceſſores ſortitus erat. Hæc neceſſario explicanda viſa ſunt, ne in poſterum Hedda confundatur cum Ætla, quem nonnulli corrupte Ædam appellant.

c *id. lib.* 4. c. 23.

d *id. ibid.*

XIII. Haſnonienſis

Haſnonienſe in Belgio monaſterium principio duplex, virorum ac puellarum,

ANN CHR. 691.

monaſterii conditores, Johannes & Eulalia.

conditores agnoſcit Johannem & ſororem ejus Eulaliam, quorum ille viris, hæc feminis præfuit. Poſitum eſt hoc cœnobium ad dexteram Scarpi amnis ripam, *Marcianas* inter & Elnonem ſancti Amandi, in diœceſi Atrebatenſi, ſed in Oſtrevandenſi pago, cujus comes Johannes fuiſſe dicitur. Baſilicæ ibidem primitus fuere duæ, una pro viris, altera pro virginibus, qui ſeparatis ab invicem monaſteriis incluſi erant. In vulgatis de ejus cœnobii origine verſibus, non admodum antiquis, prima ejus fundamenta jacta dicuntur ejus ſæculi anno ſeptuageſimo: quo perfecto & abſoluto, Vindicianus præſul Cameracenſis ſimul & Atrebatenſis baſilicam, aut potius baſilicas duas, in honorem apoſtolorum Petri & Pauli conſecraſſe traditur. Annos unum & viginti effluxiſſe ferunt ab inchoato monaſterio ad dedicationem, quæ pridie kalendas Maii facta dicitur. Et, ſiquidem die dominico facta eſt, ut ejuſmodi ritus fieri canon primus Cæſarauguſtani concilii tertii præcipit, non male a Cointio revocatur ad præſentem annum, quo pridie kalendas Maii dies dominica erat. Eodem die, ſed poſt regiminis annos ſeptemdecim, Johannem & Eulaliam obiiſſe tradunt noſtri Haſnonienſes. Johanni ſucceſſores aſſignantur Aldo, Savericus, Geroldus, Godefridus, Walterus, Amadeus, & Audulfus ante Normannorum tempeſtatem. Eulaliæ octo ad id tempus ſucceſſiſſe abbatiſſas aſſerunt, ex quibus duarum dumtaxat nomina ſuperſunt, Bertrudis & Ermentrudis. A Normannorum tempore ſimplex virorum monaſterium fuit ad hoc uſque tempus, quo etiam nunc viget ſub inſtituto Benedictino.

XIV.

Landrada conditrix monaſterii Beliſienſis.

Eulaliæ æqualis, ejuſdemque propoſiti æmulatrix fuit Landrada, puella nobilis, quæ, ubi nubiles attigit annos, rejectis quæ ſibi offerebantur ſplendidis nuptiis, uni ſe Chriſto deſpondit. Abhinc, ſpretis omnibus, unius cellulæ clauſa anguſtiis, intra paternas ædes uni Deo vacabat, cibario pane & aqua contenta, balneas & mollia ſtrata abhorrens. Tum, relicta patria domo, in vaſtam ſolitudinem, reclamantibus parentibus, ſeceſſit, quem locum a feritate inhabitantium belluarum Belluam vocabant: ubi, exſtructo ſibi tugurio, dein monaſterio, in honorem beatiſſimæ virginis Mariæ baſilicam, quæ a ſancto Landeberto Trajectenſi epiſcopo conſecrata eſt, erexit. Mirum eſt quam religioſe vixerit in ſuo monaſterio, quod humaniori vocabulo Beliſia nuncupatum eſt, ſitum a ſiniſtris viæ, qua Tungris Trajectum ad Moſam itur, hodie collegium nobilium canonicarum, ubi ſancta Landrada VIII. idus Julii colitur. Res ab ea geſtas ſcripſit ſæculo undecimo Theodericus abbas Trudonianus.

XV.

Cæſarauguſtani concilii tertii decreta.

Concilium Cæſarauguſtanum tertium, mox laudatum, hoc anno, id eſt anno quarto Egicanis regis, kalendis Novembris habitum, ſtatuit canone tertio, ut ne ſæcularibus hoſpitandi & commorandi intra clauſtra monaſterii facultas concedatur, ſed tantum in ſeparatis a monaſterio ædibus, ubi eos ſuſcipere abbati & monachis liceat: ut hoc pacto vita monachorum a conſuetudine ac ſtrepitu ſæcularium remota ſit, nec eorum dicteriis exponatur; & ne monachi ex tali ſuſceptione morum diſſolutionem incurrant, & a bono propoſito avocentur. Canone quinto cautum eſt, ut reginam viro orbatam nedum liceat cuiquam uxorem ducere, quod tertio-decimo concilio Toletano ſancitum fuerat: ſed ut regina ipſa ſtatim veſtem ſæcularem deponat, & aſſumto religionis habitu, cœnobio virginum mancipetur, ſanctimonialem vitam deinceps peractura.

ANN. CHR. 692.

XVI.

Bertvvaldus Theodoro epiſcopo ſuccedit.

ANno inſequente DC XCII. Theodoro in epiſcopatum Cantuarienſem ſucceſſit Bertwaldus, qui erat abbas monaſterii [a] Raculfenſis, poſiti ad oſtium fluminis Genlade; vir ſcientia ſcripturarum, & eccleſiaſticis, monaſticiſque diſciplinis apprime inſtructus, tametſi deceſſori ſuo minime comparandus. Electus vero eſt anno poſt ſexcenteſimum nonageſimo-ſecundo, die primo Julii, ſed nonniſi anno ſequente, tertio die kalendarum Juliarum ordinatus a Godwino metropolitano epiſcopo Galliarum, id eſt Lugdunenſi, atque ſedem ſuam iniit pridie kalendas Septembris, quæ dies dominica erat. Ex his, quæ ex Beda retulimus, emendandus eſt Willelmus Malmeſburienſis, cum Britwaldum epiſcopum electum dicit ex abbate Glaſtonienſi, forte eum confundens cum Berwaldo, qui Hemgiſlo in regimine abbatiæ Glaſtonienſis ſucceſſit. Hinc etiam corrigendum Monaſticon [b] Anglicanum, ubi legitur, Kentwinum regem anno ejus ſæculi ſeptuageſimo-octavo Glaſtoniæ abbatem conſtituiſſe Hemgiſlum poſt promotionem Britwaldi abbatis in ſedem Cantua-

[a] *Beda lib. 5. c. 9.*

[b] *Monaſt. Anglic. p. 13. vol. 1.*

ANN. CHR. 691.

rienſem: quam Bertwaldus non ante hunc annum nonageſimum-ſecundum adeptus eſt. Utrumque forte ita conciliari poteſt, ſi admittamus id quod legitur apud Spelmannum[a], nempe Bertwaldum, repugnante rege & diœceſano epiſcopo, Glaſtuniæ præfecturam abdicaſſe, eique regimen monaſterii Raculfenſis prætuliſſe. quo admiſſo, Hemgiſlus prædicto anno ſeptuageſimo-octavo in regimine Glaſtonienſi ſuccedere potuit, Britwaldo ſeu Berthwaldo ad Raculfenſe tranſlato, qui poſtmodum ex abbatia Raculfenſi ad archiepiſcopatum Cantuarienſem promotus ſit, & quidem primus ex Anglis, uti ex venerabili Beda diſcimus: qui Beda hoc anno vel præcedenti, cum annorum dumtaxat novemdecim eſſet, diaconatum a Johanne Haguſtaldenſi epiſcopo, jubente Ceolfrido abbate ſuo ſuſcepit. Id conceſſum eximiæ ejus pietati ac doctrinæ: cum alias veteres eccleſiæ canones viginti-quinque annos ad hunc ordinem exigerent.

a *Spelman. to 1. conc. p. 26.*

Beda fit diaconus.

XVII. Vvillibrordi primum iter Romam.

Interim Willibrordus, ut primum[a] vidit factam ſibi a Pippino duce prædicandi in Friſia evangelii poteſtatem, Romam quantocius ire maturavit ad Sergium tum Romanæ eccleſiæ pontificem, ſimul ut ejus permiſſu ac benedictione tantum opus aggrederetur, ac reliquias beatorum apoſtolorum & martyrum, in eccleſiis quas extructurus erat collocandas, ab eo impetraret. His peractis, voti ſui compos factus, in Friſiam ad Dei verbum prædicandum rediit. Eodem tempore monachi, qui Friſiis Chriſti evangelio propagando vacabant, unum e ſuis elegere, nempe Suidbertum jam laudatum, modeſtum ac manſuetum virum, eumque in inſulam Britanniam direxere, conſecrandum a Wilfrido epiſcopo, qui tunc forte apud Mercios exſulabat, Bertwaldo Theodori ſucceſſore, qui trans mare ordinandus acceſſerat, necdum ad ſedem ſuam reverſo. Suidbertus poſt ordinationem e Britannia regreſſus ad Bructeros ſeu Boructuarios Friſiæ populos, multos eorum ad Chriſti fidem, baptiſmumque perduxit. Verum, Bructeris non multo poſt a gente veterum Saxonum expugnatis, qui ex his chriſtiani facti erant, domos ſuas reliquere, & profugi per varia loca, diverſaſque regiones diſſipati ſunt. Suidbertus ipſe cum quibuſdam adiit Pippinum Francorum ducem, qui interpellatus a conjuge ſua Plectrude, quam Beda Bliththrytem vocat, locum habitandi in quadam inſula Rheni, In-litore dicta, ei conceſſit: ubi vir ſanctus exſtructo monaſterio, quod heredes ejus diu poſſederunt, aliquamdiu continentiſſimam egit vitam, atque deceſſit.

a *Beda lib. 5. c. 12.*

Suidberti epiſcopi ordinatiò.

XVIII. Pippini donatio facta S. Arnulfo.

Ex his intelligimus, eo tempore Pippinum reconciliatum fuiſſe Plectrudi uxori ſuæ, rejecta ſcilicet Alpaïde, cui ante aliquot annos adhæſerat. Exſtat apud Madaurum donatio villæ Nogareti * in pago Wabrenſi, a Pippino & Plectrude facta baſilicæ ſeu monaſterio ſanctorum Apoſtolorum juxta urbem Mettas, ubi corpus ſancti Arnulfi, ejuſdem Pippini avi, quieſcebat, cum eidem loco Romulfus abbas præeſſet. Hujus donationis inſtrumentum datum eſt x. kalendas Martii, anno duodecimo regni Theoderici regis. quod de regno ejus Auſtraſiano interpretatur Carolus Cuintius, revocatque ad annum poſtremum Theoderici regis, quem hoc anno ſtatuit, nos anno præcedente. Perierunt Abbatum nomina, qui prædicto monaſterio ante Romulfum præfuerunt. Clericos eo loci tum exſtitiſſe, non monachos, Cointius opinatur, adducto diplomate Chilperici tertii pro eadem baſilica, ubi venerabilis vir Leutbertus abbas *cum norma*, id eſt turma, *plurima clericorum* deſerviſſe dicitur. Verum probabilius eſt id de monachis intelligendum, quos clericorum nomine olim frequentiſſime deſignatos fuiſſe ſexcentis exemplis conſtat.

* *Nauroy.*

XIX. Leutfredus monaſterium condit.

Hoc circiter tempore Leutfredus ſanctæ Crucis monaſterium condere cœpit in pago Madriacenſi ad Auturam * fluvium, in epiſcopatu Ebroïcenſi, ubi natus erat parentibus pietate ac genere conſpicuis. Primas litteras didicit in ſuburbana baſilica, ſancti Taurini ejuſdem urbis quondam epiſcopi corpore & monaſterio illuſtri. Sane monaſterium ibidem ante Normannorum tempora exſtitiſſe teſtatur Willelmus[b] monachus Gemeticenſis, qui monaſteria ſancti Taurini & ſancti Leutfredi inter antiquiora provinciæ recenſet. Inde in urbem Carnutas Leutfredus acceſſit, ubi diverſorum ſtudiorum doctrinam abundare noverat. Hinc reverſus in natale ſolum, litteras pueros docet: tum oratorium exſtruit, cujus aditum feminis denegabat. Verum majora moliens animo, primo Varennam monaſteriolum adiit, at cito deſerit, quod locus mulieribus pateret. tum ad Sidonium abbatem ſe conferens, haud procul ab urbe Rotomago degentem, qui ex Hibernia Britanniæ inſula ortus, locum illum mirifice illuſtrabat, monaſticas ab eo veſtes ac tonſuram accepit. Cum in re-

* *l'Eure.*

b *Vuillelm. Gemet lib. 7. c. 22.*

ANN. CHR. 692.

gulari diſciplina ſub eo magiſtro multum profeciſſet, conſilio Anſberti Rotomagenſis præſulis, qui ad illud monaſterium de rebus divinis collocuturus identidem accedebat, in natale ſolum reverſus eſt, eoque in loco, ubi ſanctus Audoënus, Anſberti deceſſor, ob conſpectum ibidem in cælo crucis ſignum, olim crucem defixerat; baſilicam in honorem ſanctæ Crucis ac ſanctorum Apoſtolorum, necnon ſancti Audoëni cum monaſterio exædificavit, cui xenodochium ad excipiendos pauperes poſtmodum adjunxit. quod cum inconſulto epiſcopo feciſſet; Deſiderius Ebroïcenſis antiſtes vehementer ea re commotus iſtuc acceſſit, & virum Dei graviter increpitum, ſed gravius puniendum, ſecum in urbem adducere ſtatuit. Verum in reditu ex equo in terram excuſſus ac ſauciatus, idque ſibi accidiſſe, quod virum Dei læſiſſet, exiſtimans, eum ad monaſterium redire juſſit, ac deinceps colere impenſe cœpit. Exinde Leutfredi fama magnopere aucta eſt, cum ob præclaras ejus virtutes, tum ob miracula ab ipſo patrata. In his Giſleardo monacho in extremis conſtituto ſanitas reſtituta: incendium in monaſterio reſtinctum: ager ſterilis redditus, quod eum ruſticus die dominico excoluiſſet: fons baculo in terram defixo elicitus in vico pagi Vindocinenſis Sollemniaco, cum is ad ſancti Martini limina proficiſceretur. Quin etiam Gripponi, Caroli Martelli ex Sonichilde filio, deploratam ſalutem reſtituiſſe traditur. Denique monachum quemdam e ſuis moribundum, peculii reum, ob tres nummos reſervatos, communione fratrum privavit, & profanæ ſepulturæ addixit: dein abſolutum in loco ſacro cum ceteris fratribus ſepeliri juſſit.

XX. Agricolus epiſcopus Avenionenſis.

Per id tempus Agricolus Avenionenſis antiſtes floruiſſe dicitur. Is ex monacho Lirinenſi epiſcopus Avenionenſem eccleſiam ab anno ſexcenteſimo quinquageſimo ad ſeptingenteſimum rexiſſe fertur in vulgatis ipſius actis, quæ ſunt recentioris auctoris. Ante annos abhinc quatuor retulimus primas Graſellenſis monaſterii litteras, quibus ſubſcribunt epiſcopi omnes metropolis Arelatenſis, cui tunc Avenionenſis eccleſia, nunc metropolitana, ſubjecta erat: ſed nullus inter ſubſcribentes Agricolus, ad cujus nominis ſimilitudinem nullus ex his propius accedit quam Agliacus. *De* Agricolo id memoriæ proditum in prædictis actis legitur, eum aliam, præter cathedralem, quæ unica omnes opidanos capere non poterat, exſtruxiſſe intra muros
» urbis eccleſiam parœcialem, ad quam egregios operarios monachos non paucos ex
» cœnobio Lirinenſi, ubi prima ſuæ perfectionis fundamenta jecerat, acciri curaverit,
» quod ex regulari ordine ſuaviſſimum quemdam fructum voluptatis acciperet: qui-
» bus & abbatem præfecerit, & prædia liberaliter aſſignaverit, conceſſo inſuper pri-
» vilegio, ut nihil ſervis Dei neceſſarium deeſſet. quod factum ſub hoc tempus exiſtimant.

Amandus abbas Lirinenſis.

Tunc Lirinenſi monaſterio præerat Amandus abbas, qui omnia occidentis monaſteria exemplis & doctrina illuſtraſſe dicitur: ſub cujus regimine ſic aucta fuit Lirinenſium incolarum devotio, ut trium millium ſeptingentorum monachorum (quod pæne ſupra fidem eſt) numerum vir ſanctus habuiſſe memoretur. Ejus feſtum celebrant XIV.º kalendas Decembris.

XXI. Citruinus epiſcopus Albigenſis.

Hoc ipſo anno Citruinus abbas monaſterii Caſtrenſis in Septimania ad ſedem Albigenſem promotus eſt, cui Bertrannus ſeu Bertrandus in regimine monaſterii ſubrogatus. De Citruino quoſdam verſus ſuperius [a] retulimus. Hugonem in illa ſede ſucceſſorem anno ſupra ſeptingenteſimum viceſimo-ſecundo habuiſſe dicitur; eodemque anno Bertrandus abbas Alfonſum abbatem, ordine quartum. Bertrandum ultra annos centum vitam produxiſſe docent ſequentes verſus.

[a] lib. 17, n. 42.

Dulce jugum Chriſti teneris portavit ab annis,
Evitans caute dæmonis inſidias.
Centum terque duos vitam produxit in annos
Bertrandus, ſummi plenus amore Dei.
Hanc tandem ſubita, at prævіſa morte precando
Ejecit, æterna ut luce frui valeat.

ANN. CHR. 693.

XXII. Chlodovei regis varia diplomata pro S. Dionyſio.

CHlodovei regis anno ſecundo, qui partim anno ejus ſæculi nonageſimo-ſecundo, partim inſequenti convenire poteſt, complura diplomata variis monaſteriis conceſſa leguntur. Ex his tria exſtant in libro ſexto de re diplomatica pro monaſterio ſancti Dionyſii prope Pariſios. Unum eſt placitum ſuper lite Chainonis abbatis Dionyſiani contra Ermenoaldum incerti loci abbatem. Lis vertebatur in eo, quod

ANN. CHR. 693.

ante aliquot annos Chaino abbas Ermenoaldo abbati vadimonium dediſſet pro olei mille quingentis libris, & pro vini boni centum modiis Anſeberctho epiſcopo tradendis, quod minime adimpleſſet Ermenoaldus. Hac de re provocatus in judicium coram Sigofrido Pariſienſi epiſcopo, ſub pœna decem librarum promiſit, ſe intra certum tempus rem exſecuturum: ſin minus, pertrahendum ad placitum regis, & productis litteris pariculis coram Sigofrido epiſcopo confectis, ad perſolvendum debitum coactum iri. Id quod factum ſit, inluſtri viro Warnone comite palatii prædictas litteras referente. Agnilus referendarius placito ſubſcribit, dato menſe «
Madio, anno ſecundo Chlodovei regis eo nomine tertii, in villa Noviento ſuper Se- «
quanam, quæ poſteris ſancti Chlodoaldi nuncupata eſt. Altero diplomate idem rex ibidem confirmat immunitatem a teloneis, aliiſque vectigalibus, eidem monaſterio a præcedentibus regibus conceſſam. Tertium placitum eſt ejuſdem regis, apoſtolicis viris in Chriſto patribus Sigofrido, Conſtano, Griboni, & Urſiniano epiſcopis, necnon inluſtribus optimatibus inſcriptum, quo villam pagi Camiliacenſis Nocitum Chainoni abbati adjudicat apud Luſarcam kalendis Novembris, referente Marſone comite palatii.

XXIII. Item pro Aninſulenſi & Stabulenſi.

Idem princeps Aninſulenſis monaſterii immunitatem confirmat rogatu Ibboleni abbatis, relatis ea de re præceptis, quæ ipſius *conſobrinus* Guntramnus quondam rex, atque ejus avi ac genitor eidem monaſterio conceſſerant. Guntramnum itidem *conſobrinum* vocat Childebertus, Chlodovei frater ac ſucceſſor, immo etiam Dagobertus Childeberti filius in litteris eidem Ibboleno abbati conceſſis, ut in parvo chartario legimus. Tunc temporis Stabulenſi & Malmundarienſi in Arduenna monaſteriis præerat Papolenus epiſcopus & abbas, qui a Chlodoveo rege præceptum obtinuit, Ætico duci & Charievio * comiti inſcriptum, ad confirmandam quamdam commutationem inter patruum ejuſdem principis Childericum, & Remaclum Tungrenſem quondam epiſcopum factam. Datum die viceſimo-quinto Junii *Namuco*, quem locum recentiores Namurcum vocant. Papolenus, eo nomine ſecundus abbas Stabulenſis, vir apoſtolicus & epiſcopus in illo præcepto appellatur, non quod certam ac definitam diœceſim regeret, ſed quod ea dignitas ipſi conceſſa fuiſſet ad prædicandum forte vicinis gentibus evangelium. Æticus dux in illis litteris laudatus, mendoſe Aëricus dictus apud Henſchenium, videtur haud alius eſſe quam Athicus ſanctæ Odiliæ pater, qui ut jam * vidimus, bona ſua teſtamento in quatuor partes diſtribuiſſe dicitur: unam Mediano-monaſterio & cœnobio virginum Argentinæ condito ſub titulo ſancti Stephani: alteram dotando monaſterio Ebersheimenſi juxta Sceleſtadium: tertiam cœnobio ſanctæ Odiliæ filiæ ſuæ, Hoëmburgenſi dicto, ubi mortuus ſepultuſque ſit: quartam conſanguineis ſuis Eberhardo & Maſoni.

* f. Charivio.

Ætici ducis pietas.

* lib. 15 n. 60.

XXIV. Anſbertus epiſcopus Rotomagenſis exſul.

In primo illorum diplomatum agitur de Anſeberctho epiſcopo, in cujus gratiam Chaino abbas Dionyſianus ab Ermenoaldo abbate comparaverat olei libras mille quingentas, vini modios centum. Suſpicari licet hunc eſſe Anſbertum epiſcopum, ſi non Auguſtodunenſem, certe Rotomagenſem, qui tunc temporis in Alto-montenſi monaſterio exſul degebat: cui hæc muneris loco Chaino abbas deſtinaverit. Hunc delatum initi adverſus ſe conſilii Pippinus princeps, penes quem tum rerum ſumma erat ſub rege minorenni, in Altum-montem monaſterium pagi Hainoënſis ad ripas Sabis fluvii relegavit, quaſi contra ipſius in Neuſtria præfecturam aliquid moliretur. Mirum eſt quantum ſpiritalis profectus attulerit ejus loci incolis tanti viri exemplum, præſertim monachis, quos quidem in ſancta religione ferventes invenit, ſed longe ferventiores exemplo & doctrina ſua brevi reddidit. Erat enim totus addictus jejuniis, in vigiliis & orationibus aſſiduus, quas paſſim lacrymis rigabat. Ibidem etiam ab eodem ſancto antiſtite quædam lucubrationes editæ ſunt; in his quæſtionum ad Siwinum reclauſum, ut tum loquebantur, volumen unum, quod Harduinus monachus Fontanellenſis exſcripſiſſe perhibetur. Dum his rebus occuparetur vir ſanctus, nihilo minus ejus æmuli Pippini animum adverſus ipſum amplius accendebant, ſuadentes, ut in longius exſilium deportaretur. Altum-montem tunc regebat Haldulfus abbas, vir prudens & induſtrius, totiuſque Anſberti vitæ optime conſcius. Hunc ſanctus pontifex ad prædictum excellentiſſimum principem cum aliquot aliis venerabilibus viris direxit, ut eum, expoſita rei veritate, placare conaretur; eique perſuaderet, ſe nullo repetendi epiſcopatus deſiderio te-

ANN. CHR. 695.

neri, quippe quem nonniſi invitus, & juſſione principum, nedum electione civium ſuſcepiſſet. Optatum ſortita eſt effectum ea legatio, adeoque Pippini animus inflexus eſt, ut, ſi qua ab ipſo pontifice perperam geſta fuiſſent, penitus indulgeret, immo etiam eidem ad ſedem propriæ urbis revertendi concederet facultatem: quamquam ut ne id fieret, mors ejus paullo poſt ſubſecuta interceſſit.

XXV. Chlodovei regis placitum.

Dum hæc agerentur, Chlodoveus rex placitum habuit Valencianis una cum apoſtolicis viris Anſoaldo, Godino, Anſeberctho, Protadio, Savarico, Wlfechramno, Chaduino, Turnoaldo, Conſtantino, Abbone, Sterano, & Gribone epiſcopis, necnon illuſtribus optimatibus, comitibus, grafionibus, domeſticis, quatuor referendariis, duobus Seneſchalcis, atque inluſtri viro Audramno comite palatii, ubi Baldanacurtis villa pagi Belvacenſis ſuper fluvium Marſum, adverſus quemdam Amalberethum, cuidam Ingramno reſtituta eſt, agente Chrotchario diacono, ex monaſterio Dionyſiano, qui hanc villam forte ab Ingramno comparare volebat. Datum eſt hoc placitum Valencianis in Belgio pridie kalendas Martias, anno tertio regni Chlodovei. Ex illis epiſcopis ſi Anſoaldus Pictavenſis erat, mirum eſt eum Godino Lugdunenſi metropolitæ prælatum fuiſſe, niſi ſi hic fuerit Godinus Sueſſionenſis. Anſeberethus videtur eſſe Auguſtodunenſis potius quam Rotomagenſis, tunc apud Altum-montem exſul. Savaricus Aurelianorum epiſcopus erat, Turnoaldus Pariſienſis, Conſtantinus Bellovacenſis. aliorum incompertæ ſedes. Hoc placitum recognovit Walderamnus, qui unus e quatuor referendariis nominatur. Hæc forma erat regiorum illis temporibus placitorum ſeu judiciorum.

XXVI. Cunipertus rex condit S. Georgii monaſterium.

Regnabat tum apud Italos Cunipertus, qui cum Alachim ducem Tridentinum, regno Italiæ incubantem [a], viciſſet, victumque peremiſſet; in campo Coronatæ ad fluvium Adduam prope Ferrariam, ubi proſpere pugnaverat, monaſterium ſancto Georgio martyri in facti memoriam ædificavit: corpus vero Zenonis diaconi, qui pro ipſo neci ſe objecerat, ante fores baſilicæ ſancti Johannis, ab ſe itidem erectæ, magnifice ſepeliri curavit. Hoc monaſterium idem eſſe creditur, quod in Ferrariæ ſuburbio ſub nomine ſancti Georgii etiam nunc ſupereſt. Idem etiam princeps munificus fuit in aliud virginum monaſterium [b], quod Papiæ Gregorius quidam in honorem ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ condiderat. Perſtat etiam nunc in illa urbe idem monaſterium ſub ordine noſtro, Theodotæ appellatum, vulgo de Poſterula *, cui Berengarius ſenior ſub finem ſæculi noni privilegium conceſſit, prout
„ rogaverat quædam Dei ancilla, Richſinda nomine, monaſterii ſanctæ Dei genitri-
„ cis Mariæ, quod Theodotæ nominatur, intra urbem Ticinenſem poſiti abbatiſſa,
„ degens ſub regula S. Benedicti: quo privilegio eidem monaſterio confirmantur om-
„ nes poſſeſſiones, quas a longo tempore Gregorius monaſterii conditor, & Cuniper-
„ tus rex eidem conceſſerant. Datum v. kalendas Aprilis anno octingenteſimo nona-
„ geſimo-octavo. Quam ob rem hoc cœnobium Theodotæ appellatum ſit, ex Paulo [c] Warneſtidi intelligimus, referente, Theodotem, eleganti corpore puellam, ex nobiliſſimo Romanorum genere ortam, adamatam vitiatamque fuiſſe a Cuniperto rege, qui eam poſtea in monaſterium, quod de illius nomine intra Ticinum appellatum eſt, recluſerit. Erat & aliud ad eamdem urbem cœnobium Salvatoris, conſtructum itidem in honorem beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, ut loquitur in diplomate ſuo Berengarius junior, anno ſupra nongenteſimum quinquageſimo-primo, quo anno privilegium Ermengardæ ejus cœnobii abbatiſſæ impertit. Forſan hoc eſt *oraculum* [d] ſeu templum domini Salvatoris, quod extra portam occidentalem, quæ dicitur Marenca, condidit Aripertus rex, Cuniperti avus, teſte Paulo Warnefridi: qui & Pertaritum Ariperti filium tradit [e] ſepultum fuiſſe juxta baſilicam domini Salvatoris, quam Aripertus ejus genitor exſtruxerat. Diverſum eſt ab eo monaſterium Salvatoris, quod ab Adaleïde auguſta in ſuburbio Ticinenſi ſerius conditum fuit pro monachis ordinis noſtri, qui hactenus eumdem locum occupant.

Theodotæ cœnobium Ticini.

Aliud S. Salvatoris.

Non minor fuit Pertariti pietas, quam Ariperti genitoris & filii Cuniperti, ut teſtatum facit monaſterium Novum, quod Servatori ſuo in honorem ſanctæ Agathæ virginis & martyris ab eo erectum diximus [f]. Non prætereàm hoc loco, quod Paulus mox laudatus tradit [g] de Theuderada, Romoaldi Beneventanorum ducis uxore, quæ eodem fere tempore extra muros Beneventanæ civitatis baſilicam in honorem beati Petri apoſtoli exſtruxit una cum adjuncto cœnobio, in quo numeroſum ancillarum Dei cœtum inſtituit.

S. Petri monaſterium Beneventi.

a *Paul. Diac. lib.* 5 *c.* 38 *& ſeqq.*
b *idem lib.* 6. *c.* 17.
* *Poſterla.*
c *id. lib.* 5. *c.* 37.
d *id. lib.* 4. *c.* 50.
e *id. lib.* 5. *c.* 37.
f *lib.* 16. *n.* 15.
g *Paul. lib.* 6. *c.* 1.

Ad

ANN. CHR. 693. XXVII. Tolerani concilii ſexti decimi abbates.

Ad res Hiſpanicas quod attinet, in Toletano concilio ſexto-decimo, quod hoc anno, Egicanis regis ſexto, habitum eſt, nullum de monachis decretum editum invenio. Inter ſubſcribentes quinque recenſentur abbates, Gabriel, Eulalius, Nervatius, Braulio, & Eugenius: ſed eorum monaſteria ignorantur.

ANN. CHR. 694. XXVIII. Concilium Toletanum decimum ſeptimum.

Anno inſequenti convocatum eſt aliud concilium in eadem urbe Toleto, ordine decimum-ſeptimum, in quo coërcentur ſacerdotes, qui ſacra ornamenta in uſus promiſcuos adhibebant, & qui miſſam, pro requie defunctorum inſtitutam, *fallaci voto*, pro vivis aliquando celebrabant. Hæc canonibus quarto & quinto. In ſequenti dies litaniarum per ſingulos menſes præſcribuntur, quæ in kalendis cujuſque menſis indicendæ leguntur in vetuſtis martyrologiis, uti ſuperius [a] obſervatum.

a *lib.* 6. *n.* 73.

XXIX. Becanceldæ concilio interſunt abbatiſſæ.

Celebre fuit eodem anno aliud concilium, Becanceldæ in Britannia majori habitum ſub Withredo Cantii rege, præſidente Bertwaldo Cantuariæ archiepiſcopo: quo in concilio Withredus rex ſub gravi comminatione interdixit, ne laïci in „ bona Deo ſemel conceſſa, & cruce Chriſti firmata atque dedicata, manus umquam „ injiciant. quippe horrendum eſſe hominibus exſpoliare Deum vivum, ejus ſcin- „ dere tunicam & hereditatem. Tum cavetur, ut ne quibuſvis regibus, principibus, aliiſve laïcis, cujuſquam eccleſiæ vel monaſterii dominium uſurpare liceat: ſed quandocumque abbas vel abbatiſſa e ſæculo exceſſerit, invitetur propriæ parochiæ epiſcopus, & cum ejus conſilio & conſenſu ſucceſſor eligatur, atque ab ipſo benedicatur. Octo recenſentur Cantii monaſteria, quibus hoc privilegium tribuitur: primum primi apoſtolorum principis Petri *Upminſter*, quod de ſuburbano Cantuariæ monaſterio interpretor; ſecundum *Raculf*, tertium, *Sudminſter*, *tum Dofras*, *Folcanſtan*, *Himming*, *Stepeis*, & *Hor*. Concilio ſubſcribunt poſt regem & epiſcopos (quod apud Anglos ſingulare) abbatiſſæ quinque, Mildreda, Etheldrida, Æta, Wilnoda, & Herelwida ſeu Helwida. Prima ex his videtur eſſe Mildreda, virgo ſancta, filia Merewaldi Merciorum regis & Ermenburgæ reginæ, contracto vocabulo Erburgæ, alio nomine Domnenæ dictæ: cui ob duos fratres ejus ab ſe cæſos Egbertus Cantuariorum rex locum in Taneto inſula agri Cantiani conceſſit ad monaſterium ædificandum pro ejus fratrum memoria, ſuique facinoris piaculo: ubi Ermenburga filiam ſuam Mildredam, monaſticis diſciplinis Calæ in Gallia eruditam, ſeptuaginta ſanctimonialibus præfeciſſe dicitur. Ejus loci baſilicam Theodorus archiepiſcopus in honorem Deiparæ virginis conſecravit. Ibidem ſepulta eſt ſancta Mildreda cum genitrice ſua Ermenburga ſeu Domnena, cujus felicem exitum prædicat Simeon monachus Dunelmenſis. Eadburga Tanetenſis poſt Mildredam abbatiſſa, mille paſſuum ſpatio a monaſterio eccleſiam ſancti Petri condidit, in qua beatæ Mildredæ corpus, adhuc integrum & incorruptum, collocavit, poſtmodum tranſlatum in ſuburbanam Cantuariæ eccleſiam ſancti Auguſtini. Mildreda ſorores habuit Milburgam & Milgridam, piiſſimas itidem virgines, de quibus occurret inferius dicendi occaſio, uti & de Eadburga abbatiſſa. Eodem anno Withredus rex Eabbæ [b] abbatiſſæ terram quatuor aratrorum in inſula Taneto donavit.

Mildreda abbatiſſa Tanetenſis.

b *Spelman. to.* 1. *conc. p.* 192.

XXX. Tetricus epiſcopus Autiſiodorenſis.

Redeo in Galliam, ubi Scopilioni epiſcopo Autiſiodorenſi mortuo ſubrogatus eſt, communi omnium ſuffragio, Tetricus ſeu Tetricus abbas monaſterii ſancti Germani in eadem urbe, vir humaniſſimus & eximia pietate præditus. Is ab initio ſtatim pontificatu prædicationi verbi Dei inſiſtere, & eccleſiam ſibi a Deo commiſſam piis adhortationibus informare cœpit. Idem primo ſuæ ordinationis anno habita ſynodo conſtituit, ut abbates & archipreſbyteri, ſua quique hebdomada, pariterque rurales eccleſiæ viciſſim divinum officium in cathedrali ſancti Stephani eccleſia perſolverent; & ob hanc cauſam ex dominico cellario, cum in ordine vicis ſuæ ad prædictum officium peragendum convenirent, ab œconomo eccleſiæ ſtipendium congruum acciperent: ſed ita ut qui tardius acceſſiſſent, aut negligentius ſe habuiſſent, quadraginta dies a vino abſtinerent. Vicedominus autem aut cellerarius, ſi quid ex illo ſtipendio ſubtraxiſſent, retruſi in monaſterium per annum dimidium pænitentiam agerent, pane tantum & aqua contenti. In illa tamen eccleſiarum enumeratione non recenſentur monaſteria quædam ab Aunachario epiſcopo [c] dudum deſignata ad faciendas unoquoque menſe rogationes. Omittuntur enim a Tetrico monaſteria, Ulfini, Decimiacenſe ad ſanctum Ciricum, Fontanetenſe, Cotiacenſe ad-Sanctos, Manuacenſe, & monaſterium dictum Varennæ, de quibus

c *lib.* 6. *n.* 73.

ANN. CHR. 694.

Aunacharius mentionem fecerat. Incertum eſt an Tetrico in regimine monaſterii ſancti Germani proxime ſucceſſerit Quintilianus, qui ab eo quintus epiſcopatum Autiſiodorenſem poſtmodum adeptus eſt,

XXXI. Leotheriæ donatio facta monaſterio S. Petri Vivi.

Si mendæ expers eſt charta Leotheriæ, alio nomine Mummiæ, ſororis ſancti Ebbonis, poſtea epiſcopi Senonenſis, Chlodoveus rex attigiſſe dicendus eſt annum regni quintum; eodemque anno Viraiboldus abbas monaſterio S. Petri, vulgo *Vivi* dicti, præerat. Hæc charta ª inſcripta eſt ***Dominæ ſemper ac venerabili baſilicæ ſancti Petri apoſtoli, quæ eſt conſtructa ſub opidum Senonis civitate, ubi domna Theodechildis regina requieſcit in corpore, & ubi venerabilis Viraiboldus abba vel monachi ſub ſancta regula deſervire videntur.*** Ex quo intelligitur, Aighileno abbati ſucceſſiſſe Viraiboldum; Viraiboldo, Ebbonem & Chrodolinum, non Chrodolinum Viraiboldo, ut Clarius monachus exiſtimavit. Hoc autem inſtrumento Leotheria monaſterio ſancti Petri donat manſum cum aliis rebus in villis pagi Latiſcenſis, Retiaco & Pauliaco, eo pacto, ut corpus ſuum in illo monaſterio ſepeliatur. Actum in baſilica ſancti Petri xv. kalendas Junii, anno quinto Chlodovei regis.

ª *Sæc.* 3. *Bened. to.* 2. *p.* 615.

ANN. CHR. 695.

XXXII. Anſberti epiſcopi Rotomagenſis obitus.

ANno ſubſequente Anſbertus Rotomagenſis antiſtes, cum indulgentia Pippini ab exſilio ad eccleſiam ſuam reverti vellet, morbo interceptus, in Altimontenſi monaſterio ſupremum diem abſolvit, impetrata a Pippino principe facultate, ut corpus ipſius Fontanellam humandum deferretur. Imminente obitu, convocatis fratribus, ſacra ſibi miſſarum ſollemnia celebrari curavit, & accepto corpore & ſanguine Domini, feliciter ad Deum migravit v. idus Februarii. Hunc ejus obitus annum aſſignat Aigradus monachus ejus vitæ ſcriptor, aut certe ipſius Aigradi interpolator, & recte: quandoquidem hoc ipſo anno Gripho jam Rotomagenſem cathedram iniit, ut mox videbimus: ſed cum idem auctor Childeberti regis annum quartum eidem anno illigat, longe a recto calculo aberrat. ſiquidem Childebertus nonniſi anno ſuperiore Chlodoveo fratri ſucceſſit. Rectius in chronico Fontanellenſi annus a ſancti Anſberti obitu nonus cum anno Chriſti ſeptingenteſimo-quarto, quo ejus tranſlatio facta eſt, componitur. Ejus corpus ſacris veſtibus indutum, ac ceratis obvolutum linteis, poſt ſeptemdecim dies in lectica ex Altomonte extulerunt monachi Fontanellenſes cum civibus Rotomagenſibus, qui ejus rei cauſa illuc convenerant. Sacram pompam Halidulfus Altimontenſis abbas cum monachis ſuis comitatus eſt uſque ad Venittam *, villam regiam pagi Bellovacenſis ſeu agri Compendienſis ad Iſaram fluvium: quo in loco obviam ſacro corpori progreſſi comprovinciales metropolis Rotomagenſis epiſcopi & abbates cum ſuo clero, illud cum cantu pſalmorum Fontanellam uſque proſecuti ſunt, atque in baſilica ſancti Pauli juxta ſancti Wandregiſili ſepulcrum poſtridie quam eo advenerant, depoſuerunt, id eſt die quinto iduum Martiarum. Paullo poſt hæc baſilica ob concurſum populi amplificata eſt ab Hildeberto ſeu Hiltberto abbate, cui Aigradus libellum de ſancti Anſberti rebus geſtis nuncupavit, ab imperito poſtea interpolatum. In tranſlatione corporis ſacri ex Altomonte ad Fontanellam varia miracula patrata leguntur. In his mulier dæmonio liberata in villa pagi Bellovacenſis Fraxinido *, ubi eccleſia in honorem ſancti Anſberti a fidelibus conſtructa eſt. Alia itidem liberata Paldriaci in territorio Rotomagenſi, quatuor paſſuum millibus a cœnobio Fontanella, quæ poſſeſſio erat illuſtrium virorum Bertholdi & Radamaſti, qui ſe ſuaque omnia Fontanellæ paullo poſt tradiderunt.

* *Venette.*

* *Freſnoy.*

XXXIII. Bertulfus abbas Renticenſis.

Florebat hoc tempore Bertulfus, genere Alamannus, abbas Renticenſis, qui ex patrio ſolo ad Morinos profectus, in notitiam & gratiam venit Wamberti comitis & Homburgæ ejus uxoris. Hi non minus pietate quam ſanguine illuſtres, in prædio ſuo Rentica * ad Agnionem * fluvium, inſigne monaſterium ſancti Dionyſii conſtruxerant, cum quatuor baſilicis, quarum una beato Petro apoſtolorum principi, altera ſancto Martino, tertia ſancto Vedaſto, quarta ſancto Dionyſio ſacra erat. Eorum conſuetudine Bertulfus ad fidem chriſtianam, quam nondum perfecte didicerat, converſus, poſt impenſum eiſdem aliquamdiu famulatum & procuratum magna cum ſedulitate & caritate patrimonium, vitam tandem monaſticam Renticæ amplexus eſt, ubi Wambertum ejuſque conjugem honorifice ſepelivit. Præfuit undecim religioſæ vitæ ſociis, quos ibidem adunaverat in baſilica ſancti Dionyſii, in qua & ipſe poſt mortem, quæ nonis Februarii accidit, ſepultura donatus eſt. Res

* *Renty.*
* *l'Aa.*

ab eo geſtas litteris mandavit undecimo ſæculo anonymus monachus Blandinienſis juſſu Folcardi abbatis ſui, id eſt monaſterii Blandinienſis, in quo ſancti Bertulfi reliquiæ a tempore Nortmannorum repoſitæ erant, poſtquam aliquamdiu Bononiæ & Harlebecæ quieviſſent. Ab eo tempore penitus exciſum eſt monaſterium Renticenſe. Si conjecturis uti licet, exiſtimem Bertulfum fama & opinione popularium ſuorum, Audomari epiſcopi & Bertini abbatis, ad Morinos acceſſiſſe, eorumque monitis & adhortationibus animatum fuiſſe ad vitæ monaſticæ capeſſendum inſtitutum. Et fortaſſe Wambertus ille comes non alius ſit, quam Walbertus comes Arkenſis, Bertino tantopere addictus, de quo ſuperius diſſeruimus.

XXXIV. Vvinnocus condit monaſterium Vvoromholtenſe.

Bertulfi æqualis fuit Winnocus, iiſdemque in partibus inclaruit. In Armoricana Britannia ortus dicitur ex regali proſapia, ſanctorum Judicaëlis ac Judoci conſanguineus. Majoris perfectionis cauſa patriam ac parentes deſeruit, & cum ſociis Quadanoco, Ingenoco, & Madoco, qui genere itidem ſpectabiles erant, in Sithienſe monaſterium ſe contulit ad ſanctum Bertinum abbatem, ut ab eo diſciplinis regularibus erudirentur. Cum brevi tempore multos progreſſus feciſſent, in locum ab aliis remotum, quo liberius divinis rebus vacarent, ſecedere juſſi, cellam conſtruunt, ſacris occupationibus congruentem. Montem ſancti Winnoci poſteri appellarunt. Degebat illis in locis vir illuſtris ac prædives, Heremarus nomine, qui novorum incolarum religione captus, quoddam juris ſui prædium, quod Woromholtum vocabant, Winnoco tradidit. Locus eſt in Morinorum & Flandriæ confinio, ad fluviolum Penam *, pingue ſolum & frugibus abundans. Donationis inſtrumentum apud Iperium *in Sithiu* datum legitur anno primo Childeberti regis. Illic monaſterium ſub patrocinio ſancti Martini ſumma diligentia conſtruxit Winnocus cum ſociis ſuis: quibus brevi mortuis, novæ coloniæ abbas inſtituitur. Eo in munere ita ſe geſſit, ut quidquid alii, tamquam arduum ac grave, refugiebant, impigre ipſe & incunctanter exſequeretur. Hoſpitalitatis ei magna cura, caritas non ficta, gratia denique eximia virtutum ac miraculorum. Sic labori addictus erat, ut etiam ſenio pæne confectus, molæ truſatilis operam in ſe ſuſceperit; quo labore eum divinitus relevatum tradunt. Fratri cuidam, qui rem curioſius explorare voluit, cæcitas ſubito inflicta, ſed precibus viri Dei lumen reſtitutum.

* la Peane.

XXXV. S. Amandi tranſlatio.

Poſt annos ſexdecim a morte S. Amandi epiſcopi Trajectenſis, cum baſilica S. Petri, in qua ſepultus fuerat, minor videretur, eſſetque ſecundo ſexui ob clauſtra monachorum inacceſſa; ſacrum ejus corpus in novam & ampliorem ſancti Stephani baſilicam, quæ utrique ſexui ſufficeret, transferre placuit. Corpus incorruptum repertum, altius humo, ut tunc moris erat, infoſſum eſt, ut non facile a quærentibus inveniretur. Id factum VII. kalendas Novembris, ipſo die, quo novæ baſilicæ dedicatio facta eſt. Errat Milo monachus, aliique cum eo, aſſerentes id a ſancto Eligio factum, qui dudum e vivis tum abierat. Sacræ Andreæ abbatis exuviæ itidem ex eodem ſancti Petri oratorio in novam baſilicam ſimul tranſlatæ ſunt paullo poſt ejus obitum, qui accidit VIII. idus Februarii. Andreæ ſucceſſiſſe dicitur Johannes abbas, ſub quo hæc tranſlatio facta eſt.

XXXVI. Item S. Faræ & S. Hildeverti.

Eodem fere tempore Maiolus abbas ſanctæ Crucis apud Meldos corpus ſanctæ Faræ virginis & abbatiſſæ Eboriacenſis, annuente Meldenſi epiſcopo, e tumulo extuliſſe perhibetur, & in capſa repoſuiſſe. Quod dicitur de capſæ repoſitorio non facile crediderim. nam ſanctorum tumulos & mauſolea tunc temporis auro & argento gemmiſque exornare mos erat, capſis recondere rarum & inſolitum. Idem Maiolus corpus ſancti Hildeverti epiſcopi Meldenſis, quem vetus ſcriptor vitæ ſancti Faronis Datlevertum vocat, tranſtuliſſe dicitur. In necrologio S. Galli, ſcripto ante annos octingentos, laudatur Wlframnus epiſcopus *ex monaſterio, quod Crux-ſancta nominatur*, nullis additis abbatibus aut monachis ejus loci. Is eſt Wlframnus epiſcopus civitatis Meldicæ, qui concilio Attiniacenſi ſubſcripſit anno ſupra ſeptingenteſimum ſexageſimo-quinto.

XXXVII. S. Columbæ Senonenſis privilegium.

Anno Childeberti regis primo Ragnacharius, abbas monaſterii ſanctæ Columbæ & ſancti Lupi in ſuburbio Senonenſi, privilegium ab Emmone antiſtite conceſſum renovari ac confirmari curavit ab epiſcopis, quibus ipſum Emmonis exemplar ſubſcribendum obtulit. Primus ſubſcribit Godinus Lugdunenſis metropolita, qui ſe authenticum exemplar vidiſſe, ac ratum habere teſtatur. Eadem formula ſubſequentes utuntur epiſcopi, Savaricus Aurelianenſis, Anſebertus Auguſtodunenſis, Tre-

ANN. CHR. 695.

ticus Autiſiodorenſis, Hectarius ſeu Hautcarius Noviomenſis, aliique incertarum ſedium epiſcopi, Wandelmarus, Sigelmus, Chadoënus, Baldolenus & Ebbo: qui omnes, præter Godinum, ſedis ſuæ titulum reticent. Forte Ebbo is ſit Goërici ſucceſſor in ſede Senonenſi, qui poſtea hoc privilegium ſua ſubſcriptione ratum habuerit, pro more illorum temporum, quibus deceſſorum ſuorum litteris & privilegiis ſubſequentes epiſcopi nomen ſuum apponebant. Eidem privilegio etiam Wlframnus Senonicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſiſſe invenitur: ſed incertum quo tempore, ante an poſt Childeberti regis annum primum, quo anno Senonenſem epiſcopatum, uti probabilius eſt, Goërico jam reſignaverat.

XXXVIII. Baſino epiſcopo Trevirenſi ſuccedit Lutwinus auctor monaſterii Mediolacenſis.

Baſinus Trevirenſis antiſtes ex monaſterio ſancti Maximini aſſumtus poſt Numerianum, hoc anno locum fecit Lutwino ſive Lodewino, non quidem morte ſua, ut Browero viſum eſt, ſed iterato ſeceſſu in monaſterium ſancti Maximini, ex quo evectus fuerat ad ſedem Trevirenſem. Abbatis munus ibidem geſſiſſe dicitur, aliis ante initum pontificatum, aliis poſt ſuam abdicationem. Qui ei ſucceſſit Lutwinus, ejus ex ſorore nepos, non modo cuncta illius urbis monaſteria ampliſſimis muneribus decoravit, ſed etiam Mediolacenſe * a fundamentis erexit, atque impenſe dotavit: ubi & ipſe monaſticæ vitæ habitum ſuſcepit. Inſigne hoc cœnobium, Trevirenſium pontificum quoddam veluti ſeminarium, poſitum eſt ad Saroam * ſeu Saravum fluvium, ſex paſſuum millibus ſupra Saraburgum, arcem munitiſſimam. Baſinus eodem die recurrente, quo monaſtica inſignia ſuſceperat, ad Trevirenſis eccleſiæ thronum communi omnium ordinum calculo provectus dicitur. quo in munere inſigni pietate & morum innocentia refulſit.

* *Medelac.*

* *la Sare.*

XXXIX. S. Valerii abbatis Hiſpani geſta.

Jam diu de monaſteriis Hiſpanicis ſilere nos cogit, non forte rerum ipſarum, ſed veterum monumentorum penuria, paratos ſuam cuique regioni laudem tribuere, ubi ſcribendi materia occurrerit. Hanc nobis in præſens ſuppeditat Valerius abbas Hiſpanus, pietate & doctrina, ut in tanta rerum caligine, celebris, quem hoc anno in cælum migraſſe tradunt. Is, ut ex Sandovallio diſcimus, ex Aſturicenſi oriundus territorio, Complutenſe monaſterium vitæ religioſæ deſiderio expetivit adoleſcens. Repulſam paſſus, in patriæ ſuæ ſolitarium locum ſeceſſit juxta caſtrum Petrenſe, ubi a montanis illis incolis magnopere honoratus eſt. At Florianus preſbyter quidam, livore accenſus, moleſtiam pio juveni faceſſit, eumque coegit loco cedere, atque in remotiorem eremum profectum vexare non deſtitit. Dehinc a montanis Petrenſibus revocatus, in proximo loco exſtruxit oratorium. Sed nec illic Valerio eſſe quieto licuit. quippe a Recimiro ejus prædii domino, qui oratorio in meliorem formam a ſe inſtaurato alium preſbyterum, Juſtum nomine, præfecerat, expulſus, cum Juſto nihilo minus paullo poſt in gratiam rediit opera Simplicii diaconi, qui eum præcipuo amore diligebat. Verum tamen poſt annos quatuor & viginti, Ebronantenſem (ſic vocabatur) ſolitudinem deſerens, migravit in caſtrum Rupianum, in montibus poſitum Aquilanis; ibique in oratorio, quod Fructuoſus Bracarenſis epiſcopus olim ſanctis Petro & Paulo erexerat, ſubſtitit, per circumpoſitas regiones multum celebratus, ſed in primis acceptus Iſidoro epiſcopo Aſturicenſi. Oratorium illud tandem accrevit in monaſterium, quod ille rexit abbatis nomine & auctoritate. Hujus oratorii in ſuo teſtamento meminit ſanctus Gennadius, Aſturicenſis ſæculo decimo antiſtes, his verbis: *Inſignis meritis beatus Fructuoſus, poſtquam Complutenſe conſtruxit cænobium, ſub nomine ſancti Petri brevi opere in hoc loco fecit oratorium. Poſt quem non impar meritis Valerius ſanctus opus eccleſiæ dilatavit.* Eumdem ſanctum vocat Benedictus Anianæ abbas in Concordia [a] regularum, ubi refert *dicta ſancti Valerii de genere monachorum.* Hoc fragmentum, quod unum ex illo nobis opere ſupereſt, dignum eſt quod hoc loco proferatur ad cognoſcendos mores quorumdam
„ illius temporis monachorum. Conqueritur vir ſanctus, quod in ſacratiſſimis locis
„ pauciſſimi reperiantur electi viri, qui toto corde convertantur ad Dominum. *Et ne ipſa*, inquit, *monaſteria deſolata, deſertaque remaneant; tolluntur ex familiis ſibi pertinentibus ſubulci, de diverſis gregibus dorſeni ſeu opiliones, atque de poſſeſſionibus parvuli, qui pro officio ſupplendo inviti tondentur, & per monaſteria nutriuntur, falſoque nomine monachi nuncupantur. Qui, dum nec pridem foris in activa vita mundanis ſtudiis ſive ſervitiis, vel operibus exercitati eruditique pateſcunt; nec poſtea in monaſteriis, citra electionem Domini, non ultroneè, ſed inviti ſanctæ religioni ſociati, concipiunt in corde timoris Domini compunctionem, aut deſideria regni cæleſtis; non obedientia humi-*

[a] *Concord. c. 3. §. 7.*

litate, aut ſinceræ caritatis dilectione ſnndantur, ſed creſcunt typho ſuperbiæ turgidi, faſtu elationis inflati. Hæc aliaque vir ſanctus de ſeptimo genere monachorum, de quo ſermonem longiorem inſtituit. Stili nonnihil diſſimilis eſt liber de vita S. Fructuoſi epiſcopi Bracarenſis, qui liber tamen eidem auctori tribuitur, uti & vita beatæ Eucheriæ ſanctimonialis, Complutenſibus monachis nuncupata, hiſtoria ſancti Dodonei abbatis, ad hæc acta ſanctorum Maximi & Honeſti monachorum, & alia quædam, quæ in bibliothecis Hiſpanicis delitеſcere dicuntur. In vulgato rudi epitaphio ſancti Valerii obitus hoc anno conſignatur v. kalendas Martii. Ad res Gallicanas revertor.

ANN. CHR. 695.

PAullo ante hoc tempus ab Adrebertana matre Adeodati epiſcopi Carnutenſis exſtructum eſt beatæ Mariæ cœnobium virorum, cui hoc anno Agirardus, Adeodati ſucceſſor, ampliſſimum indulſit privilegium. Situm erat hoc monaſterium ſuper fluvium Ligerim in quodam opido, cujus nomen in lacero inſtrumento [a] deſideratur. Chrotcharius diaconus e Pariſienſi monaſterio ſancti Dionyſii monachorum coloniam eo deduxit, quibus abbas primus præfectus eſt. Privilegii ſumma eo ſpectat, ut liceat ſanctæ congregationi ſervorum Dei in ipſo monaſterio quieto ordine vivere ſine oppreſſione Carnotenſis epiſcopi, aliorumve pontificum vel clericorum, & abſque vexatione quorumlibet ſæcularium: ut nullus convivia aut jus hoſpitandi, aut munera ſive paratas ex eo loco exigat: & ſi ab ipſo abbate Carnotenſis pontifex invitatus fuerit ad eccleſias vel aras benedicendas, aut ad ordinandos preſbyteros, vel diaconos, reliquoſve gradus; ſine ulla ambitione aut cupiditate illuc accedat. Ad hæc, ut, mortuo abbate, ipſa ſancta congregatio unum e ſuis eligat aptum ad gubernationem monaſterii & ad regendas animas, qui honeſtis moribus ſit & in Dei amore ferventior, nulla habita ratione nobilitatis aut natalium, *ſub ſancta regulæ obedientia & ſubjectione* pater inſtituendus. Quod ſi forte quædam ſcandala, quod abſit, in illo monaſterio emerſerint, & ipſe abbas cum ſua congregatione ea emendare non valuerit, convocentur *patres ſpirituales*, qui ſub ordine in Carnotena parochia degunt, ad ea ſananda. Si vero nec ipſi ea emendare potuerint; tunc ab ipſo abbate, ejuſque congregatione invitandus pontifex Carnoteoſis, qui ſine ullo cupiditatis prætextu diſſidentes paterno more, ſalvo eorum privilegio, ad pacem revocet. Actum die ſexta Martii, anno ſecundo regni Childebertiglorioſiſſimi regis, Captonaco palatio. Privilegio poſt Agirardum ſubſcribunt, prætermiſſis titulis ſuis, Goëricus metropolita Senonenſis, Gripho Rotomagenſis; Anſeberchthus ſervus Jeſu-Chriſti, haud dubie epiſcopus Auguſtodunenſis, Aygliberchthns Cenomanenſis, Beracharius & Ebarchis incertarum ſedium, Tretecor ſeu Treticus Autiſiodorenſis, Anſoaldus Pictavenſis; Aectur ſeu Hector, & Ermeno pariter ignoti; Soabericus Aurelianenſis, Turnochaldus Pariſienſis, Conſtantinus Bellovacenſis, & Chaino abbas Dionyſianus. Ex quibus patet, Anſbertum Rotomagenſem antiſtitem, cui Gripho ſucceſſit, ante hunc annum e vivis exceſſiſſe; & Wlframnum Senonicæ eccleſiæ regimen Goërico jam tum reliquiſſe. Quodnam fuerit hoc monaſterium, non facile eſt definire. Poſitum erat in quodam opido ſeu urbe, *infra muros ſuper fluvinm Ligeris*, id eſt intra muros illius opidi ſeu urbis, & quidem in diœceſi Carnutenſi. Tria ſunt opida iſtius antehac diœceſis, nunc Bleſenſis, cis Ligerim; nempe urbs Bleſarum, opida Sodobria *, & *Mer* vulgo appellatum; trans Ligerim ſancti Deodati opidulum. Apud Bleſas exſtat monaſterium beatæ Mariæ de Burgo-medio *, canonicorum regularium Ordinis ſancti Auguſtini, qui clericis ſæcularibus pontificatu Caliſti II. ſucceſſerunt: ſed extra muros Bleſenſes in burgo tunc poſitum erat. Sodobriæ præpoſitura eſt, baſilicæ ſancti Martini Turonenſi ſubjecta; at ſub titulo ſancti Leobini, nec ante ſæculum nonum erecta. De opido *Mer* nihil hanc in rem ſuccurrit. In opidulo ſancti Deodati antiquitus monaſterium erat; ſed non videtur fuiſſe ejus auctor ſanctus ille Deodatus eremita, qui Chlodoveo regi, adverſus Alaricum proficiſcenti, victoriam prædixiſſe fertur. Exſtat eo loci baſilica cum prioratu, Pontilevienſi abbatiæ ſubjecto; eratque olim haud ignobile monaſterium, quod pæne ad nihilum redactum, in priſtinum ſtatum reduxit, regnante Carolo-Calvo, quidam ſacerdos & abbas, nomine Aurelianus, qui *tum monachorum majori congregatione, tum baſilicæ venuſtioris conſtructione*, locum illum decorare cœpit: quod ejus nepos æquivocus perfecit. Verum hoc ſancti Deodati opidulum poſteriori longe

ANN. CHR. 696.

XL.

S. Mariæ monaſterii ad Ligerim privilegium

[a] Diplomat. p. 478.

* Suevre.

* Bourg-moyen.

S. Deodati monaſterium.

Gggg iij

Digitized by Google

ANN. CHR. 696.

tempore muris incluſum fuit ; nec ſcio an illius loci monaſterium primitus ſanctæ Mariæ nuncupatum fuerit. In veteri codice Beccenſi, ubi recenſentur monaſteria *pro quorum monachis* tria fiunt officia, numeratur *ſanctæ Mariæ cœnobium juxta Ligerim conſtitutum.* quod beatæ Mariæ de Burgo-medio convenire non poteſt ; ſi quidem eo tempore clericorum erat, ut patet ex diplomate Calliſti II. qui illud canonicis regularibus conceſſit ; neque Balgentiacenſi beatæ Mariæ monaſterio, quod etiam tunc canonicorum regularium erat. Ex his patet, quam incerta ſit ſedes illius beatæ Mariæ monaſterii, cui Agirardus epiſcopus prædictum conceſſit privilegium.

XLI. Anſeberti epiſcopi Æduenſis teſtamentum.

Hoc ipſo anno idem qui ſupra Anſebertus epiſcopus Auguſtodunenſis teſtamentum ſuum condidit, quo res ſuas omnes matri eccleſiæ ſancti Nazarii martyris, & ſuburbanæ ſancti Symphoriani baſilicæ, atque oratorio ſancti Leodegarii ſubtus eamdem baſilicam exſtructo legavit. Idem antiſtes in ſuo teſtamento memorat germanum ſuum Autarium, cui portionem ſuam in villa Binago concedit ; laudatque germanam itidem ſuam Sigolinam, cujus obſequio & curæ matricularios oratorii ſancti » Leodegarii, ſimulque quoſdam libertos delegat, immo etiam eas poſſeſſiones, quas » prædictis eccleſiis ſancti Nazarii & ſancti Symphoriani tradiderat, in ejus uſum ac » beneficium, quoad viveret, cedendas, ita ut poſt ejus diſceſſum ad eaſdem eccle- » ſias integræ reverterentur. Et tamen ipſa ejus germana Sigolina, ut Anſebertus idem teſtatur, ſæculo contemto, ſe Chriſto *in ancillam perpetuam* obtulerat in monaſterio ſanctæ Mariæ, quod modo ſancti Johannis dicitur, in ipſa urbe Auguſtoduno. Ei- » dem Sigolinæ legat, ſiquidem ipſi ſuperſtes fuiſſet, quidquid ex paterno vel ma- » terno alodo ſibi provenire poterat, eo pacto, ut omnimodam haberet poteſta- » tem id omne quibuſvis eccleſiis legandi. Ex quo intelligas, ſanctimoniales eo tempore, quod etiam de monachis dicendum, adiiſſe parentum & conſanguineorum ſuorum hereditatem, eamque in pios ſaltem uſus impendiſſe. Anſebertus in eodem teſtamento ſancti Symphoriani baſilicæ clericos vel fratres ſemper vocat, nuſquam monachos, tametſi tunc monaſtici adhuc inſtituti erant, ut patet ex actis S. Leodegarii, in quibus non ſolum Hermenarius abbas ſancti Symphoriani baſilicæ me- » moratur, ſed etiam Marcolmus recluſus, qui *ſub religionis habitu* ad monaſterium » ſancti Symphnriani martyris degebat.

Sigolina monacha.

X L I I. Sigolena abbatiſſa Albigenſis.

Alia per idem tempus floruit Sigolena ſeu Segolena in pago Albigenſi, natalibus nobilis, ſed religione longe nobilior. Hæc Giſlulfo, viro genere ac divitiis præſtanti, ſociata conjugio, ab eo vix obtinuit, ut continentiæ propoſitum ſervaret, eleemoſynis interim ac piis operibus, ornandiſque eccleſiis addicta. Mortuo poſt decem annos conjuge, nullam conſolationem admittere voluit, niſi parentes ejus & affines ſæculo nuntium remittendi facultatem ipſi dediſſent, malens monaſticam vitam ducere, quam in propria domo vivere cum periculo caſtitatis. Erat itaque hac de re conflictus inter ſanctam Dei famulam ejuſque propinquos, qui eam ſecundis nuptiis alligare volebant : ſed hi tandem inflexæ ejus voluntati cedunt vel inviti. Tunc pater ejus Chramſicus, admodum ſenex, ita divinitus ſancto filiæ propoſito commotus eſt, ut ejus gratia cœnobium in loco amœniſſimo, qui Troclaris dicebatur, exſtruere ſtatuerit, nolens eam ex illa regione, ut ipſa optabat, ad exteras ſecedere. Perfecto cœnobio, hæc ibidem reſedit, orationibus & inediæ vacans ; & non multo poſt eo loci congregavit non paucas monachas, quibus-cum *ſecundum priſcorum patrum inſtituta* regulariter vixit. Qui res ab ea geſtas ſcripſit auctor anonymus & æqualis, ei pleraſque ſanctæ Radegundis virtutes ipſis Fortunati verbis tribuit.

Brantius abbas.

Erat non procul ab co loco monaſterium virorum, qulbus Evantius præerat. Ad eum accedens juvenis quidam, Dadulfus nomine, monachi omnem modeſtiam & innocentiam ſubdole profeſſus eſt : & cum ibidem aliquamdiu habitaſſet, a dæmone corripitur : ſed ad Troclaris monaſterium perductus, ſanctæ Sigolenæ precibus liberatur. Forſan is eſt Evantius abbas, cujus vulgata exſtat epiſtola contra Hiſpanos nonnullos, in Cæſarauguſtanæ urbis partibus degentes, qui ſanguinem animalium immundum, ſed carnem mundam aſſerebant. Eminentiſſimus tamen piæ memoriæ Cardinalis Aguirius noſter in ampliſſima editione [a] conciliorum Hiſpanicorum hanc epiſtolam tribuit Evantio archidiacono Toletano, qui per id temporis, hoc eſt ineunte ſæculo octavo, pietate & doctrina florebat. Dæmoniacus item alter, poſt multas preces die nocteque fuſas, ſolutus eſt tempore litaniarum, cum Sigolenæ germanus, Babo nomine, dux Albigenſium, in ejus monaſterio verſaretur.

a Hiſpan. conc. to. 3. p. 86.

ANN. CHR. 666.

Forte ad eam exhortationis gratia acceſſerat alter ejus frater Sigibaldus epiſcopus, qui cum nocte illa remanere apud eam rogatus nollet, ingruente ad ſororis orationem enormi pluvia retentus eſt. quod de ſancto Benedicto itidem legimus. Cum ad Sigolenam monachus quidam viſitationis cauſa veniſſet, hæc obnixe eum obſecrare cœpit, ut ſchedulam in qua peccata ſua deſcripta, eſſent, ſub anuli ſignaculo ſuper altare poneret, & pro eorum abolitione ſalutarem hoſtiam (preſbyter quippe erat) toto illo offerret anno, dum ipſa lacrymis, vigiliis & inedia hæc expiare conaretur. Fecit ille ægre quod rogabatur. Tum ſpatio illo temporis revoluto, cum natalis Dominici dies inſtaret, præſentibus venerabilibus viris, Sigibaldo epiſcopo germano piæ feminæ, & Giſloaldo abbate, reſerata ſchedula, nullum prorſus ſcripturæ veſtigium repertum, manifeſto indicio, univerſa ejus delicta omnino abolita & remiſſa fuiſſe. Haud abſimile factum legitur in libro de vita S. Johannis patriarchæ Alexandrini, cognomento Eleemoſynarii. Conſimile etiam refert Ditmarus Merſeburgenſis antiſtes de Bernario epiſcopo, quod inſolitum & antea inauditum ipſi viſum eſt.

Hac ſpe recreata Sigolena, extremum vitæ ſuæ diem brevi adeſſe peroptabat. Ubi vero in morbum letalem incidit, omnium virginnm collecto cœtu: Jam, inquit, cupio diſſolvi, & eſſe in requie cum Chriſto. Vos autem, ſorores ſanctæ, viſcera mea cariſſima, in Chriſto vivite, & cum timore Dei ſpiritalem regulam perficite. Contendite intrare per anguſtam portam. Quantumcumque facere vobis videamini, modicum eſt quod agitis, ſi expendatis qualem mercedem recepturæ eſtis. Contemnite terreſtria, ut cæleſtia conſequamini. Obedientiam ln primis ſervate, quæ inter omnes virtutes principatum tenet. Caritatem inter vos mutuam habetote. Humilitatem ſic amate, ut ſuperbiæ vel minimam ſpeciem abhorreatis, propter quam diabolus cælo dejectus eſt. Fidem tenete indemutabilem, ntpote omnium virtutum fundamentum. Animæ pariter & corporis ſanctimoniam ſervate, ſine qua nemo Deum viſurus eſt. Studioſe advertite, ut, ſicut hactenus regularis ordo hic obſervatus eſt, ſic deinceps uſque ad finem teneatur. Jam valete in pace, & ne mihi obicem ponite precibus veſtris, quo minus in cæleſtia regna quam primum recipiar. Ingraveſcente morbo, ſexto die ad eam venit germanus ejus Sigivaldus epiſcopus, a quo jam extremum fere ſpiritum agens, dominici corporis & ſanguinis viaticum accepit, inchoans pſalmum quinquageſimum, quem virgines ſacræ ejus juſſu proſecutæ ſunt. Mox erectis ſurſum oculis ait: Jeſu-Chriſte, orbis unica ſpes, tu hunc gregem multiplica, & me ad regnum gloriæ tuæ perducere digneris. Dixit, extenſiſque in altum manibus atque oculis, viſo, uti ipſa aſſerebat, Chriſto Domino, angelica facie animam exhalavit. Corpus ejus mira fragrantia perfuſum, in proximo loco tutiſſimo, Inſula dicto, ubi hoſpitium peregrinis cum eccleſia genitor ejus inſtituerat, in communi ſanctarum Dei ancillarum conditorio ſepultum eſt. Proceſſu temporis ſacræ ejus reliquiæ tranſlatæ ſunt in majorem Albigæ urbis eccleſiam, qnæ ſanctam Sigolenam patronam agnoſcit poſt ſanctam Cæciliam.

Obſcurum eſt tempus, obſcurus & locus, in quo Sigolena vixit. Troclarenſe monaſterium, quod jam pridem exciſum eſt, hand longe aberat ab Inſula, quod opidum eſt ad Ternum fluvium, octo fere leucis infra Albigam civitatem. In adverſa fluminis ripa cernitur vicus ſancti Martini: quo in loco forſan poſitum erat cœnobium Troclarenſe, cujus oratorium ſancto Martino, eccleſia vero beatæ Mariæ ſacrata erat. Paſchalis papa ſecundus, in litteris Ottoni abbati monaſterii ſancti Victoris Maſſilienſis conceſſis, memorat cellam ſanctæ Segolenæ in diœceſi Albigenſi. Ejus cultus jam olim receptus erat non modo in hac diœceſi, ſed etiam in Arvernenſi, & in Lemovicenſi. Exſtat Divoduri Mediomatricum elegantiſſima ſub titulo ſanctæ Segolenæ eccleſia parœcialis, qua ex re vehemens mihi ſuſpicio injicitur, num Sigibaldus ſeu Sigivaldns epiſcopus, Segolenæ frater, idem ſit cum Sigibaldo Mettenſi epiſcopo, qui ſæculo proximo ineunte floruit, idemque auctor, ſeu poſteris occaſio fuerit ædificandæ in illa urbe eccleſiæ in honorem ſanctæ Segolenæ. Sane hanc eccleſiam non alteri, quam Segolenæ Albigenſi nuncupatam eſſe hinc patet, quod eodem die colitur jam dudum in Mettenſi atque in Albigenſi eccleſia, teſtante veteri martyrologio monaſterii Senonienſis, ab annis quingentis ſcripto, in quo hæc ita laudatur: IX. *kalendas Auguſti, in civitate Mettenſi, ſancta Segolens virginis.* Libellum de ejus vita ſcriptor anonymus, qui eam viderat, Alipbiæ

abbatiſſæ & choro ſodalium monacharum ei commiſſo nuncupavit, præmiſſo prologo, in quo aliorum relatu ſibi comperta, quædam a ſe ipſo viſa dicit. Obiit Sigolena IX. kalendas Auguſti, ut præfert titulus ejus vitæ, tametſi in kalendario Carcaſſonenſi manu exarato ejus memoria ſequenti die conſignatur. Fallitur Antonius Dominicius, cum ei patrem Godinum attribuit, quem Chramſicum vocatum fuiſſe conſtat ex ejus vitæ ſcriptore ſubæquali.

XLIII.
Ephibii abbatis teſtamentum.

Incertum cujus monaſterii abbas fuerit Ephibius Viennenſis abbas, cujus teſtamentum vulgatum eſt in tomo duodecimo Spicilegii. Is pro amore Dei ac beatorum apoſtolorum, ac martyris domni Deſiderii epiſcopi, teſtamentum facit de rebus ſuis atque hereditate, quæ ex parentibus ſuis, Leobio & Theodigna, legitime ad ſe provenerant, & ex ſorore ſua Ruſina, quæ ſine liberis defuncta hereditatem ſuam ipſi *vivo ordine* legaverat. Hoc vero teſtamento quædam prædia donat Deo & ſanctis ejus, in eccleſia Viennenſi ſervitura; eaque per domnum Caëoldum epiſcopum tradit. Addit etiam in Engoliſmo villas tres, quas a domino ſuo glorioſo rege Childeberto pro ſervitio ſuo acquiſierat. Teſtamento ſuo idem inſerit litteras donationis ſibi factæ a Ruſina ſorore, quæ litteræ *domno & delicioſo fratri Euphibio abbati* inſcriptæ ſunt. Multi ſenatores Viennenſes ſubſcribunt huic teſtamento, quod anno ſecundo glorioſi Childeberti regis conditum eſt, ſubjuncto diplomate ejuſdem Childeberti in ejus confirmationem. Erant ſæculo nono in quibuſdam eccleſiis cathedralibus dignitates ſub titulo abbatum, nimirum poſtquam collegiis canonicorum ſæcularium præfecti ſunt abbates. Et forte hi abbates in cathedralibus eccleſiis ita dicti ſunt, quod abbatias quaſdam eiſdem eccleſiis ſubjectas in titulum habuerint. Verum id ſerius, quam ut Ephibio abbati convenire poſſit.

XLIV.
S. Claudius abbas Condateſcenſis obit.

Ad hunc annum revocatur mors ſancti Claudii ex-epiſcopo abbatis Condateſcenſis, qui ſacramentis eccleſiæ munitus, ſuper ſcamnum, in quo legens & orans ſedere conſueverat, exſpiraſſe dicitur. Corpus ejus hactenus incorruptum magna fidelium frequentia & religione colitur in monaſterio Condateſcenſi, quod a poſteris ſancti Augendi ſive Eugendi, ab aliquot ſæculis ſancti Claudii vocabulum accepit. Feſtum ejus VIII. idus Junii celebratur. Chiffletius in illuſtrationibus Claudianis ad Junium Bollandianum ejus obitum differt in annum ſeptingenteſimum-tertium. at de hoc ſentiat quiſque quod volet. Nobis videtur non minor habenda fides auctori ejus vitæ, quam recentiori leves conjecturas afferenti. Certe cum Claudius poſt abdicatum epiſcopatum abbas fuerit, jam provectæ tunc erat ætatis. Porro conſtat ex dictis[a] ſuperius, Claudium jam abbatem Pariſios ad Theodericum regem profectum fuiſſe ad recuperandas poſſeſſiones, quas olim Burgundionum & Francorum reges monaſterio contulerant. Quid Lupicino abbati Chilpericus rex Burgundionum, Arianus licet, contulerit, docet Gregorius Turonenſis in capite I. de vitis Patrum, ubi viro Dei, agros & vineas recuſanti, præceptionem dediſſe dicitur, ut annis ſingulis trecentos modios tritici, totidemque vini cum centum aureis ad comparanda fratrum indumenta acciperent, *quod uſque nunc*, ait Gregorius, *a fiſci ditionibus capere reſtituuntur*. quam penſionem, forte perſolvi deſitam, Claudius a Theoderico rege denuo obtinuerit, aliaque ſubinde adjecta. In libello de ejus vita non admodum antiquo patrator miraculorum appellatur, de quibus libri conſcripti ſint. Rythmica ejus monaſterii hiſtoria ſucceſſores abbates hoc modo commemorat.

[a] lib. 17. n. 13.

Succeſſores ejus.

Ac poſt beatum Claudium ſenior ſanctus Ruſticus
Dictum rexit cœnobium: poſt quem ſanctus Aufredus,
Poſt cujus ſancti deceſſum ſanctus venit Hippolytus,
Exercens epiſcopatum cum cœnobio invitus.
Sub iſto ſancto abbate, Bellicenſi epiſcopo,
Pippinus rex tunc devote iſti dedit cœnobio
Caſſonam, cum facultate fabricandi perpetuo
Monetam, atque libere plura dedit ipſe ultro.

De hoc Hippolyto ejuſque ſucceſſoribus tempore Caroli Magni agemus. Si verum eſt quod de facultate cudendæ monetæ hic legitur, nullum forte monaſterium habuit antiquius hujuſce rei privilegium, quod multis aliis ſubinde commune fuit.

Anno

ANN. CHR. 696.

XLV. Begga monaſterium Andanenſe condit.

Anno triceſimo-tertio poſt obitum ſanctæ Gertrudis abbatiſſæ, germanæ ejus Beggæ inſedit conſilium monaſterii exſtruendi ad normam cœnobii Nivialenſis, quod ſoror ipſius inſtituerat. Erat hæc orbata viro Anſigiſilo duce, ſancti Arnulfi filio, ex quo Pippinum Heriſtallenſem, Caroli Martelli parentem, genuit. Begga itaque, matrona pia, ſecundas caſtitatis palmas aſſequi cupiens, ſecundis nuptiis nuntium remiſit, & ſe ſuaque omnia Deo vovit, exſtructo inſigni puellarum monaſterio in vico Andana ſeu Andenna. Idcirco ſacri inſtituti magiſtras e Nivialenſi monaſterio accerſere conſtituit. Itaque illuc profecta eſt, opem ac ſupplementum ad exſequendum conſilium petitura. Piis votis perlibenter aſſenſit Agnes abbatiſſa cum tota congregatione. Datæ ſunt ei *in ſancto habitu ſeniores ſpirituales ſorores*, quæ novum monaſterium regularis vitæ diſciplina & norma religionis informarent: conceſſæ etiam ſacræ reliquiæ, cum libris ſanctarum ſcripturarum. His acceptis, Begga lætanter ad ſuum monaſterium reverſa eſt. Erant illic ſeptem eccleſiæ, in una altare ſanctæ Genovefæ virginis, ad quod depoſuit partem lecti ſanctæ Gertrudis, quam a Nivialenſibus acceperat. Poſitum eſt hoc monaſterium, ut dixi, in vico Andana *, quod municipium eſt comitatus Namucenſis, haud procul a ripa Moſæ fluvii: Namucum inter & Hoïum opidum. Illic anno ſecundo poſt conditum cœnobium, rebus omnibus rite inſtitutis, venerabilis illa matrona migravit ad Chriſtum XVI. kalendas Januarii, quo die colitur in Andanenſi eccleſia, ubi Anſigiſilus ejus maritus itidem ſepultus eſt. Qui vitam ſanctæ Gertrudis ſcripſit ſecundus auctor, ait Beggam exſtruxiſſe monaſterium, *ubi religioſam vitam duceret, virgineſque ſacras in ſervitutem divinam perpetua ſtabilitate ordinaret.* quod longe diverſum eſt ab inſtituto canonicarum ſæcularium illic modo viventium.

* *Andenne.*

XLVI. S. Gertrudis miracula & cultus in quadrageſima.

Sub idem tempus contigit nobilem piamque feminam, Adulam ſeu Adelam nomine, venire in monaſterium Nivialenſe, & liberalem cum una ſanctimoniali diſceptationem habere de miraculis, quæ illic a beata Gertrude facta vulgabantur. Adveniente vero ejus feſtivitate, quæ illo anno in ſextam feriam quintæ hebdomadæ quadrageſimalis incidebat, de ſolita jejunii ſeveritate nihil remittere voluit: ſed, ceteris, ſive viris, ſive feminis, cum monachis, tum virginibus Chriſti, poſt miſſarum ſollemnia reficientibus, ſola matrona ea die non comedit. Ipſo vero die accidit, filium ejus parvulum in fontem lapſum aquis præfocari, quod matris incredulitati imputavit ſanctimonialis illa, quæ de miraculis ſanctæ Gertrudis cum ea diſceptaverat. Mox puerum e fonte eductum eadem ſanctimonialis ſuper lectum beatæ Gertrudis detulit, ſtatimque vivum genitrici reſtituit. Tunc mater manifeſto credens, immo cedens miraculo, poſtridie *miſſam* ſeu feſtum in honorem beatæ Gertrudis virginis celebravit, & cum omnibus ſororibus refectionem habuit, quod *facere caritatem* veteres illi dicebant, puero illo ad menſam potum præbente. Tanti beneficii memor Adela, ſanctum illum lectum, id eſt tumulum, auro gemmiſque pretioſis exornavit. Hoc factum ſe propriis vidiſſe oculis auctor anonymus, qui id refert, teſte Deo affirmat. Ex quo intelligimus, nonnihil tum remiſſum fuiſſe de ſeveritate jejunii quadrageſimalis ob diem feſtum, anticipata ſcilicet refectionis hora, quæ aliis diebus ad veſperam differebatur. Hujus loci occaſione haud ab re viſum eſt in appendice referre morem celebrandorum jejuniorum, ſæculo nono apud Caſinates noſtros receptum.

Aliud miraculum patratum legitur tempore Eggeburgis abbatiſſæ Nivialenſis in quamdam puellam cæcam, Adelbergam nomine, ex pago Vinnocenſi ſeu Vimnacenſi ad oceanum, quæ ad ſepulcrum beatæ Gertrudis profecta, precibus fuſis, dum ſanctimoniales nocturnas celebrarent vigilias, amiſſum lumen recepit. Actum eſt hoc kalendis Septembris, ut in veterrimo codice clariſſimi Obrechti Argentoratenſis legimus, *octavo anno, poſtquam cum Dei providentia Eskiburga mater exſtitit & gubernatrix ſpiritalis congregationis Nivialenſis.*

XLVII. S. Hadalini geſta & monaſterium Cellenſe.

Florebat eodem tempore, iiſdemque atque Begga partibus, Hadalinus nobilis Aquitanus, qui popularis ſui beati Remacli epiſcopi fama in Belgium adductus, eidem adhæſit, & cum eo, jam ad privatam vitam redacto, in ſolitudinem ſeceſſit. Cum diſcipuli virtus magiſtro probe comperta eſſet, eidem auctor fuit Remaclus, ut ad vallem quamdam ſe conferret, Inter-quatuor-montes dictam, haud procul a fluvio Lætia *, qui in Arduenna e Bulionii caſtri partibus ortus, in Moſam devolvitur paullo ſupra Dionantum opidum; ibique oratorium ac cellam ædificaret. Nec

* *Leſſe.*

ANN. CHR. 696.

mora, magiſtri præcepto paruit humilis diſcipulus, eoque in loco vitam cæleſtem duxit. Audita ejus ſanctitatis fama, Pippinus palatii princeps eum inviſit, eique quaſdam villas largitus eſt. Hoc exemplo alii commoti, ſuas eidem facultates impertierunt, in primis tres germani, Beo, Tricinus, & Balduinus. Eidem etiam munificas ſe præbuere matronæ duæ, Aquila & Guiza. Obiit eodem in loco vir Dei, III. nonas Februarii, ſepultuſque eſt in eodem monaſterio, quod Cellas poſteri appellarunt. Proceſſu temporis locus ceſſit ſæcularibus canonicis, qui Cellenſium baronum infeſtationibus ſedem mutare coacti, Viſetum in opidum Leodicenſis diœceſis, ad dextram Moſæ ripam poſitum, migrarunt, eoque ſancti Hadalini corpus ſecum invexerunt. Fallitur Philippus Ferrarius, qui Lætias cœnobium, Lutoſas, & Cellam ſancti Giſleni in Hannonia, immo & Leſſiniam Flandriæ opidum, cum Cellis ſancti Hadalini & Lætia Arduennæ fluvio confundit. Notgerus epiſcopus Leodicenſis labente ſæculo decimo ſcripſit libellum de geſtis ſancti Hadalini confeſſoris & conditoris monaſterii Cellarum prope Dionantum, quod ille *emporium* vocat ub ejus ſitum ſupra Moſam.

XLVIII. Vvillibrordi epiſcopi ordinatio.

Poſt annos aliquot, quam in Friſiam acceſſerat Willibrordus, gentemque chriſtianis myſteriis initiare cœperat; Pippinus major-domus, faventibus univerſis, Romam eum ad Sergium papam direxit, poſtulans, ut Friſiorum genti præficiendus archiepiſcopus ordinaretur. quod ita, ut petierat, factum eſt hoc anno in eccleſia ſanctæ Cæciliæ martyris, die ejus natali, hoc eſt x. kalendas Decembris, & Willibrordus mutato nomine Clemens appellatus; moxque dimiſſus ad ſuos poſt dies quatuordecim, quam in Urbem advenerat. Reverſo Pippinus in caſtello illuſtri Wiltaburgo, ſeu Trajecto * ad Rhenum, epiſcopatus ſedem conſtituit: quo in loco vir ſanctus eccleſiam ædificavit, multiſque ab idolorum cultu converſis, complures illis in locis baſilicas & quædam etiam monaſteria exſtruxit, alioſque inſtituit antiſtites ex his, qui cum ipſo, vel poſt ipſum, prædicandi evangelii cauſa eo venerant. Inter monaſteria a Willibrordo exſtructa præcipuum fuit Epternacenſe, de quo intra biennium acturi ſumus.

* Utrecht.

XLIX. Friſiorum origo & ſedes.

Quoniam vero de Friſiis paſſim in his annalibus nobis ſcribendum erit, juvat eorum ſedes pro tempore varias paucis exponere. Friſii ſeu Friſiones, Germaniæ inferioris antiquiſſima gens, primis æræ chriſtianæ ſæculis Vidro * & Amaſio * fluminibus, oceanoque contenti, interjectos lacus incolebant ſupra Buſactores ſeu Weſtfalos, uti ex Ptolemæo & Tacito diſcimus. Hi, ſive a finitimis Saxonibus exagitati, ſive dominandi libidine effuſi in Bataviam, plurimi in Bataviæ parte conſederunt, & Trajectum Batavorum, caſtrum Doreſtate, aliaque ejuſdem provinciæ loca occuparunt. quæ loca proinde citeriori Friſiæ a Beda, Alcuino, Willibaldo, aliiſque ejuſdem ævi ſcriptoribus attribuuntur. Friſios in majores & minores diſtinguit Tacitus: ſequiores hiſtorici in Oſtrifriſios & Weſtfriſios, ſeu Oſtrachiam & Weſtrachiam, id eſt orientales & occidentales. Sed horum alii quondam, atque nunc, fines, aliæque ſedes. nam Friſios orientales ab occidentalibus olim Burdo amnis, civitate Leowarda & Dockomo opido inſignis; modo vero Amaſius fluvius dirimit ac ſeparat: ita tamen, ut Friſiæ nomen præcipue nunc maneat penes ſolos occidentales, qui inter Flevum lacum (quem accolæ mare auſtrale vocant) & Amaſium flumen incolunt. Friſiorum converſionem ad fidem chriſtianam in primis tentavit ſanctus Eligius epiſcopus Tornacenſis & Noviomenſis, & poſt eum ſanctus Wilfridus Eboracenſis; tum Wigbertus & Egbertus presbyteri Anglici. Verum tota hujuſce facti gloria Willibrordum ac Bonifacium, eorumque ſocios manebat. Jam ad ordinem revertor.

* le Rhin. * l'Ems.

L. Rudberti epiſcopi prædicatio in Bajoaria.

Rudbertus, vulgo Rupertus, Bajoariorum dictus apoſtolus, in Bajoariam accerſitus eſt a Theodone duce *anno ſecundo Childeberti regis.* Id plerique recentiores interpretantur de Childeberto ſecundo, qui ab anno quingenteſimo ſeptuageſimo-quinto ad nonageſimum-ſextum, Francis Auſtraſiis imperavit. Verum toto hujus Childeberti principatu nullus Theodonis nomine dux Bajoariorum exſtitit, ſed Garibaldus & Taſſilo primus, ut ex Paulo Warnefridi in actis Sæculi tertii a me probatum eſt. Deinde Theodo dux, is qui ſanctum Rudbertm invitavit, filios ae ſucceſſores habuit duos, Diotpertum ſeu Theodbertum & Grimoaldum, & poſt eos Hucbertum, qui ſanctum Bonifacium ſequenti ſæculo excepit, ut conſtat tum ex Arnone Saltzburgenſi epiſcopo, tum ex Arnolfo monacho Ratiſponenſi, auctore gravi, etſi non

ANN. CHR. 696.

æquali. Ex quibus conſequens eſt, ſanctum Rudbertum non ante Childeberti tertii principatum in Bajoariam acceſſiſſe. Hæc fuſius a me alibi tractata pluribus aſſerere ſuperfluum fuerit. Huic ſententiæ opponunt Saltzburgenſes, amici quidem noſtri atque ejuſdem inſtituti ſodales, conſtantem eccleſiæ ſuæ traditionem, quæ ad centum annos longius ſummovet Rudperti in Bajoaria prædicationem, id eſt ad annum ſecundum Childeberti ſecundi: cui traditioni faveant Wormatienſes, quibus Rupertus præfuit epiſcopus, priuſquam in Bajoariam proficiſceretur. Accedunt liber de vita ſancti Rudberti ab aliquot ſæculis ſcriptus, auctorum ab eo tempore conſenſus, ac demum antiquiſſimus Rudberti ſepulcralis marmoreus lapis. An vero hæc præmiſſis rationibus præponderent, judicium eſto penes æquos lectores. Certe poſteriori huic ſententiæ non favet Rudberti antiquior vita, multo minus catalogus primorum epiſcoporum Saltzburgenſium, ſcriptus ſæculo nono, ex codice Ratiſponenſi in conſequentibus referendus, in quo epiſcopi dumtaxat quinque recenſentur ante Arnonem, qui, procurante Carolo Magno, primus a Leone papa tertio auctus eſt archiepiſcopali dignitate. Ceterum hic catalogus longe præferendus eſt indici ab Hundio relato, qui primarium hunc catalogum quatuor epiſcopis auxit, ut ad Childeberti ſecundi tempus extendi poſſit Saltzburgenſium epiſcoporum ſeries. Quo ex loco Rudbertus ortus ſit, incertum. Facile unum e ſancti Willibrordi ſociis eſſe crederem, niſi Francus origine a primo ipſius vitæ ſcriptore diceretur. Fratrem (ſi qua tertio vitæ ejus ſcriptori Caniſiano fides) Trudbertum habuit, ſororem Erendrudem, de qua poſtea ſermo recurret. Wormatiæ epiſcopus fuiſſe traditur, priuſquam in Bajoariam iret, proprius an auxiliaris. At ſi proprius, cur Bajoariam propriæ prætuliſſet eccleſiæ? quamquam non deſunt ſimilia exempla. Is in Bajoariam invitatus & exceptus a Theodone duce, ducem ipſum, & multos illius gentis, cum nobiles, tum ignobiles viros, ad veram Chriſti fidem convertit, & ſacris aquis tinxit. Mirari ſubit, Theodonem ducem idolorum cultui etiam tunc addictum fuiſſe, nedum Bajoarios ipſos, quos ad chriſtianæ religionis præſcriptum vixiſſe jam a Theoderici ſenioris Auſtraſiorum regis principatu, ex legibus Bajuvariorum eo tempore editis intelligitur. Deinde cur Theodonem e paganorum claſſe ducem conſtituerant Francorum reges, penes quos inſtituendi ducis poteſtas erat? At facile potuit gens mobilis pars ad dæmonum cultum aut ſuperſtitiones relabi, deficientibus epiſcopis & eccleſiæ miniſtris, qui rem chriſtianam in illis partibus procurarent. Certe Arnolfus [a] mox laudatus ſcribit, Noricis illius provinciæ incolis, *quia nuper chriſtianitatem acceperant*, ſe ſe immiſcuiſſe hæreticos, qui fas ibi nefaſque confuderant, cum ſanctus Emmerammus eo profectus eſt.

[a] *Arnolf. de mirac. S. Emmer. lib. 1. c. 1.*

L I. S. Petri monaſterium Saltzburgi.

Perluſtrato agro Laureacenſis * civitatis, quæ olim metropolis Noricorum ad Amaſum, Rudbertus venit ad locum Juvavum, ſitum ad fluvium cognominem, ubi eccleſiam in honorem ſancti Petri ædificavit, *& clauſtra cum ceteris habitaculis clericorum*, ibidemque quotidie *curſum* ſeu officium divinum celebrari curavit. Hoc eſt inſigne ſancti Petri monaſterium Benedictinorum in urbe Saltzburgo, olim Juvavo dicta, ad fluvium, qui modo Saltza nuncupatur. Clericorum nomine monachos, ut paſſim alias, in ſuperiori contextu intelligi ex eo patet, quod a principio monachi perpetuo locum illum inſederint, & monaſterium ipſum diu nobilitatum fuerit ſede primum epiſcopali, dein archiepiſcopali, quæ ex urbe Laureaco tempore Caroli Magni iſtuc tranſlata eſt, monachis cathedralem eccleſiam ſemper, abbatibus plurimum illam ſedem occupantibus, ut patet ex actis ſancti Thiemonis archiepiſcopi Saltzburgenſis: donec Conradus Abenſpergius antiſtes ſedem epiſcopalem ab eccleſia ſancti Petri tranſtulit ad ſancti Rudberti baſilicam a beato Virgilio exſtructam. quod factum anno ſupra milleſimum centeſimo decimo, ſancti Rudberti baſilica canonicis ſæcularibus attributa: qui tamen in hodiernum uſque diem monachis ſancti Petri, quibus eccleſiæ ſuæ originem referunt acceptam, digniorem locum cedunt. Exſtat in eadem urbe etiam celebris Univerſitas, quam noſtri hactenus regunt. De hac ſancti Petri baſilica interpretandum Alcuini quoddam [b] epigramma, in quo pater egregius Hrodbertus hanc ſancti Petri aulam ſeu baſilicam condidiſſe dicitur: ubi fratres devotis animis ad celebrandas Chriſti laudes ſepties unoquoque die convenirent. Idem auctor *ſanctiſſimis fratribus Juvavenſis eccleſiæ* inſcribit epiſtolam ſeptuageſimam-octavam, qua eos monet, ut ne *monachus ſuam* ipſius *faciat voluntatem, aut murmurationis malo inſoleſcat*: & in fine iiſdem fratribus beatitudinem

* *Lorch.*

[b] *Alcuin. epigram. 224.*

ANN. CHR. 696.

apprecatur, *intercedente beati Hrodberti, aliorumque patrum ſocietate pro eis.* Itaque clericorum nomine ſuperius non alii intelliguntur quam monachi, quos per ſanctum Rudbertum illuc primitus introductos fuiſſe conteſtatur Eugenius tertius in litteris eidem monaſterio conceſſis. Id diſtincte explicat tertius auctor a Caniſio editus, ubi
„ clauſtra monaſterii *cum ceteris habitaculis clericorum* Rudbertus conſtruxiſſe dicitur
„ in eodem loco, ubi poſtea ſacellum in honorem ſanctæ Crucis exſtructum eſt, &
„ uſque hodie ſpelunca ſancti Rudberti appellatur; inibique *non paucos diſpoſitos mona-*
„ *chos*, qui die ac nocte laudes Dei canerent, inſtituiſſe, *addita regula ſancti Benedicti*,
„ qua monachi integre ac ſancte viverent. Verum fueritne hic ſanctus pater Rudbertus monachus, haud ſatis conſtare idem auctor fatetur.

LII. Virginum item cœnobium ſub Erendrude.

His peractis, vir ſanctus ſocios in laboris conſortium habere cupiens, patrium ſolum repetiit, atque inde commilitones duodecim ſecum adduxit, ex quibus Chunaldus & Giſilarius itidem pro ſanctis habentur. Eumdem etiam ſecuta eſt virgo Chriſti Erendrudis, ejus neptis, quam parthenoni beatæ Mariæ in ſuperiori caſtro Juvavenſium conſtructo præfecit. Nunbergam ſeu Nonnarum-montem modo appellant. Huic monaſterio, teſtante Arnone, multas poſſeſſiones tribuit Theodebertus, Theodonis ducis filius ac ſucceſſor, in gratiam ejus loci virginum atque ipſius Erendrudis, quam ſancti Rudberdi *neptiam* vocat. Ad hæc Rudbertus cellam ſancti Maximini, favente Theodone, inſtituit, eamque monaſterio ſancti Petri ſubjecit. Eamdem Theodebertus dux prædiis locupletavit: at Sclavi necdum chriſtiani, e Carinthia effuſi, hanc cellam exſpoliarunt, monachis inde ejectis & exturbatis: donec Virgilius epiſcopus eamdem inſtauravit, eidemque priſtinos incolas, id eſt monachos, reſtituit. Idem Rudbertus Weltenburgenſe ſancti Georgii monaſterium, adjutore item Theodone duce, alio nomine Valentiam dictum, extra muros Ratiſponenſes condidiſſe memoratur. Numeroſum ejus loci abbatum catalogum refert Hundius [a] ab anno quingenteſimo octogeſimo, ex quo Weltenburgenſis monaſterii primordia repetit, ex præconcepta ſcilicet opinione de præmaturo adventu ſancti Rudberti in Bajoariam. Verum idem ſine dubio acciderit abbatibus illis, quod epiſcopis Saltzburgenſibus accidiſſe inferius videbimus, nempe ut auctior factus ſit eorum numerus ad continuandam ab eo tempore ſucceſſionem. Perſtat etiam nunc poſt varios caſus hoc monaſterium ſub ordine ſancti Benedicti, teſte Hundio.

S. Maximini cella.

Vveltenburgenſe monaſterium.

[a] *Metrop. Salisb. to. 3. p. 481.*

ANN. CHR. 697.

LIII. Laubienſis monaſterii incrementa & dedicatio per Urſmarum.

LAubienſe ſeu Laubacenſe in Belgio monaſterium, *inſigniſſimum omnium monaſteriorum Leodienſis & Cameracenſis diœceſeon*, ſi Johanni Iperio credimus, primordia ſancto Landeſino, incrementa vero ſua ſancto Urſmaro accepta refert, epiſcopo ſimul & abbati, qui anno inſequenti ejus baſilicam nondum conſecratam dedicavit. Hunc in villa, pagis Hainoënſi & Teoraſcenſi contermina, quam *Fleon* vocant, mater famis immanis tempore enixa eſt, cælesti oraculo ſibi dato, ſibi puerove numquam panem defore. Editus in lucem puer, non tam ſæculariter, quam monaſtice educatus eſt. Oratione & compunctione cordis tantam a Deo gratiam promeruit, ut pæne omnes anteiret mortales, & multi ad ejus exemplum ſe conformare optarent. Sic multorum in Chriſto pater effectus eſt, ſcripturarum doctor, conditor monaſteriorum, paſtor eccleſiarum, redemtor captivorum, quos redimendi poteſtatem a Pippino principe obtinuerat. Inchoato Laubienſi monaſterio, ſancto Landelino primo ejus conditori adhæſit. qui Landelinus alio ſeceſſurus, Laubiis Urſmarum præfecit, iis moribus ac dotibus præditum, ut ad prædicandum circumquaque verbum Dei epiſcopus fieri meruerit, ſive id epiſcopi vicini, ſive Pippinus princeps procuraverit. Mirum eſt quantum hic locus ſub tanto magiſtro, & ſub ejus ſucceſſore Ermino floruerit. In primis Urſmarus ejus monaſterii baſilicam, quæ ad id temporis haud conſecrata fuerat, in honorem beati Petri Apoſtolorum principis atque S. Pauli doctoris gentium, omniumque Apoſtolorum dedicavit XVII. kalendas Septembris, eamque multis donis & ſanctorum reliquiis exornavit. Verum, ne hæc baſilica cadaveribus mortuorum pollueretur, aliam in honorem ſanctæ Mariæ, quemadmodum in Sithienſi monaſterio factum erat, in proximi montis vertice ædificari curavit, ubi monachorum, aliorumque fidelium conditorium eſſet, & ad quam populus orationis cauſa conveniret, cum in aliam illicitus eſſet, id quod multo tempore obtinuit, præterquam certis, iiſque paucis diebus, feminarum acceſſus. Hæc ex Fulcuino ejus loci abbate diſcimus, qui etiam eidem Urſmaro tribuit conſtructio-

ANN CHR. 697.

nem, malim amplificationem, Alnenſis & Waſlerenſis monaſteriorum, quæ ſancto Landelino auctori ejus vitæ ſcriptor tribuit. Addit quidam anonymus auctor, Urſmarum a Pippino principe in aulam regiam evocatum fuiſſe, eidemque commiſſum regimen Laubienſis monaſterii, petente Hidulfo viro illuſtri, qui unus e principibus palatii erat; eum vero tanta prædicationis & miraculorum gratia præditum fuiſſe, ut qua verbo, qua factis plurimos, tum in partibus Galliæ, tum in Fania & Teoraſcia, ad meliorem frugem converterit, multaſque iis in locis eccleſias conſtruxerit, in primis Aldeburgenſem; cuj ædificandæ fundum & ſumtus contulit Aldo quidam ejus loci dominus, quem Urſmarus ab idolorum cultu ad fidem adduxerat. denique Laubienſe monaſterium ſub illo in tantam dignitatem provectum fuiſſe, ut nulli ejus regimen, niſi epiſcopus eſſet, committeretur. quæ dignitas ad multos ejus ſucceſſores derivata eſt.

LIV. Dodo abbas Vvaſlerenſis.

Idem Dodonem, ſuum in Laubienſi monaſterio diſcipulum, Waſlerenſi Faniæ cœnobio abbatem præfecit. Hunc ab eo baptizatum, & a puero enutritum tradunt, ac deinde præfectum eidem Waſlerenſi monaſterio, cui Dodo ipſe omnem ſuæ poſſeſſionis hereditatem antea tradiderat. Ex quo intelligitur, Dodonem in Faniæ pago natum eſſe, & quidem in villa, quæ Vallis appellabatur. Poſt aliquantum regiminis tempus Dodo, frequentiam hominum ad ſe confluentium declinaturus, cellam ſibi in loco remotiori exſtruxit non longe a ſuo monaſterio, in eaque jejuniis & orationibus pæne aſſiduis vacavit uſque ad obitum, qui contigit kalendis Octobris: cujus corpus in eadem cella ſepultum eſt.

LV. Childeberti placitum de Nocito pro Tuſonis-vallis monaſterio.

Hoc anno, qui tertius regis Childeberti erat, in villa regia Compendio ad Iſeram, placitum regium habitum eſt in frequenti epiſcoporum & optimatum conſeſſu, cui apoſtolici patres Anſoaldus, Savaricus, Turnochaldus, Ebarcius, Grimo, Conſtantinus, & Urſinianus epiſcopi; Pippinus major-domus, aliique optimates, tum comites, domeſtici, & ſeneſcalci, poſtremo Hociobertus comes palatii cum ceteris fidelibus regi adfuerunt. In hoc placito Magnoaldus abbas monaſterii Tunſonis-vallis conqueſtus eſt, quod actores inluſtris viri Drogonis, filii Pippini majoris-domus, villam quamdam pagi Camiliacenſis apud Bellovacos, Nocitum vocabulo, quæ Guerini quondam fuerat, & ad fiſcum redacta, a Theuderico rege ipſi monaſterio conceſſa fuerat, *malo ordine* a poteſtate ipſius Magnoaldi ſuique monaſterii abſtraxiſſent, cum mancipiis rebuſque omnibus ad eam villam pertinentibus; petebatque illam in integrum ſibi, ſuoque monaſterio reſtitui. Contra Drogo ipſe opponebat, ſocerum ſuum inluſtrem virum Bercharium cum eodem Magnoaldo hanc villam commutaſſe, eamque ſibi competere ex parte conjugis ſuæ Adaltrutæ, cui hæc villa legitime ex paterna hereditate provenerat. Verum cum illius commutationis litteras Drogo nequaquam proferre potuiſſet; a ſupra ſcriptis viris domnis epiſcopis & optimatibus, referente Hocioberto comite palatii, judicatum eſt, hanc villam Magnoaldo, ejuſque monaſterio reſtitui debere. Hujuſce placiti litteras Aigoberthus ad vicem Chaldeberthi ſummi referendarii recognovit, datas quarta-decima die menſis Martii, anno tertio Childeberti regis, Compendio. Hæc ex libro ſexto de re diplomatica, ubi ejuſdem Childeberti regis præceptum refertur ad confirmandas poſſeſſiones Tuſonis-vallis monaſterio, tum ab ejus conditore, tum a ceteris fidelibus conceſſas, obtentum a Magnoaldo abbate, cujus avunculus Chardericus, quondam abbas monaſterii S. Dionyſii apud Pariſios, illud in honorem ſanctorum Dionyſii & Marcelli exſtruxerat, inſtitueratque *ſub ſancta regula*, venerabili viro Magnoaldo ibidem rectore conſtituto. Datum Novientο, octavo die Aprilis, anno ſecundo Childeberti regis. Ignotum eſt modo, ut jam me dixiſſe memini, monaſterium Tuſonis ſeu Tunſonis-vallis, olim ſine dubio ſubjectum abbatiæ S. Dionyſii: niſi ſi hoc ſit Vallis monaſterium congregationis Fulienſis ad Iſeram, quod a nigris monachis ad albos Ciſtercienſes tranſierit. In ſuperiori illo placito obſervandum eſt, Drogonis ſocerum dici Bercharium, olim majorem-domus ſub Theoderico rege, contra Chronographum Fontanellenſem & annales Mettenſes, in quibus Adaltrudis, Drogonis uxor, Warattonis & Anſfledis filia dicitur, prius vero nupta Berchario, quem Bertharium vocant. Nota eſt jam ex dictis ſedes plerorumque epiſcoporum, qui illi placito interfuerunt. Anſoaldus enim Pictavenſem, Savaricus Aurelianenſem, Turnochaldus Pariſienſem, Conſtantinus Bellovacenſem, Urſinianus Ambianenſem regebat: Ebarcii & Grimonis incertæ ſedes.

ANN. CHR. 697 LVI

Lemauſi parthenon ſancto Germano ſubjectus

* *Limours.*

Eodem anno, Chideberti regis tertiu, nobiles duo conjuges, Gammo & Adalgudis, Deum ſibi propitium facere cupientes, *monaſteriolum* virginum in alodio ſuo apud Lemauſum * in pago Stampenſi ſub titulo ſancti Johannis & ſanctæ Crucis conſtruere cœperunt, ut ibidem puellæ in honore ſanctæ Mariæ inſtituerentur *ſub ordine monaſtico & regula ſancti Benedicti* victuræ: quibus filiam ſuam Bertam abbatiſſam præpoſuerunt. Hoc autem monaſterium, quod multis prædiis, tam citra, quam ultra Ligerim ſitis, dotarunt, ſubjectum eſſe voluerunt monaſterio ſancti Vincentii & ſanctæ Crucis *Pariſius civitate*, ubi *Autharius abbas cum norma plurima monachorum* tunc præerat: ita ut, mortua abbatiſſa, monachi Vincentiani aliam ibidem inſtituerent. *Et ut epiſtola hujus donationis firma permaneat, Bitnricas in conventu nobilium, in preſentia domni noſtri Childeberti relecta eſt, & Pariſius civitate in monaſterio ſancti Vincentii die ſexto menſis Aprilis ſuper altare ſancta Crucis poſita, anno tertio domni noſtri Childeberti regis.* Huic inſtrumento, quod ex veteri chartario in appendice referemus, ſubſcripſere Turnoaldus epiſcopus, ſcilicet Pariſienſis, Madolandus, Andeboldus, Durandomarus & Deſiderandus abbates; & poſt eos Gammo & Adalgudis donatores. Poſt mortem Gammonis, Adalgudis ejus conjux Deo ſacrata fuit, haud dubie in ſuo ipſius monaſterio apud Lemauſum: cujus poſſeſſiones aſſertæ ſunt anno Childeberti regis octavo in quodam placito, quod ex authentico alias [a] retulimus. Autharius ſeu Audcharius ſancti Vincentii abbas, ſuperius [b] laudatus ex litteris Vandemiris, anno XVII. Theoderici regis datis, hoc anno deceſſit, fecitque locum Waldromero abbati, notato in authentico, quod penes nos eſt, inſtrumento commutationis ab eo factæ de quibuſdam rebus in pago Mauriliaco ſitis, anno tertio regni domni Childeberti regis. Ex his intelligitur, ſancti Benedicti regulam Lemauſi monaſterio ab origine impoſitam fuiſſe, haud dubie ex imitatione Vincentiani cœnobii, cui ab ipſo principio illud ſubjectum fuit.

a Sæc. 3 parte 1. p. 610.
b ſupra n. 9.

ANN. CHR. 698. LVII.

Willibrordus Epternacenſe monaſterium condit.

* *Sure.*
* *Epternac.*

ALtero anno, quam Willibrordus Romæ a Sergio papa ordinatus fuerat, exemplo Suidberti ædificare cœpit inſigne monaſterium haud procul ab Auguſta Trevirorum ad flumen Suram *, in villa quondam regia pagi Bedenſis, quæ ad ducatum Luxemburgenſem nunc pertinet, vocabulo Eſternacum ſeu Aſternacum, quem locum recentiores Epternacum * vocant. Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum non dubitat hunc eſſe vicum Andethannam, a Sulpicio Severo memoratum in tertio dialogo de vita S. Martini, cui Treviris revertenti, & vaſtas vicinarum ſilvarum ſolitudines pertranſeunti, angelus adſtitit, eum conſolaturus, mæſtum ac dolentem, quod cum Ithacianis communicaſſet. Idem auctor putat non aliam eſſe Andaclanam villam, quam Lupus a Carolo principe, cognomine Martello, donatam ait baſilicæ S. Maximini epiſcopi Trevirenſis, cujus meritis ſanitatem receperat. Verum id parum veri ſimile videtur. ſiquidem Epternacum totum condendo monaſterio partim conceſſit Irmina, Dagoberti ſecundi, ut creditur, filia, quæ tunc Horreenſi ad muros Trevirenſes cœnobio virginum præerat: partim Pippinus, ejuſque conjux Plectrudis, qui medietatem fiſci Epternacenſis Willibrordo conceſſiſſe memorantur. Irminæ donationis litteræ a Miræo, aliiſque vulgatæ ſunt, inſcriptæ *Domino ſancto ac venerabili in Chriſto patri Willibrordo epiſcopo.* His in litteris ait Irmina, ſe inſpirante miſericordia Chriſti, conſilio virorum apoſtolicorum domni Baſini & Leotwini epiſcoporum Trevirenſium, conſenſu etiam ſororum ſuarum Chriſto ſervientium, divino reſpectu & pro remedio animæ ſuæ exſtruxiſſe baſilicas in nomine S. Trinitatis, & in honoreglorioſiſſimæ virginis Mariæ, ſeu & beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli, ceterorumve ſanctorum, in villa ſua propria, quæ vocatur Epternacus, ſita ſuper fluvio Sura, ſimulque monaſteriolum ibidem ad excipiendos monachos peregrinos, & pauperes alendos: ad quod faciendum ſe inductam dicit ob ipſius Willibrordi ſanctitatem, ac dilectionem in ſuum monaſterium. Actum Treveris kalendis Novembris, anno quarto domini ſui Childeberti regis. Subſcribunt poſt Irminam Baſinus & Leodowinus epiſcopi: quorum primus, abdicata dignitate, in monaſterium ſancti Maximini denuo ſeceſſerat; alter, ejus ex ſorore nepos, Trevirenſem epiſcopatum regebat. Huic monaſterio primus præfuit Willibrordus, uti diſcimus ex ejuſdem Irminæ teſtamento, quo quidquid habebat in Epternaco, aſſerit eidem monaſterio, cui tunc dominus & pater ſuus in Chriſto Willibrordus epiſcopus rector & gubernator præerat.

Quid beneficii Willibrordus Horreenſi parthenoni contulerit, tradit Alcuinus in

ANN. CHR. 698.

libro de vita ejus, ubi ſcribit, ſæviſſima peſte in illo monaſterio graſſante, multas ex ancillis Dei exſtinctas, alias longo infirmitatis dolore correptas, ceteras nimio terrore turbatas fuiſſe: miſſam proinde ad Willibrordum legationem, ut ad ſe veniret. qui ubi eo acceſſit, miſſa pro infirmis celebrata, aqua benedicta locum reſperſit, eamque ægrotantibus potandam præbuit. quo facto, ita convaluere omnes, ut peſtis in illo monaſterio penitus reſtincta ſit, nullaque deinceps illarum virginum ex ea perierit.

Suestrenſe itidem cœnobiũ puellarum.

Conſuluit etiam vir ſanctus ſequiori ſexui, erigendo in puellarum gratiam monaſterio. Ejus rei cauſa Pippinus princeps & Plectrudis Sueſtram villam, in pago Moſano poſitam, atque a præfluente rivo cognominatam, ſua pecunia emiſſe, ac Willibrordo dediſſe perhibentur: quo in loco vir ſanctus virginum cœnobium condidit, quod modo nobilium canonicarum collegium eſt.

LVIII. Baſini epiſcopi ſepultura ad S. Maximinũ.

Quamdiu poſt hoc tempus ſuperſtes fuerit Baſinus epiſcopus, nobis incompertum. Sepultus eſt in monaſterio ſancti Maximini apud Treviros, ibidemque ſanctus habetur. Ejus tumulus, teſte Browero, etiam nunc occurrit ad dextram ingredientibus cryptam, quæ ſub principis aræ veſtibulo latet. De Lutwino ejus ſucceſſore plura inferius. Ejus pontificatu, & forte favore ac patrocinio, ſurrexit in ea urbe celeberrimum monaſterium ſanctæ Mariæ ad-Martyres, eo in loco, ubi erectum olim capitolium ſeu palatium præfectorum palatio Galliarum, ipſorumque imperatorum, quando eos in Gallias venire contingebat: ubi etiam martyrium paſſi ſunt plurimi martyres, a quibus locus appellationem accepit, dictus etiam beatæ Mariæ ad monachos. Hunc locum in monaſticæ congregationis domicilium, virtutiſque ac litterarum ſcholam convertiſſe itidem dicitur Willibrordus auxilio Pippini principis. Vaſtatum a Normannis monaſterium, ſed denuo inſtauratum poſſident hactenus monachi Benedictini.

Monaſteriũ S. Mariæ ad Martyres.

LIX. Willibrordi ſtudium in propagando evangelio.

Interim Willibrordus prædicationis officium impigre nihilo minus exercebat, non modo in Friſia, quæ ſuæ miſſionis præcipua provincia erat, ſed etiam in Dania, in qua ob Ungendi regis ferocitatem, nullum fere fructum tulit. Dum in Foſiteſlandia verſaretur, ubi Foſitæ idolum tanto honore ab incolis habebatur, ut animalium ibi paſcentium carnibus, aliiſve rebus ibi ortis veſci, & aquam ex fonte ejus, niſi tacendo, haurire eſſet religio; ſpreta incolarum ſuperſtitione ſimulque ferociſſimi Radbodi ducis animo, qui nefandorum ſacrorum violatores atrociſſima morte punire ſolebat, tres homines in illo fonte baptizavit, ejuſque terræ animalia in cibum mactari præcepit. quo accepto, Radbodus in ſacerdotem Dei vivi ſuorum injurias deorum ulciſci ſtatuit: ſed miſſis, ut mos erat, ſortibus, nullus ex his qui cum viro ſancto erant, nedum Willibrordus ipſe, in damnatorum ſortem incidit, præter unum e ſociis, qui martyrio affectus eſt. Accitum nihilo minus dux ferociſſimus dure increpuit, cur ſacra ſua violaſſet, deoque ſuo talem feciſſet injuriam: at illius inſaniam vir ſanctus irriſit, eique veri Dei cultum perſuadere tentavit. Verum Radbodus, quamquam veritati acquieſcere noluit, eum ad Pippinum principem honorifice remiſit. Pippinus ejus reditu lætatus, eum rogavit, ut prædicationi verbi Dei inſiſtere pergeret, & idololatriæ vitiorumque reliquias, e citeriori maxime Friſia, exſtirpare conaretur. quod pius prædicator implere curavit, circumiens omnes illius terræ regiones; multiſque ad fidem adductis, eccleſias iis in locis erexit, preſbyteros & verbi Dei miniſtros inſtituit, a quibus populus recens converſus diebus feſtivis verbum Dei, ſalutareſque admonitiones acciperet, necnon chriſtianæ religionis regulas, & baptiſmi, ubi res exigeret, ſacramentum. Nec defuere novo apoſtolo miracula, quæ apud Alcuinum legere licet. In actis ſancti Liudgeri, ab Altfrido ſcriptis, dicitur Urſingus Liudgeri parens, cum filiis ac propinquis ſuis, Willibrordo adjutor fuiſſe, in quibuſcumque poterat. Ejuſdem in hac miſſione Wlframnus cooperator fuiſſe dicitur.

LX. S. Trudo moritur.

Dum hæc in Friſia ita ſe haberent, Trudo conditor monaſterii Sarchinienſis in Haſbania, extremos agebat dies. Appropinquante reſolutionis ſuæ tempore, fratres de ſuo exceſſu mærentes conſolari cœpit, eoſque paucis, ſed efficacibus verbis adhortari, ut præceptorum divinorum memores, caduca & peritura præ æternis nihili ducerent, & ad amorem ſupernæ patriæ unice ac jugiter anhelarent. Inſtante obitu, fratres ut inſtantius cum ipſo orarent poſtulavit. Tum, erectis ſurſum oculis, ſigno crucis ſe muniens, animam Deo reddidit IX. kalendas Decembris: quo

ANN. CHR. 698. die in antiquis martyrologiis fit memoria ſancti Trudonis preſbyteri & confeſſoris. Sacrum ejus corpus feretro impoſitum fratres cum ſollemni pompa detulerunt in eccleſiam ſancti Quintini martyris & ſancti Remigii confeſſoris, quam ipſe ædificaverat. Cum crebra ad ejus tumulum miracula fierent, eo acceſſit Pippinus inclytiſſimus major-domus cum conjuge Plectrude; &, comperta factorum veritate, eidem loco tradidit, quidquid in duabus villis, Ochioſala & Hamo, poſſidebat: Plectrudis vero ejus uxor altare ſancti patris argento & auro fabricari præcepit. Librum de geſtis ſancti Trudonis primus ſcripſit Donatus diaconus, ut quidem videtur, Mettenſis, eumque Angilramno archiepiſcopo (ſic tum vocabantur ob acceptum pallium nonnulli Mettenſes epiſcopi) nuncupavit. Eamdem vitam Guitkarius abbas & Theodericus monachus alio ſtilo ediderunt.

Abbates Sathinenſes. In capite quinto-decimo apud Donatum laudatur *religioſus vir Leotharius præpoſitus de cœnobio ſancti viri,* qui furtum in monaſterio factum fratribus indicavit. Erant tamen primis illis temporibus abbates monaſterii rectores. Priorum nuda tantum nomina refert Rodulfus abbas Trudonianus, qui ſæculo duodecimo ineunte chronicon ejuſdem monaſterii ſcripſit. Hi ſunt Grimo, Reiramnus, Hardebenus, Columbanus, Angelramnus, Ambroſius, Giſlebertus, Adelbodus, Hildradus, Sabbatinus, Ermenamnus, Radulfus, Ludovicus, Radbertus, & Rodegangus, quorum poſtremi duo ad ſæculum decimum pervenerunt. De aliis ſuo loco agemus. Grimo abbas prædicto monaſterio *regulariter* præerat anno quinto poſt obitum Theoderici regis, cognomento Calenſis, id eſt anno ſupra ſeptingenteſimum quadrageſimo-ſecundo, ex litteris Rotberti[a] Haſbaniæ comitis, quibus locum Dungo cum baſilica inibi conſtructa tradit baſilicæ ſancti Trudonis, *cui venerabilis abba*, inqnit, *Grimo nomine, regulariter*, id eſt monaſtice, (ſic enim loquuntur illorum temporum concilia & auctores) *præeſſe videtur.* Itaque vel Grimo primus abbas ejus loci cenſendus non eſt; aut, ſi primus, ante eum locus ille regebatur per præpoſitos: qualis fuit Leotharius ille, cujus modo meminimus. Is eſt Rotbertus dux, cujus cuſtodiæ in Haſbania commiſſus eſt a Carolo principe ſanctus Eucherius epiſcopus Aurelianenſis, de quo inferius nobis agendum erit.

a *Miræi notit.* p. 16.

LXI. Dux aut comes apud Cenomannos nullus, niſi per electionem. Non omittendum hoc loco eſt Childeberti regis[b] præceptum, anno regni ejus quarto conceſſum Herlemundo Cenomannorum epiſcopo, ut nullus dux, aut comes in illa provincia inſtitueretur, niſi per electionem ejuſdem parochiæ epiſcopi, aut pagenſium illorum vel abbatum, prout jam antea idem privilegium conceſſum fuerat a Chlothario quondam rege Childeberti patruo, & ab ava ejus Baltechilde. » Datum eſt hoc præceptum Valencianis die tertio menſis Martii, anno regni Chil- » deberti quarto; idque Wlfoleicus ſcripſit & ſubſcripſit.

b *Analect.* to. 3. p. 221.

LXII. S. Cuthberti corpus incorruptum levatur. Ad res Britannicas quod attinet, poſt undecim annos, quam ſancti Cuthberti epiſcopi corpus in Lindisfarnenſi eccleſia ſepulturæ mandatum fuerat, ejus loci fratribus viſum eſt, ut oſſa ejus, ſicut quidem putabant, arida & carne nudata, e tumulo efferrentur, & in novam arcam ſuper humum, erecto tantiſper monumento, deponerentur. Ejus rei conſilium cum Eadberto antiſtite communicant, qui tum pro ſuo more quadrageſimam ab omnium remotus conſortio, in quodam maris receſſu agebat, uti etiam quadraginta ante natale dominicum dies ibidem in magna tum abſtinentiæ, tum orationis & lacrymarum devotione ducere conſueverat. Ipſo annuente, ac jubente, ut id ipſa die ejus depoſitionis, quæ eſt tertia-decima kalendarum Aprilium, fieret; ſepulcro aperto, inventum eſt ſacrum corpus totum, quaſi adhuc viveret, integrum, & flexibilibus artuum compaginibus multo dormienti, quam mortuo ſimilius, veſtimentis etiam, quibus indutum erat, omnino illæſis. Re ad epiſcopum delata, is nova ſacro corpori indumenta, veteribus reſervatis, aptari jubet, illudque in thecam paratam reponi. Factum ut præceperat, & involutum novo amictu corpus, levique theca reconditum fratres ſupra pavimentum ſanctuarii compoſuerunt. In detectione ejus corporis, quæ anno ſupra milleſimnm centeſimo-quarto facta eſt, præter pallium, dalmaticam ex purpura, & linteamina, quibus corpus involutum erat, præterque ficones ſeu calceamenta, invenerunt pectinem eburneum, forcipes, altare argenteum, corporalia cum patena, etiam calicem, parvum quidem, ſed materia & opere pretioſum, cujus inferior pars, leonem ex auro puriſſimo habens, geſtabat dorſo lapidem onychinum, inſigni arte cavatum.

LXIII. Eadberti epiſcopi obitus. Paullo poſt venerabilis antiſtes Eadbertus gravi morbo corripitur, eoque ingra-

veſcente

Digitized by Google

ANN. CHR. 698.

veſcente nonis Maii ad Dominum migrat. Ejus corpus in ſepulcro ſancti Cuthberti poſitum, impoſita ſuperius arca, in qua incorrupta ſancti patris membra locata fuerant. Succeſſit in illam ſedem Eadfridus, qui oratorium Farnenſis inſulæ, ubi ſanctus Cuthbertus aliquamdiu anachoreticam duxerat vitam, inſtauravit, cum ſeceſſum illum incoleret Felgildus poſt venerabilem Edilwaldum, qui ſecundus a Cuthberto locum illum incoluerat. Is eſt Edilwaldus ſeu Æthelwaldus, qui poſtquam multis annis in monaſterio Ripenſi acceptum preſbyteratus ordinem condignis [a] factis conſecraverat; poſtmodum in inſula Farne poſt Cuthbertum duodecim annis in maxima vitæ puritate vixit, ibidemque defunctus eſt, ſepultus in Lindisfarnenſi baſilica ſancti Petri, juxta ſepulcra ſanctorum illius inſulæ epiſcoporum. Æthilwaldus hic diſtinguendus eſt ab alio cognomine, qui ſancti Cuthberti primum Lindisfarnæ miniſter, dein abbas Mailroſenſis, demum ad epiſcopatum Lindisfarnenſem promotus eſt, mortuus anno ſeptingenteſimo quadrageſimo, ut in continuatione Bedæ epitomes legitur. Felgildus, Edilwaldi in Farnenſi ſeceſſu ſucceſſor, tertius ejuſdem loci & militiæ ſpiritualis heres, major ſeptuagenario, cum venerabilis Beda Cuthberti hiſtoriam ſcriberet, in magno funiræ vitæ deſiderio præſentis finem tum exſpectabat. Is cum vultum rubore ac tumore deformem gereret, primo id quodcumque deformitatis erat contemnens, demum veritus, ne creſcente infirmitate ſolitariam deſerere vitam, & communem repetere cogeretur; aqua contactu pelliculæ, quæ deceſſori ſuo Edilwaldo uſui fuerat, ſacrata faciem lavit, ac totum illum tumorem hoc modo ſanavit, magno indicio ſanctitatis Edilwaldi, qui vivens tempeſtatem maris, teſte Beda, oratione jam ſedaverat.

Edilwaldus & Felgildus anachoretæ.

[a] Beda lib. 5. c. 1.

LXIV. Drithelmi raptus & viſio.

[b] Id. ibid. c. 13.

Cum Æthilwaldus alter Mailroſenſi monaſterio præeſſet, res mira in provincia Northanimbrorum contigiſſe [b] traditur. Erat in ea regione quidam paterfamilias, religioſam cum domo ſua vitam ducens. Is morbo graviſſimo ad extrema perductus, demum ſub noctis initium animam exhalaſſe creditus eſt: ſed diluculo reviviſcens, ac repente ſe erigens, adſtantes immenſo timore perculſos in fugam convertit, una excepta uxore, quæ ejus amore perſiſtere duravit. quam ille conſolatus eſt his verbis: Ne paveas, inquit, quia jam vere e morte excitatus ſum, & inter mortales denuo vivere permiſſus: ſed longe alia quam prius, longeque diſſimilis mihi vitæ ratio ineunda. Statimque ſurgens abiit ad illius villulæ oratorium, ibique uſque ad multam lucem in oratione perſiſtens, mox omnem, quam poſſidebat, ſubſtantiam in tres diviſit portiones, unam conjugi, alteram liberis ſuis tradens, tertiam ſibi retinens, quam ſtatim egenis diſtribuit. Nec multo poſt, ſæculi curis abſolutus, Drithelmus, ſic enim vocabatur, ad Mailroſenſe monaſterium, quod Tuidi fluminis circumflexu maxima ex parte clauſum erat, ſe recepit, acceptaque tonſura in ſecretum locum permiſſu abbatis receſſit, ibique uſque ad obitum in tanta mentis & corporis contritione perduravit, ut multa illum vel horrenda, vel deſideranda vidiſſe, etiam ſi lingua ſileret, vel ignorantibus vita loqueretur. Hoc autem modo viſa narrabat, nempe ſe duce quodam lucidi & clari adſpectus, primo perductum fuiſſe contra ortum ſolis ſolſtitialem, ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ vero longitudinis, quæ ex una parte flammas ferventes, ex altera omnia furenti grandine ac frigore perflata præferebat; utrimque vero infinitos homines, qui ex una in aliam partem viciſſim raptabantur. Tum in locum horrendis circumfuſum tenebris progreſſo ſubito apparuiſſe crebros tetrarum flammarum globos cum intolerabili fœtore e quadam abyſſo aſſcendentes, eodemque rurſum decidentes, eoſque plenos animabus hominum, quæ inſtar favillarum fumo permiſtarum, nunc ad altiora projicerentur, nunc retractis ignium vaporibus relaberentur in abyſſum. Cum vero is eo in loco a ſuo duce ſolus dimiſſus eſſet, ſubito ſibi adſtitiſſe dæmones, qui ipſum in hanc tartaream abyſſum pertrahere conabantur. Verum ſibi in his anguſtiis conſtituto opportune denuo adfuiſſe ſuum ducem, qui vultus ſplendore mox tetros illos ſpiritus fugaverit. Eum vero converſo contra ortum ſolis brumalem itinere, ſe tenebris exemtum in auras ſerenæ lucis ducere cœpiſſe, qui locus muro permaximo & immenſo, abſque ulla porta vel feneſtra, cinctus erat, multa florum fragrantia & luce perfuſus, in quo innumera albatorum hominum multitudo, agminumque lætantium ſedes videbantur. Verum procedentibus longe majorem affulſiſſe lucem cum majori etiam odoris fragrantia: ubi jubilantium voces audiebantur. Cum vero ſe in ejus loci amœnitatem intraturos ſperaret, repente ducto-

[ANN. CHR. 698.] rem ſubſtitiſſe, & ipſa qua venerant via greſſum reflexiſſe uſque ad ſedes illas ſpirituum candidatorum. Tum ſibi dixiſſe: Vallem illam, quæ prima ſibi conſpecta fuerat, locum eſſe, in quo examinantur & caſtigantur illorum animæ, qui ſcelerum confeſſionem & emendationem ex alio in aliud tempus differentes, in ipſo tandem mortis articulo ad pœnitentiæ remedium confugiunt, & ſic de corpore exeunt, non ante diem judicii ad regnum cælorum perducendi, niſi precibus viventium, eleemoſynis & jejuniis ante liberentur. Puteum vero illum flammivomum ac putidum ipſum eſſe os gehennæ, ex quo nullus umquam evaſurus ſit. Locum autem illum floriferum eſſe eum, in quo recipiuntur animæ eorum, quæ in bonis quidem operibus e corpore egreſſæ, non tantæ ſunt tamen perfectionis, ut in regnum cælorum ſtatim introduci mereantur, ſed tantum poſt judicii diem. nam quicumque in omnibus perfecti ſunt, mox de corpore egreſſos ad regnum cæleſte pervenire, quod quarto illo continetur loco, ubi cantus dulciſſimi auditi. Illuc demum ipſum perventurum, ſi ad mortalem vitam reverſus rectius vitam ſuam inſtitueret. Drithelmum hæc referentem ſæpius audiverat Hemgilſus preſbyter ac monachus, ex cujus relatu Beda id accepit: qui Hemgilſus, Beda hæc ſcribente, in Hibernia inſula ſolitarius, extremam vitæ ætatem pane cibario & frigida aqua ſuſtentabat. Eadem etiam Drithelmus narravit Aldfrido regi, cujus commendatione in Mailroſenſe monaſterium admiſſus eſt. Erat vero cella, in qua ſeorſim degebat, poſita ſecus flumen, in cujus aquas, etiam rigidiſſima hieme, aliquando ad lumbos, nonnumquam ad collum uſque ſe immergebat, indeque rigentibus aliquando veſtibus procedebat; mirantibuſque dicebat, ſe longe frigidiora & auſteriora, quam quæ patiebatur, vidiſſe. Sic ad diem uſque mortis ſuæ jugi cæleſtium bonorum deſiderio corpus ſenile inter quotidiana jejunia domabat. quæ res multis ad ſalutem æternam profuit.

[LXV. Adamnanus recipit & prædicat ritus Romanos.] Tunc temporis Adamnanus Scottus legatione functus eſt ad Aldfridum Northanimbrorum regem. Ignota legationis cauſa. Is eſt Adamnanus ſeu Adomnanus abbas monaſterii Hiienſis ſeu ſancti Columbæ in confinio Hiberniæ & provinciæ Pictorum, Albus cognominatus, qui libros tres de vita ſancti Columbæ abbatis ſcripſit. Poſt Columbam locum rexere Baitheneus, Segeneus ſeu Segienus, & Failbeus, cui Adamnanus ſucceſſit. De hoc Segeneo mentio eſt in epiſtola cleri Romani ad Hibernos, eidemque Ereneus ſeu Irenæus ille, *famoſus per omnes Scotiæ eccleſias*, quædam a Columba de ſe ipſo prædicta enarraſſe perhibetur in libro primo de vita ſancti Columbæ: ubi Adamnanus Failbeum deceſſorem ſuum laudat. Miſſus ad Aldfridum Adamnanus, *abbas & ſacerdos Columbienſium egregius*, ad Wiremuthenſe monaſterium divertit, cui tunc Ceolfridus abbas præerat: qui, perſpecta Adamnani religione, humilitate, & prudentia, eum ad Scoticos ritus abjiciendos, recipiendoſque Romanos, adduxit, uti Ceolfridus ipſe in epiſtola ad Naitonum regem [b] teſtatur. Adamnanus itaque, mente mutata, reverſus in patriam, primum Hiienſes ſuos, eidemque monaſterio ſubditos adhortatus eſt ad emendandas conſuetudines ſuas: at, cum nihil proficeret, in Hiberniam trajecit, ibique plurimos [b], & pene omnes, qui ab Hiienſium dominio liberi erant, cum Brittonibus etiam nonnullis ab avito & inolito errore correctos ad unitatem catholicam reduxit. Demum, celebrato in Hibernia canonico paſchate, denuo ad ſuos reverſus, cum eis iterum catholicam paſchalis feſti obſervationem nequiquam inculcaſſet; ante expletum anni circulum e ſæculo migravit: ſicque factum eſt, ut vir, unitatis & pacis ſtudioſiſſimus, ante ad vitam æternam raperetur, quam, recurrente paſchali ſollemnitate, graviorem cum ſuis de ejus celebratione altercationem habere cogeretur. Idem libros tres de locis ſanctis deſcripſit, dictante Arculfo epiſcopo Gallo, qui cum Petro eremita, e Gallia itidem orto, in illas partes profectus fuerat. Hi libri a Beda [c] laudati, & partim in ejus inſerti hiſtoria, emendatiores a nobis alias [d] recuſi ſunt, cum itinerario Bernardi monachi Galli, in quibus multa ſcitu digna leguntur. Adamnanus pro ſancto habetur IX. kalendas Octobris, eumque inter præclaros Scoticæ gentis patres, morumque magiſtros cum Patricio, Cherano, Columbano & Congallo Alcuinus in quodam epigrammate laudat. Colitur & alius

[Alter Adamnanus.] Adamnanus, itidem Scottus, VI. kalendas Januarii, monachus cœnobii Coludienſis, cui ſancta Ebba abbatiſſa præerat, amita Egfridi regis; quæ ſanctimonialis habitum ab antiſtite Wilfrido acceperat. Ibidem Adamnanus iſte degebat, devotiſſimam

a *Beda lib. 5. c. 22.*

b *ibid. c. 16.*

c *ibid. & ſeqq.*

d *Sæc. 3. parte 2. p. 502.*

in ſumma continentia & orationibus vitam ducens, nihil umqnam [a] cibi vel potus, excepta die dominica & feria quinta, percipere ſolitus. Idem Ebbæ abbatiſſæ ejus monaſterii prædixit incendium.

ANN. CHR. 698.

a Beda lib. 4. c. 25

LXVI. Aldhelmi abbatis epiſtola de Paſchæ celebratione.

b Aldhelm. epiſt 44 inter Bonifacianas.

Eodem tempore Althelmus ſeu Aldhelmus abbas Maldunenſis, vulgo Malmeſburienſis, epiſtolam ſcripſit Gerontio regi, ſimulque cunctis Dei ſacerdotibus per Domnoniam, occidentalis Britanniæ regni provinciam, converſantibus, ut eos itidem ad catholicum paſcha cum Romana tonſura ſuſcipiendum adduceret. Hanc vero epiſtolam [b] ſcripſit juſſu cujuſdam concilii epiſcoporum, quod ex tota Britannia recens congregatum fuerat. Et primo quidem Brittones illos Aldhelmus hortatur ad eccleſiæ catholicæ unitatem, & chriſtianæ religionis concordiam, ſine quibus fides otioſa torpeſcit, & merces futura fatiſcit. Nihil quippe prodeſſe quævis bonorum operum emolumenta, ſi extra catholicam gerantur eccleſiam, etiamſi quis actuoſam rigidæ converſationis regulam ſub diſciplina cœnobii ſtrenue exerceat, aut in ſqualida ſolitudine, remotus a ceterorum contubernio mortalium, contemplativam anachoreſeos ducat vitam. Tum ſubdit ſibi compertum eſſe, illius provinciæ ſacerdotes in eccleſia Chriſti grave & crudele ſcandalum fovere, cum tonſuram ſancti Petri apoſtolorum principis rejiciunt, & in celebranda ſacroſancta paſchali ſollemnitate Nicænorum patrum regulam minime ſectantur. Illorum vero pertinaciam eo uſque progredi, ut ultra Sabrinæ fluminis fretum Demetarum ſacerdotes, de privata converſationis ſuæ gloriantes munditia, Romanorum communionem ſic abominentur, ut nec in eccleſia cum eis orationum officia celebrare, nec ad menſam cibos ſimul percipere dignentur: quin immo epularum reliquias, a Romanis relictas, canibus & porcis devorandas projiciant, vaſcula quoque & phialas eorum aut arenis abſcondant, aut flammis expianda purgandaque immittant. Denique non ſalutationem, non oſculum eis præberi, nec manus aut pedes eis lavari. Sed ſi quis ex eis ad ipſorum partes cohabitandi gratia profecti fuerint, non prius ad conſortium ſodalitatis ſuæ admitti, quam quadraginta dierum pænitentiam peregerint. Eos vero fruſtra ſibi de patrum & anteceſſorum exemplo & ſanctitate, immo & de fide ſymboli blandiri: cum beati Petri apoſtolorum principis, Nicænorumque patrum auctoritas cunctis præferenda ſit; & fruſtra & inaniter de catholica fide glorietur, qui dogma & regulam ſancti Petri non ſectatur.

ANN CHR. 690.

LXVII. Bonitus abdicat epiſcopatum

c Petrus Dam. ep. 9. & 10.

INſequens annus Boniti epiſcopi Arvernenſis receſſu inſignis fuiſſe creditur. Abdicandi epiſcopatus cauſa, non quod traditionem eccleſiæ de manu laïca, id eſt regia, accepiſſet, ut Petro [c] Damiani viſum eſt; ſed erratum ejus duplex fuit, nempe & quod germanus germano, & quod vivus vivo non ſine munere ſuffectus fuiſſet. Antequam id e ſequeretur, celebratiſſimum Dei famulum Tillonem, cognomento Paulum, conſulere ſtatuit, qui tum in Sollemniacenſi prope Lemovicas *ſymnione*, id eſt monaſterio, verſabatur. Falluntur qui vocabulum *ſymnionem* nomen proprium eſſe putant cujuſdam monaſterii, cui Tillo præfuerit, quem nuſquam abbatem fuiſſe conſtat. Sollemniacum profectus ſanctus antiſtes, a fratribus miro cum gaudio atque officioſiſſime ſuſceptus eſt. Conſultus ab eo Tillo reſpondit, nihil melius eſſe, quam, quod temere contra ſancta canonum inſtituta uſurpatum fuiſſet, declinando poſtponi ac dimitti. quod ille brevi poſt tempore exſecutus eſt. Sollemniaci die dominica cum moraretur, eum rogaverunt fratres, ipſis ut miſſarum ſollemnia celebraret. Aſſenſit, miniſtrante ſibi diacono venerabili patre Adelphio, tunc levita, poſtmodum Bobonis abbatis in Magnilocenſis cœnobii regimine ſucceſſore: a quo cum infirmus quidam Sollemniacenſis frater aquam, ex qua ſanctus pontifex manus abluerat, accepiſſet, ea hauſta repente convaluit. Huic nomen erat Auderamnus: cujus exemplo alter, vocabulo Natolenus, febrium vexatione liberatus eſt. Ejuſdem meriti opem ſenſit quædam inſulæ Britanniæ mulier, Blanda nomine, oculorum lumine orbata: quæ a quibuſdam peregrinis admonita, ut Boniti epiſcopi precibus ſe commendaret, facta oratione, ſubito lumen recepit. Tum illa, relicto proprio ſolo, ad ſervatorem ſuum accedens, ab eodem commendata eſt abbatiſſæ ſuburbani Rubiacenſis * monaſterii, quæ ipſius fratris, an ſororis filia erat: ubi, cum aliquamdiu degiſſet, ad patrium ſolum remeavit.

* de Royac.

Nodobertus ejus ſucceſſor

Reverſus Arvernos Bonitus, virum induſtria ingenioque excellentem, ac nobili genere clarum, Nodobertum nomine, ſucceſſorem ſibi dari ſummopere optavit:

ANN CHR. 900.

LXX. Veſontionenſes canonici reformantur per noſtros Luxovienſes.

In monaſterio Luxovienſi poſt Ingobertum Waldeberti ſucceſſorem Cunctonus, (corruptum nomen) Ruſticus, Sayſarius & Adonus ejus loci abbates recenſentur. Prioris ſeu præpoſiti officium geſſit Adonus, priuſquam ad abbatialem dignitatem promoveretur. Eo præpoſito res contigit memoria digna. Tanta Felicis epiſcopi vel incuria, vel pravo exemplo, in canonicos Veſontionenſes irrepſerat licentia, ut ex piis ſacrilegi, & ex clericis demum milites evaſiſſent. Nec rerum melior ſtatus ſub Tetradio antiſtite. Sed tandem Deus illius cleri miſeratus errores, juvenem quemdam clericum, Albonem nomine, qui aliorum flagitiis non ſe immiſcuerat, excitavit, ut ad evitandum propudioſæ ejuſmodi vitæ naufragium in Luxovienſe monaſterium ſe reciperet. Acceptus perhumaniter a loci abbate ac fratribus, brevi totam ſacræ religionis inſtitutionem hauſit, facile in ſacrum illum cœtum perpetuo adoptandus, niſi divina eum conſilia ad propriam eccleſiam revocaſſent. Ægre igitur a Luxovienſibus miſſus, ubi ad ſuos rediit, Tetradius, tyranni potius, quam epiſcopi dignus nomine, inter venandum ab apro percuſſus moritur; eidemque Albo omnium ſuffragiis ſufficitur. Is adeptus pontificatus officium, canonicos adhortatur, ut emendandis moribus, ſanctioris vitæ inſtitutum, quod apud Luxovienſes didicerat, ſectarentur. At ſurdis cantum. Tum videns Albo ſe nihil proficere, abbatem Luxovienſem, forte Sayſarium, conſulendum cenſuit. Adjutor pii operis ei conceſſus Adonus præpoſitus. Ambo qua precibus ac blandimentis, qua minis ac terroribus, rebelles ad officium revocare conantur. Verum illi neutro modo emolliti, etiam ad convicia & contumelias prorumpunt. Demum alterutra propoſita conditio eſt, ut aut regulæ inſtitutis obſequentes regulariter viverent, aut loco tandem cederent. Quatuor tantum ex illis placuit prima conditio, aliis ad latas ſæculi vias ire permiſſis. Sic reſtituta eſt in illo collegio eccleſiaſtica diſciplina, agente in primis Adono, qui, conſummato tam pio opere, ad propria reverſus eſt, brevi abbas ſui monaſterii futurus: cujus ſucceſſores enumerantur, ſed nudis nominibus, Arulfus, Rendinus, Ragnebertus, Gerardus, Ratto, Willicrannus ſeu Wikeranus, & poſt eos Mellinus, qui a Sarracenis cæſus eſt.

LXXI. Medericus abbas Æduenſis.

Non longe ab eo tempore aberat haud ſatis exploratæ ætatis Medericus abbas, in urbe Ædua nobilibus parentibus procreatus. Admiſſus in ejuſdem urbis monaſterium, ſancti Martini potius, quam Symphoriani, ubi quinquaginta-quatuor monachi degebant, tantæ fuit in primis abſtinentiæ, ut ſingulis hebdomadis nonniſi bis, pane quidem hordeaceo & aqua reficeretur, ſub vulgari fratrum habitu cilicium gerens. Abbas factus multos ad ſe trahebat. Monachus quidam tentatione pulſatus, induta ejus tunica, protinus liberatus eſt. Alter vagus, acceptis viri Dei eulogiis, id eſt pane ab eo benedicto, ad ſanam mentem rediit. Poſt paullum Medericus ſolitudinis amans, deſertum locum petiit, ibique in privatam cellulam ſe recluſit. Cella ſancti Mederici modo appellatur locus ille, ſex paſſuum millibus ab urbe diſtans. Verum deſideratus a ſuis, epiſcopi juſſu in proprium monaſterium reverti cogitur. Ab eodem ſacerdos ordinatus, hortante Frodulfo miræ ſanctitatis viro, quem e ſacro fonte a ſe ſuſceptum ipſe ſanctis moribus inſtituerat, Luteciam Pariſiorum orationis cauſa proficiſcens, in cœnobio pagi Brigenſis, vocabulo Campellis*, quod modo ſæcularium canonicorum collegium, infirmitate detentus eſt. Morbo perſeverante, ſuſceptum iter nihilominus perſequitur, ac Miliduni ad Sequanam carceratos omnes precibus ſolvit. Alia miracula in itinere ab eo patrata. Pariſios ubi venit, in ſuburbana ſancti Petri cellula ſubſtitit, ibique poſt duos annos ac menſes novem cum morbo, tum longæva ætate confectus, finem vitæ ſortitus eſt IV. Kalendas Septembris, quo die ejus memoria in ſincero Uſuardi Martyrologio notatur; ſepultus in eodem ſancti Petri oratorio, quod poſtmodum in inſignem ejus nomine canonicorum parœcialem eccleſiam converſum eſt. Sacrum ejus corpus, agente Theodeberto loci ſacerdote, juſſu Gozlini epiſcopi Pariſienſis, eodem die recurrente, e tumulo elatum eſt anno ſupra octingenteſimum octogeſimo-quarto, atque in decentiori loco compoſitum. Exſtat in ſuburbio Campellenſi parochialis eccleſia ſub titulo ſancti Mederici.

* Champeaux.

LXXII. Vodoalus recluſus Sueſſione.

Sueſſionicum ſanctæ Mariæ cœnobium, poſt Ætheriam primam loci abbatiſſam, rexit Hildegardis, quam alii Adalgardem vocant. Ejus tempore iſtuc ſe recepit Vodoalus Scottus, qui ex patrio ſolo in Galliam una cum Magneberto ſocio trajecit. Suſceptus eſt cum omni caritatis officio a venerabili abbatiſſa, quæ illi ante

Iiii iij

ANN. CHR. 700.

portam monaſterii juxta murum civitatis hoſpitiolum aſſignavit, quod etiam nunc Turris-Sancti-Benedicti (alio quippe nomine Benedictus dictus eſt) appellatur. Ob amiſſam lancem increpitus, peregre profectus, tentato fruſtra in patriam reditu, tandem Sueſſionas reverſus eſt. Incendium ab eo non ſemel reſtinctum. Mortuus humatur in baſilica ſanctæ Crucis. Ejus nomen in litaniis [a] Carolinis invocatur cum ſancto Leodardo, qui in eodem monaſterio eodem fere vixit tempore, cujus vita ignoratur. Sancti Vodoali geſta litteris mandavit ineunte ſæculo decimo ſcriptor anonymus poſt auctorem antiquiorem, cujus hiſtoriæ volumen, Lugduno-clavato depoſitum, cum aliis ſchedis periiſſe dicitur. Sancti Vodoali tumulus cum tumulo ſancti Drauſii ſeu Drauſcionis epiſcopi hactenus viſitur in baſilica ſanctæ Mariæ, qui tumuli videntur eſſe primorum illius urbis chriſtianorum, quorum proinde figuram in æs inciſam hoc loco exhibere viſum eſt. Olim pugiles, duello dimicaturi, ad tumulum ſancti Drauſii, in precibus pernoctare ſolebant, ut duelli exitum Deo commendarent. Teſtis hac de re Johannes Sariſberienſis in epiſtola CLIX. aliique, quos videſis in notis eruditiſſimi Cangii ad Alexiadem, & in hiſtoria [b] beatæ Mariæ Sueſſionenſis per noſtrum Michaëlem Germanum. Juxta hos duos tumulos cernitur tumulus ſancti Leodardi ſeu Leudardi, qui in eodem monaſterio vixiſſe traditur.

a Analect. to. 2. p. 684.

b Hiſt. N. D. p. 84. & ſeq.

LXXIII. Sacerdos ex abbate Calobrenſi Lemovicenſis epiſcopus.

Ex Lemovicenſium epiſcoporum ſucceſſione intelligimus, Sacerdotem hoc tempore Calobrenſi monaſterio abbatem præfuiſſe, non tempore Chlodovei ſenioris, ut ejus vitæ ſcriptor parum accuratus opinatus eſt. Superius actum de Ermeno epiſcopo, qui ſanctum Tillonem Sollemniacenſem monachum ſepulturæ mandavit. Ejus ſucceſſores memorantur Salutaris, Agericus, ac tertio loco Sacerdos, de quo nunc agimus. Erat is [c] nobilis Aquitanus ex Calobro vico, a puero traditus Capuano epiſcopo Cadurcenſi, ut ab eo in diſciplina chriſtiana & litteris inſtitueretur. Ordinatus ab eo levita, in Calobrum cœnobium ſe recepit, ubi quadraginta monachi verſabantur. Poſitum erat hoc monaſterium inter fines Cadurcenſium & Petrocoriorum, non longe a fluvio Dordoniæ. Poſt vitæ monaſticæ annos circiter ſeptem, ad preſbyteratus ordinem promovetur. Mortuo abbati ſuffectus, monaſterii baſilicam vetuſtate collabentem inſtauravit. Labano patri ſuo, abſque viatici communione defuncto, vitæ inducias ad communicandum impetraſſe dicitur. Poſt mortem Agerici beatæ memoriæ Lemovicenſis epiſcopi, vir Dei electione cleri & favore populi in ſedem ejus eccleſiæ ſublimatur, eamdemque eccleſiam per aliquot annos ſanctiſſime adminiſtravit. Morte imminente, ad natale ſolum vicum Calobrum regredi ſtatuit, eo in loco cupiens ſepeliri, ubi primum lucis uſuram & religionis rudimenta acceperat. In itinere Argentaci febre interceptus, deceſſit III. nonas Maii, dato diſcipulis mandato, ut corpus ſuum in Calobrum monaſterium ſepeliendum deportarent. Naviculæ impoſitum ſuper Dordoniæ alveum dum Calobrum effertur, ejus mater amiſſum lumen oculorum recepiſſe traditur. Mundanæ nomen erat, quæ poſtmodum ad filii ſepulcrum martyr occubuiſſe dicitur. Quod intelligendum de Sarracenis, qui octavo ſæculo procedente in illas partes debacchati ſunt.

c Labbeio 2. bibl. p. 663.

LXXIV. Sarlatenſe monaſterium.

Caroli Magni principatu inſtauratum eſt monaſterium ſancti Salvatoris Sarlatenſe: cujus loci monachi, vicum Calobrum jam pæne in ſolitudinem redactum videntes, ſancti Sacerdotis ac ſanctæ Mundanæ ejus matris reliquias, noctu inde ſublatas, in ſuum monaſterium tranſtulerunt. Quo primum tempore conditum ſit ſancti Salvatoris monaſterium Sarlatenſe, vetera monumenta minime nos docent.

S Savini monaſterium Levitanum.

Æque obſcura eſt prima origo monaſterii ſancti Savini diœceſis Tarbeienſis in Levitania ſeu Levitana valle, haud longe a Gavo fluvio, quod monaſterium ſancto Savino non modo appellationem debet, ſed etiam originem. Erat is Barcinone [d] oriundus, cujus propinquus fuiſſe dicitur Eutilius, comitivæ Pictavenſis adminiſtratione clarus. Ad eum cum Savinus ſe contuliſſet, uni ex gemellis ejus filiis perſuaſit, ut monaſticam vitam amplecteretur in monaſterio quondam ſancti Martini Locogiaco, ubi etiam ipſe tribus fere annis converſatus eſt. Dein ſolitudinis amore cum uno ſocio verſus Pyrenæos montes iter aggreſſus, Bigorritanam * civitatem ingreditur: ubi Fronimium abbatem cum paucis reperit monachis, quicum ad montana ſimul profectus eſt. Invento loco arido atque prærupto, Fronimius abbas ad ſuos reverſurus, Julianum & Silvanum diaconos Savino miniſtros & coadjutores adjunxit. Hoſpitio condito, Savinus in cellulam ſe recluſit, quæ antri inſtar longa tantum ſeptem pedes, quinque alta erat: ubi per annos circiter tredecim permanſit,


d Ibid p. 666.

* Tarbes.

622a
2-77 (2)
Vol I

Digitized by Google

TUMULUS S. VOI



TUMULUS S. D




To. 1. Annal. Bened. inter pag. 622
et 623. ad num. LXXII.

DOALI CONF.



RAUSCII EPISC.



Digitized by Google

ANN. CHR. 700.

una contentus tunica, *vili gunella ſuperjecta, ſago pellium ſubſtrata*, cetera nudipes. Demum obiit VII. idus Octobris incerto anno, ſepultuſque eſt in Levitania, in loco, qui alias Æmilianum-palatium vocabatur, ad montis radices poſitum. Ibidem accrevit monaſterium, ejus nomine ac reliquiis celebratum, quod a Sarracenis everſum poſtea Ludovicus auguſtus reſtituit: ſed poſt à Nortmannis iterum deſtructum, Raimundus comes ſæculo decimo inſtauravit.

LXXV. S. Severi monaſterium Ruſſitanenſe.

In eadem diœceſi extat ſancti Severi monaſterium Ruſſitanenſe, loco amœno, olim Albiciaco dicto, qui a Pyrenæis montibus quatuor tantum leucis abeſt. De auctore monaſterii & origine, quæ ſæculo ſeptimo contigiſſe creditur, nulla nobis certa ſuppetit cognitio. Patronum agnoſcit ſanctum Severum confeſſorem: ſed quis ille ſit, non omnino exploratum. Forte is eſt Severus preſbyter urbis Beorretanæ ſeu Bigorritanæ, Gregorio [a] Turonenſi epiſcopo laudatus, qui in prædio ſuo Sexciacenſi duas eccleſias ædificaſſe, ac reliquiis communiiſſe traditur, in quarum una ſepulturam ipſe elegit: ubi annuo lilii efflorescentis miraculo ſepulcrum ejus illuſtratum fuiſſe idem auctor [b] tradit. Proſtratum a Sarracenis, uti cetera Vaſconiæ monaſteria, ſancti Severi monaſterium tradunt, quod ſæculo undecimo Centullus, Bigorræ comes, Richardo Maſſilienſi ſancti Victoris abbati in melius reſtituendum commiſit. quod etiam nunc perſtat ſub Benedictina congregatione ſancti Mauri.

[a] *Greg. Tur. de gl. conf. c.* 10

[b] *ibid. c.* 51.

LXXVI. Anonymi teſtamentum pro monaſterio pagi Vilcaſſini.

Sub finem hujus ſæculi conditum exiſtimo teſtamentum cujuſdam viri illuſtris ac præpotentis, cujus authenticum exemplar, in charta Ægyptiaca exaratum, hodie quoque aſſervatur in monaſterio Dionyſiano, ſed initio mutilum, ubi nomen teſtatoris cum notis chronologicis adſcriptum erat, atque nomen monaſterii, in cujus gratiam hoc teſtamentum præcipue factum eſt. Teſtator genitricem habebat Iddanam ſeu Iddam, conjugem Chramnetrudem. Monaſterium hoc ſolo internoſcimus, quod ſitum eſſet in pago Vilcaſſino; eſſentque in eo plures baſilicæ, quas *ſanctas baſilicas* teſtator paſſim vocat. Multas eidem monaſterio poſſeſſiones legat, pleraſque in pago Vilcaſſino; alias in pagis Ebrocino, & Stampenſi. Ad hæc Turiliacum villam pagi Vilcaſſini, poſitam ſuper fluvium *Intine*, donat *baſilicæ ſancti domni Dionyſii Pariſius, ubi ipſe domnus requieſcit*. Præter ea dat quoſdam ſervos baſilicæ ſancti Martini, quam monachi ſuperioris illius monaſterii Vilcaſſini conſtruxerant *in villa Chrauſobaco* ſeu *Calciaco*, ubi ſepulturam ſuam teſtator elegerat prope germanos ſuos, qui jam illic conditi erant. Inſuper dulciſſimæ atque amantiſſimæ conjugi ſuæ Chramnetrudæ legat Artegiam villam pagi Vilcaſſini, ubi hoc teſtamentum conditum eſt. quæ villa proinde præcipua teſtatoris poſſeſſio erat. Denique *ſacratiſſimo fiſco* tradit ejuſdem pagi villam, vocabulo Wadrelocum, cum omnibus ad eam pertinentibus. quæ omnia ſatis ſuperque arguunt, teſtatorem virum illuſtrem ac præpotentem fuiſſe. Ex ſubſcribentibus ſola nomina reſtant integra Medualdi & Boboleni, qui ſe authenticum exemplar vidiſſe, ac ſubſcripſiſſe teſtantur.

Incertum eſt quo in loco monaſterium illud, de quo in hoc inſtrumento agitur, ſitum fuerit, an Artegiæ *, quæ villa tum inſignis erat, plures habens appendices, an apud Calvi-montem *, ubi habetur nobilis cella, olim abbatia, ſanctorum Petri & Pauli cum aliis eccleſiis, quas *ſanctas baſilicas* teſtator forte dixerit. Turiliacus * ſeu Turiliacum villa eidem Calvimonti proxima eſt ſuper quemdam amnem & lacum, qui non alius eſt a fluvio *Intine* hic memorato. Villa Chrauſobacus ſeu Calciacus, ubi cella ſancti Martini conſtructa erat, videtur eſſe villa *Chauſy*, ubi hactenus prioratus habetur, Fontanellæ monaſterio ſubjectus, Calcegius dicta in vita ſancti Anſberti ex abbate Fontanellenſi archiepiſcopi Rotomagenſis, qui inde oriundus erat. Hæc omnia poſita ſunt in decanatu Calvimontenſi Vilcaſſini pagi, quem Francicum vocant; præter Calciacum, quæ villa ſita eſt in Vilcaſſino Nortmannico, & quidem in decanatu Magniacenſi, uti & villa Artegia, ubi prædictum inſtrumentum conditum eſt.

* *Arti.*

* *Chaumont.*

* *Toury.*

LXXVII. Ermentrudis matronæ teſtamentum.

Aliud præclarum ejuſdem generis monumentum ex archivo item Dionyſiano a nobis editum eſt ad calcem Liturgiæ Gallicanæ, nempe teſtamentum illuſtris matronæ Ermentrudis, ſub idem tempus conditum, quo inter alia legat *baſilicæ ſanctæ Crucis vel domni Vincentii* apud Pariſios cochlearia argentea decem; Dionyſianis vero *fratribus ad menſam*, id eſt ad altare, *baſilicæ ſancti Dionyſii lectaria par unum*, & *veſtimenti* ſui *pariclum unum* dari præcipit. Similiter *baſilicæ domni Georgii* apud Calam donat vineæ pedaturam unam in villa Tauriniaco *. Ad hæc multa concedit

* *Torigny.*

ANN. CHR. 700. *baſilica ſancti Sinſuriani*, an Symphoriani, in qua bonæ recordationis filius ipſius Deorovaldus requieſcit. In primis huic baſilicæ pro devotione ſua, & reqnie Deo-
» rovaldi filii ſui tradit frenum valentem ſolidos duodecim, & caballum ſtratum, &
» carrucam, id eſt currum, in qua ſedere ipſa conſueverat, cum bobus currum ipſum
» trahentibus; & lectaria cum omni ſtratura ſua. Ex quo intelligitur, olim matronas
a Greg. Tur. lib. 3. c. 26. etiam illuſtres curru bobus juncto vehi ſolitas. quod ex Gregorio a Turonenſi epiſcopo confirmatur, teſtante, Deuteriam, Theodeberti primi Francorum regis uxorem,
» filiam ſuam, ne a rege concupiſceretur, in baſterna poſitam, indomitis bobus con-
« junctis, de ponte Virdunenſi præcipitaſſe. Huc etiam ſpectat canon quartus-decimus concilii Vernenſis, Pippino regnante habiti. Ad hæc Ermentrudis eidem baſilicæ S. Sinſuriani (ſic enim conſtanter ubique habet) quædam largitur, unde *oblata* jugiter ad Sacrificium quotidianum ibidem miniſtrentur; ejuſque rei gratia Walacharium quemdam ex ſervo ingenuum facit, ea conditione, *ut ligna tantum ad oblata faciendum miniſtrare procuret*. Huic baſilicæ eadem matrona legat villam Latiniacum, ſitam in territorio Meldenſi. Latiniacum-Siccum vocant ad diſcrimen alterius Latiniaci, ſiti in pago Pariſienſi. Exſtat in eodem pago Boniſiacus * vicus, cujus eccleſiæ item quædam hæc matrona donat. in his pariculum veſtimenti *fratribus* ejuſdem loci. quod argumento eſt, monachos eo in loco tunc exſtitiſſe, forte ubi modo canonici regulares degunt. Hoc teſtamentum conditum eſt *Pariſius*, eique poſt Ermentrudem ſubſcribit Mummolus comes, Scupilio ſpatarius, Munigiſilus, & Baudacharius defenſor, qui magnates erant, probantque Ermentrudem nobiliſſimæ ſtirpis fuiſſe. Nepotes habuit, forte fratris aut ſororis filios, Bertegiſilum & Bertericum, nurum Bertovaram, quam puto conjugem fuiſſe Deorovaldi filii ſui, quem recens exſtinctum luget, cujuſque gratia hoc teſtamentum illa videtur condidiſſe. Initio præmiſſæ erant notæ chronologicæ, quæ, ut in ſuperiori teſtamento, mutilæ ſunt in authentico, quod in papyro Ægyptiaca itidem ſcriptum eſt. Hæc ſancti Sinſuriani baſilica, quæ Pariſius ſita fuiſſe dicitur, nobis ignota eſt. Sunt qui conjiciant prædictam ſancti Sinſuriani baſilicam eſſe ædiculam ſancti Symphoriani, quam beatus Germanus Pariſiorum antiſtes baſilicæ ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii in urbis ipſius proſpectu adjunxit. Et baſilicam quidem illam ſancti Sinſuriani Pariſiacis matrona hæc adnumerat; verum baſilicæ nomen tribui non ſolet ejuſmodi oratoriis; nec tanta bona uni ædiculæ tribuiſſet pia illa matrona, præ ipſa ſanctæ Crucis baſilica, cui decem tantum cochlearia legat.

* Bonxy.

LXXVIII. Dionyſiani archivi apologia. Dolendum ſane eſt, præclara id genus inſtrumenta mutilata eſſe, ſive ex injuria temporis omnia exedentis, ſive ex fragilitate materiæ, in qua ſcripta erant, ſive ex incuria eorum, qui hæc aſſervanda & cuſtodienda receperant. Sed tamen fatendum eſt multum deberi percelebri ſancti Dionyſii monaſterio, ex quo plurima id genus monumenta, pleraque integra, quædam mutila, accepimus. Eſt etiam ſuus his reliquiis honor, ſua fides & auctoritas. Ex unius aliquando nominis revelatione magna rei hiſtoricæ lux affulget. Fuere aliquando qui omnia id generis inſtrumenta nihili facerent: quos inter Daniel Papebrochius, Societatis Jeſu eruditus preſbyter, archivum Dionyſianum in primis traduxerat. Ejus rei cauſa opus de re diplomatica ſcribere aggreſſus ſum, in quo falſis regulis veras oppoſui, quibus vera ac ſincera inſtrumenta ſecernerentur a falſis, ſic genuinorum partes ſuſtinens, ut adulterina rejicerem. Multi, veri ac ſinceri amantes, manus dedere veritati, ex quibus Papebrochius ſcriptis ad me litteris ultro ſententiam ipſe ſuam, quæ optimi viri modeſtia eſt, emendare non erubuit. Hanc ejus epiſtolam non magis ad cauſam noſtram, quam ad auctoris bonam fidem & modeſtiam commendandam, huc referre viſum eſt, Antuerpiæ datam die viceſima Julii, paullo poſt editum opus de re diplomatica, id eſt anno ſexcenteſimo octogeſimo-tertio ſupra milleſimum, dum in Germaniam profectus eram. ſic vero ille ad me.

Tandem Pariſios pervenit ſarcina, cui ante menſes aliquot commiſeram vitam ſancti Gerardi Bronienſis, petitam a reverentia veſtra: quam licet audiam nunc peregrinari, poſtquam tamen utcumque evolvi opus veſtrum de re diplomatica, non poſſum tamen celare fructum, quem inde retuli. Fructus autem hic eſt; quod mihi in mea de eodem argumento octo foliorum lucubratiuncula nihil jam amplius placeat, niſi hoc unum, quod tam præclaro operi, & omnibus numeris abſoluto, occaſionem dederit. Idque his ipſis fere verbis profitebor in præfatione ad conatum meum chronico-hiſtoricum de Romanis

ANN. CHR. 700.

manis pontificibus, qui eras ad prælum dabitur. quod facere nolui, prinſquam ex veſtro libro notaſſem, quid corrigere circa ipſorum bullas deberem, ad reſtituendam ſan- Dionyſiano archivio æſtimationem ſuam, quam læſiſſe videor, ſecutus Launoii judicium. Ceterum non poſſum ſatis mirari, quomodo res tanta a vobis potuerit tam brevi tempore confici, quantulum ab edito Aprili noſtro ad annum milleſimum ſexcenteſimum octogeſimum-primum fluxit. In uno alterove puncto non videor ſatis fuiſſe intellectus, vel potius ipſe locutus obſcurius. nam neque abſolute dicere volui, IN NOMINE PATRIS ET FILII *inchoari omnia Caroli & deceſſorum regum diplomata; ſed ea ſolum, quæ invocationem habent; aliud ſcilicet nihil tunc curans, quam ut ab antiquioribus, quale prætendebatur eſſe Horreenſe, amolirer invocationem* SANCTÆ & INDIVIDUÆ TRINITATIS. *Secundo nec per ſomnium quidem cogitavi negare uſum diuturniorem Ægyptiæ papyri, jam pridem perſuaſus, chartam lineam a Gallis & Belgis, ipſiſque Germanis, non alia ex cauſa vocari* papier*, quam quia Ægyptiæ papyro ſucceſſerit. Lineam autem ſciebam recentioris eſſe inventionis: ſed illam poſſe vocari* eſcorce d'arbre, *& a Doubleto ſic vocari, peregrinum valde mihi accidit. Verum quid hæc ad tam multa, in quibus me recte accuſas, & corrigit reverentia veſtra? cui hoc nomine, magis quam unquam antea, obligor, tantum abeſt ut quidquam ægre feram. Initio quidem lectionis, fateor, patiebar humanum aliquid: ſed mox ita me rapuit ex utiliſſimo, ſolidiſſimeque tractato argumento proveniens oblectatio, & gratus emicantis ubique veritatis fulgor, cum admiratione tot rerum hactenus mihi ignotarum, ut continere me non potuerim, quin reperti boni participem ſtatim facerem ſocium meum patrem Baertium. Tu porro, quoties res tulerit, audacter ſectare, quam totus in tuam ſententiam iverim, meque, ut facis, perge diligere, qui quod doctus non ſum, doceri ſaltem cupio.*

Hactenus viri eruditiſſimi ac modeſtiſſimi epiſtola, quam retuliſſe hoc loco viſum eſt operæ pretium ad reſtituendam archivo Dionyſiano, cujus inſtrumentis ſæpe utimur, fidem & auctoritatem. Non uno in loco eumdem animi ſenſum prodit vir doctus, in his, præter locum ab ipſo aſſignatum, modeſtam laudat probatque circa vetera diplomata cenſuram Petri Franciſci ᵃ Chiffletii, qui, ſi qua occurrunt interpolata diplomata, (quod *perraro* ſibi plurimarum eccleſiarum archiva revolventi deprehenſum aſſerit) id priorum temporum ſimplicitati magis, quam nequitiæ adſcribendum cenſet: quibus temporibus jus verum & jam partum, cujus tabulæ vetuſtate, aliove caſu periiſſent, hoc pacto tueri ſibi licere perſuaſum erat.

ᵃ Junii to. I. p. 686. col. 2.

LXXIX. S. Fridiani Lucenſe monaſterium inſtauratum.

Sub hunc annum in Italiæ civitate Lucca inſtauratum eſt ſanctorum Vincentii & Fridiani monaſterium a Faulo majore-domus Flavii Cuniperti Langobardorum regis, cujus hac de re diploma in hujuſce voluminis appendice referemus. Conditum eſt hoc diploma ad ſuggeſtionem ipſius Fauli, qui res quaſdam ac decimas eidem monaſterio contulerat, confirmante Felice ejus civitatis epiſcopo, ea conditione, ut nec ipſe Felix, nec ipſius ſacerdotes quidquam ex illa donatione umquam ſubtraherent. Hanc donationem ratam habuit rex Cunipertus, cujus diploma inſcriptum eſt, *Monaſterio ſancti Vincentii & ſancti Fridiani, ſito in civitate Lucenſi, & venerabili viro Babino abbati vel monachis ejus. Datum Ticini in palatio, nona die menſis Novembris, anno feliciſſimi regni* Cuniperti *nono, per indictionem quintam-decimam.* forte tertiam-decimam, quæ melius anno regni ejus nono reſpondet. Meminit hujus monaſterii ſuo in teſtamento Walprandus epiſcopus principatu Aſtulfi regis.

LXXX. Regula Magiſtri examinatur.

Antequam hunc librum claudamus, juvat agere de regula Magiſtri, quæ ſæculo ſeptimo haud dubie ſcripta eſt. Conſtat capitulis nonaginta-quinque, plurimum ex regula ſancti Benedicti, ſed haud nominato auctore, paſſim de verbo acceptis. Incertus auctor, quem non alio quam ſub Magiſtri nomine laudare ſolent etiam veteres, Benedictus Anianæ abbas in Concordia regularum, & Smaragdus in commentario ſuper regulam ſancti Benedicti. Gallum fuiſſe probant *majoris-domus*, aliaque vocabula, Gallis tum familiaria. Argumento eſt id quod ait de vagis monachis, qui dicebant ſe *advenire ex partibus Italiæ.* Ceterum nulla ejus regulæ mentio apud exteros ante Trithemium, qui eam Vigilio diacono perperam tribuit. An hæc umquam in ullo Gallicano monaſterio uſui fuerit, incertum. Certe ejus exemplaria rara ſunt, & forte nulla, præterquam in bibliothecis monaſteriorum Corbeienſis & Floriacenſis, ubi eam obſervatam non fuiſſe conſtat. Corbeienſis codex, quadratis exaratus litteris, Romanorum pontificum catalogum in fine habet, deſinen-

ANN. CHR. 700. tem in Johanne ſexto, qui anno ſeptingenteſimo primo ſedere cœpit. quem catalogum una cum alio antiquiori, qui in Vigilio deſinit, in tomo tertio Analectorum jam a me editum, propter quædam typographica errata in Appendice hic recudere viſum eſt. Nec plura ſcimus de hujus Regulæ auctore, qui quidem multa obſervatu digna habet; at quædam haud ſatis gravia ſubinde admiſcet. quale eſt id, quod capite XXIII. præſcribit, ut, omnibus ad ſuas menſas ante refectionem ſtantibus, *caniſter ſupra menſam abbatis pendens trochlea fune deſcendat, ut à cælo videatur operariis Dei annona deſcendere.* quale eſt item illud, quod de micis reſervatis, & de patella ex eis coquenda eodem capite & XX. ſtatuitur. Quæ tamen non impediunt, quo minus hæc Regula cum fructu legi poſſit.

Priora decem ejus regulæ capita de rebus moralibus agunt: reliqua de variis mo-
a Cap. 15. nachorum officiis ac ritibus. Durum eſt quod ſtatuitur [a] in contumaces, ut *cuſtoditi uſque ad necem cædantur virgis*, aut de monaſterio expellantur. Laïcos ſæculares
b Cap. 24. in monaſterium admittit hæc regula, ſed regulam ipſam coram eis legi [b] prohibet: ut ſecretum monaſterii, vel menſuræ vitæ ſanctæ, conſtitutæ in diſciplinam, ab irriſo-
c Cap. 26. ribus non ſciantur. Duo pulmentaria cocta [c] ad refectionem cum ſancto Benedicto concedit *omnibus menſibus*. quæ lectio convenit cum vetuſtis pleriſque regulæ noſtræ exemplaribus, ubi alia præferunt, *omnibus menſis*. Lector dominica die ad menſam lecturus, ſumebat *merum propter ſpatum ſacramenti*, ad mentem ſancti Benedicti, qui lectori *mixtum propter communionem ſanctam* concedit: ne inter legendum aliquid exſpueret de ſacra communinne, quam eo die perceperat. Ad cænam nonniſi poma cum libræ panis quarta parte reſervantur. Pueri a Magiſtro admittuntur, quibus minor cibi ac potus menſura, quam aliis datur. Quod ex cibo & potu abſti-
d Cap. 28. nentium reliquum erat, pauperibus erogari lex jubet. Monachi viatores [d] non jejunabant a paſcha ad octavum diem ante kalendas Octobris: ſed ab eo die ad paſcha feria quarta, ſexta, & ſabbato ante veſperam eis reficere non licebat. Omni tempore, extra quadrageſimam, a jejunio excipiebatur feria quinta ob memoriam aſ-
e C. 25 & 45. cenſionis dominicæ. In eccleſiis ſæcularibus vox *Alleluia* [e] tantum ad pentecoſten, in monaſteriis ad epiphaniam continuata dicitur. Eadem jejuniorum religio erat
f Cap. 41. octo diebus ante natale [f] Domini, atque in quadrageſima. Singulis ſabbatis vigiliæ
g Cap. 49. [g] a veſpera ad ſecundum galli cantum protrahebantur, conceſſo ſomno tantum poſt matutinos, quos Laudes modo appellamus. Diebus etiam dominicis in quadra-
h Cap. 53. geſima [h] non cænabatur: ſed tantum cæna in prandium mutata. Die ſancto paraſceves, qui vel ſemel reficere voluiſſent, non permittebantur ea die ſuſcipere communionem ſanctæ euchariſtiæ, quæ in majore patena vitrea tum aſſervabatur. Quippe olim in triduo ante paſcha omnes communione ſacra participabant. Non
i Cap. 78. ultra biduum [i] hoſpes in monaſterio otioſus manere poterat; poſt biduum cum aliis
k Cap. 81. laborare debebat. Staminea [k] ſingulis monachis ad tunicam adjecta. Sacerdotes [l]
l Cap. 83. in monaſterio patres appellabantur ob ſacerdotii honorem. Caſas ſeu prædia mo-
m Cap. 86. naſterii [m] locari præceptum erat, ut omnem caſæ ſollicitudinem, ac vicinorum lites conductor ſæcularis in ſe ſuſciperet. Novitio laïco non mutabantur veſtes, nec tonſura conferebatur ante annuam probationem, ut in regula ſancti Benedicti. Morti
n Cap. 93. proximus [n] abbas ſucceſſorem deſignabat: deſignatus pro electo habebatur, moxque
o Cap. 94. ordinabatur. Si vero abbas ſubito mortuus [o] eſſet non deſignato ſucceſſore, judicio pontificis diœceſani & cleri accerſendus erat ex alio monaſterio abbas ſanctiſſimus, qui, poſt triginta dierum moram in illo monaſterio, ubi abbas inſtituendus erat, quem ceteris religione ſuperiorem obſervaſſet, hunc abbatem deſignaret, præmiſſo per ſacroſancta evangelia ſacramento, ſe a nullo promiſſis vel adulationibus eſſe redemtum, ſed una Dei cauſa adductum, ut eum ceteris præferret. Electo ſtatim Regula tradebatur in manus, & pallium morituri vel mortui abbatis: tum ad oratorium deductus novus abbas, Regulam ſuper altare ponebat, factaque oratione oſculabatur genua ſacerdotis, qui pro eo preces cum congregatione fecerat; erectuſque dein ad pacem, officialibus monaſterii pacem, & claves cellerario dabat. Poſtea in deceſſoris ſui cathedra collocabatur: ubi omnes ejus genua oſculabantur. Denique novus abbas oſculabatur genua prioris. Quod ſi abbas, qui moriturus credebatur, ſupervixiſſet, honorem priſtinum recipiebat: novus vero nihil ſibi de conceſſo honore uſurpabat: ſed tamen in diptycho monaſterii nomen ejus inſcribebatur, iſque ſecundus poſt abbatem in congregatione cenſebatur. *Unde ex illa die*,

quaſi jam ſpiritalis cæſar deſignatus, ſecus abbatem ſedebat, & in omnibus abſentis agebat vices abbatis. Ultimum caput eſt de oſtiariis monaſterii, quos Magiſter duos ſenes eſſe præcipit ad mentem ſancti Benedicti. Tempore lectionis & divinorum officiorum, *ſeratis regiis* ſeu portis, utriſque cum congregatione adeſſe debebant. Iidem curam habebant animalium, quæ in monaſterio alebantur. qui ſenes, pro *honore ætatis*, cum abbate reficiebant. Denique omnia neceſſaria intra monaſterium habebantur: ne, ſi pro his fratres foras egredi cogerentur, a ſæcularibus *pro angelis* adorarentur, & benedictionem dare compellerentur, tamquam ſancti, quales ſe non reputare deberent: aut per irriſionem infidelium in publico vileſceret *ſanctus habitus.*

ANN. CHR. 700.

Antequam hanc Regulam dimittamus, juvat expendere, quid variis in locis Magiſter de ſacra communione præſcribat. In primis capite XXI. agit de modo, quo hebdomadarii coquinæ communicare debeant. Pace accepta, cum abbas communionem accepiſſet, hebdomadarii illi e coquinæ miniſterio evocabantur. Tum illi, lotis manibus, poſt brevem orationem, data ſoli abbati pace, *erecti communicent*, inquit Magiſter, *& confirment; & item orantes modicum, lente eis verſu dicto, abbas compleat.* Dehinc ad ſuum miniſterium revertebantur. Obſervandum primo eſt, quod miſſæ ſacrificio integro non intererant. Nonnihil ſimile præſcriptum videtur in Regula Pauli & Stephani abbatum, a Benedicto Anianenſi & Smaragdo, necnon ab Agobardo laudata, in cujus articulo XIII. legitur: *In hora, qua ſanctum Domini corpus & ſanguinem Domini communicaturi ſumus, præſentes eſſe feſtinemus ad dicendum, Libera nos a malo.* Neque id ex defectu reverentiæ in ſacram euchariſtiam fiebat, ut ex verbis ſequentibus intelligitur: *Omnino cavendum eſt, ne ſanctum Domini corpus & ſanguinem indigne ad judicium ſumamus.* Deinde Magiſter addit, ut hebdomadarii *erecti communicent.* quod perinde videtur eſſe ac *ſtantes:* quo ritu Græci etiam nunc communicant. At in Regula Donati epiſcopi Veſontionenſis pro Juſſanenſibus ſanctimonialibus ſtatuitur, *ut quando ad communionem altaris accedunt, ter ſe humilient.* Poſt hæc ſubditur a Magiſtro, ut communicati *confirment*, ſive *confirmentur;* ſcilicet ſanguinis Domini perceptione, ut intelligitur ex Ordine Romano, in quo hoc verbum eo ſenſu accipitur. Denique abbas, illis communicatis, *verſu dicto complebat*, id eſt poſt antiphonam, quæ poſtcommunio dicitur, collectam ad complendum proferebat. Poſt hebdomadarios, communicabat præpoſitus, *& poſt eum ſingillatim decada ſua.* dein alter præpoſitus itidem cum ſua; & poſtmodum alii, ſi major fuiſſet congregatio. hæc ex capite XXII. Cetera quæ lectoris communionem, & quæ communionem in triduo ante paſcha ſpectant, ſuperius retulimus. Hæc de Regula Magiſtri, & de rebus ſæculi ſeptimi ſatis.

INDEX
DUPLICIS APPENDICIS SEQUENTIS.

IN APPENDICE PRIMA.

I. APOLOGIA *miſſionis ſancti Mauri in Galliam.*
II. *Diſſertatio de Gregorii Magni monaſtico inſtituto.*
III. Lettre de M^r^. de Barcos abbé de S. Cyran à M^r^. de Gouſſainville, touchant le monachiſme de ſaint Gregoire le Grand.

IN APPENDICE SECUNDA.

I. *Pauli diaconi & monachi Caſinenſis homilia de ſancto patre Benedicto.*
II. *Libellus metricus de fundatione, & primis abbatibus ſancti Eugendi.*
III. *Obſervationes de genere ſancti Benedicti.*
IV. *Notitia de agris, qui ſunt in pago Lugdunenſi.*
V. *Diſquiſitio de Regula & monaſterio Tarnatenſi.*
VI. *Ex præfatione Liturgiæ Gallicanæ de miraculis beati Remigii.*
VII. *Vita ſancti Teuderici abbatis Remenſis.*
VIII. *Epiſtola Meſiani de viſione ſanctorum Auguſtini & Ermetis.*
IX. *Donationes ſancti Germani, factæ monaſterio ſancti Vincentii Pariſienſi.*
X. *Concordia Bethræ cum monaſterio ſancti Vincentii Cenomannenſi.*
XI. *Verſus Eugenii epiſcopi Toletani de baſilica ſancti Æmiliani.*
XII. *Præceptum Chlotharii II. pro monaſterio ſancti Dionyſii.*
XIII. *Diplomata duo Dagoberti pro ſancto Dionyſio.*
XIV. *Præceptum Chlodovei regis.*
XV. *Donatio facta monaſterio Moiſiacenſi.*
XVI. *Dagoberti diploma pro monaſterio Reſbacenſi.*
XVII. *Johannis Papæ IV. privilegium pro ſanctimonialibus ſanctæ Mariæ in Gallia.*
XVIII. *Ejuſdem privilegium pro monaſterio Luxovienſi.*
XIX. *Privilegium Annemundi epiſcopi Lugdunenſis pro monaſterio ſancti Petri.*
XX. *Confeſſio cujuſdam Genechiſeli.*
XXI. *Hymnus de ſancta Adilberga abbatiſſa ſanctæ Faræ.*
XXII. *Præceptum Childerici regis pro monaſterio Senonienſi.*
XXIII. *Præcepta tria Chlotarii III. pro monaſterio ſancti Dionyſii.*
XXIV. *Vigilii epiſcopi fundatio ſanctæ Mariæ Autiſiodorenſis.*
XXV. *Privilegium Numeriani archiepiſcopi Trevirenſis pro ſancto Deodato.*
XXVI. *De monaſterio Hamenſi.*
XXVII. *Miſſa de ſancta Balehilde & de ſancta Radegunde.*
XXVIII. *Compoſitio inter archiepiſcopum Remenſem & epiſcopum Sueſſionenſem, de monaſterio Orbacenſi.*
XXIX. *Privilegium monaſterii Graſellenſis.*
XXX. *Præceptum Theoderici regis pro Tunſionis-valle.*
XXXI. *Charta Reoli archiepiſcopi Remenſis pro parthenone Gangiaci.*
XXXII. *Teſtamentum Anſberti epiſcopi Æduenſis.*
XXXIII. *Quomodo per annum jejunandum ſit.*
XXXIV. *Charta Gammonis de parthenone Lamauſtrenſi.*
XXXV. *Teſtamentum cujuſdam viri illuſtris.*
XXXVI. *Diploma Cuniperti regis pro monaſterio ſancti Fridiani Lucenſis.*
XXXVII. *Tres indices antiquiſſimi Romanorum pontificum.*

APPENDIX PRIMA

TOMI PRIMI ANNALIUM BENEDICTINORUM.

In qua Apologia miſſionis ſancti Mauri, & Diſſertatio de Gregorii Magni monaſtico inſtituto continentur.

I.

APOLOGIA MISSIONIS SANCTI MAURI Monachorum Benedictinorum in Galliis Apoſtoli. Ad lib. 7. num. 16.

Auctore domno THEODERICO RUINARTO.

Diſſertationis hujus occaſio.

ANTIQUA Traditio eſt ab ipſis Ordinis noſtri incunabulis ad nos uſque inviolate deducta, beatum Maurum ab ipſo ſancto patre Benedicto in Gallias miſſum fuiſſe. Hæc una erat omnium omnino ſententia, tam veterum quam recentiorum, cujuſlibet nationis aut ordinis auctorum unanimi conſenſu recepta, quam nemo umquam impugnare tentaverat ante annos abhinc plus minus triginta, quo tempore nonnullis viſum eſt eam in dubium revocare. Prima ejus rei occaſio fuit Breviarii Pariſienſis nova editio, quam cum accuratam omnino vellet illuſtriſſimus Pariſiorum archiepiſcopus Franciſcus Harlæus, congregatis viris aliquot eruditione ſacra & pietate illuſtribus, eis maxime injunxit, ut diligenter examinarent omnia, ac potiſſimom lectiones ex ſanctorum actis excerptas, quæ in nocturnis officiis legi ſolent, ne res aliqua incerta aut dubia in hanc Breviarii editionem admitteretur; & ſi quid ejuſmodi antea irrepſiſſet, penitus expungeretur. Hoc examen ſubiere, & ex eo ſalvæ & incolumes evaſere ſancti Mauri abbatis lectiones, quæ ejus in Galliam miſſionem a ſancto Benedicto factam exponebant. Etſi enim in ejus acta quidam intruſi ſint nævi, qui nonnullas viris doctis difficultates faceſſebant; non tamen tanti viſi ſunt, ut hujus Traditionis auctoritatem, tot ſæculorum & illuſtrium ſcriptorum conſenſu roboratam, elevare deberent. Ita res tunc ſe habuit.

Verum cum paucis abhinc annis nova Breviarii Pariſienſis facienda eſſet editio, denuo ad limam revocatæ ſunt ſanctorum lectiones, ut ſi quid forte non ſatis accuratum in priori editione ſubrepſiſſet, in hac emendaretur. Hinc ſancti Mauri miſſio trutinam iterum ſubiit, & ſi non validius, certe acrius a nonnullis impugnata, qui magno argumentorum molimine eam penitus evertere in animum induxerant. Hæc controverſia illuſtriſſimo archipræſuli Ludovico-Antonio de Noaliis, qui paullo poſt ad ſacrum purpuratorum Patrum ordinem ſummo omnium plauſu evectus fuit, non levis momenti viſa eſt; neque indigna, quæ in frequenti eruditorum virorum conſeſſu coram ſe pertractaretur. Auditis utrimque rationibus, cenſuit prudentiſſimus Archipræſul nihil novandum eſſe, ſed ſtandum Traditioni receptæ ab eo tempore, quo ſancti Mauri corpus in diœceſim Pariſienſem allatum fuerat.

Finitas ea de re controverſias hoc pacto exiſtimabamus, nec nobis animus erat ſcripta hoc de argumento noſtra in lucem edere, ne lites ſerere videremur. At paullo poſt accepimus nonnullos, nihil nobis tale cogitantibus, adhuc contra hanc Traditionem muſſitare, ſcripta clanculum diſtribuere, commentarios etiam in exteras regiones tranſmittere, modis denique omnibus conari viros doctos ad ſuas partes pertrahere. Quin & deprehendimus non defuiſſe aliquos, qui affirmarent, nos ipſos, qui palam & privatim hanc Traditionem propugnaveramus, mutaſſe ſententiam. quod diſerte aſſeruerunt Calviniani miniſtri in Bataviam profugi, quorum unus, inter alios celebris, ſcripſit in Hiſtoria eccleſiaſtica nuper edita, ſe id certo relatu reſciviſſe. unde occaſionem arripuit Eccleſiæ catholicæ inſultandi, quaſi fidem ſuam novaret: quippe quæ ſanctos aliquot, & quidem celeberrimos, quos diu coluerat, nunc demum perſonatos & fictitios eſſe agnoviſſet; atque ut dictis ſuis fidem faceret, in exemplum attulit ſanctum Maurum, quem ab eccleſia Gallicana ſollemni decreto e ſanctorum albo expunctum fuiſſe affirmat; quin etiam ipſos aſſenſiſſe Benedictinos, qui eum ſui in Gallia inſtituti primarium propagatorem hactenus habuerant.

Verum quamquam haud credibile videbatur, ut viri eruditi his commentis fidem præ-

berent, nonnulli tamen, quibus aliò intentis ejuſmodi controverſias accurate examinare non licet, ant certe non libet, de ſancti Mauri Miſſione in Gallias dubitare cœperunt, ſatis ad id ſuſpicandum eſſe rati, quod hæc hiſtoria a quibuſdam impugnatetur. Ex his fuiſſe videtur erudirus vir, qui in Vitis Sanctorum a ſe nuper editis de beato Mauro agens, cum initio declaraſſet, ſe nolle in hanc controverſiam deſcendere, quæ inter homines doctos circa ſancti Mauri miſſionem ab annis paucis exorta eſt; in decurſu tamen operis ita in partem negantem declinavit, ut de ea vix dubitare videatur. Cum itaque hanc opinationem latius ſerpere animadverteremus, ei occurrendum duximus, & receptam a tot ſæculis Ordinis traditionem propugnandam, ne forte neglecta novatio pro conceſſa haberetur. Id vero præſtitum a nobis diſſertatione peculiari, anno proxime elapſo ea de re Gallico idiomate edita ſub titulo Apologiæ Miſſionis ſancti Mauri, monachorum Benedictinorum in Francia apoſtoli, quam eminentiſſimo Cardinali Noallio Pariſienſium archipræſuli nuncupavimus.

Cum vero hanc controverſiam in Annalibus Benedictinis fuſius perſequi non fineret inſtituti ratio, Apologiam ipſam latine redditam, huc in appendicem referri hiſtoriæ Benedictinæ ſtudioſis haud ingrarum fore putavimus: ſic tamen, ut contractis, quandoque etiam reſectis, quantum fas fuit, rebus minus neceſſariis, a nimia prolixitate abſtineremus. Hinc quæ in decem capitula, multaſque ſectiones, in Gallicana editione diſtincta erant, hic in duas ſolummodo partes dividere viſum eſt, additis numeris ad evitandam confuſionem. In priori parte argumenta referentur, queis ſtabiliri poteſt atque confirmari antiqua Ordinis noſtri circa Miſſionem ſancti Mauri in Gallias traditio; in altera vero objecta diluentur, quæ a noſtris adverſariis in hanc Traditionem congeſta ſunt ab eo tempore, quo eam impugnare cœperunt.

PARS PRIMA.

Sancti Mauri in Gallias miſſio indubitatis argumentis aſſeritur.

S. Mauri celebritas.

1. SI quis in hiſtoria eccleſiaſtica ita hoſpes eſt, ut neſciat; aut adeo pervicax ut negare velit, Maurum aliquando exſtitiſſe, qui beati Benedicti diſcipulus fuerit; eum ad Gregorii Magni, cujus auctoritatem verbis extollere ſuperfluum eſt, dialogos amandare ſatis ſit. Ibi enim inveniet libro 2. capite 3. *Romanæ urbis nobiles ac religioſos* pleroſque viros, audita beati Patris fama, ad ſolitudinem Sublacenſem *concurriſſe*, non modo ad viſendum novum illum Eliſeum, ſed maxime ut ei *filios ſuos omnipotenti Deo nutriendos* commendatent. Ex illis duo fuere inter ceteros illuſtres, Eutychius ſcilicet, ac Tertullus patricius, quorum prior Maurum, alter Placidum *bonæ ſpei ſuas ſoboles* beato Patri obtulerunt. At Maurus, ut proſequitur ſanctus Pontifex, etſi *junior, cum bonis polleret moribus*, non multo poſt *Magiſtri cœpit adjutor exſiſtere*. Vide quanta fuerit diſcipuli hujus virtus, ut adhuc *junior* tanti patris judicio dignus fuerit habitus, ut ceteris præponeretur, veluti tanti magiſtri adjutor. Et quidem paullo poſt, cum Gotthus quidam converſus, vir ſimplex, ferrum inſtrumenti, quo ad exſtirpandas vepres utebatur, in aquam labi incaute ſiviſſet, ad Maurum accurrit, pœnitentiam pro illato damno accepturus. Aliud profert ſanctus Doctor beati Mauri virtutis & meriti argumentum; quod ſcilicet ipſe ſolus cum beatiſſimo patre ſuo dæmonem videre potuerit ſub pueruli nigri ſpecie, monachum quemdam ab oratione retrahentem.

At nihil adeo Mauri ſanctitatem commendavit, quam celebre illud, & poſt Petrum inuſitatum, ut Gregorii verbis utar, miraculum, quo ad patris ſui vocem Placidum e periculo ſubmerſionis liberaturus, elatus obedientiæ pennis ſuper aquas, quaſi ſuper ſolidum pavimentum cucurrit. Piget referre, ne dicam refellere contortam viri docti interpretationem in hunc locum, quem ita teddit, ut miraculum, a ſancto Doctore tantopere celebratum, omnino elevet & enervet, ſic exponendo, quaſi Maurus patris imperio ad eripiendum ex aquis Placidum natando acceſſerit. Hæccine res mira illa eſt, quam Gregorius *poſt Petrum apoſtolum inuſitatam* dicit, ut Maurus *ſuper aquas*, quaſi *ſuper terram* neſciens cucurrerit? an vero perinde eſt natare, ac pedibus ſiccis aquas calcare? Sed vide acutam hujus interpretationis emendationem. Scilicet primo quidem Maurus natando ad Placidum accurrit, ne Deum tentare videretur: at Deus calcabiles ſub ejus pedibus aquas poſtea fecit, quod miraculum eſt a Gregorio laudatum. Huc vel ipſum interpretem judicem appello, ſi modo ad Gregorii verba paulliſper attendere velit. Tantum abeſt ut Maurus de natando cogitaverit, ut, teſte Gregorio, ne quidem de aquis cogitaverit, niſi poſtquam in ſolidam terram reverſus, retro reſpiciens, ſe ſuper aquas cucurriſſe obſtupuit. Parcat vir doctus, ſi ab eo tam rigide tanti miraculi rationem exigo. Hæc ſunt quæ de Mauro beati Benedicti diſcipulo narrat Gregorius. quæ ſane eum in rerum natura exſtitiſſe ita probant, ut nemo ſanæ mentis id inficiari poſſit.

2. Haud minus certum eſt, Maurum unum, quiſquis ille fuerit, Glannafolii in Andecavenſi pago, monaſterii Abbatem aliquando fuiſſe, ejuſque corpus ſæculo nono in monaſterium Foſſatenſe, duabus circiter ab urbe Pariſiorum diſſitum leucis, allatum fuiſſe, ob metum Nortmannorum, qui tum Gallias depopulabantur. Certe Florus, Uſuardus, aliique veterum Martyrologiorum ſcriptores, ſancti Mauri in pago Andecavenſi abbatis memoriam celebrant die xv. Januarii; ejus vero tranſlationis ſæculo nono factæ hiſtoriam is ipſe Odo abbas ſcripſit, qui ejus præcipue fuit auctor & miniſter. Unde cum nemo hactenus id in dubium revocaſſe viſus ſit, ſatis eſt ad aſſeren-

APOLOGIA S. MAURI.

APOLOGIA S. MAURI.

dam Mauri diſcipuli ſancti Benedicti in Gallias miſſionem, ut evincamus, hunc ipſum alium non fuiſſe a Mauro abbate Glannafolienſi, cujus corpus ſæculo nono e pago Andecavenſi in monaſterium Foſſatenſe re ipſa tranſlatum eſt. quod ſane præſtabimus, ſi traditionem ea de re hodie in noſtro Ordine receptam, ad beati Mauri ætatem, ſingula intermedia tempora percurrendo, inviolate deducamus. quod ut ſine aliqua confuſione fiat, totum illud temporis intervallum duas in partes diſtinguere juvat: quarum prima tempùs a noſtra ætate uſque ad ſæculum nonum complectetur; altera vero totum illud temporis ſpatium, quod ſæculum nonum præceſſit, ad ipſum beati Mauri tempus comprehendet. Utrumque ſimul invicte probaret vita ejuſdem ſancti ab Odone abbate edita, ſi ejus admitteretur auctoritas; at cum illud ſit inter nos & adverſarios noſtros præcipuum controverſiæ caput, de quo inferius plura ſingillatim dicturi ſumus, hoc argumentum fuſius perſequi in præſens nihil jovat.

I.

Sæculi IX. auctores & qui poſtmodum floruere miſſionem S. Mauri agnoverunt.

1. Gallicanam ſancti Mauri miſſionem ſæculo nono cognitam & pro indubitata habitam fuiſſe teſtis eſt omni exceptione major Adrevaldus monachus Floriacenſis, qui, ipſomet monente, vixit ſub Ludovico Pio imperatore atque librum ſuum regnante Carolo Calvo conſcripſit. Hic vero non ex occaſione ſolummodo, aut aliud agendo, de Miſſione ſancti Mauri in Galliam egit, ſed eam data opera fuſius expoſuit, & omnes omnino ejus circumſtantias quatuor continuis capitibus accurate deſcripſit, quas, uti teſtatur, ex ipſa ejuſdem ſancti vita a Fauſto illius itineris ſocio ſcripta acceperat.

2. Alter ejuſdem rei teſtis eſt non minoris auctoritatis Amalarius, paullum Adrevaldo antiquior. Is in ſupplemento ad libros de divinis officiis, quod tomo ſecundo veterum Analectorum Mabillonianorum editum eſt, laudat locum ex vita ſancti Mauri per Fauſtum compoſita, in quo dicitur vir ſanctus, in monaſterio Fontis-rogi prope Autiſiodorum Galliæ urbem conſiſtens, felicem beati patris ſui Benedicti exitum cognoviſſe. Porro eo majoris eſſe debet ponderis Amalarii auctoritas, quod certum eſt monachum eum numquam fuiſſe. Scripſit autem ante productam ab Odone vitam ſancti Mauri; & quidem cum, eo ipſo teſte, varias Italiæ plagas diſcendi cauſa peragraverit, hanc vitam ibi videre potuerat, priuſquam in Gallias delata eſſet. Sopplementum vero, quod hic laudamus, virorum doctorum judicio, Amalarii ſincerus eſt fetus, utpote quod ipſius ſtylum & ingenium omnino ſapit, & ſub ejus nomine à viris eruditis Thomaſio, Lanceloto, aliiſque, nemine reclamante, prolatum eſt. Immo ſi quis ob hoc ſolum illud Amalario abjudicare velit, quod in eo vita ſancti Mauri laudetur; nihil, aut certe parum ejus antiquitati detrahet, cum Ademarus, ootus auctor, qui ſæculi undecimi initio vivebat, ſe illud deſcripſiſſe ex vetuſto codice, proinde annorum ſupra centum, teſtatus ſit.

3. His ſæculi noni teſtibus jungi poſſent chartæ aliquot ejuſdem ævi, nempe à Ludovico Pio, aut ejus filio Carolo-Calvo datæ, in quibus Maurus Glannafolienſis abbas ſancti Benedicti diſcipulus appellatur, & ab eo in Gallias miſſus dicitur. Ex his celebre eſt Ludovici Pii præceptum, quod à Clariſſimo viro Stephano Baluzio editum, Carolus Cointius Oratorii Gallicani preſbyter in Annalibus Francicis, aliique viri eruditiſſimi in aliis operibus, laudarunt & illuſtrarunt. Verum cum ejuſmodi inſtrumentorum primaria archetypa videre non licuerit, nec infitiari debeamus aliquot menda in exempla quæ ſuperſunt irrepſiſſe; viſum eſt, cum multa alia habeamus idonea argumenta, ab illis proferendis abſtinere; quamvis nec ea omnino rejicere animus ſit, nec multo minus reprehendere viros doctos, qui hæc vetuſta monumenta in illuſtrandis rebus Francicis adhibuerunt. Hæc de ſæculi noni auctoribus dicta ſint; qui vero ſequentibus temporibus floruere, haud minus clare & aperte de miſſione ſancti Mauri locuti ſunt.

4. Agmen ducet Odo ſanctiſſimus Cluniacenſium abbas, qui natus ſæculo nono, & ſequenti fato functus, in utroque ſtudioſiſſimus fuit rerum monaſticarum indagator. Hic poſtquam in ſermone de ſancto patre Benedicto gratulatus Galliæ fuiſſet ob tanti viri reliquias huc allatas, ſtatim addit, hanc tranſlationem procul dubio à ſancto Patre fuiſſe prævifam, cum beatum Maurum in Gallias *dirigeret*, ſuum ſcilicet ſpiritum eo præmittere volens, quo ſuum ipſius corpus aliquando transferendum cælitus præſcierat. *Non ab re*, inquit ſanctus abbas, *credimus contigiſſe, quod clientem unice dilectum, beatum videlicet Maurum, has in partes adhuc vivens*, pater Benedictus, *direxerit, & demum ſe transferri voluerit. Forte enim cum ſancta mens ejus dilatata eſſet, ut omnem mundum ſimul collectum conſpiceret, &c.* Vides Odonem de hac beati Benedicti præviſione pio quodam motu conjiciendo locutum fuiſſe. *forte enim, &c.* at miſſionem ſancti Mauri in Galliam proponit veluti rem certam & penitus exploratam; *Non ab re contigiſſe credimus, quod clientem, &c.*

5. Idem ſentiebat Adalbertus Pragenſium in Boëmia antiſtes & martyr, qui cum loca celebriora Galliarum cauſa devotionis inviſeret, Floriaco, ubi ſancti patris Benedicti reliquiæ ſervantur, luſtrato, Glannafolium adiit, beato etiam Mauro obſequia ſua redditurus. *Ad Floriacum*, inquit vitæ auctor Italus ejuſdem ævi, *monachorum ingens cœnobium avido curſu volat*... *Nec dimiſit ubi corpus diſcipuli quievit, ubi & primus monachorum gregem rexit Maurus, ſigno ſanctitatis & miraculorum dulcedine Magiſtro ſimillimus.* Certe beatiſſimi illius Pontificis, qui non modo Romæ, ſed & in ipſo ſacro monte Caſino aliquot annis moratus fuerat, ac non ſemel Gallias, Germaniam, variaſque alias provincias peragraverat, tanta animi attentio ad inviſendum locum, quem olim Maurus vita & morte ſua conſecraverat, haud leviter eſt accipienda, cum ſit validiſſimum omnium ferme totius or-

Digitized by Google

bis Chriſtiani, quas luſtraverat, provinciarum in credenda beati Mauri miſſione conſenſionis argumentum.

6. Liceat nobis etiam regium teſtimonium adhibere ad firmandam hujus Miſſionis traditionem. Certe Robertus Francorum rex Maurum noſtrum *beati Benedicti diſcipulum* diſerte appellat in diplomate, quod anno DCCCC XCVIII. in gratiam Foſſatenſis Monaſterii datum eſt, uti videre eſt in libro ſexto de re Diplomatica. Alia ejuſdem regis, ejuſque ſucceſſorum Regum bene multa idem omnino habent, ſed quæ ſingillatim recenſere nihil juvat; cum eorum pleraque paſſim edita ſint.

7. Vivebat Roberti regis tempore Aimoinus Floriacenſis monachus, qui in Hiſtoria Francorum & in aliis operibus ſuis eamdem miſſionem fuſe proſequitur, ejuſque circumſtantias accurate deſcribit. Eodem Aimoino teſtante, ſanctus Abbo, qui tunc Floriacenſi monaſterio præerat, meminit in tractatu de Cyclo paſchali mortis ſancti Benedicti, quæ in pervigilio paſchæ contigiſſe dicebatur, quod ſane manifeſte indicat, viſam fuiſſe ab illo viro erudito receptam ſancti Mauri vitam, cum nuſquam alias extremus ſancti Benedicti dies indicatus habeatur quam in vita ſancti Mauri a Fauſto deſcripta.

8. Sæculum undecimum aperiet ſanctus Odilo Cluniacenſis abbas, qui Benedictinæ regulæ in hoc regno primam inſtitutionem ad beatum Maurum revocat in vita ſancti Maioli ſui deceſſoris, ubi ſic loquitur: *Per beatum Maurum*, *ejus*, ſancti ſcilicet Benedicti, *diſcipulum omnis pene Gallia ejus inſtitutionis & religionis ſuſcepit exordium.* Idem vir ſanctus monaſterium Caſinenſe inviſens, a Theobaldo abbate totoque ſacri Montis conventu perhonorifice, ut tanto viro fieri par erat, ſuſceptus fuit. Cum vero inde diſceſſurus eſſet, Caſinenſes monachi in mutuæ amicitiæ pignus ab eo efflagitarunt, ut ſibi aliquid ex ſancti Mauri, ſui olim alumni, reliquiis procuraret. quod ſe præſtiturum pollicitus eſt pius abbas, & poſtea in Galliam reverſus implevit. Impetrato nempe ſancti Confeſſoris brachio, illud a ſex e ſuis monachis uſque ad ſacrum Montem deferri curavit, quod ut cæleſte donum, non modo à Caſinenſibus monachis, verum etiam a tota vicina regione obviam effuſa ſuſceptum fuiſſe refert Leo Oſtienſis chronici Caſinenſis libro 2. capite 55. Et quidem paullo poſt dæmoniacus quidam Caſinum adductus, harum reliquiarum, quæ *cum magna ſpe ac devotione* à monachis ſuper illius caput impoſitæ fuerant, contactu liberatus eſt, ut narrat libro 2. Dialogorum Victor III. papa, tunc Caſinenſis abbas.

9. Florebat tum in Galliis Glaber-Rodulfus nobilis hiſtoricus, qui libro tertio hiſtoriæ Franciciæ de reparatione monaſtici ordinis agens, fuſius tractat de ſancto Mauro, ac de diſciplina per eum in Galliæ monaſteriis conſtituta. Ejus verba quibus hanc Traditionem ad ipſa ſancti Mauri tempora deducit, inferius proferemus.

10. Itali hac in re, ut jam vidimus, Gallis omnino conſenſerunt: cujus rei teſtes locupletiſſimos habemus. Ex his Alfanus Salernitanus archiepiſcopus deſcribit in hymnis à ſe editis Arderadi legati Cenomannici a ſancto Mauro curati miraculum. At Leo Oſtienſis in chronico Caſinenſi totam miſſionis ſeriem fuſius narrat. His adjungendus poëta ille antiquus, quem ſub Pauli diaconi nomine Martinengius edidit. Petrus diaconus qui paullo poſt in ſacro Monte floruit, quantumvis monaſterii ſui ſtudioſus, faſſus eſt tamen ſanctum Maurum in Gallias miſſum fuiſſe, ibique mortuum ac ſepultum. quod ſane minime præſtitiſſet, ſi vel levis ſuſpicio fuiſſet, Maurum Caſini, ubi adeo celebris erat ejus memoria, remanſiſſe; ut ea quæ de ſancti Benedicti reliquiis habet, invicte probant.

11. Quod illi in Italia, id Sigibertus in Belgio viciniſque provinciis abunde teſtatus eſt eodem undecimo ſæculo deſinente, ac initio ſequentis. Hic quippe in Chronico variis annis varios Gallicanæ miſſionis ſancti Mauri progreſſus conſignavit; atque in catalogo inter alios ſcriptores eccleſiaſticos Fauſtum eo ſolo nomine recenſet, quod beati Mauri vitam conſcripſerit. Idem præſtitere qui ejuſmodi catalogos poſtmodum ediderunt.

12. Hanc ipſam Traditionem ſæculi duodecimi initio Rupertus in Germania confirmavit, ſcilicet in commentario ſuper Regulam ſancti Benedicti. Idem præſtitit Petrus diaconus, ut mox dicebamus, in Italia. Plura habet Ordericus Vitalis, ex Anglia in Galliam tranſlatus, ubi in monaſterio Uticenſi hiſtoriam eccleſiaſticam, rerum diverſitate & delectu ampliſſimam & accuratiſſimam, edidit; in qua de ſancti Mauri in Gallias miſſione, veluti de re certa & ab omnibus omnino recepta loquitur. Narrat quippe ſanctum Robertum Moliſmenſem abbatem ſuos alumnos adhortatum aliquando fuiſſe ad perfectiorem vitæ modum amplectendum, cui illos ſic reſpondiſſe poſtea ſubdit. *Beatus pater Benedictus, ut nobis omnibus evidenter pateſcit, beatum Maurum ſui Monaſterii priorem, quem a pueritia ſua nutrierat, in Galliam miſit, & librum Regulæ, quem ipſe vir Dei manu propria ſcripſerat, &c. cœnobium conſtruxit, in loco qui Glannifolium dicitur, regulariter inſtituit, &c.* Iiſdem pæne verbis Petrus abbas Cluniacenſis, cognomento Venerabilis, de ſancti Mauri miſſione locutus eſt in litteris ad ſanctum Bernardum datis. quod etiam repetit ad omnes Ordinis ſui abbates & monachos ſcribens.

13. Albericum Trium-fontium in Campania monachum, Vincentium Bellovacenſem, ſanctum Antoninum Florentiæ archiepiſcopum, Johannem Trithemium abbatem, alioſque propemodum infinitos ſubſequentium ſæculorum hujuſce Traditionis teſtes appellare ſupervacaneum eſſet, cum nemo neſciat illos auctores Maurum pro Benedicti diſcipulo ſemper habuiſſe. At viſum eſt paullo accuratius recenſere priorum ſæculorum præcipuos ſaltem auctores, ut nemini, etiam his quibus ejuſmodi quæſtiones enucleare non vacat, non ſit manifeſtum, Traditionem noſtram non uno ſolum aut altero auctoris cujuſcumque teſtimonio ſubnixam, ſed unanimi

unanimi conſenſu omnium prorſus auctorum cujuſvis nationis, ætatis, aut conditionis, qui de hac re hactenus aliquid ſcripſerunt, auctoritate munitam eſſe, cum multi ſingulis ſæculis etiam nobiliſſimi ſcriptores eam diſertis verbis approbaverint; nullus autem umquam auctor, quantumvis obſcurus, eam inficiatus fuerit. quod ſane validiſſimum eſt veritatis indubitatæ indicium, maxime cum multi in variis orbis Chriſtiani partibus auctores hiſtorias gentium generales, aut peculiares nationum, congregationum, monaſteriorum, aut virorum ſanctorum conſcripſerint. Sed modo agendum de eo temporis intervallo, quod inter obitum ſancti Mauri & ejus vitæ publicationem interceſſit.

II.

Miſſio ſancti Mauri ante ſæculum IX. recepta.

1. Priuſquam ulla argumenta ex veteribus inſtrumentis eruta proferantur, duo hic in anteceſſum obſervanda velim, quæ maximopere noſtræ cauſæ favent. Primum eſt, quod quantamlibet in exquirendis monumentis, libris evolvendis, & auctoribus ſcrutandis diligentiam adhibuerint adverſarii noſtri, ut quidpiam traditioni noſtræ poſſint opponere, nihil tamen prorſus invenire potuerint, quod eorum conjecturis faveat, nihil ordinis noſtri receptæ ſententiæ contrarium; adeo ut ne unicus quidem auctor, nullum omnino monumentum cujuſvis temporis, conditionis, aut regionis, eorum opinioni vel minimum ſuffragetur. quod certe apud æquos judices multum valere debet ad firmandam traditionem, quæ, ipſiſmet adverſariis fatentibus, ab annis pluſquam octingentis, nemine reclamante, ab omnibus omnino ubique terrarum recepta eſt. Alterum quod hanc Traditionem ab ævo ſancti Mauri ad nos uſque conſtanter eamdem perveniſſe invicte probat, illud eſt, quod nullum appareat mutationis factæ veſtigium; nullus omnino auctor, aut ante, aut poſt publicatam ejus vitam, aliquid contrarium ſcripſerit; nemo umquam dixerit, aut ſenſerit, ſanctum Maurum in Gallias non veniſſe; noſtroſve accuſaverit, quaſi in aſſerenda hac miſſione a patrum veſtigiis diſcederent aut rem novam narrarent.

2. Certe ſi aliquod hujus, quam inducere volunt adverſarii noſtri, mutationis tempus aſſignari poſſet; illud eſt, quo vita ſancti Mauri primum opera Odonis abbatis in lucem edita fuit. at eo tempore, ſive quo re ipſa eam publicatam fuiſſe cenſemus, ſive quo adverſarii noſtri eam primum lucem aſpexiſſe contendunt, omnes omnino auctores apertis & diſertis verbis ſcripſerunt, Maurum e Caſinenſi monte adveniſſe in Gallias, ut ex illorum teſtimoniis ſupra allatis demonſtravimus; immo, ut inferius videbimus, eorum nonnulli hanc Miſſionem non ſolum ex vita ipſa, ſed etiam ex aliena traditione, antiqua & conſtanti, ſe accepiſſe palam teſtati ſunt. Unde concludendum eſt, hanc traditionem non ſæculo nono, aut ſequenti, incœpiſſe, ut ex vanis conjecturis ſuſpicantur adverſarii, ſed eam ab ipſa ſancti Mauri ætate ad noſtrum uſque tempus fuiſſe intemerate deductam. Etenim quis ſibi in animum induxerit, ejuſmodi mutationem, quam factam fuiſſe volunt adverſarii noſtri, abſque aliqua contradictione contigiſſe? Sane ſi id monachi voluiſſent, refragati fuiſſent clerici, non permiſiſſent epiſcopi; Itali reclamaſſent, immo ipſi etiam Andegavenſes. Nemo quippe facile ſibi perſuadebit, epiſcopos, clericos, alioſque omnes omnis conditionis homines cum monachis, uno tempore, abſque ullo contradictore ad putidum adeo mendacium, ſuppreſſa veritate, inducendum conveniſſe. Immo etſi id feciſſent Galli, quid de Italis dicendum? an etiam ipſi ultro ſuum Maurum beati Benedicti diſcipulum (nam, ut infra videbimus, jam eo tempore uti ſanctum illum colebant) in Gallicanum transtuliſſent? adeo ut ſuppreſſis veri Mauri, ſibi probe noti & ſui alumni, cultu, reliquiis, ac ipſa ejus perſona, ignotum ex aliena regione Maurum ipſi ſubſtituiſſent. Hæc ita abſurda ſunt, & ab omni prorſus veri ſimilitudine abhorrentia, ut etiamſi nullum aliud haberetur ad convellendas adverſariorum noſtrorum conjectationes argumentum, id unum ſufficeret ad aſſerendam traditioni noſtræ ſuam auctoritatem integram & illibatam. Quid enim ei opponunt adverſarii? meras conjecturas, ne dicam cavillationes; quoſdam ſcilicet nævos, qui in vitam editam irrepſerunt. Et quænam veterum acta invenias, quæ ejuſmodi nævis omnino careant? Certe ſi quis has conjecturas cum eis, quas modo expoſuimus, citra præjudicium conferat, nemo non fatebitur eas ſufficere ad refellendas adverſariorum argutias.

3. Verum cum etiam poſt varias Caſinenſis & Glannaſolienſis cœnobiorum clades nonnulla ſuperſint antiqua monumenta, queis hæc traditio firma & inconcuſſa demonſtrari poteſt; ea proponere viſum eſt, ut magis ac magis apud omnes conſtet, Maurum Glannafolienſem, etiam ante vitæ ſuæ publicationem ab Odone factam, pro vero & ſincero ſancti Benedicti diſcipulo habitum fuiſſe.

III.

Primum argumentum deducimus ex antiquis monumentis, quorum alia probant Maurum ſancti Benedicti diſcipulum pro ſancto habitum fuiſſe ante vulgatam ab Odone ejus vitam; alia vero evincunt, eum ipſum in Italia non fuiſſe mortuum, immo illum in Gallias veniſſe, ubi exſtruxerit monaſterium Glannafolienſe in pago Andegavenſi. Hæc ſingillatim expendenda.

Maurus ſancti Benedicti diſcipulus pro ſancto habitus etiam in Italia.

1. Maurum beati Benedicti diſcipulum pro ſancto habitum, priuſquam vita ejus publicaretur, probant veteres Litaniæ ante illam publicationem editæ, in quibus hic immediate ſancto Benedicto ſubjungitur, etiam ante alios monaſticæ vitæ patres. Hunc ſane locum habet in Litaniis ab Alcuino editis, ubi ex tribus ſanctis monachis qui recenſentur, duo priores ſanctus Benedictus & ſanctus Maurus continenter habentur. In aliis, quas ex codice Nonantulenſi laudat noſter Mabillonius Itineris Ita-

lici pag. 125. ante ſanctos Antonium, Ephremium, & alios præcipui nominis vitæ Monaſticæ patres, occurrunt ſanctus Benedictus & ſanctus Maurus. Et hunc codicem *antiquiorem* monaſterio ſuo contulit Leopardus Nonantulæ abbas, qui ad hoc munus nono ſæculo exeunte electus fuerat. Vetuſtiores ſunt aliæ Litaniæ, quas idem Mabillonius ex codice Vaticano deſcripſit, in quibus conſequenter habentur Benedictus, Maurus & Placidus. Has vero Litanias ante ſæculum nonum editas fuiſſe inde colligitur, quod quintus aliquot nominum caſus in *e* deſinat, contra morem, qui adhibitus eſt ſequentibus ſæculis, quibus ille caſus in *i* ſimpliciter deflectitur. In illis quippe Litaniis ſic legimus ſanctorum aliquot celebriorum nomina expreſſa, *ſancte Gregorie*, *Ambroſie*, *Antonie*, *Baſilie*. qui terminandi modus rarus eſt a tempore Caroli Magni. Et quidem in hujus principis Litaniis, quæ ſecundo tomo veterum Analectorum editæ ſunt, pauca omnino occurrunt ejuſmodi nomina ſanctorum ſic expreſſa, nulla prorſus in Litaniis Caroli Calvi, quæ in Bibliotheca Colbertina habentur. His addendæ aliæ item Litaniæ ex codice Vulturnenſi, nunc bibliothecæ Chigianæ, quas piæ memoriæ Cardinalis Bona Miſſæ antiquæ, Illyricianæ ſimili, ſubjunctas invenit, eaſque edidit ad calcem libri de rebus Liturgicis. In his vero eumdem habent locum ſanctus Benedictus & ſanctus Maurus, quem in ſupra laudatis eos habere obſervavimus.

Præterea in vetuſto Martyrologio, Longobardicis litteris exarato, Monaſterii Gualdenſis in diœceſi Beneventana legitur XVIII. *kal. Februarii, natale ſancti Mauri abbatis diſcipuli ſancti Benedicti*: unde patet feſtum ſancti Mauri, quem Itali ante publicatam ejus vitam, ut ex Litaniis laudatis evincitur, pro ſancto & pro vero diſcipulo ſancti Benedicti habebant, die XV. Januarii, uti in Gallia Mauri Glannafolienſis, antiquitus celebratum fuiſſe. His denique omnibus conforme eſt kalendarium MS. Bibliothecæ Vaticanæ, a religioſiſſimo viro Joſepho Thomaſio Romæ editum, quod quidem kalendarium etſi ſæculo duodecimo, ut ex ſcripturarum charactere cenſuit vir eruditus, exaratum videatur, longe tamen antiquius cenſeri debere diſcimus ex ejus ipſius titulo, in quo dicitur, *juxta veterem uſum canonicorum baſilicæ Vaticanæ ſancti Petri* deſcriptum. In Litaniis ejuſdem eccleſiæ, quæ etiam ab eodem Thomaſio editæ ſunt, Maurus ſanctum Benedictum proxime ſequitur, etiam ante Æquitium, Sabam, Efremium, Macarium, alioſque celebriores vitæ monaſticæ inſtitutores & patres. Porro quod S. Maurus in tot diverſorum locorum Litaniis, etiam antiquioribus, proxime poſt S. Benedictum paſſim ponatur, non caſu, ſed dato conſilio factum fuiſſe haud dubium eſſe poteſt, nempe ex eo præjudicio, quod ſancti Benedicti primarius eſſet diſcipulus. Ex iis vero omnibus in unum collectis nemo non videt, Maurum Benedicti diſcipulum in Italia, ſicut & in Gallia, etiam illis temporibus celeberrimum fuiſſe: cum pleræque Litaniæ, quas laudavimus, in Italia exaratæ fuerint; & hujus ſancti memoriam non ſolum in monaſteriis, ſed in ipſa quoque orbis Chriſtiani principe eccleſia celebratam fuiſſe ex Vaticanis libris manifeſtum ſit. Sed modo videndum eſt an hic Maurus in Italis exceſſerit.

Ubi tamen defunctus non eſt.

2. Et quidem ſi vir adeo celebris (ut certe Maurum fuiſſe probavimus, & nemo infitiari poteſt) in Italia ſupremum obiiſſet diem, minime ignotus fuiſſet locus, qui tam claræ memoriæ viri morte conſecratus, ac tumulo illuſtratus fuiſſet. quin &, cum ipſo atteſtante Gregorio Magno, a ſancto Patre adhuc *junior* fuerit electus, ut ei *adjutor* exſiſteret, certe in Caſinenſis, aut ſaltem in Sublacenſis monaſterii regimine debuiſſet beato Patri ſuccedere. at cum neutrius regimen habuiſſe certum eſt ex eorum monaſteriorum abbatum catalogis. Quid igitur de illo Mauro, ſi in Gallias non advenerit, fuerit factum dicant adverſarii noſtri. Certe altum de ejus tumulo ubique in Italia ſilentium, ignotæ reliquiæ, ignotus locus quem inhabitavit, ignotæ omnino ejus actiones, & tamen celebris ubique ejus memoria.

Nec aliquis dicat hæc omnis olim Italis nota fuiſſe, ſed eos ad Mauri Francici famam, mutata ſententia, ob vitæ publicationem in Gallorum errorem conveniſſe. Quis enim, amabo, ſanæ mentis ſibi perſuadere poſſit, Italos, ac potiſſimum Caſinates, eo dementiæ veniſſe, ut, abjecta veri ac miraculis & Gregorii Magni teſtimonio celeberrimi ſancti memoria, ſuppreſſis ejus reliquiis, abrogata memoria, ejus cultum ad hominem exterum, ſibi antea ignotum, & nullius fere nominis, ſi alius eſſet Maurus noſter Gallus ab Italo, tranſtuliſſent. Fatendum itaque eſt nullam ejuſmodi accidiſſe rerum mutationem; proindeque Francos ſimul & Italos in ea ſemper ſententia fuiſſe, etiam ante publicatam beati Mauri vitam, hunc ipſum, qui in Galliis celebris erat, fuiſſe beati Benedicti diſcipulum, quem in Litaniis utrique invocabant; ipſummet ſcilicet, qui a beato Patre in Gallias fuerat deſtinatus. Hinc cum primum publicata fuit ab Odone ejus vita, quæ miſſionis ſeriem fuſius & explicatius exponebat, nemo refragatus eſt, nullus ea de re excitatus eſt nec apud Gallos, nec apud Italos motus: quod ſcilicet utrique hanc miſſionem ſuæ traditioni conſentaneam omnino eſſe adverterent. quam quidem traditionem antiqua etiam monumenta probant, quæ hic producere juvat.

Miſſus in Gallias creditur ab ipſis Caſinenſibus.

3. Primum eruitur ex veteri breviario Caſinenſi, quod ſub abbate Oderiſio primo exaratum eſt, in eo quippe hymnus antiquus de ſancto Mauro habetur, in quo Miſſio ejus Gallicana diſerte exprimitur. En aliquot verſus.

Claudus te querula voce perurgens,
Exin nempe tua fert prece greſſum:
Virtutum ſtudiis tantus haberis,
Quod magnis patribus par videaris.
Te Dux eximius ac Pater almus
GALLIS ARCHIATRUM *dat animarum:*
Hinc jam collacrymans oſcula fratrum,
Abſceſſumque tuum flendo ſuſurrant.

Annos jam tibi dat aurea libra,
Ad lucis patriam lux tua ſpirat,
Qua Solis radiis cuncta videntis
Perfuſus placidis late coruſcas.

Nemo non videt hos verſus Oderiſio antiquiores eſſe, quod ſtilus & ſcribendi ratio ſatis probant. Et quidem Oderiſius, cujus geſta fuſe in Chronico Caſinenſi exponuntur, nuſquam aliquid novi de officio divino ſtatuiſſe dicitur. Denique nulla his in verſibus mentio occurrit tot tantorumque miraculorum, quæ in vita ſancti Mauri habentur. quod ſane manifeſte indicat, illos ante vitæ publicationem editos fuiſſe. unde memorat illius hymni auctor ea ſolummodo quæ Caſini contigerant, & quæ ibi erant cognita ex veteri traditione, diſceſſum ſcilicet beati Mauri e ſacro Monte, & claudi curationem ibi factam. Cetera vero, quæ in itinere aut in Galliis geſta fuerant ſiluit, quæ ſi ei ex vita innotuiſſent, certe non fuiſſet omiſſurus.

Porro celebre ſemper fuit in ſacro Monte claudi ſanati miraculum, quod in his verſibus memoratur; adeo ut etiam locus, in quo contigerat, exinde ſemper in honore habitus fuerit apud hujus loci monachos. Id diſcimus ex veteri Caſinenſis monaſterii deſcriptione, Petronacis temporibus, ut videtur, facta, in qua inter alia hæc leguntur. *In turre juxta ſanctum*, &c. *ibi ſanctus Maurus claudum extendit. Ibi poro, qui eſt in dormitorio ante portam de turre*, ſanctus Benedictus *ſolſit ruſticum, & ubi corruit Totila. In refectorio, qui eſt juxta, &c. In pede de rabe qua vadit ad ſanctum Johannem, &c.* Hanc deſcriptionem vetuſtiſſimam eſſe præter codicis antiquitatem probant ſtili barbaries, verba exoleta, & ædificia quæ ibi memorantur. Conferantur, ſi vacat, hæc pauca quæ hic proferimus cum veteribus inſtrumentis, & facile quivis deprehendere poterit, ea cum ſeptimi aut octavi ſæculi monumentis apprime concordare; minime vero cum illis, quæ ſæculo nono aut ſequentibus exarata ſunt. unde patet aliquas beati Mauri actiones in monte Caſino ex veteri traditione notas fuiſſe ante Vitæ ejus publicationem. Et quidem cum claudi illius ſanati miraculum in vita ſancti Mauri cum ſuis circumſtantiis referatur; inde colligimus vitam illam non fuiſſe ſæculo nono, aut decimo, ut contendunt adverſarii, ab aliquo perſonato auctore confictam. Unde enim hoc miraculum ille didiciſſet, quod neque apud Gregorium extat, nec in alio quovis auctore? & tamen miraculum certo patratum eſt, & quidem ab illo Mauro qui diſcipulus beati Benedicti fuerat; proindeque debuit illud Odo ex vita diſcere, longe ante edita, quam à ſe caſu inventam, & poſtea, uti ipſe exiſtimabat, correctam publici juris fecit.

Glannafolium Caſinenſium colonia.

4. Verum nihil magis probat ſancti Mauri miſſionem Italis ſicut & Gallis non fuiſſe ignotam, quam continuata Glannafolienſis monaſterii Caſinenſi, etiam longe ante publicatam vitam, ſubjectio. Si enim a primis temporibus Glannafolium Caſino ſubjectum fuit, evidens indicium eſt ejus fuiſſe coloniam, cujus auctor fuerit Maurus ab ipſo ſancto Patre in Gallias miſſus. Nec enim alia excogitari poteſt filiationis, uti vocant, hujus ratio. Non enim Caſinum ſimile quid in alia Galliarum, immo & totius Europæ monaſteria habuiſſe legitur. Abbates quidem ſacri Montis, ob ſanctiſſimi patriarchæ reverentiam, primum ſemper & ubique locum obtinuerunt; at juriſdictionem in alios nec umquam, nec uſquam eos habuiſſe legimus. Unde ſi probis argumentis hanc Glannafolii Caſino ſubjectionem aſſerere potuerimus, manifeſtum profecto erit Miſſionis ſancti Mauri, & coloniæ cum eo e ſacro monte Glannafolium deductæ indicium. Id itaque probandum.

Nemo neſcit Glannafolienſes monaſterio Foſſatenſi ſæculo nono ſubjectos fuiſſe ad ſæculi undecimi finem, quo tempore jugum illud auctoritate Urbani ſecundi excuſſere. Id referens Petrus diaconus in Chronico Caſinenſi, ſubjungit Glannafolium à Foſſatenſibus liberatum, *ſub magiſterio tamen & tutela Caſinenſis cœnobii perpetuo* conſtitutum fuiſſe. ſed cum verba iſta adeo perſpicua non ſint, ut ſpecialem & antiquam Glannafolii Caſino ſubjectionem diſerte adſtruant; nec tanta videatur eſſe Petri auctoritas, etiamſi illud aperte aſſeruiſſet, ut ei fidem omnem adhibere velint adverſarii noſtri; alium majoris auctoritatis teſtem proferre neceſſe eſt, cui refragari nemo poſſit. Is eſt Urbanus ſecundus papa, cum patribus quadraginta quatuor in Concilio Turonenſi congregatis, qui examinatis accurate omnibus, ut ipſemet Pontifex atteſtatur, pronuntiarunt Glannafolium Caſino reſtituendum eſſe, ob id, quod antequam Foſſatenſibus ſubjiceretur, ad Caſinenſes certo & indubitate pertinuiſſet. Id diſcimus ex ipſius Urbani bulla ad Oderiſium cardinalem & abbatem Caſinenſem, data Terracinæ anno MXCVII. in qua refert pontifex, ſe in Galliis agentem ad monaſterium Glannafolienſe divertiſſe, ubi cum a loci monachis, patriæ proceribus, ipſoque Andegavorum comite Fulcone, & Godefrido epiſcopo diœceſano conventus fuiſſet, ut monaſterium à Foſſatenſium jugo ſolutum priſtinæ libertati ſub Caſinenſi patrocinio reſtitueretur, noluiſſe quidquam ea de re inconſultis partibus pronuntiare; ſed rem ad concilium Turonenſe, quod Quadrageſima ſequenti celebrandum erat, remiſiſſe, indicta die Foſſatenſibus monachis, ut ibi cum ſuis inſtrumentis adeſſent, cauſam ſuam coram omni concilio propugnaturi.

Conſidentibus itaque, ut proſequitur pontifex, cum eo ipſo quadraginta quatuor patribus, cauſa hæc ſerio & mature examinata fuit; prolata ſunt in medium vetera inſtrumenta, agitatæ hinc & inde rationes; tandemque omnibus accurate diſcuſſis, cauſa cecidere Foſſatenſes; *placuitque cunctis in communi* patribus, *ut in loco illo venerabili cardinalis abbas perpetuo habeatur, ſalva per omnia reverentia & obedientia* MATRIS SUÆ ECCLESIÆ CASINENSIS.

Nec reponere licet mirum non eſſe, ſi papa Urbanus, aliique hujus ſynodi patres Glannafolienſe monaſterium exiſtimaverint Caſinenſi olim fuiſſe

ſubjectum, cum vulgata jam dudum vita ſancti Mauri, perſuaſum tunc temporis apud omnes eſſet, beatum hunc virum a ſancto Benedicto in Gallias miſſum fuiſſe. Hæc, inquam, obtendere non licet, cum pontifex aut concilii patres ſe hanc ſubjectionem ex ipſa vita, aut ex vulgata tunc temporis traditione confirmaſſe non dicant, ſed ex veteribus inſtrumentis, quibus conſtabat eam longe ante vitæ publicatiooem, nempe tempore Hadriani papæ, Caroli Magni, & Theodemari Caſinenſis abbatis, confirmatam jam fuiſſe cœnobio Caſinenſi; unde Urbanus Glannafolienſes Caſinenſium juriſdictioni reſtituendo, ait ſe hac in re Hadriani & Nicolai pontificum Romanorum veſtigia fuiſſe ſecutum. Chartas vero antiquas mature in hac ſynodo examinatas fuiſſe patet ex ejuſdem Urbani certo teſtimonio. Is enim commemorat Hadriani diploma, quod Foſſatenſes ſynodo expoſuerant in communi audientia, certis indiciis falſum deprehenſum fuiſſe. Et re vera hoc ipſum inſtrumeotum, cujus copiam habuimus, viris eruditis, qui illud inſpexere, haud dubie ſuppoſititium viſum eſt. unde licet paullo poſt hanc ſynodum Ivo Carnotenus ad Paſchalem ſcripſerit in favorem Foſſatenſium, nihil tamen proficere potuit, quod hæc cauſa non favore, aut aliqua ratione humana, ſed veritate ipſa & æquitate dictante definita fuiſſet; hoc vero judicium in ſynodo prolatum ſubſequentes Pontifices variis temporibus, data occaſione, confirmarunt.

IV.

Propagatio Regulæ Bened. in Gallia.

1. Aliud validiſſimum ad aſſerendam ſancti Mauri in Gallias miſſionem argumentum eſt, propagatio Regulæ Benedictinæ in Galliis, quæ ab ipſa ſancti Mauri ætate incœpit. At ne lites novas ſerere videamur, nihil hic adverſus eos dicemus, qui Regulam Benedictinam ſolummodo ſub Caroli Magni, & filii ejus Ludovici Pii principatu in Galliis communi uſu, agente Benedicto Anianenſi abbate, receptam fuiſſe putaverunt. hos enim diſciplinæ Benedictinæ reſtitutionem cum prima ejus in Galliis receptione confudiſſe, unico Ardonis ipſius Benedicti diſcipuli & vitæ ſcriptoris teſtimonio certum eſt, ubi eum laudat ob reſtitutam in Gallicanis monaſteriis diſciplinam his verbis: *Hic eſt Benedictus, per quem Dominus Chriſtus in omni regno Francorum regulam ſancti Benedicti*, RESTAURAVIT. Nec plura congerere vacat contra eos qui contendunt, ſancti Columbani regulam Benedictina tunc temporis multo fuiſſe celebriorem. Quid enim id ad rem noſtram, niſi probent ſolam Columbani regulam tunc temporis in Gallia receptam fuiſſe; immo eam viguiſſe in Glannafolienſi monaſterio, ubi Maurus degebat? At neutrum admitti poteſt. ſi enim ſola tunc Columbani regula in Galliis invaluiſſet, ut quid ipſi & ejus diſcipulis tam frequenter, uti ipſe Jonas Columbani diſcipulus teſtatur, a Rege, & ab ipſis epiſcopis exprobratum fuerit, quod inuſitatum apud monachos Gallicanos vitæ genus ſequerentur; multaque in eorum monaſteriis fierent, quæ in aliis paſſim Galliæ monaſteriis non obſervabantur? Glannafolienſes vero monachos Columbani regulam ſectatos non fuiſſe, ex eodem Jona patet, qui monaſteria inſtituti Columbani paſſim recenſens, numquam Glannafolii mentionem facit, immo nec ullius alterius in provincia Andecavorum monaſterii: ex quo patet ſancti Columbani regulam hac in provincia tunc ignotam fuiſſe; quamvis monaſteria apud Andecavos tunc exſtitiſſe certis monumentis conſtet. Denique numquam nobis venit in mentem, ut aſſerere velimus, omnia, aut certe pleraque Galliarum monaſteria, adveniente Mauro, Benedictinam Regulam ſtatim admiſiſſe. Hæc quippe ad Miſſionem ejus comprobandam minime ſunt neceſſaria; ſatis eſt ſi probaverimus Maurum in ſuo monaſterio ſub ſancti Benedicti Regula vixiſſe, ibique eam inſtituiſſe; adeo ut ejus tempore eadem Regula in Galliis nota eſſe cœperit, quæ poſtea ſenſim ſine ſenſu ita per alia monaſteria ſequentibus annis propagata fuerit, donec tandem ſola prævaluerit in toto Galliarum imperio. hæc probare operæ pretium eſt.

2. Certe Regulam Benedictinam obſervatam fuiſſe in Glannafolienſi monaſterio, ante ejus vaſtationem ſæculo octavo factam, teſtis eſt auctor, fatentibus adverſariis, fide dignus Odo in Hiſtoria Tranſlationis ſancti Mauri. ibi enim legimus, Gaidulfum a Pippino huic cœnobio præfectum ita *monachos* odio habuiſſe, ut eos ſuis vexationibus coegerit dimiſſa *ardua inſtitutionis ſancta Regulæ vita*, ad canonicorum mores & habitum tranſire. *Sancta Regula* vocabulo Benedictinam intelligi nemo dubitat, potiſſimum in ore Benedictini hominis, qualem fuiſſe Odonem certum eſt. Idem ipſum diſerte habetur in diplomate Caroli-Calvi indubitato, cujus autographum ex archivis Foſſatenſibus habuimus. In eo quippe rex teſtatur, Ebroinum a Ludovico patre ſuo Glannafolienſi monaſterio præfectum, locum hunc *in ſtatum & religionem monaſtici ordinis funditus reſtruxiſſe, atque in habitum, quo olim fuerat excultus, omnimodis reparaſſe.* quæ quidem verba adeo clara & perſpicua ſunt, ut ea nemo in alium ſenſum detorquere poſſit. nam idem princeps paullo poſt diſertis verbis exponit ea de Regula ſancti Benedicti iotelligenda eſſe, *juxta*, inquit, *patris Benedicti inſtitutionem.* In altera charta nonnullas eidem monaſterio donationes facit ad *monachorum* ſuſtentationem.

3. Regulam autem Benedictinam ſancti Mauri ætate jam in Galliis notam, immo celebrem fuiſſe probatur ex ſancto Donato, qui ſæculi ſeptimi initio Veſontionum epiſcopus creatus, Regulam ſanctimonialibus Juſſanenſibus ſcripſit, totam fere ex Benedictina excerptam. Ex illa nempe in ſuam capita quadraginta quatuor invexit.

Anno ejuſdem ſæculi ſexageſimo-primo in concilio Auguſtodunenſi ſub ſancto Leodegario, ſancitum eſt, ut Regula Benedictina ſimul cum ſacris canonibus in monaſteriis cuſtodiretur; *De abbatibus vero, vel monachis*, ſic canon habet, *ita obſervare convenit, ut quidquid canoni-*

cus ordo vel regula ſancti Benedicti edocet implere & cuſtodire debeant. Et quidem jam ita ſupra ceteras prævaluerat ſancti Benedicti regula, ut quæ antea in plerisque monaſteriorum fundationibus ac aliis inſtrumentis, ſimul cum aliorum patrum, & præcipue ſancti Columbani, regula conjuncta fuerat, deinceps ſola fere audierit; itaut in concilio Liptinenſi, præſide ſancto Bonifacio ſedis apoſtolicæ legato, ſancitum abſolute fuerit ſæculo octavo procedente, *ut monachi & ancillæ Dei monaſteriales juxta regulam ſancti Benedicti cœnobia vel xenodochia ſua ordinare, gubernare, ac vivere ſtudeant.*

Denique imperante in Galliis Carolo Magno, ita jam obſoleta erat in monaſteriis aliarum regularum memoria, ut vix earum nomina nota eſſent. quare idem Imperator in Capitularibus anni DCCCXI. *inquirendum* præcepit, *ſi in Gallia monachi fuiſſent, priuſquam traditio Regulæ ſancti Benedicti has in partes perveniſſet.* cum vero ſciret pius Princeps ſanctum Martinum, qui beato Benedicto antiquior erat, monachum fuiſſe, & monachos ſub ſua cura habuiſſe, injunxit ut quæreretur, *qua regula monachi illi vixiſſent, qui multo ante ſanctum Benedictum* in Galliis floruerant. Et quidem ita tunc perſuaſum erat apud omnes, ſancti Benedicti regulam in Galliis a ſancti Mauri ætate viguiſſe, ut Wlfinus Boëtius, qui vitam ſancti Juniani Nobiliacenſis abbatis regnante Ludovico pio conſcripſit, hunc ſanctum virum Chlotario primo ipſum de ejus vitæ inſtituto interroganti reſpondentem induxerit, ſe abbatem eſſe, & vitam agere *juxta ſancti patris Benedicti Regulam.*

3. Idem apud Cluniacenſes in ipſo ſui Ordinis exordio pro certo & indubitato habitum fuiſſe probant ſanctorum abbatum Odilonis, & Petri Venerabilis teſtimonia, quæ ſupra protulimus, in quibus Maurum inſtituti Benedictini in Galliis primum parentem & propagatorem agnoſcunt; a quo diſciplinæ monaſticæ præcipua inſtituta, quæ ſuis in cœnobiis inſtauraverant, ſe recepiſſe gloriabantur. Conſentit Glaber-Rodulfus, Odiloni æqualis, cui ſuam hiſtoriam nuncupavit.

At iſte auctor rem addit notatu digniſſimam, quippe qui poſt narratam, ut ceteri auctores facere ſolent, ex Fauſti libro ſancti Mauri miſſionem, ſe præterea alia nonnulla de ſancto Mauro didiciſſe ait ex *veridica relatione*, modum nempe, quo ipſa Mauri inſtituta ad Cluniacenſes e Glannafolio de manu ad manum poſt varias viciſſitudines perveniſſent. Juvat proferre ejus verba, quæ narrationi ex vita deſumtæ adjecit. *Exſtat etiam*, inquit, *veridica relatio, quoniam poſt beati Mauri obitum ſuccedenti tempore hoſtium infeſtationibus expulſi monachi a monaſterio, cognomento Glannofolio, quod ipſe conſtruxerat, ſicut in ejus geſtis habetur, in Andegavenſi territorio, venienteſque ad monaſterium ſancti Savini confeſſoris Pictavenſis, tulerunt ſecum totam quam valuere ſupellectilem, ibique per aliquod ſpatium temporis ea quæ didicerant operam dedere. Rurſuſque illo frigeſcente diſtrictionis tenore, apud monaſterium ſancti Martini Auguſtidunenſis ſuſcepta dignoſcitur aliquotiens viguiſſe: deinde vero quaſi tertia tranſmigratione in ſuperiore Burgundia locatum Balmenſe occupavit monaſterium: ad ultimum quoque prædicta videlicet inſtitutio, jam pæne diſſeſſa, auctore Deo, elegit ſibi ſapientia ſedem, vires collectura ac fructificatura germine multiplici, in monaſterio ſcilicet cognomento Cluniaco.* Hæc verba nullo commentario egent; utpote quæ manifeſte probant, Cluniacenſes monachos ab ipſo Ordinis ſui exordio perſuaſum habuiſſe ſe beati Mauri miſſionem in Gallias, cui inſtituta ſua accepta referebant, non ex hujus ſancti Vita, ſed ex alia & quidem *antiqua & veridica* relatione reſciviſſe. quamvis ex vitæ publicatione pleraſque miſſionis hujus circumſtantias didiciſſe ſe fateretur, quas temporum diuturnitas ex hominum memoria obliteraverat.

Glabro hac in re conſentit anonymus auctor ſæculi undecimi in vita ſancti Hugonis monachi Auguſtodunenſis, ubi pariter exponit modum, quo Cluniacenſium inſtituta a ſancto Mauro ad eos uſque traditione continuata derivaſſent; tum addit rem a ſe narratam conſtantiſſimam eſſe *ex relatione veridica & non mediocri auctoritate ſubnixa.* & quidem Miſſionem ſancti Mauri deſcribit ille auctor, nulla vitæ ejus facta mentione; immo nonnulla habet, quæ in Vita non habentur, ut cum obſervat beatum hunc virum in Gallias accedentem a *Childeberto rege* benigne acceptum fuiſſe. quod certe non hauſerat ex vita Fauſti vulgata, in qua nulla uſquam Childeberti mentio occurrit; & alii reges frequentius & accuratius deſignantur, ut quis ſuſpicari poſſet hunc auctorem in codicem incidiſſe, in quo Childeberti nomen pro Theodeberto irrepſiſſet. Haud tamen ſpernenda eſt hujus anonymi de Childeberto rege obſervatio. Nam etiam Childebertus tunc temporis regnabat in Francia, cumque pium eum fuiſſe ac religioſum principem conſtet, illum beato Mauro faviſſe credere par eſt; ſed inde falſi convincuntur ii, qui ejuſdem ſancti viri Miſſionem ad Theodeberti ſecundi tempora revocare, quod ſane ab omni veri ſimilitudine abhorret, conati fuerunt.

V.

Regulæ codex à S. Mauro in Gallias allatus.

1. Miſſionis Gallicanæ ſancti Mauri veritas haud levi argumento aſſeritur ex antiquo codice Regulæ Benedictinæ, qui ab ipſo ſancto Patre Benedicto ſcriptus, & a ſancto Mauro in Gallias allatus jam ante annos ſeptingentos credebatur. Ad calcem quippe codicis legebatur hæc ſubſcriptio ipſa manu beati Patris, ut quidem jam tunc cenſebatur, ſcripta: *Codex peccatoris Benedicti.* quam quidem *peccatoris* appellationem ævo beati Benedicti viris ſanctis, etiam epiſcopis familiarem fuiſſe ex antiquis conciliorum ſubſcriptionibus patet. Hoc Regulæ noſtræ exemplar ſæculo undecimo ſervabatur in Majori-monaſterio Turonenſi inter ſacra cimelia; ex quo hæc ipſa beati Patris verba in ſuum codicem Fuldenſis abbas tunc tranſcribi curavit, cum additamento, quod refert Brouverus in libro antiquitatum Fuldenſium. *Hæc verba ſancti*

Patris reperta ſunt in fine Regulæ, quam ipſe manibus ſuis propriis ſcripſit: & ſancto Mauro, cum eum ad Gallias mitteret, tradidit: quæ dominus venerabilis abbas noſter, cum apud Majus-monaſterium Turonenſe in eadem Regula, quæ ibi pro reliquiis ſervatur, inveniſſet, rogavit ſibi apud Cluniacum transmitti, & in hac Regula noſtra pro amore ipſius ſanctiſſimi Patris noſtri juſſit ſtudioſe tranſcribi. Similis inſcriptio occurrit in uno codice Caſinenſi, ex quo Petrus Venerabilis libellum de ordine monaſticæ converſationis olim exſcribi curavit. At longe antequam Petrus Venerabilis Cluniacenſibus præeſſet, monachi Moliſmenſes ſancto Roberto teſtati fuerant, ut ſupra ex Orderico Vitali retulimus, rem fuiſſe apud omnes notam, quod beatus Maurus in Gallias a ſancto Benedicto miſſus ſecum Regulam, propriis beati Patris manibus conſcriptam attuliſſet.

2. At, inquiet fortaſſe aliquis, qui fieri potuit, ut pretioſum adeo munus in Majori-monaſterio ſervaretur? quod certe numquam paſſi fuiſſent a ſuo monaſterio auferri Glannafolienſes, ſi eis de tanti theſauri veritate aliquid conſtitiſſet. Facilis reſponſio, ſi parumper ad Glannafolienſis monaſterii fortunam attendatur. quippe cum, ut ex ipſius Odonis hiſtoria Tranſlationis certum eſt, Glannafolium variis cladibus attritum Lamberto Majoris-monaſterii monacho contraditum fuerit ad reparandum, reſque omnes hujus loci in ſua poteſtate diu habuerit; non ei difficile fuit, eo tempore, quo huic operi inſiſtebat, aut certe eum poſt neglectam diutius hanc loci ſacri reſtaurationem, in ſuum monaſterium re infecta reverſus eſt, ea omnia ſecum auferre quæ voluerit, atque inter alia codicem illum, qui deinceps inter ſacras reliquias, uti decebat, in Majoris-monaſterii theſauro aſſervatus fuerit.

VI.

Inſcriptio eccleſiæ Caſtrenſis.

1. Eamdem Miſſionis S. Mauri traditionem ante publicatam ab Odone Vitam notam fuiſſe patet ex veteri inſcriptione baſilicæ monaſterii Caſtrenſis, quæ a Fauſtino ejuſdem loci abbate nonaginta circiter annis poſt beati Mauri obitum poſita eſt in hunc modum.

FAUSTINUS LAPSIS A MAURI MORTE DECEM OCTO LUSTRIS HAS SANCTO BENEDICTO DEDICAT ARAS.

Certe ab anni DLXXXIV. initio, quo ſanctus Maurus obiiſſe creditur, ad conſtructionem eccleſiæ Caſtrenſis, anno ſcilicet DCLXXXIII. per Fauſtinum abbatem factam, uti diſcimus ex veteri chronico Caſtrenſi, totidem annorum luſtra effluxere. quæ ſane accurata computandi ratio manifeſtum eſt ſinceritatis hujus monumenti indicium; cum certum ſit ſequioris ævi auctores de ſanctorum illorum ætate non ita accurate ſcripſiſſe. Idem etiam evincunt ceteræ circumſtantiæ, quæ ibi referuntur. Porro etſi hæc inſcriptio, ut ſcribit Borellus, e loco ſuo mota fuerit ſub Johanne XXII. quando ſcilicet hæc baſilica in cathedralem erecta novam formam accepit; ſupereſt tamen ejus exemplum. immo & integra refertur in veteri chronico Caſtrenſi, quod modo laudabamus.

Nec opponere juvat Maurum in hac inſcriptione ſancti Benedicti diſcipulum non appellari, cum nemo non intelligat id, ejuſque in Gallias miſſionem, neceſſario ibi ſubintelligi. Ad quid enim Mauri obitus in hac inſcriptione referretur tamquam celebris epocha ejus eccleſiæ ſancto Benedicto in Galliis ſacræ, niſi Maurus ille ad ſanctum Benedictum attinuiſſet? qua vero ratione ad illum attinuerit, niſi re ipſa fuiſſet ejus diſcipulus, & in Galliis præcipuus ejus Regulæ inſtitutor?

Alia ex tumulo S. Mauri.

2. Eamdem Gallicanam miſſionem confirmat altera inſcriptio, quæ ſcilicet, teſte Odone ipſo, in ejuſdem ſancti tumulo reperta eſt anno DCCCXLV. proindeque ante ejus vitæ publicationem. ſic vero habebat: *Hic requieſcit corpus Mauri monachi & Levitæ, qui tempore Theodeberti regis in Galliam venit, & XVIII. kalend. Februariarum migravit a ſeculo.* Hæc Mauro ſancti Benedicti diſcipulo, cujus habemus vitam, apprime conveniunt; alteri, qui ex Italia non adveniſſet, vix applicari poſſint. At, inquies, Maurus hic non dicitur S. Benedicti diſcipulus. Fateor, ſed circumſtantiæ, quæ in hoc brevi epitaphio habentur, cum ſancti Mauri vita comparatæ, id ipſum omnino probant. Nec juverit dicere incertum omnino eſſe tempus, quo primum illud epitaphium tumulo ſancti Mauri appoſitum fuerit. Non enim de hac re diutius inquirere operæ pretium eſt, cum nihil noſtra interſit, modo fateantur adverſarii noſtri, illud in ipſa Tranſlatione inventum eſſe, proindeque ante publicatam ſancti Mauri vitam. quod ſane nemo inficiari poteſt. Et quidem, ſi a falſario quopiam poſt vitæ publicationem confictum fuiſſet ad firmandam Miſſionis ſancti Mauri opinionem, certe apertius de ea Miſſione, aut de ſancto Benedicto ejus auctor aliquid facile intruſiſſet; eumque ſancti Benedicti diſcipulum dixiſſet.

Tranſlatio ſociorum S. Mauri.

3. His denique omnibus adjungi poteſt Tranſlatio ſanctorum Antonii & Conſtantiniani, qui Mauri in Gallias a ſancto patre Benedicto miſſi comites fuiſſe memorantur. quamvis enim duodecimo ſolum ſæculo a Calixto II. pontifice hæc facta fuerit, haud tamen parum prodeſt ad confirmandam ſancti Mauri miſſionem, cum certum ſit, illos ſanctos numquam ſub alio nomine aut titulo cognitos & cultos fuiſſe. Nec dici poteſt, eos a Glannafolienſibus confictos fuiſſe, ut majorem traditioni ſuæ de miſſione ſancti Mauri fidem conciliarent. nam præterquam quod tam atrocem accuſationem nemini abſque evidenti probatione infligere licet, id gratis omnino fuiſſet confictum, cum certum ſit neminem eo tempore miſſionem ſancti Mauri in dubium revocaſſe.

4. Ceterum etſi ultro fateamur hæc omnia argumenta, quæ propoſuimus, non ejuſdem

eſſe virtutis ad aſſerendam Miſſionis ſancti Mauri traditionis veritatem, neminem tamen infitiari poſſe credimus, quod, etſi ex illis nonnulla ſeorſim ſpectata non magni forte ponderis eſſe quibuſdam videantur, omnia tamen ſimul in unum collecta demonſtrationem quamdam hiſtoricam efficiant, qualis in factis ejuſmodi peculiaribus haberi poteſt.

VII.

Miſſio ſancti Mauri ex ejus Vita.

Unum adhuc ſupereſt maximi hac in controverſia momenti examinandum; vita ſcilicet ſancti Mauri, quæ ab Odone vulgata fuit. quam ſi ſinceram eſſe probaverimus, fruſtra contra hanc miſſionem adverſarii noſtri argumenta congerent, ut eam evellant. Etenim tam aperte, tam perſpicue in hac vita tota miſſionis ſeries deſcribitur, immo tota illa vita adeo eſt cum miſſione conjuncta, ut alteram ab altera ſeparari impoſſibile ſit. Miſſio quippe non eſt circumſtantia aliqua, aut quid ſimile, quod in vetus monumentum potuiſſet ab aliquo interpolatore invehi; ſed ipſum eſt totius vitæ beati Mauri fundamentum & ſcopus. In ea quippe repræſentatur Maurus a ſancto patre Benedicto in monaſterio Caſinenſi a teneris educatus, ad Francorum petitionem miſſus in Gallias, cujus itineris minutiſſimi quique eventus, novi monaſterii conſtructionis, totius vitæ in Galliis actæ & mortis ejus circumſtantiæ ita accurate & ſingillatim deſcribuntur, ut ſi miſſio illa rejiciatur, neceſſe eſt etiam vitam ipſam omnino rejici. Si itaque vitæ aliqua concilietur auctoritas, ipſa in miſſionem omnino redundabit. Fidem vero illi vitæ deberi ex triplici capite propugnamus; primo ex ſeipſa, utpote quæ præ ſe fert ſinceritatis notas, quæ in confictis monumentis occurrere non ſolent; ſecundo ex ejus, qui eam vulgavit, auctoritate, quem re ipſa fuiſſe Odonem Foſſatenſem abbatem, invicte probabimus: tertio ex Adrevaldi teſtimonio, qui ejus vitæ excerpta in ſuum librum adoptavit.

Vitæ S. Mauri auctoritas ex ſeipſa.

1. Vitam ſancti Mauri ſub Fauſti nomine vulgatam ſincerum auctoris, cujus nomen præfert, fetum eſſe probant, & res quæ in ipſa vita narrantur, & modus eas narrandi. Certe multa ſunt in ea vita, quæ fictitius auctor ſæculi noni, aut ſequentis, qualem excogitare volunt adverſarii noſtri, non retuliſſet abſque erroribus, qui in illorum ſæculorum auctoribus occurrere ſolent, cum de rebus ſæculi ſexti aliquid ſcribunt. Ejuſmodi ſunt quæ Fauſtus habet de Theodeberto & Theodebaldo Francorum regibus, ac de monarchia poſt eorum aliorumque regum mortem in unum Chlotharium redacta. Idem dicendum de Eutropio Andecavorum epiſcopo vix noto; de antiqua conſuetudine deferendæ per diaconos ſtolæ primo ſuæ ordinationis anno; quæ jam intrante ſæculo nono ad ſolos preſbyteros reſtricta erat, perſeverabatque adhuc ſæculo ſequenti, uti ex Vita ſancti Odonis colligi poteſt; ſed quæ tandem penes ſolos Romanos pontifices hactenus remanſit. Obſervatione etiam ſingulari digna ſunt, quæ idem auctor de Hilderico Wandalorum in Africa rege retulit, quod ex Romana matre princeps natus, affinis proculdubio fuerit ſancto Mauro, qui ex nobilioribus Romæ familiis, teſte Gregorio Magno, oriundus erat. Deinde hujus Hilderici regni annos apprime omnino cum Johannis pontificatu & Juſtini imperio conjunxit Fauſtus, quod a nullo ſequioris ævi auctore factum fuiſſe invenias. His addenda lues ab eodem auctore memorata, quam ſanctus Gregorius Turonenſis antiſtes, & vitæ ſancti Ebrulfi auctor, re ipſa contigiſſe, uti a Fauſto refertur, fidem faciunt.

Jam vero ſi hujus vitæ ſtilum, ac ſcribendi rationem examinaverimus, ſcripta eſt ſtilo ſimplici; tota miraculis eſt contexta, ut ferebat ævi, quo Fauſtus vixiſſe creditur, conſuetudo; omnia denique habet, quæ in aliis ejus temporis monumentis deprehendi ſolent. Unde cum primum ſub ejuſdem Fauſti nomine ab Odone vulgata eſt ſæculo nono exeunte, nemo refragatus eſt, nemo aliquid deprehendit, quod omnino non eſſet tempori, de quo agebatur, conſentaneum. e contrariò omnes ùna voce, unoque conſenſu eam recepere; Itali ſimul & Galli, ſicut & ceteræ omnes orbis Chriſtiani nationes. Et re ipſa nihil hodieque in hac vita, aut in ipſius Miſſionis traditione occurrit, quod veteribus monumentis, ſæculo ſexto aut ſeptimo conſcriptis, non conveniat. Et quidem ſanctus Benedictus, qui in Sublacenſi deſerto adhuc poſitus, jam compluribus diſcipulis aggregatis, duodecim monaſteria conſtruxerat, ac nobiliores quoſque Romanæ urbis ſuæ diſcipulorumque ſuorum ſanctitatis fama ad eum inviſendum, uti refert ſanctus Gregorius, attraxerat; multo procul dubio, cum in Caſinenſem montem commigravit, celebrior evaſit; ita ut mirum non ſit, quod poſt annos viginti-duos, quos in illo ſacro monte exegit, etiam Galli ad eum convenerint, ut aliquot ex ejus diſcipulis ab eo poſtularent. Certe vel ex ipſius ejus regulæ lectione patet, eam non pro Italis ſolum, ſed etiam pro iis, qui in exteris & longinquis regionibus viverent, exaratam fuiſſe; quod manifeſte indicant ea quæ de vini menſura, ac de indumentorum qualitate & quantitate præſcribit. Adde ex ipſius Gregorii verbis certum videri, nonnullos ex beati Benedicti diſcipulis in longinquis regionibus verſatos fuiſſe, cum ipſe ſanctus Pater ad ſuperos abiit; ſiquidem *quibuſdam longe manentibus* indicavit, *quod vel quale ſignum viderent, cum anima ejus e corpore exiret.* Et hæc iis optime conveniunt, quæ S. Mauro apud Fontem-togi prope Antiſiodorum tunc hoſpitanti contigiſſe narrat Fauſtus.

Ex Odone ejus editore.

2. Hanc quam præ ſe ipſa fert ſinceritatem vita ſancti Mauri egregie confirmabit ejus, qui illam publicavit, auctoritas, ſi conſtet eam re ipſa ab Odone abbate Foſſatenſi ſæculo nono fuiſſe publicatam. Nemo enim hactenus infitiari auſus eſt, Odonem illum fuiſſe virum probum & ſincerum auctorem, de cujus fide nihil ſit dubitandum. At vitam ab Odone illa

Digitized by Google

vulgatam fuiſſe probat epiſtola ſub ipſius nomine ad Adelmodum archidiaconum Cenomannenſem ſcripta, in qua id ipſum diſerte affirmatur. Hanc vero epiſtolam ipſius Odonis eſſe evincit ejus cum Hiſtoria Tranſlationis, quam ſincerum Odonis fetum eſſe omnes agnoſcunt, ſtili & rerum narratarum omnimoda conformitas. In ea quippe Odo libros duos nuncupat Adelmodo, multum do gloria ſancti Mauri ſollicito; primum de vita ejuſdem ſancti viri a Fauſto olim conſcriptum, & a ſe nuper inventum & emendatum; alterum vero de hiſtoria Tranſlationis ejus, quam ipſe teſtis oculatus conſcripſerat.

Nec dici poteſt, Odonem Tranſlationis quidem Hiſtoriam Adelmodo nuncupaſſe, non vero vitæ libellum, quem ipſe non ſcripſerat. Si enim Tranſlationis hiſtoria a Vitæ libello ſeparetur, nihil prorſus remanebit quod ad Adelmodum ſpectet; e contrario, ſi vitæ libellus jungatur cum Hiſtoria Tranſlationis, jam nihil in utroque opuſculo habebitur, quod Adelmodo optime non competat. Vita enim eſt & Tranſlatio viri ſancti, qui Cenomannenſium antiſtitis & populi votis conceſſus fuerat, cujus rei fuerat mediator Frodegarius ipſius Adelmodi anteceſſor, ad hoc a ſuo epiſcopo in Italiam legatus, qui eum in Caſino monte ab ipſo ſancto Patriarcha obtinuerat in Gallias adducendum; qui teſtis fuerat tot miraculorum, quæ in vita ipſa narrantur, & peculiaris ejus amicus. His adde ſingularem Cenomannenſis cleri & populi in Benedictum & ejus diſcipulos affectum, ut qui poſtea iterum in Italiam miſerint, ejuſdem Patris reliquias apud ſe advehendi deſiderio; qui ſororis ejus Scholaſticæ reliquias poſſidebant, conſtructo in ejus honorem inſigni parthenone; qui denique ad triginta & ſex monaſteria ordinis Benedictini in ſua diœceſi habuerunt. Hæc omnia Adelmodum movere debebant, ſi Vita ſancti Mauri ſimul cum hiſtoria Tranſlationis ipſi nuncupata fuiſſet; nihil vero ad eum pertinent, ſi Vita ac Miſſio ab Hiſtoria Tranſlationis ſejungantur.

Jam vero ſi epiſtola ipſa cum hiſtoria Tranſlationis comparetur, idem ſtilus occurret, ut infra demonſtrabimus, eædem res memoratæ; quin & quæ de ſancti Mauri geſtis in hiſtoria Tranſlationis habentur, eodem prorſus modo in vitæ libello narrata occurrunt. In utroque enim opuſculo Maurus Levita dicitur, utrobique ſub Theodeberto rege in Gallias dicitur adveniſſe: quod ſane obſervatione dignum eſt de ſancto, qui apud Andecavos moratus eſt. Reliquiæ ſancti Stephani, in utroque libro ei conſepultæ, & quidem in eccleſia ſancti Martini ab eo exſtructa: Maurus in epitaphio abbas non dicitur; quod, ut ex vita diſcimus, biennio antequam e vivis excederet, abdicata præpoſitura, in cellam privatam ſe recepiſſet. alia denique ejuſmodi bene multa legentibus occurrent, quæ congerere non vacat, cum ea quivis in legendis illis monumentis facile deprehendere poſſit.

At, inquiet aliquis, quid mirum, ſi perſonatus ille Odo in Vita ea deſcripſerit, quæ a vero Odone in Hiſtoria Tranſlationis narrantur? cum hanc hiſtoriam, quæ jam tum vulgata erat, cum vitam effingeret, præ manibus habere potuerit. ſed hæc dici non poſſe, vel ex eo patet, ut infra probabimus, quod is, qui vitam illam vulgavit, quiſquis iſte tandem fuerit, ſimul cum Odone Hiſtoriæ Tranſlationis auctore vixerit.

Verum quo ſe vertent adverſarii, ſi ſe Odonem vitæ publicatorem laudaverit ipſe Odo hiſtoriæ Tranſlationis auctor? Id certe ex duobus ejus hiſtoriæ locis luculenter probamus. Primus exſtat numero 3. Hiſtoriæ Tranſlationis, ubi Odo de Glannafolienſi monaſterio ſic loquitur. *Cum adhuc & monaſtica religionis obſervantia in eodem ſancto cœnobio optime cuſtodiretur, ... numeroſitas quoque religioſorum monachorum, ut ſtatutum a beato Mauro fuerat, ibi pleniter habebatur.* Hic Odo ſtatutum beati Mauri laudat, quo numerus monaſterii ſui monachorum definitus erat. ſtatutum vero illud diſertis verbis habetur in Vitæ libro numero 57. nec uſpiam alibi reperiri poteſt. *Unde*, inquit, *factum eſt, ut vigeſimo-ſexto anno fundationis ipſius cœnobii, congregatio centum quadraginta fratrum illic adunata eſſet. qui* NUMERUS *tunc a beato Mauro ſcriptus, & auctoritate tam ejus, quam totius congregationis* PRÆFIXUS *atque* STATUTUS *eſt.* Si quis vero dixerit, Odonem forte illud ſtatutum ex alio quopiam auctore didiciſſe, aſſignetur quis fuerit ille auctor, & tunc demum ei fidem habebimus.

Locus alter rem multo clarius exprimit, & ita quidem, ut in alienum ſenſum detorqueri prorſus nequeat. Habetur numero 32. Hiſtoriæ Tranſlationis, ubi Odo ejus auctor, Odonem vitæ publicatorem, & epiſtolam ei præfixam laudando, ſeipſum & ſuum ipſius opus citare manifeſte indicat. En ejus verba: *Cum vero & illic creberrimis & improviſis paganorum deterreremur eruptionibus, ſecundum quod in* EPISTOLA *huic opuſculo præpoſita continetur, hoc ſancti viri corpus citra fluvium Ararim a nobis deportatum digno cum honore..... collocatum in fundo Audonis comitis eſt.* Hic laudat Odo Tranſlationis hiſtoriæ ſcriptor epiſtolam a ſe ſuo ipſius operi præfixam, in qua de Nortmannorum irruptionibus, & de Tranſlatione corporis ſancti Mauri apud Audonem comitem ſcripſerat quæ omnia apprime congruunt Epiſtolæ, quæ ſub nomine Odonis vitæ ſimul & hiſtoriæ Tranſlationis præfixa eſt. Nam eam epiſtolam utrique operi communem eſſe declarat ipſe auctor numero 4. & in ea habentur omnia omnino, quæ Odo in epiſtola a ſe laudata contineri ſcribit, quæ alibi fruſtra quæſieris.

Neque reponi poteſt hæc Odonis verba intelligenda eſſe de præfatione, quam ipſe Hiſtoriæ Tranſlationis præmiſerat. Nihil enim in hac Hiſtoriæ præfatione occurrit de Nortmannorum irruptionibus, neque de aliis rebus, quas Odo diſertis verbis affirmat memoratas fuiſſe in epiſtola a ſe laudata. Deinde idem ipſe Odo *Præfationem* ſuam ab *Epiſtola* a ſe citata diſtinguit.

cum enim ea quæ modo retulimus ex *epiſtola* protuliſſet, numero ſequenti *præfationem* ſuam laudat bis verbis: *Exinde autem juxta præfationem hujus libelli, in monaſterium Foſſatenſe deportavimus*, &c. quæ re ipſa in *præfatione* hiſtoriæ Tranſlationis habentur. Obſervari etiam poteſt *præfationem hujus libelli* hic appellari, quod ad ſolam hiſtoriam Tranſlationis pertineat; ſupra vero *epiſtolam* dictam fuiſſe *opuſculo* præfixam, quod utrique libello, Vitæ ſcilicet & Tranſlationis, commune eſſet. Ex his itaque nemo non videt, Odonem qui vitam publicavit, ab Odone Hiſtoriæ Tranſlationis auctore non eſſe diſtinguendum; proindeque, cum ille, conſentientibus adverſariis noſtris, vir probus fuerit, ſincerus, atque omni fide dignus; Vitam ſancti Mauri antiquam ſub Fauſti nomine ab eo inventam fuiſſe fatendum eſt, in qua Miſſio ſancti Mauri in Gallias fuſe & accurate, uti eam modo habemus, deſcripta erat. Ipſe enim Odo Deum veritatis teſtem appellat, ſe nihil in ea, quod ad hiſtoriæ veritatem ſpectet, immutaſſe.

Vitæ ſinceritas ex teſtimonio Adrevaldi aſſerta.

3. Tertium ad aſſerendam vitæ ſancti Mauri ſuam ſinceritatem integram & illibatam argumentum ex Adrevaldi teſtimonio eruitur; cujus auctoritas hac in re tanti eſt ponderis, ut, etſi ex his quæ protulimus non omnino conſtaret Odonem abbatem Foſſatenſem fuiſſe hujus Vitæ editorem, diffiteri tamen non poſſent adverſarii noſtri, eam Odonis ætate notam fuiſſe, & pro antiquo monumento, cujus auctor Fauſtus ſancti Mauri ſocius fuerat, jam tunc habitam. unde perinde eſt ad ejus antiquitatem comprobandam, an ab Odone, aut ab alio quopiam publicata fuiſſe dicatur. Duo itaque hic probanda habemus. primum vitam quæ Fauſto adſcripta eſt, ab Adrevaldo laudatam fuiſſe: ſecundum, hunc eumdem Adrevaldum re ipſa ſæculo nono, eo ſcilicet tempore, quo Odo abbas Foſſatenſis vivebat, librum ſuum edidiſſe.

Adrevaldum de Miſſione S. Mauri ſcripſiſſe, & nonnulla ex ejuſdem ſancti vita a Fauſto conſcripta excerpſiſſe ſi quis in dubium revocet, aperiat librum ejus de miraculis ſancti Benedicti, & capitis ſexti argumentum, hoc compendio relatum deprehendet: *Sanctus Benedictus ſanctum Maurum in Gallias mittit.* Totum illud caput ac tria ſubſequentia omnem ejuſdem ſancti Miſſionis ſeriem exponunt. quibus Adrevaldus hæc verba ſubjungit de ejuſdem vitæ auctore. *qui Fauſtus poſt obitum beatiſſimi Mauri ſolum repetens paternum.... petentibus fratribus proprii monaſterii, vitam beati Mauri compoſuit: ex quo opere nos quoque hæc quæ ſcripſimus mutuavimus.* En vita ſancti Mauri a Fauſto ſcripta, quam a ſe excerptam laudat Adrevaldus, an vero ab Odone aut ab alio quopiam publicata illa vita fuerit, nuſquam exprimit, nec noſtrum intereſt. Jam de ejus ætate inquirendum.

Suam ipſius ætatem prodit Adrevaldus, ubi ſcribit, ſe Ludovici Pii ætate vixiſſe, atque ea miracula deſcripſiſſe, quæ ad ſancti Benedicti tumulum facta fuerant eodem imperatore, atque Carolo ejus filio rege, priuſquam ſcilicet iſte ad imperii faſtigium fuiſſet provectus. Unde Carolum imperatorem nuſquam, regem paſſim appellat. Et quidem Adelerius Adrevaldi continuator ab imperio Caroli Calvi narrationem ſuam exorditur. Cum itaque Carolus anno DCCCLXXV. imperium inierit, nemo inficiari poteſt, Adrevaldi librum ante illum annum exaratum fuiſſe, proindeque eo ipſo tempore, quo Odo Foſſatenſis Hiſtoriam ſuam ſcribebat, qui eam ad annum DCCCLXIX. continuavit.

Idem manifeſtius indicat Adrevaldus alio in loco, nempe capite triceſimo-tertio, ubi de Nortmannorum incurſionibus agens, ſic habet: *His atque hujuſcemodi malis per triginta ferme annorum ſpatium Gallis non abſque piaculo quorumlibet detritis*, &c. quibus verbis idem auctor indicat, ſe ea ſcripſiſſe, cum anni ferme triginta a primis Nortmannorum irruptionibus elapſi fuiſſent. Jam vero ſi Nortmannicarum irruptionum initia ad Fontanetenſis pugnæ tempus revocemus, (neque vero ultra id tempus differri poſſunt, cum jam antea Rotomagum, Gemeticum & alia loca barbari illi diripuerint & incenderint) cum prœlium iſtud anno DCCCXLI. commiſſum fuerit, Adrevaldus anno, aut certe paullo ante annum DCCCLXXI. librum ſuum ſcripſiſſe dicendus eſt, eodem ſcilicet tempore, quo pariter Odo hiſtoriam ſuam Tranſlationis publicavit. Unde cum Adrevaldus ſancti Mauri Miſſionem ex ejuſdem ſancti Vita, quam Fauſtus ſcripſerat, eo ipſo atteſtante, enarraverit; fatendum eſt, jam eo tempore Vitam ſancti Mauri auctore Fauſto, pro certo & indubitato antiquitatis monumento habitam fuiſſe.

At, inquies, Vita quam laudavit Adrevaldus, ipſa forte non eadem eſt, ac ea quæ ab Odone vulgata dicitur. Sed facilis eſt ad hanc objectionem reſponſio, cum perinde ſit ad Miſſionem ſancti Mauri aſſerendam, ſive eadem dicatur, ſive diverſæ illæ ſancti Mauri vitæ fuerint. Si enim una & eadem eſt, conſtat Miſſionem ſancti Mauri in ea contineri; ſi duæ admittantur, in utraque eadem Miſſio cum ſuis circumſtantiis diſerte & fuſe expoſita habetur. Unde quoquo ſe vertant adverſarii, fateantur neceſſe eſt, hanc Miſſionem ab Odone, quicumque demum ille fuerit, ſub ſæculi noni finem, aut initio ſequentis primum excogitatam non fuiſſe. Si enim ille Odo, quem adverſarii ſuppoſititium auctorem fuiſſe ſuſpicantur, vitam a ſe publicatam tunc fabricaverit, nihil inde contra Miſſionis veritatem deduci poteſt, cum jam ante illud tempus Miſſionem Adrevaldus ex antiquiſſima vita deſcripſiſſet, ut ex ejus verbis ſupra relatis conſtat. nec multum intereſt, an Adrevaldus, an vero Odo ſincerus Miſſionem hanc primus ex antiqua vita deſcripſerit, modo de ejus veritate conſtet.

Ejus auctoris ætas.

Alii, ut has anguſtias effugiant, comminiſcuntur, Adrevaldum Odone multo juniorem fuiſſe, utpote qui ad annum DCCCXCI. pertigerit, id eſt ad annos viginti & ultra poſt publicatam ab Odone Hiſtoriam Tranſlationis. Id vero triplici argumento probare conantur,

primo auctoritate Sigeberti Gemblacenſis, qui Adrevaldum anno ipſo DCCCXCI. floruiſſe obſervat. Deinde ex eo quod Adrevaldus ipſe librum ſuum ad Odonis regis tempora protraxerit. qui quidem Odo anno DCCCLXXXVIII. regnum capeſſivit ad decennium. Denique quod idem auctor laudet Walterium epiſcopum Aurelianenſem, qui anno DCCCXCI. concilio Magdunenſi interfuiſſe memoratur.

Verum has objectiones nullius eſſe momenti ſatis ſuperque probant ea, quæ ſuperius ex ipſo Adrevaldo de ejus ætate protulimus. Si enim is ipſe diſertis verbis aſſerit ſe ſub Ludovico Pio, ejuſque filio Carolo Calvo vixiſſe, atque librum ſuum ante annum triceſimum excurſionum Nortmannicarum regnante Carolo Calvo exaraſſe, quæ alterius ſcriptoris auctoritas tam apertæ veritati opponi poteſt? Id vero diſerte habet Adrevaldus, ut modo demonſtratum. Deinde Sigibertus Gemblacenſis, & quivis alii, qui Adrevaldum anno DCCCXCI. floruiſſe dixerunt, ob id in errorem circa ætatem Adrevaldi lapſi ſunt, quod Adelerium ab eo non diſtinxerint, eidemque Adrevaldo extrema duo de ſancti Benedicti miraculis capita, quæ Adelerii eſſe conſtat, tribuerint. quod ſi aliquem ejus rei teſtem volunt adverſarii, præſto adeſt Aimoinus, loco & tempore illis ſcriptoribus proximus, quique utriuſque librum in ipſo Floriacenſi monaſterio, annis circiter centum antequam Sigebertus in Belgio floreret, continuavit. Is vero hac de re ſic loquitur in præfatione. *Signa hic vel per Gallias ipſius* ſancti Benedicti *meritis geſta vir diſertiſſimus Adrevaldus iſtius monaſterii monachus ſcriptis inſeruit: cui operi Adelerius, hujus nihilo minus congregationis monachus, duo tantum capitula adjecit. Horum ergo veſtigia, &c.* Ad Walterium Aurelianorum antiſtitem quod attinet, verum quidem eſt eum anno DCCCXCI. concilio Magdunenſi interfuiſſe; at non minus conſtat eumdem antiſtitem multo antea Aurelianenſem thronum conſcendiſſe; quippe qui jam anno DCCCLXXVI. Pontigonenſi, immo anno DCCCLXVII. aut certe DCCCLXIX. Vermeriacenſi conciliis ſubſcripſerit.

Auctoritas. 4. Non majoris eſt momenti quod adverſus Adrevaldi auctoritatem obtendunt Miſſionis ſancti Mauri impugnatores, illum nempe auctorem virum ſimplicem fuiſſe, qui nænias in ſuum librum paſſim admiſerit. Etſi enim daremus, quod tamen non damus, Adrevaldum hominem fuiſſe ſimplicem, certum eſt ejuſmodi hominum teſtimonium non minus eſſe certum in enarrandis rebus a ſe viſis, quam eruditorum quorumcumque. Agitur hic, utrum Vita ſancti Mauri per Fauſtum conſcripta, jam ſæculo nono cognita fuerit, antequam ſcilicet Odo neſcio quis, ut fingunt adverſarii, eam deſinente ſæculo nono, aut ſequentis initio vulgaverit. Adrevaldus eam ſe vidiſſe, & ex ea multa mutuatum fuiſſe aſſeverat; & re vera multa ex illa excerpſit, & a ſe excerpta retulit. Certe ſive ſimplex, ſive argutiſſimus homo fuerit, perinde eſt: quantumlibet enim ſimplex fuerit, extare debebat vita, quam ſe vidiſſe refert, & ex qua multa producit excerpta, quæ hodieque in ejus libro habentur. Itaque jam tum exſtabat illa vita; idque unum nobis ſatis eſt, ad aſſerendam ejus contra falſi Odonis effictores veritatem.

Ceterum Adrevaldus non ut homo ſimplex, ſed veluti auctor gravis & doctus laudatus paſſim occurrit, quem Aimoinus, ut modo referebamus, & alii *diſertiſſimum* appellarunt. & quidem quod in ſimplicitatis ejus argumentum exempli gratia protulerunt nonnulli, quod ſcilicet ſcripſerit primæ ſtirpis reges Francorum ad conventus publicos in curribus more ruſtico per boves tractis venire ſolitos fuiſſe, nullo negotio refelli poteſt: cum id ipſum referant nobiliores quique & antiquiores Francicæ hiſtoriæ ſcriptores; quin &, quod magis mirum eſt, quæ ea de re habet Adrevaldus, de verbo ad verbum ex Eginardo nominatiſſimo ſcriptore in vita Caroli Magni mutuatus eſt.

ALTERA PARS.

Objecta adverſus ſancti Mauri Miſſionem Gallicanam ſolvuntur.

HUc uſque ad ſtabiliendam beati Mauri in Gallias miſſionis traditionem monumenta ſimul & argumenta protulimus, quæ etſi ſingula non æqualis ſint roboris, in unum ſaltem collecta rem adeo evincunt, ut pauca reperias antiquitatis facta peculiaria, quæ hiſtorice tam certo & evidenter demonſtrata ſint. Jam vero reſpondendum eſt adverſariorum noſtrorum objectionibus, qui paucis abhinc annis traditionem adeo conſtantem impugnare veriti non ſunt, quæ per tot ſæculorum curricula nemine umquam refragante, immo omnibus verbo & ſcripto ubique conſentientibus, ex ipſorum adverſariorum confeſſione, recepta fuerat. Porro etſi in hac Apologia gallice edita, ſingulis qui Miſſionem impugnarunt ſingillatim diſtinctis capitibus reſponderimus, quod eo pacto ipſa eorum verba referre facilius eſſet; eos tamen hic ſimul jungere viſum eſt, ne ſemel dicta ſæpius repetere neceſſe ſit, cum eadem paſſim diverſi objecerint, & nihil fere ab uno dictum ſit, quod ab altero non fuerit prolatum. Et quidem in id unum incumbunt omnes, ut vitæ, quam ab Odone vulgatam fuiſſe contendimus, auctoritatem omnino elevent. qua in re non ſatis cauſæ ſuæ conſulunt; quandoquidem Miſſionem ſancti Mauri non ex ſolius vitæ auctoritate certam eſſe contendimus; quam nempe multis aliis, & quidem indubitatis monumentis aſſeruimus. Verum cum admiſſa ſemel vita admitti etiam miſſionis veritatem neceſſe ſit; aliundeque de illius ſinceritate omnino conſtare debeat, uti in altera hujus diſſertationis parte probavimus; adverſariorum difficultates, quibus eam impugnare conati fuerunt, ſolvere, omniaque eorum argumenta nullius eſſe roboris demonſtrare pergemus.

I.

Idem Odo vitam publicavit & ſcripſit hiſtoriam Tranſlationis.

1. Primo aiunt Vitam hanc, quæ ſub Fauſti nomine vulgo circumfertur, Odoni abbati falſo fuiſſe ſuppoſitam, quam ab eo publicatam non fuiſſe probare conantur, ex comparatione ejus vitæ facta cum alio, & quidem certo & indubitato ejus abbatis libro, nempe Hiſtoria Tranſlationis ſancti Mauri: qua comparatione evidenter, uti aiunt, apparet, duo hæc opuſcula ab uno & eodem auctore non prodiiſſe, cum illa neque in factorum relatione ſibi invicem cohæreant, neque ſtilus utriuſque idem ſit, ſed diverſus; nec denique idem titulus Odoni in duobus iſtis opuſculis tribuatur. quod certe ab Odone commiſſum non fuiſſet, ſi utriuſque operis fuiſſet auctor.

Verum ita perſpicue in ſuperiori bujus opuſculi parte demonſtravimus, eum Odonem, qui hiſtoriam Tranſlationis ſancti Mauri ſcripſit, publicaſſe etiam vitam ſancti Mauri, quæ ſub Fauſti nomine habetur, ut nullus ſubterfugiendi locus ſupereſſe videatur. Verum ne quid reſtet hac in re difficultatis, etiam tres illas, quas in horum opuſculorum comparatione adinvenerunt adverſarii noſtri, diverſitates nullas omnino eſſe probare juvat. Et primo quidem

Nulla eſt diverſitas factorum.

quod rerum in iis contentarum diverſitatem ſpectat, ex eo repetendam non eſſe certum eſt, quod alia in Hiſtoria Tranſlationis, alia in vita ſancti Mauri facta narrentur. Non enim eadem eſſe poteſt hiſtoria vitæ alicujus ſancti, cum hiſtoria ejus tranſlationis; quæ annis circiter trecentis poſt illius obitum facta eſt. Si itaque diverſitas aliqua factorum objici poſſet, ea eſſet quod geſta ſancti Mauri, quæ data occaſione referuntur in hiſtoria tranſlationis, nullo prorſus modo concordarent cum vitæ auctore. At ſi utrumque librum, de vita ſcilicet ſancti Mauri & de ejus Tranſlatione, ad invicem conferamus; nihil omnino in Hiſtoria Tranſlationis occurrit de ſancto Mauro, quod omnino non conveniat cum vitæ libello. Eædem perſonæ, eadem loca, eædem rerum circumſtantiæ, iiſdem pæne verbis in utroque opere exhibentur. Sic in Hiſtoria Tranſlationis numero 17. Maurus in oratorio ſancti Martini ſepultus memoratur, quod idem habet vitæ auctor num. 70. In Hiſtoria Tranſlationis numero jam laudato refertur inſcriptio, quæ in tumulo ſancti Mauri inventa eſt, in qua *levita* nuncupatur, & hic poſitus dicitur tempore Bertulfi abbatis; additur Reliquias ſancti Stephani aliorumque ſanctorum juxta ipſius corpus poſitas fuiſſe, ejuſque adventus tempore *Theudeberti regis* conſignatur; quæ omnia diſertis verbis fuſe exponuntur in vitæ libello. Denique loca vitæ, quæ ab auctore Hiſtoriæ Tranſlationis laudata fuiſſe diximus, rem ita evincunt, ut nullus ſuperſit alicui ſcrupulo locus.

Jam vero ſi epiſtolam ab ipſo Odone vitæ libello præfixam cum hiſtoria Tranſlationis comparare placeat, ovum ovo non deprehendetur eſſe ſimilius. In utroque enim opere Adelmodus exhibetur curioſus earum rerum, quæ ad ſanctum Maurum pertinebant, indagator; Odo vero earumdem prædicator ſtudioſus; & hic quidem in utroque opere nihil omittit, ut tanti viri, quem impenſe colebat, merita omnibus palam faceret. Utrobique videre eſt eamdem cautionem adhibitam in rebus enarrandis, & in concilianda ſibi lectorum fide. Hinc eorum nomina refert, a quibus ea acceperat, quæ volebat poſteris eſſe tranſmittenda, circumſtantias accurate deſcribit; denique in utroque opuſculo iiſdem ferme verbis exponit, quæ ſibi in itinere contigerant, cum apud Audonem comitem trans fluvium Ararim ſeſe reciperet.

Aut ſtili.

2. Ad ſtili diverſitatem quod attinet; certe nemo exigere poteſt, ut vita ſancti Mauri, & ejus Tranſlationis Hiſtoria eodem prorſus ſtilo exaratæ ſint. hanc quippe Odo abbas continenter deſcripſit, alteram vero a ſe interdum emendatam, ut ipſe putabat, aut certe aliquot in locis ſtilo parumper limato publicavit. Si vero epiſtolam vitæ præfixam, quæ tota Odonis eſt, cum ejus hiſtoria Tranſlationis comparemus, nemo utrumque opus unius & ejuſdem auctoris fetum eſſe non deprehendet. Aliquot loca proferre lubet in exemplum ex utroque opere, quæ invicem comparata omnem dubitandi rationem adiment.

Ep. n. 1.	*Glannafolium ex antiquo vocatur.*	Tranſlat. Hiſt. n. 1.	*Ex antiquo Glannafolium nominatur.*
Ep. n. 1.	*Certam cupiens reddere tuam fraternitatem, ſicut te crebro popoſciſſe reminiſcor.*	Tranſlat. n. 1.	*Sicut crebro tuam, venerande vir Adelmode, popoſciſſe reminiſcor fraternitatem.*
Ep. n. 3.	*Sicut rei ſuppetebat opportunitas.*	Tranſlat. n. 32.	*Prout temporis & loci permiſit oportunitas.*
Ep. n. 3.	*Virorum non ignobilem*	Tranſlat. n. 12.	*Non ignobili ortus familia.*
Ep. n. 1.	*Pontificem ſanctæ ſedis cui.*	Tranſlat. n. 30.	*Archidiaconum ſanctæ ſuæ ſedis.*

Ad hæc, loquendi modi ſingulares, & exoleta verba paſſim occurrunt in utroque opere, eodem prorſus ſenſu adbibita. qualis eſt vox *circumcirca*, &c. utrumque opuſculum *libellus* in uno & in altero nuncupatur. Adde his ſeceſſum Odonis trans Ararim in Comitis Audonis poſſeſſionem iiſdem ferme verbis in utroque opere, ut jam diximus, deſcriptum. quæ ſane omnia ſatis ſuperque ſufficiunt ad convenientiam hanc aſſerendam, maxime cum epiſtola vix duas paginas complere poſſit.

Aut titulorum.

3. Supereſt itaque ut de titulorum diverſitate agamus, qua contendunt adverſarii detegi poſſe larvam falſi Odonis. Hæc diverſitas in eo, ut aiunt, conſiſtit, quod Odo re ipſa ſincerus, in Hiſtoria Tranſlationis *abbas ſancti Mauri* dicitur; & larvatus Odo in epiſtola vitæ

præfixa inſcribitur *abbas Glannafolienſis.* quod, inquiunt, dici non potuit de Odone ſincero: cum certum ſit illum *ſancti Mauri* cœnobii, id eſt Foſſatenſis, numquam *Glannafolienſem* abbatem exſtitiſſe.

At falluntur adverſarii, ſi perinde ſit dici abbatem *ſancti Mauri*, ac *abbatem Glannafolienſem.* Atqui idem eſſe conſtat ex ipſomet ſincero, uti appellant, Odone, qui in Hiſtoria Tranſlationis Foſſatenſe monaſterium a monaſterio ſancti Mauri manifeſte diſtinguit, ubi ſemper & ubique primum appellat *Foſſatenſe*, ſeu *ſancti Petri Foſſatenſis*; alterum vero, nempe Glannafolienſe, ſub *ſancti Mauri monaſterii* nomine ubique indigitat. Ita numero 1. *Godefredum abbatem Foſſatenſem* laudat; num. 2. *monaſterium ſanctæ Dei genitricis & ſancti Petri, quod antiquitus Foſſatenſe*, &c. nulla ſancti Mauri facta mentione. Occurrit etiam num. 13. *Ingelbertus abbas Foſſatenſis.* & num. 14. *rectores Foſſatenſis monaſterii* dicuntur, num. 16. *fratres Monaſterii Foſſatenſis.* num. 33. *monaſterium Foſſatenſe.* ne ſemel quidem ſancti Mauri nomen Foſſatenſi monaſterio tribuitur. E contrario idem auctor Glannafolienſe monaſterium ubique ſub *ſancti Mauri* nomine, ut fecit in præfationis ſuæ titulo, deſignavit. ut num. 10. *Gauzlinus*, inquit, *ordinatus eſt*, poſt monaſterii reſtaurationem, *primus abbas in cœnobio ſancti Mauri.* Et Anovareth num. 20. monitus eſt *ut monaſterium ſancti Mauri peteret*, ideſt Glannafolienſe. qua in re adeo ſibi conſtitit, ut ne una quidem vice aliter ſcripſiſſe inveniatur. Idem etiam fecere ejuſdem ævi & ſubſequentium temporum per aliquot ſæcula alii auctores.

Nec juverit opponere, Odonem numquam Glannafolii ſeu ſancti Mauri ſupra Ligerim abbatem fuiſſe. Cum enim ipſe ſe ejus loci abbatem inſcribat, quis refragari poteſt? & quidem Odo abbas erat Foſſatenſis, cui Glannafolienſes monachi, ut nemo neſcit, eo titulo ſubjecti erant; Glannafolienſe vero monaſterium, etſi alteri ſubjectum, abbatiæ titulo tunc non exciderat; & ſuos abbates proprios quandoque habuit, licet Foſſatenſi ſubjectos. ſic in veteri inſtrumento Anovarethi, *Gauzbertus Glannafolienſe monaſterium rexiſſe* dicitur, *ſub dominatione Ingelberti abbatis* ſcilicet Foſſatenſis. unde vir eruditus Gerardus a Boſco, Congregationis Oratorii preſbyter, in hiſtoria Pariſienſis eccleſiæ obſervavit, *Foſſatenſes Glannafolienſi monaſterio abbates & præpoſitos tradidiſſe.* Plura ea de re habet Mabillonius ſæculo IV. Benedictino, quæ hic repetere non vacat.

Dicet aliquis: Fuerint tunc temporis Glannafolii abbates, & quidem a Foſſatenſibus inſtituti; ſed alii erant Foſſatenſes abbates, alii Glannafolienſes: at Odo Foſſatenſis erat abbas, qui adeo abbatem Glannafolienſibus dare poterat, ſed non ipſe abbas dici Glannafolienſis.

Verum ex Anovarethi inſtrumento, quod modo laudavimus, patet, Ingelbertum etiamſi Gauzbertum Glannafolienſibus præfeciſſet, nomen tamen abbatis retinuiſſe. Non vero inſolens eſt, quod abbas ſuperioris monaſterii, etiam inferioris abbas ſimpliciter nominetur; ut ſexcentis exemplis demonſtrari poſſet. Sufficiat hic unum domeſticum proferre, videlicet ſancti Maïoli abbatis Cluniacenſis, qui paullo poſt noſtrum Odonem Foſſatenſe quoque monaſterium rexit; & tamen in pleriſque ejuſdem loci chartis, quæ paſſim editæ ſunt, Foſſatenſis ſimpliciter abbas, nulla Cluniaci mentione facta, nuncupatur.

4. At Odo, inquiunt, Foſſatenſis abbas ne ſemel quidem in Hiſtoria Tranſlationis a ſe exarata Maurum nuncupavit beati Benedicti diſcipulum. quod ſane ab eo commiſſum non fuiſſet, ſi Maurum illum, cujus Tranſlationem deſcribebat, revera tanti viri diſcipulum fuiſſe pro comperto habuiſſet; habuiſſet autem, ſi ipſe ejus vitam publici juris feciſſet.

Verum ex hoc argumento id unum inferri poteſt, Mauri miſſionem debuiſſe Odoni, ſi quidem vitam ejus jam tunc publicaſſet, non ignotam fuiſſe. quod quidem ultro fatemur. At inde inferri non poſſe contendimus, debuiſſe illum in Hiſtoria Tranſlationis mentionem hujus miſſionis facere; aut certe Maurum ſub Benedicti diſcipuli titulo deſignare, cum nihil prorſus habeat in illo libro de ſancti Mauri, quiſquis ille fuerit, vita & geſtis. Nec mirum eſt ſi Odo in Hiſtoria Tranſlationis Maurum beati Benedicti diſcipulum non appellaverit, cum neque id præſtiterit in epiſtola Vitæ ſimul & Hiſtoriæ Tranſlationis præfixa: immo in ipſa vita, quam Fauſtus ſcripſit & ipſe Odo emendavit, id factum numquam deprehenditur. Legant quantumlibet voluerint adverſarii noſtri, & relegant hæc Odonis opera: ne ſemel quidem Maurum Benedicti diſcipulum appellatum ibi invenient, niſi forte iis locis, in quibus de utroque ſancto agitur, vel ubi res exigit, ut id diſerte auctor exprimat. Neque id Odoni peculiare fuit. certum quippe eſt pleroſque alios auctores, quos Mauri miſſionem ignoraſſe nemo dixerit, cum Maurum laudant, beati Benedicti diſcipulum paſſim non dixiſſe. Certe beati Mauri miſſio fuſe exponitur libro 1. Chronici Caſinenſis; at libro quarto, ubi de eodem ſancto viro, & de ejus eccleſiæ dedicatione plura referuntur, nuſquam dicitur beati Benedicti diſcipulus. Ita Foſſatenſis anonymus in vita beati Burcardi ſæculo undecimo ſcripta: ita Pontificum & Regum noſtrorum aliquot diplomata, aliaque vetera inſtrumenta bene multa, etiam poſt vitæ publicationem edita. Ex his vero patet quam ſincerus & ab omni affectatione alienus fuerit Odo in Vita ſancti Mauri publicanda; qui numquam illum abſque legitima occaſione beati Benedicti diſcipulum appellavit. quod ſane ab homine prætermiſſum non fuiſſet, ſi ille novam, ut fingunt adverſarii, de Miſſione ſancti Mauri in Gallias opinionem intrudere ſibi in animum induxiſſet.

5. Opponunt adverſarii ſilentium eorum auctorum, qui Odonem præceſſerunt, quorum ne unus quidem ante vitæ publicationem Maurum Glannafolii abbatem ſancti Benedicti diſcipulum umquam nuncupavit. quod ſane argu-

Silentium Gregorii ei non præjudicat.

APOLOGIA S. MAURI.

mento eſt, inquiunt, eam non fuiſſe illorum ſententiam, præſertim cum non defuerint auctores illuſtres, qui tanti viri celebrandi occaſionem habuerint, qualis verbi cauſa fuit Gregorius Turonum antiſtes, qui de ſanctis viris ſuo tempore celebribus paſſim ſcripſit; aut Beda Venerabilis, qui nihil pariter de eo habet, nequidem in Martyrologio; Uſuardus vero Mauri quidem in pago Andegavenſi abbatis mentionem facit; at eum beati Benedicti diſcipulum nequaquam appellat, cum tamen alias paſſim illuſtrium patrum diſcipulos cum hoc adjuncto commemorare conſueverit.

Verum quid mirum eſt, ſi illi auctores, qui ante Odonem ſcripſere, Maurum Benedicti patris diſcipulum appellare non affectaverint, cùm ne quidem poſt vulgatam vitam a celebrioribus auctoribus id præſtitum fuiſſe ex ſupradictis certum ſit? Illi tamen perſuaſum habebant Maurum noſtrum a ſancto Patre educatum & miſſum in Gallias fuiſſe. Unde ſi quid ex ſilentio laudatorum auctorum conficere poſſunt adverſarii, illud certe non modo beati Mauri miſſionem, quæ ſolummodo ejus vitæ circumſtantia eſt; ſed ipſam ejus perſonam, quam tamen infitiari non audent, attinget. At, ut dicamus quod res eſt, neutri præjudicat, aut præjudicare poteſt auctorum illorum ſilentium. Etenim ſanctus Gregorius Turonenſis de multis quidem ſanctis viris paſſim egit; at plures omiſit, etiam ex iis qui in ſua provincia celeberrimi fuerunt, immo & nonnullos, qui in eam ſuo tempore ex aliis regionibus advenerant. Nihil enim exempli cauſa habet de ſancto Carileſo, qui tamen percelebre in Turonenſi, id eſt Lugdunenſi-tertia, provincia, cujus metropolitanus erat ipſe Gregorius, monaſterium conſtruxerat. Illud tamen monaſterium probe noverat Gregorius; quippe qui Meroveum Chilperici regis filium *ad monaſterium Cenomannicum, quod vocatur Aninſula*, (quod ipſum eſt ſancti Carileſi monaſterium) amandatum fuiſſe ſcribit, ut ibi ſacerdotalibus regulis erudiretur. Nihil pariter de ſancto Conſtantiniano habet idem auctor nec de multis aliis; nihil de Gilda Sapiente, illuſtri certe viro; aut de ſancto Samſone, qui Dolenſis eccleſiæ fundator fuit; nihil tandem de ipſo Mauro Glannafolienſi, qui apud Andecavos, quiſquis demum ille fuerit, ſub Gregorii pontificatu vixit.

Idem dicendum de Bedæ martyrologio, in quo cum vix decem aut duodecim ſancti quolibet menſe memorati occurrant; nihil mirum ſi Maurus cum aliis ejuſdem celebritatis viris ſanctis, ſed qui ad Britannias non pertinebant, prætermiſſus fuerit. Certe idem Beda omiſit Scholaſticam virginem, beati Benedicti licet ſororem; quam tamen certo exſtitiſſe, & animam ejus ad cælos evolaſſe teſtis eſt ipſe Gregorius Magnus; eam vero tunc in Anglia notam & celebrem fuiſſe evincunt verſus Adhelelmi Schireburnenſis epiſcopi. Immo nec Beda meminit in ſuo Martyrologio beati patris ſui Benedicti-Biſcopi; etſi de eo homiliam ſcripſerit, in qua illum *beatæ memoriæ patrem* ſuum vocat, ejuſque *venerandam aſſumtionis* ſeu depoſitionis *diem debita ſollemnitate* in ſuo monaſterio tum celebratam fuiſſe teſtetur.

Uſuardus denique Maurum in martyrologio abſque diſcipuli ſancti Benedicti titulo ideo recenſuit, quod, cum nullum alium ejuſdem nominis ſanctum abbatem aut monachum memoraſſet, periculum non fuerit, ne cum aliis ejuſdem nominis Maurus ille confunderetur. Macarium autem diſcipulum ſancti Antonii appellavit, quod alterum hujus nominis ſanctum altero die commemorare deberet. Ut ut ſit de ejus conſilio, certum eſt ea in re non ſibi conſtitiſſe, quippe qui aliquot ſanctos, quod reveta fuerint aliorum diſcipuli, diſerte expreſſit; quem titulum, licet non minus eis deberetur, in aliis recenſendis omiſit. ſic Macarium, ut modo dicebamus, ſancti Antonii diſcipulum nuncupavit; quod de ſancto Hilarione non habet; quem tamen ejuſdem Antonii diſcipulum fuiſſe ex Hieronymo & omnium conſenſu certum eſt. Ita Polycarpum Johannis diſcipulum, non vero Ignatium dixit. Leonardum beati Remigii diſcipulis accenſet, quod neque de ſancto Vedaſto, neque etiam de beato Theoderico, qui inter ceteros familiarius beato Pontifici adhæſit, neque de aliis umquam commemoravit. Quis neſciat Briccium fuiſſe ſancti Martini diſcipulum? & tamen Briccium Uſuardus laudavit, nulla Martini diſcipulatus facta mentione. Non itaque certa aliqua hujus rei regula dari poteſt, neque pro Uſuardo, neque pro aliis ejuſmodi monumentis. Unde in vetuſtiſſimo Beneventano martyrologio, Maurus beati Benedicti diſcipulus appellatur; Scholaſtica vero ibidem abſque ullo alio addito dicitur virgo; in aliis e contrario in quibus Scholaſtica nuncupatur, ut re vera fuit, ſancti Benedicti ſoror, Mauri nomen abſque ullo adjuncto occurrit.

Idem ferme dicendum de Concilio Turonenſi ſecundo, cujus auctoritatem contra ſancti Mauri miſſionem objiciunt adverſarii, quod canone XVII. & ſequenti Patres hujus concilii jejunia ac pſalmorum diſtributionem aliter quam in Regula ſancti Benedicti, monachis præſcripſerint. quod, inquiunt, non fuiſſet factum, ſi tunc temporis Maurus Benedictinam Regulam apud Glannafolium obſervaſſet.

At nihil hic contra Mauri miſſionem, cum id unum ex eo concilio colligi poſſit, anno ſcilicet DLXVII. quo celebratum fuit, Regulam ſancti Benedicti nondum communi uſu in Galliæ monaſteriis receptam fuiſſe. quod ultro fatemur. Numquam enim nobis venit in mentem, ut contenderemus, ad Mauri adventum in Gallias, omnes omnino monachos, relictis prioribus ſuis inſtitutis, Benedictinis mox acceſſiſſe. Certe neque id in Italia, præſente ipſo Benedicto factum fuit. Verum cenſemus Maurum Regulam Benedictinam in ſuo Glannafolienſi monaſterio primum inſtituiſſe, & obſervaſſe; quæ poſtea ſenſim, & primum fortaſſe in viciniora, ac demum in cetera, data opportuna occaſione, fuerit propagata. Cum enim monachi tunc temporis non ita fuerint uni regulæ adſtricti,

ut nova inſtituta, ſi eis placerent, pro congregationis aut abbatis arbitrio, prioribus adjungere non poſſent; factum eſt ut Regula ſancti Benedicti, quæ, teſtante Gregorio Magno, eſt diſcretione præcipua, pro variis occaſionibus variis in locis, aut ſimul cum prioribus reciperetur in antiquioribus monaſteriis, aut ſola, ſi forte nova extruerentur monaſteria, pro fundatorum, aut abbatum arbitrio. Hinc Donatus epiſcopus Veſontionum ejoſdem Regulæ capita quadraginta-tria in ſuam invexit, quam dedit virginibus Juſſanenſis monaſterii à ſe inſtituti; & in pleriſque monaſteriorum fundationibus ea ætate factis, Regula ſancti Benedicti, ſimul cum ſancti Columbani aut aliorum Patrum regulis præſcripta occurrit. Quin & ipſi diſcipuli ſancti Columbani, quorum ritus Scotici pleriſque in his Galliarum partibus non arridebant, eam primum, non multo poſt ejus diſceſſum ſimul cum ſuis inſtitutis adoptarunt, quæ tandem ſola aliquanto poſt tempore in omnibus ferme Galliæ monaſteriis invaluit, ut ex certis & antiquis monumentis conſtat, quæ paſſim in Annalium Benedictinorum decurſu laudantur & referuntur.

Vita caſu licet inventa rejici non debet.

6. Alio item vertunt ſuos conatus adverſarii, ut vitam ſancti Mauri a ſincero Odone publicatam non fuiſſe probent; quod ſcilicet modus, quo ab eo auctore qui eam vulgavit, inventa dicitur, fabulam omnino redoleat; nec ejus narratio digna ſit, quæ Odoni abbati Foſſatenſi, viro gravi & erudito, tribuatur. Verum quantumlibet ſimplex fuerit Odonis narratio, nihil tamen in ea occurrit quod omnino non conforme ſit rerum geſtarum veritati, quodque certis & indubitatis exemplis non poſſit confirmari. Refert Odo ſe, cum Ararim fluvium trajiceret, incidiſſe in virum quemdam, cujus nomen, patriam & conditionem exprimit, ex Italia redeuntem, a quo pretio dato ſancti Mauri vitam redemerit; eamque per viginti dies prius a ſe emendatam, demum publici juris fecerit. Quid hac in re adeo dignum reprehenſione occurrit, ut inde vita illa abſque ullo alio examine, veluti ſpuria rejicienda ſit? Certe eo tempore quo id contigiſſe dicitur, Odo, qui poſtea fuit Foſſatenſis abbas, Ararim trajecit, in comitis Audonis prædio refugium quæſiturus, ut is ipſemet atteſtatur. Clericus ille ex Italia rediens dicitur Vitam ſancti Mauri inde retuliſſe. & quidem in Italia ſancti Mauri vita ſcripta fuerat: & multi alii alias ſanctorum vitas ex Italia retulerunt in Franciam: qualis hic exempli gratia fuit, teſtante Gregorio Turonenſi, qui ſancti Benigni vitam beato Gregorio Lingonum epiſcopo porrexit, cum iſte de proſcribendo hujus Martyris, antea ſibi ignoti, cultu cogitaret. Idem ferme contigit epiſcopo Tricaſſino, qui duplex ſancti Patrocli vitæ exemplar, ex quibus unum ex Italia allatum fuerat, accepit. & quidem ſi vetera monumenta recenſere aliquid juvaret, quæ antea ignota, poſtmodum fortuito caſu reperta ſunt, non admodum difficile foret innumera propemodum in memoriam revocare. Quid vero mirum eſt ſi hanc vitam pretio dato Odo comparaverit? an ideo culpandus? immo culpandus multum foret, ſi patroni ſui vitæ recuperandæ tam præclaram prætermiſiſſet occaſionem.

Neque ob correctiones.

7. Eam denique emendavit Odo priuſquam publici juris faceret. hic nempe mos erat ævi ſui, ut probant illuſtriorum iſtius temporis ſcriptorum exempla. Id ſane ſæculo nono, quo Odo vivebat, fecerat Paſchaſius Radbertus, qui paſſionem ſanctorum Rufini & Valerii, ut ipſemet monuit in præfatione, emendatis nonnullis, quæ certe emendanda non erant, publicavit. Idem de ſe ipſis fatentur Johannes diaconus in vita ſancti Januarii, & Anaſtaſius Bibliothecarius, auctores nominatiſſimi, cetera exempla mitto, cum hæc emendandorum ejuſmodi ſcriptorum licentia ad noſtram ferme ætatem pertigerit. Quis neſcit Surium in vitis ſanctorum publicandis id feciſſe? & quod multo magis eſt, qui hujus auctoris opera iterum ediderunt poſt ejus mortem, chronologicas notas, quæ in veteribus actis habebantur, mutarunt ex Baronii, ut ipſis videbatur, emendationibus, novis intruſis, quæ ut plurimum falſæ ſunt. Nemo tamen aut Surium, aut ejus operum editores dixerit homines mendaces ac nullius fidei; nec umquam eo deveniſſe malitiæ culpantur, quaſi falſas hiſtorias pro veris intrudere voluerint, quamvis nonnumquam in circumſtantiis rerum, temporum, aut perſonarum commutandis incaute peccaverint. Et quidem Odo hac in re ceteris eſt fide & venia dignior, qui Deum veritatis teſtem appellare non dubitavit, quod in vita ſancti Mauri hiſtorica facta, ut in veteri exemplari habebantur, bona fide ac ſincero animo retulerit.

II.

Expenduntur nævi in vita occurrentes.

1. Hoc uſque argumentis aliunde repetitis vitam ſancti Mauri impugnare conati ſunt adverſarii; modo vero eam ex proprio ipſius textu nullam mereri fidem ſe probare poſſe autumant; quod ſcilicet multa in ea habeantur, quæ a Fauſto, ſi re ipſa ſancti Mauri ſocius fuiſſet, dici non potuerint. Tale eſt quod de morte ſancti Benedicti narrat perſonatus ille, uti aiunt, Fauſtus, qui ſanctum Patrem in ipſo Paſchatis pervigilio obiiſſe commemorat. quod ſane fieri non potuit, ſi, ut vulgo creditur, anno DXLIII. e vita exceſſerit die viceſima-prima Martii. cum ex Chronologicis computis conſtet, Paſchatis feſtum die viceſima-ſecunda Martii eo anno non contigiſſe.

De morte S. Benedicti.

Hæc difficultas Lancelotum, virum eruditum, permovit ad differendam beati Benedicti mortem ad annum DXLVII. qua in re nihil contra vitæ ipſius auctoritatem a ſe factum contendit, quod, & quidem id verum eſt, nec annus, nec menſis extremus beati Benedicti in vita ſancti Mauri expreſſi habeantur. Verum cum & hæc opinio ſuas etiam patiatur difficultates, vulgatam ſententiam retinere nihil obſtat, cum facile fuerit Odoni, qui vitam a Fauſto conſcriptam emendare ſe putabat, in hunc errorem abſque

APOLOGIA S. MAURI.

ulla mala fide impingere. quod duobus modis illæſa vitæ textus auctoritate contingere potuit. Forte enim Fauſtus beati Benedicti mortem in vigilia paſchatis accidiſſe ſcripſerit, quam cum Odo die viceſima-prima Martii celebrari ſciret, putaverit vigiliam paſchæ re ipſa anno beati Benedicti extremo in ipſam viceſimam-primam Martii diem incidiſſe; quamvis certum non ſit eum obiiſſe menſe Martio, cum plerorumque ſanctorum feſtivitates ea die non celebrentur, qua re vera ipſi ad cælos evolarunt. idque de ſancto Patre Benedicto veri ſimilius eſt, quod neſciatur quo primum tempore, quave occaſione inſtituta fuerit ejus feſtivitas. Et quidem Adrevaldus, qui excerpta refert ex ſancti Mauri vita, quam Fauſtus conſcripſerat, beatum Patriarcham in pervigilio Paſchæ defunctum quidem memorat, ſed nulla Martii, aut alterius menſis facta mentione.

Alius eſt item hujus difficultatis ſolvendæ modus, quo ſcilicet Odo dicitur Fauſti locum de beati Benedicti morte non ſatis intellexiſſe; quam quidem ille in *dominica reſurrectionis* vigilia accidiſſe forte ſcripſerat: quæ verba Odo de ipſa Paſchali reſurrectionis dominica incaute interpretari potuit, tametſi paſſim in medii ævi auctoribus, ut innumeris exemplis conſtat, ſimplicem, ut ita loquamur, ſolummodo Dominicam deſignent; atque eo pacto ſancti Benedicti obitus recte ad viceſimam-primam Martii diem anni DXLIII. poterit revocari: cum eo anno Paſcha in diem quintam Aprilis, adeoque Dominica, ut vocamus Paſſionis, in diem viceſimam-ſecundam Martii inciderit, in cujus pervigilio ſanctus Benedictus obiiſſet.

An Maurus a Bertramno episcopo expetitus.

2. Gravior eſt altera difficultas, quæ ex eo repetitur, quod Maurus in vita dicatur ad Bertichramni ſeu Bertranni Cenomannorum epiſcopi petitionem in Gallias a ſancto Patre miſſus; cum tamen certum ſit, hunc antiſtitem longe poſt annum DXLIII. quo ſanctus Benedictus obiiſſe creditur, in thronum Cenomannenſem aſſumtum fuiſſe.

Cointius & alii viri eruditi, qui ſancti Benedicti obitum longe poſt annum DXLIII. contigiſſe putant, nullam hac in re patiuntur difficultatem; ſed tamen eo pacto vitam ab omni errore vindicare non poſſunt, cum Domnolus in ea Bertichramni, quo petente Maurus in Gallias dicitur miſſus, ſucceſſor fuiſſe memoretur. Quare ſatius eſt bona fide fateri, errorem in hunc vitæ textum irrepſiſſe, qui vel ab ipſo Fauſto incaute commiſſus fuerit, aut certe ab Odone ejus interpolatore. & quidem a quovis admiſſus fuerit, venia indignus non eſt. Si enim Fauſto tribuatur, lapſus eſt ejus memoriæ, quæ ei Bertichramni nomen pro Innocentio ſuggeſſerit, æque enim Fauſto notus erat Bertichramnus, utpote qui jam Cenomannenſem eccleſiam regebat ante ejus in Italiam reditum, ac Innocentius, quo rogante miſſus fuerat in Gallias Maurus. Longe autem major eſſet difficultas, ſi ignoti alicujus hominis nomen in vitæ textum irrepſiſſet: at quis neſciat ex duobus hominibus nobis probe notis, unum pro altero ſæpius ſubrepere, quod certe in certioribus monumentis nonnumquam contigiſſe ſexcentis exemplis probari poſſet, niſi nos ipſos convinceret propria in quotidiano uſu ejuſmodi erratorum experientia.

APOLOGIA S. MAURI.

Si tamen quis contenderit hunc errorem Fauſto non debere attribui, facile eſt eum rejicere, ut mox dicebamus, in Odonem, qui Bertichramni nomen incaute in Fauſti textum majoris explicationis, ut ei videbatur, gratia addiderit, cum Fauſtus diſcipulos ſancti Benedicti ab epiſcopo quidem Cenomannenſi, ſed non expreſſo ejus nomine, expetitos fuiſſe commemoraſſet. Certe Aimoinus, qui hanc miſſionem libro 2. Hiſtoriæ Franciciæ refert, nullo nominato epiſcopo ſcribit *legatos a Cenomannica urbe miſſos* Caſinum ea de cauſa adiiſſe. Sed utrovis modo erratum illud irrepſerit, certe non tantum eſt, ut vitæ auctoritatem elevare queat, cum cetera optime ſibi cohæreant. Et quidem iniquum videretur, ut ob ejuſmodi errorem, qui illæſa hiſtoriæ fide facile irrepere potuit, nec difficilis ſanatu eſt, vetus hoc monumentum omni ſua auctoritate excidat.

Scriptorum errata ut emendanda.

3. Dicet aliquis, ſi talis admittatur errorum corrigendorum licentia, vix ſupererit aliquod falſum monumentum, quod ejuſmodi indulgentia facile non poſſit pro vero intrudi, reſectis nempe aut mutatis quæ in eo occurrent falſi indiciis. atque adeo ruet una ex præcipuis critices regulis, qua ſuppoſititium eſſe deprehenditur aliquod opuſculum, cum perſonæ in eo, loca, aut chronologicæ notæ occurrunt, quæ rebus narratis non poſſunt abſolute adaptari.

At ultro fatemur nemini licere pro ſuo cujuſque arbitrio, quæ in veteribus monumentis non ſibi ſatis cohærentia deprehenduntur, mutare, aut alias pro aliis perſonas, ſeu etiam chronologicas notas ingerere, ut eis fides aliqua concilietur: verum contendimus etiam in authenticis & certioribus monumentis quandoque errores irrepſiſſe, aut ſcriptorum incogitantia, aut interpolatorum, ſeu amanuenſium vitio, aut certe alia quavis occaſione intruſos, qui tamen errores omnem eorum non elevant auctoritatem. id certe in Athanaſii operibus, ut omnes viri docti hodie conſentiunt, non ſemel accidit, ubi Georgii aut Gregorii nomen loco Piſti legitur; ſimiles errores in aliis aliorum Patrum, & ſcriptorum libris, nemine diffitente, paſſim occurrunt. Quare neceſſe eſt ut aliquot critices regulæ habeantur, quibus certo deprehendi poſſit, quænam ex iis monumentis rejici, quænam vero admitti debeant. Nonnullas ejuſmodi regulas hic proponere viſum eſt, quas tamen lubenti animo virorum eruditorum judicio ſubjicimus.

Eæ ſunt omnino quinque. Prima ut monumentum illud, quod pro antiquo proponitur, eam ætatem ſapiat, quæ ei tribuitur, id eſt ut ſtilus ſit ejus ævi, quo exaratum dicitur, loquendi modi peculiares his temporibus adhiberi ſoliti occurrant, ſicut & vocabula quædam, quæ tunc in uſu erant, aliaque ſimilia, quæ ſibi ipſis optime cohæreant. quæ quidem indicia etſi ſeorſim conſiderata, non magni videantur eſſe

momenti, cum tamen ſimul in uoo opuſculo conveniunt, vix ac ne vix quidem inducunt in errorem. 2. ut legitima ac certa habeantur teſtimonia, ejuſmodi opus fuiſſe ab aliqoo poſterioris ævi interpolatore aut auctore recognitum, qui nonnihil in eo mutaverit. 3. ut illæ vocum aut rerum mutationes, ſive etiam additiones, quæ ab interpolatore factæ dicuntut, ei ætati conveniant, qua interpolatorem vixiſſe conſtat. 4. ut eædem interpolationes aut commutationes tantæ non ſint, aut non ita frequentes, ut diſcerni noo poſſit, quid interpolatori, quidve primo auctori tribui poſſit. 5. denique ut ea loca, quæ in eo opere interpolatoris vitio depravata dicuntur, non emendentur pro cujuſvis arbitrio, ſed eo pacto, ut ſic emendata toti operis contextui apprime conveniant, & cum veteribus aliis monumentis, quæ aliqua ratione ad illud revocari poſſunt, concordent. Ita nemo hactenus pleraſque vitas ſanctorum a Surio editas, ob id ſpurias eſſe pronuntiavit, quod ille editor eas a primævo & genuino ad politiorem ſtilum redigere conatus fuerit; nonnihilque interdum in iis mutaverit, qoæ mutanda, in quo tamen ſæpe falſus eſt, cenſebat.

Videndum itaque utrum hæ regulæ poſſint vitæ ſancti Mauri, illæſa ejus auctoritate, coaptari. Hæc vita ſub Fauſti ſcriptoris ſæculi ſeptimi oomine dicitur inventa. Certe ejus ætatis characteres omnes in ea paſſim deprehenduntur, ut fuſe ſuperius demonſtravimus. Publicata dieitur ab auctore ſæculi noni, qui nonnihil in ea immutavit. Ipſe ſe prodit, ac res quæ dicuntur ab eo mutatæ, aut de novo inventæ, in nullo protſus ejus ætati repugnant; nec ita contextum, aut res a Fauſto primo auctore narratas obſcurant, ut diſcerni facile non poſſit, quid Fauſto tribuendum ſit, quidve ab Odone mutatum aut additum eſſe potuerit. quod etſi de ceteris eircumſtantiis non adeo exploratum eſſet, de Miſſione tamen Gallicana certo certius eſt; cum tota vitæ ſeries eam miſſionem ſupponat, atque is ipſe qui eam poblicavit, invocato Chriſti nomine fuerit profeſſus, ſe nihil in hac vita de hiſtorica veritate immutaſſe. Denique omnia omnino vetera & nova monumenta apprime eidem miſſioni eonveniunt, ac totam ejus hiſtoriam egregie cor'irmant, quam te ipſa nemo umquam, ante noſtram ætatem, impugnare aggreſſus eſt.

Baſnagii objecta diluuntur.

4. Contra hæe Baſnagius, Calvinianæ ſectæ vir eruditus, oeſcio quibus commentariis male inſtructus, negat ullum umquam in rerum natura exſtitiſſe Maurum, quaſi neſciret hunc ſanctum a Gregorio Magno laudatum, immo & præclariora ejus nonnulla facta a tanto doctore deſcripta fuiſſe. Hic porro aſſerit nihil omnino nos proficere in propugnanda ſancti Mauri vita, etiam ſi loco Bertramni Cenomannenſis epiſcopi ſubſtituatur Innocentii nomen. nam, inquit, in vulgata illa vita Maurus dicitur poſt Bertramni, immo poſt Innocentii, ut reſtitutum ſupponimus, mortem in Gallias adveniſſe, & quidem anno D X L I I I. ut vulgo creditur, cum jam Domnolus eſſet epiſcopus Cenomannenſis; & tamen Innocentius, inquit ille, ad annum uſque D L X. pertigit, quo ei Domnolum ſucceſſiſſe non modo ex Gregorio Turonenſi, quem idem vir eruditus incaute cum Gregorio Magno confudit, probari poteſt; ſed etiam ex ipſo vitæ auctore, qui diſertis verbis ait Domnolum Ionocentio ſubſtitutum fuiſſe, antequam Maurus Aurelianos perveniſſet.

Hæc ille, quæ ſane oegotium faceſſerent, ſi conſtaret Innocentium, ut ipſe affirmat, ad annum D L X. pertigiſſe. at non modo id non conſtat; ſed econtrario certum eſt ex ipſiſmet ſancti Innocentii actis id verum non eſſe. licet enim multæ occurrant, & quidem graves difficultates in Cenomannenſium epiſcoporum illius ævi Hiſtoria, ac varii auctores varia ſcripſerint de Innocentii ſucceſſore; quocumque tamen res trahatur, nihil etiam inter tot ambages deprehendi poteſt, quod ſit vitæ ſancti Mauri contrarium; immo ejus ope lucis multum afferri poteſt huic Hiſtoriæ, ſalva ſemper & incolumi ipſius vitæ auctoritate. Rem itaque propius attingamus; & Innocentii, ſicut & Domnoli ejus ſucceſſoris, ex illis antiquis monumentis ætatem paullo attentius expendamus.

Primo conſtat Innocentium anno D X L I. interfuiſſe concilio Aurelianenſi, nec deinceps ullam prorſus ejus mentionem occurrere in ullo aotiqoo monumento; cum vero annum D L X. non attigiſſe ex ipſis ejus actis evincitur, quæ diſerte habent hunc pontificem Chlodovei Magni & Childeberti ejus filii principatu Cenomannenſem eccleſiam texiſſe per annos quadraginta quinque. qui quidem calculus omnino nobis favet, adverſariis vero noſtris, quoquo ſe vertant, contrarius eſt. Nam etſi anni illi numerari ſolummodo inciperent ab ipſo obitu Chlodovei, qui anno D X I. contigit, Innocentius annum D L V I. non exceſſiſſet. quod prorſus evertit Baſnagii calculum. ſed præterea diſerte habent illa acta, Innocentium ſicut ſub Childeberti, ita & ſub Chlodovci ejus patris principatu ſediſſe, quod proinde optime anno D X L I I I. aut certe præcedenti convenire poſſe nemo infitiari poteſt.

5. Quod vero ad Domnolum attinet, qui proxime Innocentio ſucceſſiſſe dicitur, certum eſt poſt Innocentii obitum ingentes turbas de ſucceſſore deligendo in eccleſia Cenomannenſi excitatas fuiſſe. id diſertis verbis habet auctor vitæ ſancti Domnoli, quem ideo nonniſi poſt aliquot annos ſede ſua potitum fuiſſe ſcribit. Et quidem ab Innocentii obitu, quem anno D X L I I I. contigiſſe cenſemus, ad annum uſque D L X V I I. nullus inter ceteros epiſcopos, qui coociliis ſubſcripſerunt, Cenomannenſis antiſtes memoratur, nulluſve legatus, qui vice abſentis interfuerit. Fuere tamen tunc temporis celebrata concilia in regno Childeberti, quibus ceteri ejus regni pontifices, aut certe eorum legati interfuerunt. Quin & turbarum iſtarum cauſæ haud ignotæ ſunt, quas nempe excitatas volunt a Scienfrido, antea chorepiſcopo, qui poſt Innocentii deceſſum, eccleſiam Cenomannenſem invadere conatus fuerat. unde etſi Domnolus canonice electus

fuiſſet,

fuiſſet, quod ſane veri ſimilius eſt; illius tamen ſedis poſſeſſionem adipiſci non valuit, donec tranquilliora afflarent tempora; tandemque poſt varias peregrinationes redux, quiete eam eccleſiam multis annis adminiſtravit.

Aliam item proferunt tantæ dilationis rationem, quod nempe Domnolus a Cenomannenſibus electus, Chlotario regi nimiſquam addictus eſſet. quod æquo animo Childebertus, ad cujus dominium Cenomanni ſpectabant, vix ferens, turbas a Scienfrido excitatas cohibere non multum curabat. unde mirum non eſt, ſi hujus eccleſiæ poſſeſſionem, ad quam Chlotario commendante aſſumtus fuerat Domnolus, ante Childeberti obitum inire non valuerit. Hæc omnia ſancti Gregorii Turonenſis teſtimonio approbantur. Is quippe in Hiſtoria Francorum ſcribit, Domnolum, cum adhuc abbas ſancti Laurentii Pariſiis eſſet, ſuſcipere ſolitum fuiſſe exploratores, a Chlotario frequenter eam in urbem immiſſos. quod ſane Childeberto placere non poterat. Addit idem auctor, Domnolum Avenionenſem epiſcopatum ſibi a rege Chlotario, cum apud Turonos verſaretur, oblatum noluiſſe recipere, cauſatum nimiam Avenionenſium ſuperbiam, qui ſuam ipſius ſimplicitatem procul dubio ludibrio habituri eſſent; prætterquam quod illic ab eodem Chlotario remotior futurus eſſet. quare cum paullo poſt, ſubdit idem auctor, Cenomannorum eccleſia Innocentii obitu viduata fuiſſet; Domnolus ad eam ſedem, procurante eodem rege, electus fuit. quæ ſane omnia apprime ſibi cohærent, & antiquis ejus ævi monumentis; atque ope vitæ ſancti Mauri valde elucidantur. Etenim anno DXLII. Chlotarius ex Hiſpanica expeditione rediens inviſere potuit tumulum ſancti Martini, quem ſanctum toto vitæ ſuæ tempore magnopere coluit, ibique a Domnolo conveniri. Tunc etiam vacua potuit eſſe Avenionenſium eccleſia: ſiquidem ab anno DXVII. quo Salutaris ejus ſedis epiſcopus concilio Epaonenſi interfuiſſe memoratur, ad annum uſque DXLIX. quo Marinus presbyter loco Antonini Avenionenſis epiſcopi concilio quinto Aurelianenſi ſubſcripſit, nihil prorſus de ejus eccleſiæ antiſtitibus in monumentis eccleſiaſticis invenitur.

Denique quod Gregorius ſubjungit, Domnolum poſtea procurante Chlothario poſt Innocentii mortem Cenomannenſis eccleſiæ epiſcopum *deſtinatum* fuiſſe; &, quod ex Domnoli actis diſcimus, eum ob Scienfridi turbas, hanc ſedem nonniſi poſt multas peregrinationes, licet jam dudum fuiſſet ad eam electus, immo & conſecratus, ut in actis ejus legitur, obtinere potuiſſe, hæc apprime concordant cum ipſa Vita ſancti Mauri. Cum enim hæc anno DXLII. deſinente, vel proximo ineunte contigerint, Maurus qui tunc temporis in Gallias primum advenerat, apud Aurelianos diſcere potuit, & Innocentii mortem, & Domnoli electionem, & turbas ea occaſione in eccleſia Cenomannenſi exortas; cumque nulla ſpes eſſet hos motus brevi eſſe finiendos, alio ſecedere coactus, apud Andecavos invitante Floro divertit, ibique Glannafolienſe conſtruxit monaſterium. Domnolus vero poſtmodum obeunte Childeberto, cum jam Chlotharius monarchiam obtinuiſſet, ſedem ſuam recepit anno DLIX. ut ex Gregorio probatur. Et hæc quidem prima Domnoli ad ſedem Cenomannorum electio, & ejuſdem eccleſiæ inita ab eo poſſeſſio pacifica poſt plurimos peregrinationis annos, cum *jam pridem*, ut loquitur Gregorius, *Innocens ad Deum migraſſet*, omnino conciliant auctores, quorum alii pauciores, alii plures huic antiſtiti regiminis annos concedunt.

III.

1. Cum itaque ex his quæ protulimus, certum videatur, Innocentii mortem ac Mauri adventum in Gallias ad anni DXLIII. initia revocari poſſe, facile ſolvuntur duæ aliæ difficultates a Baſnagio propoſitæ. una, quod legati Cenomannenſes anno DXLI. e Gallia profecti plures annos, quam par fuiſſet, in eo itinere conſumſiſſent: altera, quod ſi Maurus poſt Innocentii obitum in Gallias adveniſſet, a Theodeberto rege non potuiſſet excipi, cum Theodebertus, ſi id de ſeniori intelligatur, jamdudum exceſſiſſet e vivis; junior vero nondum tunc temporis regnum fuiſſet adeptus. At prima difficultas nullius eſt momenti. nam legati ſub finem anni DXLI. profecti, rediere initio anni DXLIII. ac proinde vix decem & octo menſes expenderunt. quod ſane mirum non eſt illis turbulentis temporibus, cum hodieque, majora licet habeantur commoda, plerique plus temporis in tam longinquo itinere conficiendo inſumere ſoleant. Non majoris eſt ponderis altera viri eruditi difficultas, cum certum ſit Theodebertum ſeniorem anno DXLIII. quo Mauri adventum conſignari poſſe probavimus, regnaſſe in Francia. Aliæ difficultates ſolutæ.

2. At inſolens nonnullis videtur, quod Theodebertus in vita ſancti Mauri dicatur *regnum Francorum* gubernaſſe, immo & eum obtinuiſſe *regni Francorum apicem*. cum conſtet Theodebertum, nec monarcham fuiſſe, nec umquam regnaſſe Pariſiis.

Fatemur ultro Theodebertum numquam aut fuiſſe monarcham, aut regnaſſe Pariſiis: ſed contendimus non modo regnum integrum, ſed etiam ejus poſt monarchiæ diviſiones tetrarchias regni Francorum nomine paſſim donatas fuiſſe. quod non ſolum ab exteris, ſed etiam a noſtræ gentis hiſtoricis, & quidem ævo ſancti Mauri, factum fuiſſe conſtat. Certe ipſemet Gregorius Turonenſis, inter Francicarum rerum ſcriptores facile princeps, Auſtraſiæ regnum, quod Theodebertus obtinuit, etiam comparate ad regnum Pariſienſe, *Franciæ regnum* abſolute appellat. *Apicem* vero *regni* unuſquiſque regum noſtrorum in ſua tetrarchia habuiſſe dici poteſt; cum a quocumque alio abſolutus, in ſua regni portione regnaret. At ſi quis hac voce potiorem regni partem deſignari debuiſſe contenderit, non multum refragabimur, cum certum ſit portionem Theoderici, quam Theodebertus ejus

filius accepit, in prima monarchiæ diviſione ceteris multo fuiſſe ampliorem & præſtantiorem. ſed & apicem regni Francorum obtinuiſſe Theodebertus dici potuit, quod aliis Francorum regibus poteſtate, præclaris factis, animi magnitudine & famæ celebritate præcelluerit, ita ut ei etiam viventi *Magni* nomen adhæſerit, quod ſcriptores domeſtici & exteri agnoſcunt. Si vero auctores laudare neceſſe ſit, qui eum & *Magnum* & *Francorum regem* appellaverint, id non admodum operoſum fuerit. certe id noo ſemel fecit auctor illorum temporum celebris, Marius Aventicenſis epiſcopus in Chronico; ubi ſic habet ad annum D X X X I X. *Theodebertus rex Francorum intrat in Italiam*; & decennio poſtea, *Theodebertus rex Magnus Francorum obiit*. De filio ejus Theodebaldo, qui etiam regnavit in ſola Auſtraſia; *Theodebaldus rex Francorum obiit.* Et de Sigiberto, cui poſt Chlotharii mortem Auſtraſiæ regnum obtigit: *Sigibertus rex Francorum bellum contra fratrem ſuum ſuſcepit.* Ita Marcellinus comes, Procopius, Agathias, & alii, quos ſingillatim recenſere non vacat.

3. At, inquit vir eruditus, appellatus fuerit Theodebertus Francorum rex: certum eſt tamen eum nihil apud Andecavos poſſediſſe, cum ille ſolummodo in Auſtraſia regnaverit, alias vero Franciæ partes patrui ejus tunc occuparent, cum Maurus advenit in Gallias: proindeque admitti non debet illius ſancti vulgata Vita, quæ Theodebertum ſupponit Andecavis regnaſſe, ubi Glannafolienſe monaſterium exſtabat.

Theodebertum non omni Francorum regno præfuiſſe certum eſt, quippe qui in Auſtraſiæ ſolummodo tetrarchia patri ſuo ſucceſſit: fatemur etiam dici noo poſſe, Andecavos umquam in ea Franciæ parte, quæ proprie Auſtraſia appellabatur, ſitos fuiſſe. At contendimus Auſtraſiæ reges multas, & quidem præclaras Galliæ provincias poſſediſſe, quæ ab illa Auſtraſia longe diſſitæ erant. Quis enim neſcit, Albigenſes, Lemovicenſes, Arvernos, Rutenos, alioſque Aquitaniæ, Septimaniæ & Provinciæ celebres populos, ad Theodericum, cui in regno Theodebertus ſucceſſerat, pertinuiſſe? ita & Sigibertus, qui in altera regni diviſione Auſtraſiam obtinuit, regiamque, ut Theodericus, apud Remos habebat, ſub ſua ditione Pictavos, aliaſque regiones & urbes ultra Ligerim ſitas, immo & ipſam Turonorum urbem habuiſſe teſtis eſt omni exceptione major ſanctus Gregorius Turonenſis. unde fieri potuit, ut quamvis Andecavenſium potior pars, quæ citra Ligerim ſita eſt, ad Childeberti regnum attinuerit; altera tamen ejus provinciæ portio ultra-Ligeritana & Pictavis contigua, in qua ſitum eſt Glannafolium, Theodeberto Auſtraſiorum regi attributa fuerit. Nec inſolens eſt unam inter duos reges provinciam diviſam fuiſſe, cum ex certis & indubitatis paſſim monumentis conſtet, non modo regna aut provincias, ſed quandoque etiam ipſos pagos, immo eaſdem urbes, eademque opida diverſis regibus paruiſſe.

Inſtat vir eruditus & ait: Andecavi ad Chlodomiri regnum ſpectabant, quod quidem, teſte Gregorio, poſt filiorum ejus necem æqua lance inter ſe ſe diviſerunt Childebertus & Chlotarius, nulla Theodeberti (Theodericum dicere debuerat) Auſtraſiæ regis facta mentione; & quidem æquum non erat, uti ille ait, ut qui necis particeps non fuerat, in hereditatis conſortium admitteretur.

Verum etſi daremus integram Andecavorum regionem Chlodomiro olim paruiſſe, quod ſane maxime incertum eſt; non tamen inde legitime inferri poteſt, ad Theodeberti dominium eam poſtea numquam deveniſſe. nec enim putandum eſt Theodericum, qui præ fratribus ſuis, bellicis virtutibus præſtabat, & illis multo audacior erat atque potentior, partem hereditatis ſibi debitam poſt fratris ſui, filiorumque necem inſuper habuiſſe. Dicuntur equidem apud Gregorium Childebertus & Chlotarius Chlodomiri regnum inter ſe ſe æqua lance diviſiſſe; ſed his verbis nihil aliud intelligi poteſt, quam quod Chlotarius non majorem quam Childebertus regni partem obtinuerit. Ea autem Theoderici excludendi cauſa, quam adverſarii proferunt, quod ſcilicet Theodericus, qui ſceleris ſocius non fuerat, hereditatis quoque particeps eſſe non debuerit, omnino rejicienda videtur; cum e contrario Childebertus & Chlotarius, ob tantum facinus hereditate excidere debuiſſent, quæ proinde ſoli Theoderico legitime debita erat, utpote quæ ipſi innocuo, jure naturali & hereditario contigerat. Sed ut ut ſit de illa diviſione, conſtat magnam ſaltem Burgundiæ partem Auſtraſiorum regibus Theodeberto & filio ejus Theodebaldo paruiſſe, ut probant conciliorum eo tempore ex Auſtraſiæ regno congregatorum ſubſcriptiones: ex quibus liquet, pleroſque Burgundiæ epiſcopos iis regibus ſubjectos fuiſſe. quales fuere Gregorius Lingonenſis, Heſichius Viennenſis, Agricola Cabilonenſis, Urbicus Veſontionenſis, Rufus Octodurenſis, &c. Immo Theodebertus ipſe Cabilono Remos revertebatur, cum eo morbo correptus fuit, qui ei mortem intulit. Certe ipſemet Theodebertus ſimul cum ſuis patruis Childeberto & Chlotario, teſte Mario, auctore æquali, ad annum D X X X I V. expeditionem in Godomarum Chlodomeris interfectorem ſuſcepit, atque eo fugato, hi tres ſimul Burgundiam obtinuerunt, & inter ſe diviſerunt. Denique, ut obſervat Valeſius vir hiſtoriæ Franciciæ, ſi quis umquam, peritiſſimus, cum nemo probe ſciat, qui fuerint in illis regni Francorum diviſionibus, cujuſque portionis certi limites; vix abſque temeritatis nota, quis affirmare poteſt, opidum aliquod aut regionem aliquam ad hanc vel illam portionem attinuiſſe, niſi id expreſſo veteris alicujus teſtimonio comprobetur.

I V.

1. Poſt graviores illas, quas expendimus e vita ſancti Mauri repetitas difficultates, alias proponunt adverſarii, quas etſi non tanti videantur eſſe ponderis, intactas tamen præter- Variæ aliæ difficultates expenduntur.

APOLOGIA S. MAURI.

Regulæ ignorantia.

mittere viſum non eſt ; cum eas ſufficere poſſe cenſuerit vir eruditus ad elevandam omnem hujus vitæ auctoritatem. Una eſt, quod Fauſtus, quem ſub ſocii ſancti Mauri nomine larvatum putat, Regulæ ſancti Benedicti adeo neſcius fuerit, ut Florum adhuc novitium tonſum tamen fuiſſe ſcripſerit. quod ſane, inquit ille, omnino Regulæ Benedictinæ contrarium eſt, in qua novitios tonderi diſerte vetatur.

Verum indicare debuiſſet vir eruditus, quo regulæ capite id vetitum ſit, cum nobis Regulam ſanctam illam profeſſis, eamque quotidie evolventibus locum hunc invenire nondum contigerit. Præſcribit quidem pater ſanctus, ut expleto probationis tempore novitius propriis veſtibus exuatur, rebus monaſterii induendus; at nihil prorſus de tonſura habet. quin e contrario multis exemplis comprobari poſſet homines ad converſionem accedentes depoſita coma clericos ſtatim, aut monachos factos fuiſſe; quamvis diffiteri nolim ſollemniori forte ritu abſciſſos fuiſſe capillos eorum, qui peracta diuturna probatione, inſolubili voto congregationi adjungebantur. atque eo pacto Florus dici poteſt, longioribus crinium cincinnis, quos Francorum nobiliores viri deferre tum ſolebant, exciſiſſe, ut ad modeſtiorem cæſariem, qualem habere novitium decebat, capilli ejus redigerentur.

Sed eſto vetitum ſit in Benedictina regula capillos novitiis in primo monaſterii ingreſſu exſcindere; quis viro erudito perſuaſit, tunc Florum novitium ſolummodo fuiſſe, quando ei capilli abſciſſi ſunt? id certe non habet Fauſtus, neque ullus alius auctor; immo ſi Fauſti locus accurate perpendatur, jam probationis annum tunc compleverat Florus, quippe qui veſte monaſtica donatus, omnia bona ſua, facto publico teſtamento, tunc dimiſiſſe dicitur, cum capilli ei abſciſſi ſunt.

Annorum vitæ calculus.

2. Non majoris eſt ponderis altera viri eruditi objectio, contendentis Fauſtum, ſi vita ab eo re ipſa deſcripta fuerit, ad neſtoreos annos pervenire debuiſſe; utpote qui a ſancto Patre in Caſino monte enutritus, poſt Gallicanum tot annorum iter, in Italiam reverſus cum jam ſenex eſſet, Bonifacio papæ tertio, vel quarto, vitam a ſe exaratam obtulerit.

Res eſt Fauſti calculo examinanda. Fauſtus ipſe ait ſe annis ſeptem natum ſancto Patri in Caſinenſi monte oblatum fuiſſe. quod ſi id anno ipſo, quo ſanctus Benedictus, relicto Sublaco, ad ſacrum montem acceſſit, id eſt anno circiter DXXVIII. factum fuerit, quatuordecim aut certe quindecim annos ſub beati Patris diſciplina Fauſtus tranſegiſſe dicendus eſt. nam anno DXLII. exeunte, aut ſequentis initio, datus eſt ſocius Mauro in Galliam properanti; atque juxta illum calculum, annos viginti & unum, aut viginti-duos natus erat Fauſtus, cum in Gallias profectus eſt. Id ſane ipſe videtur indicaſſe, cum in vita ſancti Mauri ſcripſit, ſe tranſactis infantiæ annis ſub beati Benedicti diſciplina eruditum profeciſſe, uſque dum Mauro ab eodem patre in Gallias properanti comes datus fuiſſet. Cum vero ſanctus Maurus anno DLXXXIV. obiiſſe dicatur, Fauſtus tunc temporis annum ætatis ſuæ ſexageſimum-ſecundum attigiſſe debuit: quibus ſi duos alios annos, quos poſt ſancti abbatis mortem in Gallia tranſegit, addiderimus, dicendus eſt in Italiam rediiſſe annos circiter ſexaginta-quatuor natus. qua ſane ætate ſenex dici potuit homo, qui iter leucarum circiter trecentarum aggredi parabat; haud tamen adeo decrepitus, ut non facile annos adhuc viginti in patria ducere potuerit, atque eo temporis intervallo ſancti Mauri vitam deſcribere; eamque tandem octogeſimo-quarto aut quinto ſuæ ætatis anno Bonifacio papæ offerre.

APOLOGIA S. MAURI.

Miraculorum multitudo.

3. Non felicior fuit Baſnagius in objiciendis contra vitam ſancti Mauri miraculis, quæ in ea paſſim occurrunt: cum pleraque, immo & ferme omnia quæ ab eo objiciuntur, ex ſancti Gregorii dialogis excerpta ſint; immo nonnulla ſancto Mauro tribuit contra Fauſti mentem, quæque re ipſa non a beato Mauro, ſed quæ, teſtante Gregorio Magno, a ſancto Benedicto patrata fuerunt. Verum hoc ad rem nihil intereſt. nam & revera Mauros multa miracula ediſſe dicitur a Fauſto vulgato, ſed hæc-ne ſunt ſuppoſititiæ vitæ indicia? immo vero merito veniret in falſi ſuſpicionem hujus ſancti vita, ſi ab auctore æquali deſcripta diceretur, & non eſſet tota referta miraculis. Non enim ejus ævi auctores ſancti alicujus vitam deſcribere ſibi videbantur, niſi foret tota miraculis referta. Conſulantur, ſi lubet, quæ ſuperſunt ejuſmodi monumenta: & illum fuiſſe ſæculi ſexti aut ſeptimi morem quivis facile deprehendet. ſi rem exemplis approbare opus fuerit, proferemus teſtes majores omni exceptione Gregorium Magnum, alterum Gregorium, Turonum ſcilicet antiſtitem, Patricium Dynamium, Fortunatum, & alios, quotquot inveniri poterunt, qui illo ævo vitas ſanctorum edidere.

Ridiculæ reliquiæ.

4. At, inquit vir eruditus, ridicula plane refert pſeudo-Fauſtus, ut cum patrem Benedictum narrat Mauro aliquot ſanctorum reliquias tranſmiſiſſe, inter quas recenſet *pallium rubeum ſancti Michaelis archangeli.*

Verum ſi-quid ridiculi ea in reliquiarum recenſione occurrat, non Fauſto, qui rem prout erat ſimpliciter enarravit, imputandum eſt, ſed iis ipſis, qui locum hunc aut non recte retulerunt; aut certe non ſatis, pace eorum dixerim, intellexerunt verborum Fauſti germanum ſenſum. Age igitur, videamus quid Fauſtus ea occaſione ſcripſerit. Narrat ſanctum Patrem Mauro tranſmiſiſſe tres ſanctæ Crucis particulas, cum aliis ſanctorum reliquiis, atque inter eas exprimit *ſancti Michaelis archangeli*, hæc ſunt ejus verba, *ex palliolo rubeo, ſanctæ ſcilicet ejus memoriæ.* quæ quidem ita interpretatur vir eruditus, quaſi his verbis voluiſſet Fauſtus indicare ſanctum Michaëlem pallio rubeo veſtitum fuiſſe, cujus partem ſanctus Pater diſcipulo ſuo pro reliquiis conceſſerit. At quantum id ſit a Fauſti ſenſu alienum, ex illorum verborum ſimplici expoſitione patebit. Nemo vel minimum in eccleſiaſticis auctoribus verſatus, neſcit, *me-*

moria nomine apud ejus ætatis auctores, eccleſiam, aut capellam ſive ſacellum, vel ſaltem altare deſignati. Certe Fauſtus ipſe hanc vocem eo ſenſu alias manifeſte uſurpavit. Haud minus certum eſt altaria & ſanctorum ſepulcra tapetibus aut pannis cooperiri ſolita tunc fuiſſe. quod non ſolum ad conſervationem, ſed etiam honoris & reverentiæ cauſa fieri conſueverat; immo ejuſmodi tapetia quandoque ad parietes ſuſpendebantur, potiſſimum diebus feſtivis, aut certe in locis celebrioribus; & hæc tapetia ſive panni *pallia*, *palla* ſeu *pallida* appellabantur. Porro fideles, qui devotionis cauſa ad ejuſmodi ſacella ſeu memorias ſanctorum accedebant, tapetia illa oſculabantur, ſibi ipſis ea, ſi forte aliqua corporis ſui parte laborarent, imponebant, & ſi quando eis liceret ex illis pannis fila nonnulla, aut quantumvis exiguum fruſtulum ſecum auferre, id pro maximo munere habebant, & veluti ſacras reliquias venerabantur; quo re ipſa nomine paſſim donantur apud veteres auctores. Hæc omnia ex ſancto Gregorio Turonenſi, aliiſque nonnullis ejus ætatis ſcriptoribus diſcimus; immo non ſolum illa fila, ſed flores quoque, quibus ornata fuerant ſanctorum altaria, herbulæ quæ devotionis cauſa a fidelibus injiciebantur, & ipſe etiam pulvis e tumulis ſanctorum collectus, ſicut & aqua putei aut fontis vicini, ne quid dicam de cereis aut oleo lampadum, aliiſque ſimilibus rebus, pro reliquiis habebantur: quod non ſolum ex Gregorio Turonenſi, ſed etiam ex Hieronymi, Auguſtini, Gregorii Magni, aliorumque ſanctorum patrum teſtimonio certum eſt. Quis neſciat quo in pretio olim fuerint panni illi, quos Apoſtolorum ſepulcris aliquanto tempore impoſitos Pontifices Romani in varias orbis chriſtiani plagas tranſmittebant? Notum eſt quam mira de ejuſmodi pannis Leo, Gregoriuſque, uterque Magnus, & alii pontifices narraverint.

Particulæ igitur pallii, quas ex memoria ſeu altari ſancti Michaëlis beatus Benedictus ad Maurum tranſmiſiſſe memoravit Fauſtus, erant ex tapete ſeu pallio, quo hujus ſancti Archangeli altare coopertum fuerat, excerptæ. Nihil hac in re ridiculum, nihil inſolitum, nihil quod ætati Fauſti non conveniat. Ridebunt forte nonnulli, maxime ex heterodoxis, patrum noſtrorum ſimplicitatem; ſed quamvis eorum apologiam facere non multum eſſet operoſum, hic tamen ſufficiat demonſtraſſe nullum inde apparere in hac narratione falſitatis indicium, quæ e contrario invicte ejus auctoris ſinceritatem probat, cum poſteriorum ſæculorum auctor fallax hanc ejus ævi ſimplicitatem & ingenium imitari non valuiſſet.

Itineris circumſtantiæ.

5. Diſcutit poſtea Baſnagius omnes itineris ſancti Mauri circumſtantias, ut ſi quid errati in iis deprehendat, inde totam Miſſionis Gallicanæ traditionem impugnare poſſit. Et quidem nihil circa viam, quam tenuiſſe dicitur vir ſanctus, aut de locis quæ inviſit tranſeundo, reprehenſione dignum invenire potuit; at contendit non ſibi conſtitiſſe Fauſtum in dierum quos eo in itinere inſumſiſſe dicitur Maurus, enumeratione. Maurus cum ſuis ſociis, inquit, profectus eſt e monte Caſino die decima Januarii: poſt dies quinquagina-quinque Vercellas appulſus, ibi quatuordecim dies egit, & tamen prope Autiſiodorum die viceſima-prima Martii adfuit. quod fieri non potuit, niſi Autiſiodorum perveniſſet, priuſquam Vercellis fuiſſet egreſſus.

At quis non videat amanuenſis hic erratum eſſe, qui L V. pro X X V. incaute ſcripſerit? neque enim ſincerus auctor, neque mendax ſcripſiſſe cenſendus eſt, quod Maurus priuſquam ex una urbe profectus fuiſſet, in alteram longe ab ea diſſitam pervenerit; & tamen obſervaſſe ſingillatim, ut ſane accurate fecit, teſtante ipſo adverſario, Fauſtus, omnes itineris circumſtantias, & omnia loca recenſuiſſe, quæ a ſancto Mauro perluſtrata fuerunt. Condonandum itaque eſt erratum illud amanuenſibus vitæ ſancti Mauri, ut condonari debet ſimilis error viro erudito, hanc objectionem facienti. Amanuenſes L V. pro X X V. uti diximus, ſcripſere, adverſarius vero noſter hoc ipſo objectionis ſuæ loco X X V. pro L V. incaute retulit. Abſit autem, ut eum malæ fidei reum aut dicamus, aut credamus; ita nec ipſe ob tam levem errorem Fauſtum ſuſpectum debet habere. Verum alio item, & quidem faciliori modo, id erratum potuit irrepere in vitam ſancti Mauri, unius ſcilicet literulæ mutatione. nam ſi pro *quinquageſimo-quinto die*, legamus *quinquageſima quinto die*, nulla ſupererit in hac computatione difficultas. veri ſimilius autem nobis videtur, errorem eo modo contigiſſe, quod in variis eorum temporum monumentis, *quinquageſima* vox jam uſurpata eo ſenſu occurrat, quo hodieque eam adhibere ſolemus.

Aliæ objectiones jam ſolutæ.

6. Denique nonnulla alia congerit Baſnagius adverſus vitæ ſancti Mauri auctoritatem, ut eam nullam eſſe probet. Talia ſunt quæ de morte ſancti patris Benedicti affert, quæ in pervigilio reſurrectionis Dominicæ contigiſſe dicitur anno D X L I I I. contra tabularum paſchalium fidem. Objicit etiam Gregorii Turonenſis, Bedæ & aliorum auctorum ſilentium & alia ſimilia: quæ cum jam a nobis ſuperius recenſita & refutata fuerint, hic fuſius perſequi non vacat; ſed ex his quæ retulimus patet, quam immerito vir ille eruditus Mabillonium noſtrum arguerit, ob locum huic vitæ datum inter acta ſanctorum Ordinis Benedictini; cum certum ſit ea quæ putaverat Baſnagius errata, non eſſe errata, & quæ ſibi contraria viſa fuerant, nullo modo ſibi contradicere; immo & ea, quæ pro certis & indubitatis ſuppoſitionis indiciis protulerat, certa e contrario & invicta eſſe ejus ſinceritatis argumenta. unde fateatur neceſſe eſt vir eruditus, ſe hac in re faciliorem præbuiſſe adverſariis noſtris, qui ei commentarios contra ſancti Mauri Miſſionem ſubminiſtrarunt; proindeque ſuam vitæ ſancti Mauri auctoritatem manere debere integram & inviolatam, qualem certe meretur hoc monumentum, quod ſæculi ſeptimi initio exaratum, poſtmodum ſæculo nono ab alio auctore retractatum, & aliquot locis interpolatum fuit. quod non modo Miſſionis ſancti Mauri traditionem

Digitized by Google

non evertit; ſed eam e contrario omnino, uti probavimus, confirmat & corroborat.

V.

Cl. viri Ant. Ballieti ſententia expenditur.

1. Multa etiam in diſſertationis hujus Gallicana editione protulimus adverſus novam Antonii Ballieti, viri eruditi, opinionem, qui licet ſe in controverſiam de Miſſione ſancti Mauri excitatam venire nolle profeſſus fuiſſet, cum inter aliorum ſanctorum vitas de ſancto Mauro agere incœpit; poſtea tamen in narrationis decurſu ita ſemper ſe geſſit, ac ſi nullo probabili fundamento niteretur Ordinis noſtri, immo Eccleſiæ totius occidentalis, de ea Miſſione traditio. Duos quippe Mauros admittere non dubitavit; unum ſcilicet Italicum, a ſancto Gregorio laudatum, & alterum abbatem Glannafolienſem, qui in Gallia floruerit. Verum cum in Additionibus a ſe nuper evulgatis, licet hanc ſuam opinionem non depoſuerit, fateatur tamen Traditionem noſtræ oppoſitam, quam intrudere voluerat, nullo certo fundamento probari poſſe; innuatque vix poſſe negari, quin Odo Foſſatenſis abbas vitam ſancti Mauri publicaverit; immo & admittere videatur Alcuini litanias, quas ſibi favere exiſtimaverat, jam in ſui patrocinium flecti non poſſe: quæ omnia tamen erant ſuæ ipſius opinationis fundamenta, quæ protulerat, pauca omnino ſuperſunt hic adverſus eum dicenda; maxime cum nullum umquam momentum, nullumve auctoris teſtimonium, aut leve ſaltem aliquod antiquitatis veſtigium in ſuæ opinionis patrocinium protulerit.

Nonnullas tamen rationes profert, quibus ſe impeditum dicit, quominus noſtræ, immo Romanæ eccleſiæ ſententiæ accedat. Eæ ſunt, primo, quod conjecturas quidem & præjudicia in noſtra diſſertatione Gallicana ad aſſerendam ſancti Mauri Miſſionem protulerimus, ſed probationes nullas. Secundo innuit malle ſe Odonem ipſum abbatem Foſſatenſem, a quo vitam ſancti Mauri publici juris factam fuiſſe invicte probavimus, falſi ac perjurii reum accuſare, quam vitæ hujus agnoſcere auctoritatem. Tertio nos reprehendit, quod faciliores fuerimus in admittendis opinionibus ſive traditionibus, quæ Caroli Calvi ætatem præceſſerunt. Idem dicit de monumentis quæ protulimus, quibus fuerat, ut ait, multo magis, quam nobis viſum eſt, diffidendum. Quarto Alcuini litanias, quas ſibi favere, proindeque recipiendas exiſtimaverat, jam nullius eſſe roboris dicit, quod ejuſmodi monumenta interpolationibus ſoleant paſſim ſcatere. Quinto denique quod nihil prorſus ad Papebrochii rationes, quæ haud contemtibiles ſunt, reſponderimus.

& reſolvitur.

2. At facilis eſt ad hæc omnia reſponſio. Et primum quidem Miſſionis ſancti Mauri traditionem antiquiſſimam eſſe certis & indubitatis monumentis a nobis demonſtratum eſſe nemo infitiatur; an vero inde argumenta legitima, aut ſolummodo meras conjecturas deduxerimus, judicabunt æqui verique amantes lectores, qui hanc diſſertationem jam gallice, modo vero hic latine editam expendere voluerint. Et quidem mirum eſt id a viro docto dici potuiſſe, qui rationes nullas, monumentum nullum; conjecturas vero ita leves, pro ſua opinione nova protulit, ut eas in emendationibus dimittere fuerit coactus.

3. Accuſationem aut ſuſpicionem gravem falſi & perjurii in Odonem intentatam, ne conjecturis quidem, aut levi quoquam momento probat aut confirmat vir eruditus. Sed itane licet hominis famam hactenus integram tali probro abſque ratione conſpurcare? Fuit quippe Odo vivus & mortuus vir integræ famæ, in eccleſia probe notus; & mirum eſt quod hunc ipſum, cujus auctoritatem in Hiſtoria Tranſlationis deſcribenda, uti certam admittit, & quem etiam hominem probum & bonæ fidei fuiſſe paucis ante diebus agnoverat vir eruditus, perjurii & mendacii ſuſpectum, ſi non convictum, ſe modo habere pronuntiet. Si aliquo legitimo teſtimonio, id quod ſibi antea incompertum erat reſcivit, debuiſſet ſane illud proferre in publicum: donec id præſtetur, accuſationem hanc iniquam, jure divino & humano id nobis ſuadente, habebimus.

4. Hujus reſponſionis vim præſenſit procul dubio vir eruditus, qui, ſi ſalvam velimus Odonis ſinceritatem & fidem, non omnino refragaturum innuit, modo tamen fateamur eum a clerico Michaëlino fuiſſe deceptum, qui illi fabulas pro vita ſancti Mauri vendiderit. At ſuo loco probavimus, vitam ſancti Mauri, quamvis nævis aliquot non careat, qui ab interpolatore ſeu editore, vel etiam ab amanuenſibus facile admitti potuerunt, ſæculo nono confectam non fuiſſe, utpote quæ multa habeat, quæ a fallaci illius temporis auctore adinveniri non potuerunt.

Sed nec eo quidem pacto ſalvari poſſe Odonis fidem certum eſt, niſi ſancti Mauri miſſio, & præcipua ſaltem ejus facta, quæ in vita illa commemorantur, vera fuerint. Etenim Odo ante receptam ab illo clerico vitam, vel Maurum Glannafolienſem ſciviſſet fuiſſe ſancti Benedicti diſcipulum, aut certe id neſciiſſet. Si illud ſciverit, jam miſſionem ſancti Mauri abſque illa vita ratam habemus; proindeque clericus ille, aut quivis alius vitæ confictor, eam primus non excogitavit. Si vero Odo dicatur Maurum Glannafolienſem ſancti Benedicti diſcipulum antea non credidiſſe: cum ſane Maurus Italicus, re vera ſancti Benedicti diſcipulus, ignotus eſſe ei non potuerit, quem nempe ſui cœnobii fundatorem non fuiſſe probe ſciviſſet, inferendum eſſet ipſum mala fide ſuum Maurum in Italicum transformaſſe, quod quidem etſi voluiſſet, fieri nemine reclamante non potuiſſe jam multis demonſtratum eſt.

Cum ait vir doctus, facilius quam par fuiſſet, nos *opinioni ſæculorum, quæ Caroli Calvi regnum præceſſerunt, adhibuiſſe fidem*; innuit aliquam de ſancti Mauri miſſione traditionem ante hujus principis ætatem invaluiſſe; atque eo pacto ruent omnia prorſus, quæ adverſus noſtram

Traditionem hactenus excogitata ſunt argumenta, quibus adverſarii noſtri ejus initia ad ſæculi noni finem, aut ad ſequentis principium revocari debere contendebant. Quin & cum *ſæcula quæ Caroli Calvi regnum præceſſerunt*, alia eſſe non poſſint ab octavo, aut ſeptimo: *opinio* de Mauri Miſſione paullo poſt ejus obitum, qui ſub ſexti ſæculi finem contigit, recepta fuiſſe dicenda eſt; immo cum Maurus Glannafolienſis, ſi ab Italico diſtinguatur, multum eo junior fuiſſet, ut re ipſa contendunt adverſarii, ille adhuc vivens, aut ſaltem vix mortuus in alterum Maurum transformari debuiſſet: quod quam ſit abſurdum nemo non videt.

Quod autem attinet ad monumenta vetera, quæ a nobis incaute admiſſa conqueritur vir eruditus, ea debuiſſet indicare. In iis enim quæ citavimus proferendis aut laudandis, bona fide ac ſincero animo egimus; eadem præterea veterum ac recentiorum auctoritate paſſim corroborare ac confirmare conati fuimus: ſi quod falſum ingeſſimus pro vero, aut dubium pro certo, emendare parati ſumus, cum primum vir eruditus aut quivis alius id probaverit.

5. Litanias vero Alcuini poſt ipſummet Ballietum, ut legitimas admiſimus, quod re ipſa tales eas eſſe non dubitemus. Scimus quidem ejuſmodi monumenta paſſim interpolata occurrere: ſed eam eſſe interpolationum detegendarum regulam eſſe cum viris hac in re eruditis & peritis putavimus, ſi illa ſcripta in vetuſtis codicibus aliter quam in recentioribus deprehendantur; aut certe ſi aliquot inveniantur in iis nomina ſanctorum, qui poſt auctoris ætatem vixerint. Oſtendat vir doctus, ſi quid tale in his litaniis deprehendit: proferat vel unum ſanctum in illis contentum, qui Alcuino ſit poſterior. Siccine pro libito vetera monumenta, ubi ſuæ opinationi non favent, falſa aut interpolata, nulla prolata ratione, dicere, ſicque rejicere licet?

Inſtat tamen & ait: Babolenus poſt Maurum in his litaniis habetur, nec tamen ob id a quoquam dicitur ille ſanctus fuiſſe beati Mauri diſcipulus. Igitur nec Maurus ſancti Benedicti diſcipulus cenſendus eſt, licet in Alcuini litaniis proxime poſt illum poſitus inveniatur.

Verum Babolenus ſemel poſt Maurum occurrit in vetuſtis litaniis, quem ſancti Mauri diſcipulum fuiſſe nemo umquam ſuſpicatus eſt: at certi ſumus Maurum aliquem exſtitiſſe diſcipulum ſancti Benedicti, qui non in una ſolum litania, (& quidem neceſſe eſt in litaniis ſanctos unum poſt alterum recenſere, nec propterea alii aliorum diſcipuli dici poſſunt) ſed in multis, antiquis & recentibus, ante & poſt publicatam ab Odone ejus vitam vulgatis, poſt ſanctum Benedictum proxime locatus occurrit, & quidem inverſo ætatis & celebritatis ordine. Ut enim Maurus ſancto Benedicto prope jungeretur, eum neceſſe fuit præponere illuſtrioribus & antiquioribus vitæ monaſticæ patribus, Antonio, Macario, Ephremio, & aliis, etiam ex Italia, ut ſuo loco vidimus. quæ ſane omnia indicant id non fortuito, ſed data opera ab iſtarum litaniarum collectoribus factum fuiſſe: cujus rei alia ratio excogitari non poteſt, niſi quod re ipſa Maurus cenſeretur ab illis auctoribus fuiſſe præcipuus ſancti Benedicti diſcipulus.

6. Ultimo denique objicit vir eruditus, nihil nos ad Papebrochii rationes reſpondiſſe. Sed quo id pacto fieri potuiſſet, cum neque Papebrochius ipſe, neque eruditi ejus ſocii ullas hactenus contra ſancti Mauri miſſionem rationes protulerint? Abſit ut tam doctos, & in vitis ſanctorum illuſtrandis exercitatiſſimos viros inſuper habuerimus, aut umquam contemſerimus, ut nobis exprobrare videtur vir eruditus; ſed abſit etiam, ut eos inter adverſarios noſtros reputemus, qui ſane nobis non adverſantur. Vitam ſancti Mauri Bollandus & Henſchenius ediderunt ſuo loco die XV. Januarii, eam poſtmodo cum recurrit occaſio laudaverunt; Papebrochius poſtea a noſtro Luca Acherio monitus accepit nonnullos contra hanc vitam *muſſitare*, ut ea de re loquitur: demum vitam hanc ipſe data occaſione examinans, loca difficilia in ea deprehendit, & interpolatam, forte etiam ſuppoſititiam, ſuſpicatus eſt. Quid præſtitit vir eruditus? quod ſane facere debent viri docti, & æqui verique amatores. Ea de re ſcilicet lectores admonuit, ne forte in errorem incaute incidere poſſent; pollicitus ſe, aut ſocios ſuos eam pro opportunitate accurate examinaturos, cum parabitur nova Januarii Bollandiani editio. Interim innuit ſancti Mauri vitam dubiæ auctoritatis ſibi videri ob difficultates in ea occurrentes, miſſionemque forte ad Boniti abbatis aut ſubſequentia tempora melius revocari poſſe ad conciliandos auctores; at nuſquam Miſſionem abſolute rejiciendam eſſe pronuntiavit, vel ullum argumentum in alterutram partem protulit. Quid igitur opus fuiſſet in noſtra diſſertatione Gallicana in Papebrochium aut ejus ſocios invehere, qui re nondum penitus examinata nobis non adverſantur; aut qua ratione eorum argumenta refellere potuiſſemus, ſi nulla ab eis propoſita fuerunt?

Operis concluſio.

Cum itaque Miſſionis Gallicanæ ſancti Mauri traditio ab annis pluſquam octingentis, ut fatentur adverſarii, unanimi omnium conſenſu recepta ſit, nullumque appareat mutationis in ea, etiam ante illud tempus, factæ veſtigium; immo eam longe antiquiorem eſſe certa monumenta & multa argumenta probent; & e contrario opinio, quam recentiores aliquot critici ab annis paucis intrudere aggreſſi ſunt, nullo penitus auctoris antiqui aut recentis teſtimonio, nullove antiquitatis monumento firmari poſſit; & inſuper ea argumenta quæ adverſus nos congerere niſi fuerunt, nullius plane ſint roboris, nec tam certam & antiquam traditionem convellere potuerint: non mirum eſt, ſi eamdem tueri & inconcuſſam conſervare conati fuerimus, ut illam, quam a patribus noſtris illibatam inviolatamque poſt tot ſæculorum curricula Traditionem accepimus, poſteris quoque qui nobis in ævum ſucceſſuri ſunt, integram, & invictam tranſmittere curemus.

I I.

DE GREGORII MAGNI MONASTICO INSTITUTO DISSERTATIO.

Ad lib. c. num. 59. & ſeqq.

DISSERT. DE GREG. MAG.

ILLUD in primis Ordini noſtro honorificum eſt, quod ſanctiſſimus ejus auctor & inſtitututor BENEDICTUS vitæ ac Regulæ ſuæ præconem beatum GREGORIUM, re ac cognomine Magnum, habuerit; & quod Gregorius ipſe ejus Regulam ſit profeſſus, ut conſtanti a majoribus noſtris, immo etiam ab externis auctoribus traditiooe accepimus. Alterum nemo, qui Gregorii Operum cenſuram calleat, revocare in dubium poteſt: alterum neceſſaria quadam cónnexione ex altero conſequitur: ita ut, ſi alia hanc in rem argumenta nos deficerent, id unum cordatis & æquis rerum arbitris ad perſuadendum ſufficere videretur. Ita enim ſancti Benedicti res geſtas ſtudioſe perſequitur Gregorius, ita ejus Regulam commendat, ut nullus, niſi ei addictiſſimus, tam honorifice & ſpeciatim omnia ejus facta relaturus fuiſſet. Cum enim aliorum ſanctorum actiones ſummatim tantum uno, aut altero articulo comprehendat; ita in ſancti Benedicti ſingula geſta excurrit, ut totum librum ſecundum Dialogorum iis commemorandis inſumat, & in aliis libris data occaſione rurſus de eo faciat mentionem. Hoc unum argumentum Hadriano Valeſio, maturi judicii ac multæ eruditionis viro, adeo plauſibile viſum eſt, cum ea de re quondam ſermonem haberemus, ut Gregorium Magnum noſtris accenſendum eſſe facile crederet, ſi modo de monaſtica ejus profeſſione, quam alterius Gregorii, ſcilicet Turonenſis epiſcopi, ſilentium ſuſpectam ac dubiam ipſi reddebat, omnino conſtaret. quæ res effecit, ut ſingularem hoc de argumento diſſertationem ſcribere olim aggreſſus ſim, eidemque tum ſuperſtiti ac volenti inſcripſerim, quam novis hoc loco argumentis confirmare operæ pretium fuerit: ne tam præclarum & inſigne Ordinis noſtri ornamentum, quod nonnulli nobis, ex Baronii maxime præjudicio, auferre moliuntur, non ſatis reputaſſe videamur. Etſi enim in noſtrorum decurſu Annalium argumenta hac de re præcipua, pro nata occaſione, protulerim; juvat nihilo minus ea, quæ ſparſim dicta ſunt, ſimul conferre in hunc locum: ut uno contextu argumenta propoſita majorem ad perſuadendum vim habeant.

Cum vero hujus diſquiſitionis partes ſint duæ, una, an Gregorius monachus fuerit; altera, an ſancti Benedicti regulam profeſſus ſit: quæ prior eſt tam certis ac perſpicuis conſtat argumentis, ut eam, pro conceſſa habitam, plerique e noſtris, qui hac de re ſcripſere, prætermiſerunt; in alteram vero, quæ fere totius controverſiæ caput eſt, moroſius & fortius incubuerim. Verum, ne dimidiatum opus feciſſe videar, utrumque hic retractare eſt animus, primum quidem paucis expediturus, allatis potioribus tantum argumentis, quæ tum monaſticam Gregorii profeſſionem, tum ejus in monaſterio moram & abbatialem dignitatem ſpectant: alterum vero, ſæpe jam diſcuſſum a noſtris, ita expoſiturus, ut aliorum argumenta cum delectu adhibiturus ſim, novis aliunde copiis advectis.

DISSERT. DE GREG. MAG.

PARS PRIMA.

I.

DE monaſtica Gregorii profeſſione dubitare non ſinit nos manifeſta ipſius Gregorii auctoritas. Quantum enim difficultatis paſſus ſit vir ſanctus in eo propoſito exſequendo, commemorat ipſe io epiſtola ad Leandrum epiſcopum, initio Moralium præfixa, his verbis. *Dudum te, frater beatiſſime, in Conſtantinopolitana urbe cognoſcens, cum me illic Sedis apoſtolicæ reſponſa conſtringerent, & te illuc injuncta pro cauſis Fidei Veſigothorum legatio perduxiſſet, omne in tuis auribus quod mihi de me diſplicebat expoſui: quoniam diu longeque converſionis gratiam diſtuli; & poſtquam cæleſti ſum deſiderio afflatus, ſæculari habitu contegi melius putavi. Aperiebatur enim mihi jam tunc de æternitatis amore quod quærerem: ſed inolita me conſuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus præſenti mundo quaſi ſpecie tenus deſervire, cœperunt multa contra me ex ejuſdem mundi cura ſuccreſcere, ut in eo jam non ſpecie, ſed (quod eſt gravius) mente retinerer. Quæ tandem cuncta ſollicite fugiens, portum monaſterii petii; & relictis quæ mundi ſunt, ut fruſtra tunc credidi, ex hujus mundi naufragio nudus evaſi.* Hic manifeſte ſignificat Gregorius, ſe concepto melioris vitæ propoſito non ſtatim adduci potuiſſe, ut ſæcularem habitum deponeret io monaſterio; ſed id demum præſtitiſſe, ubi ſub ſæculari cultu mentem ſuam ab ſæcularibus ſtudiis revocari non poſſe intellexit. Tum *cuncta*, id eſt omnia retinacula, quibus ne *exteriorem cultum* ſeu *ſæcularem habitum* mutaret, impediebatur, *ſollicite fugiens, portum monaſterii petiit, quæ mundi ſunt, reliquit*, ac demum *ex hujus mundi naufragio nudus evaſit.* Quo in loco Gregorius unam eamdemque rem tribus modis expreſſit in idem recidentibus. Quippe *portum monaſterii petere*, Gregoriano ſtilo idem eſt, ac monachum fieri religioſa veſte ſuſcepta. Huic rei probandæ aptiſſima eſt libri x. epiſto-

DISSERT. DE GREG. MAG.

la XXXIX. qua Deſiderium Galliæ epiſcopum monet, ut ne Pancratium, ipſius quondam clericum, qui ad monaſterium confugerat, denuo ad eccleſiæ curam revocaret. Quam ob rem vero? *Ut qui quietis deſiderio portum monaſterii appetiit, rurſum in eccleſiaſticarum curarum perturbationibus non implicaretur.* Atqui ſuperius præmiſerat Gregorius, eumdem Pancratium *gratiam monaſticæ converſationis appetiiſſe*, ejuſque *ſumſiſſe habitum*. Ex quibus manifeſtum eſt, Gregorio idem eſſe *portum monaſterii petere*, ac religioſum habitum in monaſterio ſuſcipere. Et certe quiſquis monaſterii portum petit, prorſus abjicit animum ſæculi repetendi. Quod propoſitum is præ ſe non ferret, qui in monaſterio ſæcularem habitum vellet retinere; eique accideret, quod ſibi Gregorius accidiſſe dicit, ut jam *non ſpecie tantum*, ſed etiam *mente* ſæculum reſpiceret.

Quod autem Gregorius religioſo ſe voto in monaſterio obſtrinxiſſet, argumento eſt ejus epiſtola ad Theoctiſtam imperatoris ſororem, quæ eſt libri I. epiſtola V. in qua conqueritur, quod *ſub colore epiſcopatus ad ſæculum ſit reductus.* ubi *ſæculum* opponit, non laïcæ (ut liquet) vitæ, ſed monaſticæ ac regulari, cui addictum ſe fuiſſe ſatis ſuperque probat, cum ait ſe ſe in *monaſterii portum recepiſſe*. Rem amplius explicant ſequentia Gregorii verba, quibus ſe *ea quæ mundi ſunt, reliquiſſe, & ex hujus mundi naufragio nudum evaſiſſe* profitetur. Neque enim quis nudus ex hujus mundi naufragio evaſiſſe dici poteſt, qui mundi ſolitum cultum, id eſt ſæcularem veſtem, non deponit: cujus veſtis ſuſceptione monaſtica tunc inducebatur profeſſio. Sed quid multis moror? quando Gregorius ipſe diſertis verbis ſe monachum dicit, ſcilicet in libro IV. Dialogorum capite XXXVIII. ubi agens de morte Criſorii, teſtimonium adducit Maximi ejus filii, *quem ipſe*, inquit, *jam monachus monachum vidi*. Hæc verba non minus dilucide reddit Zacharias in verſione græca. Quid apertius? En Gregorius ipſe ſe *monachum* fuiſſe diſerte ait, quod jam non obſcure in locis mox allatis aſſeruerat. Nec ipſi ſatis fuit id ſemel dixiſſe: idem iiſdem omnino verbis repetit in homilia XII. Hæc tam clara & manifeſta ſunt, ut aliis argumentis referendis ſuperſedeam, ne rem minime obſcuram congeſtis aliunde non neceſſariis teſtimoniis obſcurare videar.

Neque vero his obſtat, quod olim vir doctus obtendebat, alterius Gregorii ſilentium quod genus argumenti nihil valet contra clara & indubitata teſtimonia. Quin etiam Gregorius ipſe Turonenſis epiſcopus adeo ſententiæ noſtræ haud officit, ut etiam non obſcure ſuffragetur. Is quippe initio libri X. Hiſtoriæ ſuæ teſtatur, Gregorium Romanum, ab adoleſcentia devotum Deo, ex rebus propriis ſex in Sicilia ædificaſſe monaſteria, ac ſeptimum intra urbis Romæ muros inſtituiſſe: *quibus*, inquit, *tantam delegavit terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum ſufficeret; reliqua vendidit cum omni præſidio domus, ac pauperibus erogavit.* Quod quidem non niſi homini ſæculo nuntium remittenti fere contingit. Et certe mox Gregorius Romanus monaſterium ingreſſus eſt, ut ex ſuo ipſius teſtimonio liquet: *& qui ante ſerico contextu ac gemmis micantibus*, uti ſubdit Gregorius Turonenſis, *ſolitus erat per Urbem procedere trabeatus; nunc vili contectus veſtitu ad altaris dominici miniſterium conſecratur*, &c. Ubi auctor ipſe ſerico ac gemmis micanti ornamento opponit religioſam veſtem, quam *vilis veſtitus* nomine intelligit, monachalem dicturus, niſi aliter exegiſſet oppoſitorum lex. *Vilem* porro dixit eo fere modo, quo ſanctus Benedictus ad monachorum veſtem deſignat id panni genus, *quod vilius comparari poteſt*. Atque ut amplius videas id Gregorium Romanum relicto ſæculo præſtitiſſe; addit Gregorius Hiſtoricus, eum electioni ſuæ in Pontificem diu reſtitiſſe, *ne, quod prius abjecerat, rurſum ei IN SÆCULO de adepto honore jactantia quædam ſubreperet.* Itaque ex mente Gregorii Turonenſis, Gregorius Romanus, facultatibus in pauperes erogatis, *ſæculum* & quæ ſæculi ſunt, abjecit, ſericas item ac gemmantes veſtes depoſuit, *vilem veſtitum* præferens, id eſt monaſticum. Itaque Gregorius Gallus ſuccinit Gregorio noſtro, de ſe ipſo teſtanti, quod *jam monachus monachum viderit* Maximum. Certum itaque & exploratum id manet, quod de ejus monachatu demonſtrandum erat.

II.

Quo in monaſterio vitæ monaſticæ rudimenta didicerit Gregorius, ſignat ipſe variis in locis, nimirum *in monaſterio*, inquit, *meo*, id eſt ſancti Andreæ, quod Romæ conſtruxerat. ſic enim ſcribit in libro IV. Dialogorum, capite XXI. *Vita namque venerabilis Valentius, qui poſt in hac Romana urbe mihi, ſicut noſti, meo quoque monaſterio præfuit*, &c. & in capite LV. *Neque hoc ſilendum puto, quod actum in meo monaſterio ante hoc triennium reminiſcor. Quidam namque monachus, Juſtus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem monaſterio conſtituto ſedule obſequi, atque in aſſiduis ægritudinibus meis excubare conſueverat.* Clarius Johannes Diaconus in ejus vitæ libro I. capite VI. agens de monaſteriis à Gregorio conſtructis: *Septimum*, inquit, *intra Romanæ urbis mœnia ſub honore ſancti Andreæ apoſtoli, juxta baſilicam ſanctorum Johannis & Pauli, ad Clivum-Scauri, monaſterium in proprio domate fabricavit: in quo, relictis ſericis, auro gemmiſque radiantibus togis, ſimulque ſupellectilibus reliquis in uſum pauperum erogatis, ex hujus mundi naufragio nudus evaſit; diuque deſideratum monachicum capiens indumentum*, &c. quibus verbis Johannes Diaconus ad Gregorii Turonici epiſcopi contextum mox relatum alludere videtur. Jam quantum moræ in monaſterio fecerit Gregorius noſter, expendendum eſt.

III.

Duplicem Gregorii commorationem in monaſterio

DISSERT. DE GREG. MAG.

naſterio diſtinguere juvat, unam ante, alteram poſt ſuſceptum diaconatus gradum & legationis munus: quæ utraque eſt aliquot annorum.

Ut plures primæ commorationis annos Gregorio tribuamus, illud exigit, quòd in monaſterio duobus minimum abbatibus paruit, Valentio ſcilicet, ex libri IV. Dialogorum capite XXI. & Maximiano, qui tum, cum Gregorius legatus factus eſt, Andreani monaſterii Pater erat, ex libri III. capite XXXVI. Deinde Merulus monachus, quem Gregorii in cœnobio ſocium ac diſcipulum fuiſſe ait Johannes Diaconus in lib. I. de Gregorii vita capite XIX. ante annos quatuordecim quàm Gregorius Dialogos ſcriberet, id eſt ante annum D LXXX. e vivis abierat, auctore Gregorio in lib. IV. Dialogorum capite XLVII. Ergo ante eum annum Gregorius ipſe jam monachum induerat. Certe ibidem agit Gregorius de quodam fratre Antonio, quem ſecum *in monaſterio* fuiſſe dicit: cujus obitum, tamquam ſenioris, ante Meruli obitum refert. Accedit quod jam tum adeo exquiſitam hauſerat rerum moralium intelligentiam, ut Conſtantinopoli rogatus à Leandro Hiſpalenſi epiſcopo, inchoaverit libros Moralium, in quibus admirabilem rerum divinarum cognitionem ſuſpiciunt omnes. An vero fieri potuit (quod quidem factum eſſe neceſſe eſt, ſi exiguo temporis intervallo monachus ante legationem fuit) ut Gregorius inter varias Romanæ præfecturæ ſollicitudines, curaſque tumultuantes, tam intime res morales calluerit, deguſtaveritque? Certe nemo rerum ſpiritalium peritus hoc ſibi perſuadere poterit, maxime ſi perpendat, quod Gregorius ſe *inolita conſuetudine devinctum, ac mente in mundo retentum, diu converſionis gratiam*, qua divinitus ad vitam monaſticam invitabatur, *diſtuliſſe* plangit in præfatione Moralium. Non ergo alibi quam in monaſterio hunc ſapientiæ apicem apprehenderat, ubi proinde ante plures annos, quam Diaconus crearetur, vixiſſe dicendus eſt.

Baron. an. 581. & 585.

Breviorem hanc fuiſſe moram, id eſt vix integri biennii, cenſet Baronius, hoc adductus argumento, quod urbanam Præfecturam adhuc gereret Gregorius anno octogeſimo-primo ſupra quingenteſimum; tum monachus factus, altero poſt anno accepta Diaconi cardinalis dignitate, Conſtantinopolim directus ſit a Pelagio Romano pontifice. Ipſum enim anno ſupra dicto etiam tum Prætorem Urbis ſubſcripſiſſe cautioni ſeu litteris profeſſionis à Laurentio Mediolanenſi pontifice initio ſui epiſcopatus ad Papam pro more miſſis. Porro Laurentium ſediſſe annos duodecim, ex monumentis eccleſiæ Mediolanenſis, eique ſucceſſiſſe Conſtantium anno quingenteſimo nonageſimo-tertio, reſtante Gregorio in epiſtolis ad Exarchum Italiæ, & ad Johannem ſubdiaconum, datis Indictione undecima.

Conſtantii pontificatûs initium anno D XCIII. cum Baronio admitto. ſed nihil contra nos. Tota enim ejus illationis moles nititur recentioribus Mediolanenſium Pontificum indiculis, quos mendoſos eſſe conſtat ex catalogo a nobis deſcripto ex veterrimo codice bibliothecæ Ambroſianæ, & relato in tomo primo Muſei [a] noſtri Italici, in quo Laurentio epiſcopo non tantum anni duodecim, ut vulgatis in indicibus & apud Baronium, ſed anni novemdecim cum menſibus ſeptem tribuuntur, iſque XII. kal. Septembris obiiſſe dicitur. Itaque ſi ex anno ejus ſæculi nonageſimo-tertio, quo Conſtantius poſt illum menſem Laurentio ſuffectus eſt, annos novemdecim cum menſibus ſeptem detraxeris; anno ſeptuageſimo-tertio aut inſequente Laurentii epiſcopi electionem factam eſſe admittas neceſſe eſt; adeoque ejus cautionem ad Romanum pontificem eodem anno miſſam, cui Gregorius, tunc urbanus prætor, ſubſcripſit. Potuit ergo Gregorius anno ſequenti, id eſt ſeptuageſimo-quarto aut quinto, ingredi monaſterium, in quo uſque ad id tempus, quo diaconus cardinalis ac legatus creatus eſt, privatam vitam duxit. Atqui Conſtantinopolim ad Tiberium miſſus eſt anno D LXXXII. qui Tiberii auguſti ſupremus fuit, pænultimus Eutychii patriarchæ, quem Gregorius in illa urbe jam verſatus, ab errore, qui reſurrectionem ſpectabat, revocavit. Quamdiu vero illic perſtiterit, colligitur ex Pelagii papæ epiſtola, ad ipſum ſcripta, mandantis, ut ab imperatore auxilium contra Langobardos ipſi impetret. quæ epiſtola *data eſt* IV. *nonas Octobris, indictione* III. quæ anno D LXXXIV. reſpondet, ſi indictio tertia more pontificum a Septembri computanda eſt. Ex his patet, Gregorium vix ante annum ſequentem a ſua legatione Romam reverti potuiſſe.

[a] Muſ. Ital. p.108. & ſeqq.

IV.

Reverſus e legatione ſua Gregorius, rurſus in monaſterii ſui portum confugit, ubi etiam abbatis munus geſſit, ut ipſe declarat in Conſtituto pro monachis apud Baronium [b] & inter generalia Concilia edito, his verbis: *Gregorius epiſcopus omnibus epiſcopis. Quam ſit neceſſarium monaſteriorum quieti [c] conſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine cœnobii exhibuimus, informat.* Hinc eſt quod Pretioſo præpoſito, quem Baronius abbatem perperam vocat, præcipit, quid in Juſtum monachum peculii reum agendum ſit, ex libri IV. Dialogorum capite LV. uſus hoc in facto jure & poteſtate abbatis.

[b] Baron. an. 601.

[c] f. proſpicere.

Occurrit tamen hoc loco quidam ſcrupulus, nempe quod Maximianus abbatis munus tum gereret, ex lib. III. Dialogorum capite XXXVI. cum Gregorius in regiam urbem miſſus fuit; ipſumque officium retinuiſſe videatur ad id tempus, quo Syracuſanum epiſcopatum adeptus eſt, quod Rocus Pirrus contigiſſe putat circiter annum D XC. quo anno Gregorius ipſe pontifex renuntiatus eſt menſe Septembri. At incertum quo præciſe anno Maximianus Syracuſanam iniit ſedem; &, ſi quidem ſub annum D XC. monaſterii regimen Gregorio, e ſua legatione reverſo, facile cedere potuit. cui rei id argumento eſt, quod Pretioſo monaſterii ſui præ-

poſito injunxit, ut nullus e fratribus monaſterii Juſto, ut mox dicebam, peculii reo morienti adeſſet; id injuncturus abbati, ſi non ipſe abbas extitiſſet. Ex his intelligitur, Gregorium poſt ſuam legationem quinque circiter annos perſtitiſſe in ſuo monaſterio, ibique abbatis munere functum fuiſſe. De primo capite hactenus.

PARS SECUNDA.

I.

QUÆ Regula, qualeve monachorum inſtitutum in Andreano cœnobio viguerit, cum Gregorius iſtic religioſum ſuſcepit habitum, jam ſecundo loco inveſtigandum eſt. Benedictinam eo loci viguiſſe Regulam multa perſuadent, nempe ipſius Regulæ obſervatio & auctoritas apud monachos Andreanos; Gregorii ſingulare ſtudium in eamdem Regulam, ejuſque auctorem; ipſiuſmet Regulæ propagatio per Gregorii diſcipulos facta in inſulam Britanniam; teſtimonia veterum, qui ab annis fere nongentis Gregorium ſodalibus Benedictinis, nullo ſecus ante Baronium ſentiente, adnumerant. Hæc paucis explicanda, poſtquam de libris Dialogorum nonnulla præmiſero.

Libros quatuor Dialogorum genuinum Gregorii fetum eſſe, certis ac neceſſariis demonſtravi argumentis in Præfatione primi Sæculi noſtri, nimirum auctoritate ipſius Gregorii, Iſidori, Hildefonſi, Aldhelmi epiſcoporum, Bedæ & Pauli Diaconi: quibus adnumerandi Paterius Gregorii diſcipulus, & Taio Cæſaraugustanus antiſtes ſub medium ſæculum ſeptimum; qui in ſua quiſque collectione teſtimonia ex libris Dialogorum proferunt. adnumerandus etiam Paulus diaconus Emeritenſis in præfatione ad Vitas Patrum Emeritenſium, aliique poſteriores auctores. Dialogorum liber ſecundus, qui totus eſt de ſancti Benedicti geſtis, Gregorio manifeſte adſcritur teſtimoniis Paterii, Aldhelmi epiſcopi Schireburnenſis in Anglia, Bedæ & Pauli diaconi, monachi Caſinenſis, quæ hoc loco tetigiſſe neceſſe eſt, ut infitiatoribus omnis occaſio præcludatur. Paterius in ſua collectione, quam ex Gregorii operibus ipſo vivente ac probante condidit, cum ſexdecim in locis laudet libros Dialogorum, quinquies ex libro ſecundo ſententias producit, nempe capite LXVII. in Matthæum ex libri ſecundi Dialogorum capite XXIII. Capite LV. in Lucam ex capite III. Capite XLIII. in Johannem ex capite XXVIII. Capite XXVII. in Acta ex capite XXX. & capite XXVI. in epiſtolam ad Romanos ex capite XVI. Præterea Aldhelmus, anno DCCIX. mortuus, in libro metrico de virginitate Benedictum commendat his aliiſque verſibus.

Cujus præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præſul chartis deſcripſerat olim.

Aldhelmo ſuffragatur Beda in libro de temporibus, ſub Juſtino ſeniore. *Benedictus abbas,* inquit, *virtutum gloria claruit, cujus vitam beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum ſcripſit.* Denique, ut ceteros omittam, idem tradit Paulus Warnefridi in libro primo de geſtis Langobardorum capite XXVI. agens de ſancto Benedicto: *cujus vitam*, ait, *ſicut notum eſt, beatus Papa Gregorius in ſuis Dialogis ſuavi ſermone compoſuit.* His ita conſtitutis, ad id cujus probandi gratia hæc adduxi, tandem regredior.

II.

Lego duplicem in Gregorii ſcriptis locum, ubi mentionem facit Regulæ monaſterii ſui, nimirum in reſponſione ad Auguſtinum, quem *monaſterii* utique ſui *Regulis eruditum* dicit; & in libri quarti Dialogorum cap. LV. ubi agens de crimine peculii, quod Juſtus Andreani cœnobii monachus commiſerat, hæc ſcribit: *Quod mox ut mihi nuntiatum eſt, tantum malum de fratre, qui nobiſcum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui. quippe quia ejuſdem mei monaſterii ſemper Regula fuerat, ut cuncti fratres ita communiter viverent, quatenus eis ſingulis nulla habere propria liceret.* Quæ fuerit hæc Regula, ſcripto, an uſu tradita, non definit Gregorius: ſed tamen ex verbis quibus utitur, colligere poſſumus, non aliam fuiſſe quam Regulam ſancti Benedicti, cujus eadem fere verba ſunt in capite XXXIII. in quo quærit, *Si quid debeant Monachi proprium habere?* Statuit vero, *ne quis præſumat aliquid habere proprium, nec quidquam liceat habere, quod abbas non dederit aut permiſerit: omniaque omnibus ſint communia.* Eadem fere utrobique verba, ita ut Gregorius Regulam monaſterii ſui deſignare volens, reſpexiſſe videatur ad Regulam ſancti Benedicti, cujus fere verbis hic uſus eſt.

Ad hæc in epiſtolis ſuis, aliiſque ſcriptis Officium divinum paſſim *opus Dei*, ut ſanctus Benedictus, vocat. Denique in Concilio Romano anni DCI. vetat miſſas publicas in monaſteriis ab epiſcopo celebrari, ne populari frequentiæ & mulieribus pateat acceſſus ad ſervorum Dei receſſus, *quod omnino*, inquit, *nec expedit animabus eorum.* quæ totidem verba ſunt Regulæ ſancti Benedicti capite LXVI. Mitto alia id genus permulta. Greg. lib. 8. ep. 34. & 39.

Deinde eadem Regula monachis Andreanis à Gregorio impoſita videtur, quæ monachis Siciliæ ab eo inſtitutis. Atqui Gregorius Lucuſiani in Sicilia monaſterii, cujus ipſe auctor fuit, monachum arguens, qui partem eulogiæ a Bono monacho contentioſe poſtulaverat, ita ſcribit ad Urbicum cœnobii ſancti Hermetis abbatem in libri IX. epiſtola XLII. *Quod quanta amaritudine cordis deſcenderit, poterat tua dilectio ſcire, ſi Regulam monachorum noſſe, id eſt attendere, voluiſſet.* Quænam eſt illa, quæſo, *Regula Monachorum*, niſi Regula ſancti Benedicti? de quo ipſe ita loquitur in libro ſecundo Dialogorum: *Scripſit Monachorum Regulam, &c.* Benedicti, inquam, qui a Bonifacio Papa quarto in Concilio Romano κατ' ἐξοχὴν dicitur *Monachorum præceptor*, quem-

admodum Regula ejus a Gregorio appellatur *Regula monachorum*, in cujus capite XLIV. culogias citra nutum Abbatis dare vel accipere monachis prohibetur. Accedit quod in ea epiſtola mentio fit de Præpoſito abbati ſubjecto, ac de cellerario monaſterii: quæ nomina & munia ſunt ſancti Benedicti non ſancti Baſilii Regulæ, de qua ſola hîc controverſia injici poteſt.

Ad hæc eam ſine dubio Regulam monachis ſuis præſcripſit Gregorius, quam prætulit ceteris, & cujus auctorem præ aliis, quos laudavit, Patribus commendavit. Nullam vero aliam quam Benedicti Regulam prædicat Doctor ſanctus: qui cum in libris Dialogorum virtutes ſeu miracula Sanctorum Italiæ deſcribenda ſuſceperit, nullius tamen vitam integram accurate & ex ordine refert, niſi ſolius Benedicti: & qui in aliis laudandis unum aut alterum capitulum inſumere ſolet, Benedicti rebus commemorandis totius libri ſecundi capita octo & triginta impendit. Neque hac diligentia contentus, cum iterum data occaſione laudat in libri quarti capitibus ſeptimo & octavo. Ut autem intelligant omnes, quo animo in Benedictum affectus ſit, vitam ejus a principio ad exitum perſequitur, ab ortu ad obitum: cujus ſingulas circumſtantias ſtudioſe exponit. Denique, oratorio more virum ſanctum comparat cum veteris Teſtamenti magnis viris: & qui in aliis uno fere teſte contentus eſt, in Benedicti factis probandis teſtes adhibet quatuor ejus diſcipulos, & ex nomine deſignat. Non ita eſt affectus in quemvis alium Sanctum, ne quidem in Æquitium, cujus elogium unico libri primi capite IV. complectitur. Neque putes hic Gregorio materiam, non diligentiam ſtudiumve defuiſſe. ſiquidem Petrum interlocutorem, plura de Æquitio ſcire cupientem, ad Albinum epiſcopum remittit his verbis: *Ne tamen vita ejus cognitione fraudêris, bene hanc reverentiſſimus vir Albinus Reatinæ Antiſtes eccleſiæ cognovit, & adhuc ſuperſunt multi, qui ſcire potuerunt.* Poteratne luculentius Pontifex ſummus ſuum adverſus Benedictum præ ſancto Æquitio & aliis declarare ſtudium & amorem vere filialem?

Et attende quàm ſingulari elogio ejus Regulam celebret in libri ſecundi Dialogorum capite XXXVI. ubi eam vocat *Regulam monachorum, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam.* Quiſquis hæc citra præjudicium legerit, facile in animum inducet, Gregorium, ſi amplectendæ aut eligendæ Regulæ poteſtatem habuit, aliis prætuliſſe Regulam iſtam, quam tanti faciebat. Atqui ipſi integrum fuit, Romano ſancti Andreæ monaſterio, ſexque aliis in Sicilia ab ſe ædificatis quam vellet Regulam præſcribere; nec aliam ſine dubio voluit præter eam ipſam, quam unice commendavit.

Dices forte id quidem ita videri, ſi conſtaret, Gregorium ita de ſancto Benedicto ejuſque Regula ſenſiſſe, priuſquam monachus, aut certe Pontifex factus eſſet: rem vero forſan aliter ſe habuiſſe, ſi eo ſolum tempore, quo libros Dialogorum ſcripſit, (nam ſcripſiſſe anno tertio pontificatus ſui) eam ſancti Benedicti ejuſque Regulæ notitiam acceperit.

At certe eam accepit ante, quam monaſteria ſua conderet. Quæ enim de ſancto Benedicto commemorat, *quatuor illius diſcipulis referentibus* didicit, CONSTANTINO *ſcilicet, qui ei in monaſterii* Caſinenſis *regimine ſucceſſit;* SIMPLICIO *quoque, qui congregationem illius poſt eum tertius rexit, &c.* Porro eorum primus ad annum DLX. alter ad DLXX. vix pervenit: quandoquidem clades Caſinenſis per Langobardos, quæ ſub Bonito Caſinenſi abbate quinto contigit, ante annum ejuſdem ſæculi octogeſimum accidit, ut alias demonſtravi. Conſtantino proinde atque Simplicio referentibus Gregorius Benedicti egregia facta noverat ante aliquot annos, quàm ſancti Andreæ monaſterium ædificaret. nam iſtud monaſterium ante Langobardorum in Italiam adventum conditum non fuiſſe, inferius oſtendam.

Quid? quod Gregorius papa ſancti Benedicti Regulam in concilio Romano laudaſſe, atque omnibus Latini orbis monachis approbaſſe, & impoſuiſſe memoratur? In cujus rei fidem affero non tantum vulgatum ipſius privilegium pro Sublacenſi monaſterio, ſed maxime auctoritatem Patrum concilii Duziacenſis ſecundi, quod anno DCCCLXXIV. celebratum eſt, ex capite VII. in hæc verba: *Eadem Regula*, nempe ſancti Benedicti, *ſancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati papæ Gregorii inter canonicas ſcripturas & catholicorum doctorum ſcripta teneri decreta eſt.* Hic locus, ne quid diſſimulem, duplicem pati ſenſum poteſt. Primus eſt, Gregorium ſancti Benedicti Regulam in frequenti Epiſcoporum cœtu laudaſſe, & *inter canonicas ſcripturas & catholicorum Doctorum ſcripta* communi decreto retuliſſe. Alter ſenſus eſſe poteſt, eam Regulam a Gregorio fuiſſe commendatam in libro II. Dialogorum: qua ex commendatione inter canonica ſcripta referri meruerit. Utrolibet modo hunc locum intelligas, æque facit pro cauſa noſtra. Præferenda tamen videtur interpretatio prior. Cum enim in ſynodo Romana anno DCX. hoc eſt a Gregorii obitu anno ſexto, inter clericos ac monachos controverſia de eccleſiaſticis muniis mota fuiſſet; litem diremit Bonifacius papa Regulæ ſancti Benedicti auctoritate, pronuntians ea monachis licere. *Neque enim*, ait Pontifex, *Benedictus, monachorum præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor.* Ergo jam tum hæc Regula inter canonica ſcripta Eccleſiæ ſtatuto relata erat: cum ex ejus præſcripto Bonifacius & Patres ſynodi Romanæ decretum ſuum condiderint. Non ergo alius Pontifex, quam Gregorius, tantopere in Benedictum ejuſque Regulam affectus, eam auctoritatem Regulæ noſtræ conciliavit, ut inter canonicas ſcripturas haberetur. Nam inter Gregorium & Bonifacium duo tantum ſederunt pontifices, Sabinianus & Bonifacius III. quorum alter vix menſibus octo, alter vero ſex, nulla re memorabili geſta deceſſerunt. Verum fac ſuperiorem Duziacenſis concilii locum poſteriori ſenſu intelligendum eſſe; non minus certe hoc modo cauſæ noſtræ favet. Si enim tantum apud alios

omnes Gregorii Regulam noſtram laudantis auctoritas valere potuit, ut ab omnibus Latini orbis monachis reciperetur: quanto magis ejus Regulæ opinio, quam Gregorius alte defixam animo gerebat, apud ipſum Gregorium obtinere debuit, ut eam Andreanis monachis imponeret, ac demum ipſe eamdem profiteretur? In ſumma, etiamſi Duziacenſis ſynodi poſterior interpretatio abſolute prævalere concedatur; nihilo minus firma & integra manet vis argumenti, quod ex Romani concilii decreto per Bonifacium deduxi ad probandum intentum, nimirum Regulæ noſtræ approbationem & auctoritatem in eccleſia emanaſſe ex Gregorii ſententia, qui eam protode in ſuo monaſterio fuerat amplexus.

Denique modo conſtet, Commentarios in librum primum Regum Gregorio Magno, aut certe Claudio abbati ejus diſcipulo tribuendos eſſe, ineluctabile babebimus cauſæ noſtræ præſidium. Auctorem namque monachum fuiſſe patet ex libri I. capite I. his verbis: *Qui abrenuntiantes ſeculo remotioris vitæ ſecretum petivimus, monachi vocamur.* Abbatem etiam fuiſſe conſtat, & quidem inſtituti Benedictini, ex libri IV. cap. IV. *Qui artiſſimam converſionis viam imperant, noviter accedentibus facile aditum non impendant. Quare & ejuſdem artiſſimæ vitæ Magiſter optimus, ſummæ Veritatis diſcipulus eruditus, præcepit dicens: Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. & item: Nuntientur ei dura & aſpera, per quæ itur ad Deum, ut ſciat ad quid intrat.* Quæ verba deſumta ſunt ex Regulæ noſtræ capite LVIII. Et infra idem Commentator: *Hoc namque Novitiorum noſtrorum mentes audiant & expaveſcant, quia videlicet quod nobis dicant, in auribus Domini loquimur. Nam quod coram Deo nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipſe jam de manibus noſtris teneat quod exquirat, &c.* Abbatis porro eſt ex Regulæ noſtræ præſcripto, monachorum profeſſionem excipere, Deoque offerre, quod totidem fere verbis præſcribit ſanctus Benedictus loco mox citato, ubi etiam *Novitii* nomine utitur.

II.

Hæc, inquam, aliaque manifeſte probant, Gregorium Regulæ Benedictinæ ſervantem fuiſſe, modo nobis conſtet, ipſum horum Commentariorum eſſe auctorem. Et certe multa huc faciunt. primo ſtilus & modus explicandi res plane Gregorianus tum libri X. epiſt. XXII. a Gregorio ſcripta ad Johan. Ravennæ diaconum. *Præterea*, inquit, *quia idem cariſſimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, & DE LIBRIS QUOQUE RAGUM, & de Heptateucho audierat, quæ ego ſcripto tradere præ infirmitate non potui, ipſe ea ſuo ſenſu & ſtilo dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legiſſet, inveni dictorum meorum ſenſum valde in multis inutilius fuiſſe permutatum. Unde neceſſe eſt, ut tua experientia, omni excuſatione atque mora ceſſante, ad ejus monaſterium accedas, convenire Fratres faciat, & ſub omni veritate quantaſcumque de diverſis ſcriptura chartas detulit, ad medium deducant. quas tu ſuſcipe, & mihi celerrime tranſmitte.* Ex his Gregorii verbis intelligimus, Gregorium aliqua dictaſſe in libros Regum, eaque a Claudio abbate non ſatis accurate deſcripta, poſtmodum a Gregorio emendata fuiſſe, cum Claudius ea ipſi relegit: ſed tamen exemplaria quædam ad Gregorii ſenſum non fuiſſe correcta, quæ ipſe ad ſe tranſmitti præcipit *menſe Februarii, indictione quinta*, id eſt anno Chriſti ſexcenteſimo, quo jam Claudius obierat. Ex quibus colligere licet, prædictos Commentarios, in ſuperiori epiſtola commemoratos, in Andreano monaſterio dictatos a Gregorio fuiſſe, & ex ore loquentis exceptos a Claudio, quem ſuum ipſius filium vocat, hoc eſt diſcipulum & ejuſdem monaſterii monachum: nec proinde mirum eſſe, quod Gregorius ſe abbatem in commentariis illis dicat: cum eos ſcripſerit tum abbas (nam abbatem eum fuiſſe ſuperius probatum eſt) ante ſuſceptum pontificatum. Id quod ſatis ſuadet mors Claudii exſcriptoris, quæ initio anni ſexcenteſimi contigit poſt adminiſtratam aliquamdio Claſſitani monaſterii abbatialem dignitatem: qua accepta, receſſerat a Gregorio, ut in monaſterio ſuo prope Ravennam conſiſteret.

Ceterum hoc loco diſſimulare non poſſum, mihi ſubortam aliquando ſuſpicionem, num iſte Commentarius eſſet adſcribendus ſancto Odoni abbati Cluniacenſi, qui, ut ipſe præfatur in abbreviatione ſua ad libros Moralium, *ante biennium*, quam eam ſcriberet, *in Regnorum libro, aggregatis omnibus Patrum ſententiis, maxime autem ſanctiſſimi patris Gregorii, unum* condiderat *libellum*, id eſt opuſculum. ſic enim veteres non raro loquuntur. Illud augebat ſuſpicionem, quod eodem fere modo Commentator regum ſacerdotes luxuriæ deditos, ac Odo in lib. II. Collationum, exagitat. Verum hanc mihi dubitationem ſuſtulit primo ſtili diſſimilitudo, quæ in iſto Commentario & in Odonis Collationibus apparet. Deinde quod Commentator ſacerdotes carnis vitio deditos depoſitioni, uti Gregorius; Odo vero tantum pœnitentiæ addicit.

Nuperus Gregorii operum editor Petrus Guſſanvilleus decem affert rationes, quibus hos commentarios Gregorio abjudicandos eſſe contendit. Hæ rationes ad quatuor revocari poſſunt. Prima eſt, quod auctor primæ iſtorum commentariorum editionis, anno M D XXXVII. Venetiis factæ, non indicat locum, ex quo eos acceperit; & quod nullus eorum ſcriptus codex hactenus reperiri potuerit. Hæc ratio probat rara eſſe eorum exemplaria. at ſaltem unum habuit quo uſus eſt primus editor, quod ſufficit.

Altera ratio eſt, quod nec Gregorius ipſe, nec Paterius, nec ullus ab eo tempore auctor hos commentarios ante primam illam editionem laudaverit. Verum nobis ſatis eſt, quod in epiſtola ad Johannem Ravennatem, mox relata, Gregorius ipſe dicat, ſe quædam *ex libris Regum* protuliſſe, quæ cariſſimus filius ſuos Claudius abbas ex ore loquentis exceperat, & *ſuo ſenſu & ſtilo dictaverat* ſeu ſcripſerat, *ne perirent*. quæ quoniam nec omnino ſenſum, nec ſtilum Gregorii habebant, neque Gregorius ipſe nec Paterius,

Digitized by Google

ut genuinum ejuſdem ſancti Doctoris opus laudavit. Idem dictum eſto de illis auctoribus, qui Gregorianorum operum catalogum contexuerunt. At perinde nobis eſt ad demonſtrandum ex illis commentariis Gregorii monaſticum inſtitutum, ut eorum auctor cenſeatur, ſaltem Claudius, qui eos ex ore loquentis ſuo ſenſu & ſtilo reddiderit.

Tertia ratio eſt, quod ſtilus a Gregoriano diverſus ſit; quod ſcripturæ ſacræ ſententiæ aliter citentur, & explicentur, quam in Gregorianis genuinis ſcriptis. Verum hæc tantum probarent, ſi vera ſint, Claudium non fuiſſe omnino aſſecutum ſtilum Gregorianum, quod Gregorius ipſe teſtatur. Quamquam viri eruditi non pauci ſtilum ſancti Doctoris in illis commentariis agnoſcunt, nec eos illo indignos eſſe putant. Adde Gregorium in citanda ſcriptura ſacra non ſemper eadem verſione uſum fuiſſe, ut diſerte aſſerit in præfatione ad libros Moralium, ubi ait, ſe *nunc novam, nunc veterem* adbibere verſionem, quia Sedes apoſtolica utraque utitur.

Quarta denique ratio eſt, hos commentarios, ſi quidem Gregorii eſſent, ſcriptos fuiſſe ab eo jam pontifice: qui proinde ſe non dicturus fuiſſet monachum aut abbatem, qualem ſe eſſe horum commentariorum auctor ſæpe dicit, aut innuit. Neque hæc ratio quidquam efficit. nam Gregorius ipſe, cum homilias ſuas in Evangelia, & Dialogos ſcriberet, utique pontifex erat: & tamen ſe in illis monachum fuiſſe dicit, agendo de Maximo Criſorii fratre, *quem ipſe*, inquit, *jam monachus monachum vidi*. At, inquis, hic de præterito tempore loquitur Gregorius: auctor vero ille de præſenti. quod Gregorio convenire non poteſt, qui paullo ante annum DC. quo hæc epiſtola ſcripta eſt, prædictos de libris Regum ſermones habuit tum pontifex. Verum ex illa Gregorii ad Johannem epiſtola non liquet, quo tempore hos ſermones habuerit; immo eos longe ante ſcriptam epiſtolam habitos fuiſſe ex eo non obſcure colligitur. Deinde quid ſi id de ſuo protulit Claudius abbas, qui ex ſermonibus Gregorii a ſe auditis continuos fecit commentarios?

Atqui ad vim ſuperioris objectionis elevandam perinde eſt, uti mox dicebam, ut Claudius illos commentarios ex Gregorii dictis contexuiſſe cenſeatur. Auctor enim ille, quiſquis eſt, ſe Regulæ ſancti Benedicti addictum fuiſſe multis in locis probat. Si ergo Claudius abbas, qui Gregorii *cariſſimus filius* & diſcipulus fuit, hos commentarios compoſuit, eamdem ſine dubio Regulam laudavit, quam a Gregorio acceperat, id eſt Benedictinam.

Porro prædictorum commentariorum antiquitatem illud in primis probat, quod eorum auctor ſacerdotes in carnale crimen lapſos depoſitioni, uti Gregorius aliique veteres, ſupponit. quæ doctrina jam ſæculo nono in deſuetudinem abire cœperat, quo tempore ſpuriæ illæ pontificum epiſtolæ, tum aſſumentum Gregorianæ epiſtolæ ad Secundinum, tum Iſidori ſuppoſititia epiſtola ad Maſonem epiſcopum, in uſu eſſe cœperunt. Verum de his commentariis ſatis ſuperque ſatis, quorum accuratius examen a noſtris, qui Gregorianorum operum novam editionem curant, exſpectamus.

III.

Poſt argumenta ex Gregorii ſcriptis petita, quibus Ordini ſancti Benedicti non obſcure vindicatur; nunc aliud prævalidum atque neceſſarium proponendum eſt ex propagatione Regulæ noſtræ apud Britannos facta per Gregorii diſcipulos, Auguſtinum, alioſque ejus ſodales.

Auguſtinum in eodem quo Gregorius monaſterio vixiſſe monachum, ipſiuſque Gregorii diſcipulum fuiſſe, conſtat tum ex libri VII. epiſtola XXX. indict. I. ad Eulogium epiſcopum Alexandrinum, qua in epiſtola Auguſtinum *monaſterii mei monachum* dicit; tum ex ejuſdem lib. ep. CXIV. ad Syagrium Auguſtodunenſem epiſcopum, ubi *Auguſtinum quondam monaſterii mei Præpoſitum* vocat; tum ex epiſtola Bonifacii ad Ethelbertum Cantuariorum regem, ex concilii Cloveshovienſis capite XVII. aliiſque teſtimoniis, in quibus Auguſtinus *Gregorii diſcipulus* nuncupatur. Auguſtini ſodales ejuſdem inſtituti fuiſſe patet ex eo, quod abbatem eis conſtituit Auguſtinum Gregorius, ex epiſtola a Beda relata in hiſtoriæ lib. I. cap. XXIII. Auguſtinus in Britanniam miſſus indictione XIV. ſeu anno Chriſti DXCVI. inſtauratâ Cantuariæ ſancti Salvatoris eccleſiâ, *fecit monaſterium non longè ab ipſa civitate ad Orientem*, ibique *eccleſiam conſtruxit* in honorem *apoſtolorum Petri & Pauli*, teſte Beda in libri primi capite XXXIII. *Quam tamen eccleſiam non ipſe Auguſtinus, ſed ſucceſſor ejus Laurentius conſecravit. Primus autem ejuſdem monaſterii abbas Petrus preſbyter fuit.* Mellitus Auguſtini ſucceſſor, in monaſterio Dorobernenſi, *quod Auguſtinus, beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus, ſancti Salvatoris nomini conſecravit*, monachos conſtituit, concedente Bonifacio papa IV. in epiſtola ad Ethelbertum, ubi apoſtolica auctoritate decernit, *ut ipſi veſtri prædicatores monachi monachorum gregem ſibi adſocient, & eorum vitam ſanctitatum moribus exornent*, id eſt ſanctis moribus & inſtitutis, quæ ipſi profitebantur. ſecus attentare auſis Pontifex graves pœnas interminatur. Derivata eſt ſubinde religio ex Cantuarienſibus monaſteriis in alia Britanniæ monaſteria ſæculo ſeptimo, aliiſque ſequentibus. Ut enim in ſeptimo conſiſtamus, idem inſtitutum accepere Glaſtonienſe, Nutſcellenſe, Maildunenſe ſeu Malmeſburienſe, Lindisfarnenſe, Elienſe, Wiremuthenſe & Girwenſe, aliaque non pauca. Jam quænam in illis monaſteriis viguerit Regula, expendendum.

Benedictinam viguiſſe conſtat vel unico ſancti Aldhelmi teſtimonio. Is ab Hadriano abbate monaſterii ſancti Petri apud Cantuariam primum eruditus, dein monachus & abbas in cœnobio Maildunenſi apud Weſt-Saxones, ac demum Schireburnenſis epiſcopus, mortuus anno ſeptingenteſimo nono, ſcripſit, teſte Beda, librum metricum de virginitate; quem in veterrimo codice Saxonicis litteris exaratum in noſtra bibliotheca habemus. In hoc autem carmine ſanctum Benedictum laudans ita canit.

* al. Primo.

*Primus * qui noſtræ ſtatuit certamina vitæ,*
Qualiter optatam tentant cœnobia normam:
Quoque modo properet directo tramite ſanctus,
Ad ſuperos ſcandens cælorum culmina cultor.
Cujus præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præſul chartis deſcripſerat olim,
Donec æthralem felix migraret in arcem.

Hic Aldhelmus, monachus & abbas Anglicanus, manifeſte docet, ſuæ, hoc eſt monaſticæ vitæ, modum primitus a ſancto Benedicto, cujus vitam ſcripſerat Gregorius papa primus, inſtitutum fuiſſe, & ab eodem traditam normam, qualem ſuo tempore, id eſt ſub finem ſæculi ſeptimi & ſub initium octavi, tenebant Anglicana cœnobia. Illud præter ea conſideratione dignum, quod auctor iſte in duobus libris, uno ſtrictæ, altero ſolutæ orationis, quos de virginitate ſcripſit, ſanctum Benedictum in utroque a virginitate commendat, prætermiſſo Æquitio, in quo tamen eam virtutem laudat Gregorius papa. An vero Æquitium omiſſurus fuiſſet Aldhelmus, ſi Auguſtinus & Auguſtini ſocii fuiſſent Æquitiani inſtituti, aut Æquitii normam Anglicanis monachis tradidiſſent?

Sed ne conſideratione generali fucum veritati facere videar, deſcendamus paulliſper ad ea quæ ſuperius commemoravi monaſteria. In Glaſtonienſi, ubi primum cœnobiorum Ægypti inſtitutum viguiſſe dicitur, Regula ſancti Benedicti *cœpit exerceri*, (Glaſtonienſis Chronici * verbis utor) ubi primum cathedralis eccleſia Cantuarienſis, ac ſuburbanum ſancti Petri cœnobium, aliæque ſedes epiſcopales & monaſteria, per Auguſtinum ejuſque diſcipulos conſtrui cœperunt, *ſecundum beati Patris Benedicti Regulam Deo militatura.* Eamdem ſervabat Nutſcellenſe, in quo Bonifacius adoleſcens, futurus poſtea Germanorum apoſtolus, *labori manuum cotidiano & diſciplinali officiorum adminiſtrationi inceſſanter ſecundum præfinitam beati Patris* BENEDICTI *rectæ conſtitutionis formam inſiſtebat*, teſtante Willibaldo ejus diſcipulo; idemque eam Fuldenſi, aliiſque Germaniæ monaſteriis ab ſe conditis impoſuit, & in conciliis Gallicanis & Germanicis hanc unam Regulam commendavit. De Maildunenſi Angliæ cœnobio etiam explorata res eſt ex ſuperiori Aldhelmi ejus loci monachi & abbatis teſtimonio. In Lindisfarnenſi Wilfridus Eboracenſis epiſcopus, ejectis Scottis, qui Romanos admittere nolebant ritus, monachos ſubſtituit ad normam aliorum popularium viventes, qui Regulam S. Benedicti ſervabant, uti memoriæ prodidit anonymus loci monachus in libro tertio de vita ſancti Cuthberti epiſcopi Lindisfarnenſis, æqualis ſui, ſcribentis, quod Cuthbertus illic *nobis*, inquit, *regularem vitam componens conſtituit, quam uſque hodie cum Regula Benedicti obſervamus.*

* Monaſt. Angl. to. 1. p. 12.

Eamdem Regulam Northumbrenſibus monaſteriis conſtat impoſitam fuiſſe a Wilfrido Eboracenſi epiſcopo, qui apud Willelmum Malmeſburienſem gloriatur, quod verum paſcha in Northanimbria, Scottis ejectis, docuerit, & cantus eccleſiaſticos antiphonatim inſtituerit, qui denique *ſanctiſſimi Benedicti Regulam a monachis obſervari juſſerit.* Ex quo inferunt Bollandi continuatores in commentario ad vitam ſancti Gregorii, Wilfridum quaſi certum ſupponere, in aliis Angliæ regnis cum vero paſcha & cantu eccleſiaſtico obſervatam fuiſſe ſancti Benedicti Regulam. quam conſecutionem, ſane legitimam, longe efficacius intuliſſent viri eruditi, ſi librum legiſſent, a nobis poſtea editum, de vita ſancti Wilfridi, auctore Eddio-Stephano ejus æquali ac diſcipulo, qui idem * omnino, iiſdemque fere verbis, ac Willelmus, commemorat, tum de paſchæ celebratione, ac tonſura, tum de cantu eccleſiaſtico, *vel quomodo vitam monachorum ſecundum Regulam ſancti Benedicti patris, quam nullus ibi*, id eſt in Northumbria *prior invexit, conſtitueris* Wilfridus. Unde vero hanc Regulam acceperit, idem Eddius in præcedentibus * explicat, nimirum ex urbe Cantuaria, quo ab Egberto rege ad ordinandos poſt mortem Deuſdedit epiſcopi clericos accerſitus fuerat. qua ex urbe *cum cantatoribus Ædde & Æona, & cæmentariis, omniſque pene artis miniſterio, in regionem ſuam revertens* CUM REGULA SANCTI BENEDICTI, *inſtituta eccleſiarum melioravit.* Ex his manifeſte conficitur, Wilfridum non aliunde accepiſſe ſancti Benedicti Regulam, quam ex urbis Cantuariæ monaſteriis: ubi proinde hæc Regula recepta erat tunc temporis, id eſt anno circiter quinquageſimo a morte ſancti Auguſtini, quo ex tempore nulla facta monaſtici inſtituti novatio: tum quia id vetuerat Bonifacius IV. in epiſtola ad Ethelbertum modo laudata; tum quia nulla ejuſmodi mutationis cauſa vel occaſio fingi poteſt; nulla denique occurrit ejus mentio in vetuſtis monumentis.

* Eddius cap. 44.

* Id. c. 14.

Venerabilis Beda eodem loquendi modo, atque Eddius, uſus eſt in hiſtoriæ ſuæ libro IV. capite IV. agendo de Scottis, e Mageo monaſterio tunc ejectis: qui locus, *converſis jam dudum*, inquit, *ad meliora inſtituta omnibus, egregium examen continet monachorum, qui de provincia Anglorum ibidem collecti, ad exemplum venerabilium Patrum ſub Regula & abbate canonico, in magna continentia & ſinceritate, proprio labore manuum vivunt.* Ubi, cum *inſtituta meliora* vocat, eadem utique deſignat, quæ ſuperius Eddius, id eſt ſancti Benedicti Regulam, cum qua Wilfridus ex urbe Cantuaria reverſus, Northumbrenſium *eccleſiarum inſtituta melioravit*, ſeu, ut ad Bedæ loquendi modum Eddii verba redigam, *ad meliora inſtituta convertit.* Id in conſequentibus illuſtrat Beda, cum ait, Magenſes, illos monachos jam *vivere ad exemplum venerabilium Patrum ſub Regula & abbate canonico.* ex quo intelligitur Bedæ idem eſſe, *ad meliora inſtituta converti*, atque *vivere ad exemplum venerabilium Patrum ſub Regula & abbate canonico*, hoc eſt ad exemplum aliorum monachorum, qui ritus catholicos ſeu Romanos ſectabantur ſub Regula ſancti Benedicti. Hanc enim Patrum Regulam vocat idem Beda in Wilfridi epitaphio, in quo inter cetera ita habet.

Paſchalis qui etiam ſollemnia tempora curſus
Catholici ad juſtum correxit dogma canonis,
Quem ſtatuere patres, dubioque errore remoto,
Certa ſua genti oſtendit moderamina ritus:
Inque locis iſtis monachorum examina crebra
Collegit, ac monitis cavit, quæ Regula Patrum
Sedulus inſtituit.

Totidem res, quas a ſe præſtitas Wilfridus apud Eddium & Willelmum commemorat, eidem etiam his verſibus aptat Beda, qui *Regulam Patrum* ab ipſo in monaſteriis ei ſubjectis inſtitutam fuiſſe dicit, id eſt *Regulam ſancti Benedicti*, quam ex Cantia retulerat.

In Wiremuthenſi denique & in Girwenſi monaſteriis Benedictus, cognomento Biſcopus, qui prius ſuburbano ſancti Petri apud Cantuariam cœnobio abbas præfuerat, Benedictinæ Regulæ normam inſtituit, teſtante Beda in libro primo hiſtoriæ monaſterii utriuſque, Biſcopum abbatem morti proximum diſcipulis ſuis præcepiſſe, *ut juxta Regulam magni quondam abbatis* Benedicti, *& juxta privilegii ſui decreta* probum ſucceſſorem eligerent; idemque poſtea Ceolfridum monuiſſe. Unde Alcuinus in epiſtola XLIX. Wirenſes & Girwenſes monachos hortatur, *ut regularis vitæ obſervationem, a Benedicto & Ceolfrido ſtatutam, diligentiſſime cuſtodiant.* quam obſervationem? *Regula*, inquit, *ſancti* Benedicti *in conventu Fratrum propriâ exponatur linguâ, ut intelligi poſſit ab omnibus.* Hæc eſt ergo illa Regula, quam hauſerat Biſcopus in Cantuarienſi ſancti Petri monaſterio, ubi prius abbas fuerat, nimirum ante annum DCLXXIV. quo Wiremuthenſe monaſterium ædificare cœpit. Hæc, inquam, Regula, quæ in Anglicana cœnobia per Auguſtinum, ejuſque ſocios ac diſcipulos inducta fuerat, non alia ſane quam ea ipſa, cujus obſervationem Romæ in ſancti Andreæ monaſterio didicerant, Gregorio magiſtro & inſtitutore. Juſſerat quippe Bonifacius papa IV. ſicuti ſuperius vidimus, ut in Cantuarienſi monaſterio » ſancti Petri (quod etiam alibi obſervatum) » prædicatores iſti monachorum gregem ſibi ad» ſociarent, & eorum vitam *ſanctitatum moribus*, hoc eſt ſanctis moribus & inſtitutis ſuis, non vero aliunde acceptis, exornarent. Tradidiſſent proinde, ut fit, Æquitii normam, non Benedicti, ſi ipſi Æquitiani fuiſſent. Atqui non Æquitii, ſed Benedicti mores in monaſteriis ab ſe inſtitutis tradidiſſe, ex ſuperioribus manifeſtum eſt: ac proinde conſtat, eos in Andreano cœnobio ſub Gregorio Benedictinos fuiſſe, utique & Gregorium; non Æquitianos.

Hinc eſt quod in Britanniæ inſulæ monaſteriis numquam ſancti Æquitii nomen auditum, multo minus celebratum fuit: ſecus de ſancto Benedicto, cujus nomen, utique illic celeberrimum, in omnibus illius inſulæ monumentis totis fere paginis occurrit. Certe in veterrimis litaniis Anglicanis, ad uſum monachorum ante nongentos annos conditis, (nam in iſtis nulli Sancti octavi ſæculi commemorantur) Remis in Remigiana bibliotheca aſſervatis, proxime poſt ſanctos Gregorium, Auguſtinum & Hieronymum nominatur Sanctus Benedictus, cujus nomen bis repeti præcipitur; ac deinde complures ſancti monachi; non vero Antonius, non Pachomius, non Baſilius, non denique ſanctus Æquitius, cujus memoriam, ſi Gregorius, Auguſtinus, ejuſque ſodales Æquitiani fuiſſent, aut prætermiſſam, aut jam neglectam fuiſſe, a veri ſimilitudine abhorret. Has litanias Anglicanas habes ad calcem tomi ſecundi noſtrorum Analectorum. Denique, ut de his finem dicendi faciam, cum concilii Cloveshovienſis Patres anno DCCXLVII. Anglicanos monachos aliquantum prolapſos ad primarium inſtitutum revocare vellent, ſancivere inter alia capitulo XXIV. ut vitæ monaſticæ candidati accurate probarentur (quod caput eſt reformandæ in melius reipublicæ regularis) *ſecundum monaſticæ Regulæ definitionem*, præcipientis, *probari ſpiritus, an ex Deo ſint.* quod de Benedictina Regula intelligendum eſſe inferius demonſtrabo. Non ergo dubium eſſe poteſt, quin eadem Regula primitus ab Auguſtino, ejuſque ſociis præſcripta fuerit Anglicanis monachis: cùm eorum poſteros ad ipſammet revocaverint Concilii Cloveshovienſis Patres.

Et quidem hanc Regulam Anglicanis cœnobiis ab Auguſtino traditam præceptamque fuiſſe, veterum fuit ſententia. Aimoinus quippe Floriacenſis monachus in libro de vita ſancti Abbonis abbatis, rationes reddens, cur Angli monachos ex cœnobio Floriacenſi petierint ad inſtaurandam in inſula ſua religioſæ vitæ diſciplinam, primam hanc refert: *quia beatus Papa Gregorius, miſſis ad eam gentem convertendam fidei Chriſti prædicatoribus, ejuſdem dilecti Benedicti Regulam obſervandam ſpecialius inculcavit.* Eodem tempore, hoc eſt ineunte ſæculo undecimo, Ethelredus Anglorum rex in privilegio eccleſiæ Cantuarienſi conceſſo Chriſti anno milleſimo ſexto, cauſam exponens, cur in eam eccleſiam Benedictinos ſodales reſtituerit: *Hoc ideo*, inquit, *feci*, ET MONACHOS EJUSDEM ORDINIS, QUEM HUC ATTULIT SANCTUS AUGUSTINUS, *in eccleſia poſui, Ordinis ſcilicet, quem ille ex præcepto ſancti Gregorii, & ex magni Regis Ethelberti conſtitutione & auxilio in terram hanc intulit.* Ambobus præivit Johannes Diaconus, qui eamdem ſententiam diſerte probat, ut poſtea videbimus.

IV.

His quæ de Regulæ noſtræ in Anglia per Auguſtinum propagatione hactenus dixi, adverſatur Johannes Mareshamus in Propylæo ad Monaſticum Anglicanum, ubi, etſi ſcribit ſancti Benedicti Regulam, poſtea quam a Zacharia Papa non modo in Italia inſtaurata, ſed etiam ultra Alpes propagata fuit, tantam demum obtinuiſſe perfectionis ſuæ exiſtimationem, ut nullum fere non eſſet in Occidente cœnobium, ad

normam Benedicti vel primitus inſtitutum, vel denuo formatum: in hoc tamen a ceteris fere Anglicis ſcriptoribus diſſentit, quod exiſtimet, eamdem Regulam in concilio Wintonienſi anno DCCCCLXV. ſub Dunſtano archiepiſcopo Cantuarienſi ab omnibus primum in Anglia
„ receptam fuiſſe. Tunc primum, inquit ille,
„ monachis præſcripta fuit conſtitutio generalis,
„ tam ex Benedicti Regula, quam ex veteribus
„ conſuetudinibus contexta, quæ dicta eſt Regu-
„ laris Concordia Anglicæ nationis. Et infra:
„ Bellenſes monachi inſtituti ſunt ad Benedicti
„ Regulam, cujus maxima fuit apud nos ab Ead-
„ gari tempore reverentia. Verum cum omnino
„ nulla ſit in concilio Cloveshoviæ Benedictinæ
„ Regulæ mentio, licet aptiſſima eſſet illius com-
„ memorandæ occaſio, & altiſſimum ſit ea de re
„ apud Bedam ſilentium; videamus quo modo,
„ quove tempore Regula illa Eccleſiæ Occidentali
„ increbuit.

Hæc tametſi ex ſuperioribus, & ex Præfationibus noſtris ad Acta ſanctorum ſatis refutata maneant, quia tamen a nonnullis recentioribus denuo nobis objecta ſunt, hoc loco iterum refellere neceſſe eſt. Tria ergo hoc in loco diſpungenda ſunt. 1. Num ante Eadgarum regem & Dunſtanum epiſcopum ſancti Benedicti Regula in Anglia non viguerit. 2. An nulla iſtius Regulæ in concilio Cloveshoviæ mentio. 3. An altiſſimum de ea apud Bedam ſilentium. quibus nonnulla pro cauſa noſtra ſubjiciemus argumenta.

Johannes Diaconus in Vita ſancti Gregorii a ſe ſcripta, præter alia quibus utitur ad Gregorium Ordini Benedictino aſſerendum, hoc momentum proponit. *Quod vero Monachi qui a Gregorio in Saxoniam*, id eſt Tranſmarinam Saxoniam ſeu Angliam, *miſſi ſunt*, SANCTI BENEDICTI REGULÆ *fuerint mancipati, inter alia etiam illud oſtendit, quod ex ipſius diſcipulis vix poteſt in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non obſervetur tam in propoſito, quam in habitu* REGULA BENEDICTI. Quid clarius aut validius adverſus Mareshamum proferri poteſt? Johannes Diaconus ſuam lucubrationem dedicavit Johanni VIII. qui ab anno DCCCLXXII. ad decennium Romanæ ſedi præfuit. Preſſius, Johannes Diaconus Gregorii vitam ſcribebat tempore Johannis Papæ VIII. indictione VIII. (ut notat in lib. III. cap. LVIII. quæ indictio anno DCCCLXXV. reſpondet. quo tempore regula Benedictina ita apud Anglos invaluerat, ut *vix poſſet in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non obſervaretur tam in propoſito, quam in habitu Regula Benedicti.* Longe ergo ante concilium Wintonienſe anni DCCCCLXV. in Angliam inducta eſt hæc Regula, immo longe ante Johannis Diaconi ætatem: cum ab omni memoria poſt Auguſtini prædicationem illic eam viguiſſe, homines noni ſæculi perſuaſum habuerint.

Neque proinde neceſſe fuit ſancti Benedicti Regulam in concilio Cloveshoviæ anno DCCXLVII. commemorari; ſed ſatis fuit monachos ad communis ac receptæ Regulæ normam revocare. At certe ſi Mareshamus concilium iſtud cum Benedictina Regula attente comparaſſet, hanc non obſcure expreſſam advertiſſet cap. XXIV. in hæc verba: *Viceſimo-quarto ſancitum eſt capitulo, ut, ſi quis ſæcularium ſanctæ profeſſionis famulatum ſubire deſiderat, non antea tonſura habitum ſuſcipiat, quam illius converſatio ac morum qualitas* SECUNDUM MONASTICÆ REGULÆ *definitionem manifeſtius probetur juxta apoſtolicum præceptum: Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. niſi aliqua rationabilis cauſa, ut ante ſuſcipiantur in congregationem, rite perſuadeat.* Quænam eſt, rogo, illa MONASTICA REGULA, niſi Benedictina? cujus verba capite LVIII. concilii verbis omnino reſpondent: *Noviter veniens quis ad converſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus: ſed, ſicut ait Apoſtolus, Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* Deinde membrum illud, *ſuſcipiatur in congregationem*, ex eodem Regulæ noſtræ capite deſumtum eſt. Cum igitur concilium monaſticam interponens Regulam, B. Benedicti locutione utatur; nullus juſtæ dubitationi ſupereſt locus, Regulæ monaſticæ nomine Benedictinam à concilii Patribus, uti ſæpe alias, fuiſſe intellectam. Nec enim in aliis Regulis antiquioribus quidquam reperitur, quod prædicti concilii dictioni diſerte conveniat, ut ex Codice Regularum & ex earumdem Concordia capite LXV. evidenter colligitur. Hinc conficimus validiſſimum & graviſſimum argumentum. Regula Benedictina Patribus concilii Cloveshovienſis, anno DCCXLVII. celebrati, abſolute REGULA MONASTICA appellatur. Non alia itaque Regula tum temporis apud Anglos vulgata erat. Sed parcendum Mareshamo, viro quidem docto, qui licet res monaſticas non ſegniter verſaverit, monaſticam tamen, hoc eſt Benedictinam, Regulam memoria tenere non debuit; nec indigne ferendum, quod nobis Venerabilis Bedæ ſilentium opponat, qui Bedæ aliquot opuſcula recens edita non legerat.

Hiſtoriam abbatum monaſterii ſui duobus libris à ſe exaratam fuiſſe teſtatur Beda in fine Epitomes hiſtoriæ Anglorum, ubi operum ſuorum indicem texuit: eamque diu deſideratam nuper tandem edidit Jacobus Waræus, cum duabus Bedæ epiſtolis atque Egberti Eboracenſis epiſcopi Dialogo. In libro I. ipſius Hiſtoriæ, quæ *Hiſtoria abbatum Vuiremutenſium & Girvvienſium* inſcribitur, legimus Biſcopum, cognomento Benedictum, Egfrido rege Tranſhumbranæ regionis prædia largiente, monaſterium conſtruxiſſe *anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto, indictione II. anno autem quarto imperii Egfridi regis.* Deinde, quibuſdam interjectis, quartam profectionem Romam aggreſſus dicitur Biſcopus, *poſt compoſitum juxta Regulam monaſterium.* Celebrem fatearis neceſſe eſt ac vulgatiſſimam Regulam illam, quæ nullo adjuncto diſcrimine REGULA vocatur. Sub eadem Regula Biſcopus *poſt annum monaſterium B. Pauli conſtruxit, præpoſito abbate ac presbytero Ceolfrido.* Ne vero pro arbitrio quænam ſit illa Regula interpreteris, tandem ſub

finem

finem libri I. proprio eam nomine deſignat Biſcopus in oratiône extrema ad diſcipulos habita: *Multum cavetote, fratres*, inquit, *ne deforis aliunde vobis Patrem quæratis: ſed juxta quod* Regulam magni quondam abbatis Benedicti, *juxta quod privilegii veſtri continent decreta, in conventu veſtræ congregationis communi conſilio perquiratis, qui ſecundum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam aptior ad tale miniſterium perficiendum digniorque probetur*, &c. Idipſum Ceolfridus abbas, Biſcopi ſucceſſor, mare transmiſſurus in lib. II. inculcaſſe dicitur. *Utilius decrevit*, inquit Beda, *dato Fratribus præcepto, ut juxta ſui ſtatuta privilegii*, juxtaque Regulam sancti abbatis Benedicti, *de ſuis ipſi Patrem qui aptior eſſet, eligerent.* Nihil interprete opus eſt. Deſinent nunc tandem adverſarii, opinor, Bedæ nobis opponere ſilentium de Regula ſancti Benedicti; agnoſcent vocem hactenus ignotam: nec nobis ultra Biſcopum & Bedam, ſed nec Auguſtinum, atque adeo Gregorium eorum ducem ac parentem denegabunt.

Neque vero dici poteſt, Biſcopum auctorem fuiſſe, ut Regula Benedictina primum in Angliam inveheretur. Eamdem quippe Regulam diſcipulis ſuis *contradidit*, quam in *decem & ſeptem monaſteriis* à ſe perluſtratis invenerat, ut loquitur Beda in Hiſtoriæ Wiremuthenſis lib. I. At ex illis ſeptemdecim monaſteriis unum fuit Cantuarienſe ſancti Petri cœnobium, quod *duobus annis* regendum ſuſcepit, eodem auctore teſtante, antequam Wiremuthenſe monaſterium conderet. In iſto ergo ſancti Petri cœnobio, quod Auguſtinus inſtituerat, ſancti Benedicti Regula vigebat ante medium ſæculum VII. eadem certe, quam monachis hujus loci Auguſtinus impoſuerat. Hæc fere ex mea ad Sæculum primum Benedictinum præfatione retuli hoc loco, ne quis nobis ulterius Mareshami argumenta, uti nuperi quidam Scriptores, quaſi non jam refutata obtrudat. Certe Bollandi eruditi continuatores, viſo Bedæ venerabilis duplici libello de abbatibus monaſterii ſui ſuperius laudato, longe aliter atque alias de antiquitate Regulæ Benedictinæ in Anglia ſentire ſe profitentur in commentario prævio ad vitam ſancti Eiſegi epiſcopi, tomo II. ſui Aprilis. Iidem in commentario ad vitam ſancti Auguſtini Anglorum apoſtoli tomo ſexto Maii, etſi non aperte eum noſtris adjudicent, addunt tamen ſe nolle *præjudicatum Benedictinis*, maxima cum vero similitudine ac prope modum evidentia *Auguſtinum inter ſuos numerantibus.* cui ſententiæ *novum adminiculum* accedere cenſent ex vetuſtiſſimis Litaniis illis Anglicanis, quas ex codice Remigiano in lucem protuli, in quibus nullus ex omnibus vitæ monaſticæ inſtitutoribus nominandus præſcribitur præter ſanctum Benedictum, & quidem bis; *evidenti plane*, inquiunt, *indicio*, quod vel ſanctus Auguſtinus, vel inſtituti ab eo in Anglia monachi iſtarum Litaniarum auctores unicum illum agnoverint ſui monachatus auctorem. Hactenus viri eruditiſſimi.

Ex his infero cum Johanne Seldeno ſub finem adnotationum in Eadmeri hiſtoriam novorum, cœnobii ſancti Salvatoris Cantuariæ incolas (ut de aliis interim ſileam) Benedictinæ familiæ, etiam ab ipſis incunabulis, ſemper fuiſſe habitos: nihil contra occurrere in vetuſtis monumentis, in quibus nullum novationis veſtigium apparet. (immo Bedam, Aldhelmum, alioſque ſubpares auctores huic ſententiæ aperte ſuffragari.) At vero ſi primis initiis Benedictinum eſſet cœnobium Cantuarienſe, eamdem ipſam argumentationem, qua in conjecturis ſuis de Gregorio uſus eſt Baronius, Auguſtinum, ac proinde Gregorium, Benedictinæ fuiſſe familiæ demonſtrare; & quidem longe efficacius, cum Auguſtinum Gregorii in monaſterio fuiſſe diſcipulum conſtet, & in ejuſdem regulari inſtituto perſeveraſſe; ſecus de Valentio, ut inferius oſtendam. Jam tempus eſt, ut alia veterum Scriptorum momenta pro Gregorii Benedictina profeſſione expendamus.

VI.

Bonifacius Papa IV. cauſæ noſtræ non obſcure ſuffragatur. Is anno Chriſti ſexcenteſimo decimo Romæ coegit Concilium Epiſcoporum, *de vita & quiete monachorum ordinaturus*, inquit Beda in Hiſtoriæ libro II. capite IV. quo in concilio Pontifex nonnullos arguit obloquentes, *Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotali officio indignos, neque chriſtianitatem ſeu abſolutionem largiri poſſe per ſacerdotalis officii injunctam gratiam. Sed omnino falluntur*, inquit. *Nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, apoſtolicæ Sedis compar beatus* Gregorius, *monachico habitu pollens, ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ſolvendi ligandique poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque, ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus, Anglorum prædicator egregius, & Pannonienſis Martinus*, (Dumienſis ſcilicet epiſcopus, qui paullo ante obierat) *aliique plurimi viri ſanctiſſimi, pretioſorum monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo ſubarrarentur. Neque enim* Benedictus, *monachorum præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor.* Sane ſi licuit Gregorio & Auguſtino monachis ad pontificatus apicem conſcendere, quia Benedictus monachorum præceptor id ſuis non interdixit; conſequens videtur, utrumque ejus Regulæ paruiſſe, ex cujus præſcripto quid ipſis licitum fuerit, expenditur.

Bonifacio ſuccedat Ambroſius Autpertus, natione Gallus, in Italia monachus & abbas monaſterii ſancti Vincentii ad Vulturnum, Ordinis ſancti Benedicti, qui abſolute Gregorium *noſtrum*, id eſt Benedictinæ familiæ ſodalem, vocat in fine libri decimi ſuper Apocalypſin, his verbis: *Quantum itaque ad Fidei attinet rectitudinem, ita in ſingulis ſententiis cauta ſervatur expoſitio, ut, ſi forte me voluerit in his reprehendere, reprehendat etiam (ut de multis paucos commemorem) Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, atque* noſtrum Gregorium. Sic legitur in libris cum editis, tum manu exaratis,

Quæ ſane verba non uſurpaſſet Autpertus, niſi majorum certa traditione reſciſſet, Gregorium ſodalitii ſui, id eſt Benedictini, participem fuiſſe. Autpertus enim, quem alii corrupte *Ambertum* vocant, vir non minus ſanctus quam doctus fuit, ſinceri verique perquam amantiſſimus, uti ejus ſcripta teſtantur; nec tam remotus à Gregorii ævo, quin id certa majorum relatione diſcere potuerit. ſiquidem ad ſuperos migravit anno Chriſti DCCLXXVIII. ut in Sæculo noſtro tertio demonſtratum eſt.

His teſtibus adjungo Amalarium, qui in fragmento à me edito, Gregorium Papam *excellentiſſimum ſancti Benedicti regularem*, ſeu *Regulæ obſervatorem & imitatorem*; & in conſequentibus *ejus S. Ordinis ſectatorem* appellat. Quod quidem teſtimonium eo majoris auctoritatis cenſeri debet, quod ab homine erudito, nec quidem tum monacho, ſed clerico, profectum ſit, ex communi (ut credere par eſt) doctorum illius temporis hominum perſuaſione, utpote ante ſcriptam Gregorii à Johanne Diacono Vitam, in qua luculentiſſimum hujus rei teſtimonium habetur.

Nemo quippe veterum eam quam propugno ſententiam, aut expreſſius affirmavit, aut validius probavit, quam Johannes Diaconus. Is ſiquidem auctor in libro IV. de vita Gregorii Magni, quam hortante ac probante Johanne Papa octavo in uſum Eccleſiæ Romanæ conſcripſit anno DCCCLXXV. Benedictinam Gregorii profeſſionem duobus argumentis adſtruit. Primum argumentum ſumit à forma baltei, quod in detectione corporis ſancti Gregorii, Gregorio IV. Pontifice facta, conſpectum à Romanis eſt ante annos fere quadraginta, quam Johannes vitam Gregorii ſcriberet. Sic autem explicat iſtud argumentum in libri IV. capite LXXX. *Porro in exilitate baltei, quæ unius pollicis menſuram numquam excedit, ſpeciem propoſiti regularis, olim à ſancto Benedicto ſtatuti, cujus ipſe vitam deſcribens in Dialogo, Regulam quoque laudaverat, eum ſervaſſe luce clarius manifeſtat* *. Non hærentis aut dubitantis, ſed fidentis ſcientiſque hæc verba ſunt. ac proinde ea baltei ſeu cinguli forma tam certo Benedictinis competere per illa tempora cenſebatur, ut ex illa Benedictinum Gregorii inſtitutum *luce clarius* deduci aſſerat Johannes teſtis rerum oculatus.

* ſ. manifeſtatur.

Alterum Johannis validius argumentum procedit ex eo, quod Gregorius *ſui monaſterii monachos*, BENEDICTI *utique Regulis mancipatos, in Saxoniam* Britannicam *deſtinarit*. Id vero cap. LXXXII. itidem probat hoc argumento, quod *ex ipſius* Gregorii *diſcipulis vix poteſt in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non obſervetur tam in propoſito, quam in habitu Regula* BENEDICTI. Porro hoc utrumque argumentum optimum eſt ad internoſcendam cujuſque profeſſionem religioſam: cum nemo melius, quam ex habitu ſuo & vitæ genere diſcipulorum ab aliis diſtinguatur.

Audio quoſdam opponere, non eſſe tanti momenti Johannis auctoritatem, ut ipſi ioconctanter fidem omnem habere debeamus. quandoquidem lapſus eſt in multis, de quibus eum arguit Baronius. Verum, etſi in aliquibus minutiis lapſus ſit, non tamen continuo rejicienda in aliis eſt ejus auctoritas. Nam libri quatuor, quos de vita Gregorii compoſuit, & magno judicio ſcripti ſunt, & cum optimo delectu ex ejus ſcriptis (quod antea fecerat nemo, & multi hodie viri eruditi imitantur) accurate confecti ſunt, & magnam ſemper tum in Romana eccleſia, in qua publice in officiis divinis quotannis legebantur, tum in aliis eccleſiis auctoritatem obtinuerunt, teſte Guitmundo Averſano epiſcopo in libro tertio de ſacramento altaris. *Eam vitam*, inquit, *tot ſanctiſſimi Romanique pontifices nullo diſſonante hactenus probaverunt: eorumque auctoritatem ſecuta tot eccleſia, cuncto populo Chriſtiano conſonante, numeuſque ſuſceperunt.* Verum etſi in rebus ceteris nulla eſſet Johannis auctoritas, omnino tamen prævalere deberet in hac cauſa: modo conſtet, (ut certe conſtat) eum prave affectum non fuiſſe, ſed ſincerum & ab omni mentiendi, fallendive libidine immunem. Ejus enim argumenta duo ejuſmodi ſunt, ut non pendeant ex rerum veterum peritia, ſed ex oculorum experientia: quibus conſtat de forma habitus, & vitæ genere cujuſque, dum conſpicitur. Prius enim argumentum ducitur à forma baltei Gregoriani, quod Johannis tempore conſpectum eſt, immo ab ipſo Johanne, ut ex ejus verbis colligitur; & à forma cinguli Benedictini, quam & peculiarem fuiſſe, & Gregorianæ ſimilem ipſe oculis probabat. Poſterius petitur ex vitæ genere, quod Johannis tempore profitebantur monachi Anglicani. qua de re facile certior fieri Johannes potuit.

Opponit Baronius ad primum argumentum, non recte ex eo probari Gregorii inſtitutum: cum occidentales omnes monachi ejuſmodi cinguli genere uterentur. teſtari quippe ſanctum Fulgentium epiſcopum Ruſpenſem, conſueviſſe monachos pelliceo uti cingulo, etiam in Africa, ſed & Caſſianum tradere, non monachorum tantum, ſed apoſtolicorum quoque virorum fuiſſe conſuetudinem ejuſmodi uti cinguli genere. At hæc nequaquam officiunt Johannis argumento, qui non à materia, ſed ab exilitate & forma baltei probat, Gregorium ſodalitii fuiſſe Benedictini, in quo cinguli materia cum aliis forſan communis erat, ſed forma diverſa. Certe hactenus & Benedictini ſodales, & Auguſtiniani Eremitæ pelliceis utuntur cingulis: ſed anguſtis illi, hi latioribus. adeo ut diligens quilibet inſpector vel hoc ſolo alios ab aliis facile diſtinguere poſſit. De aliis Baronii objectis mox viderimus.

Baron. ann. 827.

Johannem ſecuti ſunt quotquot de Gregorii monaſtica diſtinctione ſcripſerunt auctores recentiores. Aimoinus quippe Floriacenſis monachus initio ſæculi undecimi, Gregorium Benedictinæ *Regulæ ſubditum diſciplinis* fuiſſe ſcribit in prologo de miraculis ſancti Benedicti, iterumque probat in libro de vita ſancti Abbonis Floriacenſis abbatis. Idem aſſerit ſanctus Thomas Aquinas in Opuſculi XVII. capite XVI. Gregorium ſcilicet *monaſteria conſtruxiſſe ſecun-*

DISSERT. DE GREG. MAG.

dum Regulam à beato Benedicto inſtitutam. & apud ſanctum Antonium Florentinum antiſtitem in partis II. titulo XV. articulo ultimo, Gregorius ſancti Benedicti *vitam hauſiſſe, ac monachus & abbas ſub dicta Regula militaſſe* perhibetur.

Et quidem ea videtur fuiſſe mens Patrum concilii Tridentini, qui ſanctum Gregorium laudatoria oratione honoraturi, id munus detulerunt Auguſtino Loſcoſio abbati Ordinis, ut præfertur, Caſinenſis; non aliam ſane ob cauſam, quam ut Gregorius à monacho inſtituti ſui laudaretur. Ipſe vero abbas in contextu orationis ſuæ coram Patribus Tridentinis aſſeruit, Gregorium *divi Benedicti habitum induiſſe.* Exſtat hæc oratio cum aliis in Concilio Tridentino habitis in editione Lovanienſi anni MDLXVII.

Ejuſdem fuere ſententiæ Thomas Bozius Oratorii Romani preſbyter, in libro nono de ſignis Eccleſiæ, capite quarto; & Anonymus ille, qui Alulfi Tornacenſis monachi Gregorianas exceptiones typis mandari curavit initio ſæculi XVI. Poſt Baronium, Franciſcus Suarezius, Societatis JESU doctiſſimus Theologus, epiſtolam ad noſtrum Antonium Yepeſium; Gregorius Lopezius in libello de veritate Reliquiarum Granatenſium inſignem locum in Chronico Benedictino relatum; & Johannes Seldenus Anglus Apologiam ſcripſit contra Baronii opinionem. Rochus Pirrus etiam in Siciliæ ſacræ tomo IV. aliquot argumenta conjecit in eamdem. Ut vero iſti auctores Baronium impugnarent, non privata movit affectio, ſed ſola veritatis cauſa: nec dubito, quin eodem modo affecti futuri ſiot in poſterum eruditi quique veritatis amantes, ſi paullulum expendant, ſicut iſti, quam levia ſint in oppoſitum argumenta Baronii, quæ modo examinanda ſunt.

VII.

Rationes, quibus commotus eſt illuſtriſſimus Annalium conditor, ut contra receptiſſimam veterum ſententiam Gregorium, non Benedictini, ſed Æquitiani fuiſſe inſtituti contenderet, explicat ipſe ad annum DLXXXI. num. IX. & in addendis poſt tomum nonum. Summa rationum ejus hæc eſt: nimirum quod Gregorius inſtituto à ſe in Urbe ſancti Andreæ monaſterio, non ex proxime poſitis Caſinatibus monachis, quibus Longobardos fugientibus apud Lateranenſem baſilicam datum fuerat monaſterium; ſed ex provincia Valeria, monaſterio ſancti Æquitii, in quo vigebant monaſtica inſtituta, petitus ſit abbas primus, nomine Valentinus. Quod vero ex ipſo ſancti Æquitii monaſterio accerſitus ſit Andreani cœnobii abbas primus, exinde probat, quia nullum aliud celebre eo tempore in provincia Valeria monaſterium fuiſſe reperitur, quam ſancti Æquitii, ex quo primus petendus eſſet abbas monaſterii ab ipſo in Urbe erecti: à quo & habitum ipſe Gregorius monaſticæ converſationis accepit, & ab eo monachorum inſtitutus eſt regulis. Denique beatum Æquitium ante ſanctum Benedictum in dicta provincia monaſterium erexiſſe, & monachis in eo poſitis præfuiſſe: immo non unius tantum monaſterii, ſed multorum abbatem fuiſſe. Ex quibus aliiſque infert Baronius, monaſterium ſancti Æquitii non fuiſſe unum ex illis duodecim, quæ ſanctus Benedictus in vicina provincia erexit.

DISSERT. DE GREG. MAG.

Hæc eſt Baronianæ inductionis tota moles ac vis; hæc illius argumenta & conjecturæ. quæ an adeo certa atque explorata ſint, ut negari aut refutari non poſſint; an vero ita neceſſaria, ut etiam ſi pleraque concedantur, id quod Baronius contendit, efficiant, diſpiciendum eſt.

VIII.

Ut clarius procedat res, ab incertis & dubiis certa & probabilia ſecernere juvat. Incertum eſt primo, an eo tempore, quo Gregorius ſancti Andreæ monaſterium condebat, Caſinates monachi jam Lateranenſem baſilicam inſederint. immo certum videtur prius Andreanum cœnobium conditum fuiſſe, quam Caſinates à Langobardis fugati in Urbem receperint ſeſe. Valentius enim cujuſdam in Valeria provincia monaſterii abbas, à Langobardis vexatus coofugit Romam, acceptuſque à Gregorio eſt in Andreanum monaſterium. Atqui prius Valeria Langobardis obvia fuit, quam ager Caſinenſis. ac proinde Valentius jam tum in ſancti Andreæ monaſterio hoſpitabatur, cum Caſinatibus à Pontifice conceſſa eſt ſedes baſilicæ Lateranenſis. Sane ſi clades Caſinenſis, ut mihi conſtat, non accidit ante annum DLXXX. longe ante conditum fuerat ſancti Andreæ monaſterium, immo ante id tempus Gregorius eo ſe receperat ex dictis. Secundo incertum eſt, an Gregoriani monaſterii primus abbas fuerit Valentius ſeu Valentio. (nam utroque modo in veteribus membranis pingitur, non Valentinus, Zachariæ Βαλέντιος.) Etſi enim Gregorius ipſum ſibi ac monaſterio ſuo præfuiſſe dicat in libro IV. Dialogorum, capite XXI. nuſquam tamen eum abbatem primum fuiſſe affirmat. Tertio incertum, immo (quod pace illuſtriſſimi viri dixerim) falſum eſt, Valentium ex primario ſancti Æquitii monaſterio accerſitum à Gregorio fuiſſe. Nam Gregorius in lib. I. Dialogorum cap. IV. ſcribit, cœnobii Æquitiani monachos omnes ad ipſius Æquitii tumulum ereptos fuiſſe de manibus Langobardorum. contra vero in Valentii monaſterio duos monachos a Langobardis necatos tradit in lib. IV. cap. XXI. Gregorii verba expendenda ſunt. *Vita namque venerabilis*, inquit, *Valentius, qui poſt in hac Romana urbe mihi, ſicut noſti, meo quoque monaſterio præfuit, prius in Valeria provincia monaſterium ſuum rexit.* Monaſterium *ſuum*, inquit, hoc eſt a Valentio ædificatum, ſecundum phraſim Gregorii, qui monaſterium *meum* vocat paſſim, quod ab ipſo conditum eſt. Quarto proinde loco dicendum eſt, Valentium non ſolum non ex primario ſancti Æquitii monaſterio, ſed ne quidem ex aliquo alio Æquitii monaſterio eductum fuiſſe, ſed ex ſuo, quod in Valeria Valentius ipſe conſtruxerat. Quinto denique incertum eſt, an Vale-

ria provincia Gregorio diverſa fuerit ab Æquicolis, in quibus Sublacus & duodecim ſita erant monaſteria, quæ ſanctus Benedictus inſtituit. Etenim Paulus Diaconus in libro ſecundo de geſtis Langobardorum, ubi provincias Italiæ pro ſui temporis uſu deſcribit, nullam rationem habuit Æquicolorum, quos Valeriæ attribuiſſe videtur, ſiquidem Carſeolos ſeu Carſilim, opidum Æquicolorum ex Ptolemæo, Valeriæ adſcribit in capite XXI. Et certe Æquicolorum tractus Valeriam contingit, ut facile cum ea confundi poſſit.

His præmiſſis ac conſtitutis, tota Baronii machina eo ſpectat, ut probet Valentium, non ex Lateranenſi Caſinatium monaſterio proximo, (quod nondum erat, ex dictis) ſed ex ipſo Æquitii monaſterio evocatum fuiſſe ad regendum ſancti Andreæ monaſterium. Quod poſtremum ſi negem, ut certe conſtanter nego, neſcio quorſum evaſurus ſit totus ille argumentorum apparatus. Nam ſi Valentius ex ipſo ſancti Æquitii monaſterio eductus non eſt, ut conſtat ex dictis, jam corruit tota Baronii machina. In id enim incumbit Baronius, ut probet, Valentium ideo ex Æquitii primario monaſterio aſſumtum fuiſſe, *quia*, inquit, *nullum aliud celebre eo tempore in provincia Valeria monaſterium fuiſſe reperitur, niſi ſancti Æquitii, ex quo petendus eſſet abbas monaſterii* Andreani. Cum ergo conſtet, Valentium ex alio quam ex primario Æquitii monaſterio petitum fuiſſe; non eſt quod ultra curemus de Baronii argumentis.

At demus aliquid Baronio, fac eum voluiſſe, Valentium aut ex primario, aut ex aliquo alio ſancti Æquitii monaſterio Valeriæ accitum fuiſſe. Nec ſic tamen quidquam obtinebit adverſum nos illuſtriſſimus Annaliſta. Non enim ex aliquo Æquitiano, ſed ex ſuo ipſius monaſterio, id eſt ab ſe, non ab Æquitio, condito, eductus eſt Valentius, ut ſuperius probatum eſt.

Atqui, inquis, omnia Valeriæ monaſteria, etiam ipſum quod condidit Valentius, Æquitiani erant inſtituti. At unde hoc habes, ô bone? Æquitius quidem in illa provincia *multorum monaſteriorum Pater* exſtitit, teſte Gregorio; ſed non omnium, maxime ejus, quod ipſo mortuo condidit Valentius. Certe contra Gregorii ſenſum eſſe videtur, quod Æquitius dicatur omnium in Valeria monaſteriorum Pater: nec officit ejus ſententiæ, ſi quædam alia Benedictini etiam inſtituti ea in provincia fuiſſe dicantur: maxime ſi Æquicoli, apud quos Benedictus duodecim erexerat in Sublaco monaſteria, Valeriæ attribuantur, ut certe eos attribuiſſe videtur Paulus Diaconus. Deinde etſi ab Æquicolis Valeria diſtinguatur; quo argumento conſtat duodecim illa ſancti Benedicti cœnobia intra eremi Sublacenſis anguſtos ſinus ita contenta fuiſſe, ut ne unum quidem in Valeria, quæ provincia Sublaco finitima eſt ac contigua, ſitum fuerit? An vel Benedicti diſcipuli poſt diſceſſum pii Patris uni aut alteri cœnobio in Valeria condendo impares fuere?

Verum age, nullum Benedictus, nullum ipſius diſcipuli monaſterium in Valeria condiderint: fuerint à prima conditione inſtituti Æquitiani omnia: fuerit etiam hoc ipſum, quod in ea provincia regebat Valentius ab Æquitio conſtructum. quid dicere vetat, aut ea omnia, aut ſaltem aliqua, Æquitio mortuo in ſancti Benedicti leges conceſſiſſe? Æquitius enim, Benedicto (ut contendit Baronius) ætate ſuperior, ante annum quingenteſimum quadrageſimum exceſſerat e vivis. Ab eo tempore, uſquedum Gregorius condendo ſancti Andreæ monaſterio admoveret manum, anni amplius triginta elapſi erant. Denique nullam Æquitius Regulam ſcriptam reliquerat, viventis vox pro lege erat. eo mortuo defecit lex, non monaſteria, quæ pro nutu abbatis ſucceſſoris facile Regulam ſancti Benedicti amplecti potuerunt. Et re quidem ipſa id factum eſſe intelligitur ex quadam Fundani abbatis epiſtola ad Simplicium Caſini tertium abbatem, in qua B. abbas Fundanus ſcribit, jam tum apud omnes ſtatutum eſſe, *ut omnia monaſteria Campaniæ, Samniæ,* VALERIÆ, *Tuſciæ, Liguriæ, & aliarum provinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam vivendi, quam ſanctiſſimus & Deo acceptus* BENEDICTUS *inſtituit, ſervarent.* ſeque ejus rei gratiâ *Hugonem & Paulum fratres ſuos juxta prædictam ſanctam Regulam in Caſinenſi congregatione inſtruendos* ad Simplicium mittere, ut fuſius legitur in epiſtolæ contextu apud Angelum de Nuce in Notis ad Chronicon Caſinenſe, & in Præfatione primi Sæculi noſtri. Ergo Simplicio Caſini abbate, circiter annum quingenteſimum ſexageſimum, ante adventum Langobardorum, ac proinde ante cladem Caſinenſem & acceſſum Valentii abbatis in Andreanum monaſterium; ante illud, inquam, tempus, Valeriæ & aliarum provinciarum Italiæ monaſteria Ordini ſancti Benedicti acceſſerant; ac proinde aut omnia, aut aliqua ſaltem ex iis, quæ ſanctus Æquitius in Valeria conſtruxerat.

Et ne quis cum Gallonio Baronii propugnatore opponat, ſuſpectam videri epiſtolam prædictam ob Bernardi & Hugonis nomina eo tempore apud Italos inuſitata: repono incertum eſſe, an abbas Fundanus vocatus ſit Bernardus, an Bartholomæus, aut alio nomine ab eadem littera *B* incipiente, cum decurtatum dumtaxat ejus nomen in ea epiſtola reperiatur. Et occurrit ſæculo ſeptimo Bernardus inter epiſcopos Cremonenſes apud Ughellum in Italiæ tomo IV. Porro Hugonis nomen, tametſi ævo illo nondum ita frequens, haud ſufficit elevandæ epiſtolæ auctoritati. Non enim facile eſt adeo præciſe definire propriorum nominum origines ac natales. Ceterum vidimus ante aliquot annos hujus epiſtolæ exemplar in codice Caſinenſi, varias pontificum epiſtolas continente: quibus hæc epiſtola inſerta fuit ante annos circiter trecentos. Viderat & hanc Lucas Holſtenius, qui nomen ſuum eidem in illo codice ſubſcripſit, ut in ſuperioribus a obſervavi.

a *Lib. 6. n. 2.*

Hanc epiſtolam confirmant verſus quidam, qui in veterrimis Regulæ noſtræ codicibus præmittuntur, quibus Simplicius abbas Magiſtri

ſui Regulam in omnia Italiæ monaſteria propagaſſe memoratur. Horum verſuum editionem primam debemus minime ſuſpecto auctori, ſcilicet Antonio Gallonio Baronianæ ſententiæ defenſori, qui eos e Vaticano codice mſ. produxit in lucem. Verſus duos huc referre ſufficiat: *Hoc* BENEDICTUS *Pater conſtituit ſacrum volumen, ſuiſque mandavit hac ſervanda alumnis.* SIMPLICIUS *Chriſti miniſter Magiſtri latens opus propagavit in omnes.* Tria hic inveſtiganda, nempe quanta hujus ioſcriptionis antiquitas: quis Simplicius in ea memoratus; quiſve horum verſuum legitimus ſenſus.

Inſcriptionis antiquitatem probant in primis veteres codices mſſ. in quibus ea reperitur: tum priſci auctores qui eam legerunt, nempe Sigebertus Gemblacenſis monachus, ut patet ex lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis capite xxxi. & Petrus Caſinenſis Diaconus inferius referendus, uterque ante annos quingentos. Eamdem quoque ante octingentos legiſſe videtur Candidus monachus, qui de ſancti Benedicti Regula agens in libello de vita ſancti Eigilis Fuldenſis abbatis, *Regulam monachorum*, inquit, *Spiritu-ſancto plenus magna diſcretione conſcripſit, ſuiſque ſecum* OBSERVANDAM MANDAVIT ALUMNIS, quæ poſtrema verba præmiſſæ inſcriptioni reſpondent. Hæc itaque tunc temporis, id eſt principatu Caroli Magni, legebatur in ſcriptis Regulæ noſtræ exemplaribus apud Foldenſes monachos, qui tituli hujus copiam e Caſinenſi monaſterio per Sturmium abbatem iſtuc a ſancto Bonifacio miſſum forſan acceperant.

Jam quis fuerit Simplicius in eodem titulo memoratus, expendendum eſt. Duo fuere ejus nominis ſancti Benedicti diſcipuli; onus abbas, a Gregorio initio libri ii. Dialogorum laudatus: alter ſancti Mauri in Gallicana peregrinatione, ac demom Fauſti in reditu Romam ſocius. De Simplicio abbate ſic loquitur Gregorius, teſtes producens quatuor, quorum relatu ſancti Benedicti geſta reſcierat. *Hujus*, inquit, *ego omnia geſta non didici, ſed pauca quæ narro, quatuor diſcipulis illius referentibus agnovi*, CONSTANTINO *ſcilicet reverentiſſimo valde viro, qui ei in monaſterii regimine ſucceſſit:* VALENTINIANO *quoque, qui annis multis Lateranenſi monaſterio præfuit:* SIMPLICIO, *qui congregationem illius poſt eum tertius rexit:* HONORATO *etiam, qui nunc adhuc cella ejus, in qua prius converſatus fuerat, præeſt.* Simplicium, qui tertio loco nominatur, non ſancti Benedicti in Caſinenſi regimine, ſed Valentiniani in Lateranenſi ſucceſſorem tertium ſtatuit Baronius, ratus pronomina relativa, *illius* & *eum*, ad Valentinianum referri. ſed (pace illuſtriſſimi viri) manifeſto errore. Primo, quod eodem modo intelligendus ſit Gregorii locus de Simplicio, ac de Honorato, *qui nunc adhuc cella ejus*, inquit Gregorius, *in qua prius converſatus fuerat, præeſt.* Atqui per *cellam ejus*, ſine dubio Gregorius intelligit cellam ſancti Benedicti, nempe Sublacenſem, io qua vir ſanctus primum converſatus fuerat. Deinde quod Zacharias Pontifex in verſione Græca, Gregorii loca tam de Conſtantino & Honorato, quam de Simplicio reddens, hæc pronomina, *illius*, *ejus*, & *ei*, utrobique vertit *αὐτοῦ.* quo ſanctum Benedictum indicat æque in Simplicio, ac in Conſtantino & Honorato. Præter ea, quod poſt Valentinianum in Lateranenſi monaſterio abbas tertius fuerit, non Simplicius, ſed Theodorus: ut patet ex prologo Fauſti monachi in vitam ſancti Mauri, quam ſcribere aggreſſus eſt compellente *religioſiſſimo ac cum honore nominando* THEODORO, *qui* TERTIUS *poſt ſanctæ memoriæ Valentinianum, prolixiore tempore Lateranenſis monaſterii congregationem rexit.* Ad hæc, quod Paulus Warnefridi, Diaconus ac monachus Caſinenſis, ſancti Benedicti in Caſinenſi regimine ſucceſſores enumerans, Simplicium hunc, de quo agit Gregorius, tertio loco ſtatuit in lib. de geſtis Langobardorum capite xviii. his verbis: *Ceterum poſt beatum Benedictum Conſtantinus, poſt hunc* SIMPLICIUS, *poſt quem Vitalis, ad extremum Bonitus congregationem iſtam rexit, ſub quo hæc deſtructio facta eſt.* Paulo ſuffragantur non ſolum veteres indices Caſinenſium abbatum, ſed etiam Leo Marſicanus cardinalis Oſtienſis in Chronici Caſinenſis lib. i. cap. ii. & Aimoinus Floriacenſis monachus in Hiſtoriæ lib. iii. cap. lxxx. Ex quibus perſpicuum eſt, Simplicium à Gregorio laudatum, non Lateranenſis, ſed Caſinenſis monaſterii tertium poſt ſanctum Benedictum abbatem fuiſſe. Cum ergo Simplicius iſte ſub annum dlx. Caſinenſi monaſterio præfuerit; ſi prædictos verſus huic Simplicio tribuas, uti tribuendos eſſe poſtea demonſtrabo, Regulæ ſancti Benedicti propagatio in omnia Italiæ monaſteria circiter annum dlx. facta neceſſaria conſecutione dicenda eſt.

Iiſdem argumentis evertitur Gallonii ſententia, qui ſuperiores verſus, Regulæ ſancti Benedicti præfixos, Simplicio beati Mauri in Gallicano itinere ſocio, ac poſt ipſius in Italiam reditum abbati (ut putat) Lateranenſi, accommodare nititur, ſed irrito prorſos conatu. quippe cum nollus eo nomine abbas Lateranenſi congregationi præfuerit, ut patet ex catalogo, quem Antonius Yepeſius in Chronico Benedictino refert ad annum dxxix. capite iv. Et vero Gallonius hunc ſuum ipſius errorem facile emendaſſet, ſi attente legiſſet præmiſſum Gregorii locum ex initio libri ii. Dialogorum. Ibi enim de Simplicio agit Gregorius, ut de homine pridem e vivis ſublato, *qui congregationem illius*, inquit, *poſt eum tertius rexit.* Ex quibus verbis intelligimus, Simplicium hunc anno dxciii. quo libros Dialogorum ſcribebat Gregorius, jam olim vivere deſiiſſe. Erat ergo alius à Simplicio beati Mauri ſocio, quem eo anno ſuperſtitem, immo uſque ad Bonifacii Papæ IV. pontificatum, fuiſſe patet ex Vita ſancti Mauri ab eodem pontifice approbata. Id porro evincit Petrus Diaconus ante annos quingentos monachus Caſinenſis, qui in libro de viris illuſtribus Caſinenſibus duos diſtinguit Simplicios; unum abbatem Caſinenſem tertium, de quo ita ſcribit in cap. v. SIMPLICIUS, *ſanctiſſimi*

Benedicti diſcipulus, ac poſt eum in Caſino abbas effectus, Regulam, quam ſuus Magiſter ediderat, publice legendam omnibus monachis tradidit. Hic nullus tergiverſationi locus. en Simplicius abbas, non Lateranenſis, ſed Caſinenſis, ſancti Benedicti Regulam omnibus monachis tradidiſſe memoratur. Ergo id factum circiter annum DLX. quo fere anno Simplicius abbas Caſinenſi præeſſe cœpit, annis minimum viginti ſex prius, quam Simplicius beati Mauri ſocius in Italiam repedaret.

Supereſt ut exponamus prædictæ inſcriptionis hæc verba, quibus *Simplicius Magiſtri latens opus propagaſſe in omnes* perhibetur. Duplex in his ſenſus excogitari poteſt. Primus eſt, Regulam ſancti Benedicti, quæ ad id tempus in Caſinenſi monaſterio latuerat, à Simplicio etiam aliis monachis propoſitam fuiſſe. Alter ſenſus eſt, eamdem Regulam, quæ monaſteriis non ita multis uſque ad id tempus nota & publicata fuerat, per Simplicium in omnia Italiæ monaſteria fuiſſe transfuſam. Priorem ſenſum repudiare neceſſe eſt, tum quia hæc ſancta Regula per beatum Maurum in Galliam, & per ſanctum Placidum in Siciliam antea penetraverat: tum quia in duodecim Sublacenſis eremi cœnobiis à ſancto Patre conſtructis, & in Terracinenſi obſervabatur. De poſteriori explorata res eſt ex Gregorii teſtimonio in Dialogorum lib. II. cap. VIII. ubi Terracinenſis cœnobii monachi duo, Specioſus & Gregorius, laudantur, qui *ſancti Benedicti ſe Regulæ in ſancta converſatione tradiderant.* Itaque præferendus eſt poſterior ſenſus, eoque modo ſuperior inſcriptio interpretanda, ut Simplicius Caſinenſis abbas tertius Regulam, quam ſanctus Benedictus *ſuis alumnis*, hoc eſt monachis ac monaſteriis ab ſe erectis, *ſervandam mandaverat*; in Benedictinis cœnobiis *latentem, propagaverit in omnes*, id eſt in omnia ſaltem Italiæ monaſteria. ac proinde conſequens eſt, etiam in Æquitianis cœnobiis, longe ante Gregorii monaſticam profeſſionem, eamdem Regulam fuiſſe receptam. Hinc eſt quod eam Gregorius abſolute vocat *Regulam monachorum* in libro ſecundo Dialogorum, & ſanctus Benedictus Bonifacio quarto in Romano concilio dicitur *monachorum præceptor*: quod utrumque argumento eſt, iſtam Regulam, ejuſque auctorem eo tempore apud omnes, aut certe apud pleroſque multum auctoritatis obtinuiſſe. Poſteriori interpretationi favet vetus annorum ſeptingentorum codex, a nobis ante viginti annos lectus in bibliotheca conſultiſſimi viri Filiberti *de la Marre* conſiliarii Divionenſis, quo in codice præfixa eſt ſuperior inſcriptio ſancti Benedicti Regulæ, in qua *Magiſtri late opus propagaſſe in omnes* Simplicius dicitur.

IX.

Cur ergo tandem, inquis, Gregorius e Caſinenſi monaſterio abbatem ſibi non accerſivit? Nempe forſan quod Gregorio notior ac probatior fuit Valentius abbas, quam quivis alius. Deinde quod is a Langobardis fugatus Romam, Gregorii caritatem ſollicitaret. Valentius quippe præſidebat illi Valeriæ monaſterio, in quo monachos duos à Langobardis cæſos jam dixi. quapropter neceſſitate compulſus fugit Romam, a Gregorio acceptus cum ſuis in monaſterium, quod forſan eorum & aliorum ejuſmodi miſerorum causâ Gregorius in ædibus ſuis conſtruxit. Uno verbo, Gregorius ideo Valentium abbatem ceteris prætulit, quod eum regendo monaſterio judicavit aptiorem. Sic enim ob eamdem cauſam Probum ex laïco repente monachum, ſimulque abbatem ordinari juſſit, ut patet ex libri IX. epiſtola XXII. indictionis quartæ; non quod monachos cœnobii ſui aſpernaretur, ſed quod Probum ob egregias dotes digniorem exiſtimaret. Ceterum ſi quid valerent ejuſmodi ratiunculæ, peterem ego, cur Gregorius, ſi Æquitianum inſtitutum monaſterio ſuo præſcribere volebat, non ex primario Æquitii cœnobio, ſed ex alio minus celebri Valentium adſciverit? Sed relinquamus has tricas.

X.

At enim Gregorius ipſe in libri VIII. epiſtola XXXII. indictionis tertiæ, ſcripta Fortunato Neapolitano epiſcopo, biennium exigit ad Novitiorum probationem his verbis: *Monaſteriis omnibus fraternitas veſtra diſtrictius interdicat, ut eos quos ad convertendum ſuſceperint, prinſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare: ſed hoc ſpatio vita, moreſque eorum ſollicite comprobentur, ne quis eorum aut non ſit contentus quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit.* Atqui ſanctus Benedictus non biennium, ſed unum dumtaxat annum præſcribit ad probandos Novitios.

Hæc objectio nullius prorſus videbitur momenti, ſi ejus temporis diſciplina attente expendatur. Varius fuit in Oriente & Occidente probandorum Novitiorum ritus. Pachomius Novitios non niſi poſt triennii probationem admittebat. Occidentales autem Regulæ omnes unum dumtaxat annum requirunt ad tirocinium, ut patet ex Caſſiano, Cæſario, Ferreolo, Regula Ternatenſi, & aliis, quæ ævo ſancti Benedicti conditæ ſunt. Eamdem normam præſcripſit ſanctus Benedictus: quo vivente Juſtinianus Auguſtus Novellam quintam edidit, quâ Novitium *per triennium totum, ſive liber, ſive ſervus* ſit, probari decernit capite ſecundo. Hoc ſancitum Imperatoris *Normam regularem* vocat Gregorius in lib. VII. epiſtola I. indict. I. ubi Mauricio ægre ferenti, quod contra ipſius interdictum milites in monaſteria exciperentur, Gregorius hoc pacto condeſcendit, ut non niſi *poſt triennium* admitterentur. Prædictæ Novellæ tantiſper derogavit Juſtinianus Novellæ CXXIII. capite XXXV. notante Contio, cum homines ignotos non niſi poſt triennium admitti vetat; notos vero *incontinenti*, (ut notat gloſſa) & ſchemate monaſtico indui, & ad profeſſionem admitti ſinit. In Occidente licebat abbatibus ob fervorem candidatorum profeſſionis tempus, quod uno anno definitum erat, pro judicio ac prudentia ſua contrahere, ut patet ex Regulis

DISSERT. DE GREG. MAG.

Cæſarii ac Ferreoli. Hinc factum eſt, ut quidam abbates occidentales, qui tum ex Regula propria, tum ex poſteriori Juſtiniani Novella, contrahendi probationis ſpatii poteſtatem habebant, homines ex vita ſæculari ad monaſterium accedentes abſque legitima probatione admitterent. Cui malo ut aliquod remedium adhiberetur, Gregotius temperando normam orientalem ſeu Juſtinianeam, & occidentalem, prudentiſſime ſtatuit, ut non niſi poſt biennium Novitii ad ſuſceptionem habitus ſeu profeſſionem admitterentur. Quod biennii tempus nullius occidentalis Regulæ conſtitutione præceptum eſt, ſed ſolius Gregorii decreto inductum. Hujos rei argumento eſt, quod nullius Regulæ auctoritatem in epiſtola ſua Gregorius interponit.

Præter ea non conſtat, an decretum illud univerſale fuerit pro toto Occidente, an particulare pro ſola provincia Neapolitana. Immo capite 17. quæſtione 2. c. *Gonſaldus*, liquet, Gregotium probationem Novitiorum unius anni ſpatio definiiſſe. Id, inquam, liquet ex his Alexandri ſecundi verbis eo capite relatis: *Quapropter quia & beati Benedicti Regula, & præcipue Patris & prædeceſſoris noſtri ſancti Gregorii papa canonica inſtitutio interdicit, monachum ante unius anni probationem effici; judicamus & auctoritate apoſtolica præcipimus*, &c. Ita Pontifex, qui ſine dubio ſancti Gregorii hac de re decretum legerat, tametſi in Regiſtro deſideretur. Et quidem in ſancti Andreæ monaſterio, ubi Gregorius monachum induerat, hoc biennalis probationis ſpatium non ſervabatur, aut certe non ſemper, ut conſtat exemplo Probi, qui ex ſæculari repente monachus atque abbas factus eſt, ut modo vidimus.

Denique unius anni probatio non ita eſt propria Regulæ ſancti Benedicti, ut eo ſpatio vel contracto, vel ampliato judicari poſſit, an ea in aliquo monaſterio ſervata ſit. Nam ſi hæc ratiocinandi forma probaretur, concludendum eſſet, Regulam ſancti Benedicti non viguiſſe apud Cluniacenſes tempore Petri Venerabilis: quo tempore ante ſolidi anni probationem Novitii paſſim recipiebantor. quam conſuetudinem adverſus Ciſtercienſium querelas propugnat idem Petrus Venerabilis libri primi epiſtola XXVIII. Ad hæc, Grimlaïcus in Regula Solitariorum ſeu Recluſorum, cujus tota fere diſciplina ex Regula ſancti Benedicti conſtans, non niſi pro monachis ejuſdem Regulæ ſervantibus & ad recluſionem contendentibus edita eſt, biennium exigitur ad probationem Recluſorum. Et porro hoc ipſo tempore Fratres laïci, qoos Converſos appellamus, biennio probantur apud nos ante profeſſionem. Ex quibus intelligas, biennalem probationem nequaquam Benedictinæ Regulæ obſervationi præjudicare.

Hæc quidem, ni fallor, ſufficiunt confutandis Baronii, aliorumque objectis: aut ſaltem id obtinere debent apud omnes æqui amantes, ejus conjecturas non tanti eſſe ponderis, ut prævalere debeant contra receptiſſimam vetuſtatis ſententiam, ut loquitur Seldenus. Quam ob rem integræ & intactæ remanebunt ſuperiorum hominum auctoritates: quæ cum Benedictinam Gregorii profeſſionem aperte definiant, nemo rerum æquus æſtimator in poſterum (ut ſpero) volet refragari.

DISSERT. DE GREG. MAG.

Omitto prudens minutias quaſdam, quæ nonnumquam objiciuntur a nonnullis, quod Gregorius neque Benedictum ſuum ipſius Patrem, neque ejus regulam diſerte ſuam dicat uſquam. Si enim ejuſmodi argutiis ſtatetur, Gregotius nullam Regulam, nullum monachorum inſtitutum profeſſus cenſendus eſſet: ſiquidem nullam Regulam, nullumve aut Æquitii, aut cujuſvis aliûs inſtitutum ſuum vocat. nimirum quod ea partium ſtudia procul aberant a moribus illius ætatis: & quod Gregotius jam Pontifex ſummus & Patrum Pater erat, cum Regulæ noſtræ, ejuſque auctoris in Dialogis ſuis meminit. Quamquam ſatis ſuperque ſtudium affectumque ſuum in ſanctum Benedictum, veluti in Patrem, teſtatum reliquit, dum ipſum ipſiuſque Regulam tam ſingulari elogio laudat & approbat. Immo etiam *beatiſſimum Patrem* BENEDICTUM vocat in libro II. Dialogorum capite XXXIII. quo nihil ſignantius proferunt recentiores Benedictini ad exprimendam ſuam in ſanctum Benedictum caritatem.

Ut totam hanc Diſſertationem in pauca contraham, ex dictis perſpicuum eſt, Gregorium Magnum monaſticæ profeſſioni vere addictum fuiſſe, quæ prima hujus Diſſertationis pars erat; quandoquidem ſe ipſe diſerte monachum dicit: nec minus exploratum, ejus in monaſterio commorationem longiorem fuiſſe, quam Baronius exiſtimavit. Secunda vero Diſſertationis pars, qua ſanctum Doctorem Regulæ ſancti Benedicti adſtrictum fuiſſe contendimus, etſi non ita neceſſariis fulciatur argumentis, tot nihilo minus rationibus aſſeritur, ut nemo, qui æquo animo & citra præjudicium rationes illas expenderit, diſſentire, & in contrariam abire ſententiam poſſit. Quamvis enim rationes illæ non omnes æqualis ſint roboris, nec ſeorſim ſpectatæ rem conficiant; tamen ſimul conjunctæ & connexæ vim demonſtrationis ſaltem moralis habent. Nam ſi Gregorium ipſum conſulas, ſanctum Benedictum præ omnibus ſanctis laudat in Dialogis; unam ejus Regulam celebrat, ejuſque verbis ſubinde in ſuis ſcriptis utitur. Si ejus diſcipulos ſpectes, hi ſancti Benedicti Regulam in Anglia propagarunt, ut conſtans illius regni traditio aſſerit, infinitis conſignata monumentis: in quibus Eddius Stephanus ante annos mille ſcripſit, Wilfridum epiſcopum ex urbe Cantuaria retuliſſe ſancti Benedicti Regolam, quam ſeptemtrionalibus illius inſulæ monaſteriis impoſuit, & quidem anno poſt Auguſtini obitum circiter quinquageſimo; cum nulla novationis ante id tempus factæ veſtigia appareant, nullus ex aliis monaſticæ vitæ legiſlatoribus in Litaniis illorum temporum præter ſanctum Benedictum legatur; omnia denique Angliæ monaſteria ex illo tempore eamdem Regulam tenuerint. Quæ quidem

adeo permoverunt eruditos Bollandi continuatores, ut quadam *propemodum evidentia*, & *evidenti pene indicio*, etiam antequam Eddii librum vidiſſent, ſanctum Auguſtinum, ejuſque ſocios, Gregorii, utique in ſuo monaſterio diſcipulos, & monaſterii ſui Regulis imbutos, noſtris accenſeri poſſe exiſtiment. In fine non ab re erit referre epiſtolam viri nomine & doctrina noſtro tempore celebris, qui a Guſſanvillæo, dum hic novam ſancti Gregorii operum editionem curaret, conſultus quid de hac controverſia ſentiret, in hunc modum reſpondit.

III.

LETTRE DE MONSIEUR de Barcos Abbé de ſaint Cyran, à Monſieur de Gouſſainville, touchant le monachiſme de ſaint Gregoire le Grand.

Je penſe, Monſieur, que vous ne vous étonnerez point, ſi je vous dit, que voſtre Lettre m'a ſurpris, non ſeulement parce que je ne croiois pas eſtre connu de vous, ny que vous penſaſſiez à moy: mais auſſi parce qu'il ſemble que vous voulez me rendre juge d'un different que vous avez avec les Peres de la Congregation de ſaint Maur. Si je n'ay pas aſſez d'intelligence pour cela, vous pouvez vous aſſeurer pour le moins, que vous ne devez pas craindre que je les favoriſe injuſtement contre vous, n'ayant aucun ſujet de le faire, puiſque vous pouvez ſçavoir, que la conduite qu'ils ont tenuë les années paſſées ne m'y oblige pas. Je crois donc vous pouvoir dire de la ſeule veuë de la verité, qu'il ne me paroiſt aucune raiſon de nier, que ſaint Gregoire Pape ait eſté Religieux de ſaint Benoiſt. 1°. parce que tout le monde l'a tenu tel d'un commun conſentement juſques au Cardinal Baronius, qui eſt le premier qui l'a oſé conteſter depuis le temps de ſaint Gregoire; car il ne s'eſt trouvé perſonne qui ait eſté de ſon opinion, non ſeulement dans l'Ordre de ſaint Benoiſt, mais dans les autres, & parmy tous les Auteurs catholiques. C'eſt donc une tradition ancienne & univerſelle, qui doit eſtre de grand poids dans les queſtions de fait; & il eſt fort dangereux & d'une conſequence pernicieuſe, de ſe donner la liberté de s'inſcrire en faux contre les traditions anciennes & perpetuelles, qui ne dependent que des témoignages des hommes, ſur de ſimples conjectures & des raiſons qui ne ſont pas convaincantes, ſur tout quand on n'a aucun Auteur, qui le confirme clairement par ſon ſuffrage. Il n'y en a point qui ait dit devant Baronius, que ſaint Gregoire n'a pas eſté religieux de ſaint Benoiſt, & tous ceux qui en ont parlé, ont écrit le contraire. S'il eſt permis de renverſer ainſi les choſes de faits rapportez par les anciens Ecrivains, & receus de tout le monde ſans contredit, à cauſe des difficultez qu'on y rencontre, il n'y aura preſque point d'hiſtoire ny dans les meilleurs livres, ny dans l'Ecriture meſme, qu'on ne puiſſe décrier, y en ayant beaucoup, & des plus certaines, qui peuvent eſtre combatuës par des conjectures & des objections plus fortes & plus apparentes, que celles qu'on allegue contre la profeſſion Monaſtique de ſaint Gregoire dans l'Ordre de ſaint Benoiſt.

Mais cette verité eſt atteſtée & renduë indubitable par ſaint Gregoire meſme dans ſon quatriéme livre ſur le premier des Rois, où il témoigne clairement, qu'il a eſté non ſeulement Religieux, mais Abbé dans l'Ordre de ſaint Benoiſt, & qu'il a conduit les Novices ſelon la Regle de ce Saint. Car de pretendre que cet ouvrage n'eſt pas de ſaint Gregoire, comme vous faites, c'eſt s'éloigner du ſentiment de tous les Auteurs, je ne dis pas Catholiques, mais auſſi Proteſtans, & introduire une opinion entierement nouvelle & ſinguliere. Il ne s'eſt trouvé encore qu'un ſeul Miniſtre Anglois, qui ait douté que ces Livres ſur le premier des Rois ſoient de ſaint Gregoire: mais il n'a pas oſé le nier abſolument, & neanmoins il a eſté abandonné de tous les Auteurs proteſtans, auſſi bien que de tous les ortodoxes. Il n'y a point d'ouvrage plus digne de ſaint Gregoire que celuy-là parmy toutes ſes œuvres. Ce n'eſt pas ſeulement ſon ſtyle, mais ſon eſprit: & il contient des veritez importantes, qu'il n'a pas ſi bien exprimées ailleurs, & qu'on affoibliroit beaucoup, ſi on leur oſtoit ſon autorité. Il n'y a rien qui découvre mieux les Ecrits qui ſont fauſſement attribuez aux ſaints Peres, que la difference du ſtyle, des penſées, & de la maniere de les repreſenter: & toutes ces marques ſe rencontrent pour aſſeurer cet ouvrage à ſaint Gregoire. Vous dites qu'il n'en parle pas ailleurs, mais outre que cela n'eſt pas clair, & qu'il y a des preuves du contraire, ſi cette raiſon eſtoit ſolide, on pourroit oſter pluſieurs écrits indubitables aux ſaints Peres, parce qu'ils n'en font mention nulle part, & il y en a peu qui ſe citent eux-meſmes. Saint Paterius dans les Extraits qu'il a fait de ſaint Gregoire, n'a pas ſeulement omis les Livres ſur les Rois, mais auſſi des autres pieces de ce Saint; & il n'y a point d'Auteur ancien qui parlant des ouvrages de ce Pere, les ait rapporté tous. Que ſi vous penſez que pour ne croire pas que cet ouvrage ſoit de ſaint Gregoire il ſuffit de dire qu'il n'a paru que dans l'édition de 1537. & qu'il ne s'en trouve aucun manuſcrit, il faudra conclure que quantité de Livres des ſaints Peres ne ſont pas à eux, parce qu'ils n'ont paru que depuis peu, & qu'on n'en a pû trouver aucun manuſcrit que celuy ſur lequel on les a imprimés, comme le livre de ſaint Auguſtin de geſtis Pelagii, *& autres. Vous dites qu'il paroiſt que l'Auteur de ces Livres ſur les Rois eſtoit un moine, & non pas un Pape. Ce qui ne prouve autre choſe, ſinon qu'il n'eſtoit pas encore Pape, mais ſeulement Religieux. Vous ne pourrez pas auſſi perſuader qu'il ne parle de la Regle de ſaint Benoiſt que dans ce Livre, eſtant ſi clair qu'il ne parle dans ſes Dialogues & ailleurs d'une maniere encore plus avantageuſe. N'y ayant donc pas moyen de nier que les Livres ſur les Rois ne ſoient de ſaint Gregoire: il n'y a pas auſſi moyen de nier qu'il ait eſté Religieux de ſaint Benoiſt, puiſqu'il l'aſſure evidemment dans le quatriéme Livre. Cette raiſon eſt encore plus forte contre l'opinion de Baronius. car il demeure d'accord que les Livres ſur les Rois ſont de ſaint*

DISSERT. DE GREG. MAG.

ſaint Gregoire, comme ils luy ſont attribuez dans les editions de Rome, & dans toutes les autres. Ny luy, ny aucun de ceux qui ſuivent ſon opinion ne les a pas encore conteſtez. Il y a de la contradiction dans leur ſentiment, en ce qu'ils nient que ſaint Gregoire ait eſté Religieux Benedictin, & en ce qu'ils reconnoiſſent un Livre, où il avoue luy-meſme qu'il l'a eſté.

Enfin pour retrancher pluſieurs raiſons qui rendroient cette Lettre trop longue, il ſuffira d'en alleguer encore une, qui eſt que les Religieux que ſaint Gregoire envoya en Angleterre, eſtoient aſſurement Benedictins, & porterent dans cette Iſle la Regle, & l'établirent dans tous les monaſteres d'Angleterre. Ils eſtoient auſſi Religieux des monaſteres de ſaint Gregoire, comme il le dit luy-meſme, & du monaſtere de ſaint André qu'il avoit établi dans Rome, & où il avoit pris l'habit Religieux, Or il n'y a nulle apparence de pretendre qu'ils veſcurent autrement dans les monaſteres d'Angleterre qu'ils n'avoient veſcu à Rome; & qu'ils quitterent la Regle dont ils avoient fait profeſſion pour en prendre une autre, & la porter dans la nouvelle Egliſe qu'ils fonderent; puiſqu'ils ne l'euſſent pû faire qu'en violant leurs vœux ſans raiſon. Et on ſçait que les Religieux ſont ordinairement jaloux de la Regle de leur Ordre, & que ceux de ſaint François ne laiſſerent jamais celle de ſaint François pour établir des monaſteres ſelon celle de ſaint Dominique, ny ceux de ſaint Dominique la leur pour luy preferer celle de ſaint François. Il eſt donc indubitable, que ces miſſionnaires de ſaint Gregoire ayant fait des monaſteres de la Regle de ſaint Benoiſt en Angleterre, & ayant veſcu ſelon cette Regle, ils l'auroient auſſi gardée à Rome, & que c'eſtoit la Regle du monaſtere de ſaint André, dans laquelle ſaint Gregoire avoit eſté élevé comme eux. Il eſt certain qu'il donna cette Regle aux autres monaſteres qu'il fonda en divers lieux: car il la jugea la meilleure de toutes, en diſant qu'elle les ſurpaſſe toutes en diſcretion, diſcretione præcipua; *& la diſcretion ſelon les Peres eſt la premiere des vertus, & l'ame de toutes les autres, qui ſans elle ſont mortes & des veritables vices. Il eſt donc aſſeuré qu'il la choiſit pour ſes monaſteres, & ne luy en a point preferé une autre, pour laquelle il n'avoit point tant d'eſtime.*

Or dire qu'il ne reconnoiſſoit point la Regle de ſaint Benoiſt, & qu'elle ne fut veue dans Rome que lorſque les Religieux du Mont-Caſſin l'y apporterent aprés que leur monaſtere fut pillé par les Lombards, c'eſt une choſe hors de toute apparence, puiſque ſa reputation s'eſtoit repanduë juſques en France dés le temps de ſaint Benoiſt, où elle fut publiée par ſaint Maur, & honorée par les Rois avec tant de gloire; & dans la Sicile par ſaint Placide, qui y édifia un grand monaſtere. Et ceux de Sublaco & du Mont-Caſſin eſtant ſi prés de Rome, il eſt incroyable que ſaint Gregoire ait eſté ſi long-temps ſans en avoir ouy parler, quoy que la renommée de ſaint Benoiſt & de la vie monaſtique y fut ſi grande, que les principaux Senateurs luy donnerent leurs enfans pour en faire des fondateurs de la Religion, comme ſaint Maur & ſaint Placide. Auſſi Leon d'Oſtie & les autres que vous citez, ne diſent pas que les Religieux du Mont-Caſſin firent connoiſtre à ſaint Gregoire la Regle de ſaint Benoiſt aprés le pillage du Mont Caſſin; mais il dit qu'entre les choſes qu'ils ſauverent & apporterent à Rome, furent la Regle écrite de la propre main de ſaint Benoiſt, & les meſures du pain & du vin dont il ſe ſervoit pour les Religieux, qui eſtoient comme des Reliques de ce Saint.

DISSERT. DE GREG. MAG.

Il paroiſt auſſi par la Lettre de Bernard Abbé de Fonde à Simplicius troiſiéme ſucceſſeur de ſaint Benoiſt, qui a eſté trouvée dans la Bibliotheque du Mont-Caſſin, que la Regle de ſaint Benoiſt fut receue de tous les monaſteres d'Italie auſſi-toſt qu'elle parut; & qu'ainſi avant que ſaint Gregoire fut Religieux, tous les monaſteres d'Italie eſtant Benedictins, il faut qu'il ait pris l'habit & veſcu ſous la Regle de ſaint Benoiſt, puiſque tous les Religieux & Abbez d'Italie eſtoient diſciples de ce Saint, & gardoient la Regle. La meſme choſe arriva en France, où auſſi-toſt que ſaint Maur eût porté cette Regle, elle ſe répandit dans preſque tous les monaſteres, comme les Auteurs anciens le témoignent. Car l'excellence & la perfection de cette Regle, a eſté cauſe que tous les Religieux qui craignoient Dieu l'ont receuë avec joye, & ont fait gloire de s'y ſoûmettre: comme auſſi Dieu l'a comblée de benedictions en luy donnant la vertu de produire une infinité de diſciples.

Je ne penſe pas, Monſieur, qu'il ſoit beſoin de vous en dire davantage ſur ce ſujet, pour vous expliquer mon ſentiment. Je m'aſſeure que vous le recevrez en bonne part, & que ſi vous ne pouvez pas vous y rendre, vous reconnoiſtrez pour le moins que je vous le propoſe ſans paſſion & ſans intereſt, n'en ayant point d'autre que celuy de la verité. Je la cherche uniquement en toutes choſes, non ſeulement dans les dogmes, mais dans les moindres matieres, & dans toutes les rencontres de la vie, ne croyant pas qu'à moins de cela, on la puiſſe aimer comme il faut, ny meriter de la trouver jamais: & comme j'ayme de tout mon cœur la verité, je fuis tant que je peux la nouveauté, qui me ſemble auſſi peu digne d'un homme de bien, que d'un homme Docte, & auſſi contraire à la pieté qu'à la ſcience. Ce qui fait que je ſuis toûjours pour l'antiquité, ne m'en ſeparant jamais, ſi je ne vois les opinions anciennes convaincuës par des autoritez ou des raiſons evidentes. Je n'ay apperceu rien de tel dans ce que Baronius a avancé le premier contre la tradition ancienne & continuelle, qui fait ſaint Gregoire Religieux de ſaint Benoiſt: c'eſt pourquoy je n'ay pas cru devoir m'arreſter à ſon témoignage, ſçachant qu'il eſt ſujet à de ſemblables mecontes, & voyant que la verité combat auſſi evidemment ſa penſée, qu'elle la devroit établir pour la rendre recevable contre toute l'antiquité. Vous voyez, Monſieur, la maniere dont je vous parle, ſans avoir le bien de vous connoiſtre, croyant que vous aimez la ſincerité & la franchiſe, qui eſt inſeparable de ceux qui aiment la verité; & qu'ainſi vous la favoriſerez, & n'en ferez aucun uſage qui la puiſſe rendre odieuſe à ceux qui ne l'aiment pas. Cela m'obligera de me loüer de vous, & de me tenir preſt à vous ſervir dans toutes les rencontres où je ſeray capable de le faire.

APPENDIX ALTERA
TOMI PRIMI ANNALIUM BENEDICTINORUM,
Varia monumenta & diplomata complectens.

I.

PAULI DIACONI ET MONACHI CASINENSIS
Homilia de ſancto Patre Benedicto.

Ad Præfat. num. 26.

QUIA Venerabilis Beda preſbyter ultimam homiliarum ſuarum, hoc eſt quinquageſimam, de vita & actibus cujuſdam Benedicti incluſi ſui monaſterii pęne totam contexuit, quæ utique minime ad legendum noſtris congruere videbatur officiis: ego Paulus diaconus, extremus beati Benedicti ſervulus, ne numerus ipſe quinquagenarius harum homiliarum eſſet diminutus, hanc quinquageſimam homiliam ad Dei gloriam & ſanctiſſimi noſtri Patris Benedicti laudem, gratia ſuperna ſuffragante, compoſui.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam. In illo tempore; dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Nemo accendit lucernam & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Et reliqua. Homilia Pauli diaconi & philoſophi de eadem lectione.

HIs S. Evangelii verbis, quemadmodum audiſtis, fratres cariſſimi, paulo ſuperius de Judæis non credentibus Dominus præmiſit dicens: *Generatio hæc, generatio nequam eſt, ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, &c. Et poſt multa.*

Quis potius, fratres cariſſimi, poſt ſanctos Apoſtolos, quam hic beatiſſimus Pater noſter Salis valet nomine appellari? qui ab urbe ſegregatus Romulea, tamquam ab inſtabilibus amariſque pelagi fluctibus, dum intra ſpecus ſui ſe ſe ambitum tenuit, quidquid vel modicum ex mundanæ mobilitatis liquore habere poterat, in ſalis ſoliditatem rationemque mutavit, verique Solis radiis per caritatem fervoris torrefactus ad juſtitiæ candorem pervenit. Qui non ſolum tunc corporali præſentia multorum piis verbis vel actibus vitam condivit, ſed uſque ad præſentem diem præſens ſpiritu, non tantum noſtrum collegium, ſed PER TOTUM MAXIME OCCIDENTEM ſuos ſequaces erudit. Qui per ſalubrem, rationiſque plenam ſanctæ inſtitutionis ſuæ regulam, vitam carnalium, diſſolutionis labe tabidam, reſtringendo revocat ad ſalutem: cujus diſtrictionis cenſura, etſi ut ſalis ſpecies, plagis videatur crudeſcentibus auſtera, certum tamen eſt quod tolerata patientius cæleſtem conferat medicinam. Unde, fratres cariſſimi, ſi quando forte acrius a prælato nobis patre, ſeu ab his, qui ab eo nobis præponuntur, regulariter caſtigamur; tanto hanc humilius illatam perpetuæ ſalutis medelam nos ſuſcipere convenit, quanto ſine dubio nobis credenda eſt gehennæ ſupplicia mitigare. Quis magis, ut dicere cœperamus, quam hic index artioris viæ, ut lucis jubar mundo reſplenduit? qui vitæ meritis & miraculorum multiplicitate non ſolum tunc emicuit, ſed & hactenu circumquaque excreſcendo, clareſcit. Teſtatur hoc quod loquitur recens illud miraculum, quod ante hoc fere decennium geſtum, multiſque veſtrum eſt cognitum, mutum ſcilicet ante ejus hoc corpus ſacratiſſimum fuiſſe * locutum; mox ut Benedicti opem totis votis expetiit, linguæ conſecutus eſt officium; & qui nullum ex die ortus ſui verbum edere poterat, quod eſt admirandum vehementius, non ſolum loquelam propriam, hoc eſt barbaram, cœpit effari, ſed ſimul etiam & latinam. Plura ſunt & relatu digna, quæ per eum quotidie Chriſtus efficit, quæ propria, Deo præſule, ſerie veſtræ pandenda ſunt caritati. Quis igitur, ut cœpta proſequar, ſimpliciore quam iſto oculo, id eſt puriore cordis intentione, vitam tranſegit? qui cuncta ſemper peritura deſpiciens, mentem in cæleſtibus ſolidavit; quique ideo ad id quod voluit mox exauditus eſt, quia ſimplicitate mentis Deo complacens, duplicitatis a ſua intentione fugam excluſit. *Et poſt nonnulla.* Cujus, inquam, corpus, quod opera ſignificare diximus, magis quam iſtius, lucidum exſiſtere potuit, qui tam multis per vitæ excellentiam lumen exhibuit;? aut quem potius quam hunc

* *id eſt, coram. v. lib. 14. n. 29.*

ſplendor propriæ actionis ut lucerna fulgoris illuminavit, qui innumeris exterius ad cælum ſæptus lampadibus, potiora utique de Creatoris viſione interius percepturus aſcendit ? Quæ lucerna clarior hoc præceptore ſurrexit, quæ ſuper candelabrum altioris vitæ poſita, TOTAS OCCIDUI PROVINCIAS radiavit ? quæ fortaſſe ſi intra ſpeluncæ ſuæ ſeſe, ut cœperat, anguſtias occuluiſſet, videretur utique quaſi ſub modio, hoc eſt cenſuræ propriæ menſura, retenta, aut paucis, aut nullis fulgoris rutili crines adſpergeret. Sed, adſpirante Deo, ſupra candelabrum regiminis poſita, cunctis luſtrari volentibus præclarum lumen exhibuit, ut hodieque per omnes pæne Chriſtianis cultibus deditas regiones, auditis tantorum miraculorum prodigiis, cognito tantæ lumine ſanctitatis, univerſorum ad quos hæc pervenire valent, fidelium in divinis laudibus ora reſultent. Ut enim pauca de multis loquar, quis non miretur audiens pandentem in propatulo abdita, prædicentem futura; parere juſſibus latices, prodire de rupibus fontes, perdere toties elementa naturam, præbere volucres obſequelam, terram ſuſceptum cadaver evomere,... cunctis terribile eſt, pavidare; morbos imperiis cedere, mortem jus dominii perdere, ſecretum cordis patefieri, clauſtris retentis corporeis quo velit ſpiritu properare ? Poſtremo quis non ſtupeat totum ab uno homine mundum conſpici, in terris poſitum cæli cives adſpicere, carne adhuc revinctum animarum merita contemplari ? Hæc & his multa ſimilia quis aure percipiens non in Dei Patris continuo laudes erumpat, qui talia ſuis ſervis confert, & ſuper hæc omnia regnum ſine termino largitur in cælis ? Sed unde Pater hic eximius patrare iſta promeruit, ut ad inſtar ſanctorum apoſtolorum tot admirante mundo miraculis coruſcaret, niſi quia eorumdem apoſtolorum vitam tenuit, & cæleſtis inſtituta Præceptoris aure pectoris ſervaturus accepit ? Non illum carnis illecebra, non mundi gaudia male ſuadentia, non hoſtis aſtuta conſilia valuerunt in aliquo flectere anhelantem ad præmia ſempiterna. Proinde, fratres cariſſimi, nos qui e diverſis mundi partibus ad ejus properavimus magiſterium, diſcamus ſpernere quod ſprevit, diſcamus diligere quod dilexit: &, ſi ſequi eum poſt ad gloriam cupimus, modo ipſius veſtigia imitando ſequamur: ne, ſi nunc ab ejus rectitudinis forma deflectimus, ab illius poſtmodum coacti conſortio dirimamur. Certe ſi quem noſtrum de hoc etiam conventu aliquis violentus ad carcerem traheret, magna re vera illum qui hoc pateretur confuſio, ingens ſimul mæſtitia coartaret. Quid putamus, cariſſimi, ibi tunc eſſe confuſionis, quid terroris & anguſtiæ, ſi contingat (quod Deus avertat) aliquem noſtrum ab illo ſplendidiſſimo ſancti hujus Patris noſtri & præcedentium fratrum choro in perpetuum ſeparari, & infinitis inſuper tormentis immergi ? Circumſpiciamus quapropter, dilectiſſimi, undique vitam noſtram; excludamus a nobis cunctas ſordes omnemque malitiam; ſimus mites, continentes & humiles; ſectemur ea quæ pacis ſunt & caritatis; teneamus hujus Patris noſtri præcepta; ſequamur veſtigia, ut cum eo pariter gaudia conſequamur æterna, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Deo Patre vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſæculorum. Amen.

ADNOTATIO.

Hanc homiliam, vel potius homiliæ fragmentum eruimus e veteri codice Caſinenſi, eamque hoc loco proferre viſum eſt, ad probandum id, quod in Præfatione ad hunc tomum diximus de propagatione Regulæ Benedictinæ ante ſeculum octavum per totum maxime Occidentem. *quod jam ſuo tempore factum in hac homilia teſtatur Paulus Vuarnefridi, diaconus ac monachus Caſinenſis, qui ſub finem illius ſeculi ſcribebat. Obſervatu dignum eſt miraculum in hac homilia relatum de loquendi facultate cuidam muto conceſſa, quod per ſanctum Benedictum* ante decennium *Caſini patratum fuiſſe dicit. Alia ſuo tempore, id eſt ſeculo inſequenti, ibidem facta verſibus ſuis celebravit ſanctus Bertharius Caſinenſis abbas & martyr. Ex hac porro homilia diſcimus, Venerabilem Bedam quinquaginta homilias in feſta & dominicas per annum compoſuiſſe, eaſque in eccleſiaſticis officiis Caſini jam tunc lectas fuiſſe, quarum quinquageſima erat ea, quam de geſtis beati Benedicti, cognomento Biſcopi, monaſterii ſui conditoris & abbatis ſcripſerat: quæ quia Caſinenſibus officiis minime congruebat, aliam ejus loco de ſancto patre noſtro Benedicto Paulus diaconus compoſuit, in ejus feſto recitandam. Ex his intelligimus, prædictas Bedæ homilias aliter apud Caſinates tum diſpoſitas fuiſſe, quam in duobus veterrimis codicibus, bibliotheca olim Thuanea, nunc Colbertina, in quibus quadraginta-novem tantum homiliæ habentur, nec ea, quæ de Benedicto Biſcopo eſt, ultimum occupat locum, ſed intermedium, ut in Bedæ elogio, a nobis in Actis ſanctorum noſtrorum edito, videre licet.*

II.

Obſervationes de genere S. Benedicti. *Ad lib. 1. n. 4.*

1. *Mirum eſt quam parum ſollicili fuerint majores quondam noſtri, ſive de tranſmittendo ad poſteros, ſive de inquirendo, nedum de jactando genere beatiſſimi patris noſtri Benedicti. immo non mirum, quippe qui ejus virtutem ac ſanctitatem quibuſvis bonorum ſecularium titulis præſtantiorem eſſe, & merito quidem, exiſtimabant. Qui primus de ſancto Patre ſcripſit Marcus poeta ejus diſcipulus, neque ſtirpem ejus, aut parentum nomina expreſſit. Gregorius Magnus ſat habuit dicere, eum* liberiori genere *in provincia Nurſiæ ortum fuiſſe. Idem ſilentium tenuit Paulus Vuarnefridi, diaconus ac monachus Caſinenſis ſeculo octavo, in hiſtoria Langobardorum, ubi laudes ſanctiſſimi Patris noſtri verſibus celebravit. Seculo nono Bertharius Caſinenſis abbas & martyr in carmine de eodem, id tantum prædicat, quod* Nurſiæ claros habuit pa-

rentes. *Ceteris fere omnibus parcior fuit in Chronico Caſinenſi Leo Marſicanus, ad quem maxime pertinebat ſancti Benedicti proſapiam poſteris commendare: qui tamen ne verbum quidem de ea habet. Et hæc quidem Caſinatium noſtrorum religioſa hactenus modeſtia fuit.*

2. *Inter exteros Florus diaconus Lugdunenſis, qui principatu Ludovici Pii floruit, ab Angelo de Nuce laudatus, commemorans depoſitionem ſancti Benedicti, quem Gregorius Magnus* liberiori genere *ortum dixerat, id de* nobiliori genere *interpretatur ad* XII. *kal. Aprilis in hæc verba:* Tranſitus ſancti Benedicti abbatis, qui, ſicut Gregorius papa dicit, nobiliori genere ex provincia Nurſiæ ortus, &c. *Primus e noſtratibus Gallis ſuperiorum auctorum modum ſupergreſſus eſt Adrevaldus, Floriacenſis ſæculo nono monachus, in libro de miraculis ipſius ſancti Benedicti, qui quantæ, inquit,* dignitatis parentibus progenitus fuerit, teſtantur ruinæ palatii eorum, cum ædicula prope mœnia Nurſiæ urbis ſita. Tantæ quippe magnitudinis perplexi operis ex fundamentis conjicitur, ut quælibet palatia potentiſſimorum ſuperaverit regum, nec modicis queat reparari impenſis. *Hæc Adrevaldus.*

3. *Ad ſancti Benedicti parentes quod attinet, nullus eorum nomina indicaſſe invenitur ante Petrum diaconum ac monachum Caſinenſem, qui procedente ſæculo duodecimo ſcribebat. Is in libro de viris illuſtribus monaſterii ſui, capite 1. Benedictum provincia Nurſia oriundum dicit* ex patre Eupropio nomine, matre Abundantia, avo Juſtiniano, nutrice Cyrilla. *Hæc forte ex monaſterii ſui monumentis ac traditione acceptum reſcierat. Poſt eum neminem invenio, qui hac de re egerit ante Trithemium, apud quem ſancti Benedicti* pater Probus (*in quibuſdam editis* Providus) Juſtiniani imperatoris nepos, comes Nurſenſis; mater vero Abundantia dicta, marchioniſſa Monteferratenſis *fuiſſe dicitur. Id ex quadam Ordinis noſtri traditione tunc vulgata haud dubie acceperat Trithemius, non ex Petri diaconi libello, quem minime viderat, ut intelligitur ex ejus præfatione ad librum de viris illuſtribus noſtri Ordinis, in qua dicit ſe nihil hoc de argumento reperire potuiſſe, quamvis non mediocriter huc diligentiam attuliſſet. Non immoror expendendis prædictis Comitis & Marchioniſſæ titulis, quorum alter ævo ſancti Benedicti titulus officii ſeu honoris erat, non hereditarii dominii ſeu beneficii feudalis: alter tunc prorſus inauditus erat, nec niſi poſt longa tempora invectus.*

4. *Poſt Trithemium, quidam auctores e noſtris ſanctum patrem Benedictum ex Anicia gente perilluſtri prognatum dixere: ſed quis primus id ſcripſerit, non ita exploratum. Angelus a Nuce ejus opinionis originem & progreſſum tribuit Vuioni, Yepeſio, Bubeo, aliiſque, quibus eam aſſerendam relinquit. His accenſendi ſunt Simon Milletus e noſtris, e Germanis Johannes Seifridus Vvratiſlavienſis, Zvvethalenſis olim in Auſtria abbas, cujus* eruditiſſimum de genealogia Habſburgo-Auſtriaca opus, quod ARBOR ANICIANA *inſcribitur, laudat Lambecius in tomo ſecundo* [a] *Bibliothecæ Vindobonenſis: ubi auctor ille multos ex hac familia Aniciana martyrii laurea & confeſſionis gloria illuſtres prodiiſſe dicit:* Inter quos, *inquit*, veluti quoddam majus ſidus, eminet divus pater noſter Benedictus, qui ſpectatiſſimo vitæ ſuæ exemplo, temperatiſſimaque morum diſciplina innumerabiles hominum mentes, a curis rerum labentium evocatas, ad cæleſtes & numquam interituras divitias, & delicias contemplandas & conſectandas, convertit. *Hanc genealogiam Benedictus* [b] *Haeftenus, vir religione & eruditione inſignis, ex Vvione commemorare mavult, quam adſtruere, ratus id non ita in promtu eſſe: cum non adſint veterum idonea teſtimonia, quibus genealogia hæc adſtruatur.*

[a] Lambec. tom. 2. p. 478. & ſeqq.

[b] Haeften proleg. 14 in vitam S. Ben.

5. *Ejus fundamentum præcipue niti videtur auctoritate Petri diaconi, monachi ſacri cœnobii Caſinenſis, ubi verſabatur Arnoldus Vvion Belga, cum Martyrologium ſuum conderet. Hic lecto forte Petri diaconi libro, in quo Petrus ſancti Benedicti patrem Eupropium, avum Juſtinianum notaverat, inde ſancti Patris genealogiæ contexendæ materiam ſumſiſſe videtur. Hinc Probæ Falconiæ ex Sexto Anicio Petronio Probo Probum filium tribuit, patremque dicit Juſtiniani, quem Petrus diaconus ſancti Benedicti avum vocat, Eupropii ejuſdem parentis genitorem. Idem Vvion Trithemium, qui Abundantiam ſancti Benedicti genitricem Montisferrati marchioniſſam vocat, merito refellit, putatque eam fuiſſe Nurſiæ dominam ex Reguardatorum familia, quæ hodie quoque in illa urbe e ſancti Benedicti familiâ eſſe cenſetur. Tota itaque hæc ſancti patris genealogia duobus iſtis fundamentis nititur, ſcilicet quod ejus avus dictus ſit Juſtinianus Eupropii parens, ut Petrus diaconus tradit: & quod Juſtinianus iſte Patrem habuerit Probum, Probæ Falconiæ filium, quod Vvion de ſuo videtur addidiſſe. Primum illud, ſcilicet quod Juſtinianus ſancti Benedicti avus fuerit, Eupropii vero parens; Petrus ex domeſtica, ut veri ſimile eſt, traditione accepit: at ſecundum, nempe Juſtiniani illius patrem fuiſſe Probum, Probæ Falconiæ filium, idoneis probari poſſe argumentis optaremus. Sane Probæ filium fuiſſe Anicium Probum, conſtat ex vetuſtis monumentis & inſcriptionibus a Baronio* [c] *relatis: an vero Probus iſte Juſtinianum filium habuerit, qui cardo rei noſtræ eſt, necdum mihi plane compertum.*

[c] Baron. an. 395.

6. *Interim, dum his major affulgeat lux, ſaltem ex ipſis Gregorii Magni verbis conficitur, ſanctum Benedictum* liberiori genere *ortum eſſe, id eſt* nobiliori, *uti Florus recte interpretatus eſt. Quocirca obſervandum, apud priſcos illos Romanos duplicis tantum fuiſſe ordinis homines, ſcilicet liberos, atque ſervos. Ex illis vero alii erant origine liberi, alii nati ex libertis jam dudum in libertatem aſſertis. Prioris generis liberi nobiles erant, in varios diſtincti gradus, Equites videlicet, Senatores & Patricios, qui nobiliores cenſebantur. Certe apud Germanos hodie quoque nobiliores homines* liberi *dicuntur. Porro nobilis titulus olim ita illuſtris cenſebatur, ut non alio titulo etiam reges inſignirentur, ipſique Cæſares & imperatores, eorumque liberi maximo honori ducerent, ſi* nobiliſſimi *appellarentur. Unde in Litaniis* [d] *noſtris Carolinis:* Pippino & Carolo nobiliſſimis filiis ejus vita. *Ejus rei exempla paſſim occurrunt apud veteres Romanos. Si ergo apud illos perinde eſſet dici liberos ac nobiles; cum ſanctus*

[d] Analect. to. 2. p. 687.

Benedictus liberiori genere *ortus dicitur, tantumdem eſt ac ſi dicatur*, nobiliori. *quo titulo Gregorius ipſe afficit duas illas ſanctimoniales, quas ſanctus Benedictus ob nimiam linguæ licentiam excommunicavit. Certe ſi quid ambigui eſſet in titulo* liberi, *nulla reſtat æquivocatio in voce* liberiori: *ubi comparativum pro ſuperlativo, ut non raro fit, ſumi poteſt. Maneat itaque & pro certo habeatur, ſanctum Benedictum Nurſiæ ortum fuiſſe* liberiori genere, *id eſt nobiliori, ut Florus pro more veterum Romanorum recte interpretatus eſt, ſive hic comparativum abſolute, ſive ſuperlative ſumatur; ſive id de Ancio, ſive de quovis alio genere intelligatur. Certe Adrevaldi monachi tempore, id eſt ſæculo nono, paternarum ejus ædium veſtigia ſupereſſe dicebantur, quæ quorumvis palatiorum magnificentiam ſuperabant. Hæc dixerim, tum ut quorumdam commentis occurram, qui S. Benedicti genus deprimere conantur: tum ut ne officio defuiſſe videar: cum alias certus ſim*, faſtigium [a] *eſſe* nobilitatis inter filios Dei computari, nec addere nobis quidquam ad dignitatem terrenæ originis decus, niſi contemtu ſuo poſſe: *denique ſanctum Benedictum plus honoris generi ſuo attuliſſe, quam ipſe ab illo acceperit.*

[a] *Hilar. de S. Honorato.*

III.

LIBELLUS METRICUS

De fundatione & primis abbatibus monaſterii Condateſcenſis ſeu S. Eugendi.

Ad lib. 1 num. 66. &c.

GAude ſilva montuoſa, ab antiquis Jura dicta,
Abietibus ſtipata, acceſſibus pæne invia,
Fluminibus irrigata, atque fontibus ditata,
Satis pluribus referta, ſatis longa atque lata, &c.
Itaque ſanctus Romanus, vir ubique venerandus,
Cum volveret ter-centenus * annus atque octogenus,
Te intravit, præmunitus ſanctis libris & ......
Leguminum ſeminibus, ruriſque utenſilibus.
Primæ pro tunc juventutis ſanctus ætate vigebat,
Monaſticis inſtitutis & virtutibus florebat ....
Juræ cœpit exercere actus vitæ monaſticæ,
Lectioni operam dare, contemplari aſſidue, &c.
Cum ſanctus ita floreret, ſicut ſupra tetigimus,
Et a cunctis liber eſſet hujus mundi tumultibus,
Factum eſt ut adventaret ſuus carne germanus
Lupicinus, ut peteret recipi magnis precibus.
Pro tunc erat in Gebenis imperator Gratianus,
Ætate quidem juvenis, voto tamen Chriſtianus,
Eccleſiis liberalis & erga ipſas devotus,
Prælatis favorabilis, & cunctis pæne benignus.
Proceres tunc attendentes dictam ſilvam ſitam fore
In monte videlicet communiter dicto Juræ,
Inter fluvios fluentes Rhodanum & Ennam bene,
Ipſam inſtructi ſcientes imperio ſubjacere,
Et extra cunctos limites cujuſcumque regni eſſe.
Nam aqua Ennæ terminat a parte Orientali
Regnum quoque Burgundiæ a regno Arelatenſi.
Sunt in fine Tabenarum duo lapides erecti,
Quibus dicti principatus olim fuerunt diviſi.
Hanc ab imperatore ſilvam petiere,
Princeps vero hoc audito prædictam ſilvam obtulit,
Primus hic Altiſſimo atque ipſam terminavit:
Ab Orientali termino Seronam huic annotavit,
Ac terminos pro termino ab Occidente ſubjunxit.
Aquam pro primo termino Bracioli nominavit,
Lacu de Orbe pro ſecundo cum egreſſu nuncupavit.

. . . .

De fundatione S. Romani de Rupe.

Devotione florente puellæ motæ fuerunt,
Ad monaſticum fervide ſe admitti petierunt:
Quas pater ſanctus benigne, poſtquam inſtructæ fuerunt,
Dignatus eſt recipere, ſicuti requiſierunt.
Eſt infra patrimonium prælibati cœnobii
Rupis deſuper fluvium ſita ſilva naturali.
Ibi fecit cœnobium decentiſſime conſtrui,
In quo virginum conventum debite fecit includi,
Virginum converſatio beatum traxit Romanum,
Ut fine curſus peracto, ordinaret corpus ſuum
Deponi in cœnobio ſæpe dictarum virginum,
Quod a beato Romano dicitur ſanctum Romanum.

S. Lupicinus Lauconni fundat cœnobium.

Eſt locus.. &c.. duabus leucis diſtans a cœnobio Jurenſi.
Hic ſanctus cellam conſtruxit, fundavit oratorium;
Fratres ibidem habuit, numero viginti centum,
Quos docuit & inſtruxit plene ritum monaſticum,
Rexit atque enutrivit bonus paſtor ovium.
Quartum quoque cœnobium ſancti leguntur fundaſſe
Romanum monaſterium infra pagum Lauſanenſe,
Et monachos in numero magno ibi ordinaſſe,
Magnumque patrimonium illis ibi adquiſiſſe.
Principali cœnobio fundator abbas Romanus,
Quo quidem ſancto defuncto ſucceſſit tum Lupicinus.
Deinde iſto defuncto tertius fuit Minauſius,
Quo ſancto quidem ſublato, quartus fuit Eugendus.
Iſte fuit glorioſus ſignorum patratione,
Fuitque valde famoſus pollens utroque ſermone,
Fuit & propheta verus, ab ipſiuſque nomine
Locus eſt denominatus, ut videmus notorie.
Sub iſtis quatuor ſanctis dicti loci abbatibus
Floruerunt miraculis, ſcientia, virtutibus
Palladius tunc juvenis, ac ſanctus Sabiniaous,
Valentinus in levitis, & ſanctus Anthidiolus.
Poſt beatum Eugendum beatus Anthidiolus
Dictum rexit cœnobium, qui eccleſiam patribus
Super ſanctum Eugendum fecit conſtrui devotus,
Et divinum officium in ipſa deprompſit primus.
Sanctus Olympius ſucceſſit beato Anthidiolo,
Hic admiſit ſæculares in Condatiſcenſi loco,
Ipſiſque loca conceſſit ſub annuali tributo,
Ut conſtruerent hic domos reſervato dominio.

Sapientius beatus in regimine ſucceſſit:
Protomartyri devotus oratorium conſtruxit,
In quo vir devotiſſimus ſacramenta ordinavir
Miniſtratihominibus, quos dictus ſanctus admiſit.
Poſt ſanctum Sapientium beatus vir Thalaſius
Dictum rexit cœnobium; inde ſanctus Dagamundus.
Poſt cujus ſancti tranſitum ſanctus rexit Andericus,
Qui humilis ſupra mndum fertur fuiſſe & ſanctus.
Beatus Injurioſus undecimus abbas fuit.
Hic corpora vir conſultus ſanctorum patrum extraxit
De ſuis prioratibus, atque ea depoſuit
In cœnobio devotus juxta aram, quam erexit.
Sub illo ſancto abbare beatiſſimus Claudius
Relicta penitus urbe, velut alter Abaredus,
Cupiens mundum ſugere & delicias funditus,
Convolavir celerrime ad cœnobium fervidus.
Beatiſſimus Claudius poſt ſanctum Injurioſum
Suſcepit quidem invitus ſæpedictum cœnobium:
Sed gubernavit vir ſanctus juxta ſuæ faſtigium
Sanctitatis, & potius * locum decoravir totum. * al. protious.
Ac poſt beatum Claudium ſenior ſanctus Ruſticus
Dictum rexit cœnobium; poſt quem ſanctus Anfredus.
Poſt cujus ſancti deceſſum ſanctus rexit Hippolytus,
Exercens epiſcopatum cum cœnobio invitus.
Sub iſto ſancto abbate Bellicenſi epiſcopo,
Pipinus rex devote iſti dedir cœnobio
Caſſonam cum facultate fabricandi perpetuo
Monetam, atque libere plura dedir ipſe ultro.
Poſt hunc regem rex Carolus ſub iſto ſancto præſule
Quintiniacum devotus cœnobio dedit pure;
Privilegia penitus huic renovavit libere
Cudendi monetam prius conceſſit cum pleno jure.
Poſt beatum Hippolytum fuir beatus Wlferdus;
Poſt quem beatum Wlferdum venerabilis Bertrandus.
Sub iſtis floruit multum ſanctus comes & monachus
Campaniæ, ſanctus Simon mundum contemnens penitus.
Iſte fugiens honores, de Bertrandi licentia,
Pertranſiit loci montes in hac ipſa Juræ ſilva,
Fundare per artifices atque conſtrui mœnia
Fecit, atque poni fratres, ſimul hic fuit cœnobita.
Poſt hæc a Papa vocatus Romam devotus abiit,
Pacem in reges devotus tractavir atque firmavit.
Poſt hanc rediit infirmus, & dies ſuos finivit,
Atque in Urbe ſepultus ante ſacram Petri fuit.

IV.

Notitia de agris, qui ſunt in pago Lugdunenſi.

Ad lib. 1. num. 73.

1. AGer Cogniacenſis, in quo ſunt plures manſi.
2. Ager Floriacenſis, in quo eſt Madis-villa & plures manſi.
3. Ager Forenſis, in quo ſunt plures villæ, & manſi.
4. Ager Neriacenſis, in quo eſt villa Excoliacus, & aliæ multæ, & manſi.
5. Ager Broliacenſis, in quo ſunt villæ de *Biſbech*, de Caſtanias, & aliæ multæ, & manſi.
6. Ager Montis Aureacenſis, in quo ſunt villæ Leſcherias, & villa ſancti Baudelii, &c.
7. Ager Veſiacenſis, in quo eſt villa ſancti Baudelii, &c.
8. Ager Tarnatenſis, in quo ſunt villæ Caſſiacus, Mons Eſclareias, Cliviacus, Caſſellæ, Magniacum, Sarzaium, &c.
9. Ager Rodonenſis, in quo ſunt villæ Noviantus, Nuliacus, &c.
10. Ager Beſſevacenſis, in quo ſunt villæ Cliniacus, Criſciliacus, Alta-villa, &c.
11. Ager Goſiacenſis, eſt in eo villa Mornantus, villa Lodiſcus, & aliæ multæ.
12. Ager Solobrenſis, eſt in eo villa Prati-longi, villa de *Lanvech*, & aliæ multæ.
13. Ager Valanſenſis, in quo ſunt villæ de *Limaus* *, de Arnaco, & aliæ, ac manſi. * al. *Simaus.*
14. Ager Nirniacenſis, in quo ſunt villæ Nirniaci, Pontis-villæ, & aliæ, ac manſi.
15. Ager Saviniacenſis, in quo eſt Saviniacus, Sanebellus, & aliæ multæ, ac manſi.
16. Ager Jarenſis, in quo ſunt villæ Eſcalati, Celſiniaci, ac aliæ, & manſi.
17. Ager Juriacenſis, in quo eſt Savoniaci-villa, & aliæ, ac manſi.
18. Ager Marciniacenſis, in quo ſunt villæ Villaris, & aliæ.
19. Ager Buſciacenſis, in quo ſunt villæ Draciaci, & aliæ.
20. Ager Mornatenſis, in quo ſunt villæ Colouraci, Juſſiaci, & aliæ multæ, ac manſi.
21. Ager Bebronnenſis, in quo ſunt villæ de Luanis, de Avelga, de Toriniaco, cum multis manſis.
22. Ager Adulmacenſis, in quo ſunt Villanova, & aliæ, & manſi.
23. Ager Exartipetriacenſis, in quo ſunt villæ de *Chamboſt*, & aliæ, cum manſis.
24. Ager Vendonenſis, in quo ſunt villæ Jujunellis cum aliis, & manſis.
25. Ager Vallis Colnenſis, in quo ſunt villæ de Theria, & aliæ, cum manſis.
26. Ager Warennenſis, in quo ſunt villæ de *Montelg*, & aliæ, cum manſis.
27. Ager Argenterius, in quo ſunt villæ Trunci, Montis-Aculſi, & aliæ, cum manſis.
28. Ager Anſenſis, in quo ſunt villæ de Marciaco, & aliæ, cum manſis.
29. Ager Diniacenſis, in quo ſunt villæ Montis-Melardi, & aliæ, cum manſis.

V.

DISQUISITIO

De Regula & monaſterio Tarnatenſi.

Ad lib. 1. num. 73.

1. *EXſtat in Codice Regularum inter alias Regula Tarnatenſis, cujus pars poſterior fere ex Regula ſancti Auguſtini, id eſt ex epiſtola olim centeſima*

nona, conſtata eſt. Ex hac regula celebre fuiſſe Tarnatenſe monaſterium intelligimus: ſed quo in loco poſitum fuerit, quoddam opera pretium fuerit inveſtigare.

2. *Omnes cum Agauno idem eſſe opinantur, quos inter Joſephus Simlerus in libro* I. *de Valleſia deſcriptione ſub Octoduro ad ſiniſtram Rhodani* Tarnadas opidum *locat.* Tarnadæ, *inquit*, Antoninum ſecuti, opidum hoc nominamus: veterum plerique Agaunum nominarunt. Exſtant hoc loco vetuſtiſſimæ inſcriptiones, quæ antiquitati teſtimonium perhibent. Hoc loco a Maximiano Imperatore legio Thebæa, cujus dux erat Mauricius, propter confeſſionem nominis Chriſti cæſa eſt. Ab eorum martyrio annis circiter CCXX. cum locus hic apud Burgundos, qui in his regionibus dominabantur, magnæ venerationi eſſet, Sigiſmundus rex Burgundiorum, Maximi Genevenſis, Theodori Sedunenſis, & aliorum epiſcopotum oratione impulſus, eodem loco in honorem Martyrum monaſterium celebre conſtruxit; opidulum Tarnadæ juxta poſitum, mœnibus ampliatis cœnobio conjunxit. Ab eo tempore Tarnadæ nomen obſolevit, & nunc vulgo ad ſanctum Mauricium nuncupatur. *Simlerum ſecuti ſunt, quotquot de Tarnadis poſt eum ſcripſerunt.*

3. *Ego vero facile conceſſerim, Tarnadas apud Antoninum, Agauno vicinum fuiſſe. nam ſicut ex Antonini itinrario Octodurum a Tarnadis paſſuum millibus duodecim, ita Agaunum ab Octoduro totidem diſtabat, ex actis Martyrum Thabeorum. Verum an Agaunenſe monaſterium illud ipſum ſit, cui Regula Tarnatenſis impoſita eſt, non immerito dubitari poteſt. Primum, ab eo tempore, quo Agaunenſe monaſterium eo in loco ſtetit, nuſquam & nunquam Tarnatenſe appellatum eſt. Nulla ejus nominis mentio, neque in actis ſancti Mauricii ejuſque ſociorum, aut Sigiſmundi regis, neque in Chronico Marii Aventicenſis, ubi de monaſterii iſtius conditione agitur; neque apud Gregorium Turonenſem, alioſve ejus temporis ſcriptores, neque in libris de Vita ſancti Eugendi Jurenſis, aut Severini Agaunenſis, ſeu Amaei Habendenſis abbatis, aliiſve: ſed ubique monaſterium* Agaunenſe, *aut* ſancti Mauricii *appellatur. Quod ſi Regula Tarnatenſis in gratiam Agaunenſium monachorum condita fuiſſet, indubie non* Tarnatenſis, *ſed a vulgato monaſterii nomine* Agaunenſis *fuiſſet nuncupata. Verum e contrario Regula* Tarnatenſis *perpetuo vocatur, etiam longe poſt tempora Sigiſmundi regis, nempe a Benedicto Anianenſi abbate in Concordia Regularum, a Smaragdo, Trithemio, aliiſque.*

4. *Deinde ſi qua peculiaris Regula monaſterio Agaunenſi præſcripta eſt, ea fuit ſine dubio, quam monachus Condateſcenſis anonymus ab ſe ſcriptam dicit ſub finem libelli de vita ſancti Augendi ſeu Eugendi abbatis, cum ad Johannem & Armentarium Agaunenſes monachos hæc verba facit.* At ſi animos veſtros, ſpreta dudum philoſophia, ruſticana quoque garrulitas exſatiare nequiverit; inſtituta, quæ de informatione monaſterii veſtri, id eſt Agaunenſis cœnobii, ſancto Marino presbytero inſulæ Lirinenſis abbate compellente, digeſſimus; deſideria veſtra tam pro inſtitutionis inſignibus, quam pro jubentis auctoritate, Chriſto opitulante, luculenter explebunt. *Atqui hæc* inſtituta *diverſa fuiſſe debent a Regula Tarnatenſi: tum quia Regula hæc liberiori & planiori ſtilo ſcripta eſt, quam ut profecta dici poſſit ab illo anonymo, cujus oratio ſaltuoſa & ſalebroſa eſt: tum quia in Regula Tarnatenſi occurrunt nonnulla, quæ anonymus ille improbare videtur, nempe uſus cellularum privatarum, de quibus ita habet in Vita ſancti Augendi.* Iſte etiam, refutato Archimandritarum orientalium *(ſic in codice Foſſatenſi)* inſtari, *aliis* more, utilius omnes univit in medium. Deſtuctis namque manſionum ædiculis, uno cunctos ſecum xenodochio quieſcere fecit: ut, quos causâ unitæ refectionis una claudebat ædicula, diſcretiſque lectulis una ambiret & manſio. *Contra in Regula Tarnatenſi conceduntur cellulæ ſingulares. unde legitur in cap.* 7. Cellulam alterius, præter abbatem & præpoſitum, niſi dato ſigno eſt illicitum introire: quia ipſis tantum conceditur Fratrum ſecreta cognoſcere, &c. *An vero id probaturus, nedum præſcripturus fuiſſet anonymus ille monachus, qui hunc cellularum morem improbat?*

Opponet forſan, aliquis, in Regula Tarnatenſi capite 2. *iiſdem eas prohiberi his verbis:* Nulli liceat ſequeſtratam eligere manſionem. *Sed hæc interpretanda ſunt de manſione ſeparata a communi conclavi, non de peculiaribus ſub eodem tecto cellulis, quæ diſerte in ſuperiori Tarnatenſis Regulæ loco adſtruuntur, rejiciuntur ab anonymo, qui ait Augendum & diſcretas* manſionum ædiculas *deſtruxiſſe,* diſcretiſque *tantum* lectulis, *non cellulis, Fratres omnes continuiſſe. Ea tantum indulgentia in ægrotos uſus eſt Augendus, quibus* ſequeſtratim reficere vel manere *concedebat.*

5. *His addi poteſt, laudem perennem, id eſt jugo pſallendi officium, in cœnobio Agaunenſi jam inde a Sigiſmundi regis tempore viguiſſe: contra in Regula Tarnatenſi inſtitui pſalmodiam diſcretam & interpolatam. Si enim Regula Tarnatenſis Agaunenſi monaſterio ſignanter attributa fuiſſet, & quidem ab anonymo ſcripta poſt monaſterii inſtitutionem; mirum eſſet nullam in ea de peculiari hac obſervantia fieri mentionem. Uno verbo, Regula monaſterii Agaunenſis non alia mihi videtur, quam quæ a triginta epiſcopis, curante Sigiſmundo rege, præſcripta eſt, edita in tomo* IV. *Galliæ Chriſtianæ, in qua laus perennis, obedientia, culparum pœna, veſtium & jejuniorum qualitas breviter explicantur. Hanc, inquam, ejus loci Regulam primigeniam eſſe non dubito, & fortaſſe id ipſum, quod Condateſcenſis monachus anonymus in Vita ſancti Augendi vocat inſtituta monaſterii Agaunenſis, atque a ſe ipſo ſcripta dicit. At ſive hæc, quæ in Gallia Chriſtiana de origine cœnobii exſtant, ab hoc auctore, ſive ab alio ſequiori ſcripta ſint; omnino auctor in ea fuit ſententia, eam ipſam fuiſſe primariam Regulam cœnobii Agaunenſis, non Tarnatenſem, quod ſane poſteri haud ignoraſſent.*

Hæc ſunt quæ mihi dubitandi rationem præbent, an Agaunenſe monaſterium ſit idem cum Tarnatenſi. Si ergo alius uſpiam locus eſt dictus Tarnatenſis; ſi in eo conditum ejus nominis monaſterium,

ſi omnes Regulæ Tarnatenſis circumſtantiæ eidem loco & monaſterio conveniunt: nemini (ut puto) ambiguum eſſe debet, illud ipſum eſſe monaſterium Tarnatenſe, cui Regula, Tarnatenſis dicta, præſcripta eſt. Jam vero in pago Lugdunenſi occurrit ager Tarnatenſis, *cujus mentio eſt in quodam inſtrumento Saviniacenſi hic edito, & in Notitia mox relata de agris pagi Lugdunenſis. Præter ea ager iſte ſic dictus eſt a Tarnato ſeu Ternato, qui locus eſt in conterminio pagi Lugdunenſis & Viennenſis,* Tarnay *ſeu* Ternay *hactenus appellatus. Ad hæc, ibi fuit quondam monaſterium, & hodie quoque ſupereſt cella ſeu Prioratus, Saviniacenſi abbatiæ ſubjectus. Denique locus ſitus eſt ad Rhodanum, interpoſitum inter Tarnatum & Grinniacum pagi Viennenſis, Grinniacenſi monaſterio, in Vita S. Clari abbatis laudato, quondam illuſtre. Hæc loci poſitio ad Rhodanum recte convenit iis, quæ in Regula Tarnatenſis* cap. IV. *leguntur:* Navigium etiam ad ulteriorem ripam ſine imperio Senioris tranſvehere non præſumat. *quod argumento eſt, monaſterium iſtud, cui hæc Regula convenit, ad ripam cujuſdam fluvii fuiſſe collocatum.*

7. *Non ſolum autem in chartario Saviniacenſi, ſed etiam in Cluniacenſi memoratur ager Tarnatenſis. nam anno tertio Ludovici Regis, cognomine Tranſmarini, Odoni abbati datur manſus in villa Madaliaco,* in pago Lugdunenſi, in agro Ternatenſi; *& anno decimo ejuſdem Regis, eidem Odoni conceditur campus cum ſilva* in pago Lugdunenſi, in agro Tarnatenſi. Tadernacum *appellatur locus iſte in diplomate Ludovici Imperatoris, filii Boſonis, quo in diplomate ejus loci fines apprime deſcribuntur. Exſtat diploma iſtud in chartario Cluniacenſi-Colbertino, ex quo hæc referre juvat.*

In unitate venerandæ Trinitatis Ludovicus gratia Dei Imperator auguſtus. Imperii majeſtatis propinquorum ac fidelium ſuorum petitionibus oportuna præbeat beneficia, eorumque, utilitatibus provideat, &c. Proinde omnium fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum, noverit induſtria, quoniam Ingelbertus fidelis noſter noſtram ſuppliciter expetiit excellentiam, ut aliquibus noſtris ei & uxori ejus Noma per præceptum eis concederemus. Sunt vero ipſæ res in comitatu Viennenſe ſeu Lugdunenſe, in villa, quæ nuncupatur Tadernaco. Ab hac vero fines in uno latere fines de Mandradis: in alio latere fines de Perras: tertio latere fines de Morgi: in quarto vero latere Rhodano involvente: in alio vero latere fines de Croptis: in ſexto autem latere fines de *Crapon*. Cujus poſtulationi libentiſſime annuentes, &c. Signum Ludovici piiſſimi Imperatoris Auguſti. HELIAS gratia Dei humilis diaconus ad vicem Altaudi archicancellarii recognovit. Actum Viennæ publice VIII. id. (kal.) Januarii anno XXIII. imperante Ludovico Imperatore Auguſto.

Hæc ſunt quæ de monaſterio Tarnatenſi ſtudioſis proponere viſum fuit, quæ ſi rem intentam non penitus evincant, aliis ſaltem indagandæ veritatis occaſionem aperient.

VI.

*Ex Præfatione *, quæ ad Miſſam antiquitus dicebatur de miraculis ejuſdem beati Remigii.*

Ad lib. 3. n. 18.

* Ita vetuſtiſſimus codex eccleſiæ Remenſis.

HIc eſt ille Remigius, qui prius fuit conſecratus, quam genitus; qui ab ipſis cunabulis normam juſtitiæ tenens, in tuæ majeſtatis tirocinio ſemper exſtitit, & e cælo ſibi infuſionem chriſmatis ſuper ſe venientem adoleſcens aſpexit. Iſte eſt, Domine, cujus lingua pro tui cauſa tacere neſcivit juſtitiam, cum in tua prædicatione nec regum purpuras metuit, nec cunctarum rerum egeſtatem tua verba ſeminando exhorruit. Probat hoc ille ferociſſimus princeps, ab gentilitatis errore detentus, cum ex ejus prædicatione ad divinum cultum converſus, relinquens idola fit chriſtianus perfectus. Paſſerum quoque millia, quotiens voluit, totiens in manu recepit; eiſque viciſſim de menſa reliquias miniſtravit: dum alii diſcedebant ſaturati, alii ad eum venientes, feritate depoſita, ſuper menſam reliquias colligebant. Cæcum quoque dæmoniacum, duplici ærumna conſtrictum, uno ictu eripiens, cum lumen reſtituit oculorum, mox & hominem curavit dæmonioſum. Urbem autem Remicam, pæne ab igne conſumptam, beato in ſigno crucis cum velocitate veniens, per unam expulit portam totum flammatum globum cum igne fugientem. Puellam vero ex Toloſanis a dæmonico ſpiritu purificavit, ipſamque poſtmodum mortuam ſuſcitavit. Dum autem cuidam ægroto baptizando chriſma quæreretur, & nihil inveniretur; ſic ampullas vacuas ſuper altare juſſit mitti, ut ipſe ſe interim in oratione proſterneret. Tunc cæleſti rore chriſmatis benedictione perfunditur. Datur vero ejus oratione poculum cum largitate hauriendum; & regalis familia, & innumera turba populi uberrime ſatiatur; & vas detrimentum non patitur, ſed ejus benedictione mote fontis inundatione repletur. Bis oſtenſum eſt hoc miraculum. Qui principem, in longinquo defunctum itinere, angelo ſibi nuntio, ex revelatione eadem hora defunctum fuiſſe cognovit. Deinde idem vir ſanctus dum ingrederetur concilium, epiſcopus a multitudine fratrum exſpectantium ſuſcipitur ſicut angelus Dei: ſed ſuperbum hæreticum nolentem de ſede ſurgere, & male de Trinitate ſentientem ommutuit beatiſſimi adventus: & cujus aſperitatem prius per vanitatem exhorruit, ante ejus veſtigia veniam petiit pronus, & cervices inflexit. Quem beatiſſimus pænitentem aſpiciens, vel poſtmodum Trinitatem defendentem, ejus corpori ſimul & animæ largitus eſt ſanitatem. Lingua ſolvitur ad ſuum officium, anima liberatur ab inferni perpetuo cruciatu.

INCIPIT.

VII.

Ad lib. 3 num. 21.

INCIPIT VITA SANCTI AC beatiſſimi Teuderici abbatis & confeſſoris diſcipuli almi Remigii, qui requieſcit in monte Or, monaſterio, quod ipſe angelo oſtendente conſtruxit.

Ex codice Remigiano.

1. QUid dulcius, fratres cariſſimi, poterit a chriſtianis audiri, quam quando per ſuorum laudem ſanctorum laus & gloria redditur Creatori? Excitatur enim ad promittentis amorem mens audientium, cum præſentialiter cernitur completio promiſſorum. Veraciſſimus namque eſt qui per pſalmigraphum promiſerat Spiritus: *In memoria æterna erit juſtus.* Cujus etenim umquam mundi ab exordio memoriam juſti delevit oblivio? immo cujus juſti nomen cum laudibus non vivit in ſæculo, quod in divinæ memoriæ ſcriptum eſt indelebili libro? Cujus rei præſens inſtat indicium, beatiſſimi Teuderici memorabile meritum: qui, quantum in ipſo fuit, laudem ab hominibus non quæſivit, mortalis gloriæ tumorem calcavit. Plus ſuæ conſcientiæ quam vulgi opinionibus, & plus Deo quàm ſibi de ſe credidit. Sed humilium exaltator, atque ſe deprimentium erector Deus, ejus laudabilem famam, famoſiſſimam laudem, longe lateque defudit. Ille igitur, qui fortia quæque confundens, infirma mundi elegit, hunc non ex ſuperbo ſanguine generari voluit, qui eum in generatione juſtorum ſublimiter nobilitavit. Quibuſdam quippe nobilitas generis ſæpe gignit ignobilitatem mentis. A parentibus tamen chriſtianis fuit ortus, & cum ingenti ſtudio legitimæ converſationis uſque ad annos pubertatis laudabiliter eſt enutritus.

2. Interea bonæ indolis adoleſcens juveniles annos ingreſſus, juxta amorem humanæ propagationis conſulto parentum perſuaſus, nomine tenus, quaſi non habiturus, ſponſam habere cœpit. Sed ſponſi, ſponſæque cæleſtis eſſe malens amicus, amore inviſibilium latenter inflammatus, moxque de mundo, mundique principe palam triumphaturus, adhuc ſtudebat fieri Dei cultor occultus. Habuit quippe in proximo quo ſanaretur medicum, quo juvaretur patronum, quo doceretur magiſtrum, beatiſſimum Remigium: cujus tunc temporis candidiſſima fama, famoſiſſima claritudo, clariſſima miraculorum coruſcatio, non ſolum vicina quæque loca, verum etiam totius Europæ terminos ad uſque oceani limbos illuſtrabat. Hujus igitur glorioſiſſimi patris exemplis ſanctus Teudericus jugiter irradiatus, ardens deſiderio virtutum, creſcebat in virum perfectum. Omnia quæ videntur vileſcunt, quæ non videntur in deſiderio ſunt. Copulæ nuptialis amor amareſcit, indulceſcit amor caſtitatis. Otia ſolitariæ vitæ placent; carnis negotia diſplicent. Amor amore exſtinguitur; nihil amori Chriſti præfertur. Renuntiatur mundo, fœdus initur cum Deo: bellum indicitur hoſti ſingulari, locus quæritur certamini. Sponſus alloquitur ſponſam; Sponſi cæleſtis hortatur amorem; perpetuam pro virginitate pollicetur coronam. In cælebis vitæ præmium ſequi promittitur Agnum. Sed ſponſa adhuc tabeſcens amore carnali, deridens ſpernit ſui ſalutaria monita ſponſi. Mirabatur enim ſe ſubito repudiari, cum debuit conjunx fieri. Ægre ferens faſtidia pati, antequam poſſet uxor vocari, amaro animo reſpondet cum ſe diſpectam videt. Cum igitur ſanctus Teudericus cerneret, quod ſua perſuaſio in animo ſponſæ locum non haberet, non conſentientem ſibi deſerit, atque pacificis ei verbis vale dicit.

3. Tunc erat urbe Remenſe quædam celebris abbatiſſa, ſacratiſſima virgo, nomine Suſanna, quæ ſub providentia ſummi pontificis beati Remigii puellari præfuit congregationi; femina virilis animi, virago profundi conſilii, conſiliatrix altioris ingenii. Ad cujus, quaſi ad piiſſimæ matris mitiſſimos ſinus, contulit ſe ſanctus Teudericus. Dehinc virgo virgini Deo ſoli cognita pandit ſui cordis arcana: erumpentibus lacrymis gemitu conturbatur, ſingultu concutitur, ante pedes ſpiritalis matris ſolo ſternitur; ſalubre conſilium cum ſubſidio precum ſubnixe precatur. Ad hunc compunctionis mærorem devotiſſimi juvenis commota ſunt viſcera piiſſimæ matris: flenti compatitur, lugentem ſolatur, mærentem lætificat; & ut eum voti compotem faciat, Dominum pietatis exorat. Communis igitur utriuſque pater pius ab utriſque conſulitur ſanctus Remigius. Cujus per ſapientiſſimum conſilium, ad providendum futuri monaſterii locum, mittitur cum virgine virgo, ſancta cum ſancto, Suſanna cum Teuderico. Conſcendunt ſilvoſi montis verticem, in quo poſtea conſtructum, & modo manet monaſterium. Illis autem dubitantibus ubi conſtrueretur orationis domus, ubi deinde ſæpta clauſtri, ubi porta monaſterii; mittitur de ſublimibus aliger miſſus, a quo Teuderico cælum ſcanſuro conſignaretur in terris locus. Jam tunc lætum primitus omen apparuit, cum myſticus ales aquila ſpatiando gyrans, & gyrando volans, quantum in ipſo fuit, locum monaſterii capacem, ſecans aëra, deſignavit. Et ut ſpecialius oſtenderet quid Dominus vellet, fere unius horæ ſpatio, ſupra ubi eccleſia conſtrui debuit, lentis volatibus ſtetit.

4. Libet conſiderare, cariſſimi, quanta ſit dignitas iſtius loci. Mons *Or* nominatur; ab utriuſque ſexus duobus virginibus invenitur. Per aquilam oſtenditur; a Domino de cælis conſecratur. In monte *Or* per aquilam ad ſerviendum Deo deſcribitur locus, in quo renovanda erat veteris hominis, ſicut aquilæ, juventus. Sed ne aliquo caſu contigiſſe ab incredulis crederetur, die natalis Domini, cum nox detrimentum patitur, & lux augetur; quadriennio continuo ſupervolando monaſterium circuire eadem aquila, mirantibus plurimis, cernebatur. Quæ vero virtutum opera, quanta miraculorum inſignia peregit inibi miles Chriſti

Teudericus noſter, non ſufficit per ſingula quæque ſermunculus.

5. Poſt autem non multi ſucceſſum temporis, cum Teudericus preſbyteralis ſubiret onus honoris, implere volens officium ſacerdotis, cœpit omnibus prædic·re præcepta ſalutis. Dehinc ſpecialiter tangit animum piſſimæ prolis Marcardi cura cariſſimi genitoris. Filius ſapiens lætificat patrem, & cælo regenerat ſe regenerantem: de laïco monachum, de latrone datorem largiſſimum, de ſervo diaboli Chriſti ſecit libertum.

6. In illis igitur diebus de ſancto Teuderico ſancta per populos divulgabatur opinio. Et ne veloti lucerna contecta ſub modio, ſed hominibus luceret in mundo; quantum fuerat ſublimis meritis, tantum elarere cœpit inſignis miraculis. Ejus namque beatiſſima fama pervenerat uſque ad Francorum regis palatia, quorum tuoc erat rex valde timendus Teudericus, Flodovci filius, cujus oculus ſubiti doloris nimiis eruciatibus ita eſt correptus, ut nullis diverſi generis medicamentis ad ſanitatem priſtinam ullus eum poſſet perducere medicus. Unius oculi lacrymabilis ægritudo oculorum multorum lacrymas excitavit in populo; Regis animum exitus incerti conturbant: hinc tangit formido mortis, illine magnitudo doloris; hine metus amittendi luminis, illinc imminentis timor deformitatis. Nam ſi rex adforet luſcus, maximum in populis fuiſſet dedecus: aut enim turpiter regnando deformitatis portaret opprobrium, aut perditione oculi forte perdidiſſet & regnum. Unum ergo reſtabat regi conſilium, ut, ubi ceſſaſſet humanum remedium, hic adeſſe neceſſe erat divinum adjutorium. Audiens igitur rex famam venerabilis abbatis Teuderici, juſſit eum ad ſe vocari: & cum veniſſet, oſtendit ei morbum miſerabilis oculi. Monſtrat pœnam quam patitur, prævenit pericula quæ veretur. Supplex depoſcit, ſubnixus rogitat: firmiter ſperat ſanitatem, quam a Domino per ſuum ſervum deprecatur. Tunc vir Dei ſciens virtutem non eſſe humanæ fragilitatis, ſed divinæ operationis; corpus ſolo ſternit, animum ſuper ſidera erigit; totum ſe orationi committit. Deinde peracto ſerme unius horæ ſpatio, certus quod oculo regis lumen impetrare meruit, orationem finivit: tandemque ſurgens, erecto ad ſidera vultu, ſanctæ Trinitatis nomen invocat, olei ſancti paululum ſummitati pollicis iofundit; oculo male habenti ſignum ſalutiferæ crucis imprimit, ſimulque cum ſanitate priſtina confeſtim lumen reddit. Regem regum magnificat rex lætus: lætitia repletur populus, ingenti exultat gaudio univerſus ſenatus. Laudatur Teudericus Dei ſervus: glorificatur ab omnibus mirabilis in ſanctis ſuis Deus. Convocat princeps primates populi; ſeque ipſum accuſat, quod tam tarde inquireret atque cognoviſſet virum Dei. Congratulatur quoque de magnitudine miraculi, quod tam citius ſenſit virtutem ſpiritalis medicamenti, ita ut nullius cicatricis veſtigia, nullius caliginis reliquiæ remanerent, ſed clariore lumine & perſpicaciore viſu de ſanato jam oculo luminoſi radii refulgerent. Exultat omnis ætas per totum palatium; una vox exultationis & confeſſionis ſonat per univerſum regnum, cum Teudericus ſervus Chriſti Teudericum regem reddidit ſanitati. Per multum tempus laboravit in vanum invalida manus medicorum: iſte pauper clamavit pro divite, & Dominus exaudivit eum. Quod potentia non valuit divitis excelſi, hoc apud Deum valuit oratio humilis juſti.

7. O quantis honoribus rex ſublimaret Dei ſervum, ſi vellet! Quantis muneribus repleret, ſi cuperet! quantis dignitatibus remuneraret, ſi fineret! Quid enim oculo carius? quid ſalute utilius? quid vita comparari poteſt pretioſius? vel quid haberi pulcritudine deſideratur avidius? Numquid enim non dediſſet pro vita ſui regni dimidium, qui ſi moreretur, perdidiſſet totum? Sed humanæ laudis, & mundanæ retributionis contemptor, gratis dare maluit quod gratis accepit. Atque vir magnæ humilitatis ſtudioſus, cum plus curabat ne regis eſſet univocus, ait ad eum, dicens: Domine rex, quia Teudericus nomen tuum veneranter vocitatur a populo, ego ſervus tuus, ne feram nomen ſimile de cetero, non Teudericus, ſed vocabor Teoderio. Tunc rex gratulanter admirans, & admiranter congratulans puriſſimæ ſimplicitatis humilitatem, atque ſimpliciſſimæ humilitatis puritatem humillimam, venerabiles manus deoſculans ſacerdotis, poſtulat benedictionem, atque honorifice juſſit eum ad ſuum deduci monaſterium. Ex hoc igitur uno demonſtratur, quanta curationum gratia fulſit in ſancto Teuderico. Quantas namque tum cerneres ad eum confluere debilium multitudines, quæ ſine mora temporis continuas reciperet ſanitates! Cæcis quoque viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum reſtaurans, aridas, contractaſque manus relaxans, a dæmonibus obſeſſos liberans, mille nocendi diabolicas fraudes per divinæ medicinæ deſtruxerat artes.

8. O multum felicem gregis Domini paſtorem, cui datum eſt corporibus, ſimul & animabus conferre ſalutem! O triumphalem ſpiritalis belli ductorem, mundum cum ſuo principe ſuperantem! O Patrem piſſimum multorum monachorum! O fideliſſimum in domo Patrisfamilias proferentem nova & vetera diſpenſatorem! O perſeverantiſſimom in Dei famulatu uſque in finem, ſuæ ſuorumque ſalutis cupidiſſimum comparatorem ſanctum Teudericum! Qui vitam angelicam in terris agens, & mentis intentionem in cæleſtibus figens, in diebus ſuis per juſtitiæ meritum placuit Deo. Tunc plures inſtruxit diſcipulos, & nunc innumerabiles imitatores ſuo ſaluberrimo informat exemplo; qui poſt multarum virtutum opera, poſt mira oculorum inſignia, bono certamine ad victoriam perducto, felici curſu conſummato, ſuis plangentibus monachis, obviantibus ei ſanctis, gaudentibus & perducentibus eum angelis, die kalendarum Juliarum cum gloria migravit ad Chriſtum. Cujus audita pretioſiſſima morte, præfatus rex Teudericus ad monaſterium pro-

peramter venit cum magna multitudine ; & prædicti beneficii memor, & ſuæ ſalutis non immemor, ad tumulum corpus beatiſſimi abbatis rex propriis evexit humeris. Nec mirum, ſi rex hominum illius membra commendet tumulo, cujus anima cum gaudio Rex regum ſuſcepit in cælo. Ad cujus etiam venerabile ſepulcrum divina virtus uſque in hodiernum diem multimodam operatur ſalutem : per cujus nos omnes depoſcimus patrocinium, ut miſericordiam habeamus ad Dominum, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum.

VIII.

EPISTOLA MESIANI

Ad lib. 4. n. 25. *Diſcipuli ſancti Cæſarii. ad Viventium epiſcopum, in qua narrat apparitionem ſanctorum Auguſtini & Hermetis ſibi factam; & quomodo eccleſia ſancti Hermetis conſtructa fuerit.*

Ex mſ. cod. Arelatenſi.

DOmino meo Viventio epiſcopo Meſianus omnium humillimus, ſolo nomine, non officio preſbyter, in commiſſis proficere. Lectis, cariſſime, dilectionis tuæ litteris, quam dulce, quamque ſuave in eremo ſapuerit, reſcribendo tibi explicare non valeo. Quomodo vel quemadmodum, quam vel felix iter noſtrum Deo ordinante & proſperum fuit, ipſe me melius noſti. Sed quid poſtquam a nobis ſeceſſiſti parens dictis magiſtri noſtri, immo etiam præceptis apoſtolicis, contigit, nolumus te latere, quam honorificum eſt laudare magnalia Dei. Nam cum die ſeptimo, poſtquam a te deceſſimos, in locum quemdam veniſſemus, ubi erant prata ſatis amœna & delectabilia, necnon fontis rivus ſubterfluens ; ibi miſſarum ſollemnia ſollemniter celebravimus, eo ſcilicet die, quo agebatur feſtum doctoris egregii beatiſſimi Auguſtini, cujus monitis & exempla ſalubriter nos pius magiſter in ſcholia rectitudinis inſtruere ſolet. Cumque inibi pernoctaremus, circa noctia horam mediæ adeſt Dominus ducens ſecum Petrum piſcatorem pium, Paulumque doctorem egregium, Hermen vero martyrem glorioſiſſimum, & Auguſtinum prædicatorem eximium : in quorum adventu ego miſer & infelix peccator præ odore mirifico & luce incomparabili expergefactus ſum, non meis meritis exigentibus, ſed ut teſtis exſiſterem veritatis. Tunc Dominus vocat magiſtrum noſtrum ex nomine, ita dicens ; Cæſari, excole vineam tibi commiſſam, & amputa amputanda, & enotri enutrienda, quia nummus remunerationis tibi debitus non tardat ; & age pænitentiam, quia memoriam martyris Hermetis, quem in præſenti habes, inter ſacra miſſarum myſteria, cujus feſtum a fidelibus hodie veneratur & colitur, negligenter oblivioni tradidiſti. Et iis dictis, a nobia abſceſſit, benedictus per omnia. Mane autem facto ſurreximus, divino inſiſtentes labori. Cumque nondum expleto divino officio, plura & pluriora ſolito nobis inſinuaſſet; tandem poſt evangelicam admonitionem, trahens longa ſuſpiria ab alto pectore, ſic exorſus eſt ; Væ mihi miſero, quia ex triennio infeliciter oblivioni tradidi memoriam martyris Hermetis, variis & inanibus fabulis occupatus! cujus memoria non derelinquetur in æternum. ſicque verbis finem imponens, converſus ad altare ſtudet cœpta perficere. quod ego ferre non valens, libera voce proſecutus omnia per ordinem, ſicut videram & audieram, coram cunctis edixi. Expleto divino officio, erexit nobiſcum lapidem in loco illo, ubi Dominus ei apparuerat, & ſuper eum crucis dominicæ infixit vexillum. Inde ordinatis omnibus & præpoſitis, nobis abeuntibus, obvius occurrit preſbyter Catorroſcenſis eccleſiæ, Urſus nomine, a quo die illo & nocte benigne recepti ſumus ; cujus puerum te præſente, per eccleſiæ cancellos elapſum, ſubitoque a dæmonio arreptum, domnus noſter magiſter piæ eruditionis liberavit, qui etiam adhuc ſuperſtes vobis famulatur. In craſtinum Arelato pervenimus, ubi cum magna gloria ab omnibus, tam clero quam a populo, honorifice ſuſcepti ſumus, quibus & benedictionem & pacis oſculum dedit, & ſalutationis litteras a ſede apoſtolica formatas recitavit. Poſt hæc cum apparatu neceſſario ad locum ſupra ſcriptum rediit, ubi eccleſiam conſtruxit in honore beati Hermetis martyris, quam jure perpetuo Arelatenſi ſedi deputavit : in cujus conſecratione Octavis paſchæ te adeſſe volumus & oramus ; & tunc de his atque aliis plenius conloquemur. Ora pro me, pater cariſſime, ad Dominum.

IX.

Prædia quæ ſanctus Germanus Pariſ. epiſcopus monaſterio noſtro largitus eſt. Ad lib. 5. n. 43. & lib. 8. n. 67.

Ex chartario S. Germani à Pratis.

HAbet in valle Vitriaco manſum dominicatum cum caſa & aliis caſticiis ſufficienter. Habet ibi eccleſiam majorem, & unam capellam cum omni apparatu diligenter conſtructas. Habet ibi de terra arabili culturas x. ubi poſſunt ſeminari mod. II C. De vinea veteri, quam ſanctus Germanus plantavit aripenn. LIII. Habet ibi de prato arip. LII. Eſt ibi ſilva, quæ vocatur Puciolus, quæ pertinet ad ipſam villam ; quæ videlicet ſilva cum ipſa villa fuit alodum S. Germani. Coloni vero, qui ipſam inhabitant villam, ita adhuc ſunt ingenui, ſicuti fuerunt temporibus ſancti Germani : quatinus nulli hominum, aut vi, aut voluntarie, ſine præcepto abbatis aut arciſterii, aliquod exhibeant ſervitium. Nam ipſum alodum ſanctus contulit Germanus ad luminaria eccleſiæ ſanctæ crucis, ſanctique Stephani protomartyris, ſeu ſancti Vincentii levitæ & martyris, quatinus omnibus annis perſolvant ad ipſam eccleſiam VIII. ſext. olei, aut XXII. ceræ lib.

Eſt ibi in confinio quædam alia poſſeſſio, quæ dicitur Walliacus, aliaque procul, quæ vocatur Galliacus, quas pater ſancti Germani ab Ermenfrido comite emit, quaſque prædictus ſan-

ctus præſul contulit prædictæ eccleſiæ ſanctæ Crucis, ſanctique protomartyris Stephani, ſeu ſancti Vincentii levitæ & martyris, cum omnibus appenditiis ſuis; quatinus annis ſingulis in commemoratione natalitii patris, ſeu genitricis ſuæ ſolvant ad ſepulchra eorum cereos duos, librarum videlicet octo unumquodque, & refectionem fratrum xx. ſol. Addidit etiam prædictus ſanctus præſul excommunicationem coram XVIIII. epiſcopis; ut quiſquis temeraria præſumptione hoc donum, quod ſuæ contulit eccleſiæ, ex propria videlicet poſſeſſione, auderet auferre, ſeu epiſcopus urbis Autiſſioderenſis, in cujus conſtant diœceſi; ſeu princeps Nivernenſis, ſub cujus conſtant ditione; cum Juda traditore damnationem percipiant hic & in ævum.

Dies depoſitionis patris ejus, nomine Eleutherii, kal. Novemb. matris vero, nomine Euſebiæ, v. kal. Jan.

X.

Ad lib. 6. n. 45. *Concordia Bethtæ cum monaſterio ſancti Vincentii.*

Ex tom. 3. Miſcell. Baluz.

DUm cognitum eſt, quod Bethta Deo ſacrata portione aliqua in locella nuncupantia Soliaco, Manſione, villam Bariaco, ſeu & Briſcino, quam filius ſuus Ermenfredus quondam moriens dereliquit, & ad ipſam legibus obvenit, per vinditionis titulum ad baſilicam ſancti Vincentii Cenomanis civitate vindicat, & accipit exinde in pretium, quod & bene complacuit atque convenit, hoc eſt, auri ſolidos probos, optimos atque penſantes, numero ducentos. Quo veniens venerabilis frater Patuinus præpoſitus de ipſo monaſterio una cum vinditione ipſa, in privata conlatione ipſa protulit ad relegendum, dum inter ſe intenderent, (hi ſunt, Berthofridus, Dodo una cum conjuge ſua Eudilane, vel Bertholanda cum infantibus ſuis, his nominibus, Ademaro & Johanne) chartam ambigibalem ibidem præſentabant, quam Bethta ad ipſos infantes ſuos fecerat, ubi habebat inſertum, dum advivebat, & in partes duas Leogiſilo quondam conjuge ſuo, quam & ſuam tertiam ad uſum tenuerit, & poſt ſuum diſceſſum ad jam dictos infantes ſuos, tam illas duas partes, quam & ſuam tertiam, in eorum reciperent dominatione; dum inter ſe intenderent, mediantibus bonis hominibus ad pacis concordiam viſi ſunt eos revocaſſe. Convenit inter ipſos, quod illa quarta parte, quam Ermenfredo quondam in Manſione debitum erat, memorati infantes, Berthofredo, Dodo una cum conjuge ſua Eodilane, vel Bertholanda, contra venerabile fratre Patuino præpoſito vel ipſo monaſterio, quantumcunque ibidem habere videntur, omni tempore habeant evindicatum; & reliquo vero, tam in Soliaco, quam in Bariaco ſeu & in Briſcino, quicquid Ermenfredo quondam obvenire debuit, vel quantum per vinditionis titulum memorata Bethta ſive jam Noberta ad memorata baſilica delegata contra ipſo Berthofredo & Dodone una cum conjuge ſua Eodilane, necnon & Bertolandane, tam terris, caſis, mancipiis, domibus, ædificiis, accolabus, pratis, paſcuis, vineis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, mobile & immobile, junctis & ſubjunctis, vel omni ſupraposito, quantumcunque in jam dicta locella Ermenfredo quondam habere debuerat, pars monaſterii ſancti Vincentii, vel ejus rectores contra ipſos homines ſuperius commemoratos æquali lance dividere debent. Unde convenit, ut tres epiſtolas, uno tenore conſcriptas, inter ſe fieri & accipere deberent. quod & ita fecerunt, ut nullus contra parem ſuum de iſtis convenientiis ſe remutare non poſſet. quod qui hoc facere præſumpſerit, partem ſuam à pare ſuo amittat, & inſuper fiſco ſociante auri libras argenti pondo viginti coactus exſolvat, & nec ſic quod repetit vindicare non valeat; & has epiſtolas, quas in invicem bona voluntate fecerunt, cum ſtipulatione intrapoſita firmas & inviolabiles omni tempore valeant perdurare. Actum Soliaco in rem ipſam in anno XI. regni domini Theodorici glorioſi regis, quod fecit præſens menſis Octobris dies XXI. Dodo ſubſcripſit. S. Eodilane conjuge ſua. Berthofredus ſubſcripſit. S. Bertolandane germana eorum, qui hanc epiſtolam fieri rogaverunt. Derriceus abbas ſubſcripſit. Beoraldus in Dei nomine abbas ſubſcripſit. Aglimannus ſubſcripſit. Johannes ſubſcripſit. Salico ſubſcripſit. Bertholaudus ſubſcripſit. S. Witdoni. S. Turpaldo. Bavo ſubſcripſit. Landulfus ſubſcripſit. Odricus ſubſcripſit. Caldobertus recognovi & ſubſcripſi.

X I.

*Verſus Eugenii epiſcopi Toletani ſecundi * de baſilica ſancti Æmiliani monachi.* Ad lib. 6. n. 57.

QUem mæror, quem culpa premit, quem denique vita
Morbida convexans, aut valetudo quatit:
Huc feſtinus agat feſtino pectore curſum:
Anxia deponens, proſpera cuncta geret.
Certa ſalus ægris, ſpes & tutela miſellis,
Et pater, & genitrix Æmilianus adeſt.
Cujus ad imperium depulſus pectore dæmon
Tenta diu linquit, cum retinere nequit.
Hic claudis greſſus, & cæcis lumina dantur:
Reddit & incolumem lepra repulſa cutem.
Vita redit functis, & languor pellitur omnis:
Servit ad obſequium mox reparata ſalus.
Hic ſua ſigna Deus reſpectans creſcere gaudet:
Et dæmon cernens hic ſua damna gemit.
Quiſque precator ades, fidenter poſcere noris.
Impos namque redit qui dubitanter adit.
Cumque precum murmur ad propria fuderis intus,
Et gemitus toto prompſeris ex animo;
Eugenium quæſo propriis adjunge querelis,
Sic culpis veniam poſſit habere ſuis.

* Ita codex Caſin.

XII.

Ad lib. 12. n. 2.

Præceptum Chlotharii II. regis pro monaſterio S. Dionyſii.

Ex authentico in charta Ægyptiaca.

.... viris inluſtribus Chrodegario....... ...per baſilecabus de ſuis propriis ſacultatibus per teſtameoti pagenam voluerit legaliter delegari per noſtris authoretatibus teſtamentum....... noſter Dodo abba de baſileca ſancti domni Dioninſio martheris peculiares patroni noſtri teſtamenti pagenam a Johanne quondam negutiante.... aliquid de ſuis facultatebus ad baſileca ipſius ſancti Dioninſio, vel relequa loca ſancta infra oppidum Pariſiorum civetatis, etiam & ad alecus de ſuis propinquis, per ipſo generaliter confirmari deberimus. quod nos magoetudo veſtra, ſicut unicuique juſta petentes, vel per noſtræ mercedes compendium hunc beneficium non negaſſe...... ſæpe dictus Johanois ad ante dicta baſileca ſancti domni Dioninſio, vel reliquas ſancta loca, aut ſuis propinquis juſte noſcetur delegaſſe, hoc eſt in terris, domebus, mancipiis.... vel reliquo beneficio hujus authoretare noſtrae..... generale beneficiom confirmatum ad ipſas baſilecas, vel ſuis propinquis proficiat in perpetuum...... ſimiliter per banc praeceptione firmari valeant permanere ſecuti. Et ut hæc authoritas ampliatis titolis, noſtris & futuris temporebus inconcuſſo jure.......

Chlothacharios in Chriſti nomene rex banc praeceptione ſobſ.

Ursthos obtulit.

......noſtri Stirpiniaco feliciter in Domino.

XIII.

Ad an. 628. lib. 13. n. 5.

Diploma Dagoberti pro S. Dionyſio.

DAgoberĉthos rex Fran-orum vir inluſter. Quotienſcumque petitionebus ſedilium perſonarum, in quo noſtris fuerint patefacti, eas per ſingola libenter volumus obaudire, & effectui in Dei nomine mancipari. Adque ideo vir inluſter & fedelis Deo propicio noſter Urſinus climenciæ regni noſtri petiit, ut de id quod una cum germano ſuo Beppoleno in diviſionis paginam, tam ex ſucceſſione generuri ſuo Chrodoleno, quam germano ſuo Chaimedes, quondam loca, quorum vocabola ſunt Ferrarias, Leubaredovillare & Eudoncovilla, ſeu reliqua faculratem, vel villas illas, quod in Roteneco de alode materna per pactionis tetulum ad eodem nuſcuntur perveniſſe, hoc eſt cum terris, ædificiis, mancipiis, viniis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſebus, movilebus & immovilebus, vel reliquis rebus ſeu adjacenciis ad..... pertenentebus, ut dictum eſt, ad parte ſua perveneſſit, & hoc ad preſens ticto ordineaſſent domenari. Unde & pactione pleniore loca, vel de reliquas res mano præfato germano ſua Beppoleno ſuſcripta, vel bonorum roboracione.... cta ſe præ manibus habere adfirmat, idemque & vindicionis quod ab aliquibus homenebus io ſupraſcripta loca porciones alequas viſus eſt comparaſſe, præ manebus habere adfirmat: petiit antedictus vir, ut noſtram ex hoc circa ipſum plinius deberit confirmari præceptio. Cujus poſtolacione pro rei tucius firmitatem noluemus denegari, præcepientis enim, ut quicquid ei conſtat æquo ordin..... dicta loca vel reliquas res ad parte ſua per inſpecta pactione e contra ſupradicto germano ſuo juſti in diviſione percipiſſe, & quod per ipſas vendicioois in præfata loca poſſedire dinuſcetur, ut ad preſens ricto tramete poſſedire videtur, ooſtram in Dei nomen generaliter auctoretatem firmatur, & ipſi hoc teneat......ndat & ſuiſque poſteris perpetualiter ad poſſedendum relinquat. Et ut hæc auctoretas perpetuis temporebus firma ſtabelitate debeat perdurare, manus noſtræ ſuſcriptionebus ſubter eam decrevimos roborari.

† Daoobfrcthus rex ſubſ.	Burgonoofarus optol.

Ejuſdem regis præceptum pro eodem monaſterio.

DAgoberchtus rex Francorum, viris inluſtribus, Wandelbertho duci, Raganrico domeſtico, & omnibus agentibus, præſentibus & futuris..... promerere æterna, vel de caduca ſubſtantia erogandum locrari gaudia ſempiterna. Igitur nos re ipſa conſiderantes, prout in æternum, vel aliquantolum mereamur juſtorum eſſe conſortes, villa cognomenaote Iticinoſcoam *, in pago Pariſiaco, qui fuit Landerico & Ga..gnerico germanis, & addicionebus.... vel meritum, ad baſileca domni Diunenſi martheris, pecoliaris patroni noſtri, ubi ipſe præcioſus domnus in corpore requieſcere vedetur, ...dem devoti ſumus per tempora bona, propiciante Domino, impartire præſencialirer plena devotione viſi fuemus conceſſiſſe. Jubentes etenim, vol.... reis ſilvis, pratis, paſcuis, aqois, aquarumve decurſibus a die præſenti, qualitet ab ipſis... dominotur, vel ad fiſco noſtro præſente nunc tempore in Dei nomine poſſedetur, ex indulgentia noſtra ad ipſa ſancta baſileca conceſſa, quæ..... dicione percipiant ſpecialius..... pauperis inibi conſiſtentibus, pro regni ſtabiletate, vel remedium animæ noſtræ, abſque ollius io poſtmodum refragatione, temporebus debeat profecere, & ut fiat, ut dum nos ad clero vel pauperes, ac ipſo ſancto loco conſiſtente..... vel in aliquantolum... omne... incommoda generetur. Et ut ... tam au... tempora inviolabelem capiat firmetatem, manus noſtræ ſub-

Ex lib. 6. de re diplom.

* *Eſcona.*

ſcriptionebus infra [eam decrevimus roborare]

Dagoberctus rex ſubſ. Dado optolit.

Datum dies quindecim, anno decimo regni noſtri in Dei [nomene feliciter] Clipiaco.

XIV.

Chlodovei II. regis præceptum pro eodem.

Ex authentico. . . .viro inluſtri. . . are idemque inluſtris matrona Amathildes clemenciæ rigni noſtri credidit ſuggerendum ...lis chramlos ſubteriore ſatelliaco vel locello, qui dicitur Curtilis ſibi berimariacas. . . . . co & terra ad ipſo maro aſpiciente Bunoariaxu una cum adjecentias earum promeruiſſit. . . . . . ceſſiſſit, vel confirmaſſit, quem viro epiſtolas præ manibus habere adfirmat, & ipſas villas . . . . .cium plioius confirmare deberemus, cui nos hunc beneficium ſicut unicuique juſta petentebus. . . . . vel adjecentias earum, cum tertis domebus ædefeciis, mancipiis, ſilvis, pratis, paſcuis, peculiis. . . . . inſpecta ipſa æpiſtola in ſuprascripta loca viſa fuit promeruiſſe, & hoc ad præſens quieto ordene poſſ. . . . . voluerit liberum in omnibus puciatur arbitrium & hæc auctoretas tam a noſtris quam. . . . .

. . . . . .o rigni domno Clodoveo.

XV.

Donatio facta monaſterio Moiſiacenſi.

Ad lib. 12. n. 33.

Ex archivo Moiſiacenſi.

VEnerabili in Chriſto patri & domino apoſtolico Leotadio abbati vel omni congregationi monaſterii Moiſiacenſis, quod infra pago Caturcino, in honore ſancti Petri conſtructum eſſe videtur. Ego enim Nizezius & oxor mea Ermintrudis dum reatum conſcientiæ noſtræ agnovimus, oportet nobis ut dum Deus in noſtra voluntate poſuit ſecundum evangelicam lectionem rerum diſpenſationem, exinde per Dei introitum faceremus, & ut ad nos fiat Dominus ſicut in ſuo dignatus eſt Evangelio dicere : *Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in calo, & veni, & ſequere me.* Et ideo nos hanc ad veram vocem vobis ſupradictis ſervis Dei, vel ad omnem congregationem, quæ in ipſo monaſterio ſuperius nominato conſtructum eſſe videtur, dono ego in pago Toloſano villas nuncupatas Calmeabilidem, Barolingus, Vivaderemus, Sambiliano, cum omni integritate per terminos ac loca a nobis deſignata ; & in alio loco infra ipſo pago alias villas noſtras Auſioiano, curtes noſtras indominicatas cum eccleſiis aut ſolariis, & viveriis, & fructuario, piſcatoriis, molendinis ſimul cum appendiciis ſuis, Beſingus, Scoternam villam & Orſollingus. Villa ſeu Gannicolas villare, cum eccleſia ſancti Medardi, quæ eſt infra ipſo termino cum omni integritate & ſoliditate, cum ſervis & colonis & mente libertorum una per terminos & loca a nobis deſignata : id eſt de fluvio Garumnæ per Mamare gurgite ; inde per media villa ſalis cum eccleſia ſancti Saturnini, quam dato pretio noſtro de Guirardo quondam viſi ſumus comparaſſe ; inde per ſavum quondam Perucia per fontem in conaſticis, quæ eſt in media agra ; atque inde pervenit uſque Navalienſe, ſeu in montem Beretonii quondam uſque in Stirpiniago, & Vallum Eovaldi uſque in media Saldimia ; inde per Livigone uſque in ſupra dicto fluvio Garumnæ. Et in alio loco infra ipſo pago Toloſano alias villas noſtras bis nominibus nuncupatas, Lampidiago cum eccleſia ſancti Martini, Vulpiliaco, Speutingus, Prareti, mutationes eccleſiæ cum villare ſancta Gemma, villa Sarpanas cum eccleſia ſancti Germani, villa Gainago, villa Novolio cum eccleſia ſancti Medardi, has villas ſuperius nominatas cum eccleſiis & omnibus villaribus & adjacentiis earum per terminos a nobis deſignatos, qui ſunt per medium Garona, deinde in media agra, deinde uſque in Latona, inde per paludem Novolienſem oſque in ſuprascripta Garona. Et in alio loco, in pago Aginnenſi, villa noſtra Viriacarias, cum omni integritate, una per terminos ſubter per illo porto & termino Vaſſalonis ; de alio vero latere termino Bordouſe villa ; deinde per rivum Oppinione oſque in media Garona. Et in pago Eliſano, alias villas noſtras, Giuvigus, Sauviago cum omni integritate, ſicut a nobis per terminos antiquos poſſidere videtur. Relinquimus quoque propriis heredibus noſtris in Faldidio villas noſtras, in pago Toloſano, Modorciago, Altomonte, Baſille ; & in pago Aginnenſi Pompeiago ; & in pago Eliſano Malarouta. has quoque villas ſuperius nominatas, excepto illas, quas in Faldidio dimittimos. Alias vero omnes, quas hic, inſeruimus cum omni iotegritate & ſoliditate curtis, eccleſiis, ædificiis, domibus, mancipiis, colonis ibidem commorantibus, & merita libertorum & colonorum utriuſque ſexus, cum terris, cultis & incultis, vineis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, cum omni jure & adjacentiis earum, quæſitum & inquirendum, per hanc epiſtolam venditionis hæc vobis trado, transfero, atque transfundo ad poſſidendum. Et accepimus a vobis pretium & nobis bene complacuit, hoc eſt ſolidos auri puriſſimi ſeptingentos, & pallios XV. valentes ſolidos ducentos. Hæc vero pretia a nobis ſuſcepta animæ noſtræ remedio in alimonia pauperum ibidem Deo ſervientium expenſamus. Omnia vero hæc ſuperius nominata in manus veſtras tradimus & ſucceſſorum veſtrorom, ut poſſideatis, & quidquid exinde facere volueritis, libero omoibus perfruatis arbitrio ſtipulatione ſubnixa. Facta carta venditionis iſta menſe Maio, anno VII. regni domini noſtri Theo-

Digitized by Google

dorici regis. Nizezius peccator & Ermintrudis hanc epiſtolam venditionis recognovimus, & ſubſignavimus. Signum Gundoberto, S. Sicando, S. Almare, S. Sicarubis, S. Autrico, S. Dacoleno, S. Bertinaro, S. Frotico, S. Gunrario, S. Bertallo, S. Belbont. Actum Moyſſiaco monaſterio publice.

XVI.

Ad lib. 12. n. 43.

Dagoberti I. diploma pro monaſterio Resbacenſi.

Dagobertus rex Francorum, vir inluſter, apoſtolicis patribus noſtris domnis epiſcopis & illuſtribus viris, ducibus, itemque magnifico Chanulfo comiti, vel omnibus agentibus, tam præſentibus, quam & futuris temporibus ubique in Dei nomine in regno noſtro conſtitutis. Oportet clementia principali inter ceteras petitiones illud quod pro ſalute adſcribitur, vel pro timore divini nominis poſtulatur, placabili auditu ſuſcipere, & procul dubio ad effectum perducere, ut fiat in mercede commutatio, cum pro quiete ſervorum Dei congrua impertitur petitio. quia fides perfecta non dubitat ad Altiſſimi gratiam pertinere, ſi aliquid ſecundum ſuum eloquium præcipue domeſticis fidei mente devota impenditur, quia ſcriptum eſt, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ergo dum illuſtris vir Dado referendarius noſter, ejuſque germani, Ado & Rado, monaſterium Jeruſalem in honore ſancti Petri & Pauli & ſancti Antonii, quod vulgo appellatur Reſbacis, in Meldenſi territorio ſitum, ad monachos vel peregrinos inhabitandum, ac in Dei nomine ſolitaria vita fruendum, quod ex noſtra etiam largitate meruerunt, devoti Deo juvante conſtruxerunt. Ideo nos juxta eorum petitionem, pro quiete ſervorum Dei, præceptionem vigoris noſtri placuit propalare, per quam dum ſuper fiſcum noſtrum, quod pro remedio animæ noſtræ indulſimus, videtur eſſe conſtructum, atque ex parte ditatum, ſub quiete tranquillitatis Domino protegente ipſi monachi juxta religionis normam perpetim valeant reſidere, eligimus ut hæc ſeries debeat plenius declarare: quia nihil de canonica auctoritate convellitur, ſi aliquid, ut diximus, domeſticis fidei pro tranquillitate pacis conceditur. Nec nobis aliquid detrahendo æſtimet in id nova decernere; dum ab antiquis juxta conſtitutiones pontificum per regalem ſanctionem monaſteria ſanctorum Agaunenſium, Lirinenſium, Luxovienſium, immoque & monachi domni Marcelli, ſub libertatis privilegio videntur conſiſtere. Ergo ſi qua inibi in villis, mancipiis vel reliquis quibuſcumque rebus atque pecoribus, aut regio munere, aut ſupra ſcriptorum virorum vel cujuſlibet eſt delegatum, aut deinceps fuerit additum, dum ſuper noſtra eſt, ut diximus, largitate conſtructum, nullus epiſcoporum, nec præſentes, nec qui fuerint ſucceſſores aut eorum ordinatores, vel quælibet perſona poſſit quoquo ordine de loco ipſo auferre, aut aliquam poteſtatem ſibi in ipſo monaſterio adoptare, vel aliquid quaſi per commutationis titulum minuere, aut de myſterii ornamentis, vel de oblatione in altario illata abſtollere; nec ad ipſum monaſterium vel cellulas ejus, niſi pro lucranda oratione, & epiſcopus, niſi fuerit cum voluntate ipſius abbatis, vel ſuæ congregationis, abſque gravi diſpendio eorum accedere præſumat. quo facilius liceat monachis ipſius in Dei nomine regulariter conſiſtentibus rectam delegationem ſub quiete per tempora poſſidere. Et cum abbas ille fuerit de ſæculo evocatus, quem ex ſemetipſis ipſa congregatio elegerit ſibi, ſecundum ſanctam Regulam ſeniorem inſtituat per omnia, & ex omnibus ſecundum delegationis votum vel hujus ſeriem auctoritatis ſuffultum, cui abſque ulla inquietudine ibidem cuncta proficiant in augmentum. Adjicientes, ut nulli penitus judicum, vel cuilibet hominum licentia ſit de rebus præfati monaſterii abſque ſervorum Dei voluntate aliquid defraudare, aut temerario ſpiritu quidquam exinde ſuis uſibus [deputare,] ne, quod primitus, eſt divinam incurrat & noſtram offenſam ..... a fiſco grave damnum ſuſtineat .... & etiam nobis pro integra mercede noſtra vel ſupra ſcriptorum virorum penſantes merita placuit addendum, ut tam quæ ex noſtra largitate, quam quæ ex delegatione ipſorum Dadonis vel germanorum ſuorum ſeu genitorum eorum, vel quorumlibet, ibidem eſt aut fuerit devoluta poſſeſſio quoquo tempore, nulla publica judiciaria poteſtas, nec præſens, nec ſuccidua ad cauſas audiendum, aut aliquid exactandum ibidem non præſumat ingredi: ſed ſub omni emunitate hoc ipſum monaſterium vel congregatio ſua ſibimet omnes fredos conceſſos debeat poſſidere vel quidquid exinde fiſcus forſitan de eorum hominibus aut de ingenuis aut de ſervientibus aut in eorum agris commanentibus vel undecumque poterat ſperare, ex indulgentia noſtra in luminaribus ipſius ſancti loci vel ſtipendia ſervorum Dei, tam nobis in Dei nomine viventibus, quam per tempora ſuccedentibus, pro mercedis compendio debeant cuncta proficere, ut pro æterna ſalute vel felicitate pertinet, ſeu regni conſtantia delectet ipſis monachis immenſam Dei pietatem jugiter implorare. Quod præceptum decreti noſtri Chriſto in omnibus ſuffragante ut firmius habeatur, ſubſcriptionem manus noſtræ infra ſtuduimus perarrari. Dagobertus rex ſubſcripſit. Dado obtulit. Datum ſub die kalendarum Octobris XIIII. regni ejus.

XVII.

Ad lib. 13. num. 12.

Johannis papæ IV. privilegium pro ſanctimonialibus cujuſdam cœnobii beatæ Mariæ in Gallia.

Ex tom. 2. Sæc. 4. Bene

Dilectiſſimis fratribus coepiſcopis per Galliarum provincias conſtitutis, Johannes ſervus ſervorum Dei. Quamquam priſcæ ſacratiſ-

ſimæ regulæ decreta nos doceant, quæ oportet perenniter cuſtodire, & Patrum ſanctorum conſueta indiminute ſervare: attamen & nos quoque ſuper hæc regulariter vota ſupplicum chriſtianorum, & maxime orthodoxa fide fulgentium, in omnibus debemus effectui mancipare: quatenus eorum pia devotio apoſtolicis inviolata permaneat inſtitutis. Quoniam igitur Chlodoveus rex excellentiſſimus, filius noſter, princeps Francorum, pia & religioſa devotione perſpicuus, ſuis nos ſcriptis poſtulaſſe dinoſcitur, & apoſtolicæ ſedis caput omnium eccleſiarum, privilegium monaſterio beatæ genitricis & ſemper virginis Mariæ, vel ſanctæ Columbæ, atque S. Agathæ, ſeu aliorum ſanctorum martyrum, in loco qui nuncupatur il. ſuper pago ill. quod viri magnifici ill. pia devotione deditì, nutu & aſpiratione divina conſtruxiſſe noſcuntur, in quo decreverunt, ut puellæ Dei ſacræ virgines in ſanctis ſtudiis & venerabilibus, diuturnis meditationibus & aſſiduis vitam piam atque contemplativam ſub retruſione exercere videantur: pro qua re ſupplici expetierunt deprecatu, ut privilegium apoſtolicæ ſedis noſtræ in eodem monaſterio concedere deberemus. Quod ſalubriter annuentes, maxime domeſticis fidei, & ſpe certa ſalubre futurorum bonorum fulgentibus hoc privilegium perenni auctoritate ſervandum libenter indulſimus pro divino intuitu. Nec enim nova poſtulantium vel indulgentium eſt auctoritas privilegii largiendi, dum profectu * cuncti & plerique præceſſores noſtri per præterita tempora apoſtolicæ ſedis præſules, non ſolum ſub ditione noſtra conſtitutis, ſed etiam in ceteris regionibus poſitis poſtulata ſemper indulgenda ſanxerunt, præſertim in regione Francorum, dum profectu * cuncta uſque ad fines terræ & oceani maris terminum ſub beati Petri principis apoſtolorum ditione conſiſtant. Unde oportet omnes omnino medullitus ac totis viribus modis omnibus obedire, quæ per beati Petri auctoritatem apoſtolica ſedes poſtulata dignoſcitur indulgere. Ergo antedictorum virorum, & præſertim interventu excellentiſſimi filii noſtri prædicti regis, ſuper hoc privilegium ſuis ſcriptis enixius expetiti poſtulata conceſſimus, intercedentibus omnibus epiſcopis, & conteſtatione evidentiſſima decernimus, tam vicinis, quam procul a prædicto monaſterio conſtitutis, ut nihil audeant uſurpare, nihil auferre, nihil contingere, cogente pravæ ambitionis ardore, quæ ſub tenore hujus privilegii & norma decernit *, ut videlicet epiſcopus, quem mater ſpiritalis, paterque monaſterii vel cuncta congregatio voluerit ad celebranda miſſarum ſollemnia in conſecratione abbatiſſæ, vel etiam reliquarum juniorum, ſacratæ * Deo etiam tabularum altaribus, in quibus miſſæ debeant celebrari, habeat facundiam * in eodem monaſterio ingrediendi, ad officium ſcilicet ſacerdotalis miniſterii; & tales ſecum ipſe pontifex introducat, quales vita & religio ſancta commendat: quo peracto officio, nihil contingens, nihilque ambiens per concupiſcentiæ ſtimulum, vel rapinæ pravitatis ingenia; ſed

* ſ. profectu.

* ſ. profectu.

* l. decernuntur.

* l. ſacrandi etiam tabulas altaris.

* ſ. facultatem.

gratis per omnia agens, ad propria mox regredi non moretur; nec convivium intra clauſtra monaſterii eidem nullatenus præparetur, nihil ſic dictus uſurpans de rebus monaſterii, non de ſacris altaribus indumentis, non de ornamentis, neque ſacris voluminibus, nec quicquam majus vel exiguum, ſed nec concupiſcere adtemptet: quia ſi privata concupiſcere ſatis eſt noxium, quanto magis ſacra auferre, aut deſideret juri ſuo mancipare, Deo eſt inimicum? Unde bene cum juſtum virum deſcriberet Propheta, ait: *Qui excutit manus ſuas ab omni munere.* Neque enim dicit, *Qui excutit manus ab munere*, ſed adjunxit, *ab omni.* Tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus, non ſolum nullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit. Interdicentes etiam epiſcopo, in cujus parochia eſt prædictum monaſterium conſtitutum, ut nihil contra tenorem præſentis decreti pia poſtulatione indulti quicquam attemptet, vel ejus ſucceſſores præſumant prohibita contingere, nec in minimo hanc normam violare: ſed plenius & in omnibus per ſingula conſervare. Chriſma igitur vel quidquid ad ſacra miniſteria pertinet, ſi a matre & patre monaſterii fuerit poſtulatum, aut benedictiones tradere Dei famularum, a quo prævideerit, vel elegerit ſpiritali ſanctoque Dei ſacerdote, modis omnibus annuendum: & (ut ſuperius dictum eſt & ſæpe dicendum) nullar~ poteſtatem habere convenit epiſcopo in eodem t.~naſterio ſub retruſione ſancte viventibus, & theoricam vitam cœnobialis regulæ militantibus, a * beatiſſimis patrinibus noſtris, quibus non fuit dignus mundus, edicta continent, id eſt Antonii, Pachomii, & haut procul a noſtris temporibus Benedicti abbatis iſtius Romæ hujus urbis. Illud præcipue ſtatuendum decrevimus conſervandum, ut neque in rebus ipſius monaſterii, tam in villis, quam in locis ubique, vel in ordinandis perſonis, ad regimen Dei famularum admittendis, non de alio monaſterio, nec de ſæcularibus feminis inibi introducendis, excepto quam cuncta congregatio elegerit poſt mortem matris monaſterii, ut deberet inſtitui & ordinari. Super hæc ſcilicet, neque vicedominus, neque archidiaconus, nec quælibet perſona in eodem monaſterio habere ſe poteſtatem, aut extendere ditionem, vel quicquam immutare vel agere ullatenus præſumat: cognoſcentes, quia ſub apoſtolica ſede, id eſt beati Petri apoſtoli, ex prædicti regis conſenſu & præfatorum virorum poſtulatione dinoſcimur præſentis privilegii indulta concedere. Rogitus vero epiſcopus ipſius civitatis a matre, a patre monaſterii vel cuncta congregatione, ſuam exhibeat præſentiam *. Non autem petitus nec conductus ad ſecreta monaſterii accedere non præſumat, nec ibidem contra regulæ inſtitutionem intra clauſtra eidem pontifici convivium præparetur, nec quietem monacharum vitam quæ ſolitariam propter Deum peragere decreverunt, frequens ſacerdotum inſolentia atque ingreſſu puerilium * caſu introëuntium perturbare videatur, qualiter pie & ſancte viventes,

&

* l. ſicut beatiſſimorum patrum noſtrorum.

* huc uſque libri editi.

* ſ. populorum.

Digitized by Google

& diuturnas meditationibus in Dei laudibus converſantes pro excellentiſſimi Regis Francorum ſtabilitate & fundatorum pia devotione aſſidue Dominum deprecare non ceſſent. Si autem, quod non optamus, monachæ in eodem monaſterio conſtitutæ tepidæ in Dei amore, aut inſtituris patrum, ab abbatiſſa, ut eſt, mater monaſterii, corrigantur. Et ſi in grave facinore inventæ fuerint, in ſecretiore cellula retrudantur, quoaduſque culpas ſuas Deo ſatisfaciant in gemitu & luctu ac lamentatione. Si autem & ipſa abbatiſſa in torpore negligentiæ [contra] inſtituta patrum fuerit, quod abſit, reprehenſa *, & in aliquam vel ſiniſtram partem inclinata, a ſede apoſtolica, ſub cujus ditione conſiſtit, ſtatuimus corrigenda. Nec enim cuidam epiſcopo damus licentiam ſub obtentu reprehenſionis aliquæ in monaſterio prædicto ſuam extendere ditionem aut poteſtatem, ſed ejus capite, id eſt apoſtolicæ ſedis, eſſe præcipimus. Si certe zelo Dei inſtinctu pietatis innitetur, ſuis epiſtolis debebit ſuggerere, ut quid Pontifici Romanæ eccleſiæ apoſtolicæ ſedis placuerit, juxta ſuam prudentiam ac diſcretionem provideat diſponendum. Quo facto, tunc inreprehenſibiliores videantur exiſtere, cum ad caput eorum, id eſt apoſtolicam ſedem, videntur, quæ vera conſpexerint nuntiare, & non ſemetipſos in eorum læſionem vel machinationem quicquam immergere, nec inſidioſe callideque in aliquo calumniam inrogare. Quod ſi quidam epiſcopus, tam de præſentibus quam futuris, per ingenii articulum aut avaritiæ præ cupiditatis inſtigatione quicquam de prohibitis præſumpſerit attemptandum, vel contra ſuperius decreta quoquo modo obviaodum, aut quacumque perſona, ſive ſtrinna *, ſive exigua, decreverit reſultandum, primum quidem ſui ordinis gradu & dignitate privabitur, & a beati Petri apoſtoli auctoritate, qui ligandi ſolvendique in cælo & in terra meruit habere poteſtatem, ſit a participatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu-Chriſti defraudandus & alienus, atque anathematis vinculum ſortiatur, vindictæ Dei iræ, & temeratoris præſenti decreti, ſi quis violare præſumpſerit aut infringere, in diſtricto examine cum diabolo & angelis ejus pœnis multiplicibus debeat ſubjacere in æterna damnatione. Superna gratia vos ſoſpites cuſtodiat in ſua pace.

* deprehenſa.

* f. ſtrenua.

Observatio.

Præmiſſum privilegium ex vetuſtiſſimo codice Thuaneo olim a me erutum eſt, typiſque vulgatum in Appendice ad partem I. *Sæculi* IV. *Benedictini. In illo codice, qui octingentos annos videtur ſuperare, male compacta erant folia, adeoque illius privilegii poſtrema parti poſt illa verba*, ſuam exhibeat præſentiam, *adjunctum erat folium, quod finem alterius privilegii continebat. Quam ob rem cum vir clarus Stephanus Baluzius genuinam ſuperioris privilegii poſteriorem partem in codice Colbertina bibliotheca inveniſſet; illam mihi pro ſua humanitate communicavit. Ne autem hoc fragmentum a ſuo corpore avulſum eſſet, integrum diploma hic exhibere viſum eſt operæ pretium. Idem Johannes* IV. *Luxovienſi monaſterio conſimile omnino indulſit privilegium, quod itidem hoc loco ſubjicere juvat.*

XVIII.

Ejuſdem Johannis IV. privilegium pro monaſterio Luxovienſi.

Ad lib 13. n. 11.

Ex chartario Dervenſi.

Dilectiſſimis fratribus univerſis epiſcopis per Galliam conſtitutis, Johannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Quamquam priſcæ regulæ decreta nos doceant, quæ oportet perenniter cuſtodiri, conſtituta & patrum indiminuta ſervari: attamen nos ſuper hoc regulariter decernentes, vota ſupplicantium, & maxime catholica fide fulgentium, in omnibus debent effectui mancipari: quatinus eorum pia devotio apoſtolicis inviolata permaneat inſtitutis. Cum igitur Chlodoveus, excellentiſſimus filius noſter rex Francorum, pia & religioſa devotione perſpicuus, ſuis nos ſcriptis poſtulaſſe dinoſcitur, ut apoſtolicæ ſedis privilegium impartiremur monaſterio beati Petri apoſtolorum principis, in loco qui dicitur Luxovium, quod vir venerabilis Columbanus Scottus, ſanctis ſtudiis fervens, etiam cum largitate regia ſuſceptus, & peregrinus in regnum Francorum adveniens, monaſterium conſtruxiſſe comperitur, in quo non parvam congregationem monachorum inſtituens, etiam ſe cum eis paribus piæ devotionis ſtudiis ſociavit, in quo nunc venerabilis Waldebertus abbas, etiam cum multis monachis converſari videtur, in Dei laudibus uno regulæ ſpiritu ſuperna inſpiratione commotus, ad laudem omnipotentis Dei pium exhibet famulatum. Pro qua re ſupplici expetierunt deprecatu, ut privilegium apoſtolicæ ſedis noſtræ in eodem monaſterio concedere deberemus. quod ſalubriter annuentes, maxime domeſticis fidei, & ſpe certa futurorum honorum fulgentibus, hoc privilegium perenni auctoritate ſervandum libenter indulſimus. Nec enim nova poſtulantium vel iodulgentium eſt auctoritas privilegii largiendi, dum profecto cuncti retro apoſtolicæ ſedis præſules, non ſolum ſub ditione noſtra conſtitutis, ſed etiám in ceteris longe regionibus poſtulata ſemper indulgenda ſanxerunt, præſertim in regno Francorum: dum profecto cuncti uſque ad fines terræ & oceani terminum, ſub beati Petri apoſtolorum principis ditione conſiſtunt: & oportet omnes omnino medullitus obedire, quæ per beati Petri auctoritatem apoſtolica ſedes poſtulata dinoſcitur indulgere. Ergo ante dictorum virorum, & præſertim interventu excellentiſſimi filii noſtri prædicti regis, ſuper hoc litteris expetiti, poſtulata conceſſimus, interdicentes omnibus epiſcopis vicinis, vel procul a dicto monaſterio conſtitutis, nihil uſurpare, nihil contingere, quod ſubtus tenor hujus privilegii & norma decernit: ut epiſcopus, quem pater monaſterii vel cuncta

Sſſſ

congregatio voluerit ad celebranda miſſarum ſollemnia, aut conſecrationem abbatis, vel etiam tabularum, io quibus miſſæ debeant celebrari, habeat facultatem in ipſum monaſterium ingredi tantum * ad pii opus myſterii. quo peracto, nihil contingens, ſed omnia gratis peragens, ad propria mox regredi non moretur; nihil, ſicut diximus, uſurpans de rebus monaſterii, non de ſacris altaribus, non de ornamentis, neqoe de vaſis, neque de ſacris voluminibus, neque quicquam majus vel exiguum, ſed nec concupiſcere attemtet; quia, ſi privata concupiſcere ſatis eſt noxium, quanto magis ſacra auferre aut deſiderare, & juri ſuo mancipare, Deo eſt inimicum: interdicentes etiam epiſcopo, in cujus parochia eſt prædictum monaſterium conſtitutum, ut nihil contra tenorem præſentis decreti pia poſtulatione indulti quicquam attemtet, vel ejus ſucceſſores præſumant prohibita contingere. Chriſma igitur, vel quicquid ad ſacra myſteria pertinet, ſi a patre monaſterii fuerit poſtulatum, a quo præviderit ſpititale patre cenſemus modis omnibus annuendum. Et, ot ſuperius dictum eſt & ſæpe dicendum eſt, nullam poteſtatem convenit habere epiſcopos in eodem monaſterio, neque in rebus, vel in ordinandis perſonis, excepto quem tota congregatio elegerit poſt mortem patris monaſterii, ut debeat ordinari. Super hæc neque preſbyteros, neque diaconos, nec aliquam quamlibet perſonam in eodem monaſterio habere ullo modo poteſtatem, vel quicquam immutare vel agere: cognoſcentes quia ſub apoſtolica ſede, id eſt beati Petri apoſtoli, eſt conſtitutum. Rogatus vero epiſcopus a patre monaſterii & a cuncta congregatione, ſuam exhibeat præſentiam, non tamen petitus ad ſecreta monaſterii accedere præſumat, ne quietam monachorum vitam, qui ſolitaria propter Deum ſtudia peragere decreverunt, frequens ſacerdotum inſolentia perturbare videatur. Si autem, quod non optamus, monachi in eodem monaſterio conſtituti, tepidi in Dei amore aut inſtitutis patrum torpentes quandoque conſpiciantur exiſtere; ſecundum regulas patrum ab abbate, id eſt a patre monaſteri, corrigantur. Si autem & ipſe in corpore INSTITUTÆ PATRUM REGULÆ fuerit reprehenſus, in aliquam vel ſiniſtram partem inclinatus, a ſede apoſtolica, ſub cujus ditione conſiſtit, conſtituimus corrigendum. nec enim cuiquam epiſcopo damus licentiam ſub obtentu reprehenſionis aliquam in monaſterio ſuam extendere ditionem; ſed ejus Capiti, id eſt apoſtolicæ ſedi, pertinere cognoſcas; ſtatuentes apoſtolica cenſura, ne ulla hominum perſona, magna vel parva, contra hoc noſtrum privilegium venire pertemtet, &c.

* Hucuſque codex Dervenſis.

OBSERVATIO.

Vulgatiſſimum eſt in antiquis inſtrumentis privilegium Luxovienſis monaſterii, etiam apud Marculfum, ſed a nemine hactenus publicatum. Ejus fragmentum invenimus in chartaceo codice Dervenſis cœnobii: cetera ſupplevimus ex pontificiis diplomatibus ſubſequentium pontificum, Benedicti VIII. & Leonis IX. qui iiſdem pene verbis ſuperiorum pontificum, adeoque Johannis IV. privilegia confirmarunt. An præmiſſum Johannis IV. privilegium ſit primum Luxovienſis monaſterii, quod veri ſimilius exiſtimo; an tantum confirmatio præcedentis, non omnino exploratum. Conceſſum eſt ad preces Chlodovei Francorum regis, qui proinde ante annum DCXLI. *quo Johannes poſt annos non integros duos deceſſit, Dagoberto patri ſucceſſerat, quod & ex ſuperiori quoque privilegio probatur. Jam eo tempore conjuncta erat ſancti Columbani regula cum Benedictina, ut ex his litteris patet.*

Conſimile omnino privilegium Habendenſi ſeu Romaricenſi monaſterio, in quo tunc Mactefledis abbatiſſa ſanctimonialibus præfuiſſe dicitur, ab eodem pontifice conceſſum habetur in chartaceo codice, ſed interpolatum in eo, quod legitur, excellentiſſimos reges Francorum poſtulaſſe, ut apoſtolicæ ſedis privilegium monaſterio beati Petri apoſtolorum principis, in loco, qui antiquitus vocatur Habendi-caſtrum, nunc vero a modernis Mons-ſancti-Romarici vocitatur, in quo vir venerabilis Romaricus .... & ſanctus magiſter ejus Amatus ... monaſterium conſtruxiſſe comperiuntur. *Probabilius eſt aliud ejuſdem privilegii exemplum, in quo omittitur* ſancti *elogium, ubi agitur de ſancto Romarico, qui illic* non parvam congregationem tum monachorum, tum ſanctimonialium, *inſtituiſſe dicitur: ſtatuiturque, ut ſi* ſorores *ejuſdem monaſterii tepida in Dei amore aut inſtitutis patrum extiterint,* ſecundum regulas patrum, *ſcilicet ſanctorum Benedicti & Columbani, a matre monaſterii corrigantur. At in eo mendum eſſe videtur, quod hoc privilegium conceſſum dicitur rogatu Chlotharii regis, loco Chlodovei, qui tamen aliquando Chlotharius dictus eſt ab auctoribus poſterioribus, ſed haud ſcio an ipſo tempore, quo Chlodoveus vixit.*

In eodem chartario habetur diploma Heinrici IV. imperatoris datum anno MLXX. *in quo Romaricus Habendenſe monaſterium multum ditaſſe perhibetur, illudque* Romanæ libertati & regali defenſioni *ſubjeciſſe, eo pacto, ut præſuli ſanctæ* Romanæ ſedis in quarto anno auſcolinum cum albo equo repræſentaretur: regiæ vero poteſtati dediſſe medietatem allodiorum ſuorum, ſcilicet DCO. manſos, hac conditione, ut aliam medietatem, id eſt totidem DCC. manſos integre & libere cuſtodiret & defenſaret ad præbendam fratrum & ſororum, & ad luminaria ſanctorum, atque reſtitutionem monaſterii Romaricenſis.

In eodem diplomate recenſentur ea, quæ abbatiſſa imperatori pro juſtitia ſibi facta perſolvere deberet. Verum illud mihi valde ſuſpectum eſt.

XIX.

Præceptum quod fecit S. Annemundus pro monaſterio S. Petri Puellis Lugduno civitate.

EGo Annemundus ſancti Stephani protomartyris Lugdunenſis eccleſiæ, primæ ſedis Galliarum archiepiſcopus, omnibus fidelibus,

Ad lib. 14. n. 25. Ex archivo S. Petri Lugd.

tam præſentibus, quam futuris, notum facio, quod rogatu mei prædeceſſoris beatæ memoriæ Viventioli, ejuſque eccleſiæ archiepiſcopi, qui me præfatæ eccleſiæ ſe vivente archiepiſcopum ordinavit, & in monaſterio ſancti Petri Puellis monialibus permanentibus plura beneficia miniſtravit; ſuper hæc omnia conſideravi optimum fore eidem monaſterio operam meam dare, propter meas duas ſorores, quæ illic aſſiduis precibus parentum meorum, videlicet Sigoni & Petroniæ, ſacrum velamen conſecutæ ſunt: una quarum Petronilla, & alia Lucia vocabatur. Parentes vero mei, cum ad finem ſui examinis pervenire ſe cernerent; tam me, quam fratrem meum, nomine Dalfinum, oculos noſtros ipſi monaſterio apertos tenere monuerunt; ut Deus tam ſibi, quam ſuis parentibus, videlicet vivis & defunctis, miſereri dignaretur, rogavere. Hujus rei non immemor, dum incolumis permaneo, petitionem patris ac matris implere deſiderans, eidem monaſterio de meis facultatibus, quæ ad me pertinent, in perpetuum dono. Do autem in epiſcopatu Genevenſis eccleſiæ eccleſiam mei juris, in honore ſancti Petri dedicatam, cum omni ejuſdem honore ad me in eadem regione pertinente, cum beneficiis, & decimis, & ſepulturis, quæ omnia ad ipſam eccleſiam pertinent. In pago vero Viennenſi, in loco qui vocatur Turris-de-Pino, circumquaque do omnes honores meos illac ad me pertinentes. In omnibus ſupradictis honoribus villicos rogatu abbatiſſæ ejuſdem monaſterii, nomine Radagundis, atque congregationis ejuſdem loci diſpoſuimus, qui fideliter cenſus & tributa quærerent, ac fideliter prædictæ abbatiſſæ, tam ſibi, quam ſubſequentibus redderent. Simili modo Animoniæ abbatiſſæ ſupradictæ nominatæ congregationis ejuſdem loci conſtituimus villicos in parochia, quæ dicitur *Marines*, necnon in vico, qui vocatur de Loimipagus, atque in villa de Brego villicum, ut qui introductus fuerit, centum ſolidos abbatiſſæ daret; ſubvillicus ſexaginta. Similiter & in mutatione abbatiſſæ. In perceptione autem bonorum, ut abbatiſſæ atque congregationi monaſterii ſuper altaria juramenta fidelitatis facerent, fideliterque tenerent. Inſtitutio autem hæc facta eſt, ut villicus, quocumque loco abbatiſſa juberet, pergeret: ſubvillicus ipſo abſente præcepto abbatiſſæ atque villici utilitates terrarum fideliter procuraret ac diſpenſaret. De terris quoque arandis, quas ad arandum utiliores cernerent, exceptis his quæ abbatiſſa ad utilitatem monaſterii procurare fecerit, tali pacto ad villico & ad ſubvillico tali modo pertineant. Quod ſi illi qui acceperint, ædificationem aliquam fecerint; ædificatio ipſi monaſterio revertatur: ſi vero vendere voluerint, prius abbatiſſam quam alium ſubmoneant, eaſque * levius vendant. Villicus autem aut ſubvillicus ſuper extollentiam oculorum contra abbatiſſam ſi ſubire cœperunt, aut aliquid indecens violenter egerunt; prius trina peracta invocatione capituli ipſius monaſterii, abbatiſſæ rectum facere ſi recuſaverint, ab omni munere * amicis tradito expellantur: abbatiſſa autem utiliores ſibi perquirat. Parochiam de *Marines* cum eccleſia beati Johannis Evangeliſtæ, & Dolomicuraticum * vicum cum eccleſia beati Petri, & terris, & manſis, & nemoribus, atque ſilva Bregonenſis * cum concurſibus aquarum, terraſque Trequaſenſes atque terras Bregonenſes dedit Albertus nobiliſſimus vir monaſterio beati Petri puellarum, qui unus ex primis converſus exſtitit non poſt multum tempus paſſionis ſancti Irenæi ſociorumque ejus, propter duas filias, quas ibi ſacrare fecit, una vocabatur Radagundis, atque altera Aldagondis, atque Pernetam filiam fratris ſui, nomine Silvini, quam pater moriens in tutelam ejus dereliquit, & aliam, nomine Sibyllam, ſimiliter conſecrare fecit. Villam de Carpezato dedit beato Petro apoſtolo ſimiliter Stephanus vir inluſtriſſimus, propter filiam ſuam, nomine Anningardis, quam conſecrare fecit. Villam autem Increratam cum eccleſia duo nobiles beato Petro dederunt, quorum unus vocabatur Radulfus, & alter Constantinus. Hoc donum factum eſt propter duas ſuas filias, quarum una vocabatur Raimundia, & altera Vandamodia. Hæ Deo diſponente ejuſdem monaſterii una poſt aliam abbatiſſæ factæ ſunt. Hi ſupra dicti dona dederunt præfata, quod nos confirmamus. Inſuper & de bonis noſtris augmentamus, ſcilicet paratas ſupradictarum eccleſiarum, & decimationes omnium vinearum illarum, & oblationes vivorum, & tumulationes defunctorum ad illas pertinentium eis donamus. Hæc autem Deo annuente & diſponente a me ordinata ſunt in præſentia capituli ejuſdem monaſterii. Si quis autem hæc decreta a me conſtituta aliqua præſumtione violaverit, ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & beatæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & ſancti Petri apoſtolorum principis, & omnium ſanctorum Dei excommunicamus illum, atque anathematizamus illum, donec ad emendationem tam abbatiſſæ, quam congregationis in capitulo ejuſdem monaſterii venerint.

* ſ. eique
* ſ. amminiſtrationis.
* Dolomieu.
* Bregon.

XX.

Confeſſio cujuſdam Genethiſelo.

Confeſſio Genechiſelo. Ipſe dixit, involavit una cum Theodobaudo & Juniuberto Bauciaco, & Sindefuſco, & occiderunt ipſo in caſa ipſius Genechiſelo, unde ſe conſcius eſſe culpabiles ſe cunnuſcit. ſignum Genechiſelæ confeſſus, preſentis teſtis. Signum Abodio. Signum P. Pattecio. Signum Audemundo. Signum Doco.... Signum Dumnechiſelo. Signum Alluni. Signum Audeſcando. Godechiſilus ſubſ. anno XVI. regis domni noſtri Sigiberti, Etherico, Bobolenus ſcripſit & ſubſcripſit.

Ad lib. 14. n. 34. Ex Authentico ſancti Dionyſii in Charta Ægyptiaca.

In dorſo.

Hic eſt confeſſio Genechiſelo.

XXI.

Hymnus de S. Adalbergæ virgine.

Ad lib. 54. n. 37. Ex cod. ſancti Amandi ann. 600.

LAudes canamus Domino
In ſanctæ virginis feſto
Adalbergæ, recolendo
Sancta geſta corde pio.
Hæc fuit celſa femine,
Celſior ſed actione;
Virgo manens cum decore,
Carne ſimul atque mente.
Regia de ſtirpe orta,
Cæli civis eſt effecta;
Angelorum ſorte digna,
Caſtitate laureata.
Nam terrenum ſponſum templit,
Et cæleſtem concupivit:
Huic loco membra dedit,
Spiritum æthræ locavit.
Cujus auctor nos benigne
Exempla ſequi concede,
Ut cum ipſa ſine fine
Tecum fas ſit conregnare. Amen.

In fine adduntur hi verſus de eadem, ut videtur, Adelberga.

Sanctæ matris Faræ hauſtum
Doctrinæ ebibens ſanctum,
Probum vitæ habens actum,
Hunc benigne rexit locum.

XXII.

Præceptum Childerici regis pro monaſterio Senonienſi.

Ann 665. lib 15 n 15. Ex archivo Senonienſi.

CHILDERICUS REX FRANCORUM, Omnibus viris apoſtolicis patribus noſtris, necnon inluſtribus viris comitibus, vel omnibus audientibus & futuris. Oportet Clementiam regalem inter petitiones ceterorum præcipue Sacerdotibus Dei benigne auditum accommodare, quodque pro timore divini nominis poſtulatur, ponatur ad effectum, ut eo fiat ad mercedem, quo ſervis Dei congruit ad quietem. quod enim talibus devota mente impenditur, major exinde procul dubio merces adquiritur, ſicut ſcriptum eſt: *Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Gundelbertus igitur epiſcopus ſive abba, monaſterium in honore ſanctæ Mariæ, & ſancti Petri, ſociorumque ejus, in pago Calvomontiſi in Voſago, ſuper fluviolum Rabadonem viſus eſt ædificaſſe, ubi plurimam ad præſens monachorum turbam noſcitur adunaſſe. Hujus itaque viri ſancti petitione ſuſcepta, ut ſcilicet clementia noſtra quietem ipſorum ſervorum Dei perceptione vigoris noſtri debeat roborare; placuit huic noſtræ auctoritatis decreto plenius inſerere, ſub quo tranquillitatis ordine juxta religionis normam Domino protegente ſecuri valeant in perpetuum reſidere. Non autem ſuper hoc nobis aliquid detrahendum æſtimet, quia non de canonica inſtitutione convellitur, quidquid domeſticis fidei pro tranquillitatis beneficio conceditur. Nec cauſetur quiſpiam quaſi novum nos aliquid vel inuſitatum ſtabiliſſe; cum antiquitus juxta conſtitutionem pontificum per regalem ſanctionem multorum ſanctorum monaſteria ſub eodem libertatis videantur privilegio, quo & præſens volumus cum Dei adjutorio præmunitum conſiſtere. Ideoque propter nomen Domini & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti quicquid ipſe domnus Gundelbertus ex permiſſu noſtro in Voſago laboravit ſuper fluviolum Rabadonem * & Grandem-rivum, & Dolonoſum, concedimus ad ipſum monaſterium, Senonicum dictum, quod a novo ædificavit per fines & marchias, terminos, vel confinia, id eſt Pertulum-villare, Almarega, uſque in ſummas Campanias, & Medium-montem & Petri-a-fontanam inter duas ſtratas uſque in Bruſcam *, Marcofeldis cum Rotundo-monte; deinde in ſtrata-Sarmatorum * uſque in Mariſanga, cum Doloſana, fontana, cum Hurino monte * & cum ipſa fontana Hurinega, & Foreſte * abitatione uſque in Rabadonem cum Pigerio rivulo. Hæc omnia denominata cum terminis rerum, vel quidquid in Calvomontiſi * Suetinſi *, Salinſi * . . . . . . ſeu cum omnibus locis videtur idem monaſterium in præſenti poſſidere, vel poterit adquirere, ſecundum hanc noſtræ delegationis paginam liberrima ſibi illibataque permaneant. Hoc in augmentum adbibito, ut nullus penitus judicum præſumptione ſua, vel cujuſlibet hominis licentia præfatum monaſterium abſque voluntate ipſorum ſervorum Dei in alterius hominis jus, vel dominium audeat vertere, vel ſibimet uſurpare: & ſi hoc fecerit, quod primum eſt, iram Dei incurrat, & regalis offenſam gratiæ ſuſtineat. Illud etiam nobis pro integra viſum eſt mercede addendum, ut tam illas quæ ex noſtra largitione, quam eas quæ ex adquiſitione ſeu delegatione poſterorum ad ſæpe dictum monaſterium devolutæ fuerint poſſeſſiones, nulla umquam judiciaria poteſtas, nec præſens, nec ſuccidua, ad cauſas audiendum, aut aliquid exigendum præſumat ingredi, ſed ſub immunitatis privilegio hoc ipſum monaſterium, vel congregatio ſua ſibimet extra omnes fiſcos debeant poſſidere: & quidquid inde fiſcus noſter forſitan, aut ex eorum hominibus, aut ex illorum ſervitoribus, vel in eorum agris manentibus, vel undecumque poterat ſperare, aut ſolebat ſuſcipere, ex indulgentia noſtra penitus ipſi ſancto loco ad ſtipendia Deo ibidem ſervientium remittimus, & in Dei nomine concedimus: ut tam nobis præſentibus, quam per tempora ſuccedentibus regibus & principibus, ad compendium debeant cuncta proficere, & pro æterna ſalute & felicitate patriæ ſeu regis conſtantia delectet ipſos monachos immenſam Domini pietatem interpellare. Quod præceptum decreti noſtri, Chriſto in omnibus ſuffragante, ut firmius nunc, & perenniter conſervetur, conſcriptione manus noſtræ infra ſtu-

* *Rabeda.*
* *La Bruſch.*
* *Chemin des Saunyers.*
* *Montagne-Dormont.*
* *Frete.*
* *Le Chaumontois.*
* *Le Saintois.*
* *Le Saunois.*

Digitized by Google

duimus roborare, & de anulo noſtro juſſimus ſigillari.

ADNOTATIO.

Hoc privilegium renovavit Otto III. rogatu Adalberonis epiſcopi Metenſis, inſeruitque præcepto ſuo, dato anno DCCCC XLIX. *regni ſui* XIII. *in quo Adalbero petiiſſe dicitur*, ut quoddam privilegium jam ab antiquo Hilderico rege cuidam Gundelberto epiſcopo conceſſum ſuper monaſterium, quod a novo in honore beatæ Mariæ virginis, in ſilva Voſago vocata, in loco Senonico, prope fluvio Rabadoni conſtruxit, denuo hoc idem renovaret, &c. *Illud ipſum Heinricus etiam tertius renovavit. Quod vero privilegium illud* ab antiquo Hilderico rege *conceſſum dicitur, id intelligendum de Childerico Chlodovei junioris filio*, qui antiquus dictus *ſit ad diſcrimen Childerici Merovingicæ ſtirpis ultimi regis.*

Grandis-rivus & Dolonoſus duo ſunt rivuli, qui in Rabadonem influunt, unus ſupra, alter infra Senonienſe monaſterium. Pertulum-villare locus eſt, ubi ſitum monaſterium. Almarega rivulus eſt, qui in Rabadonem devolvitur infra Medianum-monaſterium. Medius-mons, vulgo Doumont, *mons eſt præcelſus, in quo plurimæ ſtatuæ, præcipue Mercurii, pleræque mutila, hactenus viſuntur.*

XXIII.

Chlotharii III. præceptum pro monaſterio S. Dionyſii adverſus Beracharium epiſcopum.

Ad lib. 16. num. 2. Ex authentico. [CHlotharius] rex Francorum, vir inluſter. . . . ſiniſcalcis Widrachado & Anſeberctho, referendariis, & Chadoloaldo comiti palatii noſtro ad univerſorum cauſas audiendum vel recto judicio termenando reſederemus, ibique venientes agentis monaſthirii domni Dioninſe, ubi ipſe precioſus domnus in corpore requiiſcit, adverſus apoſtolico viro domno Berachario epiſcopo adſerebant, eo quod Ermelenus quondam, vel filius ſuos Goddo in ger . . . . . erachario contradicere. . . . debet, qui Berachatius . . . . dicebat eo quod ab ipſo Ermeleno io geniture ſuo exinde epiſtola donationis fuiſſe conſcripta, & ob hoc ipſa heredetas ad eodem perveniſſit, ſed in præſenti antefati agentis domni Dioninſe precepcione incliti recordationis domni & genituris noſtri Chlodovici quondam regis protullerunt recenſenda, ubi . . . . . Ermeleno . . . . eceptio contenibat, ut ubi & ubi ille . . . . Ermelenus in Beroaldo heredebuſque ſuis fecetat, invenibantur, vacuas & inanis permanirent, & nullum forturentur effectum; ſed ubicumque antedictus Ermelenus vel filius ſuos Goddo eorum facultatem daro aut derelinquere vellibant, liberum ex permiſſo prædicto Princepe habirent arbitrium. ſed dum modo inter ſe foret . . . . revocare dominium . . . . . parti Berachatius epiſcopus ex ipſa facultate abſque repeticionem agentum predicti monaſthirii ad ſuum jure revocare deberit. quod & in preſenti judicia noſtra utraſque partis pro calcanda lite viſe fuerunt accepiſſe. ſed dum in ipſa cauſacione intenderent, veniens ex pro . . . . homo, nomene Madroaldus, preſentebus ſupra ſcriptis viris . . . . quod de predict . . . . fecere ſupraſc . . . . . . loca Madroaldo viro dediſſit . . . . . ſed in preſenti profeſſus eſt, quod ipſas villas per vindicioois ritolum accepta ſua pecunia diſtraxerat. ſupra ſcrip. agentis ſancti domni Dioninſe in preſenti aſſerebant, quod illas duas partes de prædictis villabus, quod Berachatius vendiderat, recepire vellibat. ſed in quantum inluſter vir Chadoloaldus comis palatii noſter nobis . . . . abſque repp . . . . . . que heredebus vel . . . . . . eco agentis domni Dioninſe habeat, evindecaret in villas, id ſunt Simplicciaco, Tauriaco, Stupellas, Flaviniaco, Pociuſciniaco, Vaſſurecurti, Burgonno, Alintummas, Saſtivale, Cambariaco, Burſiaco, Coriaco & Munciaco ſitas . . . pagus Cinnomannico, Andicavo, Rodonico, & Muſſa. unde in cauſacionem pro Chagilbertho quondam & Ermeleno ad ſ . . . . præſcrip. villas Simpliciaco, Tauriaco, Stupellas, Flaviniaco, Pociuſciniaco, Vaſſurecurti, Burgonuo, Alintummas, Saſtivale, Cambariaco, Burſiaco, Coriaco, & Munciaco, quem per noſtro . . . . quod in ipſas villas Berachatius habire poterat, inſpecta ſua epiſtola hujus mereti partibus ſancti domni Dioninſe vel . . . facire & . . . . dictum . . . . & domnus Berachatius . . . . illas duas partis . . . . partibus monaſthirii placuit reſtaurare. Semileter antefa . . . . & expopondedit ut omni tempore ſe alequa calumnia aut repeticionem quiſlib. . . . . .

Aliud ejuſdem regis præceptum pro eodem monaſterio.

. . . . vir inluſter . . . . An. 670. Ad lib. 16. num. 2. Ex authentico.
. . . . . . & ſua fiant iſtabilis confirmare. Idioque venerabilis vir Wandeberctus abba de baſileca peculiaris patroni noſtri domni Dioninſis, ubi ipſi precioſus in corpore requiiſcit . . . . noncupantis Aguciaco, Cuſduno, Magninovilla & Medianovillare, ſeo & Gellis, ſitas in pago Belloacinſe, pro ſue animæ remedium ad matrigolarius prefati ſancti baſileci domni Dioninſis, unde ſuſtancia . . . . & ejus manus dicuntur tripedare illi calamus; idio ipſe auturetate mano propria non podibat ſubſcribere, niſi domno & geniture noſtro Chlodovio quondam rege, dum adoliſcens erat, vel avi noſtri Nantechil . . . . are vel ſubſcribere debirint. quod & tunc manifeſtum fuiſſe vel ficiſſe denuſcitur: & poſtia ſuprascrip. domnus & genetor noſter per ſuam auturetate ſua mano ſubſcr . . . . enoius ad ipſus . . . . . abire adfirmat & villas ipſas ipſi matrigolariæ, unde ſubſtancia viditur habire, tempure preſente aſſeriut poſſedire vel domenare: ſed pro integra firmetatem p . . . . memor.

..... abba............ deberimus cujus p..
..... cione pro referencia ſancti loci gradanti
animo priſtetiſſe vel confirmaſſe cognuſcitur.
Precipientis enim, ut quicquid in memorata loca
ab ipſo avo noſtro ad ipſa ſancta baſileca.....
...... firmatum hoc eſ ...... is, domebus,
mancipiis, aquolabus, viniis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſebus, peculiis, preſidiis movile & immovile... qualibet ......
vel quidquid .... auturetatis predictis princibebus per noſtro precepto generale confirmati,
habendi, tenendi, poſſedendi ad ipſa ſancta baſileca .... eam ſubter dectivemus adfirmare.

CHRODINUS optulit.

Aliud ejus diploma pro eodem.

Ibid. [Chlotharius] rex Francorum, vir inluſter ...
.... deremendum vel juſto judicio termenanda
* actores reſederemus, ibique venientis acturis * monaſthirii peculiaris patroni noſtri domni Dioninſe,
ubi ipſe precioſus in corpore requiiſſet, Ingober.......... ſup...... fimena dedit in reſpunſis, quod acta conpoſcio talem habibat, qualiter ipſas villas ipſe Ermelenus jocalis ſuos ei
contullerat: ſed ipſe agentis e contra ....
& predictus pontefex in preſenti adſtabat, &
precaria oſtendebat ab ipſa fimena facta; quo
* relecta relicta *, inventum eſt, quod ipſa fimena de
omni corpore .... corpore faculiatis
ipſius Ermeleno feciſſe: ſed agentis predicti baſilice vendicione vel precaria ab ipſo Ermeleno
in germano ſuo Chugliberctus.... conſcripta
oſtend. .... de omne corpore facultati
ſui conſcripſerat, & ipſas in preſenti oſtendediſunt recenſendas, & intendibant, quod ipſas duas
partis de predictas villas Tauricciaco & ......
.... dictas villas adgæcenciaſque æarum in
integrum ſuo dominio valeret vendecare. pro-
* nos pterea nus * ona cum noſtris procerebus conſtet
decreviſſe, ut ipſas duas partis de preſ.......
dum & inluſter vir Chadoloaldus comis palatii
noſtri, ... quod taliter hac cauſa acta vel
* ſeu per ordeni inquiſita, ſeo * defenita fuiſſe denuſcetur, jubemus ut ipſas .... domni
Dioninſe hactu.... que .... omni tempore habiant evendecatas; & ſit inter ipſis de hac
* ſopita re in poſtmodum ſubita * cauſacio

Teoberctus rog.....
.... Novembr..... an. rigni noſtri tercio
in nomine [Domini feliciter.]

XXIV.

Teſtamentum Vigilii epiſcopi, ſeu Charta fundationis beatæ Mariæ Parthenonis extra portam urbis Autiſſiodorenſis.

Ad lib. 6. n. 5. SANCTA ac venerabilis baſilica domnæ
Mariæ genitricis Domini .... quam
opere meo in ſuburbio murus civitatis de Alchiſiodero viſi fuimus conſtruxiſſe ....
vel monachis ibidem deſervientibus, ego Vigilius peccator inſpiratione divina ....
hoc oportuit & congruit pontificale ordine
prævidere adſenſum, unde religionis nomen
adcreſcat in melius, & ſanctorum loca venerationem condigna Chriſto Domino inſpirante.
Ideoque dono ipſius baſilicæ ſanctæ Mariæ, in
alimonia pauperum ibidem reſidentinm, donatumve poſt diem obitus mei in perpetuum eſſe
volo, hoc eſt vineas illas, ubi ipſa baſilica eſt
conſtructa: cui ſubjungunt ab uno latus ſtrada
publica, qui de ipſa porta Pariſiaca ad Senones pergit; & ab alio latus ſtrada publica, qui
de ipſa porta Pariſiaca ad Broile vadit; & de
ſuperiori fronte ſubjungunt vineas Midranicas.
Inde juxta vineas ad heredes Attone condam
uſque ad vineas domni Germani; & inde ad
ſtrata ſuperius nominata, qui ad ſanctum Simeonem vadit, quicquid ibidem undique ad
me pervenit, vel præſentaliter teneri videtur
cum mancipiis, quos ibidem ſtabilivi, omnia
ex omnibus ad integrum. Ideoque dono ipſius
baſilicæ areas infra murus ipſius civitatis, quas
cum illuſtri viro Helchileno commutavi; ideoque & alias areas foras murus civitatis ipſius,
juxta portam ſuperius dictam ipſo muro adherente, quas de Lupono abbate dato precio comparavi. Simile modo portionem meam .....
Bercuiaco, quæ de alode vel undecumque ibidem ad me noſcitur perveniſſe, aut præſentaliter tenere videor, una cum prata ſuper fluvio Belchæ * ex ipſo agro Bercuiacenſe, quem * *la Belche.*
genitores mei tenuerunt, qui adheret de uno
latus & ambos frontes ad fines Patriniacenſe
per fontanam, quæ vocatur Dianna, qualiter
ab ipſa baſilica præſentaliter tenere videor, una
cum colonica, quam Quentilla condam ſuper
fluviolo Belcha tenuit; omnia & ex omnibus ad
integrum. Idemque dono ipſius baſilicæ terram
portionis meæ in villa Cauliaca * ſuper fluvio * *Coulange ſur*
Igauna, quantumcumque genitores mei ibi te- *Yonne.*
nuerunt, vel inſuper ad me noſcitur perveniſſe, cum manſis, hedificiis, acolabus, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis &
incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, peculium vero utriuſque ſexus. Pari modo Pauliaco * villa, ſita in pago Autiſſioderinſe pro- * *Pouilly.*
prietatis meæ ſuper fluvio Ligeris, cum hedificiis, vineis, ſilvis, pratis, campis, cultis &
incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, peculium
utriuſque ſexus. Simili modo ipſius baſilicæ
terram, quæ conjacet in villa, quæ vocatur
Flivenaſam, cingas IIII. Pari modo relinquo
ipſius baſilicæ terrolam portionis meæ, quæ
conjacet ad Jarticas ſuper fluvio Belchæ, manſum unum. Et rurſum do ipſius baſilicæ villam proprietatis meæ, quæ nuncupatur Buſciaco, ſuper fluvio Belchæ, manſis, ſilvis,
pratis, acolabus, cultis & incultis, peculium
utriuſque ſexus. Itemque in pago Senonico, in
villa Bonorto *, quæ eſt ſita ſuper fluvio Icau- * *Bonarz*
næ, quam per multam pecuniam dando in
proprietate recepi, manſos VII. cum adjunctis,
appendiciis, beneficiis, vineis, paſcuis, ſilvis,
pratis, cultis & incultis, ſervos & ancillas,
omnia & ex omnibus ad integrum dono in
eleemoſyna pauperum ibidem deſervientium,

** de Tonnerre.* ** Flogny.*

Simili modo in pago Tornotrinſe * portiones meas in villa Flauniaco *, quam de inluſtro viro Helchileno & germanam meam Frautilde viſus ſum recepiſſe, cum ſervos & ancillas, & hedificiis, acolabus, vineis, mancipiis, ſilvis, pratis, campis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, peculium utriuſque ſexus, cum adjunctis, appendiciis, beneficiis, vel opportunitatibus earum, omnia & ex omnibus ad integrum. Similiter portionem meam in ipſo pago, in villa Caſſiaco*, quam Dolena femina & filius ſuus Ado mihi vendiderunt, cum manſis, ſervos & ancillas, mancipiis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, omnia & ex omnibus ad integrum . . . . . .

** Cheſſy près d'Hervy.*

Item do ipſius baſilicæ domnæ Mariæ in pago Senonico & Tornotrinſe, in villas cognominatis Treviciaco, Melarione, Cadugio, Imantia, integra medietate, de quibus Aſper quondam ibidem tenuit, quod germano ſuo condam abbare Gregorio pacto ivi, quantum de ipſo pacto de ipſa faculiate in quibuſlibet rebus atque corporibus ſupraſcripta loca ad me pervenit, ſervos quoque & ancillas, cum manſis, hedificiis, acolabus, vineis, mancipiis, qui a me libertinitatis non promeruerunt, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, peculium utriuſque ſexus, cum adjunctis, appendiciis, beneficiis, vel opportunitatibus earum, omnia & ex omnibus ad integrum. Pari modo libenter præfatæ baſilicæ ſanctæ Mariæ terrolam portionis meæ in agro Treſoginſe & ante Maiacenſe ſitos, in pago Autiſſioderinſe, ſimulque portiones meas in agros Matiriacenſe & Solemniacenſe, ſitos in pago Tornoterinſe, quod infra loca Diddo quondam epiſcopus vel filii ſui Claudius & germanus ſuus Warnſerius, viſi fuerunt tenuiſſe, cum ſervis, manentibus, & ancillas, mancipiis, hedificiis, acolabus, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, peculium utriuſque ſexus, cum adjunctis, appendiciis, beneficiis, vel opportunitatibus, munere donorum fuit conceſſa, quantumcumque mihi ſuperſcripta loca tenere videor, omnia & ex omnibus in quibuſlibet rebus ad integrum. Idemque colonia Potiolus, quem de heredibus Helegio quondam viſus ſum recepiſſe, unà cum colonica Ferrarias, cum manſis, hedificiis, acolabus, ſervis & ancillas, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, quantumque præſenti tempore poſſidetur, omnia & ex omnibus ad integrum. Similiter agello proprietatis meæ, villa Donato, una cum portionis in villa Treſovio, quod ibidem habere videor. Pari modo villa Dulcio, quæ conjacet juxta fines Intranimſe *, & permanet inter has præſatas villas, hoc eſt inter Intranimſe, & villa Dulcia, & villa Donata & Treſovio visi, & dimidius, quos amita mea Flotildis mihi poſt ſuo diſceſſu viſa eſt dediſſe, cum ſervis & ancillis, acolabus, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, acceſſiſque omnibus, cum pecudibus utriuſque ſexus, qualiter amita mea hoc uſuario ordine poſſidere videtur, vel dies tranſitus ſui derelinquerit poſt diſceſſum ipſius, ad ipſam baſilicam in integritate debeat pervenire Idemque portiones meas in villas Patriciniaco * . . . . Hiſpatio, Britaniola *, unà cum portionis in agro Domitiacinſe *, in villa Miriſela *, & manſionis Arigiſillo, quantumcumque mihi ibidem juſtiſſime vel preſentaliter teneri videor, mea voluntate prædictæ baſilicæ relinquo, omnia & ex omnibus ad integrum. Similiter portionem meam in villa Scubiliaco, quam Raneſindus & uxor ſua Arthemia poſſidere videntur, & mihi dederunt, & hoc uſuri ordine poſſidere videntur, omnia & ex omnibus, qualiter tranſitus eorum in quibuſlibet rebus atque corporibus dereliquerunt ad integrum. Simulque portiones meas in villas Saciago & Caſido, quantumcumque genitores mihi viſi fuerunt tenuiſſe, una cum portione in colonica Quaciatia, quem cum germana mea Avolana commutavi. quod per teſtamentum genitricis meæ ad ipſam pervenit, cum manſis, hedificiis, ſervos & ancillas, acolabus, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumque diſcurſibus, pecora utriuſque ſexus, omnia & ex omnibus in quibuſlibet rebus, atque corporibus, conſentiente ipſa, hoc ipſa baſilica ad integrum recipere debeat. Et inſuper do quemdam ruſticum, Wulbertanum nomine, & infantes ſuos Waſcono & Magnetrude, cum ingenti multitudine parentum. Pari modo portione mea in villa Compeſciago, quem de Hebercapto ibidem habere videor, cum omnibus appendiciis, cum pecudibus utriuſque ſexus, omnia & ex omnibus in quibuſlibet rebus atque corporibus, ad integrum. Præterea meum agellum, qui vocatur Lanovilla *, quem de Ebroaldo abbare vel heredibus ſuis, & Longocampo, quem de Leotberto vel heredibus ſuis quondam recepi. Itemque in Lanoſicco * meam portionem, quam de Neſtorio vel heredibus ſuis quondam recepi; & illam portionem in quemdam montem Compeſciago, quem de Odgiſilo commutavi, cum manſis, ædificus, habitatoribus, ſervos & ancillas, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, cum pecudibus utriuſque ſexus, omnia & ex omnibus ad integrum. Similiter do ad unam cappam villam Leodebaro meas portiones, quas de Sperio & Domnoleno preſbyteru habere videor, & illam terram, quam de Ebolena ibidem comparavi, & Eſcalittas * villa, quam genitores mei tenuerunt, & Cardonaretas, quæ conjacent ante ſanctum Ferreolum *, cum manſis, hedificiis, acolabus, ſervis & ancillas, campis, pratis, ſilvis, paſcuis, cultis & incultis, aquis aquarumve diſcurſibus, peculium utriuſque ſexus, omnia & ex omnibus ad integrum. Deinde relinquo Leugam * villam, quæ eſt ſuper fluvium Lupam *, cum habitatoribus, manſis, hedificiis, & omnia convenientia, niſi vineas ad integrum. Pari

** S. Antrain.*

** Perrigny la Roze.* ** La Bretonniere.* ** Donzy.* ** Merilles.*

** Lin.* ** Linſec.*

** Eſchallis.* ** S. Fargeau.* ** Leugny.* ** Loin.*

* *Olim.* modo in Odonam * villam manſos, quos præſentaliter habere videor, & in Catellis unum manſum, & Oſello villam totam cum manſis, hedificiis, ſervos & ancillas, vineis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, ſilvis, aquis, omnia & ex omnibus ad integrum.

X X V.

Privilegium Numeriani archiepiſcopi Trevirenſis pro S. Deodato.

Ad lib. 16. n. 16. DOminis ſanctis & ſummi culminis apici, pontificaliſque cathedræ ſpeculæ præſidentibus in Chriſto fratribus, Childulfo, Giſloaldo, Eborino epiſcopis comprovincialibus, Numerianus archiepiſcopus ſupplex & fidelis veſter præſumit mittere ſalutem. Licet & nos antiquitus regulam conſtitutam ſalubri obſervatione cuſtodire conveniat; tamen ut veſtra proviſione fiat conſtituimus, ut quod ſacris deliberationibus non derogat, intrepida obſervatione obſervetur. Et quia venerabilis vir Deodatus epiſcopus religioſa poſtulatione aurium noſtrarum intima penetravit viſcerale pietatis affectu, ita cor noſtrum intrinſecus mollivit, ut petita dumtaxat non cedere, ſed libentiſſime non impleſſe noſtris animis irreligioſum fore putare. Sancti igitur deſiderii ardore ſuccenſus ſupra dictus Deodatus epiſcopus cœnobii ſepta in honore ſanctæ Dei genetricis Mariæ, vel ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli & ſociorum eorum, & ſancti Mauricii, Exſuperii & Candidi, vel ſociorum eorum baſilicas intra eremi ſecretum locum, nuncupante Galilæa, quod prius Juncturas vocabatur, ſupra fluvios Murthæ & Raurobaccio, in proprietate autem ſua, quam ex fiſci largitate promeruit, monaſterium conſtruxit, ubi monachos & peregrinos ſub regula beati Benedicti & ſancti Columbani abbatis collocavit, & noſtræ vilitatis extremitatem ſupplici deprecatione popoſcit, ut nos fratreſque noſtri illi eccleſiæ ibidem deberemus previlegium impertire. Et ne hoc nos improbæ deliberationis inſtinctu ſacerdotalis poſteritas æſtimet decreviſſe, cum etiam ſub hujuſmodi norma tam de inhabitationibus, quam a quibuſcumque ibidem aliquid delegatum eſt, eatenus fuerit factum. Inde ergo nos & fratres noſtri, abbates & preſbyteri & clerici, conſpiratione una & conſenſu jam dicti viri poſtulationi annuentes, hoc ab omnibus nobis decretum eſt, ut quidquid prædictis monaſteriis & monachis, ſub evangelica religione viventibus, ab ipſo venerabili patre Deodato epiſcopo & a reliquis Chriſtianis viris & feminis, aut regio munere, ſeu a quibuſlibet hominibus ibidem collatum fuerit miniſterii, & de ſacris voluminibus, & quod propriis laboribus poterint addere, & multiplicare, aut quæcunque ad ornatum noſcuntur ibidem pertinere, præſentibus vitæ noſtræ temporibus, ſucceſſorumque noſtrorum nullus exinde aliquid pontificum, abbatum, preſbyterorum & clericorum, ſeu & archidiaconorum, aut regalis ſublimitas ſuis uſibus audeat uſurpare, aut minuere. Et cum ſæpe dictus Deodatus epiſcopus, qui eſt Pater ipſius monaſterii, de hoc ſæculo evocatus, illum quem unanimiter omnis congregatio illa ex ſemetipſis optime regula compertum elegerit, ſeniorem & abbatem ſibi inſtituat; & ſi eis opportunum fuerit, eccleſiam benedicendam, & ſacros Ordines percipiendos a quocumque pontifice decreverint, licentiam habeat expetendi: nulluſque de eodem monaſterio, ſeu de parochiis aut ceteris monaſteriis, abſque ulla regula & privilegiis viventibus, muneris cauſa audeat ſperare & auferre; & niſi invitatus ab abbate & totius unanimitatis congregatione, liceat ei monaſterii ipſius atterere ſepta. Si ergo ab eis pontifex communiter poſtulatus pro ipſorum utilitate acceſſerit, quod ipſe abbas aut congregatio ſua ſancta elegerit, ita fiat; & celebratis ac peractis divinis myſteriis, mox abſque ullo requiſito dono ſtudeat abire: quatenus monachi, qui ſolitarii nuncupantur, de percepta quiete valeant juvante Domino per tempora exultare, & ſub ipſa ſancta regula viventes, beatorumque vitam patrum ſectantes, pro ſtatu eccleſiæ catholicæ, & pro deſiderabili ſalute Childerici glorioſi principis plenius Dominum valeant exorare. Et ſi aliquid ipſi monachi quantulumcumque de religione indebite egerint, ſecundum ſupradictam regulam domni Benedicti & ſancti Columbani abbatis, & a proprio objurgantur abbate. Et ſi, quod abſit, talis inter abbatem & monachos diſſenſio aliqua & murmur conſurgere videatur, qualis minime ab eodem abbate ibidem ſedari poſſit; tunc miſſus epiſcopus eorum ad alios abbates, qui hujuſmodi regulam teneant, conveniant in ipſo monaſterio, ſcandalumque deprimant ſententia regulari: quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domeſticis fidei pro quietate tranquillitatis tribuitur. Quod ſi quis inveniatur auſus, quæ ſuperius ſunt comprehenſa temerario ſpiritu violare, a divina ultione proſtratus reatui anathematis ſubjiciatur, & inſuper iram omnipotentis Dei incurrat, omniumque ſanctorum. Ut ergo privilegium hoc in nullo poſſit convelli, ſed præſenti tempore futuroque, Chriſto Domino protegente, incorruptum valeat perdurare, ac firmiſſimis ſubſiſtat vigoribus, manu noſtra & fratrum noſtrorum epiſcoporum & abbatum, vel preſbyterorum aut archidiaconorum ſubſcriptionibus roboratur, & inſuper fratribus noſtris venerabilibus viris, Blidoaldo preſbytero, Achivo diacono, quo perpetuo maneat inviolatum, deſtinavimus ad confirmandum.

† Signum Numeriani archiepiſcopi, qui hoc fieri præceptum... S. Dragobodi epiſcopi, S. Grotcharii, S. Baldoni epiſcopi, S. Dodoni epiſcopi, S. Chroabaldi epiſcopi, S. Garibetti archidiaconi, S. Prodagii epiſcopi. Ego Filbertus rogatus ſcripſi.

XXVI.

XXVI.

De monaſterio Hamenſi.

Ad lib. 16. n. 76. *ACtum eſt ſuperius de origine Hamenſis monaſterii, ſiti in pago Conſtantienſi in Neuſtria; relataque eſt inſcriptio tabulæ altaris nuper illic repertæ, quæ Frodomundum ſeu Fromundum epiſcopum illius cœnobii auctorem deſignat. Duo e noſtris viri docti exemplum iſtius inſcriptionis ad me miſerunt, omnino ejuſdem, prout a me ſuperius edita eſt: at D.* Raguet *eruditus preſbyter, qui tabulam, ejuſque inſcriptionem propius inſpexit, hanc aliquanto diſſimilem mihi communicavit, eamque ſic legendam cenſuit. En prima pars inſcriptionis, quæ artam tabulæ occupat.*

CONSTANTIENSIS URBIS RECTUR DOMNUS FRODOMUNDUS PONTIFEX IN HONORE ALME MARIA GENETRICIS DOMINI HOC TEMPLUM HOCQUAE ALTARE CONSTRUXSIT FIDELITER ATQUAE DIGNE DEDICAVIT MENSE AGUSTO MEDIO. ET HIC FESTUS CELEBRATUS DIES SIT PER ANNUS SINGOLUS.

Sequentes duæ inſcriptionis partes lateribus adſcriptæ ſunt.

ANNO ... AM REGNANTE THEODORYCO REGE IN FRANCIA, HOC CINUBIUM CHINGEIT, ABENS CURAM PASTURALEM IN AMORE DEI SURRUM OVIUM. PATRAVIT CAUSAS QUAM PULCHERRIME. NEC AMOR SE EU... RUM... PASCUA PERPETUA CHORO NEBAS VIRGINALE CUM MARIA ALMISSEMA CUM IPS. VIVANT ET EXULTENT IN AETERNA SECOLA. LOCUM REE CONCESSIT AD ISTUM CENUBIUM. IPSI ETENIM PRIMUS CIPIT STRUERE HIC MONASTIRIUM, DEMUM PONTIFEX URBMUS ATQUE CETÉRA SPARN. OPTINARI NUMERO....

In ſecunda inſcriptionis parte difficultas eſt in deſignando anno Theodorici regis, qui annus conditi monaſterii eſt. Sic fere picti ſunt characteres media parte mutili, præmiſſo ANN.



Si quid in his video, legendum puto, Anno IIII. jam Theodorico regnante in Francia. *Hic adſcribendum videtur alphabetum litterarum, quales in illa inſcriptione efformata ſunt, prout eas modo laudatus Raguetus pinxit.*



XXVII.

Miſſa de S. Balthilde.

III. Kal. Febr. natale S. Baltildis reginæ.

OMnipotens ſempiterne Deus, da nobis in feſtivitate beatæ Baltildis congrua devotione gaudere, ut potentiam tuam in ejus tranſitu laudemus, & proviſum nobis percipiamus auxilium. Per. Ad lib. 17. n. 5.

Super oblata.

OFferimus, Domine, preces & munera in honore ſanctæ Baltildis gaudentes; præſta quæſumus, ut convenienter hæc agere, & remedium ſempiternum valeamus adquirere. Per.

Præfatio.

(+) Æterne Deus, beatæ Baltildis tranſitum recolentes: vere enim hujus honorandus eſt dies, quæ ſic terrena generatione proceſſit, ut ad divinitatis conſortium perveniret. Per. Chriſtum.

Super populum.

ADjuvent nos, quæſumus Domine, & hæc myſteria ſancta quæ ſumpſimus, & beatæ Baltildis interceſſio veneranda. Per.

De S. Radegunde virgine.

Non. Aug. Natale ſanctæ Radegundis.

OMnipotens Deus, qui regalis ſobolis dignitatem virginitatis decore in ſancta Radegunde conſecraſti, concede propitius, ut cujus feſtivitatem recolimus, ejus intervenientibus meritis caſtimoniæ vigorem obtinere mereamur. Per. Ibid.

Super oblata.

PRo unico dilectionis tuæ ſacramento ſuſcipe ſancte Pater oblationem, quam tibi per manus noſtras ſancta offerre diſponit congregatio in ſanctæ Radegundis virginis ſanctimonio, per quam valeamus expiari ab omni iniquitatis contagio. Per.

Præfatio.

(+) Æterne Deus, qui hodierna die puerilis parſimoniæ virginitate nos lætificare tribuis in beatæ Radegundis venerationem: concedi nobis petimus ejus digne nobis intereſſe ſollemniis, & per ejus ſacræ virginis commercia, noſtra deleri infirmitatis noxia, & futura gaudia promereri; & qui ejus ſacratum recolimus feſtum, ſecum æternitatis mereamur obtinere conſortium. Et ideo...

Poſtcommunio.

INterveniente beatæ virginis Radegundis præconio, hujus ſacræ oblationis reparatio ſit nobis omnium peccaminum remiſſio, & adſtantium pia omnium protectio. Per.

Super populum.

GAudeat plebs tua, quæſumus Domine, ſanctæ Radegundis abſoluta precibus, ut & præſentis vitæ ætumpnas evadere, & ad futuram gloriam felici curſu valeat ſine macula pervenire. Per.

XXVIII.

Compoſitio inter archiepiſcopum Remenſem & Sueſſionenſem epiſcopum de monaſterio Orbacenſi.

Ad lib. 57. n. 25. Ex chartario Remenſi.

HENRICUS Dei gratia Remenſis archiepiſcopus, & Jacobus eadem gratia Sueſſionenſis epiſcopus, omnibus præſentes litteras inſpecturis in Domino ſalutem. Noverint univerſi, quod cum diſcordia mota fuiſſet inter nos ſuper reſignatione abbatis Orbacenſis, confirmatione, inſtitutione, viſitatione, & correctione ipſius; tandem nos hujuſmodi diſcordias ſopivimus in hunc modum: quod monachi Orbacenſes, cum monaſterium ſuum vacare contigerit, licentiam eligendi ab archiepiſcopo Remenſi, qui pro tempore fuerit, petere tenebuntur: electione autem celebrata, electum præſentabunt eidem archiepiſcopo, cujus electionis examinatio & confirmatio pertinebit in poſterum ad archiepiſcopum memoratum. Confirmatum tamen ab eo tenebitur archiepiſcopus remittere ad epiſcopum Sueſſionenſem, qui pro tempore fuerit, ad benedicendum & faciendum profeſſionem, ſicut facere conſuevit. Ceterum licebit eidem archiepiſcopo ad dictum monaſterium, cum voluerit, accedere, & ad inquiſitionem procedere contra abbatem, & eum, ſi ſibi juſtum viſum fuerit, amovere, negligentia Sueſſionenſis epiſcopi non probata. Si autem epiſcopum Sueſſionenſem primo ad monaſterium prædictum accedere contigerit ad inquiſitionem faciendam, contra abbatem procedere poterit; ſed ipſam inquiſitionem tenebitur remittere ad archiepiſcopum Remenſem, qui ſecundum inquiſitionem factam tenebitur procedere & judicare, niſi ab abbate ad dictum archiepiſcopum legitime & ex cauſa rationabili & evidenti fuerit appellatum. Abbatem autem non poterit amovere dictus epiſcopus, nec etiam excommunicare, vel temporalia eidem ſubtrahere, ſed alias eum punire poterit pro qualitate delicti. In monachos autem Orbacenſes & alios ordinaria juriſdictio penes Sueſſionenſem epiſcopum libera in omnibus remanebit, ſalvo tamen metropolico jure archipiſcopo Remenſi ſuper prædictis. Reſignatio etiam abbatis Orbacenſis, qui pro tempore fuerit, ad dictum archiepiſcopum pertinebit, & in manu ejus fiet, cum fuerit facienda. Hanc autem compoſitionem volumus in perpetuum obſervari. Actum anno Domini milleſſimo cc. triceſimo-nono, ſabbato poſt reſurrectionem Domini.

XXIX.

Privilegium monaſterii Graſellenſis.

Ad lib. 17. n. 38. A D. Lud. Antonio de Ruſi communicatum.

IN nomine Domini Jeſu-Chriſti, Domnis venerabilibus atque dilectiſſimis, & ſanctis fratribus noſtris comprovincialibus, ſanctarum eccleſiarum Domino diſpenſante rectoribus, Aredius ſive Petruinus, ſedis eccleſiæ Vaſenſis civitatis, ac ſi indignus, Domino diſpenſante, pontifex. Tunc nos boni aliquid ſpiritalis fabricæ inchoari confidimus, cum pro ſervorum Dei neceſſitatibus una cum noſtrorum conſilio ſpiritualia adhibemus, pertractantes, quorum opportunitatibus, qualiter communi voluntate, utrorumque merces accreſcat, ut & illis a nobis auxilium, & nos per eorum interventum Domini mereamur ſuffragium: quia eo modo ſervorum Dei monachorum culminis faſtigia alta proceritate attolluntur, cum ſupra ſolidam petram fundamenta a fidelibus jaciuntur. Ideoque monaſterium aliquod in ſuburbano civitatis, in loco, cujus vocabulum Graſello, quod nos in honore S. Victoris, & ſancti Petri vel reliquorum domnorum ſanctorum eccleſiarum viſi fumus conſtruxiſſe, placuit nobis ut ſub inſtituta ſanctorum Patrum ipſum monaſterium firmatum eſſe deberetur, ubi venerabilis vir Fredeghiſolus abbas, & congregatio monachorum auſpice Domino in ſupra ſcripto monaſterio debeant deſervire: ut ſecundum normam venerabilis viri ſancti Patris Benedicti abbatis, vel ſancti Macarii, ſeu ſancti Columbani degere, vel habitare deberent: quatenus & ipſi tramitem ſanctorum patrum tenentes, vel inſtituta primitivæ eccleſiæ, ſicut tamen apoſtolorum Acta teſtantur, quorum erat cor & anima una in Domino; nec aliquid ſe proprium habere dicebant; ſed erant illis omnia communia, & quidquid habere poterant, venditis omnibus & diſtractis, ponentes precia eorum ante pedes Apoſtolorum; erantque eis, ſicut jam diximus, omnia communia. & alibi Dominus regnum cælorum vitamque promiſit æternam, quos in Evangelio beatos pauperes appellat: quibus & convenienter cantetur, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quia parva, ut diximus, in ſuburbano civitatis monaſterii domni Victoris & domni Petri, quæ ſub ipſa urbe eſſe dignoſcitur, ideoque ad ipſius adjutorium annecti nobis placuit, ut quidquid per epiſtolas, tam per ceſſiones quam per qualiacumque inſtrumenta cartarum domnus Aredius ſive Petruinus pontifex urbis Vaſenſium, vel avia ſua domna Gregoria epiſcopia, ad ipſum locum vel ſupra ſcriptos monachos, quos ibidem Deus evocari juſſerit, ſecundum ejus voluntatem proficiat in augmentum; ut & ipſi de conſervatione regulæ ſeu traditione orthodoxorum Patrum plenius apud Deum valeant veniam adipiſci; & nos, ut diximus, per eorum interceſſiones mereamur abſolvi a noſtrorum vinculis peccatorum. Nec tali illis beneficio a

nobis præſtito credimus quorumdam fratrum Galliarum coepiſcoporum iri hac parte voluntatibus contraire, quorum jam maxima ex parte auctoritate fulcimur: dum ſimilia ſunt monaſteriorum plurimorum præſtita beneficia, & innumerabilia privilegiorum, quod longum eſt recenſere per ordinem. Tamen olim anteriores noſtri a Lerinenſi monaſteria, vel Agaunenſium, & ſancti Marcelli martyris eccleſiæ Cabilonenſium: necnon & Lugdunenſium & Viennenſium, ſeu & omnium Galliarum, quæ monaſterio privilegiorum conſtructi ſumpſerunt principium, & plurimi ab ipſa ſede apoſtolorum, quod devotionis obtentum adepti noſcuntur. Ideoque nec nos contraria duximus, ut in urbe noſtra, concredimus Domino gubernante omnium ſimilia apraſſe: quatenus juxta Apoſtoli vocem, Dei ſimus adjutores, probabiliter agricultores, vel adjutores efficimur, ſi cum Petro apoſtolo ſanctis ovibus paſcua præparamus, unde ipſi ſervi Dei delectentur tam pro noſtris facinoribus, quam pro totius urbis hujus, vel pro regni Francorum ſtabilitatem attentius Domini miſericordiam deprecari. Igitur ego Aredius ſeu Petruinus Vaſenſis urbis eccleſiæ cathedræ pontifex, prorogatus cum veſtra, ut decet, contubentia, vel ſancta fraternitate devotus, ex noſtra indulgentia tale eis ad præſens credimus libertatis privilegium, ut Domino adjuvante ipſa congregatio, vel eorum poſteritas in hac ſancta congregatione perdurantes, vel ad cæleſtem patriam contemplandum feſtinantes, quod a nobis præſenti tempore cum veſtra conſentiente fraternitate conceditur, vel veſtris ſanctis manibus roboratur, ſucceſſoribus noſtris inviolabiliter quod ſanximus perpetuis temporibus debeat obſervari, ut cetera monaſteria, ut ſuperius præfati ſumus, hoc beneficium privilegii accipientia poſſint ſub omni quiete abſque perturbatione, vel infeſtatione pontificum, vel eccleſiæ actorum, ſeu ab impetu ſæcularium remota ſancta congregatione perfrui ſub quiete; ſic tamen & præſens, nam indulgentia nos & ipſos noſcitur inchoatur, ita devotione, vel congregatione cauſa humiliter noſtra poſteritate mandamus, ut ſi epiſcopus, cujus curam paſtoralem conpetit ovium habendarum ſuſcipere, ad ipſum monaſterium, ut paſtorem decet, viſitandi vel conſolandi gratia advenerit, ita ut inſpecto ovium pio congregationis affectu, vel ædificationis ſtudio, ut decet, recta monaſteria adeat, & cum ſancta myſteria celebraverit, benedictione tradita cum alacritate recedat; nullam ex debito munere quæſitam ibi faciat, neque aliquas redibitiones priſtinas, quas conſuetudo vetuſta offerendo injunxerat: niſi quod voluntarie pro Dei timore offerre decreverint, non ex debito paſtos, neque ab epiſcopis, neque archidiaconis, neque a quibuſlibet exactoribus, hujus eccleſiæ ab ipſis requiratur, nullave redibitio quæquæ antiqua conſuetudinis cauſa fuiſſet judicata. Et pro mercede augmentove in totum devenire expecto, ſicut a nobis cum omni pietate relaxari dinoſcitur: ita & ſucceſſores noſtri pro eorum mercedis augmento gratuito animo pro æterna retributione concedatur. Et cum neceſſitas popoſcerit, ſi abbas de hoc ſæculo commigraverit, non aliunde, ſed, ſicut decet, & dignitas vel ordo eis popoſcerit, ut ibidem in ipſo conſortio intra monaſterium habuerint, de ipſa congregatione, ut optime ac perfecte regula inſtructa, & Dei timore fundata teneatur, abſque ullo præmio abbas in ipſo monaſterio eligatur. ita tamen electio ab omni congregatione agatur, ut ne quæcumque pars inferior, ſed quem ordo perfectorum elegerint, ille Domino diſpenſante ſine rixa a pontifice civitatis hujus inſtituatur. Nam abſit, ut percurrente præmio, aut congregatione inſidiante, vel aliorum qualibet contrarietate oppugnante, alius deſuper veniens inordinate inſtituatur, niſi, ſicut diximus, per electionem de ipſa congregatione, quem perfecta in ſtudio divino tota congregatio ſibi providerit ſeniorem. ſic tamen cum conſilio & voluntate ipſius urbis pontificis, non per timorem, ſed cum omni humilitate petita, & cum ipſius benedictione quemcumque elegerint, arripiant dignitatem. Itemque, ſie enim aſſolet, per tempora ſuccedentia ſi monachi qui ſubeſſe debent, habendæ ſacro congregationis ordine neglegentes ſteterint in ſua gloriantes libertate, tunc pontifex iſtius civitatis conjungens ſibi ſacerdotes vel abbates, qui ejuſdem regulæ tramitem tenere videntur, eos paterno affectu cum ſpiritualibus ſibi adhibitis juxta Evangelium duobus, aut tribus, aut, ſi neceſſe eſt, amplius, in ipſo monaſterio ad conciliabulum debeat advocare, & juxta eorum regulam vel conſuetudinem ad eorum ordinem corrigere, vel reducere dignetur, ut non liceat, quod abſit, per timorem vel deſidiam quod ſancti Patres inſtituerunt per longitudinem temporum immutare. Cum eccleſiarum tabulas neceſſarium fuerit benedicere, aut fortaſſe chriſma, aut ſacro baptiſmate expetere; ſine præmio a pontifice hujus eccleſiæ ſibi debeant accipere; nihilque ipſe pontifex neque ullius prærogativæ poteſtatis uſurpans de rebus monaſterii; nec de ſanctis altaribus, non de ornamentis eccleſiæ, neque de vaſis, nec de ſacris voluminibus, nec quidquam majus vel exiguum temerarius præfato monaſterio audeat auferre. Et cum aliquem ad gradum eccleſiaſticum ipſe abbas voluerit permittere, cum omni humilitate pontifici hujus urbis ſuggerat: & ipſe, ſicut decet paſtorem, gratis & abſque munere tribuat. Et ante tribunal Chriſti ipſum pontificem conjuramus atque precamur coram Deo & angelis ejus, ubi dignitatis ordo præſtat, & eorum petitio juxta vitæ meritum eſſe videtur, contrarius ipſis eſſe non dignetur. Unde quæſumus & conteſtamur, atque per caritatis indulgentiam interdicimus omnino epiſcopis, tam ſucceſſoribus noſtris, quam & vicinis, vel procul prædicto monaſterio conſtitutis, nihil contra tenorem præſentis decreti cujuſque congregationis aliqua poſtulatione inducti, quicquam attemptare, vel prohibita contingere; non in his rebus, quas ſuperius nominavimus, vel in ordinandis perſonis, vel poſſeſſionibus ipſius monaſterii, vel quæque ſub

ejus jure eſſe noſcuntur, vel quidquid per epiſtolas noſtras, ſicut ſuperius diximus, ei monaſterio conceſſimus, non epiſcopus, non archidiaconus, non vicedominus, non quicumque de actoribus hujus eccleſiæ nullas paratas, neque manſiones, neque aliquas redibitiones, neque poſſeſſiones, quæ, ſicut jam diximus, huic monaſterio fuerint tam a nobis bujus eccleſiæ rebus indultæ, quam quæ a bonis religioſis hominibus fuerint inantea Deo adjuvante collatæ, nullus requirere aut exigere, vel aliquid inſtigante epiſcopo maligno per ſortiam ac præſumptionem auferre, vel audeat abſtrahere; ſed ſub omni quiete ipſis ſervis Dei liceat ſub eorum regulæ auctoritate degere, & habitare. Hoc igitur eis indultum privilegium, quod jam a multorum monaſterio Galliarum diximus exemplum, mandamus, atque hoc teſtamentum poſteritati noſtræ per omnipotentem Deum conjurare præſumimus per omnia manere inconvulſa, cum omni connibentia fratrum noſtrorum indultum eſſe proſpexerint, quorum connibenti conſilio ad præſens cernitur inſtitutum, roboratum manibus & conſenſionibus, quod nos pleniſſima voluntate edidimus & conſcripſimus, ſubtus per ordinem valeat eſſe confirmatum. Et tamen neminem veſtrum credimus adeſſe per tempora ſucceſſorem, qui hanc præſentem inſtitutionem debeat convellere. Quod ſi quis calliditate aliqua vel cupiditate injuncta quicquam de prohibitis præſumpſerit attemptare, vel contra ſuperiora decreta per tempora ſuccedentia quoquo modo venire; primo quidem a communione ſanctæ Eccleſiæ in hac parte, & portione omnium chriſtianorum diviſus, ultione Dei omnipotentis feriatur, & hic, & in futuro excommunicatus appareat, & illius adjutorio, qui ligandi, ſolvendique poteſtatem in cælo & in terra accepit à Domino, dejectus ſit, & alienatus: portio etiam illi proditoris Judæ Scariothis, qui Dominum tradidit, ultionis vindicta adhibeatur, & cum Dathan & Abiron vivus in infernum deſcendat, atque omnium ſanctorum conſortio ſeparatus, numquam de ſuis facultatibus ſive proprietatibus pro animæ ſuæ remedio intelligat aliquid facere, qui a nobis indultum beneficium ſervis Dei voluit convellere, vel irrumpere; ſed in omnibus Deo auxiliante quæque a nobis pro ipſorum ſervorum Dei compendio digeſta vel collata ſunt, per præſenti, deterritis adverſariis, paginula firma & in omnibus connexa atque inviolata in perpetuo Deo auxiliante permaneant: quo potius hoc privilegium poſſit convalere, nec inſtigante malorum hominum facto in alium poſſe inrumpere, manus noſtræ ſubſcriptionibus decrevimus affirmare, & omnium fratrum provincialiumque noſtrorum, quod pleniſſima voluntate valeat obtinere, eorum manibus petimus roborandum, ſtipulatione pro omni firmitate ſubnixa. Factum privilegium kal. Februarias, anno decimo regni domini noſtri Theoderici regis.

In Chriſti nomine Petruinus ſive Aredius, acſi peccator, epiſcopus hoc privilegium a me factum & refirmatum relegi, & promptiſſima voluntate ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Wolbertus, acſi peccator, qui rogatus a domno Aredio epiſcopo hoc privilegium ſalva canonica inſtitutione ſubcripſi.

In Chriſti nomine Aghiacus epiſcopus rogatus a domno Aredio epiſcopo hoc privilegium inſtitutionis ſubſc.

In Dei nomine Ambroſius epiſcopus rogatus a domno Aredio epiſcopo hoc privilegium ſalva canonica inſtitutione ſ.

Gratia Dei Tredicus, acſi peccator, epiſcopus hoc privilegium inſtitutionis ſ.

In Chriſti nomine Godebertus, acſi peccator, epiſcopus, rogatus a domno Aredio epiſcopo, juxta quod domnis epiſcopis placuit rectius ſ.

In Chriſti nomine Leodegarius, acſi peccator, epiſcopus, rogatus a domno Aredio epiſcopo hoc privilegium inſtitutionum ſ.

In Dei nomine Paſcaſius epiſcopus, rogatus à domno Aredio epiſcopo hoc privilegium ſalva canonica inſtitutione ſ.

Ruſticus gratia Dei, acſi indignus peccator, epiſcopus, rogatus a domno Aredio epiſcopo hoc privilegium ſalva canonica inſtitutione ſ.

In Chriſti nomine Ago abbas rogatus a domno meo Aredio epiſcopo hoc privilegium ſ.

In Dei nomine Paſcaſius preſbyter rogatus a domno meo Aredio epiſcopo hoc privilegium ſ.

In Chriſti nomine Delfinus abbas jubente domno Aredio epiſcopo hoc privilegium ſ.

In Dei nomine Maurontus archidiaconus jubente domno Aredio epiſcopo hoc privilegium ſ.

In Dei nomine Genno diaconus rogatus a domno Aredio epiſcopo hoc privilegium ſ.

Chlodovei Regis confirmatio.

CHLODOICUS rex Francorum, ſi facta ſacerdotum, quæ pro quiete ſervorum Dei ad loca ſanctorum præſtiterunt, per noſtris oraculis confirmamus, noſtra perenni ſtabilitate eſſe confidimus. Ideoque apoſtolicus vir domnus Aredius Vaſenſis urbis epiſcopus, miſſa petitione clementiæ regiæ noſtræ innotuit, eo quod monaſterium in loco, nuncupato Graſello, in honore ſancti Victoris martyris & ſancti Petri, in ſua proprietate pro amore Chriſti ædificaſſet, & partem maximam de facultatibus ſuis ipſi loco per ſua inſtrumenta delegaſſet; etiam & privilegium, cum pluribus pontificum inibi firmaſſet, vel conceſſiſſet, ut quidquid ibi ab ipſo domno Aredio, vel pro Deo a quocumque homine, ſeu de collecta populi, vel de quolibet recto attractu erit collectum, abſque ullo inpedimento pontificum, vel archidiaconorum aut clericorum Vaſenſis, vel cujuſlibet alius eccleſiæ, perenniter congregatio ibi conſiſtentium quiete deberet poſſidere, & ſub regula ſancta per inſtituta Patrum ibidem deberet regi vel converſari; & ſi abbas de ipſo ſancto loco migraverit ab hoc ſæculo, non aliunde, ſed, ſicut decet, & dignitas & ordo poſcit, de ipſa congregatione, quæ in eo habe-

Digitized by Google

tur monaſterio, eligeretur alius abbas abſque ullo præmio, abſque rixa, a tota eadem congregatione vel a meliori & ſanctiori parte ejus; & cum conſilio Vaſenſis urbis epiſcopi & voluntate & benedictione ſuſcipere deberet dignitatem; & quod ejuſdem civitatis epiſcopus, ſi aliquando opus eſſet propter deſidiam negligentiamque ab eadem congregatione propellendam, adjunctis ſibi ſacerdotibus abbatibuſque ſpiritualibus, ipſum monaſterium deberet adire, & paterno affectu fratres, qui ibi eſſent, ad conſuetum regulæ tramitem admonendo revocare, & quod idem epiſcopus ſine præmio .... nihilque ipſe pontifex, neque majoris poteſtatis aliquis ipſius civitatis, vel alius loci cujuſcumque ordinis perſona, contra tenorem decreti ipſius deberet venire, aut quicquam attemptare vel contingere. Audita itaque ejus petitione preceque ſuſcepta ....

X X X.

Charta Reoli archiepiſcopi Remenſis pro conditu parthenonis Gaugiaci.

Ad Lib. 17. n. 43. IN Chriſti nomine Reolus, ac ſi indignus & peccator, epiſcopus. Dum omnes oportet pro ſalute animæ cogitare, vel parva pro magnis, caduca pro cæleſtibus in ara offerre ſummi Dei omnipotentis, ut ab ipſis ſublevari merear, ſicut Veritas dixit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula*; juxta quod ordo edocet paſtoralem culmen, nt ubi poterunt caularum ovilia juxta cœnobitarum ordinem ædificare debeant, ſive virorum, ſive puellarum. Ideoque petiit nobis Beracharius abbas, ut ei locum compendioſum donare deberemus ad monaſterium puellarum conſtruendum, ex noſtra proprietate, ſive de alodo parentorum, vel de aliquo adtracto: ſed ejus petitionem pro animæ noſtræ remedio opportunitatem minime denegavimus faciendi, una pariter cum ipſo penſantes, minime invenimus in noſtra poteſtate locum in propinquo, quod omnem opportunitatem ad monaſterium conſtruendum habere deberet. Sed dum talis erat nobis voluntas, invenimus locum de rebus eccleſiæ noſtræ Remenſis infra urbem Kathalaunenſium in pago Pertenſi ſupra fluvium Matrona, in villa quæ dicitur Gaugiacus, ſive & alio vocabulo, quæ dicitur Epiſcopi-villa, quam ſanctimonialis femina, nomine Ama, quæ ſub titulo religionis vitam finivit, per ſuas cartas ad eccleſiam Remenſem condonavit. Sed dum ipſe locus ipſi abbati complacuit ad monaſterium conſtruendum; nos vero nna cum conſenſu fratrum meorum, vel concivium Remenſium, hoc eſt tam archidiaconibus, abbatibus, preſbyteris quoque & diaconibus, vel omnem clerum eccleſiarum, ſeu & inluſtribus viris, qui infra urbem cummanere videntur, quorom nomina vel ſigna ſubter tenentur inſerta, ut per noſtram epiſtolam a die præſenti, abſque ullius contrarietate pro animæ noſtræ ſalute, vel pro æterna retributione, ipſam villam Gaugiacum, ſeu & quæ dicitur Epiſcopi-villa, ad monaſterium puellarum conſtruendum, ipſi ſupra ſcripto abbati Berachario tradere deberemus: in ea tamen ratione cum conſilio vel conſenſu, ſeu & convenientia fratrum Remenſium, ut villa noſtra Tinnovero, quam de Vetranione diacono, daro pretio comparavimus, in pago Lemovicino, & caſa in Novo-caſtro constructa, pro ipſa villa Gaugiaco in commutationem ad partem eccleſiæ noſtræ Remenſe tradidimus ad poſſidendum, tam terris, domibus, ædificiis, mancipiis ibidem commanentibus, colonibus ibidem adſpicientibus, campis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, totum & ad integrum, quantumcumque ad ipſam villam Tinnovero aſpicere videntur, cum omni integritate ad ſe pertinente, nna cum ipſa caſa in Novo-caſtro conſtructa in ipſa nrbe Lemovicino, pro ipſa villa Gaugiaco ad eccleſiam noſtram Remenſem in vicem recompenſationis tradidimus ad poſſidendum; ut & noſtræ vitæ tempore, & poſt de hac luce diſceſſum firmiorem ſtabilitatem ipſum monaſterium puellarum habere debeat, & nullam infeſtationem de ſucceſſoribus noſtris epiſcopis habeat, vel de quaſlibet oppoſitas perſonas, niſi ſemper perpetualiter ipſe abbas vel ipſæ ancillæ Dei, quæ in ipſo nuncupato loco habitare noſcuntur, vel poſteris ipſarum per præſentem epiſtolam noſtram omni tempore valeant poſſidere vel dominari: ut melins eas delectet pro nobis Domini miſericordiam deprecari, ut ab infernorum nexibus liberi eſſe mereamur, & poſt noſtrum quoque de hac luce diſceſſum ibidem nomen noſtrum in libro vitæ ponatur vel recenſeatur, & eorum ſacerdotes hoſtias pro nobis omni tempore valeant offerre. Et ſi forſitan, quod adſolet, de ipſo loco in alio loco ipſæ famulæ Dei migrare voluerint ad monaſterium ædificandum, aut pro compendio, aut pro meliorando pro cauſa ſtabilitatis, teneant ipſam villam Gaugiacum, quæ dicitur Epiſcopi-villa, ad monaſterium Altumvillare, quod anteceſſor noſter domnus & pater noſter Nivardus, quondam epiſcopus, ſuo opere conſtruxit, debeat revertere, cum ipſa epiſtola, quam ſpontanea voluntate fieri rogavimus, ut per ipſa ſtrumenta ipſi monachi, qui ibidem ſub ſancto ordine vivere noſcuntur, abſque repetitione ipſas monachas, vel earum abbate omni tempore vitæ ipſorum debeant poſſidere vel dominari, & pro animæ noſtræ ſalute Domini miſericordiam deprecari, ut melius eos delectet, vel eorum ſacerdotes poſt noſtrum de hac luce diſceſſum hoſtias offerre: in ea tamen ratione, ſi ipſas monachas de ipſo loco promovere voluerint. Nam dum illas ibidem ſub ſancto ordine regulariter vivere vel habitare videntur, & nos a die præſenti per hanc epiſtolam noſtram teſtamenti, integro quoque & deliberato conſilio ac prompta voluntate ipſum locum eis tradidimus ad poſſidendum; ita ut illi hoc habeant, teneant atque poſſideant. Et ſi quis, quod abſit, vel poſt nos ſucceſſores epiſcopi, vel qualibet oppoſita perſona, vel de

heredum meorum, ipſas de ipſo loco aut promovere, aut inquietare voluerit, aut ipſam epiſtolam noſtram infrangere conaverit; in primis propria vita careat, atque cum ſtirpe ſua captivus deſerviat, & divinitatis furorem incurrat, vel dominatio ejus diſpergatur, ſicut diſperſa eſt Holoferni poteſtas., & ſicut diviſa eſt magni Alexandri formidabilis dominatio, ita & amodo diſpergatur poteſtas; & ſicut Sodoma & Gomorra in præſenti ſæculo percuſſa eſt, ſimiliter percutiatur poteſtas vel habitatio ipſius, & in anathema maranatha, quod eſt perditio, uſque in adventum Domini noſtri Jeſu-Chriſti feriatur; & a liminibus eccleſiæ, vel a communione participationis corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu-Chriſti excommunicatus appareat; & cum Juda traditore, qui per falſum oſculum tradidit Dominum, particeps efficiatur: & veniat ſuper eum lepra Naaman, quam puer Elizei Giezi per cupiditatem adeptus fuit; & omne genus & germen eorum ſic marceſcat in flore, ut numquam fructificet, nec perficiat in grano, & veniam apud Dominum non mereatur. Et ut præſens epiſtola noſtra omni tempore firma permaneat, & pro rei totius firmitate hanc epiſtolam manu propria ſubter eam ſubſcripſimus, & qui inferius ſubſcripſerunt vel ſignaverunt, nos in præſenti eos proprio ore rogavimus, & inſuper una cum ſocio fiſco addat ad partem ipſius monaſterii, hoc eſt auri libras xx. argenti libras LX. coactus exſolvat, & hoc quod repetit evindicare non valeat, & nihilo minus præſens epiſtola omni tempore firma & inviolata permaneat. Actum in villa Compendio, ſub die Kal. Maii, anno XIII. regni domni noſtri Teoderici regis. In Chriſti nomine Reolus, acſi peccator, epiſcopus hanc epiſtolam à me factam relegi & ſubſcripſi. Ego Anſooldus epiſcopus, jubente domno Reolo epiſcopo, hanc deliberationem ſubſcripſi. Ego Petrus abba ſubſcripſi. Ego Harmarus abba ſubſcripſi. Ego Hilduinus abba ſubſcripſi. Ego Leocadius abba, jubente domno Reolo epiſcopo, hanc epiſtolam relegi & ſubſcripſi. Ego Amalgiſilus ſubſcripſi. Ego Bertohindus ſubſcripſi. Ego Gando preſbyter ſubſcripſi. Ego Caldemarus notarius ſcripſi & ſubſcripſi hanc epiſtolam donationis ex juſſu domni Reoli epiſcopi.

XXXI.

Theoderici, ut videtur, regis præceptum pro Tunſionis-valle.

Ad lib. 18. n. 9 Ex authentico.

... QUociens de commutandis rebus fuerit orta contencio, neceſſe eſt perenne ſtabiletatem, ſcripturarum ...... carcatem, ſtante fidie placuit, adque convenit inter venerabilibus viris, Landeberctho. ...... necnon & Magnoaldo abbate de monaſterio Tuncione-valle, ab invicem inter ſe terrolas arabelis .... ent. quod & ficerunt. Dedit igetur Landeberchus abba .... propria in pago Pinſiacenſe, de parte ſua ...... parte Magnoaldo abbat. bunoaria .... in loco noncopante Francotecurte, inter adfinis de uno latere antedictus Magnoaldus abba de ..... hramninus .... in loco noncopante Rocconcurte .... appellatur cam .... !.... ad parte ...... terra arabeli bunoaria novem inter adfinis de uno latere Chrodomarus & heridis ſui, de alio latere Magnoaldus, Chrodomarus & heridis ſui, de uno fronte Godinus & heridis ſui; & de alio vero fronte Magnoaldus abba. Propteria .... utraſque partis eis fieri placuit, ut unuſquis quod accipit in ante dicta loca rem denomenata al .... facere voluerit, liberam & firmiſſemam in omnebus habiat poteſtatem faciendi, & illud inter ipſis pro rei .... intemare. Si quis nos ... & ipſi aut aliquis de heredebus vel ſucceſſorebus noſtris aut quiſlibet ..., ... præſentis epiſtolas commutationis venire, aut eas quacumque modo refragare preſumpſerit ...... valiat vindi .... ferat ...... parte iſta tota ſervante qued accipit pares. .... amittat, & inſuper una cum ſocio fiſco auri oncias .... quoactus deſolvat; & quod repetit vindegare non valiat, & preſens epiſtolas commutacionis uno tenore ...... unuſquis ſuam habiat eis fiere placu. .. omni tempore firm. ... & inviolatas permaniant ſtipol. ſubnexſa. Actum Claumar. ....

In Chriſti nom. Landebertus abba commutacionem a me facta ſubſ. † Walgoaldus preſb. ſubſcripſi. Bertinus rogitus ſub. † Fladebertus preſbeter ſubſ. In Chriſti nom. Remedius preſb. ſubſ. Berthefredus in Chriſti nom. diaconus ſubſ. ..... naghoſ rog. ſubſc. Madolandus in Chriſti nom. abba ſubſ. in Chriſti nom. Andolno rog. ſubſc. ..... berthus in Chriſti nom. diacon. ſubſc. Ingobertus lictur * ſubſc. † Childela ... teſt. ſign. † Unneleobo teſt. ſign. † Saulfo teſt. Leudeberćthus hanc commutacionem jubente domno meo Landeberctho abbate, ſcripſi & ſubſc.

* Lector.

XXXII.

Anſeberti epiſcopi Æduenſis teſtamentum.

Ad lib. 18. n. 41. Ex chartario. Illuſtriſ. DD. Boherii Præſidis in ſenatu Divion.

ACroribus eccleſiæ ſancti Nazarii martyris Auguſtidunenſis, & ſancti Symphoriani martyris, ubi ipſe pretioſus in corpore requieſcit, Anſebertus peccator epiſcopus. Divina nos ammonet lectio, ut quod Chriſti miſericordia in rebus terrenis confert abundantia de ſua largitate, unde in hoc ſæculo utimur, de ejus pietate in ſuis pauperibus pro abluenda mole peccaminum offeramus. Ego dono ad ſupraſcriptam eccleſiam ſancti Nazarii martyris, ubi ego, acſi indignus, cura paſtorali deſervio, de alodo parentum meorum villam, cui vocabulum eſt Hauxiaco, in pago Belnenſe, cum ſoliditate & appenditiis, domibus, villarebus, campis, pratis, ſilvis, vineis, paſcuis, aquis, ſervis, libertis, ac colonis, accenſiſque omnibus, &

quidquid in ipſo pago præſenti tempore poſſidere valemus, aut quod inante ibidem in Dei nomine acquirere, vel quidquid dici aut nominari poteſt, cum integra ſoliditate ſupraſcripta eccleſia ſancti Nazarii ut habeat volo. Et pro pottione illa, quam germanus meus Autarius apud nos ibidem habet, portionem noſtram in villa Binago ut habeat volo. Et fortaſſe (quod non credimus) ſi ei fuerit contrarietas in ſupraſcripta villa in Hauxiaco & Binago, quicquid pro portione mea nobis de alodo parentum meorum, tam de paterno, quam de materno, quod debitum eſt, eccleſia ſancti Nazarii ut habeat volo atque decerno. Villa vero Pagetis, quam ex parte conquiſivimus, eccleſia ſancti Nazarii ut habeat volo. Villa vero Solempriaco, quam wlbertus per ſuum inſtrumentum nobis dedit, & Leodebertus in uſuario tenet; eccleſia ſancti Nazarii ut habeat volo atque decerno. Baſilica ſancti Symphoriani martyris, quæ mihi ab adoleſcentia mea in omnibus, unde ſubſtantia mea protexit, unde credimus ut & futura ejus interceſſio apud æternam pietatem pro remiſſione peccatorum meorum interceſſor aſſiſtat; villa vero Tres-valles in pago Maginontenſe unà cum appendicius ſuis, domibus, villaribus, campis, pratis, vineis, ſilvis, accenſiſque omnibus, quod wlbertus per ſua inſtrumenta in noſtro nomine delegavit, eccleſia ſancti Symphoriani ad ſuos clericos paſcendos in eleemoſyna noſtra ut habeat volo. Similiter ad oratorium ſancti Leodegarii, qui ſubtus ſanctum Symphorianum conſtructus eſſe videtur, ubi (ſi Deo placuerit) corpuſculus inſuper requieſciturus erit, colonicas in pago Maginontenſe in Taviniaco, quas wlbertus per ſuum ſtrumentum nobis dedit, & colonias illas, quas Bertoaldus in Fulnicio per ſuum ſtrumentum dedit, ad oratorium ſancti Leodegarii ut habeat volo. Villa vero Corvillo, in pago Autiſſiodorenſe, quam nos cumque ſuis acquiſivimus, ipſum oratorium domni Leodegarii ut habeat volo atque decerno. Similiter in pago Auguſtidunenſe, colonicas, quas Beroaldus per venditionem nobis dedit, ipſum oratorium domni Leodegarii ut habeat volo. Villa vero Buxido, quidquid ibidem germanus meus in uſuario tenet, ipſum oratorium domni Leodegarii ut habeat volo. Villa vero Muido, quæ eſt prope montem Wavinarum in pago Vertudenſi, cum omnibus, quidquid ibi adſpiciunt, oratorium domni Leodegarii ut habeat volo; ſic tamen ut inde lumen & ſacrificium ipſo oratorio ſtabiliat, & omnia ſub poteſtate fratrum ipſius eccleſiæ ſancti Symphoriani in omnibus eſſe debeant. Et quatuor matricularios, qui ad ipſum oratorium domni Leodegarii deſerviunt, ibidem inſtituimus, ut totum victum atque veſtitum de ſupraſcriptis rebus habeant habere, qualiter & illi alii matricularii, qui ad baſilicam ſancti Symphoriani deſervire videntur, portionem victus & veſtitum accipiant. Et pro eo quidquid in iſta epiſtola delegavimus, in uſuario germanæ noſtræ Sicolinæ conceſſimus, illos matricularios, & illud lumen ad oratorium domni Leodegarii, & in hoc uſu teneat, & debeat procurare: & poſt ejus diſceſſum, tam pontifex ſupradictus, & eccleſia ſancti Nazarii, quam clerici dictæ eccleſiæ ſancti Symphoriani, quantum in ipſo ſtrumento inſtituimus, in Dei nomine debeant procurare. Reliqua vero facultate, quicquid nos tempore noſtro conquiſivimus, quod in iſta epiſtola incommemoratum nobis remanſit, in quibuſcumque locis adcreſcere cupimus, eccleſia ſancti Symphoriani ut habeat volo. De alodo parentum meorum, quicquid portio noſtra in quibuſcumque locis vel territoriis, quod portio noſtra, tam de paterno, quam de materno nobis debitum eſt, ſub omne ſupellectile, quicquid dici aut nominari poteſt, dulciſſima germana mea Sigolina, ſi nobis ſuperſtes fuerit, in omnibus recipiat; & ubicumque pro fidelibus Chriſti, atque ad eccleſiam Dei delegare voluerit, in omnibus habeat poteſtatem. De mancipiis vero, quæ dato pretio comparavimus aut adquiſivimus, in omnibus volo ut ingenui eſſe debeant, & ut pro ingenuis ſupraſcripta germana mea, dum modo advivit, in ſuum debeant adeſſe obſequium. Poſt ejus diſceſſum Chriſtianorum defenſorem ſeu regem, ſi eligere voluerint, ut habeant in eorum ſit poteſtate. De ſupra ſcripta facultate, quam ad ſupradictas eccleſias ſancti Nazarii vel ſancti Symphoriani delegavimus, dum ipſa germana mea Sigolina ſæculum contemſit, & dum cognovimus jugiter ſe Chriſto obtulit, & ſanctæ Mariæ in ancillam ſe tradidit; ſub uſu & beneficio hoc debeat tenere: & poſt ejus diſceſſum ad ſupraſcriptas eccleſias per iſtam epiſtolam integra ſoliditare delegavimus, cum re meliorata ad ipſas eccleſias debeat pervenire. Si quis (quod non futurum eſſe credimus) ſi ea quæ ſuperius ſunt conſcripta, quod nos pleniſſima voluntate decrevimus, de heredibus noſtris, aut quiſlibet oppoſita perſona refragare voluerit, non hoc valeat vindicare quod repetit, & Judæ traditoris ſimilis efficiatur, & inſuper inferat actoribus eccleſiæ, aut cui hoc per iſtam epiſtolam delegavimus, unà cum fiſco auri lib. VI. & in argento pondus L X. & hæc epiſtola, quam noſtra ſimplicitas pleniſſima voluntate decrevit, perpetuam obtineat firmitatem. In Chriſti nomine Anſebertus peccator epiſcopus hanc epiſtolam a me factam relegi & ſubſc. Adonæus epiſcopus rogatus ſubſ. Aonericus epiſcopus rogatus ſubſc. Aglius epiſcopus rogatus ſubſc. Winebertus, jubente domno Anſeberto epiſcopo, hanc epiſtolam ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi quod fecit menſis Auguſti die V. anno 55. regnante domino Childeberto rege.

OBSERVATIO.

Sigolena, Anſeberti epiſcopi germana ſoror, ſanctimonialis erat in parthenone ſanctæ Mariæ Auguſtodunenſi, qui modo ſancti Johannis dicitur. Hoc enim cœnobium primitus etiam ſanctæ Mariæ dictum fuiſſe intelligimus, tum ex vetuſtis ipſius loci kalendariis, tum ex manuſcr. codice cathedralis eccleſiæ Auguſtodunenſis, ad cujus calcem hæc leguntur: In nomine ſanctæ Trinitatis, almæ

matriſfamiliæ Fauſta, ſuperno amore accinſa, hoc opus optimum in honore ſancti Johannis & ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu-Chriſti pattare rogavit devota. Ego hacſe * imperitus Gundohinus, poſcente Fulculfo monacho, etſi non ut dibui, pſaltim ut valui, a capite uſque ad ſui conſummationis finem perficere cum ſummo curavi amore...... in menſe Julio, anno III. regnante gloriſiſſimo domno noſtro Pippino rege, qui regnet in ævis, & hic, & in æternum. Amen. *Fauſta hæc materfamilias erat abbatiſſa illius loci. De abbatia ſancti Symphoriani id ſolum interim obſervo, quod legere memini in animadverſis Holſtenii ad martyrologium Romanum ex manuſcr. codice reginæ Succiæ:* Pridie nonas Maii, Auguſtiduno depoſitio beati Placidi preſbyteri & abbatis baſilicæ ſancti Symphoriani martyris.

* *arſi*

XXXIII.

Quomodo per annum jejunandum ſit.

Ad lib. 18. num. 46. Ex manuſcrip. cod. Caſinenſi.

QUatuor tempora, quatuor ſunt legitima jejunia in anno, ſcilicet menſis primi hebdomada prima, feria quarta & ſexta & ſabbato in duodecim lectiones jejunandum uſque ad veſperum. Menſis quarti, id eſt Junii, hebdomada ſecunda, feria quarta & ſexta & ſabbato in duodecim lectiones jejunandum uſque ad nonam. Menſe Septembrio, id eſt menſis ſeptimi hebdomada tertia, feria quarta & ſexta & ſabbato in duodecim lectiones jejunandum uſque ad nonam. Menſe decimo hebdomada quarta, feria quarta & ſexta & ſabbato in duodecim lectiones jejunandum eſt uſque ad veſperum. Iſta duodecim legitima jejunia per annum excuſant pro peccatis centum ſolidos in auro cocto. Cumque ſtudioſe hæc duo...... no pellit... liberabit.... animam. Extra ea jejunia, quæ Prior indixerit pro quacumque tribulatione.

De reliquis jejuniis.

In vigilia ſancti Matthæi & Natalis Domini & Epiphania jejunandum uſque ad veſperum. In vigilia Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, & ſancti Johannis Baptiſtæ, & ſancti Petri, & ſancti Laurentii, & ſanctæ Mariæ; in vigiliis harum feſtivitatum ſemper jejunandum eſt uſque ad nonam, & expleta Miſſa reficiant. Si nominatæ vigiliarum reliquiæ die Dominico occurrerint, non licet jejunare. Octava Natalis Domini, octava Epiphaniæ, Purificationis ſanctæ Mariæ, ſed & ſanctæ Scholaſticæ, ſanctorum Fauſtini & Jovitæ, ſancti Germani, dedicatio ſancti Benedicti ſurſum, & dedicaſio Domini Salvatoris & ſanctæ Mariæ deorſum. In iſtis omnibus feſtivitatibusnon jejunatur uſque ad veſperum, niſi ſi evenerit ſanctæ Scholaſticæ, aut ſanctorum Fauſtini & Jovitæ, vel ſancti Matthiæ apoſtoli in quinquageſima, aut in quadrageſima. Quod ſi evenerit, ſic agatur ſicut in aliis ſacris jejunii diebus. Nam officia ut reliqua omnia de ſupra ſcriptis feſtivitatibus ita agantur, quomodo diximus, ſicut & in dominico die. In ſancti vero Gregorii & ſancti Benedicti, & Annuntiatione ſanctæ Mariæ duodecim lectiones fiunt, & genua in oratione fratres non flectunt, ſed jejunium uſque ad veſperum obſervant; tamen poſt veſperas refectionem faciunt de cotto & vino. In ſancti Stephani & ſancti Johannis Evangeliſtæ, & in feria ſecunda, & in feria tertia poſt Paſcha, novem quidem lectiones faciunt; nam miſſa ita agitur, ſicut in die dominico. In iſtis omnibus ſupra ſcriptis feſtivitatibus ſemper ad matutinum *Dominus regnavit* canitur, & genua non flectuntur, & capitulum & lectio ad ſeram non leguntur. Nam in aliis omnibus ſanctorum novem quidem lectiones faciunt, matutinum & miſſa ita agitur, ſicut in quotidianis diebus, genua flectent, jejunium obſervent uſque ad horam ſtatutam; *Miſerere mei Deus*, ad veſperas & matutinum & ad primam non cantent: nam ceteris horis cantatur, præter ſi in dominico die venerit, ſi contigerit, celebratur ſicut dominica. De diviſione matutini & nocturni ita agitur. A kalendis novembris uſque in vigiliam Cœnæ Domini, ſicut ſanctus Benedictus prædeſtinavit. Præterea in vigilia Natalis Domini, & in omnibus ſanctorum & dominicis diebus, quod minime licet dividere. A Natali Domini uſque Epiphaniam genua non flectuntur: *Miſerere mei Deus* in oratione publica ad nullum officium cantant uſque in octavam Natalis Domini. Similiter a Paſcha uſque octavam Pentecoſten; poſtea vero cantent. De refectorio autem omnia adimpleri debent, ſicut ſanctus Benedictus dicit, ſive æſtatis, ſive hiemis, ſive quadrageſimæ, omnia ſecundum tempus ſuum. Præter quod conſuetudo eſt, ſive ſurſum, ſive deorſum, ut non reficiant ad nonam, uſque dum vindemiaverint. Cum autem liberi a vindemia fuerint, ſtatim ad nonam horam reficiunt, & poſt veſperas guſtum manducant, & bibunt iterum, quod in Regula non eſt ſcriptum. Similiter & quinquageſima poſt refectionem ſecundum conſuetudinem, antequam lectio legatur, tota hebdomada bibunt, quod nec iſtud in Regula dicitur. Quando autem mandatum faciunt, ſi Dominus abundantiam vini dederit, ſemper bibunt; ſi autem exiguum fuerit, abſtinebunt.

XXXIV.

Charta Gammonis de puellari monaſterio apud Lemauſum.

Ad lib. 18. num. 56. Ex chartario S. Germani a Pratis.

IN nomine ſanctæ Trinitatis. Proſperum quidem & ſalubre conſilium, immoque ſatis jocundum eſſe dinoſcitur, ut de caduca quiſpiam ſæculi facultate Deo conferat, quo peccata redimere ſua valeat & abluere. Et quod prudentius conſilium, quam ut homo de mundanis rebus comparet paradiſum, & de terrena ſubſtantia transferat aliquid in cæleſtia? Igitur ego Gammo & conjux mea Adalgudis, cogitantes qualiter ſarcinulam peccatorum noſtrorum

poſſimus

Digitized by Google

poſſimus abſtergere, & ad æterna gaudia pervenire; monaſteriolum in loco proprietatis noſtræ, nuncupante Lemauſo, in honore ſancti Johannis & ſanctæ Crucis, vel ceterorum dominorum cœpimus conſtruere, ut ibidem puellas in honore ſanctæ Mariæ inſtitueremus, ut ſub ſancta norma regulæ ibidem converſare deberent. Quod ita & fecimus, & filiam noſtram Bertam in ipſo loco inſtituimus, ut diebus vitæ ſuæ, tam ipſa, quam & quæ cum ipſa in ipſo monaſterio converſare videntur, ſub ordine monaſtico, vel regula ſancti Benedicti vivere & converſari debeant; & ipſam filiam noſtram Bertam ibidem inſtituimus eſſe abbatiſſam, & ipſum locum Lemauſum ſibi delegavimus, una cum omnibus, quæ ibidem aſpicere videntur, cum omni integritate vel adjacentiis ſuis, in quibuſcumque pagis vel territoriis, tam ultra Ligerim ſitis, vel citra Ligerim. Loca vero nuncupantur ita: id eſt, Nova-villa, Vintoris, Britinniacus, Quintiacus, Bragogilo, Grimoaldo-villare, Prulliacus, Rovere, Mauro-villa, Barbatione-villa, villa Milies, Galdonomaſo, Ferrarias, item alias Ferrarias, Culmellas-montis, Alnao, Tricaſinis, Felecariolas, Noiolio, Mundone-villa, Childeno-villa, Potioſus, Hadone-villa, Flaviago, Alvernis, Poſthimiago; Cacerias, Buſxerias. Similiter ultra Ligerim, Balbiago, Cervatiaco & Valle, ut diximus, tam ultra Ligerim, quam & citra, quicquid noſtra poſſeſſio præſenti tempore eſſe videtur, vel inantea Deo auxiliante fuerit. Hæc loca ſuperius comprehenſa ad ipſum monaſteriolum nuncupatum Lemauſum, ibidem delegavimus atque firmavimus: ea vero ratione, ut dum nos pariter advixerimus, tam ego Gammo, quam & conjunx mea Adalgudis; ſed & filiæ noſtræ, Berta & Maria, hoc poſſidere vel dominare faciamus, tam ipſum monaſteriolum Lemauſum, quam etiam dictas villas, una cum terris, domibus, ædificiis, accolis, mancipiis, libertis, campis, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, farinariis, peculiis, prædiis, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, omnia & ex omnibus ad omnia ſtipendia ſanctimonialium, vel ad ipſum monaſteriolum, quod nos pro amore Domini noſtri Jeſu-Chriſti in honore ſancti Johannis & ſanctæ Crucis & ceterorum ſanctorum conſtruximus, proficiat in augmentum. Sed & omnia, quæ de præſidio meo in die depoſitionis meæ inventum penes me aut repertum fuerit, hoc eſt, aurum, argentum, veſtimenta, vel prædia, illa abbatiſſa, quæ tunc temporis in ipſo monaſteriolo Lemauſo preæſſe videbitur, contra heredes meos ex omnibus tertiam partem recipere debeat: ea tamen ratione, ut perpetualiter in pauperibus & peregrinis & Deum timentibus in eleemoſyna pro animæ noſtræ remedio dare debeant. Et dum ipſe ſexus femineus per ſe minime aliquid valeat exercere, vel pro mercede noſtra augenda, vel pro earum neceſſitatibus gubernandis, eis nullatenus eſt licitum foris egredi; propterea omnia jam dicta, ipſumque monaſterium jam dictum Lemauſum, una cum villis, vel omnibus adjacentiis ſuis, ut diximus, in quibuſlibet pagis vel territoriis, tam ultra Ligerim, quam citra, ad monaſterium ſancti Vincentii & ſanctæ Crucis Pariſius civitate, ubi ſanctus Germanus in corpore quieſcit, ubi Autharius abbas in Dei nomine una cum norma plurima monachorum præeſſe videtur, donatum in perpetuo eſſe volumus, ut ibidem, ſicut diximus, deinceps omni tempore permaneant, & per hanc epiſtolam contradimus; & ut nullus contradicere audeat, nec temerare ipſas res, quæ hic ſunt inſertæ; aut nos, vel heredes noſtri, nec ullus quiſlibet alicui nec vendere, vel donare, neque alienare, nec per ullum ſtrumentum cartarom minuere licentiam non habeat faciendi. Et ſi contigerit juxta divinam diſpenſationem, ut ipſa Berta de hac luce diſceſſerit, cui ipſas monachas vel ipſum monaſterium Lemauſum delegavimus, vel ipſius rectores ſancti Vincentii vel ſancti Germani decreverint, in ipſo loco abbatiſſam debeant inſtituere, & ipſa abbatiſſa alias monachas in jam dicto loco non audeat mittere, vel intus alium paſtorem admittere non audeat, niſi ex monaſterio ſancti Vincentii ſanctique Germani, aut ipſos, qui ibidem rectores eſſe videntur. Quod nos in hac donationis epiſtola præſcribere rogavimus ego Gammo & conjunx mea Adalgudis, vel jam dictæ filiæ meæ Berta & Maria, quamdiu vixerint, ipſum monaſterium Lemauſum vel memoratas res tenere vel dominare debeamus. Et poſt noſtrum quoque diſceſſum, juxta quod ſuperius diximus, tam ipſum monaſterium & jam dictas villas cum adjacentiis, ipſe Autharius abbas aut ſucceſſores ſui, qui eo tempore in ipſo monaſterio ſancti Vincentii & ſanctæ Crucis ſanctique Germani fuerint, poſſideant perpetualiter, ut habeant in dominationem. Si quis vero, ut aſſolet, & ut habet humana fragilitas, ſi noſmetipſi, aut aliquis de heredibus vel proheredibus noſtris, vel quælibet oppoſita perſona contra præſentem epiſtolam donationis iſtius, quam nos pro animæ noſtræ ſalute fieri juſſimus, venire, aut aliqua calumpnia per quaſcumque perſonas infringere præſumpſerit, in primis iram Dei incurrat, & cum Juda traditore igni perpetuo dampnetur, & ab omnibus eccleſiis, & ab omnibus pontificibus vel ſacerdotibus excommunicetur, & ante conſpectum ſancti Vincentii & ſancti Germani, quibus res iſtas delegavimus, in parte reproborum eſſe valeat, qui de rebus ad eccleſias vel pauperibus delegatas proferre voluerit; & nullatenus merces ſua convaleat, nec vitam mereatur habere æternam, qui noſtram voluerit convellere eleemoſinam. Inſuper cogatur ſolvere fiſco regis auri libras xxx. argenti pondo LX. & nec ſic quod repetit valeat aſſequi. Et ut epiſtola hujus donationis firma permaneat, Bituricas in conventu nobilium in præſentia regis domini noſtri Childeberti relecta, & Pariſius civitate in monaſterio ſancti Vincentii die ſexto menſis Aprilis ſuper altare ſanctæ Crucis poſita anno tertio ejuſdem domini noſtri Childeberti regis. Turnoaldus, acſi peccator, epiſcopus ſubſcripſi. Guntharius, & ipſe

 Vuuu

indignus diaconus ſubſcripſi. Madolandus indignus abbas ſubſcripſi. In Chriſti nomine Andeboldus abbas ſubſcripſi. Durandomarus gratia Dei abbas ſubſcripſi. Deſiderandus in Chriſti nomine abbas ſubſcripſi. Ego Gammo hanc donationis meæ cartam relegendo ſubſcripſi. Adalgudis ſubſcripſi. Bertinus miles a ſubſcripſi. Berdandus miles ſubſcripſi.

a Forte non bene legit in authentico chartacei codicis ſcriptor *Militis* nomen, quod an jam tum in uſu fuerit, non liquet.

XXXV.

Teſtamentum cujuſdam viri illuſtris, qui habebat matrem Iddanam & conjugem Chramnetrudem.

Ad lib. 13. n. 74. Ex authentico Dionyſiano. .... que decerno, ut juxta diſpenſationem meam, ſi quid dedero, legavero, darive juſſero, id ut detur fiat, priſtetur, fidei tuæ devocioneque committetur; quaſque liberos, liberaſque eſſe precipero, liberi liberæque permaneant vo.... que ſauctas baſilecas villa Sociaco & villa Porcariorum, quæ ſunt in pago Vilcaſſino. Similiter & villare Binando in pago Pinciacinſe, & villa Ghinnachario, quod jam vobis per aepiſtolam donacionis dedi, ipſa villa Ghinnachario dulciſſime genetricae noſtræ Iddanæ huſu-fructuario, dum advixerit, tantum ſuperſcribta villa Ghinnachario poſſedeat. poſt obetum vero ſuum ad...

....

gre revertatur. ſimile modo villare Warnaco, quæ eſt in pago Vilcaſſino, porcionem meam ad jam dictas baſilecas cum omni ſolidetate habendum & poſſedendum relinco. Villa Favariolas, que eſt in pago Ebrocino, ſupet fluvium Siega, cum omni jure & termeno ſuo, ſicut a me peaeſenti tempore poſſeditur, ad ipſas baſilecas poſt obetum meum habendum & poſſedendum præcipio. Villa Caſtanito in pago Stampinſe, ſimile modo & villa Lecterico in pago jam dicto Stampenſi, quam una cum Herone & matronæ ſuæ commutavi, cum omni jure eorum, cum mancipeis, peculiis, agris cultis & incultis, vel adjacentias eorum habendum & poſſedendum inſtituo .... villas ipſas cum domebus, mancipeis, vineis, ſilvis, pratis, peculiis omnebus, paſcuis, aquis aquarumve decurſebus, cum omni jure & termenus eorum, ſicut hec a me praeſenti tempore poſſedire & domenare videtur, & quantumcumque in ſupra nomenata loca moriens dereliquero, poſt meum diſceſſum abſque ullius contrarietate vel tradicione a diae praeſenti ipſas ſanctas baſilecas herides meas habendum & poſſedendum relinco, & hoc dum advixero, huſu-fructuaria condicione, & abſque præjudicio ſanctarum baſilecarum, tenire & domenare dibeant: poſt meum diſceſſum, ut ſaepæ dixi, cum omnebus rebus, in ſe habentes abſque ullius ſpectata tradicione ipſas ſanctas baſilecas, & heridis meas ad ſe recipeant, & quidquid exinde, ipſe abbas, qui tunc temporis ibidem fuerit, pro butiletatebus memoratarum baſilecarum decriverit, faciendi liberam & firmiſſemam Chriſto præſole habeatis in omnibus poteſtatem. Baſilecæ ſancti domni Dioniſi Pariſius, ubi ipſe domnus requiiſcit, villare cognomenante Turiliaco * in pago Vilcaſſino ſuper fluvium Intine, cum domebus, * Tourly. mancipeis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis aquarumve decurſebus, cum omni jure & termeno ſuo habendum & poſſedendum relinquo. Villa cognomenante Artegia *, que eſt in ſu- * Artia. praſcribto pago Vilcaſſino, cum domebus, mancipeis, agris, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſebus, cum omni jure & termeno ſuo, ſicut a me praeſenti tempore poſſedire & domenare videtur, & moriens dereliquero, cum peculiis omnebus, dulciſſimae atque amantiſſimæ conjuge meae Chramnethrude habire decerno ac delibero. Sacratiſſimo fiſco villa, cognomenante Wadreloci, ſitam in pago Vilcaſſino, cum domebus, mancipeis, ſilvis, agris, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſebus, cum omni jure & termeno ſuo, ſicut a me eſt poſſeſſum & moriens dereliquero, cum peculiis omnebus habire decerno. Illud huic teſtamenti mihi inſerendi complacuit, ut quos de ſervientibus meis per aepiſtolam ingenuetatis laxavi, in integra ingenuetate reſedeant; tamen ſecundum quod eorum aepiſtolas loquetur, & pro animæ meæ remedium, & lumen praeſerendum ad baſilicae veſtrae ſancti Martini, quæ veſtro opere & labore in villa Chrauſobaco, qui nuncopatur Calciacus *, conſtruxiſtis, vel lo- * Chauſſ. cum ſæpulturoli meæ, ſi fuerit, an non fuerit, io qua germani meae requieſcunt, hoc quod a ſaepedictas baſilecas delegavi, per hunc reſtamentum meum, & ubi ubi perpetualiter poſſedendum in Dei nomine prumpta & integra voluntare precipio, & habendum poſſedendumque relinquo. Ita do, ita lego, ita teſtor......... munium tanti ceteri ceteraeque proxemi proximaeque...................... habetote. Si quæ literæ * vel caraxaturæ in hunc teſtamen- * lituræ. tum meum inventi fuerint, ego feci fierique praecipi, dum mihi ſaepius teſtamentum meum volui recenſire, & crepius emendare. Et ſi quis contra hanc deleberacionem, ut ſanctis baſilices dilegavi, infrangere, tollere, minuare, aut .... præſumpſerit, inferri....... eccleſiarum...... perpetuo anathema percuciatur, & maledictus cum Juda Scarioth in infernus...., uſque ad diem adventus Domini noſtri Jeſu-Chriſti ignem cruciandus.... & judicium, & inſuper, ut lex terrena aedocet, duplum tantum fiſco cogente ſanctis baſilecis diſſolvat; ſicut propheta decantat: *Fiat habitacio eorum deſerta, & in tabernaculis ipſorum non ſit qui inhabitet; fiant filii ejus orphani,* & a Deo libra * percuſſi, fiat uxor ejus vidua, ut cognuſ- * lepra. catur potencia Dei, qui talem tribuit vindicta, ut pro panem lapides manducet; & hæc devocio noſtra abſque conſorcio pontefices in ipſa loca ſanctorum firma perduret. Et ſicut de preſentis temporebus iſtis videmus multis inrun...... facta priorum, ut melius devocio noſtra co...

Digitized by Google

. . . itur, adjuro omnebus domnis epiſcopis & glorioſo principe & cunctis ſacerdotebus . . . . Deum viro, qui in Trinitate inſeparabilem permanet, ut nullus cum illa perſona, quæ voluntatem noſtram aut delıberationem efrangere voluerit, communecare non præſumat . . . in detiocis ſuas communecare . . . . & ipſe incurrat iram indignationis Dei, & apue ipſa loca . . . . . . ſe eſſe cognuſcat . . . . loca ſanctorum firma perduret, tamquam . . . . an non fuerit cum omni ſtabiletate omni tempore firma permaneat, ſtipulatione interpoſita. Actum Artegia villa pago Velcaſſino, ſub die & anno quo ſupra . . . . andentico vidi exempla ſubſ. † Thorrias audenteco vidi exemplar & ſubſcripſi. † Medualdus . . . . Bodolenus audentico vidi exemplar & ſubſcripſi.

XXXVI.

Diploma Cuniperti regis pro inſtauratione monaſterii S. Fridiani Luccenſis.

Ad lib. 18. n. 79. Ex archivo Lucenſi.

IN Chriſti nomine exemplar. Flavius Cunimpertus vir excellentiſſimus rex monaſterium S. Vincentii & Fridiani ſito in civitate noſtra Lucenſe, & VV. Babino abbati vel monachis ejus. Et quia ſuggeſſiſti nobis eo quod ipſo monaſterio Faulus ille maid . . . . . noſter reſtauravit, & ibidem aliquas res ceſſiſſit, & decimas ſuas ibidem det, & chartules firmitatis ab epiſcopo Lucenſe, nomine Filice, noſtre civitatis firmato facta fuiſſe, ut nullo in tempore ipſe Filix epiſcopus vel ſacerdotes ejuſdem ipſo monaſterio de pecunia illa ſubtrahere debeant, neque ſuperpoſita de ordinatione monaſterii ipſius facere: ſed qui ad grado honoris venerit, de ipſo monaſterio ad profeſſionem veniret, & ipſa chartolæ in noſtro detuliſti præſentia, nos interrogantes ſupradicto Faulo ſi ita eſſet, qui nobis dixit, quod verum eſſet; & ſperaſtis a clementia regni noſtri, ut per noſtrum præceptum ipſas res, quas ibidem datas ſunt, ut quod Domino propitio adhuc acquiri potueritis, firmare deberemus. Unde nos moti pietate, per hoc noſtræ auctoritatis prætextum omnia, & in omnibus, quidquid ad ipſo monaſterio datus eſt, aut qualiter jam dicto Filice epiſcopo Lucenſe civitatis firmatum eſt per cartolæ, per noſtræ ſerenitatis præceptum firmamus, quatenus abhinc inde nullum iniquietantem ipſe monaſterius quietus; & ſine aliqua concuſſione eſſe debeant, & nulla nova imponatur ad ipſus monachos niſi ſecundum qualiter per cartolæ canonice firmatum eſt ab epiſcopo, inconcuſſe permaneant, & nullus de ducebus, comitibus, gaſtaldis ſeu actionariis noſtris de ea quæ ſuperius leguntur, in aliquo audeant moleſtare, ad noſtris feliciſſimis & futuris temporibus ſecuriter debent poſſidere, & pro vita regni noſtri gentiſque Domino exorare non deſinant. Ex dictis domini regis, & ex dictato Zauronii notarii. Dat. Ticinii eſt in pal. nona die menſis Novembris, anno feliciſſimi regni noſtri nono per indictione quintadecima feliciter. Ego Jo . . . . preſbyter ex authentico per demandatione Aloviſini ducis fideliter exemplavi.

XXXVII.

TRES INDICES ANTIQUISSIMI SUMMORUM PONTIFICUM ex tribus vetuſtiſſimis codicibus,

S. GERMANI.	LAUDUNENSI.	CORBEIENSI.
† *Incipiunt nomina Apoſtolicorum.*		*Incipit de epiſcopis Romana eccleſia.*
S. Petrus ſedit ann. xx. menſ. ij. dies iij.	Petrus apoſtolus an. xxv. menſes ij.	
Linus ſed. an. xj. menſ. iij. dies xij.	Julius an. xiij. menſ. vj.	Linus ſedit an. xij. menſ. v. dies xij.
Clytus ſed. an. xij menſ. j. d. ij.	Cletus an. xij. menſ. j.	Cletus ſed. an. viij. menſ. ij. d. v.
Climens ſed. an. ix. menſ. x. d. j.	Clemens an. ix. menſ. j.	Clemens ſed. an. vj. menſ. j. d. xiv.
Euvariſtus ſed. an. viij. menſ. x. d. ij.	Evareſtus an. ix. menſ. x.	Evariſtus ſed. an. xiv. m. iij. d. xij.
Alexander ſed. an xij menſ. vij. d. ij.	Alexander an. xij. menſ. vij.	Alexander ſed. an. vij. menſ. vj. d. vj.
Xiſtus ſed. an. x. menſ. ij. d. j.	Xiſtus an. x. menſ. iij.	Xyſtus ſed. an. xxv. menſ. ij. d. j.
Theluſpher ſed. an. xj. menſ. j. d. xxj.	Thleſphorus an. xj. menſ. j.	Theleſforus ſed. an. xj. m. iij. d. xxvj.
Egenus ſed. an. iiij. menſ. iij. d. j.	Igionus an. iv. menſ. iij.	Yginus ſed. an. vj. m. iij. d. iv.
Olus ſed. an. xviij. menſ. d. j.	Pius an xviij. menſ. ...	Pius ſed. an. xviij. menſ. iv d. iij.
Anicitus ſed. an. xj. menſ. iiij. d. ij.	Niceta an. xj. (vij.) menſ. iv.	Ancitus ſed. an. xj. menſ. iv. d. iij.
Socher ſed. an. viiij. menſ. ij. d. xxj.	Soter an. viij. menſ. ij.	Soter ſed. an. xiv. menſ. v. d. ij.
Eleutherius ſed. an. xv. menſ. iij. d. ij.	Eleuterius an. xv. menſ. iij.	Filetus ſed. an. v. menſ. x. d. xxij.
Victor ſed. an. xv. menſ. iij. d. x.	Victor an. xv. menſ. iv.	Victor ſed. an. xv. menſ. iij. d. x.
Vepherinus ſed. an. xviij. menſ. vij. d. x.	Zephirinus an. xviij. menſ. vj.	Severinus ſed. an. xviij menſ. vj. d. v.
Caliſthus ſed. an. v. menſ. x. d. x.	Callixtus an. v. menſ. x.	Caleſtus ſed an. v. menſ. ij. d. x.
Urbanus ſed. an. viiij menſ. j d. ij.	Urbanus an. ix. menſ. j.	Urbanus ſed. an. ix. menſ. j. d. ij.
Pontianus ſed. an. vij. menſ. x. d. xxij.	Pontianus an. vij. menſ. x.	Pontianus ſed. an. ix. menſ. v. d. ij.
Anthyrus ſed. an... menſ. j. d. xj.	Anterus menſ. ij.	Antherus ſed. an. xj. menſ. j. d. x.

Favianus ſed. an. xiiij menſ. ij. d. x.

Cornilius ſed. an. ij. menſ. iij d . . .
Lucius ſed. an. iiij. menſ. viij. d . . .
Stefanus ſed. an. vj menſ. j.
Siſtus ſed an. j. menſ j. d ..
Dionethius ſed. an. viij. menſ. v. d . . .
Felix ſed. an. iiij menſ. j d. x.
Euthitianus ſed. an. j. menſ. j. d . .

Gajus ſed an. xj. menſ. iiij. d...
Marcellus ſed. an. j. menſ. iiij. d...
Euſebius ſed...... menſ......
Melſiadis ſed an. iiij. menſ......
Silveſter ſed. an xxiij. menſ. x. d...
Poſitio ejus kalend Januarias.
Marcus ſed. an. ij. menſ. j. d. xx.
Julius ſed. an xv. menſ. ij. d. viij.
Liberius ſed. an. vj. menſ. iiij. d. viij.
Felix ſed.... d. 1.
Damaſus ſed. an. xviij. menſ. iij. d. xj.

Siricius ſed. an. xv.
Anaſthaſius ſed an. iij d. xxj.
Innocentius ſed. an. xv. menſ. ij. d. xxj
Joſemus ſed. an vij menſ viiij. d. viiij.
Bonefatius ſed. an. iij menſ. viij. d vj.
Celeſtinus ſed. an viiij menſ. x. d. xvij.
Siſtus ſed. an. viij. menſ. . . d. xix.
Leo ſed. an xxi. menſ. j. d xiij.
Helarus ſed an. vj. menſ. iij. d. x.
Simplicius ſed. an. xv menſ d vij.
Item Felix ſed. an. viij me. v. d. xvij.
Athelacius ſed an. iv. me. viij. d. xviij.
Anaſtaſius ſed. an. j. menſ. xi. d. xxiv.
Symmacus ſed. an. xv. me. vij. d. xvij.
Hormiſda ſed. an viiij. menſ.,. d. xvij.
Johannis ſed. an. ij.
Felix ſed. an. iiij.
Bonefacius ſed an. ij.
Item Johannis ſed. an. ij.
Agapitus ſed. an. j.

Silverius ſed. an j.
Vigilius ſed. an. xiiij.

Ab apoſtolica ſede Petri apoſtoli uſque ordenatione ſancti Silveſtri, anni CCXVII.

Fabianus an. xiv. menſ. iv.
Victor an. xv. menſ. iij.
Cornelius an. ij menſ iij.
Lucius an. iij. menſ. vij.
Stephanus an. xj. menſ. v.
Xiſtus an. vij.
Maximus an. viij menſ. v.
Felix an. iv. menſ. ij.
Eutichianus.
Dionyſius an. ix. menſ. vij.
Cajus an xj. menſ iv.
Marcellinus an. viij.
Euſebius.
Milciades an. iv. menſ. vij.
Silveſter an. xxxiij.

Marcus . . . . . menſ viij.
Julius an. xvij. menſ. iv.
Liberius an. vj. menſ. iv.

Damaſus an. xviij.
Maſonius an . . . . . .
Ciricius an. xv.
Anaſtaſius an. iij. menſ. j.
Innocentius an xv menſ. iij.
Zozimus an vij. menſ. ix.
Bonifacius an iij menſ viij.
Cæleſtinus an. ix. menſ. x.
Xiſtus an. iij.
Leo an. xxj. menſ. j.
Hilarus an. vj menſ. ij.
Simplicius an. xv.
Felix an ix.
Gelaſius an. iv. menſ. viij.
Anaſtaſius an. j. menſ xj.
Simmacus an xv. menſ. vj.
Hormiſdas an. ix
Johannes an ij menſ. ix.
Felix an. ij menſ. ij.
Bonifacius an ij.
Johannes an ij. menſ. iv.
Agapius an. j.
Vigilius menſ. x.
Silverius menſ. x.
Vigilius an xix menſ. iij.
Gelaſius an. iv
Catellus qui & Johannis.
Benedictus.
Pelagius uſque præſens tempore Maurici imperatoris Auguſti.
Gregorius.

Gatitanus ſed. an. xiv. menſ. j. d. x.

Cornelius ſed. an. ij menſ. ij. d. iij.
Lucius ſed. an. iij. menſ. iij. d. iij.
Stephanus ſed. an. . . . .
Xiſtus ſed. an j. menſ x. d xxvj.
Dionyſius ſed. an vj. menſ v. d j.
Felix ſed. an iij menſ j. d. xxv.
Euticianus ſed. an j. menſ. j.

Gajus ſed an xj menſ. iv d xij.
Marcellus ſed. an. ix menſ. iv. d xvj.
Euſebius ſed. an. vj menſ j d. iij
Milmiades ſed. an iv. menſ. . . .
Silveſter ſed. an xxiij. menſ. x. d. xj.

Marcus ſed. an. ij menſ . . d x.
Julius an xv menſ. ij d x.
Liberius an. vj. menſ. vj. d. iv.
Felis ſedit.
Damaſus ſed. an. xviij menſ. iij d. xij.

Syricius an xv.
Anaſtaſius an. iij d x.
Innocentius an. xv menſ. j. d. xxj.
Zozimus an j. menſ. iij d. xj.
Bonifatius an. iij menſ. viij d. vj.
Cæleſtinus an. viij menſ x d. xvj.
Xyſtus an. viij menſ. . . d. xvij.
Leo an. xxj. menſ. j. d. xiij.
Hilarus an. vj. menſ ij. d xij.
Simplicius an. xv. menſ. j. d vj.
Felix an. viij. menſ x d. xviij.
Gelaſius an iv menſ. viij d. xviij.
Anaſtaſius an. j. menſ xj d xxiij
Symmachus an. xv. menſ. vij d. xvij.
Hormilda an. ix. menſ. . . . d. xvj.
Johannes an. ij menſ. viiij. d. xvj.
Felix an iv. menſ. ij d. xij.
Bonifacius an ij d. xxvj.
Johannes an. ij menſ. iv. d vj.
Agapitus an. iv. menſ. xj d. xviij.

Silverius an. ij menſ v. d xxvj.
Vigilius an. xvij menſ vij
Pelagius an. . . . menſ x. d xiv.
Johannes an. xij. menſ xj. d. xxvj.
Benedictus an. iv. menſ j. d. xxvij.
Pelagius an. x. menſ. ij. d. x.

Gregorius an xiij menſ. ij. d. x.
Fiunt uſque hic xxxxxx.

Qui ſequuntur, in ſolo Corbeienſi habentur.

Savinianus ſed. an. j. menſ v. d. ix.
Bonifatius ſed. an menſ. viij. d xxij
Item Bonifatius an. . menſ. viij d. .
Deus-dedit an. iij d. xx.
Bonifatius an v. menſ. x.
Honorius an. xij. menſ. xj d. xvij.
Severinus an. . . menſ. ij. d. iv.

Johannes an. j. menſ. viij d. vj.
Theodorus an vj menſ. v. d. xviij.
Martinus an. iij. menſ j. d xxvj.
Eugenius an. ij menſ ix. d. xix.
Vitalianus an. xiv menſ vj.
Adeodatus an. iv. menſ. ij. d. v.
Donus an. j. menſ. v. d. x.

Agatho an. ij. menſ vj. d. xiv.
Leo ſed an. . . menſ. x. d. xviij.
Benedictus ſed. menſ. x. d. xiij.
Johannes ſed. an. . . . d. x.
Conon ſed. menſ xj.
Sergius ſed. an. . . . .
Johannes ſed . . . .

F I N I S.

INDEX GENERALIS

EORUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO PRIMO

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

Littera a *initium paginæ*, b *medium*, c *finem deſignat.*

A

ALONCUS abbas Luxovii, 480. a.
Aaron abbas in Brittannia, 352. a.
Abaredus, 678. c. 1.
Abbas qualis debeat eligi, 588. b. Abbatum electio, libera fuit a monachorum exordio, 19. a Eligendi ſunt ex proprio monaſterio, 250. c. Electio irrita quod electus abſque ſocio iter feciſſet, 268. b. Ut facienda ex regula Magiſtri, 626. c.
Abbates non poſſunt eſſe clerici aut preſbyteri extranei, 232. c. 233. a. Abbates laïci reſcinduntur, 436. c.
Abbates duo in uno monaſterio, 40 c. 41. a. 125. b. Id vetatur, 390. a. Unus duobus præeſt monaſteriis, 139 a 589 a Id prohibetur, 35. c. 36 a. Abbates qui eſſe debeant, 122 b. ex S. Gregorio, 254. c Exempla virtutis dent, 402. b. Eorum poteſtas in Regula S. P. Benedicti, 56. c. Diſpenſationem non dominium habent bonorum, 268. a. Frequentius è monaſterio non exeant, 226 b. c. Labori manuum ſe ſiſtunt 603 b. viliora exercent officia, 575. c. An menſam debeant ex regula habere a communi refectorio ſeparatam, 118. b Id in concilio Aquiſgran. mutatum, 118 b. cum ceteris manducent, 362. c. Diebus feſtis coquinæ miniſtrabant, 140. a. Miniſtrum e monachis habebant, 174. c. Peculiarem habent cellam, 89 c. monachos excommunicare poſſunt, 255 b Sævitia in monachos eis interdicta, 531. b. Unius ſeveri, & alterius lenis ſanctitas. 25. a. Qui mulierem in monaſteria introduxerint, puniendi, 173. a. c. Simul conveniant conſulturi diſciplinæ monaſticæ, 397. b.
Abbatum & abbatiſſarum teſtamenta, 388. b. c. an teſtamentum facere poſſint, 267. b. c.
Abbates preſbyteri, 233. a. Iis ſolis preſbyteri titulus datus, 179. c Sacerdotii expertes, 25. c. ſic expediebat, 26. a. Iis preſbyter monachus præponitur, 264. b Eorum poteſtas in clericos monachos, 89. a eorum eſt monachos ad ordines deſtinare, 254. b. Conventus ſuffragia requirebantur, 254. b. Ab epiſcopo non ſunt deponendi ſine aliorum abbatum conſilio, 254. c. Epiſcopos honorent, 484. a.
Abbas præſul dictus, 306. c. 363. c. Et prælatus, 467 a. ſacras reliquias transfert, 603. c. ſollemni more benedicti tempore S Gregorii, 254. c. pedules ac baculum ab Epiſcopo recipiunt, *ibid.* Eorum baculus recurvus, 518. c. 529. a. Conciliis interſunt, 178. c. 484. a. Et ſubſcribunt, 390. c. 532. a. 585. b. 601. a &c. Vicarii epiſcoporum in conciliis, 437. a. Eo nomine ſubſcribunt vice epiſcoporum, 573. b. Quando primum in Hiſpania conciliis ſubſcripſere, 202. a. Quis ex iis primus, 393 c. Subſcribunt ante epiſcoporum vicarios &c. 430. b. 436. c. Synodis intereſſe debent, 35. c. Iis minores Ordines relicti, 523. c. quos conferunt, 277. c. Et tonſuram clericalem, 149 a.
Abbates in varias regiones a Gregorio Magno ad prædicandum miſſi, 231. a. ad gerenda negotia, *ibid.* b.
Abbas Hienſis epiſcoporum primas, 210 c.
Abbas Lanbii epiſcopus erat, 613 a.
Abbas canonicus in Anglia, id eſt Benedictinus, 662. c. 2.
Abbas generalis in Sicilia, 233. 237. b. 268. c.
Abbates Palatini, Caſtrenſes, 383. c.
Abbatiola, 580 a
Abbatiſſæ non eligantur juvenculæ, 238 c. Earum obligatio, 81. c. Solemni rita ab epiſcopis ſacratæ tempore S Gregorii, 214 c 255 a Earum teſtamenta, 381 b c.
Abbatiſſæ facta confeſſio, 357. a b. c Excommunicat monialem, 356 c. Concilio ſubſcribunt, 601. b. Ad Litanias procedunt, 217 a.
Abbatiſſa abſque veſtibus monaſticis, 253. a.
Abbo epiſcopus incertæ ſedis, 600. a.
Abbo epiſcopus an Mettenſis? 351. b.
Abbo epiſc. Mettenſis, 338. c. 319. a. c.
Abbo epiſcopus Trecenſis, 315. c. ſeu Tricaſſenſis, 482 c.
Abbo abbas Auguſtodunenſis, 100. c. 279 b
Abbonis Floriacenſis ſententia de mortis anno S Benedicti rejecta, 115 b. Vitam S. Mauri agnovit, 632. a.
Abbo abbas Lirinii, 15 a. 295. a.
Abbonis monachi S. Germani homiliæ, 83. b.
Abel abbas, 455 b.
Abellenus epiſcopus Genevæ, 317. c. 321. c.
Aben a quo Abendoniæ nomen, 536 a.
Abdelgama Tuſſiaci, tum ſancti Albini abbatiſſa, 579. c.
Abocellis, id eſt cæcus, 455 b.
Abraham abbas Arvernenſis, 104. a. 103 c.
Abrincenſes epiſc. Chrodobertus, 366. c. Paternus, 81. c. Ragertramnus, 520. c.
Abſalo S. Crucis in Hiſpania abbas, 531. b. Toleti, 72. b.
Abſalius abbas Hiſpanus, 573. b.
Abſtinentia perpetua a monachis Benedictinis ſervanda, 57.
Abundantia S Benedicti mater, 3. a 59. c. 676. b.
Abundius eccleſiæ S Petri manſionarius, 68. c.
Acglibertus epiſcopus, 564. b
Achardus epiſc. Noviomi, 411. c.
Acharius epiſc. Noviomi, 235. b. 306. b. 339. c. 369 c. 377. a.
Achivus abbas Agauni, 30. c. 31. a.
Acla epiſc. Dorcicestrenſis, 595. c *vide* Ætla.
Ada abbatiſſa Cenomannenſis, 458. a. 560. b.
Ada monialis, 455. c. 456. a.
Adalaiſa abbatiſſa Lugduni, 223 b.

Digitized by Google

Adalardus an S. Odiliæ frater, 491. b. 492. b.
Adalbaldus nobilis Francus, 384. b. c.
Adalberga abbatiſſa Eboriaci, 434. c. de ea hymnus, 691. c. 1
Adalberga, 306. a. *vide* Salaberga.
Adalbero Mettenſis epiſcopus, 342. c. 693. c. 1.
Adalbero abbas Deſerţinenſis, 504. b. c.
Adalbertus epiſc. Pragæ & martyr, miſſionem S. Mauri agnovit, 631. c.
Adalbertus abbas Floriaci, 546. c.
Adalbertus comes, S. Furſei cultor, 411.
Adalginus abbas Theologii, 322. c.
Adalgiſi regis Friſiorum pagani egregium factum & dictum ad ſervandam fidem hoſpiti datam, 540. b.
Adalgudis fundat monaſterium Lemauſi, 614. a. 704. c. 2. monialis, *ibid.* 542. c.
Adalhardus abbas Corbeiæ, 235. a. Corbeiam Saxoniæ fundat, 381. c.
Adalricus dux, 537. c. 538. a. Burgundiæ, 348. b.
Adalſinda abbatiſſa Laudoni, 585. a.
Adalſinda abbatiſſa Veſontione, 348. b. c.
Adalſinda pia virgo, 384. c.
Adaltruda ſponſa Chriſti, 112. c.
Adaltruta Drogonis uxor, cujus filia fuerit, 613. c.
Adam abbas Meldenſis, 344. a.
Adamnanus abbas Hienſis, 210. b. Ejus ſcripta, &c. 618. b. c.
Adamnanus alter abbas Hienſis, 512. b
Adamnanus alter, item ſanctus, 618. c. 619. a.
Adamnanus monachus Coludenſis, 511. a.
Adamus epiſcopus Tripolitanus, 426. c.
Adana monialis Farenſis, 305. b
Addula, ſeu Adela abbatiſſa Palatioli, 534. a.
Adebertus epiſcopus Cameraci, 449. b. c.
Adela abbatiſſa Palatioli, 534. a
Adelbertus comes, Athuci filius, 488. a. c. 489. b. 491. 492.
Adelbodus abbas S. Trudonis, 616. b.
Adelenus abbas Criſpini, 580. a
Adelerius, Adrevaldi continuator, ab eo diſtinguendus, 641. c. 1.
Adelgaudus abbas Floriaci, 381. a.
Adelinodo archidiacono Cenomannenſi dicata vita ſancti Mauri, 639. & *ſeqq.*
Adelmundus, an rex Angliæ? 430. c.
Adelphios, ſeu Adelphus abbas Habendenſis, ſeu Romarici montis, 316. a. 338. c. 416. b. 480. a. 503. b. Obit, 504. a. Ejus exſequiæ, *ibid.*
Adelphius abbas Magniloci, 619. c.
Adelreda regina, *vide* Ethildrita.
Adeltrudis abbatiſſa Malbodii, 441. c.
Adeodata abbatiſſa, 260. b.
Adeodatus ex monacho papa, 513. b. Privilegium concedit baſilicæ S. Martini, 523. c. Ejus obitus, 537. c.
Adeodatus epiſc. Carnutum, 605. a.
Adeodatus epiſc. Matiſconis. 351. c.
Adeodatus abbas Neapolit. 7. b. 260. a.
Adeodato monacho ſcribit S. Gregorius, 267. b.
Adhelmus abbas Leuconai, 318. b.
Adibelganis abbatiſſa Tuſſiaci, 159. c.
Adilaza abbatiſſa Romæ, 244. c.
Adilberga regina Anglorum, 265. *vide* Berta.
Adilbertus rex, *vide* Ethelbertus.
Adilio comes, 398. b.
Adnota abbatiſſa Cenomannenſis. 560. b.
Ado epiſc. Viennæ ſcripſit vitam S. Theuderii, 206. b. c. Ejus Martyrologii locus emendatus, 410. c.
Ado frater S. Audoeni, 352. a. 364. a. c. 365. a. 412. b. 687. c. 1. Jotrum fundat, 293. c. 364. b. c. Ejus ſepulcrum, 456. b.
Adomnanus *vide* Adamnanus.
Adoneus epiſcopus. 703. c. 2.
Adonus Luxovii abbas, 621. a. Veſontienenſes canonicos reformat, 621. b.
Adrebertana condit monaſt. S. Mariæ ſupra Ligerim, 605. a. b. quodnam ſit, 605. c. 606.
Adrechilda ſeu Adrechildis, abbatiſſa Cenomannenſis, 260. a. b. 451. a.
Adrechildis monialis, 455. c. 456. a.
Adrevaldus miſſionem S. Mauri deſcribit, ejus ætas & auctoritas, 641. 642. ejus erratum emendatur, 530. b.
Adrianus *vide* Hadrianus.
Adroaldus abbas S. Deſiderii, 594. c.
Adroaldus ſeu Adrowaldus Sithiu donator, 400. c. ejus charta, 401. a.
Adſo abbas S. Baſoli, 317. a.
Adſo abbas Dervenſis, 317. a. 327. 328. 574. b. Ejus ſcripta, 514. Vita S. Walberti, 479. b.
Adſo Hermiricus abbas Luxovii, 480. a.
Adverſa pro Deo patienter ferenda, 555. b.
Adulfus epiſc. incertæ ſedis, 430. c. 431. a.
Adulmacenſis ager pagi Lugdunenſis, 678. c. 2.
Advocati monaſteriorum, eorum origo, progreſſus, ſuppreſſio, 390.
Æctius epiſc. ignotæ ſedis, 605. c.
Æla epiſc. Dorcieeſtriæ, 595. *vide* Ætla.
Æduæ epiſc. Agrippinus, 32. b. Anſeberchtus, 599. &c. Ermenarius, ſeu Hermenarius 531. &c. Euſronius, 32. b. Ferreolus, 342. &c. Jonas, 204. &c. Leudaſtus 200. &c. S. Leodegarius, 33. &c. Modoinus ſeu Modoinus, 141. &c. Nectarius, 133. c. Ragnobertus, 449. b.
Æduenſis ſedis invaſor Bobo, 518. a.
Æduenſ. epiſcopatus commiſſus Ermenario abbati, 511. b.
Æga Dagoberti conſiliarius, 356. c. major-domus, 370. c.
Ægidius Remorum archiepiſcopus, 162. b
Ægidius abbas, S. Cæſarii diſcipulus, an Ægidius græcus &c. 99. c. 100. a. Et Ægidius abbas Vallis-flavianæ, 99. c. 100. a.
Ægilbertus, an epiſc. Pariſienſis, 563. c. 564. a. *vide* Agilbertus.
Ægiricus abbas S. Martini Turonenſis, 513. c.
Ægrotis recitatum officium divinum, 588. a.
Ægyptiæ herbæ, Et miratum cibus, 162. c.
Æmilianum palatium, 613. a
Æmilianus primus in Hiſpania Benedictinus, 69. c. ejus geſta, 70. an abbas fuit, 69. c. 70. b. Miracula. 684. c. 2. abbas Vergegienſis obiit, 163. b.
Æmilianus eremita, 102. c. 103. c.
Æmiliani monachi mira pœnitentia, 133. b.
Æmilianus notarius S. Gregorii, 218. c.
Ænladius epiſc. Niverni, 28. b.
Æquicoli Valeriæ attributi, 668. c. 2.
Æquitius, *vide* Equitius.
Æta abbatiſſa in Anglia, 601. b.
Æthelwaldus anachoreta Farnenſis, 617. a.
Ætheria abbatiſſa Sueſſionenſis, 455. c. 456. b. 482. b. 532. b. 621. c.
Ætherius epiſc. Lugduni, 196. c. 223. b. 245. b. 264. c.
Ætherius epiſc. Ebreduni, 422. c. 423. c.
Ætherius Camuri epiſcopus, 79. c. 80. a.
Ætherius epiſc. incerti loci, forte Antipolis, 231. a.
Ætherius abbas Divionenſis, 289. b.
Æthilberga ſeu Æthilburga abbatiſſa S. Faræ, 505. a. 434. c.
Æthilwaldus abbas Mailroſæ, tum epiſc. Lindiſfarnæ, 617. a. b.
Ætticus dux ſub Chlodoveo III. 599. b. *vide* Athicus.
Ætla Streaneſhalæ monachus, tum epiſc. Dorcieeſtriæ, 474. b. 535. b. ſeu Wicciorum, 595. b. c. ſeu Aela epiſc. Dorcieeſtriæ, 595. c. geſta ejus, *ibid.*
Afflicti à Deo, etiam errantes, ab hominibus inſuper non affligendi, 224. c.
Afflictionis tempore humilitas comprobatur, 224. c.
Afratana virgo, ſeu Fara, 305. b.
Africa a barbaris occupata, 157. a. b.
Agano epiſcopus Carnutum, 147. c.
Agapitus abbas Surrentinus, 260. a.
Agapitus abbas Urbis-veteris, 219. a. [518. a.
Agatheus comes & epiſcopus Rhedonum & Namnetarum,
Agatha abbatiſſa Romæ, 244. c.
Agathenſis epiſcopus Beticus, 33. a
Agatho papa S. Wilfridi innocentiam tuetur, 544. Concilium Romæ ſub eo contra Monothelitas, 551. b.
Agatho Wandregiſilum morientem inviſit, 484. c.
Agatho a S. Gregorio commendatus, 239. b.
Agaunenſium martyrum feſtum, 439. c.
Agaunenſium inſtituta, 174. a. *vide* Privilegium, & Monaſteria.

Agauntum an idem ac Tarnatum, 679. a.
Agericus epiſc. Lemovicum, 632. b.
Agerici epiſc. Virdunenſis reliquiæ, 558. c.
Agericus abbas Senonienſis, 461. b.
Aghilenus abbas S Petri Vivi, 450. a.
Agibodus monachus Bobienſis, pie obit, 334. c.
Agilberta *vide* Agliberta.
Agilbertus in Anglia epiſcopus, tum Pariſienſis, 496. b. 478. a. c. epiſc. Dorcincæ, 366. b. c. ſeu Dorcicestriæ, 591. c. ſeu Gevillorum, 444. a. Pariſienſis, 472. c. 473. a. c. 364. c. 501. c 564. a. *vide* Aglibertus.
Agilbertus abbas ignotus, 175. a.
Agilfus ſeu Agilulfus epiſc. Mettenſis, 264. b.
Agilulfus rex Longobardiæ S Columbano favet, 296 c. Romam fruſtra obſidet, 252. pacem init cum Romanis, *ibid.* b. c. tria capitula tuetur, 299. c. 300. a.
Agilus Reſbacenſis abbas, 213. c. 363. b. 431. b. 365. b. Ejus parentes & geſta quædam, 306. b. c. Obit, 412. b. c.
Agirardus epiſc Carnutum, 605. a. b. 606. a.
Agletrudis S Bavonis filia, 398. b.
Agliacus epiſc provinc. Arelatenſis, 571. c. 700. c. a. an Avenionenſis, 598. b.
Agliberta abbatiſſa Jotri, 364. c. 456. b. c.
Aglibertus, 478. c.
Aglibertus epiſc. Andegavenſis, 389. b.
Aglibertus epiſc Cenomannenſis, 159 160. 456. a. 578 c.
Agliberti epiſc Pariſ. ſepulcrum, 456. b. *vide* Agilbertus.
Aglius epiſcopus, 703. c. a.
Agnellus abbas Ariminenſis, 239. a.
Agnellus abbas Neapolitanus, 244. c. Ejus corpus, *ibid.*
Agnericus epiſcopus, 703. c. a.
Agnericus *vide* Cagnericus.
Agnes abbatiſſa Nivialiæ, 505. b. 609. a.
Agnes abbatiſſa S. Crucis Pictav. 125. a. 155. 156. c. 193. a. c. 192. a. 199. a.
Agneti imp. conceſſum, ut Caſinenſem baſilicam, &c. ingrederetur, 513 b.
Agnetrudis ſoror S Faræ, 355. c. 356. a.
Agnio fluvius Flandriæ, 454. b.
Ago abbas S. Columbæ Senonenſis, 445. b. c. 449. a.
Ago abbas provinciæ Arelatenſis, 571 c 700 c. a.
Agobertus abbas Ebronii, 331 c. 383 b
Agreſtius monachus ſchiſmaticus 316. b. 316. c. tria Capitula defendit, 317 b c. Romaricenſes pervertit, 321. b. c. Ejus cauſa agitatur in concilio Matiſconenſi, 310. c. 321. Mors ejus infelix, 321. c.
Agricola epiſc. Cabilonenſis, 133. c 228. b.
Agricola epiſc Nivernoi, 196 c
Agricolus epiſc. Avenionenſis e monacho Lirinenſi, 595. b.
Agrippinus epiſc. Æduæ. 32. b.
Agroecii epiſc. Trevir. reliquiæ, 486. c.
Aicadrus abbas Gemeticenſis, 200. b. 432. c. Antea abbas Quincienſis, 566. c. Ejus pia geſta, 565. 522. b. c. 522 a. b obiit, 583. a. Ejus cultus, &c *ibid.*
Aidanus epiſc. Scottus, 249. c. 435. 444. b 472. 473. c. 474. 557. a.
Aidanus epiſc. Lindisfarnæ, 271. a. Northumbros convertit, 361. 366. c. Ejus pia geſta, 366. obiit. 415. c. 416. monaſterium condit, 416. a.
Aidanus rex Scottorum a S. Columba abbate benedictus, 210. c.
Aidila abbatiſſa Tuſſiaci, 159 c.
Aidus epiſcopus, 294. b.
Aiga S. Audoeni mater, 365. a.
Aighilenus abbas S. Petri Vivi, 602. b.
Aiglibertus epiſc. Cenomannenſis, 159. c. 418. a. 578. c. 605 b. Archicapellanus, *ibid.* monaſteria fundat, 260.
Aigradus abbas Fontanellæ. 585 c
Aigradus abbas Gemetici, 571. c.
Aigulfus epiſc. Mettenſis, 190. b
Aigulfus abbas S Dionyſii, 341. b. 342 a. 415. b. c. 500. b. Facilior fuit, 59. b.
Aigulfo cura data tranſlationis S. Benedicti, 425. c. Fuit poſtea abbas Lirini, 15 a. 270 b. 463 b. 496 a. 589. c. dira a ſuis patitur, 464. a. Ejus martyrium, 530. b. Reliquiæ, *ibid.* c.
Aigulfus comes palatii Chlodovei II. 425 a.
Aibeus ſanctus monachus Arelati, 20. b.
